Universidad de Deusto
Biblioteca

D I B I

T H O M Æ

R I M A

A R S

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante 9
Plúteo 8

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX OMNIVM TRACTATVVM QVI IN HOC OPERE CONTINENTVR IN TRES TOMOS DIGESTORVM.

TOMI PRIMI TRACTATVS.

1 DE Comparatione autoritatis Papæ & Concilij.
2 De Comparata autoritate Papæ & Concilij apologiæ, pars prima & secũda.
3 De Rõani põtificis institutiõe & autoritate.
4 De Attritione & contritione.
5 De confessione.
6 De Satisfactione pœnitentiali.
7 De Ministro sacramenti pœnitentiæ.
8 De Indulgentiarum thesauro.
9 De Causa indulgentiarum.
10 De Suscipientibus indulgentias.
11 De Modo tradendi seu suscipiendi sacros ordines.
12 De contractu matrimonij.
13 De vsu matrimonij.
14 De delectatione morosa.
15 De Indulgentiis.
16 De Indulgentiis quæstiones sex.
17 De Contentione quæstio vnica.
18 De confessione quæstiones quinque.
19 De Excommunicatione quæstio vnica.
20 De Iniunctis pœnitentiis quæstio.
21 De Sigillo confessionis quæstio.
22 De Pollutione ex auditione confessionis proueniente quæstio.
23 De Purgatorio quæstiones duæ.
24 De pœnarum timore quæstiones duæ.
25 De Obligatione & obseruatione præceptorũ, tã in religione, quàm extra quæstiones duæ.
26 De Sacri ordinis collatione quæstio.
27 De Dispensatione matrimonij cum Occidentali Ecclesia quæstio.
28 De Matrimonio quæstio.
29 De Reddendo debito inter coniuges, altero eorum existente adultero quæstio.
30 De vsu sacrarum scripturarũ ab Ecclesia.
31 De 17. Respõsionibus ad diuersos factis, præcipuè ad quædã obiecta, quæ pro Martini Lutheri assertionibus facere videbantur.

TOMI SECVNDI TRACTATVS.

1 De Conceptione beatæ Virginis.
2 De Eucharistiæ sacramento, & erroribus in eo contingentibus.
3 De Celebratione Missæ.
4 De Valore orationum dictarum ab audientibus Missam in die festo.
5 De Præcepto Eleemosynæ.
6 De Monte Pietatis.
7 De Cambiis.
8 De vsura.
9 De Simonia.
10 De vsu spiritualiũ rerũ in peccato mortali.
11 De voto.
12 De Solutione maleficij, opera malefici ad hoc parati.
13 De Spasmo beatæ Virginis.

TOMI TERTII TRACTATVS.

1 De sex orationibus Romæ habitis.
2 De Dei glorioſi infinitate intensiua.
3 De Potentia neutra, & natura potentiæ receptiuæ.
4 De Subiecto naturalis Philosophiæ.
5 De Nominum Analogia.
6 De Conceptu Entis.
7 De Ente & Essentia.
8 De Solutionibus quorumdam locorũ sibiinuicem aduersantium in Commentariis sancti Thomæ contentorum.
9 De vinculo Obedientiæ.
10 De Missæ sacrificio & ritu aduersus Lutheranos.
11 De Fide & operibus aduersus Lutheranos.
12 De communione sub vtraque specie, de Integritate cõfessionis. de Valore satisfactionis, de Inuocatione sanctorum.
13 De Coniugio cum Relicta fratris.
14 De Eodem coniugio.
51 De quibusdã Responsionibus ad quosdã articulos nomine theologorũ Parisiensiũ editos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD NICOLAVM A FLISCO EPISCOPVM, CARDINALEM SABINENSEM, THOMAE DE Vio Caietani, tunc ordinis Prædicatorum generalis Magistri, nunc sancti Xysti Cardinalis, In comparationem autoritatis Papæ & Concilij,

PRAEFATIO.

QVAMETSI PVTO, Pater amplissime Fliscе, eam comparationem quam nuper de Pontificis maximi Ecclesiæq; totius autoritate scripsi, à multis hac tempestate, quemadmodum in diuersa studia scinduntur, ita dissimili ratione esse legendam, acceptandam, diiudicandam: omnibus tamen gratum fore puto, vel minimarum rationum, quæ ad hanc rem inusitatam, consentaneam tamen, his temporibus afferuntur, fieri certiores. A duersariis quidem & æmulis, vt impugnent: amicis, vt ea quæ veritatis sunt, defendant, cæteris autem, vt præsto ad legendum habeant quid de tanta, his temporibus concursatione maximáque & olim sæpe & in præsentia contentione, sit constituendum. Ego Prædicatorum ordinis (Romanæ Ecclesiæ veritatísque studiosissimi) generalis Magister, hanc summæ autoritatis comparationem, in defensionem quidem vetitatis & sedis Apostolicæ, non vt hominibus placeam (quanquam si id quoque assecutus fuero, non aspernabor) sed vt Iesu Christi veritatísque seruus sim, liberè scripsi, tibíque impræsentiarum & dedico quidem rectè, & perquàm libenter inscribo quòd ab illa sede, quam defendo, & quam Fliscorum ornatissima familia tua ornatissimis viris, Episcopis, Cardinalibus, & summis Pontificibus semper ornauit, ipse sis tandem summis honoribus exornatus. Quúmque te optimum prædicatorum ordinis protectorem & conciliandæ conseruandæ'q; ecclesiasticæ vnitatis, & veritatis amplificandæ vehementer cupidum esse sciam, nil ambigo, quin ea quæ pro veritate, & tanta autoritatis vnitate, atque concordia ex eo ordine à me tibi inscripta dedicatáque sunt, grato sis animo, & qua polles probitate & benignitate singulari susceperurus, atque habiturus inter cætera sempiternæ voluntatis & obseruantiæ erga te meæ testimonia, In æuũ
Vale.

TRAC

TRACTATVS PRIMVS PRIMI TOMI THOMAE DE VIO, CAIETANI, CARDINALIS SANCTI SYXTI, DE COMPARATIONE AVTORITATIS PAPÆ ET CONCILII, IN VIGINTIOCTO CAPITA DIVISVS.

IN OCTO ET VIGINTI CAPITA de comparatione autoritatis Papæ & Concilij, Summaria.

1 *Quòd Papa habeat supremam potestatem in Ecclesia Dei.*
2 *Opiniones aliorum de comparatione potestatis Petri primi Papæ & Apostolorum.*
3 *Rationabilis sententia, quòd Petro subiecti erant ceteri Apostoli.*
4 *Solutio obiectionum contra determinationem factam de Petri primatu super alios Apostolos.*
5 *Rationes tenentium quòd Ecclesia vniuersalis, seu Concilium vniuersale habet potestatem supra Papam simpliciter, ita quòd Papa est illi subiectus.*
6 *Quis sit sensus, quo quæstio de comparatione Concilij & Papæ vertitur in dubium.*
7 *Quod Papa est supra potestatem & Ecclesiæ & Concilij vniuersalis, vt distinguitur contra Papam.*
8 *Responsio ad obiectiones sumptas ex autoritate concilij Constantiensis, & Basiliensis.*
9 *Solutio reliquarum obiectionum contra autoritatem Papæ supra Concilium factarum.*
10 *De noua quadam fictione qua imaginantur aliqui Concilium esse supra Papam.*
11 *Quod secluso Papa non est in Ecclesia papatus suppletiuè, & sicut in regulante vsum illius.*
12 *Quod secluso Papa, non est in Ecclesia potestas legislatiua.*
13 *Quod secluso Papa non est in Ecclesia potestas applicatiua ecclesiasticæ potestatis ad personam, nisi in casu.*
14 *Solutio rationum contra Papam ex eo quod Ecclesia est totum, & autoritas illius maior in sex.*
15 *Opinio aliorum quòd secluso Papa, in Ecclesia est autoritas congregandi generale Concilium.*
16 *Quomodo verificatur, quod generale Concilium potest, aut non potest sine Papa congregari.*
17 *Initium comparationis potestatis Ecclesiæ & Papæ in casu hæresis: & primò de modo, quo Papa propter crimen hæresis subiicitur Concilio, secundum vnam opinionem.*
18 *De modo, quo Papa hæreticus subiicitur Concilio secundum aliam opinionem.*
19 *Examen illius propositionis, Papa hæreticus, est ipso facto priuatus Papatu.*
20 *Rationabilis sententia, quòd Papa factus hæreticus, subest potestati ministeriali Ecclesiæ, & non autoritatiuæ super Papam.*
21 *Discussio prædictæ potestatis ministerialis depositiuæ Papæ hæretici.*
22 *Responsio ad rationes & autoritates allatas in capitulo decimoseptimo ad probandum quod Papa hæreticus, est ipso facto depositus iure diuino.*
23 *Quomodo cum papa in hæresim lapso, parato corrigi, agendum est.*
24 *Opinio quòd Papa propter incorrigibilitatem in quocunque notorio crimine scandalizantem Ecclesiam, subiicitur Concilij potestati, ita quòd potest ab eo deponi.*
25 *Discussio & determinatio ad quam legem spectet determinare casus in quibus Papa subest iudicio Concilij.*
26 *Quot casus sint diuina lege statuti, vt possit Concilium Papam deponere.*
27 *Responsio ad obiectiones factas in capitulo 24 ad probãdum, quod Papa ex alio crimine quàm hæresis potest deponi ab Ecclesia.*
28 *An in euentu aliquo Papa sine culpa sua subsit Ecclesiæ, ita quòd possit deponi.*

CAPVT I.

¶Quòd Papa habeat supremam potestatem in Ecclesia Dei.

INTENDENS Resolutè comparare potestatem Papæ potestati Ecclesiæ & Concilij vniuersalis, primò potestas Papæ suo loco ponenda est: deinde comparabitur specialiter Apostolorum autoritati: post Ecclesiæ & Concilij vniuersalis absolutè: & deinceps in casibus, primò hæresis, secundò incorrigibilitatis, & demum in cuentibus, vt sic resolutè habeatur & simpliciter, & secundum quid. Et intendo pro solis viris doctis absque vlla passione rationabilia tantùm dicere: sub iudicio tamen sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

¶Et ne quis putet ponere me falcem in messem alienam, præmitto quòd quia autoritas Papæ immediatè est à Deo, & reuelata in sacra Scriptura & autoritas Ecclesiæ vniuersalis immediatè dicitur esse à Deo: vt Constant. Concilij declaratit: ideo materia ista primò & principaliter est theologorum, quorum est sacram Scripturam & diuina opera scrutari. Secundariò autem, inquantum scilicet est in sacris canonibus declarata: ad Canonistas spectat. Propter quod grauiter errant in hac re, Canonistis primò deferentes. Oportet ergo virum docilẽ, vtrosque Theologos & Canonistas, in re hac perspicere, & in suo quenque loco honorãdo theologiæ primatum dare: vtpote quæ ex propriis potest hoc determinare. Canonicum autem ius non nisi ad theologicam recurrat autoritatem, scilicet sacræ Scripturæ: quæ vera theologia est.

¶A PRIMO Igitur inchoando dicimus, quod certa est ista propositio, Papa habet supremam potestatem in Ecclesia Dei: fundatúrque super institutione Iesu Christi, Matth. 16. & Ioan. vlt. Saluator siquidẽ noster, rex regum & dominus dominantiũ quãuis potuisset Christianam rempublicã in terris, diuersis modis regendam disponere: voluit tamen & statuit, vt non populare, non diuitum, non potentũ, non optimatum multorum, aut paucorum esset regimen: sed vnius tantum: promittens soli Petro, Matthæi, decimosexto, Tibi dabo claues, &c. & eidem soli promissionem exhibens, curam omnium ouium suarum committens, Ioan. vlt. Pasce oues meas. Cõparatiua siquidẽ interrogatio, à qua sermo incepit dicens, Simon Ioannis, diligis me plus his? conuincit eriã proteruos quòd Petro vt distincto ab Apostolis præsentibus, ad quos refertur comparatio, & non in persona eorũ loquebatur Dominus. Et licet hic textus sufficere deberet, quoniã tunc factus est Petrus pastor vniuersalis, dũ dictũ est in præsenti, Pasce oues meas, non has vel illas, sed indistincte, vt omnes comprehederet, vt Gregor. notat. Non desunt tamen glossæ Chrysostomi dicentis ibidẽ, præteriés alios, Petro loquitur, Præpositus loco mei esto, & caput fraterni

Universidad de Deusto
Biblioteca

ordinatum: optimum autem regimen est vnius. Quod ex fine regiminis apparet. est enim finis pax, quæ in vnitate consistit: & constat quòd melius est causa vnitatis, vnus, quàm multi: qui non nisi vt in vnũ veniẽtes, eam causant. est ergo Ecclesiæ regimen institutum, vt vnus solus præsit vniuersæ reipublicæ. Et tu valdè notabis assumptum, scilicet q̃ Iesus Christus instituit tale regimen, vt clausas ora opponentium de regali regimine instituto à sẽatu, seu populo libero. non enim Ecclesia, aut populus Christianus, aut Conciliũ aliquod vniuersale, sed Christus ipse, qui viuit & regnat, instituit tale regimen: sic vt Petrus non Ecclesiæ, sed Iesu Christi vicarius esset, vt ex Concilio Lugdunensi in c. vbi periculũ. de electionibus, lib. sexto, patet, vbi Papa dicitur Iesu Christi vicarius. Et in capitulo quãuis, distinctione vigesimaprima, Pelagius papa dicit, Sãcta Rom. Ecclesia Catholica & apostolica nullis synodicis cõstitutis cæteris ecclesiis prælata est, sed euãgelica voce Domini & Saluatoris, primatũ obtinuit. Afferuntur quoque in dicto capitulo cõtra Gẽtiles, multæ ad hoc propositũ rationes, de primatu Papæ & de necessitate eiusdẽ vltra Iesum Christum in cælis: quas poteris ibi videre. Firmatur autem asserta propositio autoritate Martini quinti in Concilio Cõstantiẽsi: vbi diffinita est, vt patet in bulla condemnationis Ioannis VVicleff. In Cõcilio quoque Oecumenico Florentino, sub Eugenio quarto (vbi vnio Græcorum & Armenorũ cũ Romana Ecclesia facta est) habentur hæc verba, Diffinimus sanctã apostolicã sedẽ & Romanum Põtificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificẽ successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorũ patrem ac doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regẽdi & gubernandi vniuersalem Ecclesiã à domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditã esse. Hæc ibi. Ex quibus patet propositionem dictam non solum esse veram, sed cõtrariam esse erroneam, vt etiam sanctus Thomas in tractatu cõtra errores Græcorum, cap. 65. & tribus sequentibus, tangit: & pertinet ad errores Ioannis Huss, damnatos in Concilio Constant. à Martino quinto.

CAP. II.

¶ Opiniones aliorum de comparatione potestatis Petri primi Papæ, & Apostolorum.

QVAMVIS Autem Papæ potestas Petro Apostolo primum collata ostensa sit suprema: nõ desunt tamen qui Apostolos reliquos parem potestatem accepisse à Christo arguant. Et vt veritas clarius eluescat, scito quòd in hac re duo dubia inuoluuntur: quæ si separentur, perspicuam magis sortientur veritatem. Alterum dubium est de æqualitate potestatis Petri & aliorum Apostolorum. Alterum, de modo habendi potestatem: an scilicet omnes immediatè habuerint eam à Iesu Christo, an solus Petrus immediatè à Christo, alij verò ab eodem mediante Petro.

¶ Et quo ad vtrũque dubium, duæ sunt opiniones extremæ. Prima est dicẽtium, quòd omnes Apostoli parem potestatem à Iesu Christo immediate habuerunt. Et hi vtrunque simul multipliciter probant ex sacra Scriptura. Primò ex eo, quòd Matth. 18. Saluator omnibus Apostolis replicauit quòd soli Petro dixerat in c. 16. ait enim Quæcunque solueritis super terram, &c. Et verbum illud Ioan. vlt. dictum Petro, Pasce oues meas, omnibus Apostolis in sententia dictum est: quoniam pascere tripliciter fit, doctrina, vita, & correctione. Hæc autem omnia omnibus dicta sunt Apostolis, Primũ Matth. vltimo, Docete omnes gentes. Secundum Matth. 5. Vos estis lux mundi: sic luceat lux vestra coram hominibus, &c. Tertium Ioan. vltimo, quorum remiseritis peccata, &c. Secundò ex 2. ad Gal. vbi Paulus dicit, quòd Hierosolymis Petrus & alij Apostoli nil sibi contulerunt, nec doctrinæ, nec potestatis, vt ibidem bis habetur. Sanct. Tho. sed dederunt ei dextras societatis: & quòd in Antiochia restitit Petro in faciem, quia reprehensibilis erat. Hæc enim non sunt inter superiorem & subditos, sed potius inter socios. In Actibus Apostolorum, 8. capit. legimus, quòd Apostoli miserunt Petrum & Ioannem in Samariam. Constat autem, quòd maior non est qui mittitur, mittente: iuxta illud, Non est seruus maior Domino suo, nec apostolus maior eo, qui misit illum, Ioan. 13. Et confirmatur hoc autoritate sanctorum canonum. Primò Anacleti Papæ, distin. 21. c. in nouo. Cæteri Apostoli, inquit, cum beato Petro pari consortio prædi ti, & honorem & potestatem acceperunt. Secundò, Cypriani in c. loquitur Dominus. 24. quæst. prima. Hoc cæteri Apostoli erant quod Petrus fuit, pari consortio prædi ti & honoris & potestatis. Tertio Hieronymi super epistolam ad Galatas, & habetur 2. quæstio. 7. canone, Paulus Petrum reprehendit: quod non auderet, nisi se non imparem sciret.

¶ Altera extrema opinio est discordantium in vtroque, & dicentium, quòd nec parem potestatem, nec immediatè à Iesu Christo omnes Apostoli acceperũt potestatẽ: sed solus Petrus immediatè à domino Iesu Christo potestatẽ accepit, & omnes ei subiecti fuerunt ab ipso potestatem habẽtes. Et de modo quidẽ habendi potestatẽ, scilicet quòd solus Petrus habuit eam à Domino Iesu immediatè, probant in communi quidem ex textu Anacleti, dist. 21. in nouo. Petro primo pontificatus in Ecclesia Christi datus est. In speciali autem quo ad potestatem ordinis, non sacerdotalis (hanc enim constat habuisse omnes immediatè à Christo in cœna dicente, Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis, quo ad actum celebrãdi missas: & post resurrectionem, quo ad actum absoluendi in sacramento pœnitentiæ, dicente, Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.) sed episcopalis, probant ex consecratione Iacobi & Pauli ac Barnabæ, Iacobus enim ordinatus fuit archiepiscopus Hierosolymitanus à Petro, & Iacobo & Ioanne: vt dicitur in can. porro. distin. 66. Et Paulus & Barnabas ordinati ab aliis fuerunt. Dicitur enim Actuum 13. Dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Paulum & Barnabã, &c. Et subiungitur. Imponentes eis manus, dimiserunt, glossa, in modum ordinandorum, & in c. quòd die dominico. dist. 75. Quo ad potestatem verò iurisdictionis (cùm nullibi clarius appareat, quàm Mat. 18. vbi Apostolis dicit dominus Iesus, Quæcunque solueritis super terram &c.) probant ex hoc, quòd Christus soli Petro dixerat, Quodcunque solueris, &c. Matth. 16. Ex ipso, inquiũt, ordine promissionum insinuat, quòd potestas ligandi & soluendi ordine quodam exhibenda erat, vt scilicet per Petrum ad alios deriuaretur: vt sanct. Tho. in 4. contra Gent. cap. 76. & in 4. sentẽ. distin. 24. q. vlti. dicit. Affertur quoque autoritas Leonis suprà inducta ex can. ita Dominus, distinct. 19. clarè dicentis, quòd Christus hoc disposuit, vt ab ipso Petro quasi à quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.

¶ DE ÆQVALITATE Verò potestatis Apostolorum quatuor inuenio expositiones, sustinẽtes cum hoc Petri autoritatem super omnes. Prima distinguit potestatem ordinis & iurisdictionis: & omnes dixit esse æquales potestate ordinis, sicut omnes episcopi sunt æquales tali potestate. Petrus autem super omnes dicitur potestate iurisdictionis. Secunda dicit, q̃ omnes Apostoli fuerunt in potestate iurisdictionis pares, id est, similes. Probatque in Scriptura paritatem pro similitudine sumi: ex Leui. 18. Cauete ne vos similiter euomat cum paria feceritis glossa id est, similia. Tertia declarat (& est sanct. Tho. in 2. 2. quæstio. 33. artic. 4. ad secundum) quòd fuerunt pares aliquo modo quantum ad fidei defensionem. Inquit enim sic coram omnibus Paulus Petrum non reprehendisset, nisi aliquo modo par esset quantum ad fidei defensionem. Quarta est eiusdem super epistolam ad Gal. 2. cap. quòd Apostoli fuerunt æquales, quãtum ad exequutionem autoritatis. Ait enim, Apostolus, scilicet Paulus fuit par Petro in exequutione autoritatis, non autem in autoritate regiminis.

CAP. III.

¶ Rationabilis sententia, quòd Petro subiecti erant cæteri Apostoli.

ALLATIS Duabus extremis opinionibus, media mihi via incedendum occurrit, & dicendum quòd, Apostoli inter se possunt comparari dupliciter. Primò inquantum Apostoli: & sic omnes fuerunt æquales. Alio modo inquantum oues Christi, ab eo hic corporali conuersatione separatæ: & sic Petrus solus est pastor, & reliqui Apostoli, oues sub illius cura. Sed quia non sufficit dicere, sed oportet declarare & probare sic esse, vt dicimus, declaro primò dignitatem & potestatem apostolatus. Scribitur in primis Luc. 9. c. quòd conuocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent: & misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. Matt. quoque vlt. legitur, q̃ eisdem Dominus dixit, Euntes in mundum vniuersum, docete omnes gentes, baptizantes & docentes seruare omnia quæ mandaui vobis. In prima quoque epistola Pauli ad Corint. 12. c. legitur, quòd Deus posuit in Ecclesia primum Apostolos: vbi glossa interlinearis in verbo primum, dicit dignitate & tempore. Et in verbo Apostolos, dicit, omnium ordinatores & iudices. In decre. distinct. 68. c. quorum vices, dicitur ex Aug. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: patres misi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt & constituti Episcopi. Et in Concilio Oecumenico Fiorentino sub Eugenio 4. inter documenta fidei de ministro confirmationis habentur hæc verba, Hanc, scilicet confirmationem non nisi Episcopus debet cõferre: quia de solis Apostolis legitur (quorum vicẽ tenent Episcopi) q̃ per manus impositionẽ Spiritũ sanctum dabant. ¶ Diuus Tho. super prælatis verbis ex prima epistola ad Cor. 12. cap. dicit hæc verba, Maiores autem ministri in Ecclesia sunt Apostoli: ad quorum officium tria pertinent. Quorũ primum est autoritas gubernandi fidelem populum, quæ propriè pertinet ad officiũ apostolatus: Secundò facultas docendi: Tertiò potestas miracula faciendi ad confirmationem doctrinæ. Hæc ille. Et post quam subiunxit, quod tertium horũ ordinatur ad secundũ, & secundum ad primum, subdit, Deus posuit primũ Apostolos; quorũ regimini commisit Ecclesiam. Et tripliciter probat. Primò per illud Luc. 22. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Secundò, per illud Apoca. 21. Murus ciuitatis habens fundamenta duo

duodecim & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum. Tertio, per illud ad Rom. 8. Nos ipsi primitias Spiritus habentes. maiori enim gradui maior datur gratia.

¶ Ex his omnibus facile est videre, quòd Apostoli, inquãtum Apostoli, habuerunt non solùm potestatem ordinis, sed iurisdictionis. Autoritas enim gubernandi Ecclesiam, quæ est apostolatui propria, sine iurisdictionis potestate non est. Et si huic adiunxeris, quòd non habuerunt apostolatum à Christo mediante Petro, sed immediatè ab ipso Iesu Christo, in xta illud Ioan. 20. Sicut misit me pater, & ego mitto vos: & Matth. 10. & Marci 3. & Luc. 6. patet, quòd ipse fecit eos Apostolos. Et ad Galat. 1. Paulus probat se Apostolum: quia neque ab hominibus, neque ab homine tam mittente, quàm docente est Apostolus. Solues vtrunque dubium, scilicet & de potestatis æqualitate, & de modo habendi: quòd scilicet Apostoli quantum ad apostolatus autoritatem fuerunt æquales simpliciter, & quòd hanc potestatem habuerunt à Iesu Christo immediatè, sicut & apostolatum. Dixi autem simpliciter: quia secundum quid nihil prohibet, vnũm Apostolum habere apostolatum digniorem altero, vt Paulus aliis: iuxta gloss. interlinearem ad Galat. 1. in verbo, Qui suscitauit eum à mortuis, dicentem in persona Pauli, Et ita dignius me constituit per immortalem Christum, quàm alios per mortalem: & gloss. marginalem ex August. in libro Retractationum ex eadem radice. Propter quod Diuus Thomas ibidem dicit, Paulum ad dexteram, & Petrum ad sinistram in bullis papalibus imprimi. Dignitas enim ista ex parte status vocantis, qui scilicet est immortalis, non facit vocatum Apostolum maiorem simpliciter, sed quo ad hoc.

¶ SI AVTEM cõsideremus, quòd etiam ipsi Apostoli oues erant Christi, à quo statutum est, vt sit vnũ ouile & vnus pastor, sic Petrus inuenitur ille vnus pastor, cui dictũ est, Pasce oues meas nõ has, vel illas: & reliqui inueniuntur vnius ouilis oues. In cuius signum Petrus statim factus pastor, curam Ioan. suscepit, interrogans de eo, Hic autem quid? vt patet Ioannis vltimo. Quomodo autẽ verificari possunt hæc duo simul, quòd scilicet omnes Apostoli fuerunt pares in authoritate gubernandi Ecclesiam, atque à Iesu Christo eam immediatè habuerũt, & quòd Petrus solus fuit institutus pastor vniuersalis Ecclesiæ, & maior autoritate superalios Apostolos, ita quòd ab ipso capite in totũ Ecclesiæ corpus potestas deriuata est, difficile apparet prima fronte: sed si subtiliter contemplati fuerimus, videbimus de facto omnia vera simul fuisse. Sciendum est nanque, quòd sicut in natura dupliciter aliqua fiunt, scilicet naturaliter, vt cum homo generat hominem, & infirmus ex virtute naturæ sanatur: & supernaturaliter sicut cũ homo creatus est à Deo, & infirmus miraculo sanatur. Ita in Ecclesia duplici quoque modo aliquid fit, scilicet ordinarie, vt cũ seruato iuris ordine creatur Episcopus: & de speciali gratia à principe, vt si statim aliquis crearetur Episcopus: vt de Ambrosio contigit. Vtroque autẽ modo princeps noster Iesus Christus in primitiua Ecclesia vsus est. nam institutione ecclesiastici regiminis ordinario iure perpetuo seruãdum monarchicum, id est vnius principatum instituit, & posuit Petrum caput vnũ totius corporis Ecclesiæ: à quo in omnes potestas iurisdictiõis & ordinis ordinarie deriuaretur. Et hoc intendunt omnes sacri autores, cũ dependentiã omnium à Petro doctrinam tradunt. In erogando verò ex speciali gratia, sicut præuenit Petrum in conferendo potestatem ordinis (dum ipse Dominus per seipsum etiam alios Apostolos fecit sacerdotes in vltima cœna, & confessores post resurrectionem, & sacramentum cõfirmationis in die Pentecostes) ita præuenit eundem in dando autoritatem gubernandi, ordinandi iudicandique Ecclesiam: vt ex allatis patet autoritatibus. Et quẽadmodum nihil obstat maioritati ipsius Petri capitis, quòd alij non habuerunt ab ipso potestatem ordinis (quia hoc non fuit ex defectu potestatis in Petro, aut exemptione aliorum ab ipso, sed ex præuentione superioris, qui prius dedit id subditis Petri ex gratia, quod ordinariè dandum erat eisdem à Petro) ita etiam, nihil officit excellentiæ potestatis iurisdictionis Petri super omnes quòd eius subditis Saluator superior omnibus dedit illam potestatem ex gratia, quã à Petro per viam ordinariam erant accepturi. Modus itaque varius dandi & accipiendi potestatem clarificat veritatem. In Petro enim, & à Petro inchoat omnis Ecclesiæ potestas, & deriuatur in totam Ecclesiam via ordinaria: & rursus aliqui Petro subditi plures potestates acceperũt à Christo immediate, quas à Petro acceperunt, via præuentionis gratuitæ. Et sic Ecclesia vna sub vnico tantum capite, Petro scilicet, & habet Apostolos omnes, immediatè à Christo potestatem ordinis & iurisdictionis habentes ex gratia præueniente: & habet Petrum solum caput Apostolorum cæterorum & omnium à quo in Apostolos aliquos, & in omnes ordinarie potestas ordinis & iurisdictionis deriuanda est. Sunt ergo simul vera quæ aduersari sibi inuicem videbantur.

¶ ET VT Clarius eluescant dicta, scito quinque esse differentias inter potestatem Petri & aliorum Apostolorum. Prima est in modo dandi & accipiendi: quia Petro data est ordinarie, aliis autem ex speciali gratia: vt explanarum est. Secunda est in officio (& sequitur ex prima) quòd Petrus factus est vicarius generalis Iesu Christi, alij verò facti velut legati seu delegati eius: iuxta illud Pauli 2. ad Corin. 5. Legatione pro Christo fungimur, & ad Ephes. vlt. Legatione fungor in catena ista. Et hoc ipsum Apostoli nomen importat à missione sumptum: quamuis extẽso vocabulo in præfatione dicatur vicarij. Tertia est in obiecto potestatis, quòd aliorum potestas iurisdictionis nõ erat supra se inuicẽ, sed super alios Petri verò potestas erat, & super alios, & super ipsos reliquos Apostolos dicente sibi soli Christo, Pasce oues meas in quarum numero sine dubio erant Apostoli. Vbi Chrysost. dicit in persona Christi ad Petrum, Loco mei præpositus esto, & caput fratrum tuorum. Quarta est in perpetuitate potestatis: quia aliorum potestas finiẽda erat cũ vita eorũ: quoniã data est eis in personis propriis pro solis personis propriis, & non pro eorum successoribus. Petri verò potestas vsque ad consummationem seculi perseuerat: quia data est sibi in persona propria non solũ pro seipso, sed omnibus successoribus suis: quod sancti doctores exprimunt sub aliis verbis, dicendo, q̃ data erat, & Petro in persona Ecclesiæ. Et ex hac differẽtia oritur q̃ nullus est successor Ioannis aut Iacobi, nec etiam Pauli Apostoli i autoritate Apostolatus vniuersalis gubernatiõis Ecclesiæ sicut Apostoli gubernabant vbique: sed tantum in potestate ordinis & regiminis vnius certę Ecclesię succedũt Episcopi. sed solius Petri successor est & dicitur Papa, vt patet in allegatis superius. Quinta & vltima pro nũc est in ipsa essentia potestatis: quoniã authoritas communiter Apostolis data, ex vi apostolatus fuit velut potentia executiua. vnde & à Sancto Thoma vocatur autoritas gubernãdi. gubernatio enim executionẽ sonat. Autoritas verò data soli Petro quum factus est Papa, dicente Christo, Pasce oues meas, est potentia præceptiua: & propterea vocatur à Sãcto Thoma autoritas regiminis. Propter quod dixit S. Thomas Paulus fuit par Petro in executione, non in autoritate regiminis, ad Galat. 2. & ad Cor. 12. Ecclesiæ regimen quod sonat executionem, non autoritatem regiminis, quod sonat imperium, commissum dicit Apostolis. Vnde & in præfatione non appellantur vicarij absolutè, sed vicarij operis: dicente Ecclesia ad Deum de Apostolis, Quos operis tui vicarios, quasi diceret vicarios ad exequẽdum. Veruntamen quia vnum pro alio quandoque poni potest, si etiam inueniretur paritas in autoritate regiminis, pie exponendum esset pro executiua potentia. dederat enim Saluator omnibus Apostolis communiter vt exequi possent in eis, ad quos mitteba-tur, omnia quæ poterat exequi Petrus: puta instituere Ecclesias & Episcopos, docere, excommunicare, &c. Petro autem absolutè dedit potestatem omnium. Et si Paulus aliquo modo, id est executiuè erat par Petro quantum ad defensionem fidei: vt ex Secunda secundæ dictum est. Et si non penetras differentiã hanc inter potestatem executiuam & præceptiuam vide illam in exemplo: Episcopi habent officium prædicãdi, & fratres Prædicatores habent etiam officium prædicãdi (cùm ad hoc instituti sint) sed differenter: quia Episcopi ex propria autoritate hoc faciunt, fratres verò Prædicatores autoritate Papæ delegantis eis id officium, hanc prædicationis exercendæ potestatẽ. Sic enim proportionaliter de potestate gubernandi Ecclesiam in Petro & aliis Apostolis fuit: Petrus enim ex propria sui pontificatus officij autoritate gubernabat, alij verò Apostoli ex priuilegio domini delegantis eis gubernationis officium. Nunc superest respondere obiectis in sequenti capitulo.

CAP. IIII.

¶ In quo soluuntur obiectiones contra determinationem factam de Petri primatu super alios Apostolos.

AT AVTEM Ordinatè satisfiat obiectis, primò ad primò inductas obiectiones: & sic deinceps respondebitur.

¶ Ad autoritatem ergo ex Matt. 18. dicitur, quòd in verbis dictis Petro soli c. 16. & in verbis dictis omni bus, c. 18. perspicienda sunt duo, scilicet ordo & potestas data. Ordo fuit, quòd prius Petro soli est dictum, Quodcunque solueris: & deinde omnibus. Et ex hoc ordine insinuat Dominus ordinarium progressum potestatis soluendi & ligandi, quod scilicet à Petro ad cæteros deriuada est propter vnitatem capitis & corporis Ecclesiæ, vt ex autoritatibus sancti Thomæ allatis ex 4. contra Gent. & 4. sent. apparet. Potestas data fuit, vt dictũ est, ad gubernatiuam Ecclesiæ potestatem pertinens, & æqualis modo dicto. Et ex hoc ostendit Dominus, quod ipse ex gratuita præuentione dare voluit Apostolis. Ambo igitur simul considerata ostendunt magis quod dicimus esse verum.

¶ Ad illud Ioannis vltimo, quamuis malè probetur, quòd correctio iurisdictionalis sit commissa omnibus per illud, Quorum remiseritis peccata: quoniam hæc verba ad correctionem fori pœnitẽtiæ spectant: quia tamen posset probari per illud Mat-

Universidad de Deusto
Biblioteca

thæi decimooctauo, Quæcunque soluerit is: vbi Saluator loquitur de exteriori iurisdictione, qua Ecclesiam non audiens sit ethnicus & publicanus. respondetur q; in veritate Saluator illa verba etiã quò ad sensum, Pasce oues meas, soli Petro dixit, vt probatum est. Et quòd si inueniatur aliquid simile cõmissum Apostolis (puta pastorale officium) vt ex eodem fundamento dicatur, quòd nulli cõmissæ sunt oues Christi indistinctè, vt comprehendantur omnes, nisi Petro: aliis verò cõmissæ sunt oues determinatè, saltem hac determinatione, scilicet aliæ ab ipsis Apostolis, sal-
tẽ Petro. Et propterea alij possunt dici delegati pastores iuxta illud præfationis, Quos operis tui vicarios eisdẽ contulisti præsse pastores, quasi diceret, q; gregi tuo contulisti Apostolos præsse pastores, vt vicarios operis tui id est missos, vt vice tua ad executionem operis tui. Petrus autem creatus est pastor ouium Christi absolutè & vniuersaliter dicẽte Christo ipsi soli, Pasce oues meas. Vnde (vt vnico verbo dicatur) plus datũ est per hæc verba Petro quàm per quæcunque alia simul congregata cæteris: quia autoritas regiminis vniuersalis simpliciter hic clauditur: quàuis totum pastorale officium executiuè concessum sit omnibus Apostolis.

¶Ad autoritatem ex secundo capitu. ad Galat. iam patet, quòd nil doctrinę aut potestatis accepit Paulus à Petro, non ex defectu potestatis in Petro, sed ex præuentione gratuita, qua à Domino Iesu habuit potestatem & scientiam, vt ipsemet in 1. cap. dixerat, Dextras autem societatis propter vnitatem fidei, quã docebant: non solum nanque socij, sed fratres in vnitate fidei sumus: iuxta illud Matt. 23. Omnes vos fratres estis. Quomodo verò in faciem restitit, vt par, iam declaratum est, quòd de paritate in executione officij defensiui fidei intelligitur.

¶At illud verò, quòd in Actibus Apostolorum Petrus & Ioannes missi sunt, facilè patet ex Theologis in primo sent. dist. 15. responsio, quòd non oportet mittentem esse maiorem misso. Et nihilominus in proposito missi dicuntur consilio vel amore, non autoritate aliorum.

¶Ad autoritates Anacleti, Cypriani, & Hiero. iam patet quid dicendum ex fundamento iam posito. Vnde vir docte: quia non vagando, sed ex eadem radice omnia soluuntur, testimoniũ habes quòd doctrina hæc vera est. Vero enim omnia consonant: & oportet ex quo quid est rei, omnes difficultates proprias soluere: vt Philosophus dicit 4. Phy. Ex eadem quoque radice patet de positione aliorum, quam recitauimus circa modum habendi potestatem à Christo immediatè. Patet inquã de potestate ordinis, quòd nihil refert an Dominus Iesus præuenerit Petrũ in faciendo omnes Apostolos episcopos (vt glo. in can. porrò. dist. 66. sentire videtur contra textũ) an eos ordinãdos Petro reliquerit: vt præallegata sonãt. Si enim Petro hoc dimisit, ordinarium progressum potestatis ordinis in statuto cursu nõ præuenit, & si ipse ordinauit per seipsum, gratuita præuentione, nõ reuocatione statutiordinis hoc fecit. De potestate verò iurisdictionis, iam dictũ est quòd gratuita præuentione per seipsum eam omnibus exequẽdam dedit, qui in ordine dandi seu promittendi, ordinarium progressum deriuationis illius ad alios per Petrum fore statuit: vt allatæ autoritates docent. Ex his omnibus clarè liquet, quòd Petrus solus princeps caput & pastor est Apostolorum, & q; ei subditi fuerunt Apostoli, vt oues pastori, & quòd ordinaria via ab ipso potestatem sortiri erant ordinis & iurisdictionis, licet gratuita præuentione potestatem iurisdictionis executiuam æqualem à Domino immediatè habuerint. Potestatem autem ordinis episcopalẽ immediatè vel mediatè, omnes etiam à Domino habuerunt æqualem. Et si prædicta perspicaciter intuitus fueris, videbis quòd Petrus licet Apostolus & Papa fuerit simpliciter maior cæteris: Linus tamen Cletus aut Clemens non sic se habebat ad Ioannẽ Apostolũ & Euangelistã, qui viuebat, sed aliquo modo vt par, & excedens, & excessus. Erant enim pares in potestate executiua regiminis Ecclesię: pro quanto Ioãnes poterat ex Apostolatu exequi quicquid poterat Papa. Erat Papa excedens in autoritate regiminis, sicut de Petri autoritate dictum est: quia illius erat successor, & Iesu Christi vicarius ipse, non Ioannes. Erat & excessus in dignitate Apostolatus: quia Ioannes erat Apostolus, Linus autem aut Clemens non. Et quia Apostolis non Papæ condendi libros sacræ scripturæ cõcessum est, dicente illis Domino, quòd Spiritussanctus doceret eos omnia, & omnem veritatem: vnde Aug. de consensu Euange. Lucas & Marcus scripserunt illo tẽpore quo ab ipsis in carne manentibus Apostolis probari meruerunt: ideo præualuisset sententia Ioan. sententiæ Clementis Papæ in doctrina fidei & morum: sicut modo præualet Euangeliũ Ioannis sententiæ cuiuscunque Papæ & totius Ecclesiæ. Nec obstat illud Aug. Euangelio nõ crederẽ, nisi me autoritas Ecclesię admoneret: quia ipse Ioannes, & similiter quilibet Apostolus Ecclesia erat Iesu Christi autoritate: testante hoc ipso Ioan. qui de seipso loquens cap. vlt. dicit in persona Ecclesię, quam autoritate Christi gerebat: Et scimus quia verum testimonium eius. Ex quo nanque constat Apostolorum aliquem scripsisse ad doctrinã Ecclesiæ, Ecclesiæ autoritatẽ habet.

¶Ex his autem patet quòd duarum extremarum opinionum, scilicet dicentis, quòd omnes Apostoli eodem modo sint instituti à Christo vicarij sui: & dicẽtis, quòd Christus immediatè soli Petro dedit potestatem iurisdictionis, neutra videtur vera: quamuis ista secunda sit non reprobanda, sed exponenda. Media autẽ via sola vera est, quam declarauimus, scilicet quòd solus Petrus habuit vicariatum Iesu Christi, & solus immediatè potestatẽ iurisdictionis ordinariè à Christo accepit: ita quòd ab eo alij ordinario iure acceperi erant, & ei sunt subiecti: hoc enim modo verificatur secunda opinio. Et cum hoc Iesus Christus dominus iuris præueniendo delegauit cæteris parẽ in exequendo potestatem (vt dictũ est) & hoc veritatis habet prima opinio. Sequere ergo medium.

CAP. V.

¶In quo ponuntur rationes tenentium quod Ecclesia vni ersalis seu Concilium vniuersale habet potestatem supra Papam simpliciter, ita quod Papa sit illi subditus.

EXAMINATA comparatione potestatis Papæ ad Apostolos ratione sui apostolatus, comparanda modo est Papæ potestas Ecclesiæ vniuersalis seu Concilij vniuersalis potestati: nunc quidem absolutè, postmodum verò in euẽtibus & casibus, vt promisimus. Et quoniam opposita iuxta se posita magis eluescunt, afferam primò rationes primarias, in quibus consistit vis: quibus probatur Papam subesse Ecclesiæ, seu Concilij vniuersalis iudicio. Et ne contingat sæpius Ecclesiam & Concilium iungere, pro eodem sumantur: quoniam non nisi sicut repræsentans & representatum distinguuntur.

¶Fundant igitur hi cõstitutionem dictam primò in actis concilij Constantiensis sub Ioanne 23. anno Domini 1415. vbi in sessione quinta habita die 6. mẽsis Aprilis sic legitur, Hæc sancta synodus declarat, quod ipsa in Spiritu sancto legitimè congregata, Concilium generale faciens, & Ecclesiam catholicã repræsentans, potestatẽ à Christo immediatè habet: cui quilibet cuiuscũque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur, in his quę pertinẽt ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite & in membris. Hęc ibi. Et subiũgitur aliud decretum in hæc verba, Item declarat, quòd quicunque cuiuscunque cõditionis, status, dignitatis, etiã si papalis, qui mandatis, statutis seu ordinationibus aut præcepcis huius sacræ synodi, & cuiuscunque alterius Concilij generalis legitimè congregati super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitẽtiæ subiiciatur, & debitè puniatur etiam ad alia iuris subsidia si opus fuerit, recurrẽdo. Hæc ibi. Ex quibus habentur tria. Primò, quòd Concilium vniuersale habet autoritatẽ à Iesu Christo immediatè. Secundò quòd Papa tenetur ei obedire. Tertiò quòd ipsa synodus habet potestatem coactiuã supra Papam, dum punitioni eum subiicit.

¶Confirmatúrque eadem sententia per Concilium Basiliense celebratum anno Domini 1431. sub Eugenio quarto: vbi resumpta sunt hæc decreta in sessione secunda & 18. Deinde in condemnatione errorum Ioannis Vuicleff, in eodem Concilio Constantiensessione octaua, & postmodum per Bullam Martini quinti, sacro approbante Concilio firmata ibidem. Vbi inter alia sic damnatur articulus iste scilicet, Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse suprema inter alias Ecclesias. error si per Romanam Ecclesiam intelligatur vniuersalis Ecclesia, aut Concilium generale, aut pro quanto negare primatum summi Pontificis super alias Ecclesias particulares. Hęc ibi. Ex qua condemnatione habetur, quòd Concilium vniuersale est suprema Ecclesiarum, & consequenter est superior Ecclesia Romana, quæ est vna Ecclesiarum. Et confirmatur hanc esse intentionem Patrum: quia faciunt differentiam inter primatum Concilij & summi Pontificis: quoniam de Concilio dicũt simpliciter, quòd est suprema inter alias Ecclesias. De summo verò Pontifice dicunt quòd habet primatum respectu Ecclesiarum particularium.

¶Fundant quoque hoc idem in Euangelio & doctoribus: ex eo quòd claues regni cęlorum, officium pastorale & potestas ligandi atque soluendi, Ecclesiæ data sunt dupliciter, scilicet autoritatiuè & finaliter. Et quòd autoritatiuè Ecclesia ipsa hæc habeat testatur in primis Matth. 18. c. vbi postquàm Dominus dixerat, Dic Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: statim subdit, Amen dico vobis quæcunqueligaueritis super terram; erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Vbi manifestè Ecclesiæ hanc contulit potestatem vniuersalem: ad hoc enim illa verba subdit Dominus (vt Hieronymus ibidem dicit cum Hilario) ne pro-
uata autoritate reputaretur non audiens Ecclesiam ethnicus & publicanus, sed diuina autoritate Ecclesiæ collata.

¶ Testa

¶Testatur deinde August. super Ioan. (vt habetur 24. q. 1. c. quodcunque.) vbi concluditur quòd Petrus quãdo claues accepit, ecclesiam sanctam significauit. Et rursus sermone 10. super Ioan. loquens de potestate ligandi & soluendi, dicit, Hoc Petrus cum omnibus tanquam personam gerẽs ipsius vnitatis accepit. Et iterum in sermone Apostolorum Petri & Pauli, Petrus totius Ecclesiæ gestabat personam: & propterea audire meruit, Tibi dabo claues regni cælorum. Has enim claues nõ ipse vt homo vnus, sed vt vnitas accepit Ecclesiæ. Et in libro de Agone Christiano, Non sine causa inter Apostolos, ecclesiæ catholicæ personam sustinet Petrus. Huic enim ecclesiæ claues datæ sunt, cum Petro datæ sunt. Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me? Pasce oues meas.

¶Et confirmatur hoc ratione. Quia non minus iuris habet ecclesia in clauibus ibi datis à Iesu Christo, quàm in rebus, sed dominium rerum temporalium principaliter est in ecclesia: cum etiã Papa non sit dominus, sed dispensator rerum Ecclesiæ, vt sanctus Thomas dicit in 22. q. 100. artic. primo, ad septimũ. ergo Ecclesia principalius habet claues quàm Papa. Et confirmatur hoc rursus. Quia cùm rectum sit iudex sui & obliqui, & Ecclesia vniuersalis adeò sit recta, vt errare non possit (vt patet) Papa autem errare possit etiam in fide (vt patet 40. distinctio. cap. 11. Papa) consequens est, quòd Ecclesia excellentius & prius habeat claues, quàm Papa: imò quòd habeat etiam vt iudex Papæ.

¶Quod autem finaliter Ecclesiæ datæ sint claues, vt patet ex secunda ad Corinth. 13. Potestatem mihi Dominus dedit in ædificationem, & non destructionem. Et Sanct. Thomas in tract. contra impugnantes religionem, expressè tenet quòd potestas iurisdictionis prælatorum est propter bonum subditorum: & propterea nulla iniuria sit prælato inferiori puta Episcopo, quando eximitur ab eo Abbas propter bonum ecclesiæ. Ex quibus sequitur, quòd Papa est propter ecclesiam, & non econuerso, & consequenter claues Papæ datæ sunt propter ecclesiam finaliter.

¶Fundant & tertio idem super principiis naturaliter per se notis. Omne, inquiunt, totum est maius sua parte: Ecclesia vniuersalis est totum, & Papa pars: ergo Ecclesia vniuersalis maior est Papa. Processus bonus. Et maior est principium per se notum. Minor est Apostoli ad Rom. 12. Multi vnum corpus sumus, & singuli autem alterius membra. & Hierony. ad propositum in cap. legimus, distinct. 95. Si autoritas quæritur, orbis maior est vrbe.

¶Fundant demum hoc idem super hoc, quod Ecclesia constituta est à Domino Iesu Christo iudex Papæ in casu peccati: vt patet Matt. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ex qua autoritate licet loquatur in casu peccati, quia incipit, Si peccauerit, & propterea non spectet ad presens capi. in quo comparatur Papa ecclesiæ non in casu, sed absolutè: voluntamẽ elicere etiam quod Ecclesia sit absolutè supra Papam. Tum quia ordinarius iudex alicuius in puniendo est etiam ordinarius iudex illius absolutè: tum quia iudex & lex non differunt: nisi sicut animatum, & inanimatum: vt patet quinto Ethic. Ad eandem autem legis autoritatem cuius est vnus actus legis scilicet punire, spectant tres reliqui, scilicet impetrare, vetare, & permittere. Ad eiusdem ergo iudicis ordinarij autoritatem spectabunt omnes iudicis actus, ad quem spectat punire. Et sic cum ecclesia sit iudex ordinarius Papæ in puniendo, sequitur quòd erit simpliciter iudex eiusdem in imperando, vetando & permittendo: hi enim quatuor actus sunt legis, vt in 12. q. 92. artic. 2. habes à diuo Thoma.

¶Et confirmatur hoc sacrorum autoritate canonum. vigesimaquinta enim quęstione prima cõtra statuta, dicit Zozimus Papa, Contra statuta Patrum concedere aliquid vel mutare, nec huius quidem sedis potest autoritas. Et in cap. 1. dicitur, Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare. Ex quibus habetur & quòd Papa non est supra potestatem Concilij, & quòd ad primam salutem spectãt statuta Patrum, non Papæ. Multa quoque in eadem causa & quæstione dicuntur ad hoc, quæ breuitatis causa omittuntur.

CAPVT VI.

¶Quis sit sensus quo quæstio de comparatione autoritatis Concilij & Papæ vertitur in dubium.

ADEVIDENTIAM Huius comparationis prædeclarandi sunt termini, quid scilicet nomine Ecclesiæ seu Concilij vniuersalis intelligitur, ne in vanum tota disputatio sit. Ecclesia vniuersalis duo significare potest in proposito, aut totũ corpus ecclesiasticum constans ex omnibus membris, comprehenso etiam capite, id est Papa: aut totum residuum corpus ecclesiæ distinctũ contra caput, id est Papam. Concilium quoque vniuersale aut sumitur cum capite, id est Papa, vel personaliter, vel autoritate eius autorizatum, aut sine Papa vtroque modo. Et sic tres comparationes examinandæ sunt.

¶Prima est inter Papam & Ecclesiam, seu Concilium sine capite, id est Papa omnino. Secunda est inter Papam & Ecclesiam, seu Concilium cum capite personaliter. Tertia est inter Papam & ecclesiam, seu Concilium autorizatum à Papa.

¶Et quoniam omnes hæ comparationes supponunt Papam esse caput Ecclesiæ vniuersalis, & non solum singulorum membrorum, vt inimici veritatis glossant: hoc primò mostratur. Primo ex autoritate ipsius Constantiensis Concilij ante & post electionem Martini 5. vt patet in sessione 15. eiusdem, & in bulla Martini 5. vbi damnatur propositio illa Ioannis Huss, Petrus nec est, nec fuit caput ecclesiæ sanctæ catholicæ. Et altera scilicet, Non est scintilla apparentiæ quòd oportet esse vnum caput in spiritualibus regens ecclesiam, quod semper cum ipsa militante ecclesia conuersetur. Hic expressè damnatur, quòd Petrus non fuit caput catholicæ ecclesiæ: catholicum enim idem est quòd vniuersale. Et similiter damnatur quòd non oporteat esse præter Christum qui in cælis est, vnum caput quod regat ecclesiam, conuersans cum ea, quod est Papa: vt latius ostendit diuus Tho. hanc necessitatem in 4. cõtra Gent. cap. 76. Hieronym. quoque in lib. de ortu & obitu sanctorum in nouo testamento, Petrus, inquit in Christi ecclesia firmamentum est, Cephas corporis Christi, principatus & caput est. Si Petrus est caput corporis Christi, ergo totius ecclesiæ collectiuè: iuxta illud Apostoli ad Roman. 12. Multi vnum corpus sumus in Christo. Et 23. quęstio. 1. rogamus vos, Marcellus Papa expressè dicit, quòd Petrus est caput totius ecclesię. Et in Concilio Lug. Grego. 10. vt habetur in cap. vbi periculum, de elect. libr. 6. Papam vicarium Iesu Christi Petri successorem, rectorẽ vniuersalis ecclesiæ, & directorem gregis dominici vocat. Ritus quoque Rom. ecclesiæ habet, vt cum Papa se subscribit in aliqua vniuersalis negotij bulla, dicit sic, Ego N. catholicæ ecclesiæ episcopus. ex quibus patet, quòd cauillatio dicens, quòd Papa est caput membrorum ecclesiæ, & non ipsius simul ecclesiæ, erronea est. Quo nanque pacto debuit, aut potuit melius explicari à Sanctis, quàm per nomina collectiua: & apposita quandoque nomina vniuersitatis expresserunt ecclesiam gregem, corpus Christi, explicando totam vniuersalem catholicam. Dicant isti quomodo debet dici, & conuinceantur saltem ex verbis ipsius Constantiensis & Basiliensis Concilij: vbi eisdem verbis significatur ecclesia collectiue: cùm millies ibi replicatur, Hæc sancta synodus vniuersalem, seu catholicam ecclesiam repræsentans.

¶De prima ergo comparatione (scilicet inter Papam, & ecclesiam vniuersalem sine capite) aperte constat quid dicendum sit, scilicet, quòd Papa sit super eam. Tum quia est corpus enormiter diminutum, quia est truncum absque principali membro: ac per hoc non est vniuersalis ecclesia, quę perfectum significat: tum quia Dei perfecta sunt opera, Deuteronom. trigesimo secundo, ac per hoc non conuenit diuinæ prouidẽtię in tam imperfecto corpore supremam autoritatem locare, sed magis ipsum à capite dependere. Et si instetur, quòd apostolica sede vacante inuenitur vniuersalis ecclesia, & tamen sine capite, quod est Papa; respondetur, quod non inuenitur vniuersalis ecclesia, nisi imperfecta: ità quòd imperfectio ista est conditio diminuens ly Vniuersalis Ecclesia, sicut corpus truncum diminuitá corpore integro, vniuersale enim vniuersitatem claudit in se membrorum officialium, quorum præcipuum est caput. Vnde tunc ecclesia est acephala: & est absque eius suprema parte & potestate. Et qui hoc negat, in errorem Ioannis Huss, negantis necessitatem capitis ecclesiæ in terris (damnatum & à sancto Thoma, & à Martino quinto, cum Concilio Constant. vt dictum est) incidit. Et si de ecclesia vniuersali sic sumpta intelligãtur, quod habet immediatè potestatem à Christo, & quòd ipsa repræsentatur per vniuersale Concilium erratur errore intollerabili: vt patet ex allatis autoritatibus, & inferius magis eluescet.

¶De secunda autẽ comparatione in altero extremo, scilicet inter Papam ex vna parte, & ecclesiam totam, id est etiam cum Papa ex altera parte, dicitur, quòd Papa cum residuo ecclesiæ non est maioris potestatis iurisdictionis spiritualis, quàm ipse solus: quia potestas sua continetin se omnium reliquorum potestates, vt earum causa vniuersalis. Nulla enim est potestas iurisdictionis in ecclesia, quæ non sit in Papa: vt patet inductiuè. Quinetiá potestas electiua ipsius Papæ, in Papæ potestate est. Quod patet tum ex facto Petri, qui elegit sibi successorem (vt 18. quæst. 1. ca. si Petrus, Dicit Ioannes tertius) tum ex eo, quod Papa ordinat actum electiuæ potestatis, determinando quando & qualiter debet fieri electio: & quòd plus est, determinando subiectum illius potestatis, dum constituit quòd ad duas partes Cardinalių ad minus spectet electio. Probatur & ex c. si Papa. dist. 40. vbi dicitur, quòd vniuersitas fidelių suam salutem post Dominum ex Papæ incolumitate animaduerrit propensius pendere. Et dist. 19. c. Ita Dominus Leo Papa dicit, Huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorũ officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro omnio apostolorum summo principaliter collocaret: vt ab ipso quasi

Universidad de Deusto
Biblioteca

si à quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Vbi manifeste patet, à Papa omne reliquum corpus Ecclesiæ velut à capite potestatem sortiri. Et sic sumendo ecclesiam vniuersalem, constat quòd habet immediate autoritatem à Iesu Christo, nihil enim mediat inter ipsam & Iesum Christum. Sed ex hoc non habetur, quòd comparando membra aliqua, puta corpus sine capite, ad Christum, quòd habeant immediate potestatem ab ipso: sed sufficit, quòd totum habeat immediatè à Iesu Christo: partes autem inter se ordine quodam, & ita in caput primò, quòd per caput in corpus reliquum potestatem diffundit Saluator noster, iuxta dicta & dicenda. Vnde patet, quòd tota Ecclesia non habet potestatem supra Papam solum nec econuerso: quia Papa cum Ecclesia reliqua non facit maius in potestate, sed plures potestates.

¶ De tertia autem comparatione, quæ est media, & est inter Papam & Concilium autorizatum à Papa, ex antedictis facile sumitur quid dicendum est, scilicet quòd non est maior autoritatis, quàm Papa, à quo solo autorizari potest, vt patet 17. distinctio. per totum. & extra, de electio. cap. significasti. vbi dicitur, quòd omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ autoritatem, & facta sunt, & robur acceperunt.

¶ His tribus comparationibus secundum veritatem præmissis, quarta superadditur secundum opinionem: & est inter Ecclesiam vniuersalem, & quandam communitatem, siue Papa prima pars eius, non caput totius autoritatis in ea velit in eam cõuenire, siue nõ, ex vna parte: & Papam ex altera parte. Et quia cõparatio inter diuersa est, & eiusdem ad seipsum subiectio non est, sicut nec iustitia, proprie loquendo, cum dicunt hi, quòd Ecclesia vniuersalis est supra Papam, alterum duorum intendunt: aut enim intendunt per Ecclesiam vniuersalem congregationem fidelium, velut quandam communitatem, siue Papa pars prima illius velit interesse, siue non, aut intendunt ipsam fidelium cõgregationem autoritate capitis, scilicet summi Pontificis factam: Ita quòd ipsum congregari, solũ dependeat à Papa in Ecclesia vniuersali, in Concilio vero duo dependeant à Papa, scilicet congregari, & repræsentare vniuersalem Ecclesiam: ita quòd in his intendunt, quòd seclusa autoritate Papæ ex quo congregata est Ecclesia, vel Concilium, fit comparatio potestatis ecclesiæ, vel Concilij ex vna parte, & Papæ ex altera. Totus ergo futurus sermo de Ecclesia, seu Concilio vt distinguitur contra Papam, erit de Ecclesia & Concilio, seclusa Papæ autoritate post congregationẽ legitimè factam.

¶ Et contra hos dicentes Ecclesiam habere autoritatem supra Papam, ratio est, quia positio ista peruertit ordinem regiminis Ecclesiæ: oportet nanque secundum istos regimen Ecclesiæ esse democraticum, seu populare: in quo tota autoritas apud nullum residet. sed in tota cõmunitate: sicut in capitulo accidit: vt sanctus Thomas in quarto sentent. distinctione decimanona, quæstione 1. articul. 1. q. 3. ad tertium dicit. Et hoc ipsi volunt, dum Ecclesiam velut communitatem liberam, potestatem supra Papam quasi Regem habere dicunt: vt Senatus populúsque Romanus habebat super Imperatorem. Et quia hoc ipsi non reputant inconueniens, quantum ad rem, licet vocabula horrere videantur: ideo circa rem insistendo, monstrandum est, quod non communitati Ecclesiæ, sed vni soli in illa Christus plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ dedit.

CAPVT VII.

¶ Quod Papa sit super potestatem Ecclesiæ vniuersalis, & Concilij generalis, vt distinguitur contra Papam.

PRINCIPIVM Huius veritatis ex Domini nostri Iesu Christi autoritate sumitur: vbi Ioan. vlti. soli Petro, vt distincto ab aliis, dicit, Pasce oues meas, vt deductum in primo capit. fuit: in hoc instituens regimen Ecclesiæ monarchicum. Et si ridiculosa illa responsio detur: quòd Christus dicit Petro: pasce oues meas, non Ecclesiam meam: quasi fecerit eum pastorem singularum ouium: non ipsius Ecclesiæ, quæ significat totum consurgens ex omnibus ouibus: manifeste excluditur hoc ex eo: quòd in oratione dicitur, Deus omnium fidelium pastor, rector famulum tuum N. quem pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti. Et in Concilio Lugdunen. de electione. libro 6. vbi periculum, Papa rector vniuersalis Ecclesiæ, & gregis dominici director dicitur: vbi patet quòd respectu Ecclesiæ & gregis, quæ collectiones significant: & non solùm respectu particularium pastor & rector, & director est Papa. Et quia hoc est vltima fuga harum vulpecularum, vineam Domini demolientium: ideirco in omnibus auferendis vigilandum est, vt de ipsa collatione, seu communitate concludamus nõ prælatam, sed subditam esse Papæ.

¶ Amplius, Ioannis decimo, Saluator inquit, alias oues habeo, &c. & subdit, Et fiet vnum ouile, & vnus pastor. Certum est, quod ouile non significat oues, sed vnum continens oues. Et ex glossa interlineari in principio illius capituli, vbi dicitur, Qui intrat per ostium in ouile, exponẽte in ouile, id est, in catholicam ecclesiam: habetur quòd per vnum ouile intelligitur Ecclesia vna ex Iudæis & Gentilibus. Ex hac autoritate arguitur sic, Ecclesia vt vna ex Iudæis & Gentilibus, est ouile: & Petrus cui dictum est, Pasce oues meas, est pastor vnus illius ouilis: ergo Ecclesia, vt vna non est super Papam, sed sub eo, vt ouile sub pastore. Et confirmatur hoc. Quia Ecclesia, seu Concilium distinctum contra Papam, aut est oues aut ouile, aut pastor. Non oues: quia ex vtrisque ouibus ouile vnum constituendum dicit Dominus. Non pastor: quia cum Petrus sit vnus pastor Ecclesiæ, vt monstratum est: si Ecclesia esset alius pastor, essent duo pastores, contra Dominum dicentem, Fiet vnus pastor. Ergo ouile, & cum non sit ouile nullius pastoris, est ouile vnum vnius pastoris: qui est dominici gregis rector & director, Papa, scilicet. Et confirmatur quòd de Papa specialiter loquatur: quia verbo futuri temporis vtitur significante futurum fieri. Fiet inquit ouile vnum vtrisque conuenientibus, & vnus pastor. Et quoniam quod est, fiet, nec fit, ipse Dominus, qui de seipso præmisit pluries ibidem, Ego sum pastor bonus, non est postmodum factus pastor vnus, sed dum soli Petro postmodum dictum est, Pasce oues meas, non has vel illas impletum est, Fiet vnus pastor, loco illius summi pastoris, qui solus est pastor bonus per essentiam Ecclesiæ.

¶ Amplius, Non minus Papa est Episcopus Catholicæ quàm quilibet Episcopus suæ Ecclesiæ: sed quilibet Episcopus est Episcopus, & singularum personarum, & totius collectionis earum in vnam communitatem. ergo & Papa est Episcopus singulorum, & vniuersorum Christianorum in vnam catholicam Ecclesiam collectorum. Et confirmatur hoc, Quia cum Ecclesia sit nomen collectiuum, & significet collectionem fidelium (vt dicitur de consecratione distinc. prima capitulo Ecclesia.) & Episcopus dicatur episcopus Ecclesiæ talis, oportet vt primò sit episcopus ipsius ecclesiæ, & secundariò singularum personarum: ac per hoc Papa qui intitulatur Episcopus Ecclesiæ catholicæ, & non illorum aut omnium Christianorum. primò est episcopus ipsius Ecclesiæ catholicæ, & secundariò membrorum eius. Et vere sic est: quia primò debet superintendere bono proprio ipsius vnius Ecclesiæ catholicæ, & deinde bonis propriis membrorum omnium.

¶ Et si studiose quæratur quo pacto Papa potest dici Episcopus, & caput ecclesiæ catholicæ, cũ ecclesia catholica includat ipsum Papam: patet responsio dupliciter. primò, quòd hæc est distributio accommoda: sicut cùm dicitur, Cælum continet omnia corpora: non quod contineat seipsum, sed quia continet omnia possibilia contineri: pariformiter enim dicitur, quòd Papa est caput & Episcopus ecclesiæ catholicæ: non quòd sit caput episcopus rector, &c. suiipsius: sed quia est caput omnis possibilis habere caput, rectorem, & Episcopum. Secundò dicitur, quòd quia secundum Hilarium sermo rei, & non res sermoni debet esse subiecta, ea ratione Papa dicitur caput & Episcopus Ecclesiæ catholicæ, quia in Ecclesia catholica ipse capitis & Episcopi locum tenet.

¶ Amplius, Papa habet supremam potestatem in Ecclesia Dei: ergo Papa non subest ecclesiæ. Antecedens patet ex condemnatione iam dicta in Concilio Constantiensi, per Martinum 5. vbi de Papa loquendo dicitur, habens supremam potestatem in Ecclesia Dei. Consequentia probatur: quia supra supremam autoritatem in Ecclesia Dei non potest maior intelligi in eadem ecclesia Dei, etiam si fingendi detur licentia. Imò ex hoc etiam sequitur, quòd tam ecclesia quàm Concilium Papæ subditur: quia non sunt duæ supremæ potestates in ecclesia Dei: principatuum enim pluralitas mala cùm sit (vt patet 12. Metaphy.) à Iesu Christo summe bono, qui vult Ecclesiam suam optime disponi, esse non potest. Et confirmatur hoc autoritate Innocentij 3. in Concilio generali, extrà, de pœn. & rem. cap. cum ex eo. vbi dicitur, quòd Romanus Pontifex plenitudinem obtinet potestatis. Et in capitulo, proposuit de consec. præben. idem dicit. Nos secundum plenitudinem potestatis, de iure possumus supra ius dispensare. Et extrà de electione, in capitulo, significasti, Paschalis dicit, Aiunt in Concilijs statutum non inuentri, quasi Romanæ ecclesiæ legem Concilia vlla præfixerint: cùm omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ autoritatem, & facta sint, & robur acceperint. Quæ omnia pro plenitudine potestatis Papæ supra Concilia, & consequenter vniuersalem Ecclesiam allata sunt. Et confirmantur autoritate sancti Thomæ in tractatu contra impugnantes religionem: vbi dicit hæc verba, Sancti patres in Conciliis congregati, nihil statuere possunt nisi autoritate Rom. pontificis interueniente, sine qua etiam nec Concilium congregari potest. Hæc ille.

¶ Amplius, Papa est proximus, & immediatus vicarius Christi, & Apostolorum: ergo nullam habet in terris potestatem priorem se. Antecedens patet in sæpe dicta condemnatione articulorum à Martino 5. in concilio Constantiensi. vbi vnus ex reprobatis

batis articulis est iste, Ecclesia Ro. est synagoga satanæ, nec Papa est proximus & immediatus vicarius Christi & Apostolorum. Consequentia patet: quia proximo & immediato nihil est propinquius & immediatius. Et ex hoc patet primò, q̃ erroneum est dicere, q̃ Ecclesia, vt distinguitur contra Papam habet immediatè autoritatẽ à Christo supra Papam: sic enim non Papa, sed Ecclesia esset proximè & immediatè Christi vicaria. Impossibile est enim esse duo subordinata ambo æquè proxima & immediata Christo, vt patet istos fingere. Et cõfirmatur autoritate S. Tho. dicentis in tract. contra errores Græcorũ. c. 69. Christi vicarius suo primatu & prouidentia vniuersalem ecclesiã tanquã fidelis minister Christo subiectam seruat, & oppositum sentire dicit esse errorem. Postremò videatur, quæso, diffinitio facta in Cõcilio Florẽtino: quod quia ex Oriẽtali & Occidẽtali simul Ecclesia cõflatum est, cæteris Occidentalibus tantum antrefertur. Et ibi (vt in 1. c. verba adduximus) nõ solùm dicitur, quòd Papa est omniũ Christianorum pater & doctor: sed q̃ est etiam vniuersalis Ecclesiæ pastor, gubernator & rector, cum plena potestate à Domino Iesu Christo instituta in beato Petro. Dicant ipsi quomodo potuerit clarius exprimi, q̃ non solùm omnium membrorum, sed ipsius vniuersalis Ecclesiæ pastor, rector & gubernator est, & quòd non mediante Ecclesia sed in Petro, cuius est successor, plenam potestatem pascendi, regendi, gubernandi vniuersalẽ Ecclesiam à Domino Iesu Christo acceperit. Et videant si tantum luminis eis concessum fuerit, quòd hæreticorum more Scripturas & Sanctorum dicta oportet eos extorquere, vt eorũ proterntus error defendatur. forte nulla Scriptura tam clara in fide habetur, quam nõ possit extorta expositio ad suum trahere propositum, sed veritas tunc inuenitur, cum planus Scripturæ sensus iuxta Sanctorum consensum quæritur.

CAPVT VIII.

¶ In quo respondetur obiectionibus sumptis ex autoritate Concilij Constantiensis & Basiliensis.

ET ORDINATE Autem obiectis distinctè satisfiat, inchoandum est à decretis Concilij Constantiensis, ad quæ responsiones dantur.

¶ Prima, negans illa esse autentica autoritate veri Concilij facta: quoniã facta sunt tẽpore schismatis, quo erant tres Papæ in Ecclesia Dei, ab vna sola obedientia, scilicet Ioannis 23. absente etiam illo suo Papa. Quod constat ex eo, quòd illa promulgata sunt anno Domini 1415. die 6. Aprilis in sessione 5. & obedientia Gregorij 12. coniuncta est illi die 4. mensis Iulij eiusdem anni in sessione 14. & obedientia Benedicti 13. iungi cœpit anno Domini 1416. die 3. Octobris in sessiõe 22. Vnde dicere, quòd illa obedientia cõstitueret Conciliũ generale, catholicam Ecclesiam repræsentans, nihil aliud est quam renouare antiquum schisma, & damnare, vt schismaticas duas obedientias, & quòd semper fuit, & est dubium facere certum.

¶ Etsi dicatur, quòd Martinus 5. approbauit illa decreta, & illam synodum, decreta quidem in sessione vltima, vbi legitur, q̃ dixit quòd omnia & singula determinata, concluſa & decreta in materiis fidei per præsens Conciliũ, concilialiter tenere & inuiolabiliter obseruare volebant, & nunquam cõtraire quoquomodo: ipsáque sic concilialiter facta approbat & ratificat, & non aliter, nec alio modo. Hæc ille. Constat autem q̃ Conciliũ esse supra Papam, vel Papam supra illud, materia fidei est: ergo decreta illa in sessione 5. facto super superioritate Cõcilij supra Papam, sunt approbata. Synodum verò in bulla condemnationis articulorum Ioannis Vuicleff, sacro approbante Concilio, vbi interrogatoria ponẽs dicit, Vtrum credat quòd condemnationes Ioannis Vuicleff, Ioannis Huſs, & Hieronymi de Praga factæ de personis eorum, libris & documentis per sacrum generale Constantiense Conciliũ, fuerint rectè, & iustè factæ, & à quolibet catholico pro talibus tenendæ & asserendæ: Hæc ibi. Et cum constet, quòd contra Ioannẽ Vuicleff in sessione 8. contra Ioannem Huſs in sessione 15. & contra Hieronym. de Pragain sessione 21. sententia lata fuerit cõsequens est, quòd tunc ante vnionem obedientiarum omnium Concilium generale fuerit, si Martinus in tali bulla verum dicit.

¶ Respondendũ est, quod tractari aliquid in materia fidei contingit dupliciter, scilicet materialiter & formaliter. Tunc tractatur formaliter materia fidei, quãdo tractatur vt credenda vel dãnanda à fide. Tunc autem tractatur materia fidei materialiter, quãdo tractatur res quidem pertinens ad fidem, sed non vt credẽda, vel non credenda, sed quacũque alia ratione: extra formale enim infinita contingit esse. Et quia nisi sermo intelligatur formaliter, periit certitudo: ideo verba Martini 5. in illa vltima sessione formaliter sunt intelligenda. In Concilio siquidem illo fuerat in materia fidei tractatũ & decisum formaliter: vt patet in sessionibus allegatis contra illos tres supradictos, vt etiã in sessione 19. & fuerant multa alia tractata, sed non vt materia fidei: inter quæ sunt illa sessionis 4. & 5. In cuius signũ nulli fuerunt deputati ibi ad videndum de fide: quin potius deputatio in materia fidei cœpit post hæc in sessione 6. vt patet ibi, nulla etiã sit ibi mẽtio de credendo vel non credẽdo. Martinus autẽ 5. approbauit decreta in materia fidei formaliter tantùm, & non illa alia. Et hoc euidenter etiam patet: quia illa verba dixit, respondens requisitioni oratorum Regis Poloniæ exigentium, quòd acta per Cõcilium contra illos prænominatos hæreticos firma essent, vt patet in sessione vltima: & propterea bulla illa condemnationis subsecuta est. Ad instãtiam verò de approbatione synodi dicitur, quòd per illud & alia iuxta rogatoria ibidem de Concilio Constantiensi posita, totum à nobiliori parte Martinus nominauit: congregatio siquidem Constantien. quæ inchoauit in sola obedientia sub Ioan. 23. & iterum post in coniuncta obedientia sub Grego. 12. in coniunctione obedientiæ Benedicti 13. consummata est, & post Martinum electum autorizata, facto præsidentiæ personalis in Concilium vniuersale, ab hoc nobiliori & certiori statu tota Concilium vniuersale vocatur & nuncupatiuè in quolibet statu Cõcilium vniuersale appellatur, nominibus vtendo vt plures. Fundatur autem hæc declaratio super eo, q̃ non est rationi consentaneum, Martinum voluisse declarare alias obediẽtias fuisse extra Ecclesiam: sed verba proferre honoris: nominibus vtendo vt plures vtuntur, absque veritatis tamen offensa. Vnde in illa bulla bis oppositum declarauit, scilicet in articulo, Papa habet supremam potestatẽ in Ecclesia Dei: & in illo, Petrus fuit caput Ecclesiæ catholicæ. Et vt infinuaretur, quòd Concilium ab vltima parte appellabat, in præcedenti interrogatorio, præterito adiunxit præsens, dicens quòd Concilium approbauit & approbat, condemnauit & condemnat, quasi præteritum non sufficerit. Et quia iam ex isto priore interrogatorio habitum erat, quod Concilium Constantiense in præsenti sub Martino 5. condemnat illos tres, non oportuit in vltimo interrogatorio præterito iungere præsens: iam enim præteritum supponebat pro Concilio sub Martino quia iam damnauerat. & sic etiam verba saluantur verbaliter, Hæc est prima responsio ad principale motiuum.

¶ Secunda autem est, dato quòd decreta illa valeant, intelligenda sunt cum grano salis: quomodo autem dicendum est ad singula? In primis, cum dicitur quòd Conciliũ potestatẽ à Christo immediate habet, potest dupliciter intelligi. primò de Cõcilio, vt distinguitur cõtra Papã. Et sic est falsum, vt patet per inductas autoritates, extrà, de elect. c. significasti. vbi dicitur q̃ robur habent omnia Concilia à Rom. sedis autoritate: & dist. 19. ita Dominus vbi Leo dicit, quòd à Petro quasi à quodã capite in corpus omne autoritas manat. & S. Tho. in tractatu contra impugnantes religionem dicit, quòd sancti patres in Conciliis congregati nihil possunt statuere sine Ro. põtificis autoritate interueniente, sine qua nec congregari Concilium potest. Hæc ille. Et nota quod dicit, sancti Patres: quia patribus non sanctis, sed præsumptuosis nulla lex posita est, sed præsumptio eorũ sibi ipsis est lex. Secundò potest intelligi de Concilio, incluso Papa. Et in hoc sensu est verum, quòd habet immediatè autoritatem à Iesu Christo. Et quòd sic interpretandum sit, ex duobus verbis illius decreti colligitur. Primum est, Legitimè congregata: constat enim q̃ legitima congregatio Cõcilij generalis ad Papam spectat: vt ex nũcallatis testibus patet, & dist. 17. per totum. secundũ est, Ecclesiam catholicam repræsentas, corpus nanque Ecclesiasticum vniuersum (quod Ecclesia catholica, id est vniuersalis significat) non est ipsum vniuersum corpus Ecclesiasticum si sine capite sit vel intelligatur. Papam autẽ ex dictis constat caput esse totius Ecclesiæ catholicæ, ac per hoc Cõcilij ipsam repræsentantis. Et si mundi cordis oculo perspiciatur, apparebit q̃ Concilium habet, quòd repræsentet vniuersalem Ecclesiam à Papa qui habet plenissimam curam vniuersalis Ecclesiæ. Quis enim Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus & prælatis paucis (vt cõmuniter accidere videtur) contulit vota totius populi Christiani, nisi Papa? oportet enim aut ipsos Christianos hoc fecisse, aut aliquem supplere potentẽ eorũ vota. Et cùm ipsos nõ transferre vota sua in eos, experiẽtia testetur: quin potius si requireretur Christianus infiniti inuenirentur qui refutarẽt transferre vota in alios & per seipsos interesse mallent, aut Concilii nõ celebrãdum ducerẽt. Relinquitur ergo, q̃ Papa qui solus est pater, pastor, doctor, rector & gubernator omnium, & singulorum Christianorum cum plenitudine potestatis, vota totius Ecclesiæ transfert in Conciliũ congregando & roborando, vt ei videtur. Propter q̃ sine Papa Patres sancti cõgregati nihil possunt & dissolui potest Conciliũ à Papa, auferẽdo ab eis q̃ amplius vniuersalẽ Ecclesiã non repræsentent autoritatiuè. Nec est verum si dicatur, quòd Ecclesia ratum habet Concilium, non reclamando: ideo enim non reclamat, quia in vero Concilio Papa supplet: in falso autem quia cõtra præsumptuosos prælualere nõ sperant docti, ignorãtes autem nescij silent. hoc autem non est approbari ab Ecclesia, sed non molestari ab illa.

¶ Deinde cum dicitur, q̃ ipsi Concilio, seu eius decretis etiam Papa obedire tenetur, multis distinctionibus iuxta multos terminos opus est. Distinguendum est enim de Papa dubio, vel certo. sicut enim quod nescitur cõsecratũ, pro non cõsecrato habetur: & reconsecratur fecũdum sacros canones (vt patet extrà de presbytero non baptizato c. veniens. & de cõsecra. dist. 1. ca. solẽnitates.)

Universidad de Deusto
Biblioteca

sic qui nesciturlegitimè electus Papa,tanquam non Papa obedire tenetur,& hoc directe pertinet ad illa decreta ratione schismatis, quando erant tres Papæ, & nullus indubitatus ex sua electione. De Papa autem certo & indubitato distinguendum est, quia vel est sermo de his quæ à Concilio & decretis eis statuuntur de iure diuino,vt ea quæ sunt fidei,vel naturalis iuris, vt ea quæ sunt virtutum & vitiorum moralium & sic Papa tenetur obedire,nec potest cõtra ea dispensare.Et sic interpretanda sunt decreta illa,vnde in tribus dicit depitũ obedire, scilicet in his quæ sunt fidei reformationis,& amotionis schismatis: hæc enim eum spectantibus ad ea,aut ad ius diuinũ,aut ad ius naturale spectant.Vel est sermo de his, quæ sunt purè iuris positiui, & sic distinguendum est de obedientia, scilicet quo ad iudicium diuinum vel humanum: & dicendum quòd licet princeps sit solutus legibus,nec Concilia legem vllam coactiuam in iudicio humano præfixerint Ro.fedi, in iudicio tamen diuino tenetur Papa obedire, vt S.Thom. expressè habet in Prima secundæ.q.96.artic.5.ad tertium.Et in capi.cõfidimus,25.q.1. Gelasius Papa dicit vniuersalis Ecclesiæ constitutum nullum magis exequi sedem prę cæteris oportere,quàm primam.

¶ Demum cum subditur de punitione cõtumaciter contemnentium, potest dupliciter intelligi. primò indifferenter, vt quilibet etiam indubitatus Papa in quocunque peccato contra ius diuinũ aut naturale cõtumax, punitioni humanæ subiiciatur. Et hic sensus est cõtra sacros canones: vt patet in c.si Papa.dist.40.&dist.79. cap.electionem,& in capi.aliorum 9.q.3. Nec est acceptandum quòd quod infinito temporis spatio à tot est Patribus approbatum, vnico verbo destruere voluerunt conditores canonum. Secundò potest intelligi discrete secundũ proportionem materiæ & personæ,& sic cum prælatis cõmuniter nõ sint puniendi(exemplo Dei, qui nõ puniuit publicè Aaron de idololatria: vt S. Th. dicit in 4. sen.dist.46.q.2.art.2.q. 2.ad quintũ.)& Papa nõ sit puniendus facto,sed verbis reprehendendus publicè(vt ex S.Thoma colligitur in 4.senten.dist.19.q.2.art.2.q.2. ad secũdum, & in Secunda secundæ.q. 33. art. 4.in casu quo publicè in periculum Ecclesiæ peccat: vt Petrus reprehensus fuit à Paulo ad Gala. 2.) & in casu quo potest deponi,etiã facto depositionis puniri possit: consequens est quòd sic discrete & proportionaliter intelligantur verba illius decreti.

¶Ex quibus omnibus clarè patet, quòd nec ex illis decretis habetur superioritas Concilij, aut Ecclesiæ supra Papam. Vnde nõ oportet aliter respõdere ad eandem ex Concilio Basiliensi, in sessione 2, & 18. De quo tamen sciendum est, quòd licet ab Eugenio 4. fuerit approbatum quo ad inchoationem & prosecutionem, & multa pro illo Cõcilio in bullis suis dixerit: nunquam tamen illius approbauit decreta: quin potius in Cõcilio Florẽtino statim diffiniuit Ro. Põti. esse caput, pastorem, doctorẽ, & rectorẽ vniuersalis Ecclesiæ: vt superius attulimus. Refert quoque domin. Ioan. de Turre Cremata (qui fuit præsens vtrique Cõcilio) in lib.3. de Ecclesia, c.100. multos defectus qui in Cõcilio Basiliens. in constitutione illorũ decretorum interuenerunt, scilicet quòd nõ fuerunt vnanimiter cõclusa nec cum consensu præsidentium legatorum domini Papæ, qui talibus interesse recusarunt: nec expectatis oratoribus Angliæ & Castellæ quos in via nouerãt cõstitutos: nec auditi sunt viri multi sapientes, videntes hæc esse cõtra doctrinã Sanctorum: sed promulgata sunt ad furorẽ hostiũ apost. sedis, cũ multitudine populi nullius autoritatis. Vnde ex neutro Cõcilio admittitur vtvalida.

¶ Nos tamen ex abundanti iustitia, illa glossauimus. Et si glossas contra intentionem autorum dixeritaliquis ex aliis actis eorum Cõciliorum hoc conuincent: respondebo primò, quòd ego homo sum,& video quæ foris sunt quo ad ipsa decretorum verba: Deus autem intuetur cor. Quo ad alia verò acta eorundem Conciliorum attestantium aliam fuisse autorum intentionem, dicam de Constantien. quòd sicut errauit vsurpans in vna sola obedientia vniuersalem Ecclesiam, ita errauit consequenter in procedentibus ex ea: quoniam tũcilla decreta fecit. De Basilien. verò notorium est, quòd errauit, cùm cõtra vnum verũ & indubitatũ pontificem Eugenium 4. processit vsque ad depositionem inclusiuè, qui tamen cum successoribus suis verus Papa est. Dicam secundò quòd si honorem veritatis recusant, falsa, erronea, acigni obnoxia sunt.

CAPVT IX.

¶ In quo soluuntur reliquæ obiectiones contra idem factæ.

EXPEDITIS Autoritatibus Conciliorum Constantiensis & Basilien sis, quæ nullius autoritatis censentur, soluendæ cõsequenter sunt obiectiones, quæ ex vera accerta autoritate procedunt, iuxta ordinem, quo inductæ sunt.

¶Ad declarationem igitur Martini quintiin condemnatione articulorum, scilicet quod error est non credere Rom. Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias, si per Rom. Ecclesiam intelligitur Ecclesia vniuersalis vel Concilium vniuersale: aut pro quanto negat primatum summi Pontificis super particulares Ecclesias. Respondetur, quòd quia comparatio est inter diuersa: & hæc tria, scilicet Ecclesia vniuersalis, Concilium vniuersale, & Ecclesia Romana, singula sunt quædam corpora mystica integra cõstantia ex capite & membris reliquis: & in capite non solum cõueniunt, sed identificantur (Papa siquidem caput proprium vniuersalis Ecclesiæ & Concilij & Romæ Ecclesiæ est) in membris autem reliquis distinguuntur, vel sicut repræsentans & repræsentatum, vt membra Ecclesiæ & Concilij: vel sicut pars & totum, sicut membra reliqua Roma. Ecclesiæ partes sunt membrorum reliquorum, Concilij & Ecclesiæ vniuersalis vt patet: idcirco cùm fit comparatio inter Ecclesiam, seu Cõcilium vniuersale, & Ecclesiam Roma. non fit comparatio secundum caput, sed secundum reliqua vtriusque membra: secundum quæ rectè dicitur, quòd tam Ecclesia, quàm synodus vniuersalis est superior Ecclesia Roma. vt exillo articulo deducitur. Vnde admisso illius comparatiuè nihil concludit contra Papæ autoritatem.

¶ Posset nihilominus dici, quòd quia esse supremam inter Ecclesias, cõuenit Ecclesiæ ratione capitis, & Ecclesia Rom. ratione capitis est de essentia Concilij & Ecclesiæ vniuersalis: & nulla comparatio etiam cum dictione exclusiua excluditintrinseca, idcirco non est admittenda comparatio Cõcilij ad Ecclesiam Ro. quo ad hoc quod est esse supremam inter Ecclesias, sicut nec quo ad caput: quia sicut idem est caput, ita eadem est superioritas: & negaretur illa illatio, ergo Concilium est suprema inter alias Ecclesias etiam Rom. Et ad probationem, quia Ro. Ecclesia est vna Ecclesiarum, respõdetur quòd plus requiritur ad cõparationem istam. oportet enim quod sit vna, & distincta capite proprio ab Ecclesia quæ est Cõciliũ: quod hic non est. Ex calce verò illius articuli, scilicet quòd primatus Papæ est super Ecclesias particulares, cũ sit sermo affirmatiuus de primatu super particulares: & non negatiuus de primatu super vniuersalẽ Ecclesiã nihil habetur in oppositum: quod enim non fuit expresũ ibi, est expressum alibi, vt additũ est.

¶ Ad obiectionem sumptam ex Euangelio Matth.18.quæcunque solueritis,&c.dicitur, quòd ad literam, hæc tria tantùm ad propositum habentur. Primum est, quòd à Christo immediate Apostolis data est potestas ligandi & soluendi; quod superius concessimus conformiter ad capit.in nouo: distinctione 21. Secundum est quòd potestas data est vniuersalis, iuxta illa verba, Quæcunque solueritis. Sed tamen non est adeo vniuersalis vt verba sonant: sed ly Quæcunque distribuit pro subiectis: ita quòd sensus est, Quæcunque vobis subiecta solueritis, autligaueritis, &c. alioquin oportet dicere, quòd omnino occulta potuissent soluere velligare: contra illud Apostoli 1.ad Corinth. 4. Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus qui illuminabit abscondita, &c. Et quia Petrus non erat eis subiectus, sed prælatus, cùm factus fuit pastor Ecclesiæ, ideo sub illa distributiua non concludebatur Papa, vt potè non subiectus.

¶ Tertium autem est, quod ex illo contextu insinuatur, quòd Ecclesia quælibet habitura esset potestatem ita ligandi & soluendi, vt soluta & ligata ab ea, essent soluta & ligata in cælo: & hoc in sibi subiectis. Vnde sicut ridiculum est ex hoc, quòd Ecclesia Bononiensis habet hanc autoritatem, inferri ergo potest ligare aut soluere non subiecta: ita ex hoc, quòd Ecclesia vniuersalis habet hanc autoritatem, non potest inferri nisi quòd potest in subiecta, quamuis enim multò plura sint subiecta vniuersali Ecclesiæ quàm Bononiensi, nihilominus in hoc formali conueniunt, quòd nulla Ecclesia potest nisi in sibi subiecta. Ex hoc autem non habetur, quòd Papa est ei subiectus: nec etiam habetur, vt superius dictum est, quòd habeat à Christo immediatè potestatem: quia modus habendi, scilicet immediatè à Christo, ex speciali gratia ad personas suas fuit. Quòd autem alicui gratiosè conceditur, non debet ab aliis trahi in exemplum: à Christo enim habent omnes Ecclesiæ hanc potestatem, sed non immediatè.

¶ Ad autoritates Augustini dicentis, quòd Petrus in persona ecclesiæ & vnitatis, &c. claues accepit. Dicẽdum est, quòd per hæc omnia intelligendum est hoc, scilicet quòd nõ soli personæ Petri, sed officio suo perpetuò duraturo hæc collata sunt. Et quia officium Petri est officium capitis, quod habet influere in corpus reliquũ: ideo officio capitali data toti corpori data dicuntur & sunt. Non potest siquidem expers corpus remanere, si caput officium suum facit: vnde & Leo Papa dist.19.ca.ita Dominus. ipsi Domino attribuit, quòd à Petro in corpus omne potestas deriuaretur. Quia ergo vnitas officij cõmunicatiui toti Ecclesiæ claues accepit in persona Petri, ideo dicitur quòd Petrus personam Ecclesiæ gerebat, & quòd vnitas non vnus claues accepit, & quòd ad omnes dicitur, Amas me, pasce oues meas, & similia: & non propterea dicitur quasi cõmunitas popularis, aut senatoria potestatẽ acceperit. Hic enim sensus cõtra Augustinum in quæstio. noui & veteris Testamenti aperit dicens, Saluator cùm pro se & Petro dari iubet didragma, pro omnibus soluisse videtur: quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij: ita & post Saluatore, in Petro omnes continentur: ipsum enim constituit caput eorum, vt esset pastor gregis dominici. In quibus verbis docet, quòd in officio capitali Petri omnes subintelliguntur.

¶Ad

¶ Ad primam autem rationem dicitur, quòd licet non minus iuris habeat ecclesia in potestate iurisdictionis, quam in bonis temporalibus, tamen non eodem, sed alio modo habet. Nam potestatem iurisdictionis obtinet vt regimen monarchicum, Dominum autem temporalium, vt cõmunitas. Et ratio diuersitatis est, quia potestas iurisdictionis est à Iesu Christo, qui tale statuit regimẽ, Dominũ autem rerum est à donatoribus hominibus transferentibus Dominum quod ipsi habebant in communitatem ecclesiæ, & in vnum aliquem. Et hoc apparet in ecclesiis particularibus, in quibus manifestè Ecclesiæ in Episcopo habent potestatem iurisdictionis, non autem Dominum rerum.

¶ Ad aliam verò rationem quòd Ecclesia nõ potest errare, distinguendũ est de errore personali in credendo, & sententialiter autoritatiuè definiendo, & rursus de Ecclesia vniuersali claudendo in se Papã, & vt distinguitur contra eius autoritatẽ & dicendum est, quòd errore personali certum est quòd Papa, quia est vna singularis persona, magis potest in fide errare quàm totum residuũ Ecclesiæ, si d hoc non spectat ad propositum. Errore autem iudiciali in fide est econuerso, quia magis potest errare communitas Ecclesiæ sine autoritate Papæ, quàm Papa. Et ratio est, quia error Papæ indiffinitiua sententia fidei est error totius Ecclesiæ & veræ vniuersalis Ecclesiæ capitis & membrorum, quia ad ipsum spectat determinare finaliter de side quid tenendum, & quid repellendum, vt ab omnibus incõcussa fide teneatur, vt Sanctus Thomas in tractatu contra errores Græcorum, capite sexagesimo septimo, autoritate & Cyrilli & Maximi ostendit, & in Secunda Secundæ, quæstione prima, articulo vltimo, probat ratione. Impossibile est autem vniuersalem Ecclesiam errare in fide, ergo impossibile est Papam in iudicio diffinitiuo autoritatiuè errare in fide. Secus est in aliis, vt Sanctus Thomas in quolibeto octauo, articulo vltimo ostendit. Vnde argumentum militat ad oppositum, quia Papa in huiusmodi iudicio est rectissimus propter assistentiam Spiritussancti, in iudicio fidei propter vniuersale bonum fidei, sicut promisit Ioannis decimoquarto, Spiritussanctus docebit vos omnẽ veritatem, & Petro dixit, Ego togaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando cõuersus, confirma fratres tuos, Iuxta quod etiam vigesimaquarta quæstione prima, dicit. Innocentius Papa capitulo, quoties, Quoties ratio fidei ventilatur, non nisi ad Petrum, id est sui nominis honorem, seu autoritatem habentem, recurrendũ est. Et scito, quòd cùm dicitur de errore iudiciali, quòd sola vniuersalis Ecclesia errare in fide nõ potest, non excluditur summus Põtifex, sed includitur, quia autoritas determinandi de fide comperens vniuersali Ecclesiæ, principaliter residet in Romano pontifice, vt Sanctus Thomas in Secunda Secundæ, quæstione vndecima, articulo tertio, ad tertium dicit. Imò ipsa autoritas, quæ vniuersalis Ecclesiæ dicitur, non nisi illa Papæ est, vt ex inducta autoritate ex q.j. Secunda Secundæ, (vbi finalis sententia de fide ad Papam spectare probatur) patet. Et propterea in allegato quolibet. Sanctus Thomas iudicio Ecclesiæ & Papæ vt synonimis vtitur, apertiens expressè quòd sententia Papæ per assistentiam diuinæ prouidentiæ standum est. Et propterea oportet esse cautum, ne vocabulis aliter intellectis fallamur. Certi namque sumus, quòd nec Papa, nec Ecclesia aut synodus vniuersalis integra, potest in fide errare, iudicando autoritatiuè de fide. De Ecclesia autem ac synodo acephala nihil inuenio: quia nihil autoritatis sine capite in ea video, quamuis merita multa. Et non aduertere ad hanc distinctionem de fide personali vel iniudicio autoritatiuè, est causa quare à multis ignoranter & in materia fidei ecclesiæ, imò doctores Papæ præferantur: considerant enim ipsum non officium cum assistentia diuina ad fidem in officio, etsi non in persona.

¶ Ad id verò quòd additur, quòd claues sunt propter Ecclesiam finaliter, concedo ingenuè quòd Papa vt potestate iurisdictionis habens, est propter bonum fidei & pacis Ecclesiæ, vt ex capitulo septuagesimo septimo, quarti contra Gent. Sancti Thomæ apparet: & est ignobiliter ipsa pace Christi, quæ exuperat omnem sensum, & hoc est, quia Papa non est princeps nisi vt minister & vicarius naturalis principis, qui est summum bonum, ad quod ordinatur bonum commune totius communitatis, vt ex 12. Metaphysic. habeatur.

¶ Ad rationem ex principio illo, Omne totum est maius sua parte, dicitur concesso illo principio formaliter (scilicet de toto & parte vt sic) quòd licet Papa quo ad personam & merita, sit pars Ecclesiæ vniuersalis: secundum potestatem tamen iurisdictionis (de qua est sermo) non est pars, ita quòd potestas Ecclesiæ vniuersalis non consurgit ex potestate iurisdictionis Papæ & aliorum vt totum ex partibus: sed potestas Papæ est tota potestas Ecclesiæ vniuersalis, & aliæ potestates sunt patticipationes ipsius in partem solicitudinis datæ. iam enim dictum est quòd non plus potest Papa & Ecclesia quàm Papa solus: licet plures potestates sint potestates Papæ & Ecclesiæ, quàm Papæ solius. Et si ex ratione capitis, quia est membrum & pars corporis, instare velis, respice ad Iesum Christum, qui caput verum totius Ecclesiæ sic est, vt non solùm quo ad potestatem, sed nec quo ad nobilitatem & sanctitatem sit pars Ecclesiæ. Et vide quòd in his mysticis loquutionibus non oportet ea, quæ imperfectionis sunt (vt est esse partem) saluare in his quæ sunt superioris ordinis, quales sunt Iesus Christus, & eius vicarius generalis, qui quo ad nobilitatem & sanctitatem & personam pars est Ecclesiæ.

¶ Ad illud verò Hieronymi, quòd orbis maior est vrbe, respondetur quòd verum est quo ad multa puta merita, virtutes, scientiam, & in proposito secundum vigorem consuetudinis, non potestatis, id est consuetudo orbis prænalet consuetudini vrbis: sed potestas vrbis est supra potestatem orbis. Et quòd hæc sit intentio Hieronymi, ex contextu patet: quia de consuetudine Ecclesiarum, qua diaconi sub presbyteris sedent, loquitur.

¶ Ad rationem formatam super mandato Domini, Die Ecclesiæ: quia aduersarij sanctas glosias refugiunt (vt pro Ecclesia prælatus vt sic intelligatur cum sacris doctoribus eadem sententia) aliter dicitur, quòd Dominus in illo mandato affirmatiuo plura ordinatè mandat. Primò actum charitatis, Corripe eum inter te & ipsum. Secundò actus iudicales, Adhibe duos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum, & Die Ecclesiæ. Inter hos autem actus hæc est differentia, quod actus charitatis extendit se ad omne peccatum in proximum, & ad omnem fratrem, vt patet: actus verò iudicales non extendunt se ad omne peccatum in proximum, nec ad omnem fratrem. Et quòd non ad omne peccatum in proximum, ex eo luciditissimè patet, quòd sunt quædam peccata contra nos quibus conuicendis non possunt adhiberi testes, vt patet de peccato coniugis tentantis facto de coniugem in lecto ad peccatum contra naturem, & de secretissimis sermonibus. In his enim quia non possunt testes adhiberi: locum non habet præceptum hoc affirmatum, Adhibe tecum duos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum. nec illud, Die ecclesiæ: quia intelligitur in peccatis subiectis adhibitioni testium. Quòd etiam non ad omnem fratrem, ex eodem fundamento habetur: quia scilicet si est aliquis frater, qui nõ sit subiectus alicui in terris, de illo non intelligitur præceptum, Adhibe tecum: nec, Die Ecclesiæ: vanum enim hoc esset.

¶ Et quia Papa est talis frater, ideo præceptũ hoc non habet locum simpliciter contra Papam. Dico autem simpliciter, vt præseruem me à casu in quo potest deponi.

¶ Et quòd hæc sit vera expositio ad literam, probatur ratione & autoritate. Ratione quidem: quia Saluator in hoc præcepto duo exprimit vniformiter, scilicet personam peccantem: Frater tuus, & peccatum. Peccauerit in te (vtrunque enim absque exceptione aliqua indefinitè ponit) & tamen oportet quo ad peccatum limitare ad peccatum capax adhibitionis testium: ergo quo ad fratrem limitare etiam oportet ad fratrem subiectum communicantem tecum in Patre in terris. Et hoc potest accipi ex illo verbo, Frater tuus, id est, purè frater, id est, qui ita sit tibi frater, vt nõ sit plus quàm frater: cæteri namque prælati tui non sunt simpliciter plus quàm frater, sed quo ad aliquid: Papa verò simpliciter. Qua ergo ratione limitatio admittitur peccati, admittenda est & limitatio peccantis fratris. Autoritas est Sancti Thomæ in quarto sententiarum distinctio. decimanona, quæstio. ij. artic. secunde quæstionis tertiæ ad secundum, dicentis, quòd si prælatus nõ habet superiorem, recurrendum est ad Deum, qui eum emendet, vel de medio subtrahat. hoc enim propter solum Papam oportet dici: quia cæteri prælati habent superiorem. Nec solus est Sanctus Thomas, sed nunc nunc infinitæ ferè autoritates afferentur, ostendentes Papam omnino non habere superiorem: ac per hoc non claudi sub appellatione fratris peccantis, quo ad actus iudiciales.

¶ Ex quo patet quàm temere quidam dicant, quòd super hoc textu absque omni calumnia, plenitudo potestatis gladij spiritualis, & executio eius in Ecclesia collegiata, ac per hoc in Concilio vniuersali super quemlibet Christianum qui est frater noster, etiam si Papa fuerit, fundatur: & quòd super hoc fundatur potestas diffiniendi, determinandi, statuendi, exercendi, constituendi leges, etiam supra personam Papæ & vsum potestatis eius.

¶ Hæc enim ex dictis & dicendis patet esse erronea. & dicentes, hæc, nesciunt discernere, quòd præcepta quæ dantur de actibus iustitiæ iudicialis, intelliguntur tam in factis quàm in personis subiectis, & non aliis: & quòd ista præcepta non probant subiectionem talis facti, vel talis personæ ad Ecclesiam: sed de subiectis illi quæcunque & quicunque sint disponit. Ignorantiæ ergo est ex hoc tex. subiectionem Papæ arguere. Et vt conuincantur isti, practicerur text. iste sic. Primò text. non magis loquitur de Ecclesia vniuersali, quàm particulari

pure

Universidad de Deusto
Biblioteca

puta Mediolanensi. Et hoc etiam conuinciur ex hoc q̃ peccante in me fratre meo Mediolani, sufficit dicere Ecclesiæ illi, & si illam non audierit, erit sicut ethnicus, & cætera. indistinctè ergo de Ecclesia loquitur. Tunc vltrà cùm dicitur, Die Ecclesiæ, aut sumitur Ecclesia cõmuniter pro collectione fideliũ quomodo libet, & hoc non, quia si non audiret totam collectionẽ Mediolanensium absque prælatis, non esset sicut ethnicus & publicanus, vt patet. Aut sumitur Ecclesia pro collectione fidelium cum prælato, & si sic sumitur, ergo etiam Ecclesia vniuersalis, cùm sibi dicendum est, non sumitur pro acephala, sed eum capite qui est Papa. Ex hoc ipso ergo præcepto Domini intellecto proportionaliter de Ecclesia vniuersali, Papa comprehendi ostenditur nõ sub appellatione fratris peccantis, sed Ecclesiæ iudicãtis, quia Ecclesiæ cum capite, & non acephalæ dicendum mandat peccatũ fratris peccantis. Rursus Papa non est detetioris conditionis respectu Ecclesiæ suæ, quàm quilibet Episcopus respectu Ecclesiæ suæ, sed Episcopus peccans in fratrem suum, non denuntiatur Ecclesiæ suæ acephalæ, sed Ecclesiæ, id est prælato superiori, & sufficienter impletur mandatum Domini, ergo Papa non denuntiatur Ecclesiæ Catholicæ, cuius est Episcopus, acephalæ, sed superiori qui est Iesus Christus, clamando ad Deum, qui est paratus citò facere vindictam, clamantium ad se, multo magis quàm iudex tertestris, vt ipse testatur Lucæ decimooctauo.

¶ Negandum est igitur, quòd Ecclesia vniuersalis sit iudex ordinarius Papæ in puniendo, & consequenter quòd sit simpliciter & absolutè illius iudex, & consequenter, quòd quemcunque legis actum possit super eum. An autem in aliquo euentu vel casu sit illius iudex inferius examinabitur.

¶ Repugnare quoque Sactis Canonibus, quòd Ecclesia Vniuersalis sit iudex Papæ in puniendo absolutè, manifestè patet, quia sic de quolibet peccato Papæ in proximum posset denuntiari Papa, iudicati & puniri si fraternam admonitionem non audisset, contra capitulum, si Papa, distinctione quadragesima, & capita multa, nona quæstione tertia scilicet patet, nemo, aliorum, facta, cuncta, & contra omnes canones Pontificũ, scilicet Bonifacij, Nicolai, Innocentij, Symmachi, Anterij & Gelasij. Et licet aliquod horum patiatur fortè glossam quòd loquitur de particulari iudice, & non de Vniuersali Ecclesia, multatamen capitula omne iudicium citra diuinũ excludunt, vt capit. vnum patet, vbi sunt de sede apostolica hæc verba, Cuius autoritatiuè maius non est iudicium. Similiter capitulum aliorum. vbi sunt hæc verba. Aliorũ causas hominum Deus voluit per homines terminare sed sedis istius præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio. vbi etiam Papa excludit, prosequendo obiectiones in contrarium. Est & contra extrauagentem Bonifacij octaui vnam sanctam, vbi diffiniens, inquit, Si deuiat terrena potestas, iudicatur à spirituali, si deuiat spiritualis, iudicatur minor à superiori, si verò suprema, à solo Deo, & non ab homine potest iudicari. Hæc ille. Et est contra multos Doctores in Theologia quidem, vt refert dominus Ioannes de Turre Cremata in libro secundo de Ecclesia, c. nonagesimoquarto Hugonem de Sancto Victore, Albertum Magnum, Sanctum Thomam, Alexandrum de Ales, Sanctum Bonauenturam, Petrum de Tarantasio, Victricum, Ricardum, Petrum de Palude Heruetum, Augustinum de Aucona, Alexandrum de Alpidio. In iure autem canonico Hostiensem, Ioannem Andream, Guidonem, Archidiaconum, Innocentium, & Auerroim.)

¶ Ad vltimò allata ex sacris Canonibus, ex eo quòd Papa non potest contra statuta Patrum, responsionem habeo diui Thomæ in tractatu contra impugnantes religionem, quod intelligitur quo ad ea, quæ sunt iuris diuini vel naturæ. Et hoc etiam habetur in glossa illius & præcedentis capituli, sunt quidam.

¶ Ad capitulum, prima salus eodem modo dicendum est, aduertendum quòd Patrum appellatione venit principaliter Papa, qui est pater Patrum.

¶ Quòd aurem Ioannes Gerson affert contra summos Pontifices illud Gratiani, distinctione quarta, Leges instituuntur cùm promulgantur, firmantur autem cùm moribus vtentium comprobantur, quasi examen supremum legum sit, vnde firmantur, risu magis quàm responsione dignum est. Relinquitur igitur certum & indubitè tenendum, quòd Papa est supra Vniuersalem Ecclesiam, non solùm secundum singulas personas & Ecclesias, sed secundum ipsam Ecclesiæ communitatem, solum Deum superiorem habens.

CAPVT X.

¶ De noua quadam fictione, qua imaginantur aliqui Concilium esse supra Papam.



ACTENVS simpliciter est disputatum & conclusum, quòd Papa habet potestatem super Vniuersali Ecclesia & concilio, vt caput, pastor, rector & director illius. Deinceps noua quædam imaginatio Ioannis Gerson in tractatu de Potestate Ecclesiastica, & in tractatu, de Auferibilitate sponsi seu Papæ, tractande confutandaque est: quoniam periculosa est valde, & sanctæ Matri Ecclesiæ plurimum nociua. Et vt melius obseruare se ab his omnes possint, recitanda est sua imaginatio.

¶ Ponit imprimis Potestatem Ecclesiasticam velut quoddam totum integrale distingui in suas partes integrales, Papatum, Cardinalatum, Patriarchatum, Episcopatum, Sacerdotiumque, Ecclesiamque integrari ex his ita vult, vt sublato non Papa, sed Papatu, non sit Ecclesia Vniuersalis. Vultque proinde in Ecclesia & concilio Vniuersali siue Papa sit, siue non claudi autoritatem Papalem, quam supremam Potestatem Ecclesiasticam & plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ, formaliter potestatiuè & originaliter reliquas continentem, & in solo Romano Pontifice formaliter & subiectiuè esse fatetur, à Iesu Christo Petro datam. Fatetur quoque Ecclesiæ regimen à Iesu Christo institutum Monarchicum, ita quòd hoc non nisi à solo Deo mutabile est, & Monarcham esse Papam.

¶ Cum his quoque distinguit & bene, & potestatem Ecclesiasticam tripliciter accipi, primò, secundũ ipsum, vt Papatum, secundum se. Secundò, secundum applicationem ad hanc vel illã personam, vt quòd Papatus sit in Ioan. vel Marc. Tertiò, secundum exequutionem, vt quòd Papa faciat vel non faciat hoc vel illud. Et apposita altera distinctione de multiplici modo essendi in aliquo, vult q̃ licet quælibet Ecclesiastica potestas sit formaliter & subiectiuè tantùm in suppositis formaliter denominatis ab illa puta Papalis in Papa, Cardinalitia in Cardinali, Episcopalis in Episcopo) nihilominus quælibet Ecclesiastica Potestas est in Ecclesia Vniuersali seu Concilio Vniuersali illam repræsentante tripliciter. Primò, sicut in fine, quia data est in ædificationem corporis Christi. Secundò, sicut in regulante applicationem ipsius ad personam. Tertiò, sicut in regulante vsum seu exequutionem potestatis in persona existẽtis. Et de primo ac secundo modo, nõ esse dicit facultatem, de tertio autem similiter dicit, si consideretur quòd Potestas Papalis data est in ædificationem Ecclesiæ. Et probat sic, Papa est peccabilis, & potest hac potestare in destructionem Ecclesiæ abuti, similiter Sacrum Collegium Cardinalium non est in gratia vel fide confirmatum, ergo oportet vt aliqua sit reliqua inobliquabilis & indeuiabilis regula ab optimo legislatore Christo, secundum quam possit abusus huiusmodi Potestatis reptimi, dirigi, atque moderari. Hæc autem est Ecclesia seu Vniuersale Concilium, ergo in Ecclesia Vniuersali est Papatus, vt in regulatiuo exequutionis ipsius.

¶ Et confirmatur, quia cùm medium virtutis non habeatur nisi prout sapiens iudicabit, & Papa habeat Potestatem in ædificationem, prout sapiens iudicabit, finalis resolutio huius iudicij fiet ad Ecclesiam seu Concilium, vbi est sapientia indeuiabilis. Et hic inquit, fundantur multa, vt quòd Papa iudicati potest & deponi per Concilium, quòd concilio subiicitur quod vsum suę potestatis, & sibi potest dici, Cur ita facis? & quod in concilio est etiam Potestas Papalis quarto modo, scilicet suppletiuè, quòd scilicet supplendo facere potest quicquid potest Papa, vt Decreta & acta Concilij Constantiensis testantur.

¶ Distinguit præterea potestatem Papæ in eam, quæ sibi à Iesu Christo tributa est in Petro, tanquam suo Vicario & Monarchæ tam ordinis, quàm iurisdictionis in foro voluntario & inuito (& hanc vult esse supernaturalem) & in eam quæ conuenit Papæ ex iure naturæ & positiuo. Naturæ quidem, quia dictamen naturalis iuris vult, vt supremus in aliqua politia, gaudeat multis priuilegiis & honoribus super alios. Positiuo verò multiplici, & in proposito ipsius Ecclesiæ seu generalem Conciliorum, sicut communitas perfecta sui capiti dare potest. Et hanc vult esse autoritatem interpredandi, dispensandique in statutis Concilij generalis, prout occurrens necessitas vel euidens vtilitas postulat, vbi pro tunc recursus ad generale Concilium non patet. Propter cuius distinctionis ignorantiam multam ortam putat ignorantiam in putantibus omnia posse Papam ex autoritate sibi à Christo tradita.

¶ Concilium igitur esse supra Papam, habereque vim coactiuam super illum, posseque illi leges imponere circa vsum potestatis, suspendere ab exequutione, & deponere cum culpa & sine culpa, infert. Comparare propterea, inquit, Ecclesiam Papæ, nihil aliud est quàm comparare totum parti integrali, & quærere quid sit maius: constat enim, quòd Ecclesiæ seu Concilij Vniuersalis autoritas maior est autoritate Papæ in sex. Primò, in amplitudine vel extensione: secundo, in infallibili directione: tertiò, in motum reformatione in capite & in membris: quartò, in coactiua potestate: quintò, in causarum fidei difficilium vltimata decisione: sextò, quia copiosior: complectitur enim saltem virtualiter omnem potestatem & omne politicum regimen, Papale, imperiale, regale, Aristocraticum, & Timocraticum.

¶ Confirmat dicta sua ex apostolorũ actibus pluribus: qa scilicet Iacobus

Iacobus non Petrus diffiniuit in Concilio, Act. decimoquinto: & ibidem non Petri nomine, sed communicatis scribitur ad Antiochiam, Apostoli & seniores, &c. & miserunt Petrum & Ioannem tanquam subditos Ecclesiæ, Act. octauo. & Petrus cõpulsus est rationem reddere de ingressu ad Centurionẽ, act. vndecimo. Fundat autem super allatis prius ex Matthæi decimooctauo autoritatibus, Die Ecclesiæ, & Quæcunque ligaueritis super terram, & Concilio Constantien. Et concludit quòd luce clarius ex principiis Theologiæ conclusa est subiectio Papæ ad Concilium. Et vsque adeò progredicur, vt pestiferam perniciosissimamque doctrinam appellet, ponentem Papam supra Concilium, aut saltem non impatem illi.

CAPVT XI.

¶ Quod secluso Papa, in Ecclesia non est papatus suppletiuè & sicut in regulante vsum ipsius.

PRINCIPIVM Veritatis videndæ circa recitata à radice sumendo declarabimus. Primò, id super quod tota hæc consurgit fabrica: falsum esse scilicet, quòd secluso Papa, quomodolibet in Ecclesia Dei sit Papatus, sicut in regulatiuo ipsius quantum ad vsum & suppletiuè. Deinde ostenditur falsum esse quòd Papa habeat aliquã potestatem ab Ecclesia: sed omnia potest ex papatus autoritate. Et deinceps sigillatim omnia examinando determinabuntur manifestata prius veritate, circa potestatem applicandi potestates ecclesiasticas ad personas, an sit in Ecclesia secluso Papa. Sic enim modo de Ecclesia vt distinguitur contra Papam, loquimur: & sic volumus intelligi dum de his sermo est. Si papatus igitur est sic in Ecclesia cum Ecclesia non habeat ipsum ex seipsa (vt aduersarius fatetur) oportet quòd datus sit ei à Deo. Et cùm huiusmodi donata Deo nesciamus nisi per reuelationem in sacra Scriptura, vel traditione Apostolorum, vel in sanctis doctoribus, aut determinatione apostolica contentam, aut per rationem ex principiis theologicis efficaciter probantem: si in nullo horum reuelatio hæc inuenitur, sed oppositum, si theologica ratio non conuincit, sed potius abducit ad hoc sentiendum est oppositum. Et quidem quòd in sacra Scriptura donatio ista non reperiatur, ex antedictis patet: autoritates enim sumptæ ex Matthæi decimooctauo, nihil dant nisi supra subiecta Ecclesiæ indefinitè, vt prædeclaratum est. Vnde ex eis non potest huius vel illius subiectio probari: sed haberi quam potestatem in subiecto habeat.

¶ Ex gestis verò ab Apostolis nihil tale habetur: quia Act. octauo licet Petrus & Ioannes sint missi, non tamen vt subiecti: Spiritus enim sanctus missus est Filio iuxta illud Ioan. 16. Quem ego mittam vobis: & tamen non est subiectus. Malè theologus est, qui ex missum esse, infert subditum esse. Act. verò, 11. disceptatio eorum qui erant ex circuncisione aduersus Petrum, nullã superioritatẽ, sed ambiguã æmulationẽ legis Moysi præ se fert. Et quod illa disceptatio non ab Apostolis, sed conuersis Iudeis, & præcipuè Pharisæis fuerit: textus ille iunctus cum ca. 15. (vbi illi de hæresi Pharisæorum, dicebant legalia imponenda etiã gentilibus) insinuat. Et rursus reprehensio non factis, sed verbis subditis quandoq; licita est aduersus prælatos, vt de Petro & Paulo apparet ad Gala. 2. & superius ex sancto Thoma ostendimus. Et idem Gregorius (vt habetur secunda quæstione septima, cap. Petrus) hoc soluit, quòd Petrus noluit vti authoritate sua. Act. verò, 15. non fuit Concilium vniuersale, nec Iacobus dedit sententiã & ideo nihil facit ad propositum. Quòd nõ fuerit Concilij vniuersale, patet ex hoc, quod non fuerunt ibi nisi tres ex 12. Apostolis, vt ad Ga. 2. habetur, scilicet Petrus, Iacobus & Ioannes. Quod enim narratur Act. 15. tunc fuit, quando Paulus post annos 14. ascendisse se Hierosolymã, ad Gal. 2. refert, vt glossa ordinaria dicit Act. 15. Quod Iacobus sententiam non dederit sed iudicium suum dixerit post Petrum loquens ex eo patet quod subditur, Tunc placuit Apostolis, & Senioribus cũ omni Ecclesia eligere & mittere, &c. scribentes per manus ipsorũ. Conclusio ergo in qua stat proculdubio sententia definitiua, in communi facta est, non à Petro nec Iacobo. Et scito quòd quia solutio quæstionis petebatur nõ à Petro, sed ab Apostolis & presbyteris præsentibus (Hierosolymis) vt patet in eodem decimoquinto ea. ideo Petrus simplici apostolatu non papali autoritate vsus, exhibuit se sicut vnus ex aliis in tali cõuentu: & communi nomine Apostolorũ appellatione contentus fuit. Et bene: quia omnia tempus habent: nec dum autẽ erat tempus vtendi plenitudine potestatis suæ: in statuto præcipuè transitorio quale fuit propositum à Iacobo, cùm dicit, Ego iudico, id est, hoc est iudicium meum, &c. Aduenit postmodum tempus, quo Papa manifestauit suæ plenitudinem potestatis, vt patet legenti gesta Patrum & Ecclesiæ. Quamuis & hic Petrus primus inueniatur & in electione Matthæi & in condemnatione Ananiæ & Saphiræ & Simonis & ex traditione successiua Apostolorũ, Papam potius quã Concilium primatum obtinere animis vocibusq; Christianorũ inhibitum est vsq; ad Concilij Constantiense. ad quod vsq; tempus sancti doctores absque dubio hoc docuerunt. Nec Concilium Constantiense, aut Basiliense oppositum determinare potuit: quia si Hieronymi solius autoritas innixa sacræ Scripturæ præualuit Concilio (vt patet 36. q. 2. c. tria. iuncto capitulo, placuit) quanto magis tanta lucida nubes testiũ inductorũ innixa sacræ Scripturæ aperte, vt monstratũ est & monstrabitur, præualet cõgregationi Cõstantiensi, ante Martinũ, & Basilienſi Cõcilio? Omnia enim Concilia per Romanæ sedis autoritatem robur acceperunt, & facta sunt, vt c. significasti. de elect. allatũ est. Quòd autẽ nec ratione ex theologicis principiis hoc habeatur, sed potius in hoc, q̃ summus promisor & legislator Dñs Iesus Christus non reliquit Ecclesiã dilectissimã sine sufficienti regula & in obliquabili in re mediũ concurrentium defectuũ: sed Papa est peccabilis, Ecclesia verò errare non potest: ergo. Hæc enim ratio ad hoc propositum non solùm non procedit ex principiis theologiæ, sed in hæresim adducit damnatã, pro fundamento enim sumitur, q̃ Ecclesia potest non errare, & Papa potest errare: aut loquuntur de errore personali in gratia gratũ faciente, aut de errore iudiciali, definiendo in quacunq; re Ecclesiæ, vel in fide. Si loquuntur de errore personali in gratia, in hæresim incidituir damnatam: q̃ potestas ecclesiastica fundatur super charitate, & tamen hoc modo contra seipsum oportet q̃ intendat iste homo, quia expresse affert pro ratione, quia Papa est peccabilis, & sacrum collegiũ ei assistens nõ est confirmatum in fide & gratia. Ex hoc ergo q̃ apud ipsum Ecclesia est firmata in fide & gratia & propterea inobliquabilis oportet dicere quòd à Deo habeat regulatiuum potestatem vsus, omnis ecclesiasticæ potestatis. Et hoc quid aliud dicere, quam sequi hæresim illorum, qui, quoniã vbi sunt duo vel tres congregati in nomine Domini, in medio eorũ est Dominus, ecclesiasticam potestatem in bonis Christianis ponunt? Amplius. Quis reuelatiue hunc hominì, quòd prælatorum congregatio in Concilio generali, secluso Papa, sit confirmata magis in fide & gratia personali, quàm collegiũ Cardinalium? quare nõ possunt omnes illi esse in peccato mortali sicut isti? Præterea, Quamuis Ecclesiæ sit promissa gratia personalis in aliquo supposito semper (iuxta illud Matt. vlt. Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi) quis hoc promisit prælatis istis sic cõgregatis magis, quàm collegio Cardinalium cum Papa? Quæcunq; enim autoritas afferatur de congregatis, scilicet, Vbi duo vel tres, & cætera &, Si duo ex vobis consenserint, & similia, non magis habet locum in illa acephala congregatione, quam in ista non acephala, quę verè est in nomine Domini, saltem quo ad autoritatem. Nec potest dici, quòd hoc conueniat Concilio dicto ex repræsentata Ecclesia vniuersali, quia gratiæ, personales repræsentari non transeunt in repræsentantem, vt patet inductiuè.

¶ Si verò loquuntur de errore iudicialiter diffiniendo de re qualibet, constat & quòd Papa, & quòd Concilium simul cum Papa errare potest, malè iudicando de vno regno, quòd iste habet ius eius, & non alter, aut quòd ille Episcopus sit simoniacus, vt patet in c. à nobis de sententia excommun. & in quol. Sancti Thomæ, vbi suprà. Si autem de iudicio fidei sit sermo, aut comparatur Papa & concilium secundũ proprias naturas & vires: & sic tam Papa, quàm Concilium potest errare: quia omnis homo mendax. Aut secundũ assistentiam diuinæ prouidentiæ: & sic falsum & erroneum est dicere q̃ Papa possit errare: quia hoc esset dicere, q̃ Ecclesia tota potest errare in fide: quia ad ipsum pertinet determinare de fide, vt habetur de baptismo & eius effectu, capit. maiores & 24 quæsti. 1. cap. à recta. memor sum. &, quoties. Et quicquid determinatum est ab ipso de fide omnes Christi fideles sequi oportet, vt patet ex hoc, q̃ hæreticus censetur, qui damnatæ ab Apostolica sede conclusioni in fide, adhæret pertinaciter: & ex hoc quòd qui aliter docet & sentit de fide, & sacramentis Ecclesię quàm Roma. Ecclesia hæreticus est vt patet ex S. Thoma, in secunda secundæ, quæstio. 1 arti. vltim. docente quòd ad summi Pontificis autoritatem pertinet, finaliter determinare ea, quę sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur. & in quæstione 11. articulo 2. ad tertium. quòd contra Papæ autoritatem in materia fidei; nec Hierony. nec Augustinus, nec aliquis sacrorum doctorum suam sententiam defendit, & ex c. si Papa, distin. 40. vbi dicitur, quòd ex ipso post Dominum vniuersorum salus dependet: & per hoc ineffabile Papę iudicium, impletur illud Ioan 14. quòd Spiritus sanctus doctrinis est nos omnia. Colligendo igitur rationis solutionem, dicitur q̃ semper altera præmissarum est erronea. Si enim est sermo de obliquitate à gratia, illa vniuersalis est erronea, si q̃ obliquum oportet regulari in terra à recto: & est expressè damnata etiam à Concilio Constantiensi sub Martino. Si autem est sermo de obliquitate à iudicio fidei, illa propositio

est er-

Universidad de Deusto
Biblioteca

est erronea, scilicet q̃ Papa potest errare, & reliquũ Ecclesiæ non. Confirmantur hæc autoritatibus suprà allatis. Et hæc respõsio est ratio sumpta ex parte causæ materialis, ex hac enim habetur q̃ non magis communitas quàm vna persona in officio vicariatus Christi posita, quantum ad ea quæ sunt fidei, habet q̃ sit subiectum seu materia assistentiæ diuinæ, cùm nõ sit differentia apud Deum in multis aut paucis, vno vel pluribus saluare, imo ex quo monarchicum institutũ est regimẽ, in vno solo cõstituta est potestas, vt S. Thomas in 4. sentẽ. dist. 19. q. 1. dicit. Ex quo patet, q̃ voluntariè dicitur quòd papa habet potestatem in ædificationem, prout sapiens, id est, Concilium determinabit. In his enim quæ sunt fidei secundum diuinã sapientiam in Scripturis reuelatam & sibi assistentem, in directione autem morum secundum prudentiam monasticã & politicam, quæ in principe est, ædificare Ecclesiam debet. Et ad hæc multum adiuuatur ex Concilio sanctorum Patrum. & propterea cum veneratione à summis Pontificibus suscipiuntur, ostendunt siquidem statutã iter Papæ, quod sequi secundum Deum debet, quamuis cogere ipsum nequeant, vt ex prima secundæ S. Thomæ allatum est. Rationes autem quæ concernunt depositionem Papæ, inferius soluentur.

¶ Ex parte vero causæ formalis, quia Papatus est ex formali sua ratione suprema in Ecclesia Dei potestas, vt ex ante dictis habetur, & istemet fatetur, suprema autem potestate in Ecclesia repugnant dari in Ecclesia superiorẽ, quia iam nõ esset suprema in Ecclesia, sed potestas in Ecclesia, regulatiua Papatus quò ad vsum est superior Papatus, ergo in Ecclesia Dei nõ est talis potestas, & consequenter non est in illa Papatus, sicut in regulatiuo vsus illius. Prima propositio assumpta (vt dictũ est) patet ex determinatione etiã Concilij Cõstantiensis, sub Martino quinto; secunda autẽ est nota ex terminis: tertia autẽ, & probatur, & est ab eo confessa. Probatur quidẽ, quia cum par in parẽ non habeat imperiũ, & propter ea vnus Papa non potest ligare manus alterius, oportet si Ecclesia potest ligare manus Papæ cõstituẽdo leges coactiuas circa vsum Papatus & suspendẽdo ab exequutione: q̃ potestas Ecclesiæ non sit par papatui, sed superior papatu. Confessa est autẽ ab hoc viro quũ loquens de dispensatione facta à Papa, dicit, Tenet, &c. Hæc dispensatio si non contineat errorẽ apertum, aut nisi fuerit superiori lege prohibita, quòd dicitur propter statuta fieri possibilia circa Papalis vsum potestatis per generale Concilium Hæc il.e.

¶ Et vt magis pateat horum fictio aduertendum est q̃ quemadmodum in adunatione omnium sensuum exteriorum in vnum subiectum, non inuenitur aliquis vnus iudex præter singulas sensuum potestates, nisi sensus superior eis omnibus & cõmunis omnibus præiungeretur (& propterea oportet ponere sensum cõmunem, vt patet in secundo de Anima, vnicum & cõmunem, omnium sensibilium in iudicem altiorem omnibus, quo vno vnum subiectum habens plures sensuum potestates iudicat) ita posito, sed nõ cõcesso quòd in Ecclesia inuenirentur omnes potestates ecclesiasticæ, scilicet papatus, cardinalatus, & cæteta. si ex eis non resultaret, aut quomodo libet eis iungeretur vna alia potestas, nihil posset nisi quòd secundum singulas potestates papatus, cardinalatus, episcopatus, & cætera posset. Perinde enim est (vt dicitur in 2. de Anima) duabus potentiis iudicare, ac si duo iudices essent. Ex concursu igitur omnium potestatum in Ecclesia vniuersali etiam cum Papa, non plus potest apud sapientes tota Ecclesia cum Papa, quàm possint singulæ potestates, ac per hoc cum papatus non possit ligare manus Papæ nec tota Ecclesia hoc potest, nisi fingatur superior quædam potestas papatu, qua Ecclesiæ cõmunitas vtens iudicet de singularum potestatum actibus, & si hoc fingitur, contradicitur veritati & sibiipsi, qui Ecclesiam ex papatu, cardinalatu, & cætera, componi vult.

¶ Ex causa demum finali probatur intentum quadrupliciter. Primò quia incidit in Scyllam, cupiens vitare Charibdim. Si enim propter hunc finem, vt quilibet potens errare, habeat superiorem in terris, oportet hanc in Ecclesia supra papam potestatem ponere, quis corriget Concilium ipsum potens errare? imò quod de facto errauit in decretis illis Constantiensis, & Basiliensis, & in multis aliis errare potest propter quòd à Concilio ad Papam conceditur appellatio, vt Sanct. Tho. in quæst. de potentia Dei quæst. 10. articu. 4. ad decimumtertium dicit. Et de Concilio Basiliensi, quòd quamuis legitimè congregatum, errauerit notoriè, conuincitur ex ipsius verbis in secunda sessione, scilicet, Synodus Basiliensis, decernit & declarat, quòd ipsa pro hæresum extirpatione ac morum generali reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, nec non pace inter Christianos procuranda, in Spiritu sancto legitimè congregata per nullum quauis autoritate etiam si Papali dignitate præfulgeat, dissolui, aut ad alium locum transferri, seu ad aliud tempus prorogari debuit aut potuit, debet aut potest, debebit aut poterit in futurum, absque eiusdem synodi Basiliensis deliberatione & consensu. Hæc ibi.

Vbi manifestissimè apparet, quòd etiam in his quæ sunt iuris positiui (qualia sunt tempus & locus Concilij) determinauerũt non habere potestatem summum pontificem, etiam antequam ipsa synodus congregata ibi tũc esset: quod tam erroneum est vt argumentatione non egeat. Et hoc vnum ideo attuli, vt ostendatur & quod Concilium ritè esset congregatum autoritate Romani Pontificis, ipso absente aut non consciente decretis, errare potest, & errauit: & vt ex hoc vno manifeste falso in principio Concilij illius decreto omnium decretorum illius autoritas quanta sit cognoscatur. Inquit enim Augustinus quòd si vel minimum mendacium in sacra Scriptura admmistretur, tota perit.

¶ Secundò, quia verus finis potestatis ecclesiasticæ, scilicet, vnitas fidei, charitatis, & pacis, qua vna est Ecclesia, & peruenitur ad patriam cælestem, melius causatur per vnum, quàm per plures conuenientes in vnum.

¶ Tertiò, quia nimis derogat dignitati supernaturalis ordinis positio ista, quasi sicut Deus in naturalibus creauit hominem liberũ & reliquit eum in manu consilij sui, (quo sit vt communitas libera Regem constituat cum certis legibus tacitis vel expressis) sic disposuerit Christus in supernaturali regimine Ecclesiæ, dando cõmunitati potestatem supra principem. Longè quippe aliter est, nam supernaturalis regiminis firmitas non super humano concilio, sed super diuina assistentia supernaturali fundatur: ac per hoc ad infallibilitatẽ infallabiliter consequendã, ipsa supernaturalis regiminis resolutio respuit recursum ad potestatẽ cõmunitatis.

¶ Quartò, quia cùm gratia perficiat naturam per modum eius, & diuina Sapientia disponat omnia suauiter, oportet vt Iesus Christus disponat regimen Ecclesiæ suæ, vt viuus nõ vt defunctus: propter quod nõ ante mortẽ, sed post resurrectionem in æternũ non moriturus, Petrum instituit nõ successorem, sed vicarium suum. Cõmune est autẽ omnibus principibus viuentibus vicarios instituentibus, vt potestatẽ Reipub. super vicarium non dent, sed sibi reseruent iudicandum. Dominus igitur Iesus Christus cõmunitati Ecclesiæ nõ dedit potestatẽ super suo vicario: sed illi suã assistentiam non defuturam aperiens. Luc. 22. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, ipsi confirmationẽ aliorum cõmisit subdẽs, Confirma fratres tuos. Et hæc ratio licet magis ex modo, quã fine regiminis sumatur: ostendit tamẽ quod ad consequendũ Ecclesiæ finẽ ex eo modo regiminis nõ conuenit in Ecclesia talẽ ponere potestatem. Quia ergo posita potestas ista in Ecclesia suprà Papam regimini Ecclesiæ per vicarium sub Iesu Christo viuente non consonat, & supernaturali resolutioni ecclesiastici iudicij dẽ rogat, & ad verum Ecclesiæ finem inepta est, & intentum finem correctionis omniũ errare potentium non assequitur. Ratione mali paparus repugnat, assistentiæ Christi ad Papæ iudicium in his, quæ sunt fidei obstat, & nulla authoritate authentica, aut ratione efficaci asseritur, torõue sanctorum testimoniis aduersatur: concludendum est quòd frustra, ignoranter, temere atque impiè prædicatur, scribitur, & defenditur.

CAPVT XII.

¶ Quod secluso Papa, non sit in Ecclesia potestas legislatiua.

QVONIAM autem præter dictam potestatem duas alias in Concilio locat secluso Papa (scilicet potestatem applicandi potestates ecclesiasticas ad personas, & potestatem condendi interpretandique autoritatiuè leges) de his aliquantisper dicendum est. Autoritas Ecclesiæ in condendis legibus conuenit Ecclesiæ secundum istum ex hoc, quòd est communitas perfecta. Vnde si quælibet cõmunitas libera & perfecta potest condere leges, & ipsius solius autoritate possunt mutari conditæ ab ea leges: sic in Ecclesia etiam oportet.

¶ Sed vt breuiter error istius pateat, omisso quòd Ecclesia absq; Papa non est communitas perfecta (quia sine capite) dicimus, quòd quia Ecclesia vniuersa distincta contra Papam est communitas subiecta à Iesu Christo Papę (vt patet ex autoritatibus inductis testantibus ipsum esse pastorẽ, rectorem, episcopum, directoremq; omnium Christianorum, & vniuersalis, seu catholicæ Ecclesiæ) consequens est q̃ Ecclesia, ersi possit ordinare per modum societatis cuiusdã, non tamen potest aliquid statuere, habens vim coactiuam, non solum circa actus Papæ, sed nec circa quemcunque Christianum, nisi ratione autoritatis prælatorum illius, si illi ad hoc concurrunt: & si fiat de facto, non valet, nisi autoritate Romani pontificis implicitè vel explicitè roboretur. Vnde S. Thomas (vt superius adductũ est) inquit, Sancti patres cõciliis cõgregati nihil possunt statuere, nisi interueniente autoritate Rom. Pontificis. Et (vt supradictũ est) rectè dixit, Sancti patres: qa multi patres ex sua temeritate possunt statuere, etiã ligando manus Pontifici summo. Et cõfirmatur hoc ex diffinitiõe legis posita à sancto Tho

Thoma in prima secundæ. q. 90. vbi in vlt. ex prædeterminatis conciliatur, quòd lex est rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis, promulgata. Ex hoc enim patet, quòd lex Ecclesiæ nihil aliud est, quàm rationis ordinatio ad Ecclesiæ commune bonum à Papa (qui curam habet communitatis ecclesiasticæ) promulgata: ac per hoc communitas Ecclesiæ, cui suipsius cura nõ est relicta à Iesu Christo, sed commissa Papæ non potest leges autoritatiue facere. Et hoc cognoscentes, sancti patres à Papa robur decretorum suorum recognouerũt, vt etiam ex orto hoc errore potest electum Martinum Papam quintum: ipsa requisitio oratorum regis Poloniæ, quòd approbarentur decisa in materia fidei à Martino testatur, vt patet in sessione vltima, Et Basilienses multum institerunt apud Eugenium quartum, vt decreta Basilensis Concilij approbaret, & nũquam obtinuerunt: vt dominus Ioannes de Turrecremata refert: & in gestis Basiliensis Concilij apparet.

¶ Amplius Autoritas Ecclesiæ determinativa de his, q̃ sunt fidei, principaliter residet in summo Pontifice & non solum principaliter sed finaliter, ita quòd ad ipsum spectat finalis de fide determinatio: nec spectat ad Concilium, sed Concilij sententia à Papa confirmatur: & à Concilio, ad Papam appellatur: vt sanctus Thomas in allatis locis, & Secunda secundæ, & quæstio. de potentia Dei, & contra errores Græcorum docet. ergo à fortiori ad Papam principaliter & finaliter spectat cætera statuere, & frustra à Concilio ad eum appellaretur, nisi iustitiam posset supra Concilium ministrare.

¶ Amplius Consuetudo Ecclesiæ habet & habuit, vt Papa in omnibus quæ non sunt de iure naturæ aut diuino, possit non solùm dispensare, sed mutare iura: non ergo ipse à Concilio in interpretando dependet, sed econuerso. Et ex hoc patet quòd capitulum, frequens in Concilio Constantiensi decretum: nisi apostolica autoritate firmatum sit non habet certam vim obligatiuam: quoniam in sessione 39. ante electum Martinum factum est.

CAPVT XIII.

¶ Quòd potestas applicatiua ecclesiastica potestatis ad personam, non est in Ecclesia secluso Papa nisi in casu.

DE AVTORITATE autem applicatiua Papatus & aliarum ecclesiasticarum potestatum ad hanc personam vel illam, sciendum est, quòd potestas ista regulariter & principaliter est in Papa, & non nisi in casu in Concilio seu Ecclesia. Et in Papa quidem esse potestatem hanc quo ad applicationem potestatum inferiorum papatu, patet tum ex gestis Apostolorum, dum singulos Episcopos per loca instituebant: tum Ecclesiæ consuetudine, quæ quotidie hæc à Papa faciente suscipit absque conscientię scrupulo, tum ex ratione officij sui, ad eundem namque spectat plena potestas supremi regiminis, & assumptio aliorum in partem solicitudinis, vt patet Exodi decimooctauo, vbi Moyses dux populi ex consilio Iethro elegit & constituit principes populi, & millenos, & centuriones & decanos. Quo ad applicationem verò papatus, & ex gestis Beati Petri Apostoli, cum instituit Clementem Papam (vt habetur octaua quæst. 3. si Petrus. ex autoritate Ioannis tertij, qui sedit anno Domini 600. tempore Iustini Imperatoris) & ex continua obseruatione liquet. Papa nanque instituit ad quos spectet electio, & mutat & limitat sic actum electionis vt proposito modo fit irritus. In Ecclesia autem seu Concilio non esse hanc autoritatem secluso Papa, ex hoc patet, quòd tota Ecclesia non potest autoritatiue mutare legem factam à Papa: puta quòd electio non spectet ad Cardinales veros, & indubitatos, quod electus à minus quàm duabus partibus Cardinalium sit Papa, sed bene econuerso Papa posset statuere, q̃ electus à minus, quàm duabus partibus Cardinalium, sit Papa: & quòd electio spectaret ad tales & tot præfatos, & non ad hos qui vocantur Cardinales: quia eiusdem est destituere, cuius autoritatiue est constituere in his quæ sunt iuris positiui: quale est, q̃ electio spectet magis ad presbyteros & diaconos talium Ecclesiarum Romæ, qui vocantur Cardinales, quàm ad canonicos Lateranenses, & sancti Petri: magis ad Episcopos Hostiensem, Sabinensem, Prænestinum, Tusculanensem, Albanensem & Portuen. quàm ad alios Episcopos. Hoc enim nec à diuino nec à naturali iure esse constat. Si enim potestas ista applicatiua esset in Ecclesia, secluso Papa, posset Ecclesia mutare statuta Papæ, circa applicationem huiusmodi. Vnde secundum veritatem, Concilium, secluso Papa, quia nihil potest nisi quod per singulas potestates in eo contentas potest: nec vnum quidem, & illum minimum potest constituere Episcopum, si illi præfati ad quos spectat illum constituere defuerint. Papa autem potest & eligere, & constituere Episcopos: vbique terrarum sua sola autoritate: quæ non sua sed illius est qui graditurin multitudine fortitudinis suæ.

¶ In casu autẽ permissionis (puta quia Papa nihil statuit in oppositũ) & ambiguitatis (quia nescitur si aliquis est verus Cardinalis) & similium euentuũ mortuo, vel incerto Papa (vt tempore magni schismatis inchoati sub Vrbano sexto cõtigisse videtur) in Ecclesia Dei esse potestatem applicatiuam papatus ad personam seruatis debitis requisitionibus, ne perplexa sit, asserendum est. Et tunc per viam deuolutionis ad vniuersalem Ecclesiam potestas hæc deuenire videtur, tanquam non existentibus electoribus determinatis à Papa ad repræsentandum illam in hoc actu pro bono ipsius Ecclesiæ. Iam enim ostensum est, quòd Ecclesiæ cura non sibiipsi, sed Petro à Christo commissa est: & propterea determinatio Petri ad exercendum electionis actum nomine Ecclesiæ prævalet tam determinationi quàm actui ipsius Ecclesiæ, cuius nomine, sed non autoritate fit.

¶ Quid autem de potestate depositiua sentiendum sit, inferiùs tractabitur, Domino concedente. Hæc autem dicta sunt, vt pateat, Concilium secluso Papa, nec regulatiuam vsus Papalis, potestatis, nec legum conditiuam & interpretatiuam, nec applicatiuam omnis potestatis ecclesiasticæ ad personam potestatem autoritatiuè habere, sed omnia à Papa mendicare ipsum oportet.

¶ Et per hæc etiam satis clarum restat, quòd Concilium non habet papalem potestatem suppletiuè. Et si contra hæc afferantur gesta in Concilio Cõstantiensi, iam dictum est quòd propter incertitudinem Papæ & electorũ in his quæ electionis actus exigebat, admitti potest congregatio illa post vnionem trium obediantiarũ. Veruntamen perfectum ac indubitatum Concilium absque vero, & indubitato Papa, & vno eorum contradicente, esse non potuit, propter quod illius acta non nisi sub Martino quinto autentica sunt, sub quo nihil gestum est à Concilio sicut prius.

CAPVT. XIIII.

¶ In quo soluuntur rationes contra Papam, quod Ecclesia sit totum & autoritas eius maior in sex.

QVOD VERO Dicitur, quòd comparare Ecclesiam Papæ, est comparare totum partiintegrali, de potestatibus ecclesiasticis loquendo (quia de his est sermo) facillimum est soluere: imò sophisticum monstrare, nam sophisma est. Nam sicut vnitas est pars numeri, & senarius numerus est maior tam vnitate, quàm dualitate: ita papatus, qui est vnica potestas ecclesiastica, est pars totius numeri potestatis ecclesiasticæ. Et hoc modo potestas Ecclesiæ est maior potestate Papæ: sicut totũ parte. & hoc est dicere, quia sunt plures potestates quam potestas Papæ: quod gratis conceditur. Sed ex hoc nõ sequitur, quòd potestas Ecclesiæ sit maior, id est plus possit quam Papa: in quo sensu disputatur. Vnde puerile est, quod ex distinctione potestatis ecclesiasticę in papatum, cardinalatum, episcopatum, &c. inferatur, quòd quærere an Ecclesia sit maior Papa est quærere an totum sit maius parte integrali.

¶ Quod etiã dicitur quòd Ecclesiæ autoritas est maior autoritate Papæ in sex, falsum & erroneum est: quoniã si sumatur Ecclesia vt distincta cõtra Papã, nullo modo est maior Papa, nisi amplitudine seu extensione numeri: quia Papa est vna potestas, illa multæ, Ex quo enim ostensum est, quòd papatus, secluso Papa, non est in Ecclesia nisi potentia ministeraliter electiua (quia scilicet potest sede vacante Papam eligere per Cardinales, vel per seipsam in casu) & papatus est potestas suprema, ad quam spectat causas fidei determinare, & qui certus est, non eget amplius certificari: erroneum est dicere, quòd vltima decisio fidei non ad Papam, sed ad Concilium spectat: & tantò magis erroneum, quantò de Concilio dicitur distincto contra Papam.

¶ Et quoniam sola diuina assistentia causa est inobliquabilis directionis & iudicij in Ecclesia, & hæc adest Papæ, & similiter papatus est potestas omnium aliarum potestatum, coactiuam vim habens & omnem potestatẽ virtualiter continens, consequens est quòd autoritatiuè Ecclesia non sit maior Papa: sed ecõtrario in cæteris quinque enumeratis capitulo 10. Et sic patet quãta cæcitate percussus fuerit iste Gerson, dicẽs q̃ luce clarius ex principiis Theologiæ deducta erat cõclusio ista, quam monstrauimus erroneam. Et rursus quàm præsumptuosus fuerit, appellando doctrinã Sanctorum, anno 1440. approbatam, pestiferam & pernicios issimam. Nec excusatur nisi affectata forte ignorantia ex declaratione Cõcilij Constantiensis in vna tantùm obedientia sub Ioanne 23. Papa dubio, profugo etiam & reclamante, vt dicitur.

CAPVT XV.

¶ Opinio aliorum, quod in Ecclesia secluso Papa est autoritas congregandi generale Concilium.

EST quoniã inter singulares autoritates Romani Pontificis potestas congregandi generale Concilium computatur: & hanc aliqui putant aliis conuenire posse, idcirco in hac quoque Concilium Papæ comparandum specialiter est.

¶ Est igitur nonnullorum opinio, q̃ quamuis regulariter congregatio Cõcilij spectet ad Papam (vt in capit. significasti. de elect. & distin. 17. per totum in decretis patet) in casu tamen aliquo cõgregari generale Concilium potest, Papa non consentiente: ac etiam inuito. Fundãt hoc super illo principio scilicet, Regulæ generales patiuntur exceptiones præsertim vbi casus particulares incidunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

variabiles modis infinitis:quod probatur ex τετάρτων in 5.Ethic.& gnome in sexto Ethic.virtutibus positis ab Arist.ad has exceptiones.Ex his nanque oportet dicere,quod quandocunque obseruatio legis dissiparet vnitatem quæ est finis legis, & obesset Reipub. non esset in illo casu seruanda.Et propterea si Papa requisitus nollet necessarium congregare Cõcilium, non est seruanda pro tunc lex,quòd ad ipsum spectat congregare, sed ipso inuito congregari potest. Explanat autem dictus Ioannes Gerson in specie casus, in quibus congregatio generalis Concilij fit legitimè sine Papa. Primus est dum desiit esse:quod tripliciter accidere potest,scilicet vel per mortem naturalem,vel per mortem ciuilem: vt si cadat in perpetuam μανίαν, aut si ad eum captiuatum non pateat accessus: vel per mortem canonicam,puta depositionem.Secũdus est,dum sufficienter requisitus Papa de conuocando Concilium, renuit contumaciter in perniciem Ecclesiæ , præsertim si tangat ipsum. Tertius est,si Concilium postquam à Papa est legitimè congregatum , statuat certum tempus & locum pro celebrando generali Concilio:puta intra quinquennium,vel de decennio in decenniũ, etiam vbi Papa renueret.De autoritate autem Concilij sine Papa, dicit quòd fulcitur & vitur autoritate primò Iesu Christi indefectibilis capitis Ecclesiæ. Secundò legum suarum tam diuinæ, quàm naturalis:quæ hanc licentiam vel necessitati vel manifestæ charitati,vel religiosæ pietati concedunt , pro quo facit autoritas Domini Marci 11.ex eo,quòd discipulos à violatione Sabbati,exemplo Dauid,propter necessitatem.

¶Sunt & alij duo casus positi à Felino in cap.super literis, colũna decima in titulo de rescript.& ab Alexand.in decimaseptima dist. can.synodum.Primus est in casu , quo Papa potest legitimè deponi;quia exquo Concilio cõtra Papam distincto,inest potestas deponendi Papam , oportet quòd possit seipsum dispersum congregare vt deponat: alioquin cum Papa deponendus nollet congregare Concilium,non posset deponi.Secundus est , cum dubia est electio facta de Papa:alioquin perplexa esset Ecclesia,dum nesciret se habere Papam,& non posset obuiare.Et hoc modo consumata est congregatio Concilij Constantiensis , Benedicto 13. nolente Concilium autenticare,quantum sua intererat.

CAP. XVI.

¶Quomodo verificetur,quod Concilium potest,aut non potest sine Papa congregari.

AD EVIDENTIAM propositæ ambiguitatis scire oportet, quòd aliud est loqui de conuocatione & congregatione personarum, ex quibus constitui potest Concilium : & aliud est loqui de conuocatione seu congregatione Concilij. Primum enim significat solùmmodo cõgregationem ad simul esse quo ad locum, tempus, collationem mutuam & huiusmodi: secundum autem significat congregationem ad autoritatiuè disponendum de vniuersali Ecclesia.

¶Et si de primo fiat quæstio,dicendum est , quòd regulariter spectat ad Papam: sicut ad quemlibet principem spectat conuocatio procerum regni sui: & si ipso inscio huiusmodi conuocatio fit: suspicio generatur coniurationis. Hoc tamen non sic spectat ad Papam quin in multis casibus possit & sine ipso & contra ipsum fieri. Et secundum hunc sensum verificari potest dictum aliquorum,quòd Concilium potest congregari sine Papa,& quòd Papæ potestas congregandi Concilium introducta est de iure positiuo, vt in cap. vlt. distinctionis decimæseptimæ. Alexander dixit, pro quanto ad modum iuris positiui exceptiones patitur : & vana est quæstio de potestate sic congregandi , quando sunt vndecunque congregati Patres,

¶Sed si de secundo modo congregandi fiat quæstio , distinguendum est,quòd duplex est Concilij autoritatiuum: quoddam perfectum simpliciter : quoddam perfectum secundum præsentem statum Ecclesiæ.Vocatur Cõcilium perfectum simpliciter, quod constat ex capite & membris quod potest simpliciter statuere & ordinare vniuersalem statum Ecclesiæ. Vocatur Cõcilium perfectum secundum præsentem statum,quod constat ex membris possibilibus inueniri,Ecclesia in tali statu existente: & potest quo ad aliquid tantùm de vniuersali Ecclesia se impedire. Et vtrunque horum licet habeat latitudinem:quia Concilium perfectum simpliciter sit capite præsente personaliter. & hoc est perfectum in summo; de quo nõ est dubium quòd errare in his quæ sunt fidei, non potest.Quando autem fit per legatos,cùm adhuc superstite Papa,ad quem finalis determinatio eorum quæ sunt fidei, & consequenter reliquarum causarum spectat, & à quo sententia Concilij confirmatur,(vt patet ex dictis,) si erraret in aliquo, (vt de Concilio Basilien si patet,)habet corrector em Papam:sicut & illud habuit & habet. Concilium quoque perfectum secundum præsentem statum Ecclesiæ pluribus modis contingit: quia & existente vno Papa hæretico deponendo , & existentibus pluribus pontificibus summis dubiis : quale fuit Concilium Constantiense. Licet inquam latitudo sit in vtroque,quoad congregationem:tamẽ sic se habent , quòd concilium perfectum simpliciter solus Papa potest congregare.Ita quòd nec mortuo,nec hæretico, nec quo modolibet aliter se habente Papa, potest Concilium perfectum simpliciter absque Papæ consensu fieri: & si fiat, de facto nullius autoritatis est.Probatur hoc primò ex dictis : quia scilicet communitas Ecclesiæ sine Papa non habet potestatem papalem, nisi in potẽtia electiua, vt ostensum est.Concilium autem perfectum simpliciter includit potestatem papalem in actu:ergo Concilium hoc non est perfectum simpliciter.Secundo,Quia si communitas Ecclesiæ absque Papa constitueret Concilium perfectum simpliciter,cùm ad tale Concilium spectet ordinare simpliciter vniuersalem Ecclesiam , & hoc sit proprium vicariatus Iesu Christi(vt patet) sequitur quòd communitas Ecclesiæ esset vicaria Christi, & sic Iesus Christus haberet in terris duos vicarios suos : & Papa non esset vicarius Iesu Christi immediatè , sed esset vicarius vicarij,puta Concilij acephali in terris: quod non solum est erroneũ, sed fatuum.

¶Tertiò quia cùm Papa ex cura vniuersalis Ecclesiæ habeat potestatem determinandi de fide , ordinandi symbolum , & congregandi Cõcilium (vt in quæstione prædicta Sanctus Thomas probat ex ratione vnitatis fidei) sicut cura vniuersalis Ecclesiæ ex iure diuino conuenit soli Papæ:ita hæc spectãta immediate ad ipsã curam vniuersalis Ecclesiæ. Et confirmatur hæc ratiõ ex doctrina eiusdem Sancti Thomæ in Prima secundæ quæst.100.arti.8. Quia scilicet ea quæ sunt de iure diuino determinata ab ipso Deo , non solùm in communi ratione iustitiæ , sed etiam quantum ad determinationem ad singulares actus,non sunt disponenda à prælatis Ecclesiæ,sed à solo Deo.Verbi gratia,quia à Deo prohibita est,simplex fornicatio:quod est coniungi non suæ,non potest fieri ab Ecclesia,ꝙ coniunctio cum hac non sua sit quandoque licita,sed solus Deus hoc pòt.sed Deus in solo Petro & successoribus posuit curã vniuersalis Ecclesiæ : & non reliquit ipsi Ecclesiæ curam suiipsius:& ad curã vniuersalis Ecclesiæ spectat Concilij congregatio & celebratio,vt patet ex eius officio principali, ergo solus Deus potest in hoc dispensare, Nec habet locum in hoc τὸ κατὰ πλείονα gnome:quoniam expresse in 5.Ethi.dicitur ꝙ est directio iustitiæ legalis, quã nos ius positiuũ vocamus: quod quia ab homine est non potẽte prẽuidere & prouidere singulis euẽtibus defectibile est in casu:& tũc gnome in intellectu practico, & τὸ κατὰ πλείονα in voluntate supplent:non interpretando ambigua sed manifesta spectando & eligendo,vt S. Thomas in secunda secundæ, quæst. 120. art. primo ad tertium , aperit. Non est ergo regula hæc, vt morales, grammaticales, ciuiles,aut canonicæ:sed diuini iuris, à quo excipi nequit.Et sic intelligenda sunt quæ dicuntur in distinctione decimaseptima,& propterea dixit S. Thomas quòd sancti Patres nihil possunt in Conciliis congregati statuere , nisi autoritate Romani pontificis interueniente.

¶Concilium perfectum secundum præsentem Ecclesiæ statũ potest cõgregari sine Papa,& eo inuito si requisitus non vult ipse illud cõgregare , sed non habet potestatem ad ordinandam vniuersalem Ecclesiam , sed ad prouidendum illi casui tunc occurrenti, Et licet casus humani variabiles sint infinitis modis, puta si contingeret mori omnes electores Papæ,si contingeret tale quid (quod electores non possent eligere sine conuocatione Concilij ad reprimendum,discernendum,vel pacificandum , &c.) omissis his & similibus duos tantum certos casus,& qui fuerunt quandoque & possunt esse,affero,in quibus Concilium tale congregandum est. Primus est,si Papa propter hæresim est deponẽdus,tunc enim ex quo requisitus renuit,possunt Cardinales,potest Imperator,possunt Prælati cõgregationem vniuersalem facere, in qua erit non vniuersalis cura Ecclesiæ,sed tantùm depositiua potestas Papæ:& electio ad solos Cardinales(ad quos de iure spectat) pertinebit; Probabitur hoc,cùm de depositione Papæ inferius agetur.Secũdus est,quando papa vnus vel plures incerta electione laborant, vt contigisse dicitur in magno schismate Vrbani sexti,& aliorum. Tunc enim ne perplexa sit Ecclesia,illa membra Ecclesiæ quæ in ueniuntur,potestatem habent iudicandi verum,si potest sciri: & si sciri nequit,prouidendi, quòd electores in vnum eorum vel alium conueniant:& si certi electores nescirentur,cùm electio ad Ecclesiam deuoluta sit,ex ipso electorum defectu Concilium fit imperfectum eliget,vt in Concilio Constantiensi factum videtur in electione Martini quinti.In aliis autem recitatis casibus nulla necessitas apparet talis Concilij, nã si non sanæ est mentis perpetuò,& hoc constat,alius eligi à Cardinalibus potest: qui mortuus est Papa vita rationali non solùm in actu(vt dormiens,aut ebrius, aut phreneticus)sed in potentia naturali. Cõstat autẽ quòd Papa eligitur in pastorẽ Ecclesiæ secundùm vitam rationalem: & propterea nõ est trepidandũ timore,vbi non est timor. Et si dubium esset de sanitate recuperanda expectandum est sicut in diuturnis ægritudinibus. Posset quoque propter dubios euentus statuto Pontificis obuiari huic casui si statueretur , quod Papa insanus factus, tanto tempore expectetur:& si post , nullum vestigiũ sanitatis recuperãdæ apparent, & à collegio medicorum iudicatus incurabilis fuerit,censeatur mortuus,& Apostolica sedes vacare. Ex quibus nanque quilibet sub ista lege pontificatum acceptaret:& eam non reuocaret,tacito consensu renũtiare, aut depositionem acceptare se profiteretur,aduenientе tali casu:& sic si post electũ alium Pontificem sanus fieret , Papatum repetere non posset , à quo semel ritè cecidisset. Ex eo autem quòd Papa captus esset, & non pateret accessus ad eum, alter non esset creandus. Petrus nãque seruabatur in carcere nullo patente accessu(vt patet ex Actibus Apostolorum)& tamen non est electus alter,sed oratio facta sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo , ipsum liberauit. Nunquid abbreuiata est manus Domini , aut statuendus est terminus Domino,intra quẽ debeat liberare Papam? vt fecit Ozias cum illis de Bethulia:& reprehensi à Iudith sunt, dicente, Posuistis vos tempus miserationis Domini,& in arbitrium vestrum diem constituistis ei:vt patet Iudith septimo,& octauo. Posset tamen in hoc & in præcedenti casu , pontificio statuto prouideri, quòd à Cardinalibus eligeretur vnus,qui vices Põtificis in omni bꝰ,& per omnia illo fatuo, aut isto incarcerato durãte obtineret. Et tunc ille electus posset omnia facere in vtroque foro : sicut modo potest summus Pœnitentiarius in foro conscientiæ absolvere autoritate iuris, mortuo Pontifice, vel fatuo, vel detento.

¶In casu autem, quo Papa non hæreticus certus & indubitatus, renuit requisitus congregare Concilium,& statutum esset concilij generalis cum omnibus clausulis derogatoriis (vt Constantienses cœperunt,& Basilienses apposuerunt)nescio ad quid congregatio ista fieret: cùm nihil posset facere , quòd renitens Papa non posset irritare. Pro erronea ergo habenda est omnis opinio, dicens Concilium perfectum , id est habens autoritatem disponendi & statuẽdi simpliciter de vniuersali Ecclesia,posset absque Rom.Pontif.autoritate celebrari , seu congregari:quia derogat singulari priuilegio potestatis papalis: concesso sibi à Christo immediatè,vt patet ex dictis.

¶Dicentibus autem,quòd quia Conciliũ Constantien.in sessione 39.& post Basilien.in sessione 11.constituit cap.frequens.ideo etiã inuito Pontifice de decennio in decennium potest celebrari Cõciliũ, etiam perfectum,propter autoritatem statuti:respondendum est,quòd sunt in magno errore, & quòd in veritate schismati operam dant tales:& tanquam schismatici puniri possunt,si sic exequerentur:quoniam rebelles sunt Roma.Pontif.qui est supra totum ius positiuum , & constat quòd determinatio temporis & loci Concilij de iure est positiuo. Et si doctores aliqui inueniuntur sentientes,quòd quia tempus interpellat, & autoritas deuoluitur ad alios , & huiusmodi, aut sunt sectatores illius erroris, quòd Concilium est supra Papam: aut loquuntur stante statuto in robore,ita quòd Papa non tollat aut interpretetur,aut dispenset aut prohibeat.

¶Quo ad negationem verò consensus requisiti Papæ ad congregandum Concilium,quia tantùm ponderatur,sciendum est quòd oportet hic discretione vti: nam si requiritur à viris probis, quos præterita & perseuerans vitæ ac morum integritas cõmendat, & subest causa Cõcilij(puta hæresis vel schisma) debet Papa annuere,& aunquã credo ꝙ fuerit Papa,qui negauerit, sic rebus se habentibus.Si autẽ requiritur à viris,qui volunt alligare onera aliis & digito suo nolunt mouere ea , qui Priscorum Conciliorũ statuta non seruant ambitiosis insatiabilibus suarum passionum sectatoribus,& huiusmodi pro reformatione Ecclesiæ: nonne responsio Christi conuenit? Hypocrita eiice primũ trabem de oculo tuo: & tunc perspicies vt educas festucam de oculo frattis tui:præsertim quòd melius potest Papa solus reformare Ecclesiam inchoãdo sponte à seipso & suis,quam per Concilium: oportet enim primò seruare quæ scripta sunt,& deinde alia scribere statuta. Sufficiens quoque est causa negandi consensum Concilio probabilis timor vsurpandæ autoritatis à Concilio supra Papam,vt Basilienses mox ostenderunt bis, scilicet cum primum inchoatũ est Concilium,sessione 11.& cùm iterum redintegratum fuit ab Eugenio sessione 18.Finis enim Concilij, est pax, quæ per istam vsurpationem perturbatur,vt experientia rerum magistra testatur.

¶Ex his igitur patet,quòd inter extraneas opiniones de congregatione & celebratione Cõcilij absque Papæ consensu,media via sola vera est,quam declarauimus,scilicet quòd Concilium perfectum simpliciter,nunquam , perfectum verò Concilium secundũ præsentem Ecclesiæ statum quandoque sine Papa & contra ipsum congregari & celebrari potest. Et secundum hanc distinctionem potes diuersa si vis,dicta doctorum saluare.

CAPVT XVII.

¶In quo incipiat comparatio potestatis Ecclesiæ & Papæ in casu hæresis. Et primo de modo quo Papa propter crimen hæresis subiicitur Concilio,secundum vnam opinionem.

POST collatam potestatẽ Papæ cum autoritate Ecclesiæ,& Concilij generalis simpliciter & absolutè, & manifestationem superioritatis Papæ supra Ecclesiam vniuersalem, & Concilium vniuersale: consequenter comparanda est autoritas Concilij ad Papam in casibus. Et primo in casu hæresis:deinde in casu incorrigibilitatis & aliis casibus,& demum in cuentibus.

¶Et quoniam innata est nobis via vt ex certioribus nobis in minus certa progrediamur supponamus cum doctoribus , & communi animi conceptione ex ca.si Papa.distin. 40. quòd Papa propter crimen hæresis potest deponi à Concilio generali:& inuestigemus modum depositionis & potestatem depositiuam , vt sic nosse possimus an Papa in aliquo casu sit subditus Concilio , seu Ecclesiæ vniuersali.

¶DE MODO quo Papa propter crimen hæresis deponitur, varia est opinio. Quidã dicunt quòd hoc fit propter defectũ subiecti.Subiectũ nãque papatus dicunt esse hominem fidelẽ: ac per hoc sicut deficiente vita corporali per mortẽ , desinit subiectum papatus:ita deficiẽte fide in illo homine qui est Papa per hæresim desinit subiectum papatus. Fundatur hæc opinio super hoc,quòd fides cõstituit viatorẽ in hoc quod est esse membrum Ecclesiæ Christi.Huic enim adiuncta alia propositione,scilicet ꝙ negatio prioris inducit negationẽ posterioris in essentialiter ordinatis ordine causæ formalis(quæ patet inductiue:si enim non est animal,nõ est homo,& si non est color,non est albedo,& sic de aliis)subiungũt, sed esse mẽbrum & esse caput,sunt sic essentialiter ordinata quòd esse membrum est prius quàm esse caput,vt patet,quia caput oportet esse membrũ:sed non ecõuerso : quòdigitur non est membrum, non est caput. Et sic homo carens fide (qualis est hæreticus) non est membrum Ecclesiæ:igitur non est caput eiusdem , & per hoc cùm Papa nihil aliud sit,quã caput Ecclesiæ , eo ipso quo fit sine fide,fit non Papa.Et hoc est, quòd sub aliis verbis ab aliis dicitur, quòd cum Papa sit hæreticus,ipso facto iure diuino, quo fit distinctio fidelium ab infidelibus , est priuatus papatu. Et quando per Ecclesiam propterea deponitur , non iudicatur neque deponitur Papa, sed qui iam iudicatus est(quia non credit secundum verbũ Domini Ioan.3.)& qui iam depositus est , dum propria voluntate translatus est extra corpus Ecclesiæ factus infidelis,declaratur iudicatus & depositus. Primam autem propositionem radicem huius propositionis(quæ sola negari in hac ratione potest) fundant super autoritatibus plurimis : quibusdam directè ex ratione fidei & Ecclesiæ quibusdam ex consequentibus ad esse extra fidem,& Ecclesiam id testantibus.Ex ratione fidei quatuor afferuntur autoritates.Prima Saluatoris,Matth.16.Super hanc petram ædificabo Ecclesiam:siue enim per Petram intelligatur Christus, siue Petrus,siue confessio fidei in idem redit quo ad fidei rationem: ipsa enim semper inuenitur fundare Ecclesiam.Secunda est Abacuc 2. & Apostoli ad Rom.1.& Hebr.10.Iustus ex fide viuit. Sicut autem viuere viuentibus est esse in naturalibus, ita in Ecclesia viuere est esse in ea:bene viuere autem est per charitatem. Tertia est Apostoli ad Heb.11 Fides est sperandarum substantia rerum.Substantia enim primum locum tenet. Quarta ita est sancti Thomæ in tertio senten. distinct. 13. quæst. 2. articulo 2. expresse dicentis, quòd homines infideles non pertinent ad vnionem corporis Ecclesiæ,secundum quod est vnum simpliciter, & ideo respectu horum Christus non est caput nisi in potentia , secundum quòd sunt vnibiles corpori.

¶Ex ratione Ecclesiæ affertur diffinitio Ecclesiæ,scilicet quòd est collectio fidelium.de consec.distinct.prima. capitulo Ecclesia.Ex consequentibus verò ad esse extra fidem , & Ecclesiam multæ afferri possunt autoritates,dicentes,ad statum extra fidem & Ecclesiam consequi extra cõmunionẽ fidelium,sine clauibus, sine potestate,sine honore , sine officio pascẽdi oues sieri & esse procul à cõmunione fidelium hæreticos faciunt: imprimis Dominus Num. 16.Recedite,inquit à tabernaculis impiorum Datha, scilicet & Abiron,schismaticorũ.Constat enim omnes hæreticos esse schismaticos.Deinde Paulus Apostolus ad Gal.1.Si Angelus de cælo euangelizet vobis præter id quod euangelizauimus vobis,anathema sit.Et secundo ad Thessal. 3. Rogamus vos fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi,vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè,& non secundum doctrinã quam acceperunt.Et 2.ad Corin.6.Nolite iugũ ducere cum infidelibus : quę enim participatio iustitiæ cũ iniquitate? autꝙ societas lucis ad tenebras: quę autem conuentio Christi ad Belial? aut quę pars fideli cũ infideli? Demum Ioannes Euangelista 2. Ioann. 2. Si quis venit ad vos,& hanc doctrinam non affert:nolite eum recipere in domum nec Aue ei dixeritis.Amissionem clauium Ambrosius in Pasto.(& habetur de pœn.distin.1.c.verbum)explicat. Dominus parius , & soluẽdi esse voluit & ligandi, & subdit, Certum est quod Ecclesię vtrunque licet,hæresis vtrũque non habet. Honoris verò & potestatis perditionem Cyprianus promulgat: vt habetur 7. quæst. 1. capit. Nouatianus. Qui nec vnitatem Spiritus,nec communionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

pacis obseruat,& se ab Ecclesiæ vinculo atque sacerdotum collegio separat, nec Episcopi potestatē potest habere nec honorem. Et 24.q.1.cap.didicimus, dicit omnes omnino hæreticos & scismaticos nihil habere potestatis,&iuris. Ad idem est Gelasius ibidem in c.Agathius. Ad idem est expresse S.Tho.in Secunda secundæ.q.39.arti.3.volens quòd potestas spiritualis iurisdictionis non maneat in hæreticis nec quo ad vsum,nec quo ad substantiam:ita quòd si quid fecerint,nihil est actum. Officium pascendi oues admit Augustinus in sermone de post.tractans illud Cantic.1.Pasce hœdos tuos, & dicens. Manenti Petro dicitur, Pasce oues meas: exeunti hæretico, Pasce hœdos tuos. Et hanc sententiam repetit in epistola ad Vincentium.

¶Ex his omnibus clarè patet radicalis illa propositio, quòd fides facit membrum Ecclesiæ. Si enim secluso iure positiuo (vt loquimur)cum perditione fidei remanerent membra in locis suis,non esset eis subtracta communio,non honor,non potestas, non officium: vt de se patet.imò subtractio sola potestatis sufficit ad propositum,quia Papa sola potestate iurisdictionis constituitur. Confirmatūrque hæc positio, ex eo quòd Papa hæreticus est excommunicatus,vt patet ex glossa in capit. Agathius.24.quæstione,dicente,Hic est casus,in quo Papa Papam ligare potest:in quo Papa in canonem latæ sententiæ incidit. Nec huic obuiat illa regula, quòd par parem soluere vel ligare non potest:quia si Papa est hæreticus,est minor quolibet catholico,vt habetur duodecima quæstione 1.cano.audiuimus. Hoc idem Hugo dicit in capit.inferior. distinctio.21.Est etiam accusandus,adeò (vt glossa in capit. si Papa distinctione quadragesima, dicit) quòd Papa non potest statuere,quòd non possit accusari de hæresi. Est etiam iudicandus, vt in dicto capitulo, si Papa. habetur. Quę omnia arguunt hæreticum nō esse Papam,sed minorem. Et ad hoc est sanctus Thom. in quarto,distinctione decimanona,quæstione secunda, articulo secundo,quæst.tertia,ad primum : tractans illud ad Galat.2.quomodo Paulus restitit in faciem Petro , dicit , quòd non debent prælatiā subditis coram multitudine corripi, nisi immineret periculum fidei:tunc enim prælatus minor fieret, si in infidelitatem laberetur , & subditus fidelis maior. Constat enim quòd non de maioritate & minoritate charitatis loquitur (quia hoc est commune omni peccato mortali)sed potestatis:quia prælatus præsest subdito.ergo vt prius.

¶Ex his autem infertur, quòd in vtroque modo quo certus Papa viuens desinit esse Papa, eadem est causa destitionis , scilicet propria voluntas illius qui est Papa:nam renuntiando propria voluntate,abdicat à se esse caput Ecclesiæ: hæresim autem amplectendo propria voluntate auferr à se esse membrum Ecclesiæ, & consequenter esse caput. Et sic ex nullo certo modo destitionis Papę viuentis habetur quòd Papa inuitus deponitur : propter quod remanere dicunt inconcussum,quòd Papa manens Papa non habet superiorem in terris potestatem.

CAP. XVIII.

¶ De modo quo Papa hæreticus subiicitur Concilio secundum aliam opinionem.

QVAMVIS autem dicta positio illustrium sit virorum,& communis videatur esse : non placet tamen omnibus. contradicunt nanque duobus ponentes duas propositiones. Prima est, quòd Papa hæreticus non est ipso facto depositus, sed deponendus. Secunda est , quòd Papa hæreticus manens Papa, habet superiorem iudicem in terris , Concilium vniuersale. Primam propositionem licet multipliciter probent, quatuor tamen solùm afferuntur, quia in his consistit vis. Primò ex facto Marcellini , & gloss. distinct.21.cap.nunc autem.qui idololatra non fuit depositus,& fuit sanctus. Et gloss. affert Hugonem dicentem , Quia paratus erat corrigi,non deponitur,vt in 14.quæst.3.dicit Apositolus. Secundò ex cap.audiuimus.24.q.1.vbi dicitur de Episcopo hæretico.Si autem in corde suo nouam hæresim confinxit, ex quo talia prædicare cœpit neminem damnare potuit. Antequam igitur prædicaret hæresim,dānare voluit: & sic non erat depositus ipso facto. Tertio,quia alij prælati non sunt ipso facto priuati,sed perseuerāt in prælationibus suis nedeuntes ad pœnitentiam. ergo nec Papa, cùm non sit deterioris conditionis. Assumptum patet 1. quæst. 7. maximum. Quartò,quia(vt patet extrà de hæretic.cùm ex iniuncto)ad eundem pertinet institutio & destitutio: sed institutio Papę pertinet ad electores : ergo & destitutio , absque ergo iudicio electorum non destituitur Papa.

¶Secundam autem propositionem,quòd Papa hæreticus, manēs Papa,habet iudicem in terris vniuersalem Ecclesiam,probāt quo ad primam partem sic, Papa hæreticus est accusandus & iudicandus secundum omnes, vt habetur distinct. 40. si Papa. & non est ipso facto depositus,vt probatum est. ergo habet iudicem coram quo accusetur,& à quo iudicetur. Quo ad secundam ex eo quòd Ecclesia vniuersalis,seu vniuersale Concilium est supra Papam in hoc casu,vt communiter tenetur.

CAP. XIX.

¶ Examen illius propositionis, Papa hæreticus est ipso facto priuatus papatu.

PRÆMISSIS duobus modis dicendi contrariis,quo modo Papa hæreticus desinit esse Papa: examinanda primò occurrit illa propositio , quę est fundamentum primi modi An sit vera. Et breuiter facilè ostenditur, q̄ est falsa simpliciter, quāuis forte tracta ad aliquem sensum,sit vera .Monstratur igitur q̄ nec iure diuino,nec humano Papa hæreticus,est ipso facto priuatus:tali ratione , Alij Episcopi si sint hæretici,non sunt ipso facto priuati iure diuino aut humano.ergo nec Papa. Sequela patet:quia Papa non est deterioris conditionis quam alij Episcopi. Assumptum probatur sic, Episcopus discredens contra fidē solo actu interiori est verè. proprie & perfectè hęreticus, & non est priuatus potestate iurisdictionis ipso facto ergo perfectè hęreticus Episcop. nō est priuatus ipso facto. ¶In hoc processu sunt duę propositiones. Prima est, q̄ solo actu interiori cōstituatur pfectè hęreticus. Et hęc est manifesta per se: quia hęresis est peccatū mortale oppositū fidei, quę perfectè consistit in solo actu interiori cui' effectus est cōfessio exterior,iuxta illud ad Rom.10.Corde creditur ad iustitiā, ore autem cōfessio fit ad salutē.Secūda aūt probatur:quia potestas iurisdictiōis inest huic homini,qui est Episcopus ex simplici commissione hominis, vt S.Tho.expresse dicit in Secūda seūndę.q.39.art.3. Ex hoc enim deducitur intentū sic, Episcopus hęreticus solo actu interiori nulli hominis iudicio subditur,ex hoc est, quia solius Dei est iudicare de interioribus,puris:iuxta illud 1.Reg. 16.Homo videt quę foris sunt,Deus aūt intuetur cor. Et 1.ad Cor.4.Apost. dicit, Nolite ante tēpus iudicare, donec veniat Dominus , qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Propter quod talis hęreticus non est excommunicatus : non enim potest Ecclesia excommunicare quod non potest iudicare. Ergo multò minus est priuatus iurisdictionis potestate , quę est ab hominis commissione:vtrūque enim est humani iudicij, committere scilicet,& auferre illam,& dixi multò minus, quia plus exigitur ad incurrendam priuationem ipso facto , quàm ad incurrendam excommunicationem: quoniam incursus censurarum non requirit declarationem, sicut incursus priuationis apud Iuristas.

¶Ad hanc rationem non video responsionem , nisi dicatur quòd potestas iurisdictionis nō est ab homine, quod est primò cōtra S. Tho.Est secundò contra sententiam omniū doctorum catholicorū sentientium , q̄ à Petro omnis iurisdictio in totum residuū Ecclesię corpus manauit & manat,iuxta illud Leonis papę,c.ita Dominus.dist. 19. Ita Dominus huius muneris sacramentū ad omniū Apostolorum officiū pertinere voluit,vt in beatissimo Petro Apostolorū omnium summo principaliter collocaret : vt ab ipso quasi à quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Ad hoc idem sunt rot autoritates & rationes, quot sunt ad ostendendū vnitatē capitis & principis in Ecclesia militante:propterea non immorari,sed pro constāti supponere. Et si dicatur , quòd non est par ratio de Papa & aliis Episcopis in hoc casu : quia potestas iurisdictionis in aliis Episcopis est ab homine : in Papa verò est à Deo immediatè:& propterea meritò accidit,vt Episcopi,quorum potestas est ab homine,non sint ipso facto priuati (quia homo videt quæ foris sunt) & Papa, cuius potestas est à solo Deo , sit ipso facto priuatus:quia Deus intuetur cor.Hæc obiectio facilè excluditur,discernendo inter opus Dei,& opus hominis. Quòd enim in papatu sit potestas iurisdictionis est à Deo immediatè: iuxta illud Matth.16.Quodcūque ligaueris super terram, &c. Quòd autē papatus ipse habens hanc potestatem , sit in hoc homine, ab homine est (sola Petri persona excepta , quem Deus ipse Papam fecit,Ioan.vl.Pasce oues meas) nam ab homine eligitur hic homo, vt in eo sit papatus. Et quoniam cùm deponitur Papa,non aufertur potestas iurisdictionis à papatu , quod esset auferre opus Dei (quoniam, vt dicitur ad Roma.11. sine pœnitentia sunt dona Dei) sed aufertur potestas iurisdictionis ab hoc homine,in quo nō fuit posita à Deo immediatè, sed mediante iudicio humano: ideo eadem ratio est de Papa & aliis Episcopis, quo ad perditionem potestatis iurisdictionis à Deo , seu iure diuino.In vtrisque enim à Deo cùm sit mediante iudicio humano, consequens est quod non auferatur à Deo immediatè,sed mediāte humano iudicio: ac per hoc non aufertur per id,quòd humano iudicio secundum se non subiacet,scilicet occultans in solo corde hæresim.

¶SI QVIS Autem hæsitaret de illa altera propositione,scilicet quòd de hæresi interiori,Ecclesia nō se potest impedire : propterea quia doct.dicūt quòd hæretici etiam occulti, sunt excommunicati:& quia in clem.de hæret.capit.multorum,excommunicantur inquisitores qui odio vel amore omiserint procedere. Vbi de interiori amore, vel odio Ecclesia iudicat. Facillimè certior fieri potest q̄ hæretici vt sic foro ecclesiastico subditi , quantumcūque occulti , sunt excommunicati & non hæretici solo actu interiori. Vnde si quis incidit in hæresim interius , & solus secum loquendo verbo exteriori profert submississimè illā hæresim , est excōmunicatus,quamuis sit omnino occultus:quia actus exterioris locutionis subiacet humano iudicio secundum se quāuis creat testibus. In clemen. autē illa & similibus non iudicātur actus interiores secundum se in sua puritate manētes.sed vt sunt causæ exteriorum commissionū aut omissionū : ad idem nanque genus pertinet cōmissio & omissio, sicut affirmatio & negatio:sermo autē noster est de hæretico interiori puro. Et ex inaduertētia huius distinctionis , scilicet de occulto per se, & occulto per accidens multi in hac re errauerūt. Nec mirū: quia cōtingit in his quę sunt per accidens etiā sapientes falli: vt Arist. dicit. Actus enim interiores puri sunt in genere occultorum per se,quia ex propria natura habent quòd sint iudicio humano ignoti. Actus autem exteriores sunt de genere occultorum per accidens, quia ex propria natura subsunt cognitioni humanæ:possunt nanque sensibus percipi: sed ex hoc,quòd fiunt sine teste occulti sunt, propter quod nunquam (vt dictum est,)ab Ecclesia actus interior purus, sed exteriori iunctus dicatur. Vnde,quia præsens ratio cōuincit intellectum meū: ideo concludo quòd illa propositio , Papa cùm sit hæreticus ipso facto est iure diuino,seu humano depositus,est falsa.

¶Confirmatur autem sic esse vt dicimus,etiam ex ipsis contrariū sentientibus:quoniam dicunt, quòd Papa quāuis hæreticus, si est paratus corrigi,non deponitur:vt glos.in distinct.21. cap. tunc autem adducit Hugo. Si enim hæreticus est ipso facto depositus iure diuino à papatu,quomodo iterū fit Papa:imò quomodo ex sola nō depositione perseuerat Papa? imò quomodo nō deponitur? Hæc enim contradicunt positioni anteriori , scilicet quòd sit ipso facto iure diuino depositus,vt patet. Nec sufficiēter dicitur quòd nondum Ecclesia deponit,reeligit: tum quia falsum est quòd non depositio sit reelectio vt patet :tū quia electores ad quos spectat, si peteretur,an velint ipsum reeligere , dicerent q̄ non, aūt quòd vellent meditari super hoc:sed nō deponunt quia ius videtur habere,quòd si est paratus corrigi non deponatur: Vnde nihil ei tribuunt non deponendo,sed sustinent quod habet : & si nihil habet (vt positio illa dixit)nihil sustinent decepti. Et si quis eorum dictū suscipiat vt verū,quòd Papa factus hæreticus , paratus postmodū corrigi non deponitur,sequitur manifestè,quòd Papa manifestus hæreticus nō est ipso facto depositus , quia enim paratus corrigi non deponitur,sequitur quòd non erat prius depositus.

CAPVT XX.

¶ Rationabilis sententia,quod Papa factus hæreticus, subest potestati ministeriali Ecclesiæ,& non autoritatiuæ super Papam.

PRÆMISSA certitudine trium (scilicet quòd Papa ex hoc quòd factus est hæreticus , non est ipso facto diuino, aut humano iure depositus:& quòd Papa manens Papa , non habet superiorem in terris. & quòd Papa,si à fide deuiat,deponendus est: vt in cap.si Papa 40.distinct.)Magna restat ambiguitas,quomodo & à quo iudicabitur Papa deponendus,quòd sit depositus: cum iudex inquantū iudex,sit superior eo qui iudicatur. Vnde Apostolus ad Romanos decimoquarto. Tu inquit quis es,qui iudicas alienū seruum?do mino suo stat aut cadit,& sanct. Tho.in secunda secundæ.q.67.de terminat quòd iudex non potest nisi subditum iudicare , & in decret. distin. 21. cap. inferior. idem dicitur. Si nanque à Concilio vniuersali iudicādus deponendúsque est , statim sequitur quòd Papa manens Papa habet Concilium vniuersale supra se , saltem in casu hæresis. Si autem nec Concilium nec Ecclesia est supra ipsum , statim sequitur quòd Papa deuius à fide sit iudicandus & deponendus:& tamen à nullo est iudicandus & deponēdus: quod est ridiculum. Quid ergo dicemus, vt euitemus vtrunque extremum?non est quo diuertendum sit,nisi ad medium, quod difficilè attingitur : in cuius attinctione consistit virtus , quod multas consueuit soluere quæstiones.

¶Dicamus igitur:quod hic sunt duæ viæ extremæ,& ambæ falsę: altera est , quòd Papa factus hæreticus est ipso facto diuino iure absque humano iudice depositus:altera est,q̄ Papa manens Papa habet supra se in terris superiorem potestatē , à qua potest deponi. Media autem via est adhuc duplex : altera dicens , quòd Papa licet absolutè non habeat superiorem in terris Ecclesiam, ipse tamen in casu hæresis habet superiorem in terris Ecclesiam vniuersalem.Altera dicēs quòd Papa nec simpliciter , nec in casu habeat superiorē in terris, sed subest potestati ministeriali vniuersalis Ecclesiæ quo ad solam depositionem. Prima via fundatur in virtute coactiua & iudicatiua Ecclesiæ super Petrum Papam in casu hæresis:oportet enim subditū esse,qui iudicatur,& cogi posse.& hęc est via cōmunis quantum vidi hactenus.Contra tamē hanc viam sustēsum est,) oportet si in aliquo casu est illi subditus, quòd ex duino iure sit facta exceptio ista:nullū enim aliud inferius ius potest exceptionem hanc facere, vt patet. In diuino autem iure non exprimitur subiectio,sed separatio,cū casus hæresis excipitur, vt patet in singulis textibus sacræ scripturæ inductis. Num.enim 16. dicitur,Recedite. Ad Galat. primo, Anathema, id est separatum, sit. Secundæ ad Thessal.tertio. Subtrahatis vos. Secundæ ad Corint.sexto. Nolite iugum ducere. Secūdæ Ioan.1. Nolite recipere, nec ei Aue dixeritis. Ad Tit.tertio. Deuita. Et breuiter nullibi inuenio superioritatem & inferioritatem in casu hæresis ex diuino iure,sed separationē. constat autem quòd separare se potest Ecclesia à Papa sola ministeriali potestate qua potest ipsum eligere. Nō igitur ex hoc,quòd diuino iure sancitum est, vt habeatur hæreticus , vitetur , & procul sit ab Ecclesia , maiori potestate opus est quā ministeriali ex quo ipsa sufficit,& eam cōstat esse in Ecclesia. Et confirmatur hoc, quia non est iuri diuino tribuendum , quod nec expressum est in eo,nec ex expressis necessariò sequitur. Potestas autem supra Papam in casu hæresis propriè loquendo, non habetur in diuino iure,nec ex ipso necessariò sequitur: ergo probatur minor:quòd enim non habeatur puto patere legenti. Dico autem, puto : quoniam imminens schisma opusculum hoc intra duos menses fieri impulit ex improuiso. Quod verò non sequatur , patet ex eo , quòd quia non oportet multiplicare entia sine necessitate,melius est vnum principium, quàm plura facere , ex quo igitur potestas ministerialis sufficit,alia opus non est.

¶ERIT ergo media & vera via ,quòd Papa factus hæreticus, & perseuerans,habet in terris potestatem non superiorem se, sed ministerialem ad sui depositionem.

¶Ad cuius euidentiam altius ordiendo , tria præmittenda sunt.

¶Primò quòd in Papa inueniuntur tria:scilicet papatus, persona,quæ est Papa,puta Petrus,& coniūctio vtriusque,scilicet papatus in Petro, ex qua coniūctione resultat Petrus Papa. Secundò, quòd discernēdo & applicādo proprias causas suis proprijs effectibus inuenimus,quòd Papatus est à Deo immediatè, Petrus est à Patre suo, &c. coniunctio autem papatus in Petro post Petrum primùm à Christo immediatè institutum,nō est à Deo, sed ab homine,vt patet:quia hoc fit per electionem hominum. Concurrit autem duplex consensus humanus ad causandum hūc effectum, scilicet eligentium & electi. oportet enim electores, voluntariè eligere,& personam electam acceptare electionē, alioquin nihil fit.Est ergo coniunctio papatus in Petro non à Deo immediatè, sed mediante ministerio humano,tam ex parte electorum , quàm ex parte electi:nec se habet huiusmodi ministerium humanum in causando hanc coniunctionem,vt applicans actiuum passiuo , (vt applicans ignem stipulæ) vel applicans virtutem passionis Christi subiecto vt facit baptizans, & sacramenta ministrans , quoniā nullum est hic applicatum actiuum,sed sola voluntas humana electorum,& electi:nō facilè enim esset fingere aliquod aliud actiuum. Ex hoc autē , quòd coniunctio papatus cùm Petro est effectus voluntatis humanæ : cùm ipsa constituat Petrum Papam , sequitur quòd licet Papa à solo Deo dependeat in esse & fieri , Petrus tamē Papa dependet etiam ab homine in fieri , fit enim Petrus Papa ab homine,dum ab hominibus electus ipse homo acceptat, & sic ūgitur Petro papatus. Tertiò, quod quia iam nihil tam naturale est, vt vnaquæque res per quascunque causas fit , per easdem contrario modo dissoluatur(vt dicitur in capitulo omnis, de regulis iuris.)idcirco Petrus Papa qui ex consensu suo, & electorum causa tus est,ex consensibus eiusdem, scilicet suo & electorum ad contrarium dissolui potest. Et hoc iam determinatum est facto Celestini,& decretalis Bonifacij 8.in sexto,de renunc.cap.1.

¶EX HIS tribus præmissis habetur primò absque omni hæsitatione certū, quòd Petrus Papa,& in fieri & in corrumpi dependet à potestate humana , non superiori nec æquali potestati Papæ, sed minore : quia nec ad faciendum de Petro non Papa Petrum Papam,nec ad faciendum de Petro Papa Petrum non Papam, exigitur alia facultas,quàm voluntatis humanæ,scilicet electi, & electorum.Nec sit curæ in proposito,vtrum bona , vel mala cōscientia ex bona,vel mala intēsione, vel causa moueātur : sic est in proposito quòd facta tenēt,ita quòd in veritate Petrus sit , aut non sit Papa. Quòd etiam ista potestas sit minor potestate Papæ , absque alia probatione ex eo liquet , quòd mortuo Papa nullo etiā præsupposito statuto iuris positiui , ista potestas est in Ecclesia : & non se extendit ad ea , ad quæ se extendit summi Pontificis autoritas: alioquin essent duæ supremæ potestates in Ecclesia , & Christus non instituisset ecclesiasticum regimen monarchicum. Et cùm par in parem non habeat imperium , non potuissent Pontifices huic potestati executionis modū imponere , per quos , quor, scilicet,& quomodo debeat electio celebrari cū irritatione actus, si secus factum fuerit. Hæc enim ostendunt potestatem hanc, nec minorem , nec parem , sed inferiorem potestate Papæ: superioris nanque virtutis est disponere de actu inferioris autoritatiuè , ita quòd si secus fiat nihil valeat , vt in proposito inuenitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Habetur secũdò certo certius, quòd aliud est posse supra coniunctionem Petri & papatus cõstruendam, seu destruendam, & aliud est posse supra Papam: ex eo namque quòd potestas minor papatu, scilicet simplex voluntas electi & electorum potest construere & destruere hanc coniunctionem & huiusmodi potestas, cùm sit minor papatu, non potest supra Papã, manifestè conuincitur quòd aliud est posse supra illam coniunctionem & aliud est posse supra Papam. Vnde potestas supra Papam non inuenitur nisi in Domino Iesu Christo, potestas autem supra coniunctionem papatus & Petri inuenitur in terris. Et merito, quia papatus opus Dei immediatè est, coniunctio autem papatus & Petri opus nostrum est.

¶Nec mireris tu, qui philosophiam profiteris, quòd inuenitur potestas super coniunctionem formæ cum materia, quæ non est super formam, quia coniunctio formæ cum materia formam cõsequitur. Cessabit admiratio tua, si contemplatus fueris, quòd coniunctio formæ & materiæ vtrinque attingi potest, scilicet ex parte materiæ & ex parte formæ: & quòd potens super cõiunctionem formæ & materiæ ex parte vtriusque seu ex parte formę, potest etiam supra formam: sed potens super coniunctionem illam ex parte materiæ non oportet quod possit super formam, vt patet in generatione hominis. Sol enim & homo generant hominem, qui consistit in coniunctione corporis & animæ intellectiuæ, aut resultat ex illa coniunctione: & constat Solem & hominem nõ posse supra animam intellectiuam, quæ venit de foris, sed supra coniunctionem illam ex parte corporis, quæ est materia. Sic enim accidit in proposito: nam papatus & Petrus se habent vt materia & forma: & solus Dominus Iesus Christus potest super coniunctionę eorum ex parte papatus, & consequenter vtriusque: & propterea solus potest limitare & ordinare potestatem Papæ. Ecclesia autem potest super coniunctionẽ eorum ex parte Petri solùm: & propterea nihil potest super Papam, sed super coniunctionem tantum. Et quoniam amotio Papæ siue per renuntiationem, siue per depositionem, siue per electionem non est corruptio papatus nec Petri, sed coniunctionis papatus & Petri, idcirco diligentissimè & cautissimè oportet pro regula habere ante mentis oculos cum de amotione Papæ tractatur, quòd non requiritur potestas superior Papę, sed super coniunctione inter Petrum & papatum.

¶Quod vt clarius pateat, scito, quòd certum est quòd tribus modis potest Petrus Papa viuens amoueri à papatu, primò per electionem à Domino Iesu Christo: secundo per renunciationẽ sponeam à seipso: tertiò per depositionem inuitam propter incorrigibilem hæresim ab ecclesia. In omnibus autem his modis non desinit papatus nec Petrus, sed sola coniunctio vtriusque, differenter tamen: quia in primo modo, scilicet per electionem à Domino Iesu Christo coniunctio illa corrumpitur à potestate superiori nõ non solùm respectu coniunctionis, sed respectu papatus: est enim autoritas Domini supra coniunctionem illam etiam ex parte formæ. Et quia, (vt dictum est,) nulla alia potestas est supra Papam, ac per hoc nulla alia potestas potest coniunctionem illam attingere ex parte formæ, consequens est, vt nulla alia potestas possit amouere Papam, vt potestas superior Papæ: sed hoc proprium Saluatoris nostri. Et hoc modo intelligẽdum est dictum Anacleti Papæ distinctionis septuagesimonoñ. can. electionem, dicentis, electionem summorum Pontifi. sibi Dominus reseruauit. Differentia namque inter Papam & alios Pontifices in hoc consistit, quòd alij Pontifices possunt eiici tanquam à potestate superiori ipsis potestatibus Pontificum: Papa autẽ non: quia in Ecclesia terrestri inuenitur potestas supra potestatem iurisdictionalem Episcopi, non autem supra potestatem Papę. Ex hoc enim habetur, quòd illorum electionem Dominus concessit Papæ, concedendo potestatem superiorem: Papę verò electionem sibi reseruauit, nulli concedendo potestatem superiorem papatu. Vnde si Papa Ioan. Episcopum de plenitudine potestatis eiiceret, electus esset, nec haberet amplius potestatem iurisdictionis. Nulla autem potestas in Ecclesia relicta est à Domino, quæ possit hoc facere in Petrum Papam. In secundo autem modo (scilicet per renuntiationem) & tertio scilicet per depositionem, coniunctio illa corrumpitur, non à potestate supra papatum, sed à potestate supra coniunctionem solam: quia nec voluntas Petri, nec voluntas Ecclesię est supra papatum, & ex ipsis causatur coniunctio illa, & corrumpitur: vt patet. Quia ergo certum est Papam hæreticum incorrigibilem factum nec esse ipso facto depositum, & esse deponeadum ab Ecclesia, & Ecclesiam non habere potestatem supra papatum, & Ecclesiam habere potestatem supra coniunctionem inter Petrum & papatum, vtpote opus suum: oportet dicere, quod cum Petrus Papa factus hæreticus, incorrigibilis, deponitur ab Ecclesia, iudicatur & deponitur à potestate superiori, non à papatu, sed coniunctione inter papatum & Petrum.

CAP. XXI.

Diffusio practicæ potestatis ministerialis depositiua Papæ hæretici.

QVAMVIS autem ex certificatis habeantur in Ecclesia respectu coniunctionis inter Petrũ & papatum duo posse (scilicet posse coniunctionem talem construere & destruere pari cõsensu & posse coniunctionem eandem ipso hæretico incorrigibili, inuito destruere) non tamen liquet, quod hæc duo posse sint vnius & eiusdem potestatis. Quod tamen conclusum est in præcedenti capite, per viam diuisionis, propter identitatem obiecti: quia vtrumque est circa ipsam coniunctionem papatus & Petri.

¶Nec solùm obscurum & falsum multipliciter apparet. Primo ex ipsius potestatis natura: nam, quando vna causa totalis ex duabus partialibus constans, exigitur ad aliquem effectum, neutra illarum partialium sine altera sufficit ad talem effectum, vt patet in vinculo matrimonij. Quia enim ad vinculum matrimonij concurrunt duo, consensus, (scilicet viri & mulieris,) & causa totalis eius constat ex vtroque consensu: neuter sine altero sufficit ad causandum vinculum matrimonij in altero. In proposito autem ad coniunctionem Petri & papatus construendũ vel destruendã concurrunt duo, consensus, (scilicet electorum ex vna, & Petri electi ex alia parte, tanquam causæ partiales, & vterque simul tanquam causa totalis. ergo consensus alter tantùm non potest in talem effectum, scilicet dictam coniunctionem construendam vel dissoluendam. Et quia potestas depositiua Papæ inuiti propter hæresim incorrigibiliter, includit alterum consensum tantũ; sequitur quod & ipsa non est idem quod illa potentia totalis, & quod si est pars eius, non potest deponere, quod repugnat potentiæ depositiuæ. Malè ergo dictum est, quòd potentia depositiua Papæ est illa potentia, quę euidenter est in Ecclesia super coniunctione dicta. Et confirmatur hæc ratio: quia de quo magis videtur inesse & non inesse, ergo nec de quo minus: magis autem videtur, quod solus consensus Petri papæ possit se facere non papam, quàm solus consensus aliorum, quia potest renuntiare, sed hoc non potest Petrus solus: quia quantumcunque Petrus ipse renuntiet semper est Papa donec renũtiatio sua accepteatur: sicut econtrario quantumcunque Petrus sit electus, nunquã est Papa, quousque electioni de se consentiat. Hæc enim ostendunt, quòd causa totalis tam constructiua quàm destructiua coniunctionis Petri & papatus, quę est in Ecclesia minor papatu, non est Ecclesię solius aut Petri solius, sed vtriusque simul consensus: ac per hoc per hanc non potest inuitus Papa deponi quacunque ex causa, quia implicat contradictionem.

¶Secundo apparet falsum ex modo eundi in actum talis potestatis: quoniam Papa hæreticus, iudicandus est: iuxta capit. si Papa distinctione quadragesima, & doctores. Potestas autem ista minor papatu, non potest citare, compellere, & breuiter non habet vim coactiuam supra Petrum Papam: repugnat ergo quod sit potestas minor & quod sit iudex ex ipso modo: quia scilicet vi coactiua procedere posse debet.

¶Tertio apparet falsum ex subiecto etiam istius partialis consensus: quia cùm consensus iste partialis ex parte Ecclesiæ sit in electoribus papæ, qui modo sunt soli Cardinales (ad quos spectat eligere, & renuntiationem acceptare, vt patet in facto Celestini) sequeretur quod apud eosdem solos resideret potestas depositiua Petri papæ facti hæretici: cuius oppositum communiter tenetur.

¶SED HORVM Solutio magis propositum confirmabit. Si nanque consensus electi & electorum in hac causanda coniunctione concurrerent, vt consensus viri & mulieris ad causandum vinculum matrimonij, ratio procederet: quoniam vterque consensus habet se vt partialis causa quasi efficiens vinculum matrimonij. In proposito autem isti duo consensus diuersimode concurrunt: nam consensus electorum se habet vt causa faciens illam coniunctionem: consensus autem electi se habet vt reddens subiectum capax illius coniunctionis: non enim est capax nisi Christianus voluntarius. Sicut enim esse fidelẽ non est causa illius coniunctionis factiua: ita nec esse voluntarium ad illam. Et hoc patet in acquisitione aliarum iurisdictionum: cùm enim alicui imponitur aliqua prælatio, certum est quod quousque ipse illam accepter, non est prælatus: acceptatio tamen sua non facit in se prælationem, sed subiectum reddit capax prælationis: & sic actio imponentis sortitur effectum in subiecto capaci faciens iurisdictionem quę propter dispositionem subiecti non poterat intentum facere in eo. Actus enim actiuorum fiunt in patiente dispositio: vt dicitur in secundo de Anima. Consensu igitur electi concurrente, vt reddente subiectum capax coniunctionis cum papatu, restat vt consensus eligentium vt faciens coniunctionem illam. Ostensum est enim, quod non est à Deo immediatè, sed mediante humano opere: quod est electio in subiecto dispositio. Et sic ex hoc relinquitur, quod potestas faciens vel quasi faciens hanc coniunctionem est in electoribus, & non in electo vt

sic nemo enim sibi assumit honorem, sed qui vocatur à Deo vt Aaron: vt dicitur ad Heb. 5.

¶Ad confirmationem dicitur, quòd si papa sola sua renuntiatione absque acceptatione Ecclesiæ non potest à se abdicare papatum: hoc magis confirmat propositum, quod eius consensus non fuit inter causas facientes. Ratio autẽ quare acceptatio requiratur est quia nemo potest renũtiare iuri alterius, quod habet in se, nullus enim qui ex pacto tenetur alicui soluere centum, potest renuntiare huic vinculo absque voluntate eius, cui tenetur, quamuis ab initio voluntarie se obligauerit. Papa autem acceptando papatum, obligat se Ecclesiæ ad regimen ipsius. vnde iuri Ecclesiæ, quòd habet in Petrum papam, non potest ipse renuntiare inuita Ecclesia, cui tenetur. Et confirmatur, quia papatus non coniungitur sibi ratione sui, sed ratione Ecclesiæ dicente Domino in creatione Petri primi papæ, non aliud: quàm pasce oues meas. Vnde non est verum, quòd magis videatur de cõsensu solo electi quòd possit dissoluere, quoniam ipse non est causa efficiens etiam partialis illius coniunctionis, sed dispositio tantum subiecti.

¶Ad secundũ in quo pẽdet tota vis huius rei, dicitur quòd potestas ista minor papatu habet vim coactiuam, nõ super Petrum papam, sed super coniunctionẽ papatus & Petri: nõ simpliciter, sed in casu hæresis, ita quòd potestas ista relata ad Papam, est ministerialis: relata ad coniunctionẽ Petri, & papatus in fieri vel dissolui (subiecto existente dispositio) est autoritatiua: ita quòd sententia diffinitiua ex hac autoritate procedẽs super cõiunctione talis materiæ Petri hæretici cum papatu, dissoluit autoritatiuè cõiunctionem illam. Sicut enim electio Ecclesiæ autoritatiuè super coniunctionem non super Papam coniungit Petrum dispositum, id est fidelem & voluntariũ cum papatu: ita talis sententia dissoluit: agit enim in materiam dispositam per hæresim. Exemplum horum habemus in naturalibus: cùm homo generatur, & corrumpitur ab agente non potente super animam hominis, sed super coniunctio nẽ animæ, & corporis ex parte materiæ. Et si quæratur quomodo præcedentia per sententiam depositiuam fiant, cùm vsque ad illã Petrus duret superior: posset dici quòd quia nec Deus, nec natura deficit in necessariis, quòd eadem autoritas extendit ad se omnia præambula. Quorũ nullum video oportere esse coactiuum Petri papæ, sed sufficit, q̃ sint intimatiua, reprehensiua & huiusmodi, iudiciũ enim hoc non ex confessione sua extorta præceptis, censuris aut tormento, sed ex euidenti facto vel verbo hæresis incorrigibiliter expectatur, quòd sine eius coactione sit. Si quis autem diceret, quòd non est inconueniens hanc minorẽ potestatem indirectè posse cogere Petrũ ad præambula necessaria ad sententiã non video quare erraret, cùm Petrus papa hæreticus incorrigibilis, iam sit in corruptionis via: & Deus (cuius perfecta sunt opera) potestatem depositiuam in casu hæresis absque necessariis præambulis non dederit Ecclesiæ, quæ nunquam deficit in necessariis. Et hoc dico, si aliqua præambula coactiua ex necessitate iudicij essent necessaria: quòd iuristis discutiendum relinquo. Benè tamen aduertant, quòd non loquor nisi de necessariis ex necessitate huius iudicij, & non loquor de necessariis ex occasionibus euentuum, & aliorum extraneorum à ratione iudicij.

¶Ad tertium dicitur quòd potestas ista depositiua non est in Cardinalibus: quia in eis non est potestas super coniunctione Petri, & papatus nisi limitate, scilicet tempore quo papatus vacat. In ecclesia autem vniuersali est potestas super coniunctione ista absque limitatione, si excluso iure positiuo loquimur, & ideo Cardinales non possunt deponere Papam hæreticum, sed hoc spectat ad vniuersalem Ecclesiam. Posset tamen hæc potestas committi Dominis Cardinalibus à iure statuto Pontificis: sicut cõmissa est eis potestas eligendi, scilicet per viam determinationis: quòd ipsi repræsentarent vniuersalem Ecclesiam, sicut in eligendo, ita & in deponendo quando deponendus est. Manifestum autem exemplo fieri potest quòd dictum est, si quis nanque Episcopus iturus in regionem longinquam instituat suum generalem vicarium cum plenissima autoritate, ordinans, quòd si institutus vicarius moriatur aut publicus blasphemus fiat, Canonici possint illum amouere & alium nominare in vicarium absque alia confirmatione, &c. constat, quòd canonici nullam autoritatem super vicarium haberẽt, neque simpliciter, neque in hoc casu: sed super amotione eius in illo casu, quod est habere potestatem super coniunctione vicariatus cum persona in casu, &c. Eodẽ enim modo est in proposito. nam pastor, & Episcopus animarum nostrarum Dominus Iesus Christus abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum & reuerti: & instituit Petrum Apostolum in suum generalem vicarium cum plenissima autoritate, ante ascensionem dicens ei Pasce oues meas: & cum effectu exhibens promissam sibi priùs potestatem amplissimam, Tibi dabo claues: & quodcũque ligaueris, &c. Et ordinauit vt si vnquam aliquis Petri successor hæreticus fiat, Ecclesia eum possit amouere, & loco eius alium nominare 40. distinct. cap. si Papa.

¶Ex hac igitur cõcessa potestate patet: quòd Ecclesia nihil potest super papam absolutè, nec in casu hæresis propriè loquendo, potest supra papam, sed super coniunctionem papatus cum Petro, quam dissolui amotio. Et sic clarè liquet, quòd potestas Ecclesiæ est super coniunctione papatus & Petri in fieri & in corrumpi, subiecto existente dispositio ad fieri, per fidem & voluntatem ad corrumpi verò per hæresim vel voluntatem: & cùm hoc potestas ista est minor papatu: & ideo nõ potest limitare eius potestatem. Et sic patet, quòd papa nullam etiam in casu hæresis habet super se potestatem: quod erat intentum.

CAP. XXII.

¶ In quo respondetur rationibus & autoritatibus allatis in cap. 17. ad probandum, quod Papa hæreticus, fit ipso facto depositus iure diuino.

QVAMVIS autem ex determinatis manifesta sit rationabilis sententia, quòd scilicet certus & indubitatus papa, nec simpliciter nec in casu hæresis est subditus, propriè loquendo Concilio, aut Ecclesiæ vniuersali, quia est adhuc papa, sed in casu hæresis connexio papatus cum persona ipsa subdita est determinationi Ecclesiæ & Concilij vniuersalis, ita quòd potest deponi: oportet tamen satisfacere rationibus & autoritatibus tot illustrium virorum tenentium, Papam ipso facto depositum, & propterea subditum Concilio.

¶Et quoniam vis principalis consistit in hoc, quòd fides, saltem informis, exigitur ad membrum Iesu Christi: ideo sciendum est, q̃ baptismus, quo primùm regeneramur, & pertinemus ad Iesu Christi corpus mysticum, quod est Ecclesia, tres quantũ ad propositum spectat, facit in anima nostra effectus. primò imprimit characterem indelebilem: secundò fidem: tertiò charitatem. Et de tertio quidem effectu, scilicet charitate, manifestũ est, quòd licet constituat membrum viuum Christi, non tamen exigitur ad habendam iurisdictionis, vel ordinis potestatem. oppositum enim spectat ad hæresim pauperum de Lugduno.

¶De secundo autem, (de quo tota est quæstio) quòd nõ exigatur ad potestatem ordinis, etiam clarum est: quoniam hæretici conficerant verum corpus Christi: & faciunt veros sacerdotes, si seruata forma & intentione Ecclesiæ hoc faciant. & ex hoc ipso inchoat splendor veritatis: quòd, scilicet licet fides informis cõstituat membrum Christi secundũ quid, vt dixit in tertia parte sanct. Thom. quæstione 8. articulo 1. ad secundum: quia tamen latitudo datur in membris Christi secũdum quid, etiam sine fide informi, ex solo charactere sacramenti fidei constituitur membrum Christi secundum quid, remotius à Christo: hæreticus enim nisi membrum secundũ quid Christi esset, nec corpus Christi, nec ministros consecraret, nec sacramentum confirmationis daret. Hæc enim à solis Christi membris non quibuscunque, sed in magno sacerdotij, scilicet vel episcopatus gradu constituris facta tenent, &c. Altius quoque contemplando videbimus, & q̃ tanta est vis characteris baptismalis, vt etiam fides formata eius vices non suppleat, vt patet ex hoc quòd presbyter non baptizatus reordinatur: vt patet ex presbytero non baptizato. cap. si quis presbyter. Et quòd ipse character constituit membrum Christi dicente Innoc. eodem tit. in capitulo veniens. Non solùm per sacramentum fidei, sed per fidem sacramenti efficitur quis proculdubio membrum Christi. Constat enim, quòd proprius & inseparabilis effectus sacramenti fidei, (quod constat esse baptisma) est solus character, vt patet, cùm aliquis hæreticus baptizatur secundum formam & intentionem Ecclesiæ: nihil enim aliud recipit quàm characterem.

¶Et si altius adhuc mẽtis oculos eleuauerimꝰ, intuebimur, quòd habens solùm fidei characterem, est simul & fidelis, & infidelis membrum Christi & Ecclesiæ, & extrà membra Christi & Ecclesiæ, diuersis respectibus. & propterea à doctoribus diuersa & contraria de eo dicuntur. Habens nanque solum characterem fidei, quantum est ex parte sua infidelis est & extrà membra Christi & Ecclesiæ, quoniam voluntariè diseredit: ex parte autẽ Iesu Christi, qui characterem fidei semel datum indelebilem conseruat, est fidelis inuitus, & est membrũ Christi & Ecclesiæ velit nolit ipse: vtpote non valens abdicare, aut abiicere à se susceptũ semel fidei characterem. Propter quod à diuo Thoma, in secunda secundæ, quæstione decima, articulo tertio, ad tertium, computatur talis inter fideles, cũ dicitur, quòd pro adulterio grauius punitur fidelis, quàm infidelis propter sacramenta fidei, quibus est imbutus, quibus peccando contumeliã facit, & in eiusdem quęstionis, articulo quinto, numeratur inter infideles, dum ponit hęresim speciem infidelitatis. Differt autem habens solum characterem ab habente etiam fidem informem quo ad officium membri Christi, quia habens characterem & fidem, suscipit influxum interiorem à Iesu Christo, capite quo ad hunc actum vitalẽ, qui est credere: vt sanctꝰ Thomas dicit in tertia parte, quæstione octaua, articulo tertio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad secundum. Habens autem characterem solum, non suscipit influxum alicuius actus vitalis interius, sed tantũ quo ad exteriorẽ operationẽ, sicut brachio arido potest quis uti ad alios percutiendos vel mouendo aliquid extrà. Quia ergo character fidei est primùm in compositione membri Christi: quod patet ex hoc, quòd ipse à solo baptismo cũ sit solus, est inseparabilis ab eo: ac per hoc proprius effectus baptismi quo efficitur primo membrum Christi & Ecclesiæ: oportet q; sit vltimũ in resolutione membri Christi & Ecclesiæ: & consequenter quãdiu character manet, nõ desinit esse totaliter membrum Christi. Et quia nunquam desinet character, ideo semper erit intra latitudinem membrorum Christi, etiam cũ abscissum totaliter est per damnationem in inferno. & per hoc differt à puré infidelibus damnatis: & magis cruciabitur, iuxta sententiam Apostoli ad Hebr. 10. Et hæc ratio vltra tot allata testimonia, ex propria efficacia sufficit: quia secũdum veram theologiam diuinam & humanam, attributum alicui causæ vt proprius effectus, intelligitur attribui ei secũdum id quod illi causæ proprium est: vt patet in causis naturalibus, moralibus & ecclesiasticis inductiuè, periret enim aliter omnis certitudo moralis. Ex quo ergo attribuitur baptismo vt proprius effectus, quod faciat membrum Christi. oportet quod intelligatur attributum ei secundum id quod huic sacramentali causæ, quæ est baptismus, est proprium, quod differt à cæteris. hoc autem est pro quanto est causatiuus characteris fidei, hoc enim solus habet hoc solum primo & infalibiliter causat solis essentialibus requisitis ad sacramentum concurrẽtibus. Quia ergo Papa factus hæreticus licet amiserit fidem etiam informem: quia tamen retinet sacramentum fidei etiam inuitus, quò cõstituitur primò quis in hoc quod est esse membrum Christi: Deo rationes & autoritates quæ fundantur super hoc, quod fides saltem informis requiritur ad esse membrum Christi, non sunt efficaces ad inferendum ipsum non esse membrum Christi, ac per hoc ipso facto iure diuino depositum: quamuis ex defectu fidei informis optimè inferatur, quòd ipse quantum est ex se, est extrà latitudinem membrorum Christi: ac per hoc à membris Christi segregandus per depositionem ab officio capitis, & post per alias pœnas ab Ecclesia puniendus, & demum curiæ seculari tradendus.

¶SIGILLATIM ergo respondendo, autoritas in primis Domini Ioan. 3. non est ad propositum: quia loquitur de iudicio æternæ damnationis, in quo qui non credit, iam iudicatus est: & ex parte Dei, quia nouit Dominus qui sunt eius, vt glossa ex Aug. sumpta exponit. & hoc ex parte meritorum: quia habet in se causam æternæ damnationis, vt Chrysost. dicit. & ex parte claræ condemnationis in vltimo iudicio absque examine, vt Greg. explicat.

¶Ad illud verò, super hanc Petram. id est fidem, dicitur quòd sacramentum fidei, quod remanet in hæretico, non est extrà fidem, sed primus lapis fidei ædificandæ in quolibet, & propterea illo solo remanente lapide, super petram fidei remanet ecclesiastica potestas in via ad ruinam, quo ad illud suppositum.

¶Ad id autem: quòd iustus ex fide viuit, si de fide informi admittatur, dicitur quod sumitur viuere pro operatione vitali, & non pro esse: sicut sumitur cùm dicitur viuere viuentibus est esse.

¶Ad diffinitionem fidei. Fides est substantia: ac per hoc primùm dicitur, quòd fides habet rationem primi sustentantis inter virtutes pertinẽtes ad fideles: & ideo dicitur substantia. Cũ quo stat, quòd ipsius fidei sacramẽtum prius sit ipso ordine generationis.

¶Ad autoritatem allatam ex tertio sent. S. Thomæ dicitur, quòd doctrina S. Thom. ibidem est malè intellecta, & est contra istos in proposito: nam ibidem appellatione infidelium non veniunt, nisi hi, qui nunquã actu fuerunt de Ecclesia, vt patet ex hoc quod dicit, id est respectu horum Christus non est caput nisi in potentia: secundum scilicet, quòd sunt vnibiles corpori. Constat namque quòd respectu baptizatorũ hæreticorũ Christus est caput aliter, quàm in potentia: quia est actu caput eorum secundũ sacramenta fidei: non ergo appellatione infidelium ibi veniunt hæretici.

¶Appellatione quoque fidelium peccatorum ibi veniunt hæretici, qui per fidei sacramentũ in vno numero obiecto, fidei vnionẽ illam (quam vnionẽ simpliciter autor nominat:) retinent vtcunque velint nolint. Et hoc insinuatur ex hoc quod dicit, quod velut membra arida possunt non in se sed aliis sacramenta ministrãdo & docendo: hæc enim omnia per hæreticos non inquantum tales, sed inquantum aliquid ipsius capitis participant, Christus facit.

¶Ad diffinitionem Ecclesiæ dicitur, quod quia hæreticus ex ipso est infidelis: ideo simpliciter est infidelis & extra Ecclesiam. Cùm hoc tamen stat, quod secundum quid sit in ecclesia ad tempus vt abiiciendus. sic enim manet Papa hæreticus.

¶Autoritates omnes testamẽti noui & veteris prohibentes communionem cum hæreticis, non probant quod sit depositus ipso facto, sed deponendus, vt non cõmunicemus cum eo. sic enim sufficienter satisfit præcepto huiusmodi. Si enim ipso facto vitandus præciperetur à Deo hæreticus, non dixisset Apostolus ad Titum 3. cap. Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita. Amissio clauium apud hæreticos intelligitur quatenus hæretici sunt, & quo ad licitum vsum.

¶Honoris & potestatis iurisdictionalis perditio ipso facto intelligitur quãtum est ex eorum parte, & iuris dispositione in his, qui subsunt iuri humano, & sunt in Ecclesiæ foro hæretici. sic enim interpretanda sunt Sanct. Thomæ, & aliorum in cõmuni loquentium dicta. Tales enim soli sunt excommunicati, & consequenter priuati ipso facto, saltem per suspensionem potestatis iurisdictionis, si est crimen occultum, & declarandi priuati. Papa autem ex diuini & humani iuris dispositione: & hæresis propriæ exactione, est priuandus humano iudicio, à quo coniunctus est papatus huic personæ, vt dictum est. Officium quoque pastorale ab hæreticis, inquantum hæretici sunt, August. adimit ipso facto: quia impossibile est, vt hæreticus, inquantum hæretici officium exerceat, pascat oues Christi. Possibile tamen est, vt ille, qui est hæreticus, in seipso sit hæreticus, & oues Christi pascat: officium Petri non hæretici exercens. Sed quia periculosum hoc est valde, ideo abiiciendus est ab officio pascendi oues Christi.

¶Illud demum, quod ex glossa decreti assertur, quòd Papa cadẽs in hæresim damnatam, incidit in excommunicationẽ, falsum est, nam, cum omnis excommunicatio, quæ est ecclesiastica censura: (de hac enim loquimur) sit à iure positiuo, & ius positiuum non habeat vim coactiuam in foro ecclesiastico supra Papam, & excommunicatio coactionẽ importet in foro ecclesiastico: oportet dicere, quòd Papa in nullam incidere censuram potest. Et vsque adeò docent hoc doctores, vt dicit Sanctus Thomas, in 4. sentẽt. distin. 19. quæst. 2. artic. 3. ad tertium, quod Papa non potest committere alicui, quòd excommunicet ipsum. Et in eadem sententia sunt Albertus Mag. & S. Bonauent. vt dominus Ioan. de Tur. Cre. de istis refert. Vnde audiendi non sunt illi, qui omnia hæreticorũ iura ad Papam hæreticum extendunt: dum Papa enim est, soli depositioni subiicitur: depositus autem subiicitur iuri sicut alij.

¶Ad probationem autem (scilicet quòd si Papa fiat hæreticus, est minor quolibet catholico sumptam ex cap. audiuimus 24. quæst. 1. & S. Thom.) dicendum est, quòd cum hoc non possit intelligi de maioritate & minoritate meritorum seu charitatis: (quia extra propositum esset, & prælatus non solùm per infidelitatem, sed quodcunque mortale crimen sit minor, sic omne existente in charitate) nec de minore & maiore secundũ iurisdictionem de facto perditam (quia secundum illud prælatus cadens in hæresim fit minor: secundum quod quilibet catholicus est maior,) cùm ista sint correlatiua, sed quilibet catholicus nõ est maior secundum iurisdictionem: non enim ex hoc quòd papa vel prælatus meus sit hæreticus, ergo vnus catholicus cui nihil habeã iurisdictionis, iurisdictionem acquiro super eum, aut alios, oportet sanè verba hæc intelligere & exponere tantò diligentius, quantò super his verbis sanctí Thomæ magna fabrica erigitur, & dicitur quòd Papa est depositus ipso facto: dicendum est igitur aliter.

¶Ad cuius euidentiam scito primò, quòd cùm maior & minor sint correlatiua, cõsequens est, quòd oportet proportionaliter minorem maiori referre, vt & in quo prælatus sit minor, subditus quilibet catholicus fiat maior.

¶Scito secundò, quòd cum sermo sit intelligendus secundum subiectam materiam, & ibidem sit sermo de correctione prælatorum à subditis, manifestè fit comparatio inter prælatum & subditum, non quo ad personas puras, sed considerato prælationis officio. Potest igitur tripliciter dictum hoc verificari, primò vt intelligatur de maiore & minore simpliciter, & est sensus, quòd prælatus si labitur in infidelitatem fit minor simpliciter & absolutè, & quilibet subditus fidelis maior simpliciter & absolutè. Et hoc est verum: quia quilibet catholicus, absolutè, & sine limitatione aliqua loquendo, est in Ecclesia Dei maior infideli, cum quo tamen stat, quòd prælatus donec deponatur aut declaretur, fit maior secundum quid, scilicet secundum potestatem iurisdictionis iam propè mortem. Secundò (& sequitur ex hoc iam dicto) potest intelligi, quod etiam quo ad potestatem iurisdictionis prælatus infidelis est minor, & subditus fidelis maior quãtum est ex se, quia infidelis quantum est ex se, extra membra Christi est: ac per hoc quantum ex ipso pender, inhabilis, ad potestatem iurisdictionis spiritualis. fidelis autem quilibet ex ipsa spontanea fide dispositus, est habilis ad potestatem spiritualis iurisdictionis in Ecclesia Christi. Et sic prælatus ob infidelitatem fit minor secũdum potestatem iurisdictionis, quantum est ex se, & catholicus subditus maior. Tertiò, (& sequitur ex dicta expositione) potest intelligi de maiore & minore in officio defendendi fidem, ex eo nãque quod prælatus à fide deuiat, & subditus permanet in fide minor fit ille in officio executiuè defendendi fidẽ, & subditus fidelis econtrà maior fit in officio fidei defendendæ. Et hoc totum simul iunctum satisfacit literæ decreti & intentioni S. Thom. & concordat cum dictis suis alibi. Accusandum denique esse & iudicandum Petrum Papam hæreticum, nihil aliud concludit, nisi quòd iudicem habet superiorem, non Papa (vt isti putant) sed

continua

coniunctione papatus & Petri in casu hæresis: & concedituꝝ Concilium esse iudicem in tali casu. Et per hoc patet solutio allatorum etiam in cap. 18. pro quanto contra determinationem præsentem militant.

¶Vnum tantum superest declarandum, an scilicet sola hæresis sufficiat, an exigatur etiam incorrigibilitas, seu perseuerantia obstinata in hæresi ad hoc, vt deponatur Papa, quòd sequens capitu. declarabit.

CAPVT XXIII.

¶Quomodo cum Papa in hæresim lapsò parato corrigi, agendum sit.

AD ABSOLVENDVM demum totam hanc difficultatem de potestate concilij ad depositionem papæ in casu hæresis, scire conuenit quòd duæ sunt hic extremæ opiniones. Altera quòd papa propter crimen hæresis etiam confessum non potest deponi. Fundatur hæc opinio primò super facto Marcellini, & responsione Episcoporum, vt patet in vigesimasecunda distinctione, capitul. nunc autem, & sunt verba Nicolai papæ. Cùm enim idololatriæ crimen incurrisset papa, congregatum Concilium videns eum compunctum corde, dixit, Tu teipsum iudica, prima sedes non iudicabitur à quoque, & sic nõ depositus martyr effectus est postmodum. Secundò super glossa in dicto capit. & in capi. si papa distinctio. 40. & multis doctoribus. Tertiò super ratione: quia cùm hæreticus nomẽ sit vitij, & Papa hæreticus sit deponendus, tandiu deponẽdus venit quandiu hæreticus seu à fide deuius est: ac per hoc si pœnitet eum sui delicti, non est amplius hæreticus, aut à fide deuius, & consequenter nõ subiacet amplius pœnæ depositionis. Et firmatur hæc ratio super dictis Gratiani in Decretis trigesimasexta quæstione prima, de matrimonio inter raptorem & raptam, vt patet ibi in capitul. nullus. Quartò, super autoritate Apostoli ad Titum tertio, hæreticum hominem post vnam & secundam correctionem deuita. Si enim deuitatio non sequitur crimen hæresis, sed secundam correctionem, à fortiori nec depositio.

¶Altera opinio est, quòd Papa propter crimen hæresis potest deponi. Et hæc fundatur super hoc, quòd reus est & obnoxius pœnæ criminis quicunque crimen illud admisit, etiam si non perseueret in illo, vt patet inductiuè. Qui enim semel homicidiũ commisit, reus est pœnæ homicidij: & simile est de adulterio, simonia, furto, blasphemia, periurio: & sic de aliis, sed papa propter hæresis crimen pœnæ depositionis reus est, vt communiter doctores ex cap. si Papa. 40. distinct. moti dicunt. Non ergo exigitur perseuerantia in hæresi, sed sicut si pro adulterio deponendus foret, sufficeret ipsum adulterium commisisse: ita quia pro deuiatione à fide deponendus dicitur, sufficit quòd hæresim incurrerit. Et confirmatur, quia alij prælati puta Episcopi ex hoc solo, quòd damnatam incurrunt hæresim, in foro Ecclesiæ sunt ipso facto excommunicati, & possunt declarari priuati, cõstito de crimine. Et confirmatur iterum, quia si Papa paratus corrigi non potest deponi, cùm centies in veritate possit relabi & resurgere: sequeretur quòd centies relapsus, paratus tamen corrigi, non posset deponi: quod est fatuum.

¶LICET Autem hæ duæ opiniones contrariæ videantur, ad medium tamen expositæ discordes non inueniuntur. Vnde mediationabilisque sententia est, quòd Papa hæreticus post duas monitiones deponendus est, ipso Paulo apostolo hoc diffiniente ad Titum 3. Hæreticum hominem post vnam & secũdam correctionem deuita. Et ratione quare non amplius sustinendus est assignans, subdit, Sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est. Vbi gl. interlinearis in verbo, Subuersus, exponit, Perditus, & in verbo, eiusmodi exponit, Incorrigibilis. Et est intentio literæ, quòd quia iudicium humanum datur secundũ id, quod vt in pluribus inuenitur & secundum communẽ cursum, qui ab ea, quam verã spontè professus est, fide declinat primò, & post vnam correctionem secundò, & post secundam correctionem, tertiò, abiiciendus tanquàm incorrigibilis censetur, idcirco Papa hæreticus post primã & secundam monitionem delinquens in fide, deuitandus est depositione. Non enim possunt fideles euitare Papam manentẽ, cum ex eo post Dominum Iesum omnium salus dependeat: vt dicitur 40. dist. si Papa. Quia ergo Apostolus hæreticũ hominẽ post duas correctiones delinquentem in fide, non sustinẽdum, sed deuitandum præcepit: cõsequens est primò, quòd quantumcunque Papa hæreticus post duas correctiones relapsus, paratus sit corrigi, non solùm potest, sed debet deponi. Et meritò, ne in infinitũ protrahatur humanum iudicium, sed limite aliquo terminetur. Rationabilis autem terminus est statutus trinus error cum trina monitione prima, in professione fidei, & duabus post deuiationem subiunctis. ita, quòd tertius error tres monitiones contempsit. sicut hæretici relapsi post professionem, excommunicationem & adiurationem, non amplius admittuntur ab Ecclesia. Consequens secundò est, quòd ante correctiones non est deponendus Papa hæreticus, qui, propter hæresim nõ est excommunicatus, sed excommunicandus, depositione. Et propterea in eo ad literam seruandum est præceptum Apostoli de publica correctione: quòd in aliis inferioribus propter adiunctam excommunicationem læsæ sententiæ quam tulit Ecclesia contra hæreticos, non seruatur. Alij enim, quia excommunicati sunt post, ab Ecclesia statim euitantur. Papa autem, quia excommunicatus non est, sicut nec excõmunicati erant homines hæretici tempore Pauli Apostoli, sed excõmunicandi, post duas correctiones deuitandus est. Duplex enim correctio à Paulo concessa nõ abstulit potestatem ab humano iure, rigorosius procedendi contra hæreticos subiectos humano iuri, sicut cõcedendo ius diuinum matrimonium cum sorore consobrina, non ademit potestatem Ecclesiæ inhibendi tale coniugiũ, sed ostẽdit quid secluso humano iure seruandũ est. Propter quod, quia Papa vt patebit, solo diuino iure iudicãdus, deponẽdúsque venit, quia illi solo subiectus est, ideo in eo solo apostolica regula seruãda remãsit, cæteris propter hæresim ab Ecclesia excommunicatis. Nec obstat dictis, si dicatur q; hæretici etiam tempore Pauli erãt excommunicati ab ipso, ad Gal. 1. Cùm enim sententia illa se extendat ad superiores, scilicet Angelos de cœlo, & cõstet quòd nullus superiorem, sub quacunque conditione excõmunicare potest: cõsequens est, quòd non fuit excommunicatio, sed denuntiatio, quòd à Deo anathema fieret quicunque etiã Angelus de cœlo, si contra Euangelium Christi prædicaret. Et hoc est denunciare separatum esse à Deo, & dignum excommunicatione Ecclesiæ quo ad homines. Et confirmatur ex San. Tho. ibidem dicente, quòd sententia illa ab Apostolo data est autoritate euangelicæ doctrinæ promulgata Ioan. 10. ca. Sermo quem sum locutus, ille iudicabit eum in nouissimo die. Constat namque quòd excõmunicandos ab Ecclesia non excõmunicatos ab eadẽ cõstituit sermo diuinus cõtradicens sibi.

¶AD RATIONES igitur primæ opinionis, vnico verbo dicitur, quòd Papa post secundã correctionem deuius à fide, non admittitur vt paratus corrigi apud humanum iudicium, sed tanquam incorrigibilis hæreticus censetur. Quanquam apud Deum semper possit corrigi, & forte in veritate sit correctus.

¶Ad rationes autem alterius opinionis dicitur, quòd vbi est, speciale ius, non oportet ex communi procedere iure. In hac autem causa est speciale ius apostoli, & satis rationi consonũ, & stylo Ecclesiæ in excommunicandis personis, præsertim in persona tam excellentis dignitatis. De aliis autem Episcopis iam reddita est ratio dissimilitudinis, quia, scilicet non sunt in illo statu, in quo erant tempore Apostoli propter superuenientem Ecclesiæ excommunicationẽ, qua hæretici sunt statim vitandi, & propterea possunt declarari priuati: propter tamen dignitatem eorum, & fragilitatem humanam vnica correctio declarationem si præcederet, misericordia æquitatis esset. Faciunt ad prædicta quæ scripsit diuus Thomas in Secunda secundæ, quæst. 11. arti. 3. & quarto de receptione hæreticorum ab Ecclesia.

CAPVT XXIIII.

¶Opinio, quod Papa propter incorrigibilitatem in quocunque notorio crimine scandalizante Ecclesiam. subiiciatur Concilij potestati: ita quod possit ab eo deponi.

EXPEDITA relatione Papæ in casu hæresis ad Cõcilium, oportet in aliis extra hæresim casibus decernere, si papa subest potestati depositiuæ Concilij in alio casu, quàm in casu hæresis. Et nunc quidem verè casus, qui peccata sunt, tractandi sunt. postmodũ de euentuum casibus sermo erit. Est igitur nonnullorum opinio, quòd Papa extra casum hæresis deponi à generali Cõcilio potest. Probatúrque hoc ex septem capitibus. Primò, ex ratione criminis papa potest deponi pro hæresis crimine: ergo, & pro aliquo alio. Probatur sequela. tum primò, quia aut hoc est singulare in hæresi ratione grauitatis: & hoc non, quia odium Dei est grauius peccatum hæresis: vt patet in Secunda secundæ San. Tho. quæst. 3. artic. 4 ad secundum. Aut ratione damni Ecclesiæ: & hoc non, quia plus culo secundo. Aut ratione damni Ecclesiæ: & hoc non, quia plus nocet Ecclesiæ Papa omnia beneficia vendens, pranos exoltens, bonos deprimens, tyrannidem exercens, vitiorum dux, blasphemiæ, auaritiæ, &c. notoriè plenus, quam si pertinaciter sentiens, quòd Spiritussanctus nõ procedat à filio, rectè aliàs viuat, & hanc hæresim solus teneat. Tum secundò, quia in sacra Scriptura non inuenitur specifice expressum, quòd papa possit deponi magis pro hæresi, quàm alio crimine: relictum est ergo interpretationi doctorum, & canonum. Et sicut Bonifacius Papa & martyr expressit casum hæresis, distinctione 40. si papa: ita potest casus incorrigibilis notorij & scandalizantis Ecclesiã criminis, excipi: vt glos. ibidem sentit. Tum tertiò, quia qui potest in maius, potest in minus: vt dicitur in cap. ex parte, extra de decimis. sed Concilium potest iudicare papam de maiori crimine, puta hæresis: ergo de minore, scilicet simonia notoria, &c.

¶Secundò, ex parte abusus potestatis. constat namque, quòd gladius de manu furiosi potest, & debet auferri: inuisor, & oc-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cisor corporum detineri, & pertinax in proposito in custodiam poni, quantò magis sæuiens in perditionem animarum Papa gladio papalis potestatis abutens, illo priuandus est tanquàm phreneticus & ebrius, suarum passionum commotione actus. Cogit enim alios malefacere suo exemplo, & Apostolus testatur ad Gal.2. dicens ad Petrum, Cogis Gentes iudaizare: glo. conuersationis exemplo. Et confirmatur, quia si Papa vellet mulierem opprimere, vel occidere, posset & repelli & percuti & occidi, cum moderamine inculpatæ tutelæ: à fortiori si opprimit Ecclesiam, si occidit animas, resistendum primò: & si opus est, occidendus deposititione est. Et confirmatur hoc ex ratione finis potestatis acceptæ: quia scilicet ad ædificationem est, & non in destructionem.

¶ Tertiò, ex parte obligationis ipsius Papæ, tenetur enim papa ad purgationem sui cum infamis est de crimine scandalosi, vt patet de Damaso accusato de adulterio: teste Hiero. de viris. illust. & de Xysto, Leone & Symmacho 2. quæstio. 7. Et probatur ratione, quia tenetur pascere oues suas: & constat quòd scandalū depascit oues. Purgationi autem subiectus si deficit, iudicandus est, igitur papa potest ab Ecclesia de alio crimine, quàm de hæresi iudicari. Et confirmatur autoritate Grego. in capit. si quis secunda quæstione septima, dicentis, Si quis super hoc nos redarguere voluerit, vel extra autoritatem facere nos contenderit, veniat ad sedem apostolicam, vt ibi ante confessionem beati Petri mecum iustè discepter, quatenus vnus ibi ex nobis suscipiat sententiam suam. Nec hoc inquit Gerson, ex humilitate, sed ex debito Grego. fecit.

¶ Quartò, ex parte Ecclesiæ: quia sicut papa spōsus potest dare libellum repudij Ecclesiæ suæ sponsæ, renuntiando papatui: ita econuerso, cùm nō debeant quo ad hoc impartiure censeri: & potior adducitur ratio pro ipsa contra sponsum: vel quia prostituere eam quærit quantum in se est, vel tyrannide sæua laniando eam, vel placitando, bona sua dissipando, vel quia abuti conatur ea in perniciem filiorum. Et confirmatur hoc: quia ad communitatem totā spectant principis correctio, vel destitutio, apud Aristotelem in 5. Politic. si inemendabilis perseueret. Et hæc potestas inauferibilis vel inabdicabilis est à communitate libera: quantò magis hoc habebit Ecclesia?

¶ Quintò, ex parte diuinæ prouidentiæ. Cùm enim Dei perfecta sint opera, & Ecclesia opus ipsius immediatè sit (multò magis quàm synagoga, cui tamen dicit, Quid vltra tibi debui facere, & non feci? Esa. 5.) oportet Ecclesiæ regimini, & corpori perfectè prouisum esse. Constat autem, quòd perfectum non est corpus, quod nō potest putrida à se membra abiicere, vel sanare, sed cum totius damno euidenter emergente oportet sustinere. Et similiter non est perfectè dispositum regimen, quod non potest commune bonum & necessarium conseruare, abiiciēdo manifestè & notoriè commune bonum vsurpantes, diripientes, &c. Hæc enim omnia papa notoriè scandalizans, simonia, luxuria, blasphemiis, tyrannide, promotione indignorum, &c. manifestè facit contra bonum charitatis commune Ecclesiæ militantis, & triumphantis bonum.

¶ Sextò, ex parte decretorum & gestorum Concilij Constantien. & Basilien. In Concilio nanque Constantien. depositus fuit Ioan. 23. quem ipsi tenebant vt verum Papam, & Benedictus 13. de consensu suæ obedientiæ. In consilio quoque Basilien. depositus fuit Eugenius 4. & creatus Fœlix, Stephanus, Christophorus, Benedictus: Grego. 6. Ioan. 12. Et confirmatur locus iste autoritate multorum doctorum sentientium idem quod Concilia ista: vt patet de glos. in cap. si Papa, distinct. 40. & sequacibus.

¶ Septimò, ex parte naturæ iudicij humani, scilicet secundum allegata & probata, vel præsumpta iudicantis. Quo fit, ratione præsumptæ hæresis Papa non hæreticus propter contumaciam: iuxta cap. cùm contumacia, de hære. lib. 6. Vel per mansionē in excommunicatione per annum deficiente purgatione, iuxta ca. excommunicamus, extra de hære. Vel dum timore mortis actus hæreticales exterius tantùm fecit: vt de Marcellino dicitur vel simili timore verba hæreticalia absque intentione protulit: vel si per falsos testes conuincitur hæreticus relapsus: vel dum suam excusationem in causa fidei probare non potuit. Ex his & similibus creditur, Papam in casibus pluribus incorrigibilibus subesse iudicio Concilij generalis, sic vt possit ab ipso deponi.

CAPVT XXV.

¶ Discussio & determinatio, ad quam legem spectet determinare casus, in quibus iudicio Concilij subest Papa.

DICTÆ AVTEM Opinioni communis sententia doctorum Theologorum & Canonistarum antiquorum obuiat, tenens, quòd si sit catholicus Papa non iudicatur à quocunque iudice in terris, iuxta capitul. si Papa, quadragesima. distinct. cap. oues. secunda quæstione septima.

¶ Et quoniam hinc inde multum disputatur, oportet primò videre in quo consistit hæc difficultas, vnde scilicet quæstionis veritas pendet: quo ignorato veritas huius latet, & quò cognito veritas liquet. Nisi enim hoc sciatur, continget quidem aliquem verum assequi, sed nescire se verum assecutum.

¶ Sciendum est igitur, quòd tota difficultas pendet ex hoc. An iure diuino vel humano Papa in casu criminis, quodcunque sit illud, deponendus sit potestate Ecclesiæ, seu Concilij. Si enim lex diuina exigitur ad faciendam exceptionem hanc, scilicet quòd in casu criminis hæresis possit ab Ecclesia deponi, lex quoque diuina exigitur, statuens quòd propter tale crimen, puta notorium, scandalizans & pertinax deponi possit. Et si solum ius humanum sufficit ad statuendum, quòd Papa in casu hæresis est deponendus, solùm quoque ius humanum sat est ad statuendum, quòd Papa propter notorium crimen deponatur.

¶ Dicentes, quòd ius diuinum exigitur, fundāt se super hoc, quòd licet Petrus potestate ministeriali Ecclesiæ sit iunctus papatui, factus iam Papa diuina lege est supra Ecclesiam & Concilium: ac per hoc nulla inferiori lege potest subiici, (nec simpliciter in casu) Cōcilio, aut Ecclesiæ, sed sola diuina lege. Et quia lex diuina in solo casu hæresis subdidit illū potestati Ecclesiæ ministeriali, vel vt aliis placet autoritatiuæ: ideo in solo hoc casu iudicari deponique potest. Quod enim casus hæresis inueniatur exceptus in lege diuina, patet ex multis inductis ex tribus sacræ Scripturæ, expressè separationem ab hæretico quocunque indicentibus. Quòd autem solus sit exceptus, patet ex sententia Saluatoris, Matt. 23. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint facite, secundum autem opera eorum nolite facere. vbi Dominus apertè statuit subditos debere audire Prælatos malæ vitæ, & bonæ doctrinæ. Constat autem quòd doctrina ad fidem spectat: vita autem & opera ad malos mores aliorum criminum. secundum igitur sententiam Domini, audiendi sunt fideles prælati, quamuis mali. Confirmatur quoque eadem sententia à Petro Apostolo in prima Epistola 2. ca. Obedite præpositis vestris, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis.

¶ Dicentes autem quòd ius diuinū non exigitur, sed Deus reliquit hoc in manu consilij humani, sicut & multa alia. fundat se super hoc, quòd opus pure humanum, secundum se nec bonum nec malum moraliter, subiacet plenariè legi humanæ: coniunctio autem inter Petrum & papatum est opus pure humanum quandoque bonum, quandoque malum, ergo subiacet plenariè legi humanæ: ac per hoc lex humana disponere potest de illa coniunctione. quòd quando est bona, perseueret, quando mala, dissoluatur. Dixi, Opus pure humanum, ad differentiam operationum sacramentalium quæ non sunt pure humanæ. In coniunctione autem Petri cum papatu sola humana actio interuenit, coniungens electionis actu vtrunque, supponendo materiam formæ: vt patet ex hoc, quòd si cessat à papatu, (vt Celestinus fecit) nihil diuini operis in se restat, sicut restat in Episcopo renuntiāte, & in sacerdote degradato potestas ordinis à Deo data, sine pœnitentia nanque sunt dona Dei: vt dicitur ad Roma. 11. Dixi, Secundum se nec bonum, nec malum moraliter, ad differentiam actuum secundum se bonorum, (vt credere, amare que Deum &c.) & secundum se malorum: vt blasphemia Dei, mendacium, & similia: hæc enim naturali diuinóque iure regulantur. Coniunctio autem Petri cum papatu quandoque bona est vt patet in tot sanctis Romanis pontificibus: & quādoque mala, vt patet in multis eisdē sceleratis quos vtinam nescire licuisset. Et confirmatur: quia potestas ministerialis existens in Ecclesia ad coniunctionem Petri & papatus, regulatur humana lege, vt patet de actu electionis Papæ, qui irritus & nullus ab humana lege si non seruatur, redditur. Vnde sicut Bonifacius papa & martyr promulgauit quod in casu hæresis potest papa iudicari & deponi potest alia lege humana promulgari, quòd pro simonia in beneficio possit deponi, & sic de aliis maximis excessibus, obseruata consonantia legis humanæ ad naturalem & diuinam. Et etiam sine noua lege (quia in defectu manifesto humanæ legis, locum habent gnome & ἐπιεικεῖα,) posset papa ex notorio excessu scandaloso & incorrigibili deponi, sicut pro hæresi.

¶ SI QVIS autem diligentius perspiciat, videbit, quòd diuina lege opus est statuente casus depositionis papæ, nec vlla lege humana potest, aut potuit hoc fieri. Quod probatur ex ratione humanæ legis breuissimè & clarissimè sic. Omnis lex ecclesiastica potest tolli & mutari à papa: ergo nulla lege humana potest contra papam inuitum procedi. Antecedens constat ex eo quod est Dominus iuris positiui. Cōsequentia est euidens: quia ex quo potest tollere legem & non vult subire ipsam, tollet eam: & sic nihil contra eum fiet.

¶ Et licet hæc ratio sufficiat: quia Papa diuina autoritate hoc potest, & nulla deuolutione, interceptione, inchoatione, appellatione, suspensione, aut quouis alio termino potestas sua minuitur, aut impeditur in his quæ sunt positiui iuris, attamen ex pro

ex propriis rationibus potestatis ecclesiasticæ exerceat actum constructiuum coniunctionis efficaciter inter Petrum & Papatum, aliquæ dispositiones requiruntur in Petro de necessitate simpliciter, aliquæ ad bene esse. Requisitæ de necessitate simpliciter sunt duæ, simpliciter esse voluntarium, & esse Christianum. nunquam enim aliquis quantumcunque electus, est Papa, nisi consentiat: & similiter non est Papa, nisi sit membrum Christi. Secunda dispositio exigitur de iure diuino: & quia ordo gratiæ præsupponit ordinem naturæ, prima dispositio exigitur de iure naturæ. Requisitæ autem dispositiones ad bene esse, sunt boni mores, scientia ecclesiastica, charitas, experientia regiminis, & huiusmodi: sine his enim Petrus si est electus & acceptat, est Papa: quamuis ineptus & malus. Constat etiam, quòd quia facilius est destruere quàm construere duabus simul requisitis necessariò conditionibus ad constructionem, quæcunque earum deficiat, solui potest coniunctio ista. Nanque si Petrus non vult amplius esse Papa, potest renuntiatione dissolui coniunctio ista: & dissoluitur dum acceptatur renuntiatio, vt patet de Celestino. Et rursus, si Petrus Papa labitur in hæresim incorrigibiliter, potest deponi inuitus, ex quo desiit autem est se esse membrum Christi: sicut in primo casu desiit esse voluntarius. Hæc omnia certa sunt, ex quibus necessario sequitur, vt deficientibus in Petro conditionibus, quæ non sunt necessariæ simpliciter, sed ad bene esse, non propterea sit dispositus, vt possit dissolui coniunctio ista, vt possit attingi Petrus à potestate depositiua. Nam dispositiones illæ, quæ non requiruntur in subiecto ad hoc quòd vniatur efficaciter formæ. sed tam cum eis, quàm cum suis cōtrariis vniri potest forma, & constituere compositum, non sunt tales vt earum contrariæ pertineant ad dissolutionem compositi. Quod est dicere, quòd si Petrus sceleratissimus & criminosissimus, scandalosus, & incorrigibilis, Christianus tamen & consentiens, sit & est Papa, si eligatur oportet quòd huiusmodi crimina superuenientia Petro iam Papæ aut perseuerantia, etsi reddant ipsum malum Papam, & non solùm malum hominem vt prius, non tamen reddunt ipsum deponibilem. Ex quo enim ad bene esse papæ requiritur bonitas, & non ad esse Papam, consequens est, quòd malitia ad malè esse papæ, & non ad non esse papæ spectet: ac per hoc sicut non spectat bonitas ad esse, quod est effectus electionis, ita malitia non spectat ad non esse, quod est effectus depositionis. Ex his patet ratio, & potest formari breuiter sic. Sola contraria conditionibus necessariò requisitis ad esse papæ reddunt papam deponibilem: sed inter crimina infidelitas contrariatur condicionibus necessariò requisitis ad esse papæ: ergo sola infidelitas inter crimina reddit papam deponibilem. prima propositio patet ex hoc, quòd depositio est nō esse Papæ, & vnumquodque in suo esse perseuerat, si contrarium non superuenit. Nunquam enim homo desineret esse, si nō superueniret aliquod contrarium illi esse: & simile est in aliis. Secunda autem propositio probata est: quia cætera vitia contrariantur conditionibus requisitis ad bene esse papæ. Hanc rationem vellem in statera poni: & non friuolas & apparentes, per accidentia vagantes. Hæc de primo.

¶ AVTORITATES Sanctorum sunt in primis Anacleti papæ & martyris: & habetur septuagesimanona distinctione canone, electionem. Si nanque papa posset propter crimina deponi, sicut alij Episcopi, frustra dixisset, quòd electionem summorum Pontificum sibi Dominus reseruauit. Deinde Bonifacij papæ & martyris. & habetur quadragesima distinctio. capit. si papa. Nisi, inquit, à fide deuiauerit papa, redarguere eius culpas mortalium nullus præsumit. Vbi solùm infidelitatis crimen subiicit iudici: à quo papa potest iudicari: quem constat esse vniuersalem Ecclesiam, seu Concilium generale: ab eodem enim excipit, à quo negat redarguendum id fore. Sanctus quoque Eusebius papa, (& habetur secunda quæstio. septima, in cap. oues) dicit, Oues quæ suo Pastori commissæ sunt, eum nec reprehendere nisi à fide exorbitauerit, nec vllatenus accusare possunt. Sanctus Anterius papa & martyr, (& habetur nona quæstione tertia, in ea. facta) inquit, Facta subditorum iudicantur à nobis: nostra verò iudicantur à Domino. Et quòd loquatur de factis peccatorum, patet ex eo quod subdit, Deteriores sunt (qui vitam, moresque bonorum corrumpunt) his qui substantiam aliorum prædiaque diripiunt. Sanctus Beda (& habetur nona quæstione tertia, canon. Episcopo) tractans de iudicio peccatorum, ait, Sola enim Romana Ecclesia sua autoritate valet iudicare de omnibus: de ea verò nulli iudicare permittitur. Sanctus Bernardus Innocentio secundo scribens, inquit. Quis faciet mihi iustitiam de vobis: si haberem iudicem, ad quem vos trahere possem, iam nunc ostenderem vobis, vt parturiens loquor quid mihi imminet. extat quidem tribunal Christi, sed absit vt ad illud appellem vos. Sanctus Thomas in 4. sentent. distinctio. decimanona quæstio. secunda. articulo 2. quæst. 3. ad secundum, dicit. Quamuis Prælati sint corripiendi à subditis, non tamē est pœna infligēda, sed recurrendum est ad

CAPVT XXVI.

¶ Quot casus criminum sint diuina lege statuti, vt possit Concilium Papam deponere.

QVI A igitur ad solam diuinam legem spectat determinare casus depositionis Papæ, in ipsa, & ex ipsa scrutari oportet, quot sint casus depositionis Papæ. Et vt probabitur, solus casus hæresis est à lege diuina, in quo Papa potest deponi ab Ecclesia, siue autoritatiua, siue ministeriali potestate non curando in proposito.

¶ Probatur hoc tripliciter, scilicet ratione ex principiis theologicis certis & autoritate sacrorum doctorum, & diffinitione sacræ scripturæ. Ratio est ista, Constat, quòd seclusō Papa, in Ecclesia est potestas electiua Papæ, seu applicatiua papatus ad Petrum, quomodocunque vocetur, habet pro obiecto coniunctionē personæ, & papatus in fieri & in dissolui, vt patet de actu electionis, quo Petrus sit Papa, & de actu depositiōis, quo Petrus Papa hæreticus incorrigibilis deponitur. Constat etiam, quòd ad hoc q̄ Petrus fiat Papa efficaciter, ita quòd sit Papa, & consequenter ad hoc quòd potestas illa Ecclesiæ exerceat actum constructiuum coniunctionis efficaciter inter Petrum & Papatum, aliquæ dispositiones requiruntur in Petro de necessitate simpliciter, aliquā ad bene esse. Requisitæ de necessitate simpliciter sunt duæ, simpliciter esse voluntarium, & esse Christianum. nunquam enim aliquis quantumcunque electus, est Papa, nisi consentiat: & similiter non est Papa, nisi sit membrum Christi. Secunda dispositio exigitur de iure diuino: & quia ordo gratiæ præsupponit ordinem naturæ, prima dispositio exigitur de iure naturæ. Requisitæ autem dispositiones ad bene esse, sunt boni mores, scientia ecclesiastica, charitas, experientia regiminis, & huiusmodi: sine his enim Petrus si est electus & acceptat, est Papa: quamuis ineptus & malus. Constat etiam, quòd quia facilius est destruere quàm construere duabus simul requisitis necessariò conditionibus ad constructionem, quæcunque earum deficiat, solui potest coniunctio ista. Nanque si Petrus non vult amplius esse Papa, potest renuntiatione dissolui coniunctio ista: & dissoluitur dum acceptatur renuntiatio, vt patet de Celestino. Et rursus, si Petrus Papa labitur in hæresim incorrigibiliter, potest deponi inuitus, ex quo desiit autem est se esse membrum Christi: sicut in primo casu desiit esse voluntarius. Hæc omnia certa sunt, ex quibus necessario sequitur, vt deficientibus in Petro conditionibus, quæ non sunt necessariæ simpliciter, sed ad bene esse, non propterea sit dispositus, vt possit dissolui coniunctio ista, vt possit attingi Petrus à potestate depositiua. Nam dispositiones illæ, quæ non requiruntur in subiecto ad hoc quòd vniatur efficaciter formæ. sed tam cum eis, quàm cum suis cōtrariis vniri potest forma, & constituere compositum, non sunt tales vt earum contrariæ pertineant ad dissolutionem compositi. Quod est dicere, quòd si Petrus sceleratissimus & criminosissimus, scandalosus, & incorrigibilis, Christianus tamen & consentiens, sit & est Papa, si eligatur oportet quòd huiusmodi crimina superuenientia Petro iam Papæ aut perseuerantia, etsi reddant ipsum malum Papam, & non solùm malum hominem vt prius, non tamen reddunt ipsum deponibilem. Ex quo enim ad bene esse papæ requiritur bonitas, & non ad esse Papam, consequens est, quòd malitia ad malè esse papæ, & non ad non esse papæ spectet: ac per hoc sicut non spectat bonitas ad esse, quod est effectus electionis, ita malitia non spectat ad non esse, quod est effectus depositionis. Ex his patet ratio, & potest formari breuiter sic. Sola contraria conditionibus necessariò requisitis ad esse papæ reddunt papam deponibilem: sed inter crimina infidelitas contrariatur condicionibus necessariò requisitis ad esse papæ: ergo sola infidelitas inter crimina reddit papam deponibilem. prima propositio patet ex hoc, quòd depositio est nō esse Papæ, & vnumquodque in suo esse perseuerat, si contrarium non superuenit. Nunquam enim homo desineret esse, si nō superueniret aliquod contrarium illi esse: & simile est in aliis. Secunda autem propositio probata est: quia cætera vitia contrariantur conditionibus requisitis ad bene esse papæ. Hanc rationem vellem in statera poni: & non friuolas & apparentes, per accidentia vagantes. Hæc de primo.

¶ AVTORITATES Sanctorum sunt in primis Anacleti papæ & martyris: & habetur septuagesimanona distinctione canone, electionem. Si nanque papa posset propter crimina deponi, sicut alij Episcopi, frustra dixisset, quòd electionem summorum Pontificum sibi Dominus reseruauit. Deinde Bonifacij papæ & martyris. & habetur quadragesima distinctio. capit. si papa. Nisi, inquit, à fide deuiauerit papa, redarguere eius culpas mortalium nullus præsumit. Vbi solùm infidelitatis crimen subiicit iudici: à quo papa potest iudicari: quem constat esse vniuersalem Ecclesiam, seu Concilium generale: ab eodem enim excipit, à quo negat redarguendum id fore. Sanctus quoque Eusebius papa, (& habetur secunda quæstio. septima, in cap. oues) dicit, Oues quæ suo Pastori commissæ sunt, eum nec reprehendere nisi à fide exorbitauerit, nec vllatenus accusare possunt. Sanctus Anterius papa & martyr, (& habetur nona quæstione tertia, in ea. facta) inquit, Facta subditorum iudicantur à nobis: nostra verò iudicantur à Domino. Et quòd loquatur de factis peccatorum, patet ex eo quod subdit, Deteriores sunt (qui vitam, moresque bonorum corrumpunt) his qui substantiam aliorum prædiaque diripiunt. Sanctus Beda (& habetur nona quæstione tertia, canon. Episcopo) tractans de iudicio peccatorum, ait, Sola enim Romana Ecclesia sua autoritate valet iudicare de omnibus: de ea verò nulli iudicare permittitur. Sanctus Bernardus Innocentio secundo scribens, inquit. Quis faciet mihi iustitiam de vobis: si haberem iudicem, ad quem vos trahere possem, iam nunc ostenderem vobis, vt parturiens loquor quid mihi imminet. extat quidem tribunal Christi, sed absit vt ad illud appellem vos. Sanctus Thomas in 4. sentent. distinctio. decimanona quæstio. secunda. articulo 2. quæst. 3. ad secundum, dicit. Quamuis Prælati sint corripiendi à subditis, non tamē est pœna infligēda, sed recurrendum est ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

est ad superiorem denuntiando, vel si non habet superiorem ad Deum, vt eum emendet, aut de medio tollat. Et ibidem ad primum exceperat crimen infidelitatis, cùm dicit, Prælatus minor fieret si in iusfidelitatem laberetur,& subditus fidelis maior.

¶Et licet hæc autoritates deberent sufficere ad promulgationem diuini iuris (quia tot sanctorũ sunt, & Spiritu sancto inspirati loquti sunt sancti Dei homines, vt dicitur, secundæ Petri 1.capit.)ad maiorem tamẽ firmitatem debilium adsunt. Symmachus Papa in ca.aliorum 9.quæst.3.dicens, Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminare: sed sedis istius præsulẽ suo fine quæstione reseruauit arbitrio. Et quòd loquatur de causis peccatorum, patet ex eo quod subdit, dicens, Voluit beati Petri Apostoli successores cœlo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam habere conscientiam. Et excludens obiectionem subdit, Nolite æstimare eas animas inquisitionis nõ habere formidinem, quas Deus prę cæteris suo reseruauit examini,&c. Innocen.3.in sermone consecrationis Papæ dicit, In tãtum mihi fides est necessaria: vt cum de cæteris peccatis Deum iudicem habeam, propter solum peccatum quod in fide cõmittitur, possem ab Ecclesia iudicari. Bonifacius quoque 8.in extrauaganti, vnam sanctam, dicit, Si deuiat suprema potestas, à solo Deo iudicatur: vt superius allegatum est. Albertus mag. Petrus de Pal. Herueus Vlricus Aug. de Ancha. & alij quos refert domin. Ioan. de Tur. Cremat. in lib. de Ecclesia, hanc viam secuti sunt quibus magis credendum est, quàm canonistis multis: ad quos non spectat, nisi secundariò de iuris diuini rebus tractare, sicut de vsura, sacramentis Ecclesiæ, hæresibus, & huiusmodi. Hæc de secundo.

¶DIVINA scriptura solùm casum hæresis apertè excipit, dum,(vt supra allatum est,) hæreticos separandos ab Ecclesia instituit, & sanæ doctrinæ Prælatos, malorum autem morum tolerandos constituit. Hoc enim nihil aliud est, quàm dicere, Pro solo hæresis crimine deponendum instituimus, quantũ est ex diuina lege, prælatum: ac per hoc iuri humano reliquas depositionis causas dimittimus, quo ad subditos iuri humano, de non subditis enim nullus statuit. Et de hæretici quidem separatione extant textus Pauli Apostoli & Ioan. Euangelistæ iam dicti. De toleratione verò, imò obedientia & audientia malorum Prælatorum fidelium, extat sententia Domini, Matt. 23. Super cathedram Moysi, &c.& Petri Apostoli. Obedite Præpositis discolis, qui iam inducti sunt. Et nunc adiungitur sententia Domini, Luc. 12. manifestans iudicium Papæ mali in seipsum & in proximum, agendum per ipsum Dominum, dum respõdens Petro ait, Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, &c. Et subdit de eodem. Quòd si dixerit seruus ille in corde suo. Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere seruos & ancillas & edere & bibere & inebriari, veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora quam nescit, & diuidet eum partemque illius cum infidelibus ponet. Vbi notandum est primò, quòd ad literam loquitur de seruo constituto super familiam, id est Ecclesiam: vt glo. interlinearis exponit. Quod patet ex officio, scilicet vt det illi in tempore tritici mensuram: & ex præmio, Beatus ille seruus, quoniã super omnia bona sua constituet eum. In quo apparet differentia (vt glos. dicit) inter subditum & prælatum benefacientem: quia subdito promittitur quòd præcinget se Dominus & transiens ministrabit illi, prælato verò quòd super omnia bona sua est constituendus. Notandum est secundò, quòd distinguit manifestè crimina tria, in seipsum, in proximum, & in Deum: ac per hoc comprehendit omnia. In seipsum per gulam & ebrietatem. Scriptum est enim, Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adiiciet vitam Ecclesiastici 37. In proximum, per percussionem suæ curæ commissorum vtriusque sexus. In Deum per infidelitatem. Et non describit dispensatorem criminosum in Deum per infidelitatem, sed in seipsum & in proximum. & dicit seruum talem cõfidentem in mora Domini iudicandum à Domino per mortem, qua diuidetur à familia, & per damnationem æternam cùm infidelibus. Hęc manifesta sunt in litera, & clarè ostenditur quod diximus, scilicet q̃ quantum est ex lege diuina, prælati de criminibus cæteris à Domino iudicandi statuuntur, de infidelitate autem Ecclesię iudicio dimissi intelliguntur, ac per hoc si alij prælati non subessent iuri humano, quòd super apposuit suis subditis alias causas criminum iudicandas, ab Ecclesia non essent iudicandi & deponẽdi nisi pro infidelitate, sicut Papa: qui quia soli diuino iuri subest in casibus à diuino iure toleratis nulli subiicitur. Quia enim sola negatio statuti casus à iure diuino quo ad Papam soli diuino iuri subiectum: sufficit ad constituendam legem, quòd non potest iudicari aut deponi, multò magis expressa toleratio casuum in iure diuino constituit ipsum tolerandũ, alios autem tolerabiles: si à superueniente iure positiuo cui subiecti ex diuina lege sunt permittãtur. Vnde inter Papam & alios, quo ad casum criminis iudicandi & puniendi ab Ecclesia, tantum interest, quòd in Papa locus ab autoritate diuini iuris negatiuè efficacissimus est: quia soli illi iuri subiectus est. In aliis autem nec toleratio, nec negatio diuinæ legis efficax est: quia quod superius ius non statuit, aut tolerat, inferius ius potest & statuere, & punire: vt manifestè patet in contrahendis matrimoniis, & administratione sacramentorum, in quibus multa permissa ex diuino iure prohibita sunt ab Ecclesia in sibi subditis. Et si absque velamine aliquo obumbrante, sententia Domini perspiciatur, apparebit, quòd propter Prælatum, qui nullum habet supra se nisi Dominum, (vtpote constitutum super reliqua familia Domini absentis.) promulgata est hæc sententia. Quod etiam ex eo habetur, quòd constitutus super familiam absentis Domini neminem timere describitur, nisi Domini aduentum: in cuius mora confisus tanquàm neminem habens supra se peccare cœpit. De prælatis nanque habentibus superiorem præsentem in hac vita, non consonat, quòd in sola mora Domini cõfidant: quia habent statim superiorem iudicem, quem timeant vltorem. Non nihil quoque ad hoc confert, quòd Petro futuro Papæ hæc Dominus dicit.

¶Ex his autoritatibus perspicaciter intellectis habetur, quòd pro reliquis criminibus manifestis non est Papa deponendus. Docens enim Dominus secundum opera malorum Prelatorum nolite facere, proculdubiò de notis operibus loquebatur, de quibus dixit, à fructibus eorum cognoscetis eos. Ne autem propter adiunctam scandali rationem deponendum putares, docuit Matth. 18. quòd pes, manus vel oculus non tamen caput scandalizans amputaretur: instruens ad literam, quòd si aliquod nobis opportunum (vt manus, pes vel oculus) scandalizans occurreret, præscindendum esset: secus autem de organo habente officium capitis sentiebat, nunquam dicens, Si caput tuum scandalizat te, abscinde illud & proiice abs te. Hanc autoritatem qui credit, Iesum Christum Dei virtutem & sapientiam omnia prouidentem, & cunctis prouidentem, non spernet, sed reuerenter considerabit, non casu nominasse Dominum manum, pedem & oculum membra summe necessaria, & tacuisse caput: sed ideo non esse mandatam præcisionem capitis scandalizantis, quia nec propter scandalũ caput simpliciter præcidendum est. Dico autem simpliciter, ad differentiam capitis in hac vel illa Ecclesia. quia quantumcunque caput huius vel illius Ecclesiæ præcidatur, semper restat caput Ecclesiæ in terris, Papa scilicet. Patet igitur, quòd nullum extra infidelitatem crimen notorium ac scandalizans, depositionem Papæ inducit. Hæc de tertio.

CAPVT XXVII.

¶ In quo respondetur rationibus factis in capi. 24. ad probandum, quod Papa ex alio crimine quàm hæresis potest deponi ab Ecclesia.

MANIFESTATA sufficienter veritate, quòd scilicet, si Papa est fidelis, nec iudicari, nec deponi potest ab Ecclesia pro quocunque alio crimine quantumcunque notorio & scandaloso, superest allatis in oppositum satisfacere.

¶Ad primum ergo motiuum ex parte criminis neganda est sequela, quia nec maior, nec par ratio est de hæresi & aliis criminibus. Et ratio iam tacta est, quia scilicet infidelitas spectat ad non esse, alia autem crimina ad malè esse Papæ. Cum ergo dicitur, aut hoc est ratione grauitatis, aut nocumenti, dico quòd diuisio non est sufficiens: quia datur tertium, scilicet quòd est ratione status. Infidelitas enim mutat statum hominis: quia facit quãtum est ex parte hominis, de Christiano non Christianum. Odium autẽ Dei licet sit grauius peccatum, ac per hoc faciat hominem peiorem, quàm infidelitas faciat: non tamen facit de Christiano non Christianum. Nec obstat, quòd hæreticus restat Christianus inuitus ex charactere: quia quod non voluntariè habetur, non est ab homine inquantũ homo: vt in principio Primæ secundæ San. Tho. dicitur. Propter quod fides informis saltem, & character non sunt duo constituentia distinctos status humanos ecclesiasticos, sed vnum & eundem statum Christianitatis constituunt cõplerè, concurrente vtroque altero vt humano: scilicet fide, quæ non est, si non est voluntaria: & altero, vt hominis, scilicet charactere, qui & sine voluntate acquiritur, (vt patet in pueris,) & inuitè conseruatur, vt patet in hæreticis. Propter quod sublata fide mutatur status Christianitatis, in quantum erat humanus: quod est mutari ipsum eo modo quo per hominem mutari potest. Mutatio autem status Christianitatis, extra Christianos hominẽ ponit ex propria natura: & propterea crimẽ hæresis nõ ratione maioris grauitatis, sed mutationis status deponendũ constituit Papa, alia autem crimina non. Et licet hæc responsio sufficiat etiam ad alterum membrum de nocumẽto: sciendum tamen est q̃ aliud est loqui de nocumẽto per se annexo peccato & aliud de nocumẽto annexo per accidẽs: quia scilicet est in isto homine sic disposito. Si enim loquimur de nocumẽto per se, maius nocumẽtum est annexum hæresi ipsius Papæ, quàm cuicũque alteri crimini: quia hæresi quãtũ est ex se, adhæret doctrina hæretica, quæ in capite quantum ex se est, ind-

induceret hæresim in Ecclesiam vniuersalem, quò maiùs nocumentum inferri nequit. Siverò loquimur in isto, qui non docet hæresim, & benè gubernat & dispensat, hoc est per accidens: & ideo despiciendum. Ad aliam probationem, scilicet quod non inuenitur in Scriptura sacra expressum, quòd magis sit pro hæresi Papa deponẽdus, quàm pro alio crimine: iam patet responsio, quòd non inuenitur quòd magis pro hoc quàm pro alio, sed inuenitur in sacra Scriptura, quòd pro sola hæresi est deuitandus & declinandus, vt patet ex textibus inductis. Vnde nõ est verum quòd sit hoc relictum interpretationi doctorum, & canonũ, nisi sicut explanãtibus, quomodo etiam articuli fidei declarare non mutare possunt doctores & canones, ita legem hãc diuinam declarare non mutare, addendo aut subtrahendo possunt. Ad tertiam probationẽ dicitur, quòd illa maxima, qui potest in maius, potest in minus, si philosophicè discutiẽda est, inuenitur falsa, tam de actu, quàm de obiecto, quàm de effectu. Intellectus enim qui potest in actum maiorem, scilicet intelligere, non potest in actum minorem, puta odorare. Similiter visus qui potest in obiectum maius, puta lucidum, non potest in obiectum minus, puta sonum. Virtus quoque generatiua hominis potest in effectum maiorem scilicet hominem (homo enim generat hominem) & tamen non potest in effectum minorem, puta Leonem. Si autem politicè discutienda est, (vt Innocen.3.in dicto capit. ex parte, inducit sub aliis verbis: scilicet cui concessum est maius, minus quoque concessum esse videtur) dicitur quòd intelligenda est cæteris paribus: modò autem cætera non sunt paria, quia in crimine hæresis (quod est maius crimen) subiectum mutauit Christianitatis statum, in aliis verò criminibus minoribus subiectum permanet in eodem Christianitatis statu. Et hæc est vera responsio ex parte criminis maioris & minoris. Ex parte autem maioris vel minoris effectus iudicij, negatur minor: quia maius esset iudicare Papã in statu Christianitatis de adulterio, quàm iudicare ipsum à Christianitate tuente de hæresi: quia in primo attingitur superior status gradus, quàm in secundo, vt patet.

¶Ad secundam rationem (ex parte actus, scilicet actus) dicitur, quòd fallacia cõsistit in hoc, quòd aliud est auferre gladium, resistere, impedire, & huiusmodi: & aliud est facere ipsamet autoritatiuè. Auferre nanque gladium de manu furiosi, resistere tyranno, impedire oppressorem, & huiusmodi, cuilibet licet, & debitum est vt actus virtutis, sed facere ista autoritatiuè, soli superiori licium est. Vnde licet cuilibet liceat vim in se & in proximum vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ: non tamen cuilibet licet punire eum qui vim infert. Et similiter quamuis quilibet licitè possit Papam inuasorem, se defendendo, occidere: nulli tamen licet Papam propter homicidium punire pœna mortis. Vnde huiusmodi argumenta & similia non concludunt autoritatem iudicis ad puniendum, sed cuiuslibet priuati debitum ad resistendum, impediendum, defendendúmque: nisi quis adeò desipiat, vt dicat quemlibet esse iudicem cuiuslibet. Resistendum est ergo etiam in faciem Papæ publicè dilanianti Ecclesiam. verbi gratia, quia non vult dare beneficia ecclesiastica nisi pro pecunia, aut commutatione officij: & cum omni reuerentia & obedientia negãda est possessio talium beneficiorum his qui emerunt, & allegãda est causa simoniæ etiam cum Papa commissæ: & sine dubio principes seculi & clariùs gladium de manu furiosi sic cum modestia tolerent. Multæ quoque sunt viæ, quibus absque rebellione principes mundi & prælati Ecclesiæ, si vellent vti, resistentiam, impedimentúmque abusus potestatis afferrent. Sed quando Principes & prælati non curant nisi quasi somniando, cur cõqueruntur quòd non potest deponi? cur opponunt, quòd potestas data est in ædificationem, & non in destructionem? Abusui nanque potestatis, qui destruit obuiam eant congruis remediis, non obediendo, in malis non adulando, non tacendo, arguendo, aduocando illustres ad increpandũ exemplo Pauli, & præcepto eiusdẽ, (Dicite Archippo, Vide ministeriũ quod accepisti in Domino, vt illud impleas ad Col. vlt. &c.) & parum aut nihil abuteretur potestate.

¶In responsione tamen ad quintum habebis vltimam satisfactionem huius argumenti.

¶Ad tertiam rationem ex parte ipsius Papæ, dicitur, quòd etiam est falsa: nam aliud est purgatio ad remouendum scandalum, & aliud est purgatio ipsa coram iudice. Ad primam tenetur Papa de iure diuino, ad secundam non: vnde Damasus nõ coram generali Concilio, sed coram quadraginta Episcopis se purgauit, vt patet secunda quęstione septima: nos si competenter. Et Gregorius ipse testatur, quòd ex humilitate exhibuit se ad iudicium: vt patet secunda quæstione septima. capitulo Petrus. vbi ipse Gregorius dicit, Petrus potestatem regendi acceperat: & tamen idem Apostolorum primus querimoniæ contra eum à fidelibus factæ, cur ad Gentes intrasset, non ex potestate officij (qua posset dicere, Oues pastorem suum nõ accusent, nec reprehendant) sed ex autoritate diuinæ virtutis, qua Gentiles acceperant Spiritum sanctum, respondit. vbi apparet, quòd ipse imitatus est Petrum Apostolum, non vtendo potestate sua, & quòd potuisset illa vti.

¶Ad quartam ex parte Ecclesiæ vt spõsæ, breuiter dicitur: primò, quòd Papa non potest inuitam Ecclesiã deserere: quia non potest iuri Ecclesiæ renunciare: Prælatus enim est propter Ecclesiam, & non econuerso: vt super Epistolam ad Cõl. in fine diuus Tho. dicit.

¶Secundò, quòd non est par ratio ex vtraque parte: quia Ecclesia est subdita Papæ & non econuerso. Nec etiam in lege Moysi vxor poterat dare libellum repudij viro. Nec est periculum de ipsius dilaniatione: quia scriptum est, Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Ex parte verò Ecclesiæ vt communitatis liberæ, breuiter dicitur, quòd licet sit libera libertate gratiæ, est subdita tamen secundum iurisdictionem Papæ. Vndeipsa Ecclesia non abdicauit à se potestatem supra Principem: sed Iesus Christus Dominus Ecclesiæ non subiecit eam ipsius communitati Ecclesiæ, sed suo vicario: & propterea nihil potest supra suum principem. Non sic est de aliis communitatibus, de quibus affertur Aristot.

¶Ad quintã, (ex parte diuinæ prouidentiæ, & operationis immediatè, & perfecti operis,) dicitur, quòd Deus perfectè Ecclesiæ corpus fecit, disposuit, ac ordinauit: ita vt ordinatissimum optimè extet, & nihil opportunum desit illi. Et cum dicitur, Ergo est relictum Ecclesię remedium contra Papam fidelem etc. non sequitur, &c. concedendum est. Sed cum infertur, Ergo Ecclesia potest illum incorrigibilem deponere, membrum illud abscindere & huiusmodi, respondetur, quòd est sophisma consequẽtis à superiori ad suum inferius affirmatiuè: à prouisione & remedio cõmuni ad hanc prouisionem, seu hoc remedium, ac si nõ esset alia prouisio & aliud remedium, Dicendum est enim, quòd Iesus Christus altioris ordinis remedium reliquit in Ecclesia ad repellendum sui proprij vicarij incorrigibile scandalosũque regimen. Ad cuius cuidentiam sciendum est, quòd sicut in naturalibus diuina sapiẽtia inferiora per media, & media per supremas causas secundas gubernat: ita in supernaturalibus, (inter quæ est ordo gratiæ fidei & Ecclesiæ super illã fundatæ,) inferiora per media, & media per supremas causas secundas supernaturales gubernat. Rursus cum causæ effectibus proportionatæ sint, vt superioribus effectibus superiores causæ respondeant, & inter causis secundas prouidentia humana Ecclesia autoritate fulta, inferioris ordinis causa sit, quàm oratio, quæ in supremo ordine secũdarum causarum locata est à Deo, (q̃ ex eo patet, quòd tota creatura corporea & in corporea subiecta est illi) & prouisio supra Papam fidelẽ sit inter supremos effectus in Ecclesia: consequens est, quòd sapientissimè Deus disposuit remedium in Ecclesia supra fidelem Papam, non prouidentiam humanam, cui subiecit reliquum Ecclesię, sed orationem. Nec est minus efficax causa secũda oratio Ecclesiæ pro se petens necessaria ad salutẽ perseueranter, quàm prouidentia humana: cũ constet q̃ cuiuslibet particularis personæ oratio pia per seuerans, petens necessaria ad salutem pro se est causa efficacissima, & infallibilis: vt diffusè habes in tertio contra Gent. à beato Thoma cap. 95. & 96. Vnde si necessarium est ad salutem Ecclesię, quòd Papa talis auferatur, sine dubio oratio sic conditionata, auferret illum de medio. Et si non est necessarium, quòd auferatur, quid causamur bonum Dominũ, qui negat quod volumus, & tribuit, quòd nollemus? Si est necessaria eius ablatio, non potest non auferri ab eo rogato, qui promisit, quòd nihil deesset timentibus eum. Si non est necessaria diuino iudicio, & tamen iudicio humano vtilis, & necessaria creditur, cur præponis te Deo vt eo sessilium deponere? Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domine suo stat, aut cadit Iesu Christi vicarius. Non dico hoc ego, sed Dominus, qui Lucæ decimooctauo docet, quòd Deus multò magis quàm homo faciet citò vindictam electorum suorum clamantium ad se. Cõstat enim Ecclesiam electos claudere, & vindictam hanc, quia ipsi soli Domino reseruata est, ab ipso præ cæteris faciendam. Non dormitat neque dormit, custodiens Israel, qui naviculæ fluctuãti quarta vigilia noctis ex oratione surgens subuenit: qui à Sennacherib exercitu Ezechiã liberauit, Assueri cor mutauit, Nabuchodonosor prædicatorem suum fecit: Anastasium secundo, oratione Ecclesiæ percussit. Leonem etiam Papam (seu Liberium apud alios) Hilarij orationi sibi fecit: qui etiam omnia temporalia bona superadicienda promisit: qui demum dedit nobis Filium, & omnia donauit eum illo. Sed heu impletum quasi est illud, Putásne Filius hominis veniens: inueniet fidem in terra? nam prouisio istius tam excellæ, & tam efficacis causæ secundæ pro nihilo habetur. Oportet, inquiunt, prouidentia nostra puniri Papam, non diuinæ prouidentiæ soli, & orationibus relinqui. Quare hoc dicunt, nisi quia prouidentiam humanam præferunt orationum efficaciæ? quare hoc dicant, nisi quia animalis homo non percipit quæ Dei sunt? quare hoc dicunt, nisi quia didicerunt considere in homine, & non in Domino, & ponere carnem brachium suum? Quò fit, vt si incorrigibilis existimetur quandoque Papa in propriis vitiis, manentes subditi quotidie murmurent de malo regimine, nullum orationis remedium

adhi

Universidad de Deusto
Biblioteca

adhiberi procurantes, nisi forte, vt somniantes absque fide, & factosuo adimpleant Scripturas (quod scilicet propter peccata populi regnat hypocrita, officio sanctus, animo diabolus) & detur ac conseruetur Rex in furore Domini. Iram enim & clementiam Dei in manibus orationum nostrarum esse Spiritus sanctus in Psalmo testatur, Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam & misericordiam suam à me. glo. Quia non est amota oratio: securus esto, quia non auferetur misericordia. Verùm ita stolidi sumus, vt nolimus orare vt debemus: & tamen velimus orationis fructum, nolimus seminare, & velimus metere. Aut Christiani non nominemur, aut Christi prouisionem amplectamur: & sic phreneticum, furiosum, tyrannum, dilaniatorem, dilapidatorem, corruptoremque Ecclesiæ (cùm contingeret talem præsse) superabimus. Sed qui nos met nō superamus nostris orationibus (quia eas non vt decet agimus) quomodo conqueri possumus, quod aliorum malorum vita non superamus orationibus, quæ non solùm tectum non transeunt, sed nec orātium capita propria penetrant? Et quod peius est, olim conquerebatur Deus, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum lōgè est à me. Tempore reuelatæ gratiæ, ne labiis honoratur: quoniam nihil dicitur minus intelligibiliter quàm diuinum officium, nihil tam celeriter persoluitur, quàm Missa. Tepus diuini officij & Missæ, onerosum est valde: loci autem & negotia accommoda secularia distinctè dicuntur & repetuntur, & absque temporis mensura delectant. Vnde concluditur, quòd aut abscissio Papæ fidelis & incorrigibilis post humana remedia est in veritate necessaria ad salutem Ecclesiæ: & oratio sit sine intermissione ab Ecclesia: & sic habetur certa, & multo celsior, ac efficacior prouisio, quā si autoritas deponendi humanæ esset prouidetiæ delegata. Aut non est necessaria, vel non sit oratio vt debet: & tunc nullus est querelæ locus, si in nō necessariis abest prouisio exterminatiua: quoniam nec humana prouidentia extra veram necessitatem deberet illa vti autoritate, si eam haberet, vel si nosipsi cōcesso remedio efficaci nolumus vti. Quamuis etiam non sit abbreuiata manus Domini, vt non possit saluare citra omnimodam necessitatem: nec aggrauatæ sint aures eius, vt non exaudiat citra necessitatem. sed iniquitates nostræ sunt, quæ diuidūt inter nos & Deum nostrum, & multas malas actiones in rectoribus nostris procurāt: vt Hiero. in ca. audacter. 8. q. 1. & Greg. 7. q. 1. c. ex merito. dicunt. Et si contra hæc instetur: Quia oratio comune est remedium omnibus occurrentibus malis: in hac autem re proprium quæritur remedium, sicut in cæteris rebus, vltra communem causam propria assignāda est: videtur, quòd supremæ causæ quamuis sint causæ communes respectu inferiorum, sunt tamen propriæ respectu superiorum effectuū. & propterea oratio quia est inter supremas causas secundas supernaturales respectu inferiorum est causa communis: respectu autem summorū effectuum (qualis est exterminatio Papę fidelis, vtpote effectus reseruatus Deo) est causa propria & remediū propriū, vltra quod sunt multa alia humana adminicula, quæ scripsit Dominus Ioan. de Tur. Cre. in li. 2. de Ecclesia. ca. 106. Cum his tamen omnibus memento, quòd pessimus Papa fidelis toleratus à Deo, non potest totum corpus Ecclesiæ inficere, aut in perniciem ducere, & huiusmodi: vt argumenta autumant in similitudinibus corporum. & huiusmodi. Nam Deus non potest seipsum negare: de quo scriptum est, Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiā cum tētatione prouentum.

¶ Ad sextam, quantum ad gesta Concilij Constantien. iam dictum est, quòd Concilium perfectum secundum præsentem statum Ecclesiæ potest deponere incertum Papā: nullus enim fuit illo tempore certus Papa. Quantum ad gesta Concilij Basilien. respondet vniuersalis Ecclesia, quæ Eugenium à Concilio depositum adorauit, & adorat vt Papam, olim in persona sua, & post in successore Nicolao, quem ipse eodem anno creauerat Cardinalē, & sic deinceps. Et hæc responsio facti testatur quantum delirent, qui Papam Concilio subiiciunt. Ad priscorum temporum gesta dicitur, quòd licet multi legāti depositi Pontifices summi, aut nō erant indubitati Pontifices summi, aut de facto non legitimè depositi sunt, vt in c. 103. secundi libri de Ecclesia, domin. Ioan. de Tur. Cre. manifestat diffusè. Ad autoritatem glossæ, & plurium Canonistarum sequentium illam, dicitur, quòd glossa est cōtra textum, quia textus excipit solam hæresim, & ipsa leui ratione mota, extendit ad omne crimen notorium scandalizans incorrigibile: quia scilicet contumacia est hæresis. Cōstat enim quòd late vocabulo contumacia hæresis dicitur, sicut & simonia: nec æquiparada est veræ hæresi, quæ mutat statum Christianitatis. Et quamuis glossa quia sobrie loquitur dicens, Credo, &c. mereatur veniam, assertores tamen illius documenti super illam se fundantes, quia contra antiquam fidei doctrinā tam leuiter mouentur, nescio excusare. Canonistarum autem autoritas in hac, (quia principaliter est theologica) parua est, nec maior ratione super qua se fundant: non sic est de autoritate Sanctorum, qui Spiritu sancto inspirati loquuti creduntur. Rursus secundum ipsosmet Canonistas, in materia fidei magis standum est antiquorum, quàm modernorum autoritati, licet in his quæ iuris sunt quāto iuniores, tanto perspiciores. Cum igitur hæc sit materia fidei (quia immediatum opus Dei non ratione naturali, sed sola diuina reuelatione scibile, in quæstione est) consequens est, vt sanctorum autoritas sacræ Scripturę innixa omnibus Conciliis & Theologorum vniuersitatibus, ac Canonistis posterioribus, imò quasi modernis ponenda sit.

¶ Ad septimam ex parte iudicij humani dicitur, quòd cōditiones iudicij humani sunt duplices: quædā ex naturali iure, vel diuino determinatæ, quædā à iure positiuo. Inter quas hæc est differentia: quia illæ quæ sunt ex iure positiuo non possunt in iniuriū Papam exerceri, quia non subest positiuo iuri, illæ verò, quæ sunt à naturali vel diuino iure, habent etiam locum in Papa. Exiure autem diuino statuta est forma iudicij humani circa hæreticum, vt post primam & secundam monitionem euiteretur: ac per hoc (vt dictum est) potest contingere vt Papa fidelis nunc: sed bis relapsus deponi possit & debeat. Exiure etiam naturæ est, vt homo videat quæ foris sunt, ac per hoc propter actus manifestè hæreticales & verba manifestè seriò hæretica cognita, &c. sic facta & dicta vt humano iudicio corde consentiente facta sint & dicta, iudicetur quis hæreticus. Ex ipso quoque diuino iure est, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum: vt patet Matth. 18. Et ex iure naturæ vnicuique contra se creditur si est sani capitis, & cætera. Vnde ex non suspectis, &c. testibus conuictus quis de dānata & nota, &c. hæresi, hæreticus iudicabitur. & similiter si sua sponte se confitetur hæreticum quamuis coram Deo mentiatur, iudicabitur hæreticus. Exiure autem positiuo contumax & perseuerans per annum, siquis alius est eiusmodi, præsumitur hæreticus. Vnde primi duo casus non habent locum in Papa, qui non potest excommunicari, nec iuri positiuo subiicitur: sed seruāda est lex ab Apostolo Paulo in sacra Scriptura tradita. Similiter si timore mortis certo vel probabili secundum humanum iudicium absque interiori consensu gesta vel verba hæreticalia habuit, non deponitur Papa. vnde Petrus Apostolus, qui solo verbo negauit Christum, quia fides eius non defecit, sed charitas (teste Iesu Christo dicente, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua) conuersus à peccato negationis cum periurio quo perdidit charitatem, confirmaturus instituit fratres suos, non deponendus. Et hoc imitati Patres Marcellinum (qui etiam solo exteriori actu peccasse videtur) deponendum non censuerunt. dist. 21. nunc autem. Ex casibus autem in quibus propter conditiones humani iudicij iure diuino vel naturali determinatas Papa in corde fidelis, coram Ecclesia verò infidelis deponitur, non constituitur alius casus quàm casus infidelitatis. Nam nihil refert esse & apparere sufficienter quòd ita sit secundum humanum iudicium coram Ecclesia, quæ nō videt nisi quæ foris sunt: nec verius iudicium ab Ecclesia exigit Deus, qui naturam hominis iūsque diuinum condidit. Vnde ex his nulla alia subiectio Papæ ad Concilium habetur, sed illa sola quæ dicta est, scilicet in casu hæresis propriè sumptæ. Et sic, Si sit catholicus, Papam non iudicat vllus.

CAPVT XXVIII.

¶ Sex casuum solutio quod in nullo euentu Papa absque sua culpa, subest Ecclesiæ, ita quod deponi possit.

VT PROMISSA perficiantur, superest discutere, an in aliquo euentu sine culpa Papæ, subsit Papa Ecclesiæ, seu Concilio vniuerso, ita quòd possit deponi. Inuenio siquidem notatos sex casus, in quibus Ecclesia sine culpa quidem Papæ, sed non sine causa deponere potest Papam.

¶ Primus est cùm coram vniuersali Ecclesia testibus comprobaretur, quòd Papa, qui diu detentus erat à Saracenis, iam obiit, & Concilium determinat noui Papæ electionem: & sic fit, decernendo quòd pro bono Ecclesiæ etiam si viueret, iste nouus sit Papa, potest enim ipsum captiuum sine spe reditus deponere.

¶ Secundus est, cùm propter indispositionem corporalem, (puta dementiam,) esset inutilis, & Concilium per eum congregatum, dum sanæ mentis esset, decerneret alterum Papam creandum.

¶ Tertius est, quando cardinales omnes statim post canonicā electionem Petri in Papam morerentur: ita q̄ non possent publicare electionem, tunc Ecclesia cum non teneatur illum acceptare, alium eliget: & sic istū deponet: quia duo simul esse non possunt.

¶ Quartus est, quando Cardinales etiā viuentes non possunt facere fidem de electione sua canonica in vnum: vt videtur accidisse in schismate magno ab Vrbano 6. vsque ad Marti. 5. tūc Ecclesia deponit nolentes renuntiare: vt in Concilio Constan. factum est.

¶ Quintus est, quando propter communem errorem, aut æstimationem subditorum aut ipsorū malitiam generalem: præsumitur quòd nunquam præstabunt obedientiam tali qui fuit rite electus in Papam, alteri tamen nouiter eligendo parati sunt obedire: vt si forte Græci vellent ad vnitatē Ecclesiæ redire, dummodo tollere-

tur Papa iā existēs, & nouus ritè canonicè crearetur. Et confertur hoc ex autoritate Iuristarū dicentiū religiosum professum posse vxorē ducere pro salute magnæ gentis, aut conuersione ad fidem. ¶ Sextus est, quando Papa verus iuramento vel voto seipsum ad cessionem obligasset, sed differret adimplere in scandalum populorum putantium ex tali facto Papæ, quod nec ipsi votis aut iuramentis propriis obligantur: vt Ioan. 23. contigisse videtur in principio Concilij Constantiensis.

¶ SED EX NVLLO euentu Cōcilium posse deponere Papam, quamuis ex hoc haberi possit, quod suprà dictum est: scilicet quòd euentus locum habent in his, quæ humani iuris determinationi subsunt, non in his, quæ solius diuini sunt iuris, (qualis est autoritas immediatè à Christo tradita, quæ ad depositionem fidelis Pontificis exigitur) examinādo tamen singulos, idem apparebit inconcussum permanere.

¶ In primo itaque euentu de Papa captiuo, duo tanguntur. primum retrogrado ordine est, quòd nulla existente spe reditus, & nullo patente accessu, potest per Concilium deponi. Quod primitiuæ Ecclesiæ gestis nō consonat: quia Petro seruato in carcere, & sine humana spe reditus ac accessus ad eum (quia inter tot milites vinctus catenis, post tot custodias erat) nō depositio tractabatur, sed oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deū pro eo: & sic per Ecclesiæ orationem liberatus est. Secundum, quòd constito per testes de morte, licet non ita fuerit, potest eligi alter. Et hoc non aliter verum est, quàm quòd constito per testes, quòd maritus Marthę mortuus est, licitè ipsa Martha nubit alteri, filiosque generat, & tamen adueniente primo marito, qui reuera non erat mortuus, ad primum maritum (qui solus est verè maritus) redire eā oportet, alioquin adultera esset. Sic nanque esset in casu hoc, redderetur quippe Papę viuo spōsa sua, etiā non veniēti (quia vbique præsens est) & ex humano errore electus Papa cessaret.

¶ In secundo euentu de dementia perpetua, dicitur quòd Papa non potest deponi: sed si constat de dementia perpetua, cùm sit mortuus vita rationali, secundum quam homo est subiectum Papatus sine Concilio generali possunt Cardinales procedere ad alterius electionem: vtpote sede vacante in veritate non minus quàm cùm sedes vacat per renuntiationem.

¶ In tertio euentu de morte omnium Cardinalium dicitur quòd cum Ecclesia videat solùm quæ foris funt, si electio Papæ nō constat Ecclesiæ sufficienter, tunc nullus est Papa certus Ecclesiæ: & propterea Ecclesia non deponit Papam in foro suo, licet deponat Papam in foro conscientiæ. Hoc autem nō solùm posse sed debere Ecclesiam facere, ex eo patet, quòd ille posset eam decipere dicendo se electum, & tamen non esset. Vnde euentus iste & quartus de defectu probationis, nihil aliud inferūt nisi quòd Papa incertus Ecclesiæ potest deponi: quod gratis conceditur. Sed non est quæstio de hoc, sed de Papa certo: paria enim apud Ecclesiam sunt non esse & non apparere.

¶ In quinto euentu rebellionis cōmunis, dicitur q̄ quia non sunt facienda mala vt eueniāt bona, nec periculis humanis subueniendum est vsurpatione diuinę autoritatis, nec debēt mali ex iniquitate reportare cōmodum cum iniuria innocentis, non potest Papa deponi. Si enim boni faciant quod in se est, & orationi vacent sine intermissione, omnem solicitudinem suam in eum proiicientes, cui est cura de Ecclesia, impossibile est vt desit diuinum adiutorium: scriptum est enim, Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum.

¶ In sexto euentu dilatæ cessionis post votū & iuramentū breuiter dicitur, quòd licet ipse teneatur ex voto & iaramento cedere: Ecclesia tamen nō potest ipsum ad hoc cogere inuitum, quia potestatem coactiuam super fidelem Papam non habet. Et bene hic caue: quia non valet argumentū Papa tenetur ad hoc, ergo potest ad illud per Ecclesiam cogi: patet nāque quòd tenetur ad solicitè vigilandum, ad non formicandū & infinita alia, & tamen non potest cogi ab Ecclesia: vt in canone, si Papa. distinctione quadragesima patet. Quibus autem scandalum præbetur de suo periurio & voto facto, & aliis huiusmodi, præueniens Dominus dixit, Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæ dicunt facite, secundum verò opera eorum nolite facere.

¶ Et sic patet q̄ Papa ordinaria potestate à Iesu Christo tanta donatus est cùm ipsius est institutus vicarius, vt ei Apostoli, Ecclesiæ singula membra & cōmunitas subiecta sit: ipse verò soli ipsi Iesu Christo subiectus viuat, sic vt in nullo euentu nulloque casu nisi hæresis proprie sumptæ iudicari aut deponi possit, nisi ab ipso domino Iesu Christo. Pro cuius fide, Ecclesia & apostolica sede, hæc ipso donante, scripsi. Ro. die xij. Octobr. anno saluris millesimo quingētesimo vndecimo, ætatis verò meæ quadragesimotertio. Rogoque lectores omnes, vt soli veritati intenti, passiones, sectas, paternasque traditiones, casus, voluntarias glossas omnemque nebulam à mentis acie abiciant: & sic censores se exhibeant rectos. Ad Dei, & gloriosæ virginis Mariæ, & Apostolorum Petri & Pauli laudem & honorem, Amen.

IN SEX CAPITA APOlogiæ primæ de comparata autoritate Papæ & Concilij,

SVMMARIA.

1 *Examen fundamenti iuris naturæ, quo communitas Ecclesiæ supra Papam in potestate exponitur.*
2 *Examen fundamenti iuris diuini, quo etiam communitas Ecclesiæ Papæ in potestate præfertur, & pro quo Ecclesia sumitur, cum dicitur, Dic Ecclesiæ.*
3 *Discussio quid significet Ecclesia, cum dicitur, Dic Ecclesiæ.*
4 *An Dominus immediatè dederit potestatem iurisdictionis Ecclesiæ, & quantam autoritatem eidem dederit.*
5 *Quomodo Ecclesia habeat potestatem iurisdictionis, quæ in verbis Domini continetur: an scilicet, ratione suæ totalitatis, an ratione partis.*
6 *Quomodo intelligi possit, quod Ecclesia ratione suæ totalitatis potest habere & habet quandoque potestatem aliquam iurisdictionis.*

TRACTATVS SECVNDVS THOMÆ de Vio, Caietani Cardinalis S. Xysti, de Comparata autoritate Papæ & Concilij Apologiæ, Pars Prima ad Eundem in Sex Capita diuisa.

¶ Prologus in quo ratio, intentio, ordóque operis est.

CHARITAS IESV CHRISTI, sanctæque eius Ecclesiæ, reuerendiss. in Christo pater, protector & domine cogit me virum periculosum eneruatorem ecclesiasticæ potestatis, falsarium, adulatorem atque blasphemum, ad hæc quidem exemplum illius sequi, qui cùm malediceretur non maledicebat, ad obiecta autem contra doctrinam in opusculo de comparatione autoritatis Papæ, & Concilij per me edito, tuæque reuerendissimæ dominationi dicato contentam pro veritate respondere.

¶ Et licet plura obiecta sint, quę à viris doctis, (pro quibus solis opus illud scripsisse me ibi sum cōtestatus,) facilè solueretur: quia tamen sapientibus & minus sapientibus debitores sumus, qui parati esse debemus omni poscenti nos rationē reddere de ea, quæ in nobis est fide: ideo responsiones iuxta obiectorum amplitudinem extendendæ sunt. Visus est autem conueniens ordo, si obiectiones iuxta ordinem capitulorum illius libelli afferantur, atque soluantur, erunt siquidem hæc velut commentaria illius. Rogo igitur in primis omnes, vt meminerint sermonis formalis, & subiectæ materiæ, meditentúrque diutius, antequàm sententiam proferant, ne multiplicatis argumētis pro gloria ingenij, res tāta de qua agitur, in disputationem dialecticam, aut etiam sophisticam deducatur. Et quoniam communia singulis, & radices tamis præponi debent: ideo & latius secundum vires repetenda sunt rei huiusmodi fundamenta. Sciendum itaque est, quòd cùm iura positiua ab ecclesiastica sint condita potestate, & in quæstionem versetur ipsius autoritatis ecclesiasticæ subiectum, non ex iure positiuo, sed naturali vel diuino, aut vtroque veritas pendet vt ex causa, à positiuo autem iure vt à teste. Et secundum luminis mihi concessi facultatem duo sola sunt fundamenta, alterum iuris naturalis, alterum iuris diuini: in quibus vniuersa moles doctrinæ extollentis communitatem Ecclesiæ supra Papam in potestate, sic quòd Papa sit illi subditus, sustinetur, quasi euulsa fuerint, ruent omnia. Primo igitur hæc tractanda sunt sex capitulis: deinde sigillatim singulis iuxta propositum ordinem respondendum.

CAPVT I.

¶ In quo fundamentum iuris naturæ examinatur.

EX naturali igitur iure stabilitur autoritas cōmunitatis Ecclesiæ supra Papam in hoc, quòd de iure naturæ est, quòd cōmunitas perfecta, & libera est, ad quam spectat prouidere sibi de principe: & tueri se cōtra eum quando in destructionē vtitur potestate, & cogere, punire, ac amouere illum quādo demeretur. Huic enim principio si adiungatur, quòd Ecclesia vniuersalis est communitas perfecta & libera, & quòd ordo gratiæ institutus à Iesu Christo nō tollit, sed perficit naturam: manifestè concluditur, quòd ad Ecclesiam vniuersalem spectat prouidere sibi de Papa, & tueri se contra eum, & punire, ac etiam deponere illum, & vniuersaliter esse supra illum.

¶ HÆC RATIO quamuis in cap. 27. soluta sit, ex eo quòd Dominus Ecclesiam non reliquit in hoc liberam: altius tamen eadem tractādo dicimus, quòd natura regiminis cùm sit multiplex ex ipso naturæ fonte (nā quoddā naturaliter in vno: qui est naturale caput cōmunicationis illi', resident: vt pater in regimine domus: cuius autoritas, naturaliter in patrefamilias est, quoddam vero

Universidad de Deusto
Biblioteca

naturaliter in ipsa cõmunitate multitudinis manet, vt patet in regimine ciuitatis, secluso omni superaddito dominio) ecclesiasticum regimen cùm domesticum & ciuile complectatur (iuxta illud Apostoli ad Ephesios quarto, Estis ciues Sanctorũ & domestici Dei) ac per hoc altius quid sit, non ex diuinæ potentiæ immensitate, nec ex diuinæ sapientiæ, iustitiæ aut bonitatis decẽtia (quoniam non est impossibile apud Deum omne verbum, nec dedecere Deum potest quicquid vult) qualis naturæ sit, sed ex ipsa natura facti contemplandum est. Sicut enim domesticum regimen & politicum ex ipsis diffinimus, ita oportet ecclesiastici regiminis natũrã ex seipso speculari. Et quoniam naturalis propagatio regiminis sicut & aliarum rerum, ortæ rei naturam ostendit, libet intueri quòd ecclesia nõ à singularibus aut à communitate, sed à capite homogeneo Iesu Christo initiũ sumpsit originis, perfectionis & potestatis, propter quod Ecclesiæ suę dixit Ioan. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Natura igitur ecclesiastici regiminis ab ipsa sua natiuitate est: non vt in communitate sit nec vt à communitate ad vnum, vel plures deriuetur (quemadmodum accidit in regimine ciuili humano) sed vt in vno certo principe suapte natura sit. Et cùm princeps iste vnus atque idem dominus Iesus heri, hodie, & in secula viuat & regnet, secundum naturalis iuris consequentiam oportet, vt ad ipsum principem non ad communitatem Ecclesię spectet in sua absentia ordinare de vicario, nõ communitatis Ecclesiæ (quæ vtpote serua nata, principandi iure caret,) sed ipsius principis naturalis Domini communitatis ecclesiæ. Et hoc ipsum Saluator noster per semetipsum exequi dignatus est, dum Petrum Apostolum solum instituit suum vicarium post resurrectionem, antequàm cœlos ascenderet: vt patet Ioannis vltimo. Relinquitur igitur quòd sicut princeps Ecclesiæ non à cõmunitate Ecclesiæ naturaliter autoritatem habet, ita illius vicarius non ab Ecclesiæ communitate, sed à Iesu Christo autoritatem naturaliter habet.

¶Patet ergo primò, quòd Ecclesiæ communitas secundum propriam naturam considerata, non est talis naturæ, vt ad ipsam spectet prouidere sibi de principe: ac per hoc nec ad ipsam spectat suapte natura punire, deponere, & alia huiusmodi contra principem suum: quia serua (vt dictum est) nata est.

¶Patet secundò, quòd Ecclesiæ communitas secundum propriam naturã sumpta non est talis naturæ, vt ad ipsam spectet instituere aut destituere vicarium sui principis, qui vocatur Papa. Et si Ecclesiæ communitas potestatem aliquam habet in disponendo de vicario principis, quæcunque sit illa, non habet illam ex sua natura, sed aliunde.

¶EX HIS autem facilè patet euulsum esse fundamentũ iuris naturalis pro potestatẽ Ecclesiæ supra Papã, quoniam falsum assumit dicendo Ecclesiam esse communitatem liberam quo ad ius principandi: licet sit summè libera libertate gratiæ, quin potius ex ipso naturæ iure supposita Ecclesiæ natura, quam Deus illi statuit, oppositum sequi mõstratum est: Vnde ordo gratiæ non tollit in Ecclesia naturæ ordinem, qui ibi natus est esse. Non enim in Ecclesia natus est esse ordo talis, vt eius sit ius principatus, & à gratiæ ordine tollatur: sed in Ecclesia ex sua natura natus est ordo talis vt ius principatus sit non in se, sed in domino suo naturali. Et hunc naturæ ordinem in Ecclesia, consequens est quòd gratia non tollat, sed perficiat: & Iesu Christi sapientia disponens omnia suauiter complectatur.

¶Facilè quoque patet ex hac radice prouenire, quòd omnia, quæ inducuntur, conuenire alicui corpori mystico ad ius principatus spectantia, non spectant ad communitatẽ Ecclesiæ ex sua natura. Dico autem ad ius principatus spectantia, propterea quæ ad priuatas personas spectant: vt vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, & auferre gladiũ de manu furiosi, & si quid eiusmodi est, hæc si quidem discernendo non fallemur. Signum autem infallibile seruitutis Ecclesię cõmunitatis, quo ad ius principatus est, quòd non potest sibiipsi regimen retinere, nec duobus aut tribus committere, hæc enim posse cõmunitatem liberam, manifestum est. Potest enim & per seipsam regere, potest & triumuiratum instituere, & alia huiusmodi, etiam supra Regem quem eligunt, quod Ecclesiam non posse manifestè liquet: alioquin posset aut in pluribus simul locare potestatẽ iurisdictionis Papæ, aut officium aliquod supra Papam quo ad iurisdictionem & regimen Ecclesiæ instituere in vno vel pluribus suppositis, sic & à talibus nominandis, quod loco ipsius communitatis Ecclesiæ Ecclesiam & Papam regeret. Quia igitur naturale ius fundatum supra ipsam Ecclesiæ naturam, non instituit Ecclesiam supra Iesu Christi vicarium: perseruatum est, an aliunde ex iure scilicet diuino Ecclesiæ communitas hoc habeat ius.

CAPVT II.

¶ In quo fundamentum iuris diuini examinatur: & pro quo Ecclesia sumitur, cum dicitur, Dic Ecclesiæ.

ETLICET hoc à multis assimetur, & in Constantiensi atque Basiliensi Consiliis diffinitũ sit, quòd ab ipso principe Iesu Christo Ecclesiæ communitas habet immediatè potestatem supra Papam ipsius principis vicarium, nullibi tamen in sacra Scriptura, in qua ius diuinum promulgatur, hoc haberi asseritur: nisi Matthæi decimooctauo, vbi Dominus ait, Si peccauerit in te frater tuus, &c. & subdit, Dic Ecclesiæ: & si ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus & publicanus. amen dico vobis, quæcũque solueritis super terrã, erunt soluta & in cœlo: & quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. In his enim verbis patet, quòd Ecclesiæ non alicui eius membro (Ecclesia enim non aliquod membrum, sed collectionem eorum significat) datum est vt audiat, excommunicet, liget, soluat omnem fratrem: & quæcunque super terram. Pluraliter quippe subiectum est, Quæcunque solueritis, ad ostendendam Ecclesiæ autoritatem.

¶Ex hoc textu apparet primò, quòd Ecclesia habet immediatè autoritatẽ à domino Iesu Christo. Per seipsum quippe hoc dixit Ecclesiæ, non minus quàm Petro cùm dicit, Pasce oues meas: &, Quicquid solueris super terram, &c. Apparet secũdò, quòd quum vicarius principis huius sit frater cuiusq; fidelis (iuxta illud Matt. 23. Omnes vos fratres estis) q; si peccauerit in me, potest denunciari Ecclesiæ, & procedit secundum subsequentia. Apparet tertio, quia eiusdem potestatis est esse ordinarium iudicem vicarij principis, & aliorum singulorum membrorum Ecclesiæ, & ordinare de illis. quòd ex hoc eodem textu Ecclesiæ communitas instituta est simpliciter superior ad ordinandum de vicario Domini & aliis Ecclesiæ membris.

¶HÆC RATIO quanuis in cap. 9. illius libelli multipliciter tractata ac soluta sit, altius tamen & latius (si fieri à me potest) repetẽda est: quia hinc omnia pendent. Et quoniam principia cognoscim⁹ ex terminis, examinemus primo quomodo oportet hic sumi Ecclesiã, quum dicitur, Dic Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audierit, &c. Oportet nanque sermonem hunc verificari de Ecclesia, aut vniuersaliter, id est de omni Ecclesia: aut singulariter de Ecclesia vniuersali, seu de Ecclesia simpliciter, aut de aliqua determinata Ecclesia, aut de Ecclesia indistinctè nõ determinãdo hãc vel illam. Cùm enim sermo sit de Ecclesia in actu audiẽdi & iudicãdi, alius modus esse nõ potest, quo de Ecclesia hoc verificetur. Oportet eñ aut omnibus, aut alicui Ecclesiæ, aut toti vniuersali Ecclesiæ cõpetere iudicium hoc à Domino traditum. Et quidem quòd non singulariter de sola vniuersali Ecclesia sermo sit, ex hoc conuincitur quòd præceptũ hoc Domini de denuntiatione peccantis proximi in me, nõ me obligat ad recurrendum ad vniuersalẽ Ecclesiam. Non enim oportet vt peccante in me fratre meo, & post adhibitos testes incorrigibiliter pernitioso, dicã Cõcilio vniuersalis Ecclesiæ, vt patet. Et tamẽ si sermo iste esset de sola vniuersali Ecclesia, præceptum Domini ad hoc obligaret: quia obligat ad dicendum Ecclesiæ vniuersali iuxta hunc sensum. Esset enim sensus, Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiæ vniuersali.

¶Amplius, Si in hoc text. data est potestas Ecclesię vniuersali, cùm non sit ei data maior intẽsiue potestas quàm Petro, vtrique enim eadẽ potestas data est, dum vtrique dicitur, Quodcunque ligaueris vel solueris super terram, &c. quomodo Ecclesiæ communitas maiorem sibi quàm Petro potestatẽ iurisdictionis vsurpat? Quomodo rursus Christus æterna sapientia quas æquales intensiuè potestates in Ecclesia absque tertia supra ambas instituit? mutuò enim se impedient: cùm par in parem non habeat imperiũ. Quomodo perplexas reliquit oues, vel liberas vt aut obediant cui volunt, aut neutri, aut vtrique præcipienti contraria simul? Non igitur est sermo præsentis textus de sola Ecclesia vniuersali.

¶Et per idem patet, qñòd non est sermo de Ecclesia simpliciter: vt distinguitur cõtra Ecclesiam talem (vt puta Mediolanẽsem, Bononiẽsem, &c.) hoc enim nihil aliud est dicere, quàm quòd est sermo de Ecclesia vniuersali, quod exclusum est. Et quia nõ est maior ratio de vna Ecclesia quàm de alia: ideo patet quòd nõ est sermo de aliqua Ecclesia determinatè, nec de omni collectiuè aut distributiuè propter prædictam rationem: quia non teneor denũtiare omnibus Ecclesiis peccãtem in me fratrẽ: sed sermo est de Ecclesia indistinctè seu indefinitè. Ita quòd Ecclesiæ datum est iudicium fratris peccantis, non determinando hanc vel illam. Et quoniam actiones sunt singulariũ, & actor sequitur forum rei, determinatur in qualibet Ecclesia à fratre peccante, ad Ecclesiam, scilicet fratris peccantis. Ita quòd sensus literalis illius textus est, Si peccauerit in te frater tuus, dic Ecclesiæ illius: & si illã non audierit, &c. Et ad hoc proculdubio obligat præceptum absque vllo inconuenienti, & communi animi conceptione ac consuetudine Ecclesiæ roboratur: disponit nãque sic intellecta doctrina Domini omnia suauiter. Nec fallaris male intelligendo Ecclesiam peccantis fratris: quoniam Ecclesia illius est non sola sua propria, sed quæcunque alia iurisdictionem habens super illam, vt patet.

Cap.

CAPVT III.

¶Quid significet Ecclesia cùm dicitur, Dic Ecclesiæ.

DE HOC rursus vocabulo Ecclesiæ videndum est quid significetur in hoc textu, quum dicitur, Dic Ecclesiæ. Et nein multitudine expositionum vagi æstimemur, admittatur Ecclesiam propriè sumi pro cõuocatione, seu collectione fidelium. Aiunt autem isti quòd Ecclesia hoc in loco significat communitatem fidelium non in seipsis, sed in prælatis eorum, siue Papa interfit, siue non.

¶Sed quòd hic non sit sensus literalis, ex eo patet, quòd in vna & eadẽ significatione oportet intelligere in hoc textu Ecclesiæ nomen respectu cuiuscunque peccantis Ecclesia sit. Quum enim, vt ex dictis patet, indistincte dictum sit, Dic Ecclesiæ peccãtis fratris (quam illæ tenetur audire) & non magis de vniuersali quàm particulari, aut e contra oportet vniuocè significare Ecclesiam quum applicatur ad vniuersalem, & quum applicatur ad particularem, vt patet. Constat autem quòd non denuntiandus est frater Ecclesiæ illius, id est communitati, siue Episcopus interfit, siue non. Ergo cùm præcipitur dicendum Ecclesiæ indistinctè, non intelligitur communitas, siue caput velit esse, siue non.

¶Vnde sciendum est, quòd licet ex vi vocabuli, Dic Ecclesiæ, significet, Dic cõuocationi, proculdubio fidelium, ex contextu tamen literæ (quia subditur Amen dico vobis, quæcunque solueritis super terram, &c.) sumitur quod nõ de quacunque conuocatione fidelium, sed de autoritatiua intelligitur: alioquin conuocatio fidelium Mediolan. siue eius prælato haberet à Domino potestatem iudicandi, &c. Perinde ergo est, Dic Ecclesiæ, & Dic autoritatiuæ conuocationi. Constat autem inductiuè in singulis Ecclesiis quòd autoritatiua conuocatio non est, vbi Prælatus illius conuocationis deest: itigitur nec autoritatiua, conuocatio omnium fidelium est, vbi omnium fidelium pastor & rector, qui est Papa, deest omnino, scilicet tam per se quàm per alium. Et est sermo de autoritatiua conuocatione, seu Ecclesia simpliciter & absolutè & non secundum quid, seu respectu huius: puta Papæ hæretici deponendi, vel electionis futuræ, &c. inquirimus siquidem nunc superioritatem simpliciter & absolutè.

¶Explanatur autẽ amplius quod dicimus, scilicet quòd in nomine Ecclesiæ in hoc textu clauditur illius Ecclesiæ prælatus. Quia si non includitur prælatus illius, oporteret alterum duorum dicere, aut quòd communitas fidelium in Ecclesia aliqua particulari habeat etiam inuito Episcopo à Domino iurisdictionis potestatem excommunicandi, &c. aut quòd non de communitate sit dictum. Dic Ecclesiæ, & similiter quòd non est ei dictum, Quæcunque solueritis super terram &c. Sequela patet: quia Ecclesiæ data est autoritas, & si nomine Ecclesiæ intelligitur communitas, ipsa communitas velit nolit, Episcopi autoritatem habet: & si non habet, relinquitur quòd ipsa non significatur Ecclesiæ nomine, hoc in loco. Primum autem horum affirmari non potest: secũdum igitur est verum. In cuius signum, sacrorum doctorum ei consonat glosa, Dic Ecclesiæ, id est Prælato vt capiti conuocationis. Iuxta hunc etenim sensum etiã ipse, qui est Papa, dicere potest crimẽ alterius Ecclesiæ, id est autoritatiuæ conuocationi: vt Nicolaus papa II. quæstione 3. cap. præcipuè, Lothario regi comminando scribit. Nec obstat, quòd ipsemet sit illius caput: quia hoc est per accidẽs, scilicet, quòd denuntiãs, & prælatus conuocationis coincidant in vnam & eandem personam. Et si benè contextus Euangelij notetur, vbi vult Dominus autoritatiuam conuocationem adhiberi in qua ex pluralitate conuocatorum Concilij vigor, ex autoritate autem Prælati autoritas iudicij inueniretur. Propter quod etiam conuertit sermonem ab Ecclesia ad Prælatos: cùm enim prius de Ecclesia dixisset, Dic Ecclesiæ: & si illam non audierit, &c. nõ subdidit, Amen dico vobis, quicquid solueritis Ecclesia super terram: sed subdidit, Amen dico vobis, quicquid solueritis, insinuans per hoc communi quidem cõuocationis Concilio correctionem tractandam: Prælatorum autem autoritate soluendum ligãdumque (iuxta conclusa) per Ecclesiam esse. Pluraliter autem dixit Solueritis, vel propter pluralitatem conuocatorum ad tractandum, & concludendum, vel propter pluralitatem capitum in pluribus Ecclesiis, de quibus indistincte dixerat, Dic Ecclesiæ.

CAPVT IIII.

¶An Dominus per illa verba Matth. 18. dederit immediatè potestatem Ecclesiæ, & quantum ei dederit.

QVAMVIS autem ex Ecclesiæ in hoc textu suppositione, & significatione manifestũ sit, quòd ad Ecclesiam vniuersalem nõ restringitur prælens litera, sed quòd indistinctè de Ecclesia est sermo: adhuc tamen obscurum remanet: & propterea declarandum, an Dominus immediatè dederit potestatem iurisdictionis Ecclesiæ indistinctè, & quantam autoritatem eidem dederit. Est autem ratio obscuritatis in primo: quia si dominus dedit immediatè potestatem iurisdictionis Ecclesiæ fratris peccãtis in me: quum quælibet Ecclesia sit talis, sequitur quòd quælibet Ecclesia habeat immediatè potestatẽ iurisdictionis à Domino, quod nõ bene sonat: si autem non dedit omni Ecclesiæ fratris peccantis in me, quum nõ sit maior ratio de vna quàm de reliqua: nulli dedit in hoc textu: quod non admittitur. Ratio autem obscuritatis in secundo est: quia æqualem potestatem continent verba dicta in hoc textu Ecclesiæ: & verba dicta Petro, scilicet, Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Non consonat autem æquales esse in Ecclesia Dei potestates iurisdictionis non habentes in eadem aliquam tertiam supra se: principatuum enim pluralitas mala est.

¶PRINCIPIVM autem huius claritatis sumẽdum puto à destructione sensus opinati, vt vel sic veritas elucescat. Dicendum est ergo primò, quòd ipsum dominũ dare immediatè potestatem illam, Quæcũque solueritis, communitati vniuersalis Ecclesiæ repugnat ordini inter Papam & Ecclesiam: quia (vt dictũ est,) ponit duas æquales intensiue potestates iurisdictionis in Ecclesia, non habentes tertiã supra se in eadem Ecclesia, à Domino immediatè ordinatas: scilicet communitatis Ecclesiæ vniuersalis, & Papæ. Patet sequela ex textu Matth. 16. & Matth. 18. vbi (vt dictũ est) eadem verba vtrique dicta leguntur. Et licet hoc sit secundum se inconueniens: maius tamẽ oitenditur, si attẽdamus quomodo Christus æterna sapientia, principatuum pluralitatem in Ecclesia instituit, quomodo mutuò sese impedirent duæ potestates, quomodo perplexæ essent oues Christi, vel liberæ contraria præcipientibus, vt aut obedirent alteri ad libitum, aut neutri, aut vtrique ad contraria: quod est impossibile. Et quod amplius est, si hæc etiam ponerentur data immediatè potestas vniuersali Ecclesiæ vnde sibi potestatem supra Papam habentẽ æqualem communitas Ecclesiæ vendicaret: cùm par in parẽ non habeat imperium. Quum enim potestas intensiue æqua sit qua ratione Ecclesia supra Papa, quia membrum eius iurisdictionem haberet, quia dictum est, Si peccauerit, &c. Die Ecclesiæ: eadem ratione quia Ecclesia est ouile papæ, quia dictum est: Fiet vnum ouile, & vnus pastor, Papa supra Ecclesiæ communitatem iurisdictionem haberet, aut neuter super alterũ.

¶Dicendum est secũdò, quòd ipsum dare immediatè potestatis illam, Quæcũque solueritis &c. communitati cuiuscunque Ecclesiæ, repugnat consuetudini Ecclesiæ, & est semper sermo de communitate Ecclesiæ, vt aduersarij intelligunt: scilicet siue prælatus adsit, siue non omnino. Patet hoc ex communi Ecclesiæ consuetudine, quia talis communitas inuito suo Episcopo, & Papa non potest absoluere & ligare: quæ tamen posset si à Domino immediatè haberet potestatem communitas cuiusque Ecclesiæ.

¶Dicendum est tertiò, quòd ipsum dare immediatè potestatem, Quæcunque solueritis super terram, erũt, &c. in sua amplitudine, vt sonat cuicunque Ecclesiæ autorizatæ proprio capite, nisi cuius proprium caput est Papa, repugnat Ecclesiarum ordini essentiali, & earum professioni. Ordini quidem: quia si ex hoc loco summa autoritas cuicũque ecclesię autorizatæ proprio capite (vt Dominus loquitur) indistincte data asseritur à Domino immediatè oportet dicere duo. primò, quòd quælibet Ecclesia immediatè habet autoritatem à Domino. Secundò, quòd quælibet Ecclesia habet æqualem intensiuè à Domino potestatem iurisdictionis: quamuis extensiuè vna excedat alteram, & vniuersalis Ecclesia omnes. Et conuincitur sequela vtriusque: quia Ecclesiæ indistinctè, immediatè & inæqualiter datum est, (vt patet in litera & ex dictis) & non magis vni quàm alteri: vt patet ibidem. Et ex hoc sequitur vlterius vtraque pars contradictionis: scilicet, quòd vna Ecclesia est superior simpliciter, & non est superior simpliciter altera. Nam ex eo quòd quælibet Ecclesia habet à Domino in suos potestatem, sequitur quòd Ecclesia vna, puta vniuersalis, est superior simpliciter qualibet ecclesia particulari (vtpote eius membro) ac per hoc potest disponere, & ordinare de illa: & ordinare aliquid de illius potestate, irritando si secus factum fuerit. Ex eo verò quòd quælibet Ecclesia habet à Domino immediatè potestatem æqualem intensiuè, sequitur quòd Ecclesia vniuersalis non potest aliquid subtrahere potestati iurisdictionis Ecclesiæ particularis: potestas enim data alicui à principe, non potest ab inferiori auferri. Et consequenter sequitur, quòd Ecclesia vniuersalis non est simpliciter superior secundum potestatem iurisdictionis respectu Ecclesiæ particularis: superioritis enim potestatis iurisdictionis simpliciter est posse terminare inferioris actũ, si hoc faciat. Reliqua inconuenientia quæ sequuntur ex æqualitate intensiua potestatis iurisdictionis in qualibet Ecclesia (vt puta quòd subditus non tenetur magis vniuersali quàm particulari obedire, quòd par in parem habet imperium, quòd quicquid ab vna fit, à reliqua potest impediri, & reliqua) viris mediocriter doctis relinquo deducenda. Professioni autem Ecclesiarum hoc repugnat: quia Papa reseruantẽ, vel prohibente, &c. Ecclesiæ reliquæ potestatem iurisdictionis in reseruatis prohibitis, &c. se non habere confitentur: quòd non vere dicerent si illam

potestatem à Domino immediatè accepissent. Et est sermo semper in huiusmodi de dare ordinario iure potestatem.

¶EX QVIBVS Omnibus collige, quum hæc potestas tam ampla soli Petri Ecclesiæ cõueniat, & hæc verba non soli Petri Ecclesiæ dicta sint, quòd per hæc verba aut nulla ordinaria potestas iurisdictionis data est, aut non tam ampla vt est illa data Petro. Et verè sic est, verba siquidem Domini manifestè continent potestatem iurisdictionis in Ecclesia (nec hoc vertendum est in dubium) sed non cõtinẽt quòd per ipsa data sit à Domino talis potestas, vt discurrendo per singula, & ratione manifestatur. Discurrẽdo quidem per singula: nam per illud verbum, Dic Ecclesiæ, nulla datur potestas, sed præcipitur denuntiatio. perinde enim est, Dic Ecclesiæ, ac Dic iudici: vbi patet non dari iurisdictionem, sed præcipi denuntiationem. Per illud verò, Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: quum perinde sit, ac si iudicem non audierit sit tibi sicut ethnicus & publicanus, manifestè patet nullam dari potestatem, sed in casu pertinaciæ euitationem illius à Domino iudici. Per illud demum, Amen dico vobis, quęcunque solueritis, &c. nullam etiam dari tunc potestatẽ ex eo patet, quòd nec Petro ex eisdẽ verbis scilicet, Quicquid solueris, &c. vlla data est tunc potestas, sed post resurrectionem Domini, quum dictũ ei est Pasce oues meas. Ratione autem. Nam potestas iurisdictionis contenta in his Domini verbis, aut est data tunc Ecclesiæ, cui Dominus loquitur, aut nõ est data tunc: inter hæc enim cum cõtradictorię opponantur, nõ datur medium. Si non, habetur intentum. Si est data tunc Ecclesiæ, ergo cuilibet collationi seu cõuocationi fidelium cui Ecclesiæ nomen verè cõuenit, data est à domino immediatè potestas illa iurisdictionis: hoc autem spectat ad hęresim pauperum de Lugduno, dicentiũ quòd vbi sunt fideles congregati in nomine Domini, ibi est potestas, eo q; potestas sequitur statitatem personæ: solùm enim differt ab ea secundum vnum & multa. Sequela autẽ patet: quia Dominus indistinctè de Ecclesia loquens, ad quamcunque Ecclesiã peccantis fratris præceptũ sententiámque extendit. Constat autem collectionẽ, seu cõuocationem fideliũ sine prælato aliquo inter eos Ecclesiæ nomen verè habere. Et confirmatur, quòd de talium collectione oporteat istos concedere Ecclesiam ibi dici: quia quod est, non fit, & habẽti non datur quod habet. si ergo Ecclesia per hæc fit habens potestatem, ipsa non habet illam, ergo illa collectio in sermone est quæ nõ habet autoritatem, sed hinc accipit. Et cùm non sit maior ratio de vna quàm de alia: sequitur idẽ quod prius, scilicet quòd quælibet fideliũ collectio à Domino hinc habuerit autoritatẽ iurisdictionis. Si dicatur, quòd Ecclesiæ nomine intelligitur hic collectio fidelium autorizata, tũc currit ratio prius dicta de ordine essentiali Ecclesiarum. Et obstat ipsum dare: quia habenti non datur: & quod est potestatem habens, non fit potestatem habens.

¶QVIA Igitur ex prædictis patet, quòd autoritas iurisdictionis in verbis Domini cõtinetur: & non est per hæc verba data, dicendũ est, quòd per hæc verba, Dominus vltra præceptum de correctione fraterna, denũtiationeilliúsque ordine, efficaciã ecclesiasticæ potestatis iurisdictionis ad literã expressit per illa verba, Si Ecclesiam non audierit, &c. &, Quęcunque solueritis super terram, &c. ostendit enim tantæ efficaciæ Ecclesiæ esse sentẽtiam, vt indubiè à nobis seruãda, & in cœlo rata sit. Et hoc solùm per illa verba Dominus fecit: potestatẽ enim Ecclesiæ alias supponebat. Et potest admitti, quòd promisit illam per illa verba, Quæcũque solueritis, sed ad vtrũque horum scilicet quòd potestas supposita est & promissa sat est, si quádoque data est: & similiter quo ad modum, si mediatè, vel immediate data est. Petro siquidẽ, ac per hoc eius Ecclesiæ immediatè potestatem dedit post resurrectionẽ dicẽs, Pasce oues meas, reliquis verò Ecclesiis mediate Petro secũdum cursum ordinarium: quamuis dispensatiuè mediatibus aliis Apostolis, quibus potest cõcedi hoc esse permissum. Est ergo sensus literalis verborũ Domini, quòd tanta esset futura Ecclesiæ cuiusque autorizatæ potestas in sibi subditis vt sic, vt sententia eius & coram hominibus & in cœlo esset valida. Et hic sensus est amplectendus: vtpote cui omnia consonãt, & series textus, & sensus verborum: vt autoritates Sanctorum, & consuetudo Ecclesiæ, & euitatio omnium incõuenientium: quæ omnia propter iam dicta hic & in libello illo prosequenda omitto. Satis enim patere puto hæc, & quòd promissioni Domini sufficiat exhibitio quam mediante Petro ordinariè, & mediantibus aliis Apostolis per viam legationis omnibus Ecclesiis fecit.

CAP. V.

¶Quomodo Ecclesia habeat potestatem iurisdictionis, quæ in verbis Domini continetur, an scilicet ratione suæ totalitatis an ratione partis.

QVIA Autem constat Ecclesiam, de qua Dominus loquitur, habere potestatẽ iurisdictionis quantumcunque per illa verba non fit ei data & variis modis intelligi hoc potest, opportunum videtur discutere modum, quo potestas iurisdictionis est in Ecclesia.

¶Secũdum igitur est, quòd dupliciter potest intelligi Ecclesiã ad literam cui peccatum fratris peccãtis dicendum mãdat Dominus habere potestatem iurisdictionis in foro exteriori, (de quo est sermo. iuxta duos modos, quibus de Ecclesia, quæ quoddam totum significat, aliquid verificatur. Primò, ratione partis: secundò ratione ipsius totalitatis seu totius. Sicut de homine, qui etiã quoddam totum est, dicimus quòd videt, quòd audit, &c. & verificatur ratione partis: quia videt per oculum, audit per aurẽ, &c. & rursus dicimus de eodem, quòd perfectissimum est animalium, quod est animal politicum, & huiusmodi: & verificatur ratione ipsius totius, vt patet. Et quidẽ quòd de Ecclesia ratione partis, (puta capitis,) verificatur quòd habet potestatẽ iurisdictionis soluendi & ligandi in foro exteriori, dubium non est: & sic solùm, (vt probabituram plius,) adliteram verificari potest sermo Euãgelij, quòd Ecclesia habeat potestatem. Quòd autem de Ecclesia ratione ipsius totius hoc verificetur, multipliciter imaginari potest. Primò accipiendo Ecclesiam quasi totum homogeneum, id est similis naturæ per totum prout Ecclesia est collectio fidelium: omnes enim fideles inquãtũ fideles, vnius sunt naturæ. Et sic esset sensus, quòd Ecclesia, id est collectio fidelium, habet potestatem iurisdictionis, &c. Et si in hoc sensu intelligatur, Dic Ecclesiæ, sequitur, quòd cum in fide non sit differentia sexus & status, quòd Ecclesia laicorũ & fœminarum haberet iurisdictionem in foro exteriori. Et tenet sequela, tum quia omnes fideles sunt eiusdem naturæ: tum quia si contingat in aliqua Ecclesia mori clericos omnes remanet ibi verè Ecclesia in hoc sensu, id est, collectio fidelium: & consequenter secũdum istam phantasiam illa haberet potestatem excommunicãdi. Imò si bene cõsideretur sumendo Ecclesiam vt totum homogeneum: quoniam fides sola est eius natura, accidit illi toti, quòd alia quæ eius pars sit status clericalis: quia in illo toto vt sic potestas ponitur. Secundò ergo potest intelligi, sumendo ecclesiam vt totũ heterogeneum, id est dissimilis naturæ, prout ecclesia constat ex omnibus membris officialibus (puta episcopo, Sacerdote, Diacono, vel aliis quomodolibet assignandis membris) hoc enim totum est quasi corpus constans ex oculis, manibus, &c. Et sic esset sensus, Dic Ecclesiæ, id est conuocationi integræ membrorum Ecclesiæ. Et si in hoc sensu intelligatur, quòd ipsum totũ ratione suæ totalitatis habet potestatem iurisdictionis, obstant tria. primò q; æqualis potestas intensiuè poneretur in qualibet Ecclesia: quoniã vna tantũ potestas à Domino nominata est, & non magis de vna quàm de alia Ecclesia, vt patet in litera, & ex antedictis. Secũdò, quòd esset maior intẽsiuè potestas in ecclesia, quàm illa. Quodcũque ligaueris, &c. Et tenet sequela, quòd potestas totius Ecclesiæ ratione suæ totalitatis ponitur superior, etiam respectu papatus. Falsitas autem consequentis patet etiam ex verbis Domini eadem verba replicãtis, quæ Petro dixerat, scilicet, Quæcunque solueritis, &c. Tertiò, quòd nõ esset data à Christo immediatè, Matt. 18. quod tamen est totum fundamentum istorum. Et tenet sequela: quia tunc non erat institutum sacramentum ordinis, quod constat esse institutum simul cum Eucharistiæ sacramento, Pridie quàm Dominus pateretur. Non igitur dedit Dominus tũc Ecclesiæ, id est communitati Sacerdotum, Diaconorum & Episcoporum (qui integrant generale Conciliũ) potestatem iurisdictionis: quia nõ erant Sacerdotes, nec Diaconi, nec Episcopi, nec Clerici: non enti autem nil datur. Et si dicatur, quòd Dominus tunc non dedit, sed promisit se daturum in illis verbis, Quęcunque ligaueritis, &c. habeo intentum, quòd nullibi in sacra Scriptura habetur, quòd Dominus per semetipsum immediatè Ecclesiæ communitati potestatem iurisdictionis dedit. Et si instetur: quia quod promisit seruauit: patet responsio, quòd non promisit per semetipsum immediatè se daturum (vt patet in litera) & ideo nõ oportet, quòd hoc obseruauerit: satis nanque fecisset promissioni suæ sicut in veritate de facto verificauit illa verba sua mediante Petro in vniuersis Ecclesiis. Quia igitur de Ecclesiæ communitate quomodolibet sumatur, non verificantur ratione suæ totalitatis verba Domini Matt. 18. in quibus totum fit fundamentum ex autoritate Scripturæ, tota aduersariorum opinio stat in hoc, quòd communitas Ecclesiæ ratione suæ totalitatis habet potestatem immediatè à domino: consequens est vt verba Domini verificentur de Ecclesia ratione partis (puta capitis) vt prædictum est. Et propterea communis animi conceptio fidelium est, Dic Ecclesiæ, id est, Prælato ecclesiastico, ratione cuius Ecclesia ipsam potestatem habet.

CAPVT. VI.

¶Quomodo potest (condescendẽdo multorum sensui) intelligi quod Ecclesia ratione suæ totalitatis, habere potest & habet quandoque potestatem aliquam iurisdictionis.

OBSERVANDVM Quoque est, ne fallamur, videntes quandoque autoritatem iurisdictionis ecclesiasticę in Ecclesia ratione suę totalitatis: & propterea falsa iudicemus prædicta. Non enim docuimus aut docemus non cõuenire Ecclesiæ potestatẽ quandoque ratione suæ totalitatis, sed sic non esse datam ei à Domino Iesu

Iesu Christo immediatè per illa verba Matthæi 18. Nõ nego enim quod Episcopi orientales conuenientes, possint simul quasi vnum corpus & vnam autoritatem ex suis conficere, sed etiam singulos subiiciendo illi: & sic illa potestas in toto illo corpore ratione suæ totalitatis existens, statuet supra illas Ecclesias, actúsque iurisdictionis exercebit. Sed tamen nihil poterit illa potestas, nisi quod ex potestatibus singulis, & illarum subiectis cõsurgere potest. Propter quod si esset aliquid reseruatum Romano pontifici, non posset potestas illa absoluere ab illo.

¶Et similiter omnes vniuersi orbis Prælati, mortuo summo Pontifice, vel sine illo, si conuenirent communicando in vnũ corpus, & vnanimes in constituẽdo, constituerent in tota synodo illa potestatem vnã super omnes Ecclesias, his tamẽ exceptis, quæ summi Pontificis sunt propria. Simili quoque modo, quum Papa, cum reliquis prælatis orbis Concilium celebrando simul cum eis constituit, absoluit, damnat, &c. communicãdo cum aliis, quasi vnus ex eis facere videtur. In his enim omnibus, & similibus non est aliqua potestas immediatè data à domino Iesu Christo ipsi communitati primo: nec est aliqua extranea potestas à potestatibus partialibus, sed velut potestas totalis consurgens ex partialibus. Quemadmodum enim in naturalibus inuenitur differre forma à forma dupliciter: scilicet, vt vna forma separata ab alia, vt forma Solis à formis mixtorum, & vt forma totius à forma partis, vt humanitas ab anima hominis: ita potestas papæ differt ab aliis primo modo: & potestas synodi differt ab his ex quibus accumulatur, secũdo modo. Et ista potestas in tota synodo per viam cõmunionis seu accumulationis in communi à singulis partibus liberalius, vel minus liberaliter, prout partibus & præcipuè principi videtur, qui nunquam tantam suam autoritatem accumulare in communi intelligitur, sed quantum ad illa tractanda expedit. In cuius signũ non intelligitur, se subiicere synodi potestati coactiue, quantumcunque statutis synodi consentiat, communibus Ecclesiæ personis. Et ex hoc patet, quòd si tota Ecclesia, seclusso Papa, aliquem præficeret curæ Ecclesiæ, ille esset subditus Papæ, nec posset à casu papali absoluere: quod non esset, si Ecclesia haberet vniuersalem, & plenam potestatem immediatè à Christo ratione suæ totalitatis, seclusso Papa. Et similiter Papa potest quantum est ex potestatis autoritate, tollere statuta Concilij generalis, etiam de consensu, & autoritate sua facta: quod non esset si Ecclesia integra ratione suæ totalitatis haberet potestatem vniuersalem, & plenam à Domino Iesu Christo. Ex omnibus autem dictis cuilibet iam esse radicem ex iure diuino opinatam potestatis Ecclesię supra Papam, liquidò apparet.

TRACTATVS SECVNDVS
Apologiæ secunda pars in nouem & viginti capita diuisa.

SVMMARIA.

1 *Responsio ad obiectionem contra illud, quod Dominus Ecclesiæ regimen sic ordinauit, vt summum Pontificem instituerit: à quo via ordinaria in reliquũ Ecclesiæ potestas deriuaret: & quod Apostolis aliis via præuentionis gratuitæ potestatem dedit.*
2 *Responsio ad obiectiones contra illud: quod Papa est caput vniuersalis Ecclesiæ & non solum singulorum membrorum.*
3 *Responsio ad obiectiones contra illud: quod Concilium autoriZatum à Papa non est maioris autoritatis, quàm ipse Papa.*
4 *Responsio ad obiectiones contra illud, Si communitas Ecclesiæ seclusso Papa haberet potestatem supra Papam, Ecclesiæ regimẽ esset populare.*
5 *Responsio ad obiectiones contra illud, quod Papa est supra communitatem totius Ecclesiæ ex illa autoritate, Pasce oues meas, & quod Papa est pastor vniuersalis Ecclesiæ, & non solum singularum ouium.*
6 *Responsio ad obiectiones contra illud ex illa autoritate, fiet vnum ouile & vnus pastor, quod Papa est pastor illius ouilis, & nõ econuerso.*
7 *Responsio ad obiectiones contra illud, Nos minus Papa est pastor Ecclesiæ catholicæ, quàm quilibet Episcopus Ecclesiæ suæ, inferendo ex hoc superioritatem Papæ ad Ecclesiam.*
8 *Responsio ad obiectiones contra illud, Papa habet suprema potestatem in Ecclesia, ergo est super vniuersalem Ecclesiam.*
9 *Responsio ad obiectiones contra illud, Papa est proximus & immediatus vicarius Christi, ergo nullam habet in terris potestatem priorem se. &c.*
10 *Responsio ad obiectiones septem contra illud, Papæ potestas est supra Ecclesiam vniuersalem, & Concilium generale, vt distinguitur contra Papam.*
11 *Responsio ad obiectiones contra illud, quod Constan. Concilium pro tempore, quo fecit decreta de potestate synodi, non erat verum concilium vniuersalis Ecclesiæ, & quod Basilien. Concilium errauit illud sequendo.*
12 *Responsio ad obiectiones contra glossam datam ad illa verba Augustini, Quando Petrus claues accepit, Ecclesiam significauit: quod per hoc intelligitur claues officio capitis in Petro & successoribus datos esse.*
13 *Responsio ad nouem obiectiones contra illud, quod Papa non potest errare errore iudicali in fide, quia ad ipsum spectat finalis determinatio de fide.*
14 *Responsio ad obiectiones contra illam rationem, quare Papa non potest errare in fide: qui scilicet esset error vniuersalis Ecclesiæ, quia tenetur sequi diffinitionem Papæ in fide.*
15 *Responsio ad obiectiones contra expositionem illius verbi Hieron. Si autoritas quæritur, orbis est maior vrbe.*
16 *Responsio ad obiectionem contra multas autoritates ex libro Decretorum, quibus probatur Papam non habere superiorem in terris.*
17 *Responsio ad septem obiectiones contra illud quod Ecclesia Dei sicclesia Papa non est data potestas papalis, aut superior papali in Euangelio Matth. 18. & quod in Ecclesia huiusmodi non est talis potestas.*
18 *Responsio ad obiectiones contra illud, quod Ex missum esse, non sequitur esse subditum.*
19 *Responsio ad obiectiones contra illud, quod ex 36. q. 2. c. placuit. iuncto c. tria, habetur, quod Hier. autoritas innixa sacræ scripturæ prænaluit Concilio.*
20 *Responsio ad obiectionem contra hoc, quod ex autoritate decret. de elect. in c. significasti, dicitur quod Concilia à Papa habent autoritatem.*
21 *Responsio ad obiectiones multas contra illud quod Concilium generale legitimè congregatum potest errare diffiniendo, Papa absente vel nõ consentiente.*
22 *Responsio ad plures obiectiones contra illud, quod potestas applicativa papatus ad personam, seu potestas electiua Papæ, est regulariter & principaliter in Papa, & non nisi in casu in concilio.*
23 *Responsio ad obiectiones contra illud, quod in Ecclesia est potestas autoritativa super coniunctionem Petri & papatus non autem super Papam.*
24 *Responsio ad obiectiones cõtra illud, quod Papa posset committere potestatẽ depositiuam Papæ hæretici collegio Cardinalium.*
25 *Responsio ad obiectiones contra rationem datam quare pro infidelitate sola potest Papa deponi: quia scilicet sola infidelitas inter crimina contrariatur ad esse Papæ.*
26 *Responsio ad obiectiones contra illud, quod ex Sacra Scriptura solus casus hæresis excipitur ab impunibilitate Papæ respectu ecclesiæ Ecclesiæ.*
27 *Responsio ad obiectiones contra hoc, quod in solo casu hæresis Papa subijcitur Ecclesiæ, ita quod possit deponi.*
28 *Responsio ad obiectiones contra illud quod propter scandalum non est præscindendum caput iuxta Domini sententiam Matth. 18.*
29 *Responsio ad obiectiones contra illud, quod Deus optime prouidit Ecclesiæ, disponens quod orationis remedio contra malum papam vteretur, non autem depositionis potestate.*

IN NOVEM ET VIGINTI CAPITA Apologiæ secundæ de comparata autoritate Papæ & Concilij.

ET SIC CVM VTRIVSQVE IVRIS, naturalis, scilicet & diuini fundamentum ademptum sit, ad singula obiecta descendendum est.

CAP. I.

DIXI in capite tertio illius libelli Dominum ordinasse sic Ecclesiæ regimen, vt Petrum summum Pontificem instituerit, à quo via ordinaria in reliquum Ecclesiæ potestas deriuaret: & quòd ipse Dominus via præuentionis gratuitæ Apostolis aliis potestatem dedit.

¶OBIICITVR contra, in Ecclesia fuit potestas electiua Papæ antequam Petrus fuerit Papa: ergo, cum maiori apparentia diceretur, Christum cũm fecit Petrum summum Pont. præuenisse Ecclesiam: & id ex gratia Petro contulisse quod Ecclesia potuisset ordinare ex Christi institutione, quàm quòd præuenerit Petrum, dando Apostolis potestatem. Antecedens probatur: quia potestas electiua est in Ecclesia à Christo, Matth. 18. &c.

¶RESPONDEO, Quòd assumptum est falsum: nam, cum electio Papæ sit vicarij principis electio, & ordinarie electio vicarij vniuscuiusque principis viui & præsentis spectet ad ipsum principem: consequens est, vt cùm Dominus vsque in diẽ ascensionis, vt princeps præsens fuerit in Ecclesia, ad ipsum ordinarie spectabat tunc electio sui vicarij. Nec vnquam inuenitur quòd in Matt. 18. ca. nec alibi Dominus dederit Ecclesiæ ius eligendi suum vicarium ipso præsente, Vnde Dominus non præueniendo, sed instituendo & exequendo quod promiserat Matth. 16. Tibi dabo claues regni cælorum, &c. & Ioan. 10. Fiet vnum ouile, & vnus pastor, Petrum papam, & papatum simul instituit. Rursus, (vt per antedicta patet,) Matth. 18. potestas electiua Papæ non est data Ecclesiæ. Quomodo autem & vnde potestas electiua Papæ sit in Ecclesia, inferius in capitulo 22. dicetur.

¶Et aduerte hic, quòd præuetio, quam ego dixi super ipsius Ecclesiæ, & Sanctorum determinatione fundatur. Quòd enim à Petro ordinariè potestas in reliquum Ecclesiæ corpus deriuanda sit, Leo in ca. ita Dominus, dist. 19. manifestat. Quòd etiam Dominus ipsum ordinaria via instituerit, ex hoc quòd nõ ipsum solũ, sed in ipso omnes successores suos instituit habetur: hoc enim stactuẽtis, non præuenientis est: sicut per oppositum, quia reliquos Apostolos

Universidad de Deusto
Biblioteca

los in propriis tantũ personis, & nõ in successoribus suis legatos vniuersales fecit, ad præuẽtionem gratuitã spectat. Hæc enim Ecclesia fatetur Petri solius successorem vniuersali potestate cognoscens. Et per hoc etiam patet non fuisse in Ecclesia ante institutũ Petrum Papam, potestatem electiuam Papæ. Nam tantam potestatem habet nunc quantam tunc: quum Papa non possit illam auferre, & Dominus qui instituendo dederat, eam statim non diminuerit præueniendo secundũ illos in institutione Petri. Quem admodum igitur poterat tũc quemlibet alium Episcopum in Papam eligere, ita mortuo Petro qui ex gratia factus fuerat à principe, potest alium Episcopum, quàm Romanum Papam instituere. Et sic Rom. Pontifex recognoscere debet se prælatum cæteris ab Ecclesia, hoc illi concedente, non auferendo, saltem: cuius tamen oppositum docet Pelagius in cap. quamuis. distinct. 21. Sancta Rom. Ecclesia catholica & apostolica, nullius synodocis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed euangelica voce Domini & Saluatoris primatum obtinuit.

¶Amplius, Si Dominus immediatè dedit hanc potestatem electiuam Papæ vniuersali Ecclesiæ, qua præsumptione clerus Romanus & populus eius, &c. vsurpauerunt sibi hanc potestatem electiuam Papæ tãto tempore antequam institutũ aut approbatum fuerit per generale Concilium de electoribus, qua cõscientia tot sancti viri electionem toti Ecclesiæ à Christo commissam irrequisitis aliis à paucissimis tractauerunt, fecerũt, acceptauerunt, exercuerunt: Sed de his latior erit sermo: hæc autem dicta sunt ad ostẽdendam falsitatem assumpti in hac obiectione.

CAP. II.

DIXI In capit. 4. eiusdem, quòd prævaluisset sententia Ioan. &c. Sed obiectio contradictionis propriè in cap. 13. tractabitur.

DIXI In cap. 6. eiusdem, Papam esse caput Ecclesiæ vniuersalis non solùm singulorum membrorum vt inimici veritatis glossant.

¶OBIICITVR Contra hoc dupliciter. Primò, Quia falsum est Papam esse caput Ecclesiæ vniuersalis collectiuè sumptæ, Tum quoniam Ecclesia non est Petri, sed Christi: iuxta illud Matth. 16. super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, non tuam. Tum quia Papa est minister Ecclesiæ non Dominus: Ecclesia autem est cui ministratur, ac per hoc maior: iuxta dictum Saluatoris, Maior est qui recumbit, quàm qui ministrat. Tum quia omnes autoritates dicentes Papam esse caput Ecclesiæ, intelliguntur de Ecclesia pro singulis Ecclesiis particularibus, respectu quorum est caput ministeriale, & non pro tota Ecclesia collectiuè.

¶Secundò, Quia licet concedatur Petrum esse caput ministeriale etiam totius Ecclesiæ vniuersalis: nõ tamen oportet omnem proprietatem capitis in eo saluari: & specialiter superioritatem in autoritate respectu totius residui. Et hoc præcipuè, quia tota Ecclesia nõ dicitur corpus Petri, sed corpus Christi: vt patet ad Rõ. 12. Et confirmatur hoc, quia Rex dicitur caput regni, non tamen propterea est regno congregato superior, sed qualibet eius parte.

¶RESPONDEO. Et ad primi quidem probationem primam, quòd Ecclesiam non esse Petri, sed Christi, non arguit Petrum non esse caput eius: sed Petrũ non esse caput illius ex se, sed loco Christi: vt patet. Ad secundam verò probationem, quòd Petrum esse ministrum Ecclesiæ, vt cui ministrat, nõ est esse inferiorem potestate, sed exercitio: vnde ipse Dominus de seipso dicit, quòd venit ministrare, & Papa vocat se seruum seruorum Dei: & sic est in veritate. Ecclesiam autem esse maiorem Papa vt finis est maior eo quod est ad finẽ, verificatur quòd est esse melius: in his enim, quæ non mole magna sunt idem est maius quod melius secundum August. papatus siquidem est propter Ecclesiam, & non econtrario. Vnde ex hoc, quòd Papa non est Dominus, sed minister, & Ecclesia maior bonitate & nobilitate, nihil habetur contra potestatem capitis contra quem tenditur. Ad glossam demum communem, dicitur quòd licet multæ autoritates possent sic glossari, non omnes tamen sunt illius capaces: vt in libro ostẽsum est.

¶Ad secundum autem dicitur, quòd Ecclesia non esse corpus Petri, sed Christi, verum est: quia Christus non solùm caput mysticum eius, sed mysticum suppositum ipsius est: vt patet ad Ephes. 1. Vbi de Christo duo dicuntur quòd est caput Ecclesiæ, & quòd Ecclesia est corpus eius. Et primæ ad Contínth. 12. expresè dicitur, Sicut enim vnum corpus est, & multa membra habet, omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus. Ex hoc autem, quòd Ecclesia est corpus Christi & nõ Petri, non sequitur quòd Petrus non sit caput loco Christi, sed quòd Petrus non ille qui operatur per mẽbra huius corporis, sed Christus, qui per Petrum & cæteros operatur. Et similiter non sequitur, quod illud caput loco Christi non sit superius autoritate residuo corporis Christi, vt manifestè liquet. Ad confirmationem dicitur dupliciter. Primò quòd nullus dicit, quòd ex esse qualitercunque caput alicuius multitudinis, sequatur potestas iurisdictionis super illa multitudine, cùm multipliciter aliquid possit dici caput alterius metaphoricè. Papa autem est sic caput, quod est Pastor Episcopus, & rector totius Ecclesiæ, & non solùm singulorum: vt autoritatibus & ratione ibi probatum est. Dicitur secundò, quod sicut Rex est caput regni, ita superior eo, & propterea rex qui depẽdet à regno collectiuè, nõ est caput illius: & ideo non est superior eo, sed singulis partibus. Rex autem qui etiã à regno collectiuè non dependet (vt est Rex regum) est caput etiam totius congregati, & superior eo. Vnde arguere ab esse caput in Rege dependente à regno, ad esse caput in papa, nõ est recte: eo quod Papa non dependet à regno Ecclesiæ, nec vices Ecclesiæ gerit sicut Rex talis vices regni: sed solius Iesu Christi vicarius est.

CAPVT III.

DIXI In eodem capitulo sexto quod potestas electiua ipsius Papæ, in Papæ potestate est. Sed quia in capitulo vigesimoseccũdo, latius tractatur, ibidẽ obiecta soluẽtur.

DIXI In eodẽ capit. 6. quod nõ est maioris autoritatis Concilium autorizatũ à Papa, quàm ipse Papa.

¶OBIICITVR Contra. Primò est glossa in c. legimus. 93. distinct. Statuta Concilij generalis præiudicant statutis Papæ, si contradicant.

¶Secundò, quia constitutio Calcedonensis Concilij prævaluit reclamationi Leonis de Constantinopolitana sede: vt patet in cap. antiqua. de priuilegiis. & 22. dist. renouantes.

¶Tertiò, qa cõsuetudo gñalis Ecclesiæ põtificale statutũ abrogat.

¶RESPONDEO. Et de glossa primò dico, quod ipsamet nõ assertiuè dicit illam sententiam, sed argumentum ad illam dicit: vt patet etiam ex seipsa in cap. nemo. q. 9. ad quam se remittit.

¶Secundò dicitur, quòd verificatur de statuto Concilij superuenientis statuto Papæ: quoniam quemadmodum ipsemet Papa iudicando priori contrarium, illud tollit (vt patet in cap. licet, in sexto) ita etiam Concilij autorizati à Papa constitutio, Papæ constitutionem priorem contrariam tollit.

¶De vigore autem Concilij circa sedem Constantinopolitanam, dicitur quòd non concludit superioritatẽ Concilij supra Papam, sed tolerantiam Papæ. Videmus enim continuè prælatos cedere multitudini magnatũ: quamuis si potestate vti vellent, cõpescere possent. Quamuis de reclamatione Leonis nihil in capitulis illis habeatur, imò ibi humilis est loquutio dicentium, Petimus, &c.

¶De vi autem consuetudinis vniuersalis dicitur, quod si hoc concluderet Ecclesiam supra Papam: concluderet etiam Ecclesia supra seipsam Ecclesiam: quoniã etiam statutum vniuersalis Ecclesiæ, generalis consuetudo abrogat: vnde abrogatio istiusmodi nõ fit potestatiuè, sed executiuè ex parte Ecclesiæ, & negatiuè ex parte principis: quia scilicet non cogit.

CAP. IIII.

DIXI In eodem sexto capit. quòd, si Ecclesia, hoc est communitas Ecclesiæ, seciuso Papa, haberet potestatem supra Papam, quòd Ecclesiæ regimẽ esset demo craticum, seu populare: in quo tota autoritas apud nullum residet, sed in tota communitate.

¶OBIICITVR Contra sequelam: quia non dicitur regimen regale, in quo sit vnicus toto residuo superior: quia tunc non esset in ciuilibus aliquod regimen regale: sed quia est vnicus, qui totius populi vices gerit quolibet particulari superior.

¶RESPONDEO, Quod sequela est optima formaliter intellectis terminis: quia, si in tota communitate sola est autoritas: ergo vt sic constituit regimen populare: quamuis inquantum aliquem vnum præficit, constituat aliam speciem regiminis. Rursus sequela est optima de supremo regimine Ecclesiæ de quo est quæstio: quoniam, si in tota communitate & sola est vniuersalis Ecclesiæ potestas, summum regimen, summúmque tribunal eiusdẽ, ad quod omnia resoluenda sunt, esset populare (vt patet) quicquid esset de regimine medio per vnũ. Vnde, si in regno aliquo populus est supra regem, manifestè sequitur, & quòd communitas populi vt sic regimen est populare, & quod summũ tribunal est populare: quamuis exerceat per aliam regiminis speciem (puta per regale supra alios iurisdictionem suam communiter. Nihil igitur obstant obiecta dictis: quoniam cum regimine regali medio, stat supremum, populare, de quo est quæstio, & formalis sermo.

CAP. V.

DIXI In cap. septimo, probando quòd papa esset supra communitatem totius reliquæ Ecclesiæ, ex illa autoritate, Pasce oues meas, &c. q. papa est pastor vniuersalis Ecclesiæ, & non solùm singularũ ouium.

¶OBIICITVR Respondendo dupliciter. Primò per interemptionem negando scilicet hoc. Secundo per limitationem, quòd Papa est pastor totius Ecclesiæ quantũ ad administrationem pabuli spiritualis verbi Dei & sacramentorum. Hæc enim non exercentur per communitatem, sicut actus iuridici.

¶RES

¶RESPONDEO, Et negatio quidem irrationabilis inferius in septuagesimo cap. ratione monstrabitur: nunc autoritate inducta ostenditur. Quum Dominus dicit, Pasce oues meas, illimitatè admittitur: ergo non est limitandum ad singulas & non omnes, vt negatio ista limitat: nam singulæ, & omnes suæ oues sunt. Secunda autem responsio aut nihil dicit, aut seipsam interimit. Nam dupliciter potest intelligi concessum: quòd Papa est pastor totius Ecclesiæ quantum administrandum verbum Dei & sacramenta. primò autoritatiuè. secundò ministerialiter, respectu totius Ecclesiæ. Si autoritatiuè, ergo ipse verè superior tota Ecclesiæ communitate est: nam autoritatiuè pascere verbo Dei & sacramẽtis, est actus superioris absolutè respectu illius: qui sic pascitur, vt patet inductiuè: & sic responsio interimit seipsam. Si autem ministerialiter, ergo non habet Papa ex se in pascendo plus quàm in actibus iuridicis: potest siquidem, & actus iuridicos omnes vt minister Ecclesiæ cõmunitatis apud istos: & sic responsio nihil dicit. Est ergo Papa verè pastor autoritatiuè vniuersalis Ecclesiæ, & singularum personarum eius in iudicio, & iustitia & verbo Dei, &c. vice illius qui pascit omnes in innocentia cordis.

CAP. VI.

DIXI In eodem septimo cap. ex illa autoritate, Fiet vnum ouile & vnus pastor, quòd Papa est pastor illius ouilis, & non econuerso.

¶OBIICITVR, Quòd Christus dixit Petro, Pasce oues meas, non tuas: & quòd Christus dedit potestatem ouili supra pastorem.

¶RESPONDEO, Quod Petrum esse pastorem ouium non suarum, sed Christi, concludit ipsum esse pastorẽ non ex se, neque loco Ecclesiæ communitatis: vt obiicientes dicũt: quoniam oues, nec sunt Petri, nec sunt cõmunitatis Ecclesiæ, sed loco Iesu Christi, cuius solius sunt oues, priè. Vnde ex hoc nihil aliud habetur nisi q. Petrus præest ouili non suo, sed Christi: non ex se, sed loco Christi. Quod autẽ additur, Christũ dedisse autoritatẽ ouili supra pastorem, volũtariè dicitur, & ipsis verbis Domini dissonat & repugnat. Dissonat quidem, quia ouile illius pastoris Ecclesiã constituit: regulare est autẽ vt pastor præsit ouili, & non econtra. Repugnat autem, vt ibidem deductum est: quia non fieret vnus pastor iuxta verbum Domini, sed duo: scilicet Petrus & ipsum ouile. Et quia de Petro voce Domini constat dicentis, Pasce oues meas, & quòd vnus tantùm sit, eiusdem autoritate Domini patet: consequens est vt alter pastor fictus sit contra Domini sententiam.

CAP. VII.

DIXI In eodem septimo cap. quod non minus Papa est Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, quàm quilibet Episcopus suæ Ecclesiæ: ex hac propositione inferendo superioritatem eius super Ecclesiam catholicam, & non solùm super singula membra, sicut est in aliis Episcopis respectu suarum Ecclesiarum.

¶OBIICITVR contra similitudinẽ. Tum quia Episcopus particularis gerit vices vniuersalis Ecclesiæ: quæ est supra suam communitatẽ. Tum quia Ecclesia particularis, cui præficitur Episcopus, habet superiorem in terris, qui præficit illum Episcopum.

¶RESPONDEO, Et primò, quòd ratio non fundatur super similitudine: sed super proprietate huius sententiæ, Papa est Episcopus Ecclesiæ catholicæ: quamuis declaretur ex simili, imò eadem ratione in aliis Episcopis, Ambr. est Episcopus Ecclesiæ Mediolanen. &c. Vnde, cùm ex ista propositione formaliter intellecta, Papa est Episcopus Ecclesiæ catholicæ, sequitur ipsum esse Episcopum communitatis Ecclesiæ satis habetur intentum.

¶Obiecta autem afferunt dissimilitudinem, in non causa vt causa. nã in eo, quod est esse Episcopũ catholicę, vel talis Ecclesię potest considerari quid importet esse Episcopum, & potest considerari à quo fiat Episcopus. Et obiecta quidẽ procedũt considerãdo à quo fiat, vel fieri debeat Episcopus: ratio autem procedit considerãdo quid est esse Episcopum. Constat autem, q ad iudicandum de naturis rerum, causa formalis, & quod quid est cõcludit efficaciter vndecũque fiant effectiuè: siue enim homo fiat à Deo, vt Adã, siue ab alio homine, vt nos: vnius naturæ sumus. Et similiter siue Episcopus fit à Papa, siue ab vniuersali Ecclesia, siue habeat superiorẽ, siue nõ: vnius naturæ est, inquantũ Episcopus: quãuis alterius naturæ sit, inquantũ subditus. Vnde vt vnico verbo dicatur, ratio de Episcopo, vt sic loquitur: obiectiones autẽ de Episcopo, inquantũ subditus alteri & alterius & ab altero. Propter quod cum Papa sit verè Episcopus Ecclesiæ catholicę, sequitur, vt ibidẽ dixit, q est primò Episcopus ipsius Ecclesiæ catholicæ, & secũdario singulariũ. Tamen quia nõ minus est ipse catholicæ Ecclesiæ Episcopus, quã Ambr. Episcopus Ecclesiæ Mediol. esset enim longe minus, si non esset Episcopus totius, sed singulorũ mẽbrorum tatùm. Tum quia actus proprius Episcopi, qui est superintendere, primò fertur super bono ipsius catholicæ Ecclesiæ, & secundario super bono singulorũ: vt patet ex hoc, quòd Papa ad hoc tenetur sub peccato mortali, ex hoc quòd est Papa: constat autem potestates per actus proprios cognosci. Nec ad hoc video responsionem: nisi diceretur, quòd Papa habet hunc actum, inquantũ gerit vices vniuersalis Ecclesiæ, cui primò conuenit iste actus, & ex eius cõmissione conuenit Papæ. Sed hæc responsio potest dupliciter intelligi. Primò, quòd Papa habeat hunc actum dependenter ab Ecclesia: sicut Rex creatus à regno, & in hoc sensu falsa est: quia sic Papa esset vicarius Ecclesiæ, & non immediatè ipsius Iesu Christi: quod dẽmonstratum est esse falsum, & amplius monstrabitur. Secundò potest intelligi quòd Papa habet hunc actũ ex suo officio: supplendo id, quod Ecclesiæ conueniret, si non esset subdita. Et in hoc sensu est vera responsio: sed nihil obstat rationi, vt patet.

CAP. VIII.

DIXI in eodem septimo cap. quòd Papa habet supremam potestatem in Ecclesia Dei: & ex hoc deduxi ipsam esse supra vniuersalem Ecclesiam.

¶OBIICITVR glossando, primò, q potestas Papæ dicitur suprema respectu potestatũ particularium, non autem respectu potestatis cõmunitatis totius Ecclesiæ.

¶Dicitur secũdò, quòd ex hoc quòd ponitur suprema potestas in Papa, & suprema potestas in Ecclesia, nõ sequitur, quòd sint duæ supremæ potestates in Ecclesia Dei: quia potestas Papæ est propter Ecclesiam: iuxta illud, Posuit vos Deus regere Ecclesiam, vbi autẽ vnum propter alterum, ibi vnũ tantum: vt patet in Topicis.

¶RESPONDEO, Et glossa quidem allata repellitur ex magna differentia inter secundũ quid & simpliciter. De Papa asseritur simpliciter, quòd habet supremam potestatẽ in Ecclesia Dei, vt patet in tex. allegato ibi, glossa autẽ ponit Papam habere potestatem supremam secundum quid, quia in respectu ad aliquas, & nõ ad omnes potestates in Ecclesia Dei. Repellitur quoque ex literali expositione illius superlatiui supremam: potest enim exponi negatiuè & positiuè, id est non habens superiorem, & omni alia superior. & vtroquẽ modo repugnat glossæ illi.

¶Quod autẽ additur sequelæ, nihil est: quoniam si communitas Ecclesiæ est tantæ potestatis, quòd Papa subest ei, oportet q obiectum propriũ potestatis Ecclesiæ, & obiectum proprium potestatis Papæ se habeant secundũ supra, & sub proportionaliter, sicut ipsæ potestates. Et hoc etiam est manifestũ ex eo, quòd cõmune bonum Ecclesiæ totius est proprium obiectũ potestatis cõmunitatis Ecclesiæ: bonum autem singulorũ est proprium obiectũ potestatis Papę consequenter loquendo, quia potestas sua propria secundũ illos est primò respectu singulorum: & respectu boni communis totius, Papa non intromittit se, nisi vt vtẽs potestate Ecclesiæ, vt instrumentum illius. essent ergo verissimæ duæ potestates supremæ, & subordinatæ simul: quod est ridiculum.

¶Ad id verò quod dicitur: Potestas Papæ est propter Ecclesiã, dicitur quòd secũdum veritatem est verũ: & nihil iuuat: sed secundum hypothesim eorum non esset propter Ecclesiam eodem modo formaliter sumptam propter quam esset potestas illa Ecclesiæ: quia ista propter Ecclesiam collectiuè, illa verò propter Ecclesiam distributiuè. Vnde cùm regula ex vnitate obiecti non obstet, & potestas non sit propter potestatem, sed sub potestate: non video quomodo obstet regula Topica.

CAP. IX.

DIXI in eodẽ septimo cap. quòd Papa est proximus & immediatus vicarius Christi: ergo nulla habet in terris potestatem priorem se: & inde intuli, Ecclesiam non habere immediatè ordinariam autoritatem à Christo, & Papam non mediante Ecclesia habere autoritatem, &c.

¶OBIICITVR Glossando, quòd Papa dicitur immediatus vicarius Christi: quia potestas vicariatus sui est immediatè instituta à Christo & Ecclesiæ collata: & non propterea quòd habeat à Christo non mediante Ecclesia, ita quòd Papa est immediatus vicarius Christi, sicut apud Apostolum, Reges sunt ministri Dei in vindictam malefactorum: qui tamen mediante populo fiunt.

¶RESPONDEO, Et glossa quidẽ repellitur ex differentia inter medium in instituendo principatũ: & medium in principando: differunt enim hæc sicut cælum & terra. Et esse immediatum, vel mediatum vicarium non attenditur secundum institutionem solam, sed secundum ipsum principalirer. Declaro singula breuitatis causa in exemplis, Christus instituit absque medio potestatem episcopalem & sacerdotalem, instituit mediante Ecclesia potestatem ordinũ minorum, & subdiaconatus secundũ aliquos: in istis enim ordinũ instituẽdo, in illis non. Papa instituit legatum, qui committit vices suas alteri: legatus principatur sub Papa absque medio: vicarius autem legati cum medio in principando: dependet enim principari huius à principatu legati. & non sola electio ipsius. Ex his autem liquet quale mediũ negatur, quum absolutè dicitur aliquis immediatus vicarius alicuius principis: quòd, scilicet negatur medium in principãdo, vt patet inductiuè. Vnde cùm Papa absolutè, & absque limitatione aliqua asseratur proximus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& immediatus Christi vicarius, negatur medius principatus inter Christū & Papam inferior Christo & superior Papa, cuius vices gerit Papa. Si enim medius principatus talis est, vt isti concedunt ponentes Ecclesiæ totius communitatem esse talem principatū, licet Papa posset dici vicarius Christi: non tamen potest vere dici simpliciter & absolutè immediatus vicarius Christi: isti enim mediatè vicarius Ecclesiæ, & mediatè ipsius Christi. Immediatio autem institutionis potestatis Papæ à Christo, nō facit ipsum Papam Christi vicariū immediatum, nisi secundum quid, scilicet secundum potestatis institutionem: sic enim quilibet Episcopus potest dici immediatus vicarius Christi: quia cuiuslibet potestas immediatè est instituta à Christo. Constat autem q̄ aliud intendit determinatio Ecclesiæ & Sancti patres, cum asseritur Papam immediatum esse vicarium Christi. Vnde ratio stat in suo robore.

¶Ad id verò quod additur de simili in Regibus, dicitur, quod non dicuntur proximi & immediatè ministri Dei: sed vices multitudinis gerendo, Dei ministri proculdubio sunt. Longè autem aliter est de Papa, qui non gerit vices multitudinis, sed Iesu Christi. Et scito, quod inter Regem creatum à populo, vt Saul (vt stando in naturali iure fit) & Regem datum à Deo, vt Dauid: & Papam factum à Christo, vt Petrus: & Papam electum ab Ecclesia, vt reliqui: tanta est in præsentando populum differentia, quòd Rex tam creatus à populo, quàm datus à Deo, populum & eius potestatem repræsentat: licet nanque in fieri differant inter se, quia alter à populo, alter à Deo præficitur: in natura tamen officij & potestatis non distinguuntur. Nam quemadmodū organum naturale (puta manus) fit à Deo miraculosè, perinde est ac si esset à natura: ita organū politicum, puta Rex, cùm est à Deo perinde est ac si esset à populo. & propterea eius potestatē vtroque modo factus repræsentat & exercet: illiúsque vices gerere dicitur, & non Dei immediatè. Papa autem siue à Christo immediatè, siue ministerio Ecclesiæ mediante factus, eiusdem etiam est naturæ & potestatis: & nō repræsentat potestatem populi ecclesiastici, nec ipsum: sed Dominum Iesum Christū immediatè, ex illius solius vices gerit immediatè. Et ratio diuersitatis in Rege & Papa est: quia potestas regia naturali iure est in populo primo, & ex populo deriuatur ad Regē: potestas autem Papalis supra naturam est, & diuino iure in persona vnica, nō in cōmunitate primò est: statuēte Christo, Ioan. 10. formā supremi ecclesiastici Regis in vnica persona, cum dixit, Alias oues habeo, & illas oportet me adducere: & fiet vnū ouile, & vnus pastor: & determinante eodē tale formā ad personā Petri in sua perpetua successione, Ioannis vltimo, cum dixit illi, Pasce oues meas. Vnde Papa solius Christi vicarius est, & non Ecclesiæ. & propterea diffinitum est per Ecclesiam, q̄ Papa in Beato Petro officium suū vniuersale suscepit, vt patet ex allatis in libello, &c.

CAP. X.

DIXI in eodem septimo capitulo, conclusionē hanc, Papæ potestas est supra Ecclesiam vniuersalem & Concilium generale, vt distinguitur contra Papam.

OBIICITVR Primo autoritate Augustini in epistola ad Glorium Eleutium, Felicem Grammaticum, &c. quæ inter Epistolas est 162. vbi loquens de depositione Cęciliani Carthaginen. Episcopi, dicit, Ecce putemus illos Episcopos qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuisse: restabat adhuc plenarium Ecclesiæ vniuersale Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicabas causa posset agitari: vt si male iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur, &c. & inter Episcopos Romæ iudicantes, comprehendit Melchiadem Papam: vt patet ex epistola illa. Ex quibus verbis manifestè sequitur, quòd à Papa & Concilio simul particulari, potest appellari ad Concilium vniuersale, & sententia eiusdem solui.

¶Secundò, autoritate octauæ synodi, can. vigesimoprimo, cuius pars habetur vigesimasecunda distinctione, in capitulo diffinimus. vbi dicitur, Vniuersalis synodus cum conuenienti reuerentia, quamlibet quæstionem de Rom. sede ex ortam audire tenetur, & in ea proficere: non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere. Ex quo patet quòd licet omnem quæstionem de Romana sede diffinire habeat synodus: id tamen cum reuerentia propter illius eminentiam facere debet.

¶Tertiò, autoritate Damasi Papæ, quę ponitur inter epistolas Ambrosij, epistola septuagesimasecunda, vbi Damasus dicit respōdendo, Cùm huiusmodi fuerit Concilij Capuensis iudicium, vt finitimi Bonoso atque eius accusatoribus iudices tribuerint, aduertimus q̄ nobis iudicandi forma cōpetere nō posset. nam si integra esset hodie synodus, rectè de his quæ vestrorum scriptorum comprehendit series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis iudicium, sententiam ferre: vicem enim synodi recepistis, quos ad examinandum synodus elegit. Et infrà, Vos enim, vt scitissimus, totius synodi vice Dei decernitis: nos quasi ex synodi autoritate iudicare non conuenit. Ex quibus manifestè patet primò q̄ Papa dicit se non posse de illa causa cognoscere: de qua posset si synodus adhuc esset integra, id est, nihil commisisset. Secundò, q̄ Papa cōfitetur nō solùm Concilium esse in eo in iudicādo superius, sed etiā deputatos per Concilium, in ea causa in qua deputati sunt.

¶Quartò, autoritate canonis in capit. si duo. distinct. 79. vbi dicitur, quòd si duo contendunt de papatu, Concilium est iudex: ergo habet superioritatē in vtrumque: nullus enim est alterius iudex ordinarius, quin sit iurisdictione superior.

¶Quintò, ratione, Papa & reliqui prælati quidquid iudicant, &c. faciunt vt ministri Ecclesiæ, nō solùm finaliter (id est, propter Ecclesiam) sed effectiuè autoritate Ecclesiæ: ergo in Ecclesia est primò autoritas. Antecedens probatur: quia agere dicuntur secundum intensionem Ecclesiæ. Sequela autem est manifesta: & cōfirmatur, quia suffragia, quibus priuatur excommunicatus, & indulgentiæ non sunt prælatorū, sed Ecclesiæ. Et confirmatur iterum: quia sicut Deus cōdens humanum genus, dedit potestatem regiminis ciuilis ad finem naturalem: non vni, sed communitati, &c. ita regenerans idem ad finem supernaturalē, dedit potestatem spiritualis regiminis ad illum finem cōmunitati Ecclesiæ, &c. Et sicut quādoque prouidit populo, dando principem, vt Moysem: ita prouidit Ecclesiæ, dando Petrum. Et confirmatur tertiò: quia aliter politia ecclesiastica nō esset ita bene ordinata sicut ciuilis: nā ista pōt prouidere sibi, principe potestate abutēte in destructionē Ecclesiæ autem non posset si nō esset superior Papa. Et confirmatur quartò: quia ipse Papa esset miserabilior cæteris, si à malo cōpesci non posset. Et confirmatur quintò: quia Papa est Ecclesiæ filius, ac per hoc subditus. Antecedens patet ex Ambrosio in libro de Symbolo, Nō habebit ibi Deum patrē, qui noluit habere Ecclesiam matrē. Sequela patet Prou. 10. Stultus despicit matrem suam.

¶Sextò etiā ratione, Si Papa habet potestatem supertotum residuum Ecclesiæ collectiuè, ergo potest aliquem actum iurisdictionis in illud totum etiam inuitū exercere: sed hoc est falsum: quia non potest illud totum excommunicare aut interdicere: nec ad aliquid ipso renitente obligare: vt patet per illud August. Leges institiuuntur cùm promulgantur: firmantur cum moribus vrentium comprobantur. distinct. 4. ca. in istis.

¶Septimò: quia potestas ecclesiastica prius tēpore est in ecclesia, quā in aliquo summo Pontifice: quia illa fuit instituta & Ecclesiæ collata Matt. 8. ista autē Ioan. vlti. Petro data est. Et ideo si Christus Petrum papam non instituisset, potuisset hoc ecclesia facere: committēdo ei suam potestatem: nec potuisset illam ab eo auferre nisi ex causa rationabili: sicut populus potest respectu Regis.

¶RESPONDEO, Ex autoritate illa Augustini nō sequitur Concilium esse supra papam, sed dupliciter argumentū ex illa deficit. Primò: quia equiuocat de Cōcilio. nam quæstio nostra est de Concilio distincto cōtra papā, seu secluso papa, quod est Concilium acephalū. Augustinus autem loquitur de vniuersali concilio cum papa, vt patet ex hoc, quòd ponit præsentiam iudicū, id est Episcoporum, qui iudicauerāt. Constat autem q̄ non licet arguere à concilio, ad concilium acephalum. Secundò deficit: quia ex hoc, q̄ re stabat refugium cōcilij vniuersalis, infertur superioritas: est enim hic sophisma consequentis. Potest enim recursus iste haberi propter multas causas, scilicet exclusionē suspitionis, plenioré discussionē, maiorem sapientiam, personalē tractatum, & quicquid eiusmodi est: vt patet ex continua consuetudine appellantium ad eundem iudicem (puta papam) plenius informandum & causam per alios tractaturum iudices, &c. Et hoc consonat literali sensui Augustini: vbi propter præsentiā omnium prælatorum potuisset causa ita discuti, vt etiā iudices qui primò in partibus, & qui secundò Romæ iudicarunt, personaliter præsentes rationes iudicij cōferre potuissent, & vniuersali omnium iudicio decerni, & etiā dissolui prius malè iudicatum. Ad nihil enim horum exigitur maior auctoritas intensiuè, quàm papæ: sed sua sufficit cum maiori discussione sapiētia, &c. vt quotidie videmus. Est etiā cū his omnibus in cōcilio vniuersali maior autoritas extēsiuè, & maior solēnitas iudicij: quę omnia sententiā eius omni exceptiōe maiorē reddere videtur.

¶Ad secundā ex autoritate octauæ synodi, dicitur q̄ malè exponuntur verba synodi, dicēdo q̄ synodus negat modum iudicandi papam (scilicet audacter) & non iudicium ipsum. Et quòd hæc expositio sit mala, probatur: quia ly Audacter, aut importat vitium audacię, aut importat autoritatē. Si primum, cùm illud sit vitādum respectu cuiuscunque, & non solùm respectu papæ, ridicula esset decisio synodi, q̄ ipsa non debet vitiosè, vel ex passione iudicare papam, &c. si secūdum haberetur contrarium expositionis allatę. Vnde literalis sensus est, quòd dicere sententiā in Romanum pontificē est audaciæ vitium: illa siquidem negatio præposita non modum solùm, sed totum negat. Dicendo igitur, Non tamē audacter dicere sententiā in Romanū Pontificem, significat quòd non nisi audacter dicere potest sententiam in Romanum Pontificem. Sicut cū dicimus, quòd de manifestis licet nobis iudicare, de cordis autē occultis non licet nobis temerè diffinire: non intēdimus negare modum diffiniendi tantū (puta temere) sed intendimus determinare, quòd ipsa diffinitio de occultis cordis est temeraria: Determinat ergo ly Audacter, naturam iudicij in papā: sicut ly Temere

mere, in exemplo dato naturam iudicij in cor. Et propterea ex hac autoritate habetur oppositum eius quod arguentes intendunt. In cuius signum, synodus dicit sibi competere audientiam & progressum in quæstione de Papa cum reuerentia, & de sententia subdidit illam negatiuam, quam non subiunxisset, si etiam sententia cum reuerentia sibi competeret, ipsa quippe distinctio expositionis confutatæ defectum ostendit. Cùm autem legeris hæc, memento quòd sermones morales de his sunt, quæ regulariter accidunt. In casu quippe hæresis pertinacis in Papa, synodi iudicium depositiuum Papæ absque audacia esset.

¶Ad tertiam ex autoritate Damasi, dicitur, quod neutrum deductorum ex illa autoritate sequitur. Nam in illis verbis non negat potentiam, sed formam iudicandi sibi competere posse. Et huius negationis causam reddit, non impotentiam aut subiectionem suam, sed indecētiam: vt patet in illis verbis. hoc autem familiare est principibus. Quin etiam si dixisset se non posse iudicare, verum dixisset, & à consuetudine principum non recessisset: qui ea se negant posse facere, quæ indecenter facerēt si exaudirent. Constat autem, quòd indecens est determinationes Concilij etiam prouincialis soluere: quantò magis Concilij generalis, quorum decreta etiam Papam in foro cōscientiæ ligant, non minus quàm propria? vnde, & secundum sacros canones ad Romanum Pontificem præcipuè spectat seruare statuta Patrum. Et si notaueris eandem autoritatem, contra arguentes facit: pro quanto insinuat excellentiam suam tantam, quòd eum quasi ex synodi autoritate iudicare non conuenit.

¶Ad quartum ex autoritate Canonis, dicitur quod gratis concessum est, quòd Papa incertus subditur Concilio. Duobus enim contendentibus incertis, iudicat Ecclesia: sed si alter esset certus & indubitatus, Ecclesia non iudicaret, sed adiuuaret certum obediendo, condemnando antipapam, &c.

¶Ad quintum ex ratione, quia prælati sunt ministri Ecclesiæ, dicitur quòd prælati dicuntur ministri Christi & Ecclesiæ. Christi quidem & effectiuè (quia ab illo habent suam potestatem effectiuè) & suppositaliter, mysticè tamen: quia omnes prælati sunt velut membra Christi, iuxta illud August. super Ioan. Si præpositi Ecclesiæ pastores sunt, quomodo vnus pastor est, nisi quia sunt illi omnes vnius membra pastoris? Ecclesiæ autem integræ (id est cum capite suo, quod Christus est) ministri etiam dupliciter dici possunt, scilicet effectiuè ratione partis, scilicet capitis, à quo habent prælati autoritatē & integraliter: quia sunt membra Ecclesiæ reliquæ à capite, non vt suppositi, sed vt corporis mystici partes integrales. Et hæc dicimus loquendo de prælatis Ecclesiæ absolutè, non de isto ordinato & instituto ab illo: sic enim esset quæstio de illo alio, & sic de aliis. Ex quibus patet, quòd prælati Ecclesiæ proprièloquendo, nō sunt ministri Ecclesiæ effectiuè, nisi ratione capitis, scilicet Christi: & consequenter non sunt ministri Ecclesiæ vt dominæ, nisi ratione capitis: propter quòd Paulus dicit, Si quid ego donaui, in persona Christi. & rursus, Sic nos existimet homo, vt ministros Christi. Ex hoc autem quòd ministri Ecclesiæ dicuntur agere secundum intentionem Ecclesiæ, non plus habetur quàm dictum est: quia, scilicet agunt secundum intentionem Ecclesiæ in capite, & in corpore ab ipso capite diffusam. Quanuis hoc possit etiam intelligi secundum intentionem Ecclesiæ, id est secundum intentionem Ecclesiastico officio debitam: hac enim intentione confici, & conferri dicuntur sacramenta, &c.

¶Ad primam confirmationē, quia suffragia sunt non prælatorum, sed Ecclesiæ, dicitur, quòd falsum est suffragia non esse prælatorū, vt dispensatorum: quamuis sint Ecclesiæ integræ vt proprietariæ: sed hoc nihil aliud concludit, nisi prælatos ab Ecclesia integra ratione capitis potestatē habere. Vnde omnia deficiūt ob æquiuocationem ad propositum ab Ecclesia integra ad Ecclesiā, vt distinctam contra caput. Ad secundam cōfirmationem de similitudine conditionis, & regenerationis generis humani, dicitur q̄ apertissimè cōstat falsum assumi, & dissimiliter Deum instituisse. Nam in ordine ad finem naturalem potestatem cōmunitati indidit, & non vni, in ordine autem ad finem supernaturalem potestatem dedit vni, & non cōmunitati, præfecit enim Iesum Christum, secundum q̄ homo est, in principem & caput omnis Ecclesiæ, vt patet, & hoc non præueniēdo sicut in ciuilibus, sed instituendo, vt patet. Et scito, quòd argumētum deficit ex eo, q̄ non attendit ordinem primarium regenerationis humanæ, sicut attendit primarium ordinem conditionis humanæ: sed declinat ad ordinē secundarium Ecclesiæ, qui est in tēpore absentiæ principis, qui abiit in regionē longinquam accipere sibi regnū & reuerti. Quæ declinatio manifeste defectiua est: quia primariū in vno, primariū in altero reddēdum proportionaliter est. Hic autem secūdarius ordo in Ecclesia naturaram si sequitur principalis, absque omni cōtradictione optimus videtur. Sic autē potestas in vno principis vicario nō in communitate locanda est, & locata ab ipso principe in Petro. Vnde patet, quòd non præuenit princeps Ecclesiā, sed suapte natura ordinē regiminis spiritualis prosecutus in Petro & eius successoribus vicariatum suum locauit. Ad tertiam confirmationem iam patet, quòd optimè prouisum est politiæ spirituali in suo naturali principe, qui peccare nō potest, in ordinatione autē vicarij illius optimè quoque prouisum est, dū suauis dispositio seruata est. Superna naturale nanque regimē (quale est Papatus) suapte natura supernaturalem defensionē & remediū sibi vendicat: quale Dominus Iesus Christus sibi autoritatiuè reseruādo electionē, & Ecclesię reliquæ ministerio orationum instituit. Hoc enim suauè, & efficax est remediū, vt in loco suo inferius amplius mōstrabitur. Vnde falsum est Dominū Iesum Christū minus bene ordinasse politiā Ecclesię, etiā sub suo vicario, quàm Politiā ciuilē in humanis, quoniā vtrobique non idem, sed proportionale remedium contra malum principem datum est. Ita q̄ Ecclesia potest se & contra illū tueri, & deponere votis & operibus Ecclesiæ proportionatis, scilicet orationibus, ieiuniis, eleemosynis, hęc enim efficaciora sunt cęteris causis secūdis: quia superiores sunt reliquis, & propriæ vniuersali saluti Ecclesiæ, sed non omnes capiunt verbū istud. Ad quartā confirmationē, dicitur quòd immediatè susceptus sub cura Christi viuentis, & specialiter de ipso curam habentis, nō est miserabilior cunctis, nisi ratione seruitutis vniuersalis & periculi maximi, & huiusmodi, talis autē est Papa, qui nō potest coactiua pœna puniri, sed tenetur ex amore liberè operari. Fœlicitatis enim quædā inchoatio est non miseriæ, esse in statu in quo nō sicut seruus sub lege, sed sicut liber in gratia constitutus homo adhuc mortalis est positus: vt in Papatu contingit. Ad quintum dicitur, quòd Papa inquantum singularis persona est filius Ecclesiæ, quia regeneratus, nutritus & instructus ab Ecclesia sicut cæteri, inquantum autem Papa, est filius Ecclesiæ integræ, hoc est cum suo capite, & pater non filius reliquæ Ecclesiæ. sed in his & similibus aduerte tu, cui hæc & similia obiiciuntur, ne æquiuocatio de Ecclesiæ vocabulo te fallat, vt ea, quæ dicuntur de Ecclesia integra (siue cum capite siue cum vices capitis habent) ad Ecclesiæ communitatem secluso capite applicata suscipias: hæc enim te deciperent.

¶Ad sextum argumentum principale dicitur cū Apostolo. Quòd omnia mihi licent, sed non omnia expediūt: & rursus: Omnia possum, sed nō omnia ædificant. Concediturigitur, quòd papa potest quātum ex potestatis suæ autoritate est, actum iurisdictionis etiā in inuitam Ecclesiam reliquam exercere: sed nō expediret, si non ædificaret. Nec valet argumentum. Non potest illam excōmunicare, ergo non potest aliquē actum iurisdictionis in inuitam exercere: vt patet. Ad probationem autē ex autoritate Augustini dicitur, q̄ potius probat oppositū. Si enim leges institiuuntur cū promulgantur, Papa promulgando legem in totam Ecclesiā instituit in illam. Firmitas autē ex consensu vtentiu, non ex parte autoritatis, sed ex equuttionis se tenet. Quod conuincitur ex eo, q̄ statutū vniuersalis Concilij integri etiam consensu vtentium firmatur, ita quòd nō ligat quando est à dissensu vtentiū in firmatum: & tamen nullus dubitat vniuersale Concilium integrum firmitatem autoritatis legibus suis dare. Prouenit autem hæc legū infirmitas ex dissensu vtentium etiam ab ipsis legislatoribus negatiuè, pro quanto tolerando dissimulant, & implicitè reuocant quod fecerunt. Et meritò: quia lex (vt dicitur dist. 4. cap. erit) debet esse patriæ, loco, tempori que conueniens.

¶Ad septimū dicitur, q̄ falsum assumitur: nā potestas ecclesiasti quæ primò fuit in primo summo Pontifice domino Iesu Christo, qui ea primò fuit in primo summo Pontifice domino Iesu Christo, qui ea Pōtifex assistēs futurorum bonorū, æternam redemptionē inuenit. Falsum quoque mōstrarū est esse q̄ Dominus per illa verba quæ habentur Matth. 18. potestatē ecclesiasticā dederit Ecclesiæ, quamuis promiserit ei super suos subditos: vt superius diffuse discussum est. Aequiuocatio demū incidit in dicta ab Ecclesia, ad Ecclesiā secluso capite declinando. Reliqua autem quæ arguendo afferuntur (scilicet q̄ Ecclesia potuisset institiuere Petrū Papam) quàm falsa sint, ex supradictis patet: quia si potuit Ecclesia vnquā instituere Papatū in vno & eius successore, vt Christus fecit, posset quoque illū instituere in triumuiratu, vel aliquo huiusmodi: quia eiusdem est instituere, & institura mutare pro loco & tempore.

CAP. XI.

DIXI in 8. cap. quòd Concilium Constantiense pro illo tempore primo quo fecit illa decreta de potestate synodi, non erat verum Concilium vniuersalis Ecclesiæ. Et quòd Basilien. errauit illud sequendo.

OBIICITVR dupliciter. Primò quòd blasphemaui. Secundò, quia Concilium Cōstantiense sub obedientia Ioannis 23. erat verum Concilium vniuersale: quia succedebat Concilio Pisano, in quo fuerat vnio Ecclesiæ, depositoque vtroque Papa (scilicet Grego. 12. & Bened. 13.) & electus Alexander quintus, cui successit Ioan. 23. qui congregauit illud Constantiense Concilium.

¶RESPONDEO, Et primò quo ad Constantiense cōcilium. ¶Si ego blasphemo, quare Gregorius 12. qui expresse recusauit in actu vnionis Ecclesiæ recognoscere Concilium illud pro tunc, vt Concilium illud, non blasphemus, sed vir pacis, & Ecclesiæ amator

Universidad de Deusto
Biblioteca

habitus est vt patet in gestis eiusdem Concilij, sessione 43. Quare obedientia Benedicti 13. inter fœdera vnionis, & in actu vnionis Ecclesiæ recusationem talis pro tunc Concilij volens & faciens, non blasphema, sed catholicæ vnitatis studiosa est habita? vt patet in sessione 20. & 22. Quare Sigismundus Imperator, qui præsedit illi Concilio, vt satisfieret recusationi illius Concilij, non blasphemus, sed defensor Ecclesiæ fiabetur? Quare demũ ipsummet tunc Constantien. Conciliũ, cùm negauit facto seipsum esse Cõcilium non semel, sed bis (primò in acceptando præsidentiam Imperatoris, & autorizari se in Concilium à Gregorio 12. secundò in acceptando se convocari ab obedientia Benedicti 13. & convocare illam) non blasphemauit? Et si potius scandalum permitti debet à qualibet singulari persona, quã veritas deseratur, quomodo Concilium vniuersale à spiritusſancto rectũ, potius veritatẽ deseruit seipsum facto negans, quàm scandalum permittere voluit iam natum? Ex his autem rectè consideratis patet, quòd Concilium illud non reputauit seipsum certum & indubitatum Cõcilium illo tempore: & propterea huiusmodi negationes admittebat dans operam vt vnum certum & indubitatum Concilium fieret cum indubitato capite: vt tandem fuit. In quo igitur ego erro, si dubia & incerta pro dubiis incertisque habui? nihil enim dixi aliud in sententia. Nam dubia & incerta pro vera autoritate refutari constat, veritatisque autoritatem eis tribuere nephas est.

¶Ad secundam obiectionẽ de successione ad Cõcilium Pisanum, dicitur, quòd nec illud Concilium cõstat fuisse certũ & indubitatũ vt cæteris omissis patet ex duobus. Primò: quia assertio ista reuocaret antiquum schisma: quid enim aliud est dicere, Concilium illud Pisanũ cum Alexandro 5. certum & indubitatum, quàm certẽ & indubiẽ damnare Gregorium 12. & Benedictum 13. cum suis obedientiis? Hoc autem est redire ad illud schisma. Secundò: quia ipsum Constan. Cõcilium sub obedientia Ioan. 23. licet crediderit se esse vniuersale Conciliũ succedẽs Pisano, nõ tamẽ hoc pro certo & indubitato tenere se cõtestatũ est facto suo: vt patet ex dictis.

¶Accedit ad hæc, quòd sine Papa diffiniuit: & propterea si fuisset etiam tota reliqua Ecclesia repræsentatiuè potuisset errare, nec fuisset Cõcilium generale perfectũ simpliciter: vt patet in libello.

¶Quo ad Concilium verò Basilien. vniuersalis Ecclesiæ respõsionem replico: quæ Eugenium adorauit, Concilium Florentiæ vniuersale ex Orientali etiam Ecclesia celebrauit in materia fidei, &c. Si ego blasphemaui, quis excusat Ecclesiam à blasphemia?

CAPVT XII.

DIXI in cap. 9. glossando verba Aug. Petrus quando claues accepit, Ecclesiam significauit, & similia quæ in hoc sensu dicta sunt, quia officio capitis perpetuo, in Petro & successoribus data hæc sunt: & propterea in persona Ecclesiæ dicitur Petrus suscepisse hæc.

¶OBIICITVR, Quòd non sit iste sensus intentus ab Aug. quia sequeretur, claues datas esse Ecclesiæ finaliter, & non formaliter: cuius oppositum vult ibi Aug.

¶RESPONDEO, Quòd sequela nõ tenet: imò sequitur ex illo sensu claues esse datas Ecclesiæ formaliter: tũ quia quod datur capiti formaliter, verè etiã datur corpori, cuius est illud caput formaliter: tum quia datum capiti & corpori formaliter: quamuis corpori mediante capite, constat datum esse toti formaliter: sic autem est in proposito, vt patet. Sed argumentũ præter hoc fallitur in æquiuoco de Ecclesia: ab integra Ecclesia in terris, capite scilicet & corpore, (de qua loquitur Aug.) ad Ecclesiam pro corpore tantum, vt quoddam vnum integrũ, cuius Papa sit vicarius: quod est fictitium. Firmatur autem sensus à me assignatus, ex eo quòd exposui Augu. ex ipsomet Aug. inquit enim in lib. de Agone Christiano, Non sine causa inter Apostolos, Ecclesiæ catholicæ personã sustinet Petrus: huic enim Ecclesiæ claues datæ sunt cum Petro datæ sunt. & cum ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me, Pasce oues meas. Hæc ille. Constat enim quòd Petro vt distincto ab aliis, & pro se & successoribus datus est Papatus, per illa verba, Pasce oues meas, Ioan. vlt. Et Aug. idem iudicat de hoc actu, & de acceptione clauium: ratione igitur officij capitalis & perpetui in Ecclesia diffusi Augustin. dicebat quòd personam Ecclesiæ gerebat.

CAP. XIII.

DIXI in eodem capit. 9. quòd Papa non potest errare errore iudiciali in fide, quamuis possit errare personaliter: quia ad ipsum spectat finalis determinatio de fide: vt decret. primo: & S. Thom. post dicit: & probat ratione & autoritate Cyrilli & Maximi.

¶OBIICITVR, Primò, quia duo summi Pontifices determinauerunt contraria in his, quæ fidem tangunt: ergo alter eorum errauit errore iudiciali in fide. Assumptum patet de Ioan. 22. & Nicolao 3. quorum vnus determinauit iudicialiter Christum & Apostolos nihil habuisse in communi nec in particulari, alter oppositum: vt est videre in eorum extrauagantibus.

¶Secundò, Quia Innocentius tertius, & Celestinus determinauerunt contraria super illa propositione, Vno cõiugum ad hæresim transeunte alter qui remanet in fide, potest ad secunda vota transire: vt patet in cap. quanto, de diuortiis & glossa ibidem.

¶Tertiò, Quia aliqui statuerunt contra Euangelium: vt Pelagius, qui constituit vt subdiaconi Siciliæ à suis vxoribus abstinerent, quas in minoribus duxerant, aut ab officio cessarent: quam constitutionẽ quia erat impia & contra Euangelium, retractauit beatus Gregorius primus eius successor: vt patet in distin. 31. cap. ante triennium. in textu & gloss. sicut enim potuit iudicialiter statuere contra Euangelium, ita & diffinire.

¶Quartò, Quia sequeretur quòd summus Pontifex non posset fieri hæreticus circa propositiones nondum determinatas, vt erat articulus de processione Spiritussancti à Filio. Et tenet cõsequentia: quia non posset esse pertinax contra suiipsius determinationem. Sequeretur etiam quòd determinatio etiam solius summi Pontificis ligaret suum successorem. Sequeretur etiam, q̃ Papa verè hæreticus malè iudicari posset: quia decideret obiecta contra eum esse intelligenda in aliquo sensu suæ assertioni consono.

¶Quintò, arguitur ad hominem, Quia ego contradico mihimet in hoc eodem libello, nam in fine quarti capituli dictum est, quòd sententia Ioannis Euangelistæ præualuisset sententiæ Clementis Papæ in doctrina fidei, & nunc dicitur, quòd Papa non potest errare in iudicio fidei. hæc enim contradicunt, quia non præualuisset sententia Ioannis, sed tantum fuisset standum sententiæ Clementis Papæ quantum sententiæ Ioannis, imò & plus: quia apud Clementem fuisset vltima decisio fidei iuxta hic dicta, sicut apud Petrum si adhuc superuixisset.

¶Sextò, Quia frustra fuissent congregata quatuor Concilia generalia principalia contra quatuor hæresiarchas, puta Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Calcedonen. Et tenet consequentia: quia sufficeret solius Papæ decisio: imò apud aduersarium tantæ est potestatis solus Papa in diffiniendo, sicut aggregatum ex ipso residuo.

¶Septimò ex Occham. Quia Innocentius tertius (vt habetur extrà qui filij sint legitimi in ca. per venerabilem) dicit: Cum Deuteronomium secunda lex interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt quòd ibi decernitur. in nouo testamento debeat obseruari. Quæ verba si vniuersaliter secundum literalem sensum intelligantur, hæresim sapiunt: quia cæremonialia ibidem in cap. 13. & 14. non sunt seruanda. Si verò mysticè intelligantur, nihil speciale de Deuteronomio dicunt: quia omnia mystice seruãda sunt: vt legitur distinct. 6. cap. his itaque.

¶Octauò ex eodem, Quia nonnulli summi Põtifices inueniuntur diffiniuisse se in temporalibus habere supremam potestatem, cæteri verò oppositum.

¶Nonò, Quia non est verisimile, quòd homini potenti in iis quæ sunt fidei errare, commiserit Deus vltimam fidei decisionem.

¶RESPONDEO, Et ad primum quidem dicitur quòd falsum assumitur, scilicet quòd vnus Papa, scilicet Nicolaus determinauit iudicialiter Christum & Apostolos nihil habuisse in cõmuni. Nam manifestè Nicolaus (vt patet in 6. de verborum significatione exiit qui seminat) dicit, Egit nanque Christus & docuit perfectionis opera: egit etiam & infirma sicut interdum in fuga patet & loculis, sed vtrunque perfectè perfectus existens, vt perfectis & imperfectis se viam salutis ostenderet. Hæc ille. Vbi manifestè patet, quòd Nicolaus asserit Christum habuisse aliquid: valet enim sequela, Nicolaus asserit Christum habuisse aliquid, vt imperfectis se viam salutis ostenderet: ergo asserit Christum habuisse aliquid. Ioannes ergo 22. qui determinauit hæreticum esse, tenere quòd Christus & Apostoli nihil habuerunt in communi, quia contradicit sacræ Scripturæ veritatem fidei determinauit, cuius contrarium non determinauerat Nicolaus.

¶Ad secundum dicitur, quòd neuter illorum Pontificum diffinitiuè determinauit. Nam de Celestino in cap. quanto. de diuortiis, Innocentius dicit, Licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur: & de seipso subiungit, respondendo oppositum, Non credimus quòd in hoc casu is qui relinquitur, viuente altero, posſit ad secundas nuptias conuolare. Vbi verba ipsa (videlicet videtur aliter sensisse, & Non credimus) ostendunt quòd non diffiniendo in materia fidei loquuti sunt.

¶Ad tertium dicitur quòd Pelagius, si statuit illud, nihil contra, sed supra Euangelium statuit. Quod manifestè patet ex hoc, quòd statutum illud suos obseruatores aut in bono supererogationis locabat, si continerent: aut in nullo malo, si non cõtinentes se suspendebant ab officio: vt quidam subdiaconus fecit.

¶Est autem hic aduertẽdum, quãtum crescat infamia per diuersa ora paulatim: nam sanctus Gregorius de hoc statuto loquens dicit, & quòd diaconus autoritate tamen Papæ hãc prohibitionem fecit (vt patet 27. q. 2. c. multorum) & quod sibi durum ac incompetens videtur, vt patet in cap. ante triennium. distinct. 31. Glossa verò ibidem auget, dicens, quòd Pelagius hoc fecit, & quod illa constitutio fuit iniqua, arguens autem amplius auget, dicens, quòd Romanus Pontifex statuit contra Euangelium.

¶Ad

¶Ad quartum dicitur, Negando primam sequelam, scilicet quòd Papa non possit esse in non deciſis hæreticus. Nam si ille, qui est papa, tenuisset pertinaciter, Spiritum sanctum non procedere à Filio, etiã si ab Ecclesia sic determinaretur, fuisset hæreticus. Per accidens autem est, quòd ab ipso vel alio determinatio Ecclesiæ fieret, standum est enim in formalibus & per se, & non declinandum ad ea, quæ sunt per accidens in quacunque scientia. Ex hoc patet responsio ad secundam sequelam. Nam determinatio vnius papæ in materia fidei ligat per se omnes personas Ecclesiæ. quarum sunt actus credendi. & sic persona propria & successoris ligatur ad tenendum determinationem semel factam de fide. Ad tertiam autem sequelam dicitur, quòd cum ꝺ quod imputaretur papæ pro hæresi, non esset deciſum adhuc per Ecclesiam, & ipse non teneret hoc pertinaciter: sed defenderet esse consonum sacræ Scripturæ & fidei Ecclesiæ, non esset hæreticus formaliter, etiam si materialiter erraret in his quæ sunt fidei. Et propterea non sequitur, quòd papa malè posset iudicari de hæresi in casu quo iudicandus est, scilicet de hæresi formaliter: in his enim non habet locum interpretatio ad istum vel illum sensum.

¶Ad quintũ dicitur, quòd nulla est contradictio in dictis meis aliquibus. Nam bene simul stat tam Ioannem quàm Clementem non posse errare, & tamen alterum esse supra alterum: possunt enim esse duo omnino recta subordinata: vt patet apud omnes de Ecclesia vniuersali præsenti, & de sacra Scriptura. Dicendo autem, quòd sententia Ioannis præualuisset sententiæ Clementis Papæ, nihil aliud dixi, nisi quòd Clementis sententia subordinata erat sententiæ Ioannis. Ad id verò, quòd adiungitur, quòd sequeretur oppositum huius, negatur sequela. Nam cum dicitur, quòd ad Papam spectat finalis determinatio de fide, intelligitur in ordine & gradu suo, scilicet sub sacra Scriptura, cuius autor est Spiritus sanctus. Et, quia Ioannes Euangelista in doctrina fidei locum sacræ Scripturæ tenebat (sicut Euangelium suum hodie tenet) ideo non sequitur quòd magis Clementis quàm Ioannis esset standum sententiæ, sed econtrario. Et ex hoc patet responsio ad simile allatum arguendo de Clemente & Petro, quòd scilicet non est eadem de vtroque ratio: quia Petrus non ratione papatus, sed apostolatus, locum etiam sacræ Scripturæ tenebat, sicut nunc tenent Epistolæ eius, & hunc sensum expresse aperui in libelli illius loco allegato dicens, Præualuisset sententia Ioannis sententiæ Clementis Papæ in doctrina fidei, sicut modò præualet Euangelium Ioannis sententiæ cuiuscunque papæ & totius Ecclesiæ.

¶Ad sextum negatur sequela: quòd scilicet frustra fuissent Concilia illa principalia in materia fidei congregata. Concilia enim non propter potestatem intensiuam, sed extensiuam, & propter discussionem & collationem cum multitudine vniuersali sapientum in fide, & propter indubitabiles & acceptatos ab omnibus iudices omni exceptione maiores, congregantur in materia fidei. Probatio autem sequelæ procedit, acsi propter-habendam solam autoritatem intensiuam Concilium congregandum esset: quod falsum est. Nam licet papa solus tantæ intensiuæ sit autoritatis, quantæ ipsæ cum residuo: non tamen tantæ extensiuæ, non tamen tantæ sapientiæ, nõ tamen tantæ acceptationis indubitatæ ab omnibus (vt patet de ipsis oppositum sentientibus) non tamen tantæ solennitatis (quæ animos humanos communiter multum afficit) non demum tantæ bonitatis & gratiæ corã Deo: quæ apud multitudinem hominum multum valet ad persuadendum quòd à Spiritu sancto regitur, errare non potest. Oporter enim ea quæ totam Ecclesiam tangunt in singulis sic fieri, vt acceptabilia facillimè omnibus sint: & ad hoc multum valent vniuersalia Concilia à probis præcipuè prælatis celebrata.

¶Ad septimum dicitur, quòd quia duæ sunt leges diuinæ (scilicet vetus & noua) & noua est secũda ordine generationis, ideo vocabulum illud, scilicet secunda lex, nouæ legi conuenire ex vi vocabuli dicitur: & argumentũ ex conuenientia vocabuli sumpsit Innocentius. Et hoc expressit, ne intelligeretur quòd absolutè cõcluderet, sed quantum est ex vi vocabuli. Et hoc diminuit argumentum, nõ auget (vt patet) quoniam in voce vna latent multa. Vnde ex hac cõuenientia quandam persuasionem intendebat, qua mandata in Deuteronomio, nõ ad literã, sed proportionabiliter secundum conuenientiã ad rẽpus gratiæ seruada erant, quãdo, vbi, &c. expediret. Vnde ipse mandatũ vnum iudiciale ex Deuteronomio assumẽs, & tractas, non ad literã, sed iuxta conuenientiã ad sacer dotium Petri exposuit. Nec obstat q̃ omnia veteris testamẽti hoc modo seruari possunt, cõceditur enim q̃ nihil speciale de Deuteronomio intendebat, nisi persuasionem ex cõuenientia nominis.

¶Ad octauum dicitur, q̃ quia potestas Papæ directè est respectu spiritualium ad supremum simpliciter finẽ humani generis: ideo suæ potestati duo conueniunt, primò, quòd non est directè respectu temporalium: secundò, quod est respectu temporalium in ordine ad spiritualia: hoc enim habet ex eo, quòd ad supremum finẽ omnia ordinari debet, etiam temporalia, ab eo proculdubio, cuius interest ad illum finem omnes dirigere: vt est Christi vicarius. primum autem ex natura suæ potestatis consequitur. Ex his autem sequitur, quòd vtrunque verè potest determinari de Papa, & q̃ habet supremam potestatem in temporalibus: & quòd non habet supremam potestatẽ in temporalibus: quoniam vtrunque verum est ad sanum intellectum. Affirmatio nãque est vera in ordine ad spiritualia: negatio verò est vera directè, seu secundum seipsam temporalia. Vnde nihil ex vtraque decisione erroris accidit. Aduerte tamen, q̃ quia aliud est determinare de fide formaliter, & aliud de eo, quod est fidei materialiter: nam primũ importat determinare quid credendum vel non credendum est: secundum autem determinare de quæstionibus, quæ in rebus creditis accidũt, & constat, quòd cùm determinatur quæstio aliqua secundo modo non determinari dicitur de fide, sed de tali vel tali materia: ideo, cum dicitur, quòd Papa non potest errare in iudicio fidei, non accipio dictum esse nisi de iudicio fidei formaliter, quando, scilicet determinatur quid credendum vel non credendum. Contra quod nulla harum obiectionum procedebat, nisi prima apparenter: ne tamen fingere videar, sigillatim solutæ sunt omnes.

¶Ad nonum dicitur, q̃ non verisimile, sed verum & humanæ diuinæque rationi & autoritati consentaneũ est, vt homini potenti errare secũdum seipsum, non autem vt directo à Spiritu sancto, Deus vltimam fidei decisionẽ sub sacra scriptura cõmiserit. Cum enim nõ fit differentia apud Deum in vno & in multis saluare, & omnes in Cõcilio præsentes secundũ se & proprias vires considerati, possint errare, malè determinando de fide: ob ignorantiã vel aliquem alium defectum, ac per hoc ad assistẽtiam Spiritussancti recurratur, magis attestatur assistentiæ Spiritussancti & eius virtuti, salus fidei per vnum quam per totum Concilium: hoc enim humanæ sapientiæ opus esse videtur (propter omnium Patrum concursum) illud autem solius Dei opus est & apparet. Vnitas quoque fidei vnitatem quoque iudicis cui præest toti Ecclesiæ expositi: vt in Secunda secundæ, q. 1. art. vlt. diuus Tho. affert.

CAPVT XIIII.

DIXI in eodem 9. ca. rationẽ, quare Papa non potest errare in iudicio fidei, quia hic error esset error vniuersalis Ecclesiæ: quia tenetur sequi diffinitionem Papæ in fide, afferens ad hoc autoritatẽ sancti Thomæ, & post Decretalis in cap. maiores. & Iesu Christi, Ego rogaui pro te, Petre.

¶OBIICITVR Negando, q̃ Ecclesia de necessitate teneatur credere sententiæ diffinitiuæ Papæ in materia fidei: & dicendo, q̃ sicut Papæ præcipienti contra Euangelium, non est obediendũ, ita nec sententiæ erroneæ in fide. De autoritate S. Thomæ, nõ est cura.

¶Ad capitulum, maiores. dicitur dupliciter, primò, quòd non pro vltima & necessariò credẽda determinatione habenda, sed regulariter ad papã est recurrendum, quia regulariter non est Ecclesia congregata. Secundò (& in idem redit) quòd referendæ sunt summo pontifici causæ fidei, vt conuocet Concilium: quia ad ipsum spectat congregare illud.

¶Ad verbũ Domini, Ego rogaui pro te, Petre, dicitur quòd non pro sola persona Petri, aut successoribus orauit Christus ne deficeret fides eius, sed pro vniuersali Ecclesia per Petrũ repræsentata.

¶RESPONDEO, Negationem illam confuetudo Ecclesiæ autoritatẽsque sanctorum confutant, & ignis experientia comprobaret, si quis nõ teneret, quæ sunt sola Rom. Ecclesia determinaretur, hæreticum esse, vt patet, extrà, de hæreticis. ad abolẽdam in textu & glossa. Et hæc responsio manifestat, ad quid fateantur ipsimet se declinate oportere, defendendo subiectionem Papæ reliquo corpori Ecclesiæ, vel Concilij.

¶Quod autem additur, quòd sententiæ erroneæ, sicut nec præcepto diabolico adhærendum esset, verissimum est, sed nihil obstat: quoniã ex his nihil aliud quàm cõditionalis veritas habetur, scilicet si determinaret erroneè, si præciperet contra Euangelium, non audiretur. Hoc enim non solùm de Papa, sed de Angelis sanctis verissimum est, iuxta illud, Si Angelus de cælo euangelizet aliud, &c. anathema sit. Ex his enim consequitur, quòd antecedens, aut consequens possit esse verum, vt patet.

¶Quòd autoritas sancti Thomæ paruifiat, nõihil est: quoniam Ecclesia non paruifacit. Sed esto, quòd sanctus Thomas paruisiat, Cyrillus & Maximus ibidem allegati etiã paruifient. Hieron. quoque dicens ad Damasum (vt habetur 24. quæstione 1. canone, hæc est fides) si hæc nostra cõfessio apostolatus tui iudicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, se imperitum, vel maleuolum, vel etiam non catholicum, nõ me hæreticum comprobabit. manifesteque in his verbis cõtestans, q̃ ex approbata fidei cõfessione à Papa aliquis obstãs nõ catholicus sit, paruipẽdus erit.

¶Ad expositionem verò dictam de cap. maiores. dicitur, quòd literæ contradicit. Nam textus causam quare ad Petri sedem sit recurrendum, assignat veritatem Petri in confitendo fidẽ & indefectibilitatẽ eius in eadẽ propter orationẽ Christi. Ex hac enim causa manifestè sequitur, quòd ideo ad Papã referendas esse maiores causas dicitur, quia ipse cõstitutus est indefectibilis iudex in fide.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et quia eum, qui certus est, amplius certificari non oportet, sequitur q̃ sententia papæ in fide est finalis determinatio & necessariò credenda, secundum illam Decretalem. & sic vtraque expositio ruit. Quòd autem de oratione Christi pro Petro dicitur, potest bene & malè intelligi. Malè quidem, si intelligatur quòd Christus pro ecclesia, siue eũ papa siue sine papa orasse se dixerit: quoniam expresse Christus dixit hæc verba Petro, vt distincto ab aliis, vt patet ex contextu, inquit enim Lucæ 22. Simon ecce Satan expetiuit vos, vt cribraret sicut triticũ: ego autem rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua: & tu aliquãdo conuersus confirma fratres tuos. Vbi manifestè patet, quòd distinguit tentationis actum ab oratione quo ad hoc, quòd communiter expetiti erant, & tamen ipse singulariter pro Petro rogauerat, dicens, Expetiuit vos, ego autẽ pro te rogaui. Apparet quoque idem ex eo, quòd Petro commisit vt confirmaret alios, tãquam diceret, Ego tui, tu autem aliorum curam habeas. Bene autem si intelligatur Dominũ orasse pro Petro & aliis, diuersimode tamẽ. Pro Petro quidem immediatè, pro aliis autem mediante Petro: pro Petro in seipso Petro, pro aliis autem in Petro ipsorum capite. Et in hoc sensu magis cõfirmatur intentum nostrum: vt patet. Et vt vnico verbo dicam, si hæc autoritas de Petro & successoribus verificatur (vt dictũ cap. maiores affert) satis habetur intentum quòd Petri sedes non potest errare in fide propter Christi orationem. Et cùm hoc non sit verum de errore personali, sequitur quòd verificatur de errore iudiciali.

CAP. XV.

DIXI in eodem 9. cap. exponendo illud Hiero. Si autoritas quæritur, orbis maior est vrbe. quod verum est quo ad multa: puta merita, virtutem, scientiam, &c.

¶OBIICITVR, tu glossas de maioritate meritorũ, & Hieron. non dicit, si merita quærantur, sed si autoritas quæritur: & sic de maioritate potestatis, non meritorũ loquitur.

¶RESPONDEO, satis diminutè glossa mea adducitur, nam, (vt patet in libello) ego dixi quòd dictum Hiero. verum erat quo ad multa: puta, meritum, scientiam, &c. & q̃ in proposito & ad literam Hiero. loquitur de vigore consuetudinis: & obiectio in solis meritis se ponit. Propter quod etiam addo, quòd merita ad autoritatem consuetudinis plurimum valent: quoniam consuetudo non virorum malorum, sed virorum sanctorũ, maximæ est in Ecclesia Dei autoritatis, & proponitur imitanda. Et propterea stando etiam in meritis Hiero. textus optimè intelligitur: vt quia orbis maior est vrbe in autoritate consuetudinis, propter maiora merita orbis quàm vrbis, ideo consuetudo orbis, qua diaconi subesse, non præesse consueuerunt, imitanda est. Et sic dicendo, si autoritas quæreretur ratione materiæ de qua erat sermo, scilicet de loco diaconorum, maioritatem meritorum non potestatis in causam autoritatis afferebat. Facilè tamen contendentibus in verbis dici potest, quòd orbis autoritas maior est extensiuè, non intensiuè autoritate vrbis, & similiter potestas.

CAPVT XVI.

DIXI in eodem cap. 9. multas autoritates ex lib. decretorũ, quòd Papa non habet superiorem in terris.

¶OBIICITVR duabus glossis. Prima est, q̃ intelligitur hoc in criminibus non scandalosis Ecclesiæ. Secunda est, quòd intelligitur hoc regulariter: quia regulariter ad superiorem summi Pontificis Concilium, scilicet recursus haberi non potest.

¶RESPONDEO, quòd prima glossa est volũtaria & falsa, Voluntaria quidem, quia Ecclesiæ Canonũ, aut Sanctorum autoritate non roboratur: falsa autẽ, quia fit exceptio de solo crimine fidei: Constat enim quòd ab vniuersali cum vna exceptione facta non nisi falso alia exceptio fit. Cum ergo solũ infidelitatis crimen excepтũ ab vniuersali sit, restat vt alia crimina omnia inclusa sint. Secunda autem glos. manifestè falsa cõuincitur ex eo, quòd etiam de crimine hæresis papa diceretur non habere superiorem: quoniam regulariter Concilium non est congregatum. Tertia autem glossa quòd autoritates istæ sunt summorum Pont. qui vt in pluribus fimbrias suas nimis extendentes, sibimet tribuerunt quòd Ecclesiæ est propriũ: quia non procedit de Theologiæ aut sacrorum Canonum, &c. autoritate: quàm bene sonet, aduertat qui notat in quanta veneratione Decretales summorum Pontifi. in Ecclesia sunt. Et tantò plus, quantò multorũ sanctorum Pontificum autoritates refutandæ sic essent: vt patet de Bonifacio, Antherio, Eusebio, & aliorum sanctorum in libello allatorum. Taceo de tot doctoribus in Theologia & in iure illustribus ibi allatis.

CAPVT XVII.

DIXI in cap. 11. quòd Ecclesiæ Dei, secluso Papa non est data potestas papalis, aut superior papali in Euãgelio Matth. 18. & quod in Ecclesia huiusmodi non est talis potestas.

¶OBIICITVR, quòd Dominus ibidem dixit, Si Ecclesiam non audierit, &c. per hoc enim Ecclesiæ iurisdictionem ostendit in effectu, scilicet in pœna excommunicationis, & subdidit in plurali numero, Quæcunque solueritis, &c. per hoc enim ostendit, quòd pluribus in Ecclesia nomine contentis, dabat illam potestatem.

¶Affertur etiam ad hoc vsus primitiuæ Ecclesiæ, quando Act. 15. diffinitum est ab Ecclesia, Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil amplius oneris vobis imponere, &c.

¶Affertur tertiò autoritas Gregorij, quæ ponitur in cap. sicut sancti. vbi Gregorius fatetur se quatuor Concilia illa, scilicet Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Calcedonen. tenere sicut Euangelium: & subdit causam, quia dum vniuersali sunt constituta consensu, se & non illa destruit quisquis præsumit absoluere quos ligant, aut ligare quos absoluunt. Ecce, quòd non dicit, quòd summi Pont. sed vniuersali consensu: nec quos Pontifex ligat, sed quos illa ligant.

¶Quartò, ad hoc est canon, decreuit 80. dist. vbi dicitur, Decreuit sancta synodus & non dicit, decreuit summus Pontifex.

¶Quintò, capitulum nimis. de iureiurando: vbi autoritate sancti Concilij, non propria summus Pontifex præcipit.

¶Sextò, Ecclesia potest elargiri indulgentias. ergo habet claues iurisdictionis. Probatur antecedens: quia dantur indulgentiæ de thesauro Ecclesiæ & non Papæ: ergo à fortiori Ecclesia potest dispensare.

¶Septimò, Ecclesia potest condere canones latæ sententiæ, depositionis, excommunicationis: ergo Antecedens patet de Concilio Carthaginen. in cap. placuit. 8. quæst. 1. & habetur extrà de clericis non residentibus, in cap. ex gestis.

¶RESPONDEO, Et vt his & similibus respondendi via detur, quatuor pũcta præ oculis semper habẽda in hac materia & huiusmodi autoritatibus assigno. Primum est, aliud est Ecclesiam seu synodũ habere potestatẽ plenariam ratione partis (puta capitis, sicut homo videt, audit, &c.) & aliud est Ecclesiam, seu synodum habere eandem ratione suæ totalitatis. Et propterea cauendum est, ne à primo in secundum oratio declinet. Secundum est, Aliud est Ecclesiam seu synodũ habere potestatem plenariam, & aliud est eam habere immediatè à Domino Iesu Christo. Et propterea cauendũ est, ne à primo in secundum oratio declinet. Tertium est, Aliud est ecclesiam, seu synodum habere potestatem: & aliud est eandem habere potestatem talem, scilicet coactiuam respectu talis, scilicet vicarij principis sui: potentia enim actiua, cùm dicatur non absolutè, sed respectu passiuæ, (vt patet 5. & 9. Meta.) plenaria potestas plenissimè est, quando respectu subiectorum omnia potest. Cauendum est propterea, ne à primo in secundum oratio declinet. Quartum est, Aliud est ecclesiam seu synodum habere potestatem plenariam, & aliud est ecclesiam, seu synodum acephalam seu truncam habere eandem. Et propterea cauendum est, ne à primo in secundum oratio declinet.

¶Ex his siquidem quatuor sapienter dispẽsatis, vniuersa quæstionis istius argumenta facilè eluescent: sic, vt nullũ forte obscurum relinquatur. Ad singula tamen descendendo respondetur. Et ad verba Domini, Mat. 18. dicitur (vt iam probatum est) q̃ Dominus non dat ibi ecclesiæ autoritatem, sed significat eam habituræ potestatẽ: non explicando ibi quo modo habitura sit, & an secũdum se totã primò, an ratione partis: hoc enim non negamus, sed docemus. Verba quoque illa in numero plurali nõ cogũt ad autoritatẽ ecclesiæ ratione suæ totalitatis: imò absque determinatione ad hunc vel illum modũ potestatis ecclesiæ, scilicet ratione totius, vel partis oportere intelligi: ex hoc conuincitur, q̃ vtroque modo verificari possunt: vt patet ex dictis. constat enim euidenter quòd cõmune duobus abstrahit ab vtroque. Potest igitur ille numerus pluralis referri ad pluralitatem ecclesiarum futurã, & ad pluralitatem conuenientium in ecclesia, ad cõferendum, discutiendum, probãdum, &c. & ad pluralitatẽ accumulantium suas autoritates in cõmuni: propter quod ex illa litera nihil habetur obstãs dictis.

¶Ad secundum ex primitiua ecclesia, dicitur, quòd gratis cõceditur ecclesiam statuisse, sed an potestate partium (puta trium Apostolorum) an cõmunitatis per accumulationem in cõmuni, an alio quo alio modo (puta à Christo immediatè, vt isti falsò putãt) nihil ibi exprimitur. Et propterea ex ista autoritate, & cæteris subiunctis, & similibus, nec habetur ista affirmatiua, scilicet ecclesia, seu synodus habet immediatè à Christo potestatẽ, nec habetur ista negatiua, Synodus non habet potestatem à Domino mediãte papa. Et de affirmatiua quidem ex eo constat; quia, cum multiplicitèr possit verificari synodum habere potestatem, (vt patet ex dictis) & ex his nihil aliud habeatur, nisi quòd synodus habet potestatem, oportet hoc sic communiter intelligi, vt à singulis huiusmodi sensibus determinatè abstrahat. De negatiua autem ex eadem radice constat: quia scilicet synodum habere potestatem, non oportet quòd intelligatur determinatè ad illum modum, quo excludatur habere potestatem à Domino mediante papa, (vt contingit quando per accumulationem ecclesia habet potestatem) quia omnes partiales potestates sunt à Petro, & communicatio potestatis sue cum aliis ab eodem est, qui solus à Domino, vt pote eius vicarius immediatè potestatem habet: & ratione eius solius synodus integra potest verè dici, quòd habet immediatè potestatẽ à Christo domino.

¶Ad autoritatem Gregorij dicitur, quòd causa reddita à Gregorio manifestè fauet intento nostro: quoniam non reddit pro causa autoritatem immediatè datam à Christo, sed vniuersalem consensum: ac per hoc etiam ipsius summi Pontificis, qui caput est & propterea seipsum negaret Papa, illa negans: vt ibi dicitur. Ex hac quoque Gregorij ratione habetur quod diximus, quòd autoritas synodi ineludit caput: alioquin non faceret vniuersali consensu quæ facit. Et innuitur quòd potestatem habet à suis partibus: ad quarum negationem deducitur negãs illam. Et rursus ex hac autoritate nihil aliud habet, nisi quòd synodus habet potestatem diffiniendi, &c. Et per hoc patet responsio ad quartum.

¶Ad quintum verò dicitur: q̃ cum synodus integra habeat potestatem vniuersalem, quocunque id modo contingat, & autoritas, quæ est ipsius papæ absolutè, & vt propria sit ipsius synodi pro tunc, & vt cõmunicata, quemadmodum quilibet alius posset verè dicere autoritate sacri Concilij, statuto, &c. ita ipse papa, cùm non sit deterioris conditionis aliis. Neque enim per hoc, q̃ affirmat se synodi autoritate facere, negat sua se autoritate facere: imò potius affirmat hoc, quia autoritas synodi de necessitate claudit in se autoritatẽ capitis. Neque rursus per hoc, quod affirmat synodi autoritate se facere, affirmat se aliena autoritate facere: licet enim synodus sit aliud à Papa, sicut ecclesia alicuius Episcopi differt ab Episcopo: non tamen oportet, q̃ potestas ecclesiæ sit aliud à potestate Episcopi, sed vna & eadẽ potest esse vtriusque diuersimodè: Episcopi vt propria, ecclesiæ vt cõmunicata. Et per hoc etiam patet, q̃ per hoc quòd affirmat se sacri Cõcilij autoritate facere, non propterea affirmat se minorẽ in autoritate. Et quãuis hæc satisfaciant, veruntamen condescendẽdo multorum sensui, scito q̃ dupliciter para potest dici minor synodo secundum potestatem, scilicet extensiuè, & quasi intensiuè secũdum quid: extensiuè quidem, quia synodus integratur ex tot potestatibus tantæ multitudinis, intẽsiuè verò secundum quid, hoc est secundum illam partem potestatis, quã communicat papa Cõcilio, quasi proportione sua. Papa enim præsens synodo non intelligitur (vt prædictum est) totam suam potestatẽ totaliter synodo cõmunicare, sed tantum suæ potestatis quantum ad decernendum, &c. oportet, & sic ex eo potestatis papæ & reliquis potestatum aliorum fit vna potestas, quasi intensiuè maior, quàm id potestatis papalis solũ esset. Et hæc maior potestas intelligitur esse in tota synodo tanquã in subiecto. Dixi autẽ quasi intẽsiuè: quia potestas illa papalis, eo quòd cõmunicatur vt limitata sic, vt cùm aliis potestatibus possit velut quædam singularis potestas accumulari: intelligitur & superari à tota, pro quanto tota potest vniuersale statutũ condere, diffinire, &c. quòd illa vt sic non potest per seipsam solam. Sed quoniã tota potestas synodi non plus potest quàm ex singulis huiusmodi potestatibus habeat: ideo non simpliciter, sed quasi intensiuè maiorẽ appellaui. Et ne putes me hanc opinionem papalem fingere, contemplare potestatem legatorum papæ in synodo, quando per legatum papa synodum celebrat, & videbis clarè, quòd quia papa tunc non erigit legatum illum in papam: sed potestatem committit quantam oportet pro synodo haberi, ex sola præsentia papæ in synodo nõ habetur quòd plus suæ potestatis synodo impartiatur quam oportet, quamuis maior dignitas, & infallibilis assistentia Spiritus sancti in synodo quo ad ea quæ sunt fidei, præsentia papæ per seipsum consequantur. Vnde quamuis non cogamur, possumus tamen dicere quòd papa tãquam minor extensiuè & secundum quid intensiuè synodo, autoritate sacri Concilij dicitur facere, quod tamen de plenitudine suæ potestatis posset & facere & tollere. Et, quoniã verba prædicta (scilicet faeere autoritate synodi vel Concilij) in papa habent speciem minorationis, ideò à sacris Canonibus non sunt extensa: sed more similium locutionũ sunt præ interpretationi relicta, & quasi correcta, dum papa in Concilio dicit, Statuimus sacro approbante Concilio: approbare enim commune est potestati, sapientiæ, cõsensui: nec superioritatem, nec æqualitatem potestatis in approbantibus exigit: vt patet.

¶Ad sextum dicitur, quòdlicet ecclesia integra possit dare indulgentias, &c. & eius sit thesaurus meritorum, vnde fiunt indulgentiæ: vt propter cuius vtilitatem est, non tamen eius sunt vt dominæ: quoniam ipsa est serua Domini Iesu, & quicquid acquirit seruus acquirit domino suo: & ipsi dictum est, Cùm feceritis quæcunque mandauero vobis, dicite, Quod debuimus facimus, serui inutiles sumus. Vnde non magis ad ecclesiam, sed ad vicarium Domini spectat dispensatio thesaurii in vtilitatem ecclesiæ, pro qua est.

¶Ad vltimum iam patet, quòd gratis concedimus, synodum quæ verè synodus est, scilicet integram potestatem habere deponendi, excommunicandi, &c. De hoc enim non est quæstio, sed de modo habendi: vt patet ex dictis. Et hæc sufficiant ad similia.

CAP. XVIII.

DIXI in eodem 11. cap. quòd ex hoc, quòd Apostoli miserunt Petrum ad Ioannem & Samaritanos, non potest inferri eos subditos esse apostolis, quia ex Missum esse, non sequitur, Subditum esse: vt patet de Spiritu sancto.

¶OBIICITVR, Ista consequentia est optima, Spiritus sanctus mittitur à Filio, ergo est ab eo, vel eo inferior: & sic oportet fateri, quòd Petrus est ab Ecclesia, ex quo non est inferior.

¶RESPONDEO, Quod consequentia illa, quæ vocatur optima, non est verè optima, cùm non sit bona gratia materiæ, quoniam Spiritus sanctus mittitur à seipso, (vt patet in primo sentent. dist. 16.) & tamen non est à seipso nec inferior seipso. Et similiter Filius mittitur à seipso, imò etiã filius mittitur à Spiritu sancto, qui est à Filio: vt patet in eodem libro distinct. 15. Et quia consequentia non est bona de forma: ideo non infert, Ergo Petrus est inferior ecclesia, vel est ab ecclesia.

CAP. XIX.

DIXI in eodem cap. 11. quòd ex 36. q. 2. c. placuit iuncto can. tria. habetur, quòd Hieronymi autoritas iunxa sacræ Scripturæ præualuit Concilio.

¶OBIICITVR, Quòd Hieronymus, & dictum Concilij intelliguntur pro diuersis temporibus: & quòd verba Gratiani ibidem inter paleas computanda sunt.

¶RESPONDEO, Quòd licet certum sit, quòd Hieronymus absolutè & non secundum hoc vel illud Concilium futurum loquatur, & quòd Cõcilium generale posset prohibere quod non est absolutè prohibitum, verba tamen Cõcilij non tanquam constituentia, sed declarantia ius, sumpta Hieronymi autoritati non præiudicant, & hoc intendit Gratianus, & non quòd non posset statuere. Veruntamen quicquid de hoc sit, satis habeo intentum meum ibidem, dum ex illo loco habetur siue autoritate Gratiani, siue quacũque alia, quòd Hieronymi autoritas præualuit Concilio: & ita hodie iuxta Hieronymi, non iuxta Concilij autoritatem seruat Ecclesia.

¶Quòd autem computentur verba Gratiani inter paleas ab arguentibus nihil obstat: quia oporeet quòd ab aliis & non ab ipsis solis inter paleas computentur.

CAP. XX.

DIXI in eodẽ c. 11. ex autoritate Decretalis de electione in c. significasti, q̃ Concilia à papa autoritatẽ habent.

¶OBIICITVR, Dicendo, quòd illud est intelligendum de Concilio quantum ad suum congregari, quia regulariter autoritate Romani Pontificis congregatur: sed ex quo congregatum est, siue autoritate Romani Pontificis, siue aliàs habet immediatè autoritatem à Christo.

¶RESPONDEO, Quòd expositio ista repugnat textui. Nam ibi duo dicuntur habere Concilia à Rom. ecclesiæ autoritate, quòd facta sunt, & quòd robur acceperũt. & primum, vt patet, refertur ad ipsum Congregari: secundum autem nisi superfluat, ad autoritatem congregati. Et cõuincitur hanc esse absque omni ambiguitate intentionem literæ illius: quia reddit rationem, quare Conciliorum legibus Apostolica sedes non subest: Si enim dependerent Concilia tãtùm in congregari à papa, ex quo leges faciunt postquam congregata sunt, nihil valeret ratio assignata ad intentum inferẽdum. Patet nanque manifestè quòd ex hoc, quòd Concilia regulariter non congregantur nisi per papã, non sequitur, Ergo non præfigunt legem papæ: quia stat, quòd congregata præfigant legem, si congregata non pendent ab ipso.

CAP. XXI.

DIXI in eodem 11. c. quòd Cõcilium vniuersale legitimè congregatum errare potest diffiniendo papa absente, aut non cõsentiente: & quasi dixi quòd potest errare eodem modo in his, quæ sunt fidei.

¶OBIICITVR, Quia ad Concilium generale spectat determinatio eorum, quæ sunt fidei: & ipsi promittitur, Quod docebit vos Spiritus sanctus omnem veritatem.

¶In cuius signum act. 15. ponitur Spiritus sanctus præsidens Concilio Apostolorum, cùm dicitur, Visum est Spiritui sancto & nobis: & non dixerunt, Visum est Petro & nobis.

¶Hoc satis innuere videtur August. Euangelio non crederem nisi me autoritas ecclesiæ admoneret.

¶Et in sexta synodo (vt patet dist. 16. c. placuit) dicitur, Placuit huic sanctæ synodo, vt ammodo confirmata & rata sint canonum Apost. 83. capitula. Hoc quoque deduci potest ex illo, Ecce, ego vobiscũ sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, hoc enim successoribus Apostolorum dicitur. Concilium enim generale repræsentat Concilium Apostolorum & Seniorum.

¶Hoc idem patet ex eo: quòd quilibet fatetur se credere in vnam sanctam ecclesiã catholicam: ex hoc enim sequitur, q̃ ad eam vltima decisio eorũ, quæ sunt fidei, spectat. Cùm enim papa fatetur se credere in vnã sanctã ecclesiã, non dicit se credere in se metipsum.

¶ Prae-

¶Præterea, Ecclesia vniuersalis non potest errare in fide: & Concilij gaudet eodem priuilegio, quo Ecclesia representata sicut eadem potestate. Imò cum Ecclesia, vt dispersa nullū actum iurisdictionis excercere possit, nec aliquid sententialiter diffinire, infallibilitas in diffiniendo ei cōpetere debet, vt cōgregatæ in Cōcilio. ¶Et si dicatur, quòd papa repræsentat Ecclesiam sicut Cōcilium, diceretur quòd papa repræsentat Ecclesiam remotè, Concilium autem propinquissimè: quia in eo est aliquis de qualibet Ecclesia saltem sufficienter vocatus: & priuilegium Ecclesiæ transit in Concilium immediatè, eam representans. non autem in summum Pontificem.

¶RESPONDEO, hæc obiecta dupliciter deficiunt: & primus defectus communis est omnibus, secundus autē quibusdam obiectionibus cōmunis. Defectus omnium obiectionū est, quia à Concilio declinant ad Conciliū, secluso Papa. Ex cuius proprio priuilegio (Conciliū quippe generale sine Papæ consensu nō diffinit) constat quòd non vniuersali consensu diffinitio illa facta est, cùm Papa supremū in Ecclesia Dei teneat locum, officiū, & regimen etiam vniuersale. Quod autem vniuersali consensu diffinitum non est, procul dubio à Concilio vt Ecclesiā vniuersalem repræsentant, diffinitum non est. Dico igitur, quòd propositio dicēs, quòd cōcilium generale nō potest errare in iudicio fidei, est vera simpliciter & absolutè de Cōcilio iudicante in fide cum Papa, & non est vera de Concilio Acephalo. Et hæc responsio sufficit ad omnia obiecta quantum ad intentam conclusionē: sed quantum ad vim ipsarum obiectionū, in speciali dicitur. Et ad primā quidem, quòd ad Concilium generale spectat vltima decisio fidei, dicitur quod hoc verificatur de Cōcilio ratione capitis, sicut de homine quòd videt ratione oculi. Et quòd hoc sit verū, patet de Concilio Ariminensi & Ephesino secundo, quorum primum errauit in fide cum Arrio, secundum autē etiam errauit in fide cum Eutychete. ¶Et quod amplius est notandum, istud secundum fuit etiam autoritate apostolica congregatum: & in neutro consensit erroneæ diffinitioni Romanus Pontifex. Et de Ephesino quidem secundo clarè patet ex multis epistolis Leonis, & gestis Calcedonen. synodi. De Ariminen. verò patet ex Rufino in ecclesiast. historia, & in historia tripartita, li. 5. ca. 39. Ex effectu igitur manifestū est, quòd verbum Domini, Spiritus sanctus docebit vos omnē veritatem, non dictum est Concilio dissentienti à Papa, quamuis legitimè congregato. Hæc rectè examinent omnes, qui hac de re decertant, vt caueant, & à sensatis non recedat iudicium.

¶Ad secundum dicitur, quòd etiam si Concilium illud Apostolorum, &c. fuisset Conciliū generale, nihil aliud haberetur, nisi quod Concilio integro cum Petro præsente & primo Spiritus sanctus præsideret: quod gratis conceditur. Sed quare ibi in communi diffinitum sit, & quod non fuerit generale Concilium illud, inlibello illo diximus.

¶Ad tertium patet etiam, quòd Augu. dixit, Nisi auoritas me admoneret Ecclesiæ, & non dixit Ecclesiæ acephalæ.

¶Ad quartum fateor me non videre quid probet, nisi contra asserentes, quia canones Apostolorum quamuis à synodo confirmati euanuerunt: hoc enim non facit ad celsitudinem potestatis synodi quam illi intendunt.

¶Ad quintum dicitur, quòd ad literam loquitur de Ecclesia vniuersali, quæ nunquam deficiet: hæc enim est, quæ succedit Apostolis, & aliis quibus Dominus loquebatur. Ab Ecclesia autem vel etiam Concilio eam repræsentante, ad Concilium acephalum, non valet argumentum.

¶Ad sextum dicitur, ꝙ antecedens assumptum ex articulo fidei de vna sancta Ecclesia potest dupliciter legi, scilicet cum præpositione, In (dicendo, Credo in vnam sanctam Ecclesiam catholicā) & sine illa præpositione, quòd melius iudicat diuus Thomas, dicēdo, Credo vnam sanctam Ecclesiam catholicam. Et si quidem dicatur, Credo in vnā. &c. sumitur Ecclesia pro Ecclesia integra, corpore scilicet & capite, quod est Christus dominus: ratione cuius in Ecclesiam dicimur credere. Et tunc optimè valet consequentia: ergo ad huiusmodi Ecclesiam pertinet vltima decisio fidei, & ꝙ Papa non dicitur credere in semetipsum. Sumi quoque potest pro Ecclesia in terris, vt iungitur Spiritui sancto, ratione cuius dicimur credere in Ecclesiam, vt diuo Thomæ placet. Et sic eriam patet ꝙ optimè valet consequentia, quòd ad Ecclesiam catholicam iunctam Spiritui sancto, vt sic spectat vltima decisio fidei, & quòd Papa non dicitur propterea credere in seipsum, sed in Spiritum sanctum, vt est Ecclesiæ rector, sed non valet vlterior consequentia, ergo Ecclesiæ acephalæ. Si autem legatur sine præpositione, tunc dicitur vt suprà, quòd creditur vna sancta catholica Ecclesia: sed non valet, ergo Ecclesia acephala. Et conceditur quod ad vnam sanctam Ecclesiam catholicam spectat vltima decisio fidei, sicut & potestas iurisdictionis, quæ conuenit ei ratione partis. Nec Papa credendo Ecclesiam dicitur credere seipsum, sed dicitur credere officium suum & aliorum: in cuius signum à fide deuiaret, si non crederet officium suum.

¶Ad septimum dicitur primò, ꝙ Concilium etiam integrum non admitto gaudere de necessitate priuilegio personali Ecclesiæ (quale est esse semper in ecclesia fidem formatam.) quoniā de ecclesia hoc constat, de Concilio autem nullibi inuenisse me fateor autentica autoritate firmatum, quāuis rationabile sit de facto ita esse, quòd scilicet in aliqua persona Concilij sit fides formata. Dicitur secundò, quòd non posse errare in fide, iudicialiter est priuilegium ecclesiæ ratione capitis, ad quod spectat iudiciū. Et ideo non est priuilegium Ecclesiæ acephalæ, nec Ecclesiæ, id est collectionis fidelium, ad quā non spectat potestas iurisdictionis, quam tamen ecclesiam pro collectione fidelium omnium tātum, constat lium repræsentat, & cui promisit Dominus quòd secum esset. Et ex hoc patet quantum deficit argumētum illud. nam procedit, ac si Ecclesiæ ratione communitatis conueniat priuilegium illud non posse errare iudicialiter: cum constet quòd sicut iurisdictio cōuenit Ecclesiæ ratione capitum, ita actus iurisdictionis. Et quia actus iste, scilicet iudicialiter diffinire de fide, concernit vniuersalem Ecclesiam, ideo conuenit Ecclesiæ ratione capitis, cui commissa est cura vniuersalis Ecclesiæ: sicut alij actus ratione aliorum capitum proportionaliter. Dicitur ergo tertio formaliter, quòd Concilium integrum gaudet eodem priuilegio officij non personæ, quo gaudet Ecclesia, & eodem modo, scilicet ratione partis, puta capitis: & similiter gaudet eadem potestate, & eodem modo: sed ex hoc magis habetur intentum. Et concedo gratis, quòd infallibilitas in diffiniendo de fide conuenit Concilio integro ratione capitis & non ab Ecclesia: cui etiam hoc non conuenit nisi ratione capitis, sed à Domino Iesu, cuius caput vices gerit.

¶Quod autem dicitur de repræsentatione immediata & remota duo importat, scilicet representationem ecclesiæ per Papam & Concilium, & modum repræsentandi. Et quo ad repræsentationem dicitur, quòd inter Papam & Concilium tanta est in hoc differentia, quòd Concilium repræsentat vniuersalem ecclesiam integrā (hoc est corpus cum capite) proportionaliter: sic quòd caput Concilij repræsentat Christū caput ecclesiæ, & corpus Concilij corpus ecclesiæ. Et hic est verus & indubitatus sensus, quo Concilium vniuersalem ecclesiam repręsentare dicitur, & à Domino immediatè potestatem habere. Ecclesiam autem in terris positam Concilium integrum quo ad potestatē repræsentare dicitur, pro quanto omnis ecclesiæ potestas in eo inuenitur per seipsam, vel in sua vicaria. quo ad vota verò, quia intelligitur in ipsum consentire omnium personarum ecclesiæ vota: vt patet ex autoritate Gregorij suprà inducta. papa autem vniuersalē ecclesiam integram, & in terris ecclesiæ potestatem & vota difformiter repræsentare inuenitur, nam caput Dominum, scilicet Iesum Christū participatiuè, papatum in seipso formaliter, reliquæ ecclesiæ potestatem & vota eminenter repræsentat. De differentia autem obiiciendo tacta, totum oppositum est: quia dum ratione præiaturæ Concilium ecclesiam repræsentare dicitur, & solus papa immediatè à Christo prælatus est, reliquum autem ecclesiæ corpus à Domino mediante Petro munus hoc habet, oportet dicere quòd papa immediatius repræsentat ecclesiam, quàm Concilium: quia papa, mediante solo Christo, Concilium autem mediante Christo & Papa.

CAPVT XXII.

DIXI in capit. 13. quòd potestas applicatiua papatus ad personam regulariter & principaliter est in Papa, & non nisi in casu in Cōcilio, seu ecclesia, & in cap. 6. idem sub aliis verbis, scilicet quòd potestas electiua Papæ in Papæ potestate est. Et tacti ad hoc vt obiecta, duo argumenta. Primū ex facto Petri 8. quæst. 1. ca. si Petrus. Secundum ex eo quòd Papa determinat de actu electionis, ita quòd contrario modo factus sit irritus.

¶OBIICITVR Contra quatuor, scilicet contra hoc, quòd talis potestas est in Papa: & contra hoc, in casu tantum est in Ecclesia seu Concilio: & contra vtrunque argumentum.

¶Primò ergo arguitur contra primum ex Occham. Si potestas electiua papæ esset in potestate Papę, sequeretur, quòd Papa posset relinquere ecclesiam absque potestate electiua: quod est impossibile. ergo. Et tenet sequela, ponendo quòd mortuis, vel priuatis electoribus Papa non ordinaret electores. Et si dicatur, quòd in tali casu deuoluitur ad ecclesiā: contrà, quia tunc sequeretur quod ecclesia esset superior Papa: quod tu negas. Et tenet sequela, quia nunquam potestas aliqua ex negligentia alicuius deuoluitur ad alterum, nisi sit simpliciter & absolutè superior. potestas enim papalis non deuoluitur ad Episcopum ex negligentia Papæ non prouidentis alicui beneficio, sed econuerso. Præterea, si ecclesia in illo casu habet potestatem electiuam, quæritur à quo habet immediate: cum à seipso non habeat. Si dicatur à Christo, difficile erit reperire in sacris literis fundamentum, in quo possit stabiliri quod in illo casu habeat, & non regulariter.

¶Secundò principaliter arguitur ex Armachano. Nō est verisimile, ꝙ Dominus voluntati vnius hominis commisisset potestatem elect

electiuam summi Pontificis: quia posset euenire, quòd vna progenies diceret, Haredite possideamus sanctuarium Dei: dum quilibet in fine vitæ suum consanguineum subrogaret.

¶Tertiò, quia sequeretur, quòd etiam potestas destitutiua Papæ in casu hæresis, quo deponi potest, esset in Papa: & sic par in parem haberet imperium. Et rursus quòd Papa posset constituere quòd Papa hæreticus à duobus vel tribus deponi posset. Et tenet sequela: quia per easdem causas habent generali & destrui potestates istæ.

¶Quartò, si in Papa esset potestas electiua Papæ, vel ergo est in eo potestas illa sic, quòd per semetipsum potest successorem eligere vel solùm, quia aliquibus potest illam potestatem communicare. Hoc secundum nihil habet apparentiæ. Ex primo autem si concedatur, sequitur hoc inconueniens, quòd esset in potestate duorum facere quòd alternatis vicibus quilibet per annum in ordine suo esset summus pontifex, more Annæ & Caiphæ. Et patet consequentia: quia vnus Papa pro sua voluntate potest eligere alterum in Papam, & in fine anni ille alter reeligat eundem, & sic deinceps.

¶Quintò, Christus non contulit Papæ aliquam potestatem pernicioſam Ecclesiæ: sed (vt habet glossa in ca. si Petrus) hoc est pernicioſum, quòd aliquis eligeret sibi successorem: ergo Christus non contulit illam potestatem.

¶Contra rationem ex facto Petri allatā, dicitur primò, quòd Petrus non instituit Clementem, sed instituendum ordinauit. Dicitur secundò, quòd hoc fecit instinctu Spiritus sancti: quo etiam præuidit mortem. Dicitur tertiò, quòd Papa in casu necessitatis, quo electores non possent congregari, & pro occurrenti periculo opus sit pastore, potest Papa moriens instituere successorem.

¶Contra rationem autem: ex hoc quòd Papa statuit circa actum electionis etiam electores determinando, &c. dicitur quòd Papa non dedit potestatem electiuam Cardinalibus, sed Ecclesia vniuersalis in sexta synodo in cap. in nomine Domini. vbi Nicolaus Papa non propria autoritate, sed sanctorum Patrum statuit. Et propterea vbi Cardinales potestate sibi tradita abuterentur manifestè, vniuersitas fidelium posset eos priuare potestate electiua Papæ, & aliis eam committere.

¶RESPONDEO, Et primò declaro sensum verborum meorum in libello illo: secundò quid in hac materia mihi videtur: tertiò, satisfacere curabo obiectis.

¶Quo ad primum nunquam dixi, quòd Papa potest sibi eligere successorem, nec quòd potestas electiua Papæ sit in Papa formaliter, nec quòd potestas applicatiua papatus ad personam sit in Papa formaliter: sed dixi quòd huiusmodi potestas est in Papa regulariter: & principaliter. Cōstat nanque apud viros doctos quòd multa sunt in potestate superioris quæ nō sunt in illo & eius potestate formaliter: & quæ etiam nō potest per seipsum immediatè facere. Sunt enim in intelligentiis, (quas Angelos dicimus) formæ inferiorum: & eorum potestates, non tamen formaliter, nec sic quòd possint earum actus per seipsas exercere, sunt in corporum cælestium potestate formæ elementorum & eorum potestates, non tamen formaliter nec sic quòd eorum opera possint per seipsa exercere. Stat igitur, quòd huiusmodi electiua potestas sit in Papa regulariter & principaliter: & non sit in eo formaliter nec possit per seipsum huiusmodi potestatis actum exercere. Sumatur ergo verba mea in hoc sensu, quòd potestas electiua est in potestate Papæ virtualiter, seu eminenter, & hoc quo ad modum essendi, & quòd est in potestate papæ regulariter, id est ordinario iure, ad differentiam ecclesiæ viduæ: in qua est eiusmodi potestas in casu, & principaliter ad differentiam eiusdem Ecclesiæ, in qua est secundario: pro quāto in casu potest non solùm eligere, sed facere electores & ordinare de modo electionis. Hæc de primo.

¶Quo ad secundum: quia eius est potentia, cuius est actus (vt dicitur in De Somno & vigilia, & electionis Papæ) actus simpliciter & absolutè nō est papæ, ideo potestas electiua papæ nō conuenit formaliter Papę. Probatur minor, Electio Papę est actus factiuus quantum ex se est tūc papę: ergo repugnat ei, quod præsupponat pro tunc Papā. Et tenet consequētia: quia quod fit, non est: sit enim esset, iam non fieret. Tunc vltra, Ergo electo papæ non est papa. & tenet sequela: quia electo præsupponitur secūdum naturam electionis, & est simul tēpore cum electione. Tunc vltra, Ergo actus electionis papæ, nō est papæ. & tenet sequela: quia electio papę est actus electoris papæ. Ex hoc igitur patet, ꝙ potestas electiua papæ, cuius actus simpliciter & absolutè est electio factiua ex natura sua, tūc papa, non est in potestate papæ formaliter. Et confirmatur autoritate cōsuetudinis ecclesiasticæ, qua fit, vt electiones Patrum non fiant nisi vacationis tempore, nec non diuinæ sapientiæ suauiter omnia disponentis: quæ dixit, Sufficit diei malitia sua: crastinus enim dies solicitus erit sibipsi. In subiecto igitur oportuni tēporis, quo potestas electiua eligere debet, locata est formaliter, & non in Papa: qui solùm præuemendo solicitudinem crastini diei eligere posset: vt patet. Subiectum autem huiusmodi electiuæ potestatis formaliter (iuxta Peripateticam & Apostolicam simul autoritatem, qua inuisibilia ex inuisibilibus cognoscēda à nobis sunt) ex ipsius electionis actus exercitatione inuestigādum est. Apparet autem absque omni ambiguitate, ꝙ electio papæ ad Romanā Ecclesiam spectat cōputando intra Romanam ecclesiam Episcopos & Cardinales, qui velut suffraganei Romani Archiepiscopi introducti videntur. Et propterea cessante omni humano statuto certisque existentibus Ecclesię Romanę membris, in eadem regulariter est potestas electiua papę, non minus quàm in cæteris Ecclesiis potestas electiua suorū Episcoporum. Ex eo enim quòd Christus Dominus Romanam ecclesiam elegit in Petri ecclesiam propriā, dum ipsi ne ex Roma, sicut ex Antiochia papatum transferret, inhibuit (dicens, Venio Romam iterū crucifigi) Ecclesiæ Romanæ potestatē electiuam papæ non positiuè, sed negatiuè, hoc est oppositum non ordinādo concessisse dicitur. In casu autem incertorum electorum, Ecclesiæ vniuersali eandem potestatem eadem ratione (quia scilicet est Episcopus vniuersalis ecclesiæ) & eodem modo, scilicet negatiuè dedisse intelligitur. Ex statuto autem humano, apostolica autoritate contractū per viam determinationis positiuè est subiectū potestatis electiuæ ad Cardinales Romanæ ecclesiæ solos. Papa enim ex eminentia potestatis, curiæ ac regiminis vniuersalis, potest de electiua potestate decernere: ipsāmque sic dirigere & ordinare, vt contrario modo faciendo, irrita sit in suo opere & subiecto: vt patet in gestis ipsorum Pontificum, & obseruatione ecclesiæ. Hæc de secundo.

¶Quo ad tertium, respondeo obiectis pro quanto militant aduersus hæc, dicitur ad primum, quòd impossibile est ecclesiam relinqui absque papa & potestate electiua papæ: quoniā decedente papa absque vllo decreto, de hoc negatiuè relinquit potestatem electiuam ecclesiæ Romanæ: sicut Linus successor Petri immediatus, electus creditur. Responsio quoque data, quòd per viā deuolutionis potestas applicatiua papatus ad personā esset in ecclesia vniuersali in casu, pro quanto ex meo libello assumitur, nō intelligitur de deuolutione propter negligētiam, contra quam obiicitur, sed cōmuniter. & propterea non sic arctatur Deuolutionis vocabulum, quin siue deuolutionis siue successionis, siue suppletionis, siue cuiuscunque alterius modi in hac sententia viam includat. Vnde non super negligentia electorum, sed super defectu ordinariorum electorum fundaui: & in tali non in alio casu ibi dicta intelligo. Existentibus siquidem certis electoribus, qui hodie sunt Cardinales, non succedit Romana ecclesia vniuersalis: defunctis autē omnibus Cardinalibus Romana ecclesia, à qua Linus est electus ante humana iura nobis nota, immediatè succedit. Quia tamen pars claudi tur in toto, & in ecclesia vniuersali clauditur ecclesia Romana, si Conciliū generale cum pace Romanæ ecclesiæ eligeret in tali casu papam, verus papa esset ille qui electus sic esset. A quo autem ecclesia Romana, aut ecclesia vniuersalis haberet in casu potestatem electiuā papæ, & non regulariter, facilè patet. Nam cōstat quod haberet à Christo, & eius vicario negatiuè: quia, scilicet neuter ordinauit oppositum, & Christus Dominus statuit Petrum in successoribus perpetuum. Stante siquidem hoc secundo, cùm successio carnalis in nouo testamento concilio castitatis, maximè conuenienti perfectissimo statuī (qualis papæ est) dissonet, volūtaria quoque quasi adoptio vel institutio successoris suaui ecclesiæ dispositioni aduersetur: via electionis perpetuandus relinquitur successor Petri, proculdubio ab ecclesia sua, quæ quia est Romana & vniuersalis, nisi ipse papa determinet, qui Romanam & vniuersalē ecclesiā repræsententin eligendo, determinationi ipsius Petri & Domini, qua facto, morte, scilicet Petri in Episcopatu Romano determinatū est, ꝙ Ecclesia Romana repræsentet Ecclesiā vniuersalē in electiua potestate (vt patet si secundum omne ius positiuum perintellectū, & aspiciamus ad Ecclesiæ antiquæ consuetudinē) standum est. Vnde non oportet solicitari de autore potestatis electiuæ in casu, & nō regulariter in Ecclesia.

¶Ad secundū dicitur, ꝙ non est contra sensum declaratum. Argumentum tamen non est ostensiuum, nec ducens ad inconueniens ex natura potestatis: sed ex abusu: ex quo si liceret arguere, nescio quæ potestas vniuersalis rectè committi posset vni homini.

¶Ad tertiū dicitur, quòd quia quælibet potestas Ecclesiæ est inferior potestate papæ cui reliquæ subiacēt potestates, nullūm inconueniens video concedere, quòd in papæ potestate eminenter continetur potestas etiam depositiua papæ hæretici, & quòd posset constituere, & quòd à collegio Cardinalium posset deponi in casu quo deponendus est. Nec sequitur quòd par in parē habeat imperium: quia non supra papam, sed supra coniunctionem papatus cum persona, exercet imperium, in statu in quo coniunctio illa est in corrumpi ex diuino iure.

¶Ad quartum dicitur, quòd propriè loquendo, neutro modo est potestas electiua in papa: sed quia potest determinare electores & modum eligendi. Vnde non oportet ad inconueniēs deductum respondere: quod tamen ex abusu potestatis sequeretur.

¶Ad quintum dicitur, quòd non potestas: sed abusus potestatis, à data

si data esset à Christo: esset pernitiosus. Ad obiecta verò contra rationem ex facto Petri, dicitur, quòd prima glossa videtur cõtra textum dicentẽ tradente sibi Petro, & non dicit ordinante, quòd sibi traderetur. Secunda verò glossa acceptari potest quamuis non sit autentica: præsertim quia mortem non instinctu Spiritu sancti, sed Domini voce agnouit, dicentis, Venio Romam iterum crucifigi. Tertia autem glossa si acceptatur, eminentiæ potestatis Papæ fauet, vt patet: sed quomodo tunc fuerit talis necessitas, deberet aperiri. Videtur tamen mihi, quòd vel iuxta secundam glos. instinctu Spiritus sancti Petrus hoc fecerit, vel de eminentia potestatis (propter quod dissolutum à Spiritu sancto dicitur factum Petri, non semper erunt Petrus & Clemens) vel potius quàm tanquam incertum factum, autoritatem firmam non faciat. Dico autem incertum, quia Ecclesia Linum & Cletum reputans summos Pontifices, computatis annis, quibus quilibet eorum rexit Ecclesiam Romanam ante Clementem, testari videtur, quòd verba illa Ioannis Papæ tertij tanquam narratiua crediti facti accipienda sint, & non vt autorizantia factum quod narratur, propter quod autoritate illa vtimur, Vt valeat quantum valere potest. Accedit ad hoc versus in glossã ibidem de Clemente dicens.

¶ Disputat hoc mundus quartus fuerit ne secundus.

¶Ad obiecta demum contra rationem ex hoc, quòd Papa statuit de electoribus Papæ, dicitur quòd manifestè cõstat ex illo can. in nomine Domini, quòd propria autoritate papa illud statuit in synodo: vt patet ex illis verbis, Venerabilis Pontifex decernens autoritate apostolica, inquit, Mirum est autem, quòd arguentes non aduerterint grãmaticam constructionem in sequentibus, (vbi dicitur, Quapropter instructi prędecessorũ nostrorũ, aliorũque sanctorum Patrũ autoritate, decernimus, vt obeũte, &c.) & dixerint propter hæc verba, quòd papa nõ propria, sed sanctorum patrũ autoritate statuit: cum ly Autoritate, determinet ly Instructi, & non ly Decernimus, vnde solidum stat, quòd Papa autoritate propria statutum illud fecit. Quamuis etiam omnia statuta de electione papæ, quòd summus Pontifex etiam in synodo fecit propria autoritate fecerit: & sancti Patres in synodo congregati nihil possint sine autoritate Rom. Pontificis statuere. Hæc quoque ex autoritate papæ fieri cõprobantur, dum statutum Gregorij decimi cum Concilio Lugdunen. (quod habetur in sexto de elect. vbi periculum: disponens de electione Papæ reuocatum per Adrianũ & Ioan. 22. ac deinde reassumptum Celestinum quintum & Bonifacium octauum) robur autoritatis habet: vt glo. in eodẽ c. dicit. Clementinam quoque ne Romani, de electione Papæ, à Papa non à Concilio generali factum esse patet, in clemẽtinis de electione. Multa quoque circa electionẽ Papæ statuta in di. 79. patet à Gratiano referri. Et nouissimè Iulius 2. qui viuit & regnat, statutum nouum edidit de electione Papæ absque Concilio generali. Vnde negare huiusmodi potestatem in Papa, est negare sensum.

CAPVT XXIII.

DIXI in cap. 20. 21. & 22. quòd in ecclesia Dei est potestas autoritatiua super coniunctionem Petri & Papatus, non autem super Papam.

¶OBIICITVR contra tripliciter. Primò, quia contrariantur dictis in libello illo. Secundò, quia contrariantur hæc duo inter se. Tertio, quia falsum est, quòd potestas depositiua Papæ, quæ in Ecclesia, non sit autoritatiua supra Papam.

¶Primum ostenditur sic, In c. 6. & 13. dictum est, quòd potestas applicatiua ecclesiasticæ potestatis ad hanc vel illam personam est in solo Papa, nunc dicitur, quòd potestas autoritatiua super coniunctionem est in Ecclesia. ergo contradictio.

¶Secundum autem ostenditur exemplo, quo vtor retorquendo in me. Habere enim potestatem super hominem, non est habere potestatem super animam, nec super corpus, sed super separationem animæ à corpore, cùm nihil aliud faciat occidẽs hominem. Quid ergo aliud est habere potestatem autoritatiuam super Papam, quàm posse papatum ab ipso autoritatiue separare?

¶Tertium autem (quòd scilicet Ecclesia autoritatiua super papam ipsum deponit) probatur tripliciter. Primò, quia aliter Papa hæreticus citatus non tenebitur comparere, nec erit contumax non comparens: iudicabunt ergo inaudituum, aut non obligatum respondere. Secundò, Omnis actus punitiuus personæ ratione proprij peccati, est ab habente iurisdictionem super eum qui punitur. Tertiò arguitur ad hominem, meipsum scilicet, Ecclesia potest excommunicare Papam hæreticum antequam deponat: ergo habet autoritatem iurisdictionis super Papam. patet sequela, & antecedens ex te est: quia quum tu dicas hanc cosequentiam esse bonam, non est excommunicatus ipso facto, ergo non est depositus. & ista erit bona, Non potest excommunicare: ergo non potest deponere, & ista, potest deponere. ergo potest excommunicare.

¶RESPONDEO, & ad primum dicitur, quòd nulla est in dictis meis contrarietas: quoniam superius de autoritate eminentiæ erat sermo, vbi Ecclesiæ potestas Papæ potestati comparabatur. Vnde dictum est ibi, quod Papa est moderator & director potestatis Ecclesiæ, & non econuerso: hoc enim ad eminentiam & non eminentiam potestatis spectat. Hic autem sermo est de autoritate efficaciæ, dum dicimus, quòd potestas Ecclesiæ autoritatiuæ potest super coniunctionem, &c. hoc enim nihil aliud sonat, nisi quòd talis potestas tanquam superior coniunctione illa potest efficere illam: agens enim vt sic, præstat eo quòd sit vt sic. Cùm hoc nanque patet bene stare, quòd potestas applicatiua potestatis ecclesiasticæ, secundum eminentiam est in solo Papa.

¶Ad secundum verò dicitur, quòd hæc duo, scilicet potestas est super coniunctionem, & non super Papam, in illo repugnant inter se, quia diuersa sunt. Et Papa significat aliquid maius coniunctione: quoniam significat formam Papatus, sicut dominus formam dominij. Propter quod retorsio exempli de homine nihil valet. nam non conuenit papę significatũ æquiparare significatio hominis & simile de vtroque ferre iudicium: quia homo significat formaliter compositum ex anima & corpore, Papa verò significat formaliter purum Papatum, quamuis in concreto, vt patet. Sed hoc totum Petrus Papa se habet vt ly homo, & conceditur, quòd potestas illa potest super Petrum Papam ratione subiecti (vt in libello dicitur) non autem super Papam: quia non potest ex parte formæ. Vnde patet nullã esse repugnantiam, & quòd aliud est posse super Papam, & aliud super Petrum Papam: sicut aliud est posse super compositum & aliud super formam.

¶Ad primum autem cõtra tertium hoc, scilicet quòd potestas Ecclesiæ non est supra Papã, respondetur, quòd Petrus Papa hæreticus tenetur ad omnia quæ sunt necessaria ad iudiciũ depositionis ipsius: vt in libello ca. 21. expresse dictum est, vnde mirandum videtur de obiectionibus. Dico igitur, quòd Petrus Papa hæreticus ratione subiecti sic dispositi, subditur potestati depositiuę Ecclesiæ, & in omnibus necessario præambulis & consequentibus. Nec ex hoc sequitur, quòd potestas Ecclesiæ sit supra Papam, sed supra Petrum Papam, sic depositum in hoc tantum. Et per hoc patet solutio primi & secundi. Ad tertium verò dicitur, quòd (vt patet in cap. 19. libelli, vnde impositum est mihi quòd dicam illam consequentiam bonam) nunquam ego dixi hoc, nunquã somniaui connexionẽ inter excommunicationem & depositionem: imò oppositum expresse sensi, Ego enim ex illa communi radicẽ, id quod infligitur à iudicio humano, nõ incurritur ipsofacto ex solo peccato interiori pure: intuli duo, scilicet negationem excommunicationis, & negationem priuationis, & dixi quòd si ex hac radice sequitur nõ esse excommunicatum, multò magis sequitur non esse priuatum: quia ibi non requiritur declaratio apud Iurisdictas, sicut hic. Argumentum autem procedit contra ducẽtem illationem formalem à negatione excommunicationis ad negationem depositionis: & ideo non est ad propositum.

CAP. XXIIII.

DIXI in cap. 21. quòd Papa posset committere potestatem depositiuam Papę hæretici collegio Cardinalium.

¶OBIICITVR quod non possum sic dicendo sustinere, quin par in parem habeat imperium.

¶RESPONDEO, quòd facillimè patet ex hoc non sequi parem in parem habere imperium: quia potestas depositiua non est supra Papam, sed supra coniunctionem Petri cum papatu: quæ in coniunctio non est par Papæ. Quare autem huiusmodi potestas depositiua Papæ, quanquam minor papatu, no sit auferibilis ab Ecclesia à Papa, in promptu causa est: quia diuino iure illi conuenit contra Papam hæreticum, vt patet ex dictis in libello.

CAP. XXV.

DIXI in cap. 26. rationem, quare Papa pro infidelitate sola potest deponi, quia sola infidelitas inter crimina contrariatur ad esse papæ.

¶OBIICITVR dupliciter contra hanc rationem.

¶Primò, quia falsum est quòd fides requiratur ad esse Papæ, cum Papa si fiat hæreticus, adhuc sit Papa apud me: sufficit enim character baptismalis.

¶Secundò, quia hæc ratio æquè fortiter probaret, quòd pro hæresi deponi non posset: quia hæresis non opponitur ad esse Papæ.

¶RESPONDEO, quòd ratio mea non est intellecta vt est, studiose nãque non posui inter cõditiones requisitas ad esse papę fidem, sed Christianitatem, vt excluderẽ hanc obiectionem. Nec assumpsi, q infidelitas sola inter vitia contrariatur fidei, sed Christianitati, seu conditioni requisitæ ad esse papæ, vt patet in libello. Constat enim Christianitatis statui (qui membrum Christi constituit) solam infidelitatẽ inter vitia opponi, & quòd Christianitas requiritur necessario ad esse papæ. Et in libello eodem, ca. 27. clare manifestaui differentiam inter Christianitatem & fidem: & quod Christianitas est status quidam Ecclesiasticus ex charactere & fide constitutus. Sed vt melius vis rationis perspiciatur, ex conclusione intenta & directa oppositione infidelitatis, considerandum est, quod non est intenta, aut deducta conclusio ex illa ratione, quòd Papa habet non esse propter infidelitatem, sed quòd est dispositus propinquissimè ad nõ esse: quod significat conclusio dicens, quòd est deponendus. Et propterea non oportet, quòd infidelitas sic opponatur Christianitati, quòd auferat to taliter esse Christianum. si enim hoc tolleret, non deponendũ, sed depositum Papam inferret, sed fat est, quòd opponatur Christianitati. sic, quòd constituat Christianũ hominem, quantum est ex parte hominis in non esse Christianitatis. Per hoc siquidem non esse Christianitatis in Petro Papa, constituitur Petrus Papa in esse deponibili: quia per tale nõ esse est dispositus sic vt deponi possit, vt patet ex dictis in libello. Et manifestatur ex officio Papæ, cùm enim Papę officium sit pascere doctrina & opere, cùm habet fidem formatam velut sanus viuit in papatu: cùm autẽ habet fidem informem ob perditam charitatẽ, non pascit amplius exemplo, sed doctrina tantùm: ac per hoc velut æger in papatu est. Si demum etiam fidem omnino amiserit, iam nec doctrina pascere potens est, & quasi mortuus sicut in extremis vitæ cõstitutus, ad omne opus inualidus dispositus est, vt morte depositionis auferatur à vita papali. Vnde patet responsio ad primum: quia non obstat rationi, quòd infidelitas stat cum esse Papæ: vt patet ex dictis. Et potes eandem sententiam vnico verbo dicere, quòd fides est necessaria ad esse Papæ simpliciter, quamuis non sit necessaria ad esse Papæ sic, scilicet quasi mortui: imò ex hoc quòd constituit Papam in esse Papæ simpliciter, & eius oppositum constituit in esse Papæ quasi mortui: manifestè sequitur, quòd constituit Papam in esse deponibili.

¶Et per hoc patet solutio secundi: hæresis enim non stat cum esse Christianum simpliciter, nec cum esse Papam simpliciter: quamuis non auferat totaliter vtriusque esse. Sed quia constituit non esse Christianum quantum est ex parte hominis, ideo constituit dispositum ad non esse Papæ: quoniã esse Papam simpliciter supponit esse Christianum simpliciter. Sed argumentum in hoc fallitur: quia accepit hanc rationem ac si inferret non esse Papæ sic, quòd esset depositus: cuius tamen contrarium patet in litera. Manet ergo ratio illa non inuenta adhuc minus habens, quamuis in statera posita, vt desiderare me dixi.

CAP. XXVI.

DIXI in eodem 26. ca. iuncto 25. quòd ex sacra Scriptura solus casus hæresis excipitur ab impunibilitate Papæ respectu Ecclesiæ.

¶OBIICITVR, quia in sacra Scriptura inuenitur etiam, alias crimino sum esse separandum, vt patet primæ ad Corinthios septimo. Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. Et Dominus Matt. 18. innuit hominem pro quolibet mortali, cui annexa est contumacia, esse excommunicandum. Et glossati fuerunt hi textus de subditis in terra, similiter glossabũtur textus allegati per te de hæretico. Et ad dicta Saluatoris & Petri concedi-tur, q quandiu bene docent & remanent Prælati sunt audiendi.

¶RESPONDEO, quòd quum sacra Scriptura tota sit ab vno autore, (qui est Spiritus sanctus,) & velut vna integra doctrina legis diuinæ, non est glosis, sed textui attribuẽdum quum ex coniunctione diuersorum locorum Scripturæ, sensus vnus colligitur: sic autem est in proposito. Quum enim propter hæresim maximè & propter alia etiam crimina sint diuino iure vitiosi multi separandi ab Ecclesia, & exceptio fiat de solis prælatis ab ipso diuino iure in criminibus aliis ab infidelitate: manifestè colligitur absque nostris glosis, quòd reliqui pro multis criminibus: prælatus autem pro sola infidelitate diuino iure separandus ordinatur. Scripturaigitur loquens de hæretico, communis est prælatis & subditis: quia nulla fit exceptio in ea de prælato. loquens autem de aliis criminibus, prælatum simpliciter non comprehendit: quia excipit eum.

¶Ad responsionẽ verò datam exceptioni Domini & Petri (quando exceptus est prælatus Matt. 23. Super cathedrã Moysi. & 1. Pet. 2. Obedite præpositis dyscolis) dicitur quòd responsio illa, scilicet quandiu bene docent & sunt prælati, potest bene & malè intelligi. Bene quidem, si sit sensus, quòd quandiu per se bene docent & sunt prælati. Et sic nihil obstat proposito, quoniam fides Christi est, qua fit doctrina, & quæ sustinet prælatum in esse simpliciter, ac per hoc quandiu habent fidem, habent vnde per se rectè docẽant, & sint prælati, quantum est ex iure diuino: vt patet in libello. Malè autem si sit sensus, quòd non dicitur prælatus tolerandus, sed si toleretur, audiendus: quoniam quum in maiori includatur minus, & plus sit malos prælatos audire cùm effectu, & obedire eisdem quàm tolerare (vt patet) consequens est, quòd mandatum Domini & Petri de obedientia prælati malæ vitæ & bonæ doctrinę, claudat in se mandatum de toleratione ab eisdẽ, quibus obedientiam indidit. Et sic autoritas iuris diuini allata efficax ad propositum restat, supra firmam petram fundata.

CAPVT XXVII.

DIXI in eodem 26. capitul. conclusiuè, quòd in solo casu hæresis Papa subiicitur Ecclesiæ, ita quòd possit deponi.

¶OBIICITVR, primò, quia in epistola Clementis ad Iacobum ex ore Petri Apostoli ordinatur, quòd Clemens Papa deponatur propter negligentiam: Ecclesia siquidem non spernit illam epistolam, quòd sufficit.

¶Secundò, quia cùm Ecclesia in casu hæresis sit iudex Papæ, & talem potestatem nõ habeat nisi Matt. 18. & ibi non commemoretur magis peccatũ hæresis, quàm quodeunque aliud cũ contumacia, sequitur quòd non solùm in casu hæresis Ecclesia sit iudex Papæ.

¶Tertiò, quia si vicarius regis absentis tyrannicè regeret, communitas posset illum deponere: ergo Ecclesia potest deponere vicarium Christi Domini, si tyrannicè regat.

¶RESPONDEO, quòd Epistola illa eadẽ facilitate reiicitur, qua recipitur: imò maiori reiicitur, vt patet ex opposito decreto 40. dist. si Papa, vbi manifestè, propter negligentiã Papa non iudicãdus dicitur, quãuis pernitiosam: vnde nõ sufficit illius autoritas.

¶Autoritas autem Domini secundo loco allata, potestatẽ Ecclesiæ supra subditos sibi vt sic manifestat. Et propterea cũ Papa ex aliis locis sacræ Scripturæ nõ sit subditus Ecclesiæ nisi in casu hæresis, consequens est, vt ea illa sententia Domini non habeat Ecclesia potestatem super eũ, quia est Papa, nisi in casu hæresis: quod enim ibi non est expressum, sufficit alibi inueniri declaratum.

¶Ad tertium dicitur, quòd similitudo illa deficit dupliciter. Primo, quia communitas libera habet potestatem deponendi principem, & regem, scilicet, si tyrãnicè regat: & ideò non est mirum, si potest deponere etiam Vicarium illius. Ecclesia autem serua est principis sui Iesu Christi. Secundò, quia Rex purus homo absens supponitur, & solum per vicarium gubernare: Rex autem noster sic absens est corpore, vt per seipsum audiat querelas contra Vicarium suum ab Ecclesia & membris singulis: & propterea non est ab Ecclesia eius vicarius deponendus, sed recurrendum est ad principem audientem, & optimum vt deponat.

CAP. XXVIII.

DIXI in eodem 26. c. 9 propter scandalum nõ est præscindendum caput iuxta Domini sententiam Matt. 18.

¶OBIICITVR, Quòd licet non sit auferendum caput totaliter sic, quòd nunquam sit futurum aliquo caput: tamen auferendum est istud caput: sine quo in corpore manet vita, imò quod corpus infieit quantum est ex se.

¶RESPONDEO, Quòd ex verbis Domini, negatiuè tamen (vt in libello dictum est), sumitur q nec totaliter, nec hoc caput præscindendũ est: quoniam expresse dicitur si manus tua, oculus tuus, pes tuus. Pronomen siquidem adiunctum ostendit, quòd de membro hoc loquitur: & consequenter de capite isto negatũ accipimus q præscindatur. Falsum quoque est, q sine isto capite sit vita, quum ipsum loco Domini saluificet Ecclesiã, vt in c. si Papa. dist. 40. dicitur. Nec inficit hoc caput, sed rectè docet: quãuis abusus potestatis capitalis in isto inficiat quantum est ex se, Ecclesiã: non hoc caput: sed abusus illius in culpa est: & non est præscindendum caput, sed illius abusui congruis remediis obuiandum.

CAPVT XXIX.

DIXI in c. 27. Quòd Deus optimè prouidit Ecclesiæ, disponens, quòd orationis remedio contra Papam malum vteretur, non autem depositionis potestate.

¶OBIICITVR tripliciter. Primò, quia minus bene instituta esset politia ecclesiastica, quàm ciuilis. Et tenet sequela, quia ciuilis potest principem tyrannicè regentem pertinaciter deponere, ecclesiastica autem non posset.

¶Secundò, quia Deus ademisset communitati Ecclesiæ potestatem sibi naturaliter conuenientem, & necessariam ad pacificam conuersationem, qualis est potestas depositiua principis in casu tyrannidis. Et tenet sequela: quia talis potestas naturaliter conuenit communitati perfectæ & liberæ.

¶Tertiò, quia quum Deus opportunius remediũ, quàm orationẽ ecclesiæ potuerit instituere (scilicet potestatem depositiuam) dicere non aliud remedium quam orationes reliquisse, est dicere politiam ecclesiasticam non benè institutam, & effectam seruam strissima seruitute.

¶RESPONDEO, Quòd Deus longè melius & eminentius instituit ecclesiasticã rempublicã, quàm ciuilẽ: quoniã illam instituit cũ proximo & homogeneo capite viuo in perpetuum sine potẽtia errandi, præsente spiritualiter votis omniũ, & singulorũ vbique. hæc enim est institutio reipublicæ Christianæ simpliciter. De institutione autem ad tẽpus, scilicet corporalis absentiæ principis nostri, dicitur etiã. q optima est, quando cõsonat primariæ institutioni. Et quoniã Reipu. Christiana secũdũ suã primariã institutionẽ serua est nata: & tota potestas est in suo principe naturaliter: ideo optimè cõsona institutio ad tẽpus est, vt non cõmunitati, sed vicario principis potestas plena cõmittatur, vt prædictũ est,)& quòd

respub

Universidad de Deusto
Biblioteca

respublica quandiu Vicarius principis sub principe est simpliciter, quod fit per esse Christianum) simpliciter recognoscat principem viuum, & recurrat ad eum audientem & paratum exaudire. Et scito quòd contingit homines in hac re falli quasi à negatione modi ad negationem rei. Quum enim deponere Papã contingat multis modis, scilicet per prouidentiam humanam, & per orationem Ecclesiæ perseuerantem, & neutro modo opus sit nisi in casu veræ necessitatis, ex hoc quòd Ecclesiæ non est concessũ quòd possit deponere per viam prouidẽtiæ humanæ: non sequitur ecclesiæ non esse concessum, quòd possit deponere Papam: quoniam alia via, scilicet orationis perseuerantis, infallibiliter potest: quæ enim per amicos possumus, per nos aliqualiter posse testatur Philosophus, quanto magis quæ per patrem possumus.

¶AD PRIMVM ergo negatur sequela: & ad probationem dicitur, quòd vtraque politia (scilicet tam ciuilis quàm ecclesiastica) potest deponere tyrannicè regentem ipsam, sed diuersimode: quia ciuilis perfecta & libera potestatiue & per prouidentiã humanam. ecclesiastica autem per potestatem sui patris per orationis perseuerantiam, quando verè oportet. Et hic modus quidem excellentior, & non potens errare, sicut primus, & melior, & propterea non minus bene, sed melius prouisum est ecclesiasticæ reip. de modo abiiciendi à se malum ministrum quàm ciuili.

¶Ad secundũ negatur etiam sequela: quia communitas Christiana nata est serua, ac per hoc naturaliiure sibi non competit potestas super principẽ suum: & consequenter nec super principis vicarium, nisi à principe sibi concedatur. Vndelicet verum sit, quòd ecclesiastica communitas distincta contra principem non habeat super principem & eius vicariũ tyrannizantem autoritatiuam potestatẽ, non tamen adempta est sibi à Christo, aut quocũque alio modo, sed ex natura sua: quia serua nata est, cõtraxit hãc negationem. Ad tertium autem dicitur, quòd non fuisset opportunius remedium prouidentia humana, quàm oratio ecclesiæ perseuerãs. Tum quia prouidentia humana falli potest (cogitationes siquidẽ mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ nostræ) oratio autem Ecclesiæ perseuerans falli non potest. Deponeremus fortè, quando non oporter, non prẽuidentes futura, nec occulta scrutãtes. Oratio autẽ Ecclesiæ perseuerans non deponet quando non oportet: quia bonus dominus negat quod volumus, vt tribuat q̃ malle mus. Tum quia facilior, minus impedibilis, & efficacior causa est oratio Ecclesiæ perseuerans pro se in necessariis ad salutẽ Ecclesiæ, quàm tota omnium hominum prouidẽtia: hæc enim difficile consonat, potentia impediri potest, & omnia subiecta non habet: descripta autẽ oratio facilè consonat, non potest potentia aliqua humana impediri, & omnia sub Deo subiecta habet. Mirum est autem de subiunctis scilicet q̃ dicere Deum solum orationis remedium reliquisse, &c. solum enim hoc remedium tanquàm supremum & efficax simpliciter relictũ dicimus, existẽtibus multis aliis remediis per viam admonitionis, &c. Mirum autẽ dico, quia quum naturaliter ex eisdẽ tueamur, ex quibus sumus & conseruamur, & Christiana respũb. ex oratione sit adaucta, & in vno ouili cõstituta (dicente Patre ad Christum, Postula à me & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam) & ex oratione conseruetur (dicente Christo ad Petrũ, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua) naturali quoque ordine oratione defendenda est, contra tyrannicè regentem. Mirum dico, nisi quis putet orationem Ecclesiæ perseuerãté pro se in vera sui necessitate posse deficere, q̃ propriè infidelitatem esse, si infidelitas non est paruulo meo iudicio videtur, diuinæ siquidem prouidentiæ, quam in specie de Ecclesia sua habet, derogare videtur. Si enim natura non deficit in necessariis, quomodo Deus qui dedit semetipsum Ecclesiæ, deficiet illi in necessariis, seruatis ex parte Ecclesiæ seruãdis: vt patet ex descriptis cõditionibus orationis? Mirũ demũ dico, quoniam si efficax hoc orationis Ecclesiæ, &c. remediũ indubiè creditur, cur insufficienter prouisum Ecclesiæ dicitur de remedio oportuno? Et per hunc modum excludendi Papam tyrãnum ab Ecclesia satisfit omnibus quæ obiiciuntur de corpore respectu membri contagiosi, & similibus. ad omnia siquidem sat est oratio perseuerans Ecclesiæ. Pro cuius zelo hanc respõdendi curam suscepi: arbitratus quibusdam licet non omnibus friuolis obiectis respondisse, vituperandũ non esse hac vice. Rogo igitur lectores, vt æquos se præbeãt interpretes aut cẽsores: nihil enim hic aut alibi mihi, sed rationi vel autoritati allatæ tribui volo: hoc etiam vbique & semper sub sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ correctione. Romæ die 26. Nouembris. 1512. Ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, Amen

AD LEONEM DECIMVM PONT. MAX. DE DIVINA INSTITVTIONE PONTIFICATVS TOTIVS ECCLESIÆ IN PERSONA PETRI APOSTOLI, LIBELlus Tomæ de Vio Caietani Cardinalis sancti Xysti.

ILLVSTREM sapientibus sentẽtiam in vulgarem quoque lucem proferri exigunt, Pater beatissime, qui ea, quæ à seipsis manifesta sunt, ab his quæ per alia nota fiunt, non discernentes, nodum (vt aiunt) in scirpo quærunt: & meridiana in luce cæcutientes, offendunt. Obnubilandi siquidem euangelicam veritatem tanta est licentia his, qui sua nõ sunt sorte cõtenti, vt Ecclesiæ vultus, licet serenissimus, nõ nutatum inuolucris perturbetur: quippe quorum studium est certa & lucida in quẽtionem vertere, ac obscura aliis reddere. Ea propter Petri, successorũmque eius Romanorum Põtificum principatus (tot ætates, tempora, atque curates tranquilla possessione obtenti) ius euangelico Sole fulgens, impetitum argumentationibus inuoluentibus exercitatos parum in sacris literis tueri, tenebris exuere atque in medium proferre sic intendimus, vt veritas hæc omnibus luceat, & propriis splendoribus vniuersæ creaturæ penetralia attingat. Habeat igitur catholica Ecclesia tibi credita, Pater benignissime, lucubratiunculam hanc pro rudioribus, ne obscuritatibus obruantur.

CAPVT I.
IN QVATVORDECIM CAPITA de Romani Pontificis institutione & autoritate.

SVMMARIA.

1 *Quid, quomodo, & quo ordine tractandum est.*
2 *Petri personæ & non dono reuelationis, aut beatitudinis promisse sunt claues.*
3 *Personæ Petri in se, & non solum in persona Ecclesiæ promissas esse claues.*
4 *Verba Christi Petro, Tibi dabo, non in persona omnium Apostolorum dicta esse.*
5 *Apostolis alijs non esse alias collatum quod Petro.*
6 *Solum Petrum accepisse claues, cosonat ei quod est, Ecclesiam accepisse claues.*
7 *Promissum esse Petro totius Ecclesiæ pontificatum in antedictis promissionibus.*
8 *Personæ Petri quãuis charitate qualificatæ dictum esse, Pasce oues meas.*
9 *Soli Petro ita quod non alijs Apostolis dictum sit, Pasce oues meas.*
10 *Petro sols vniuersam commissi Ecclesiam per hæc verba Christi, Pasce oues meas.*
11 *Petro per hæc verba, Pasce oues meas, commissum à Christo pontificatum totius Ecclesiæ.*
12 *Petrum habere ex Christi institutione successorem in Pontificatu Ecclesiæ catholicæ.*
13 *Romanum Pontificem succedere Petro in pontificatu totius Ecclesiæ.*
4014 *Autoritates sanctorum antiquorum & Concil orum, affirmantes Romani Pontificis successoris Petri pontificatum super totam Ecclesiam à Christo institutum à Petro.*

TRACTATVS TERTIVS THOMÆ de vio Caietani Cardinalis S. Xysti, de Romani Pontificis institutione & autoritate in Quatuordecim capita diuisus.

Quid, quomodo, & quo ordine de Romani Pontificis institutione tractandum est.

PRINCIPATVS Romani Pontificis super vniuersas Christi Ecclesias, quãuis quæstionibus multis pulsatus fuerit, nostro tamẽ proposito vnica inuestigatione absoluẽdus occurrit. Non enim vertitur hic in dubium an Rom. Põt. sit de facto caput Ecclesiæ: nec an idem potestãte habeat à Deo, eo modo quo iuxta Apostolum Ro. 13. No est potestas nisi à Deo, & quæ à Deo sunt ordinata sunt.

sunt: & sicut potestas regia in veteri testamento erat à Deo: iuxta illud primi Reg. 8. Audi vocẽ eorum, & constitue super eos regẽ. eiusmodi enim omnia aduersariorum multi affirmãt, sed vertitur in quæstionem, an à Christo institutus fuerit Rom. pontifex super omnes Ecclesias principatus in beato Petro: ita quòd instituerit Christus Petrum cum eius successoribus suum vicarium ad gubernandum omnes Christi Ecclesias. Quo sit vt loca rationibus & autoritatibus affirmantibus Petrum, seu Romanum Põtificem fuisse, seu esse caput omnium Ecclesiarum, à præsenti secreta sint intentione: & ea duntaxat afferenda sint ex quibus Christum Dominum contulisse huiusmodi principatum Petro soli habetur.

¶QVIA verò ex sacris literis pendet omnis quæstionis huius veritas, & duo sunt præcipui textus, scilicet Matth. 16. & Ioã. vlt. expresse de hoc mysterio loquentes: ideo primò iuxta vtrumque textum inuestigandum est an soli Petro verba Christi dicta sint. Secundò, an per hæc soli Petro Põtificatus totius Ecclesiæ à Christo commissus sit. Tertiò, an hic totius Ecclesiæ Põtificatus Petro à Deo commissus, sit ab eodem Domino datus successori Petri. Quarto an sit à Christo hic Pontificatus datus Rom. Pontifici, vt Petri successori. vt autem primi clara sit solutio, Matthæi textus Prius discutiendus sic est: vt in primis tractetur opinio dicentium verba Christi non Petro, sed personæ qualificatæ, deinde dicentium non Petro, sed Ecclesiæ: posteà dicentium Petro & Apostolis aliis, demum negantium soli Petro, quia Ecclesiæ, dicta esse. Multifariam siquidem obnubilare conati sunt dominicam promissionem Matth. 16. relatam, Tibi dabo claues, &c. Quidam nanque adeò restrinxerunt verba hæc, vt personam etiam Petri ab illis eximerent, & ad solum diuinum donum in Petro directa intel ligerent. Alij etiam restringentes & eximentes Petri personam, ad solam Ecclesiam in Petro significatam Christi verba dirigũt. Multi autem extenderunt Domini promissionem ad Alios Apostolos: ita quod Petro in persona omnium Apostolorum dicta accipiũt. Sed & nonnulli sunt admittentes soli Petro hæc dicta: principatus tamen singularitatem collatam Petro negant: eò quod similis potestas aliis Apostolis à Christo collata alibi legitur, puta Matthæi 18. Quæcunque alligaueritis super terram; & alibi. Hæsitant denique aliqui, quo pacto soli Petro claues datas esse verificatur, & tamen datas quoque Ecclesiæ esse claues omnes affirmamus. Quocirca ordine quo numerata sunt quinque hæc, sigillatim tractanda sunt. Præponendo vbique rationes elubitandi, vt opposita iuxta se posita magis eluceſcant.

CAP. II.
¶Petri personæ, & non dono reuelationis, aut beatitudinis promisse sunt claues, &c.

NON desunt dogmatizantes pontificiam potestatem homini non immediatè collatam, sed dono virtutis mediante: ita quod perdito virtutis dono perire simul pontificiam potestatem necesse sit, tanquam virtus glutinum quoddam sit iungens homini pontificatum. Quo sit, vt horum iudicio claues non Petri personæ, sed eius dono collatę sint in aliquo singulari ministro, puta sacerdote, seu iusto quocunque.

¶ARGVMENTANTVR autem hi ex huius Euãgelij textu multipliciter.

¶Primo quia ante omnia Dominus beatitudinem Petri affirmat, dicens, Beatus es proculdubio in spe veræ fidei, non inchoasset enim à Simonis beatitudine nisi ad subsequentem pontificatum spectaret huiusmodi beatitudo: nihil enim impertinens dixisse Christum decet.

¶Secundò, ex eo quod Dominus adiungit, Simon Bariona, hoc est filius columbæ: vt Hiero. exponit. Quorsum enim Petrus accepturus pontificatum, filius columbę prænominatur, nisi vel eius simplicitas columba significata: iuxta illud, Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbę: vel Spiritus sanctus, qui columba designatur, eo quod in specie apparuit in Christi baptismo: ad ecclesiasticum principatum pertineret.

¶Tertio ex ratione subiuncta, Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Monstrant enim hæc non à carne & sanguine, sed diuina reuelatione instruendum esse qui aliis præficitur in Christiana fide eruendis.

¶Quartò, ex eo quod Dominus addidit, Tu es Petrus: & non dixit, Tu vocaris Petrus, vt glossa ibi notat, ob fortitudinem fidei, & confessionis constantiam. Hęc enim cum omnibus præcedentibus ad virtutum munera spectant; quæ vt dictum est aut impertinenter prępositа sunt, aut ad principatum nunc subsequenter promissum opportuna media sunt.

¶Vnde & quinto arguunt ex subiuncta prima promissione, Super hanc Petram ędificabo Ecclesiã meam. Quum enim ista sit prima promissio Petro facta, quoniã vt Cyprianus, Hiero. & Aug. exponunt per hanc Petram demonstratur ipse Petrus: inquit enim Hiero. super Matth. ædificabo Ecclesiam meam super te: & Aug. in lib. retract. refert seipsum dixisse, quod in Apostolo Petro tanquam in petra ędificata est Ecclesia: nec retractat hanc sententiam. Cypr. quoque vbi supra dicit, Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: super vnum ædificat Ecclesiam, &c. Quum inquam hæc sit prima promissio facta Petro, & hæc promissio nõ immediate, sed mediante dono firmitatis, & soliditatis ad personam Petri pertineat vt ipsa Domini verba testantur, dum non dicit, Super te, sed super hanc petram, hoc est, super te petram ædificabo Ecclesiam meam: consequens est, vt subsequentes quoque promissiones intelligantur factæ personę Simonis, quatenus erat Petrus & filius columbę, & beatus, &c. Et confirmatur: quia ista promissio non solùm est prima, sed principalis: nam præcipuum donum Petro collatum est esse fundamentum Ecclesię. Ex hoc autem quod hæc promissio est prima, & principalis: consequens est, vt alię promissiones consequentes sequantur naturam principalis: ac per hoc nulla promissio est facta personę humanę, nisi mediante dono virtutis: quod erat intentum manifestandum.

¶NON est difficilè catholico doctori monstrare falsam esse relatam sententiam, dubitando ad damnata inconuenientia. Nihil enim aliud est huiusmodi dogma, quàm hæresis quorumcunque dicentium in malis ministris non inueniri ecclesiasticam potestatem clauisque Ecclesię in solis, & omnibus iustis haberi, Ecclesiámque ex solis iustis constare: quę omnia reprobata, & damnata esse constat. Verùm, ne hæretici causentur se opprimi autoritate prælatorum, & non euangelij, ex ipso Euangelij textu catholicę doctrinę reddenda est ratio. Ad cuius euidentiam aduerte duas esse in hoc Dominis sermone ad Petrum partes: quarum prima secundum planum Euangelij cõtextum, ac sensum ad confessionem, quam Petrus fecerat pertinet. Nam nihil aliud continet, nisi reuelatę confessionis actorem fructum seu præmium: & personam, seu personę conditionem, cui reuelatio facta est. Dicendo Beatus es, fructum, seu præmium pronũtiat: dicendo, Simon Bariona, personam ad literam, seu conditionem personę mysticę, puta simplicitatem, seu spiritualitatem aperit. & dicendo, Quia caro & sanguis non reuelauit, sed Pater meus, actorem reuelationis monstrat: tota ergo prima pars sermonis ad reuelatam confessionem spectat, & non ad futurum principatum. Quod vt plenius intelligas, vide singula. Meritò ex accepta reuelatione Simõ beatus dicitur: quoniam, si secũdum philosophiam beatus in hac vita est, qui ad cognitionem supernarum substantiarum peruenit & secundum Euangelicam veritatem beatitudo viatorum in spe veræ fidei consistit (iuxta illud, Beati qui non viderunt & crediderunt) longè magis Simon beatus fuit, quum ad cognoscendum Trinitatis mysterium peruenit, non innixus reuelationi aliis factæ (vt nobis contingit) sed reuelationi sibiipsi interius factæ. Ad hanc enim cognitionem Petrum peruenisse testatur verba Petri: testatus est Dominus: cõfessus est enim Petrus, Tu es Christus filius Dei viui: confessus fuerat olim Nathanael, Tu es filius Dei: Ioannis primo. confessi fuerant qui erant in nauicula, Verè filius Dei es, Matthæi decimo quarto. confessus fuerat, & Petrus in persona omnium, Et nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei, Ioannis sexto. Nunquam tamen Dominus beatitudinis præmium appposuit, nisi nunc: quia nunquam confessio facta fuerat quòd esset filius Dei naturalis, qualem modo Petrus explicauit, adiungendo illud adiectiuum, Viui. hoc enim dupliciter potest intelligi: primò, vt sit adiectiuum determinans suum substantiuum absolutè: vtra dictum sit Dei viui, tanquam dictum fuisset, Dei veri, aut Dei omnipotentis: & sic per accidens adiungeretur Petri confessioni ad maiorem expressionem, Veri Dei, ad differentiam deorum lapideorum, seu mortuorum: vt Saturni, Iouis, & reliquorum. Alio modo, vt determiner suum substantiuum, scilicet Dei in ordine ad filium, cuius enuntiatur Pater, dum dicitur, Filius Dei viui: & sic per se, & essentialiter apponitur confessioni Petri, & constituit Petri confessionem esse per se essentialiter, ac formaliter, veram, & altissimi sensus: significatur siquidem hinc pienissimè; & formaliter modus quo Christus est filius Dei, scilicet quod est naturalis filius Dei. Et ne altitudo sensus sententiam claram obumbret, manifestatur quod dicimus ex differenti filiatione nostra & Christi: commune nàque est Christo & nobis, quod sumus filij Dei, (secundum quod de nobis scriptum est Ioannis primo, Dedit eis potestatem filios Dei fieri) sed nos sumus filij Dei, quia vult, iuxta illud Iacobi primo, Volũtariè enim genuit nos verbo veritatis: Christus autem est filius Dei, nõ quia vult, sed quia est. Ratio siquidem quare Deus nos genuit filios, est sua voluntas, qua elegit nos: ratio autem quare Deus genuit Christum, est sua essentia, qua genuit vnigenitum Deum, qua & ipse Deus est.

¶Hoc autem vocando ancillas ad theologicam arcem (quia viuere viuentibus est esse: vt dicitur secundo de Anima) significatum est per Deum viuum ex eo nanque, quod viuere viuentibus est esse, idem est, Filius Dei viui inquantum viuit, & Filius Dei inquantum est. Meminit tamen Petrus non Dei esse, neque Dei,

Universidad de Deusto
Biblioteca

naturę, sed Dei vitę: quoniam cuicunque est Filius, conuenit generare filium non ea ratione, qua est, nec ea ratione qua res naturalis est, sed ea ratione qua viuit. Quod si altius perspicere cupis: iunge hæc simul, scilicet Filius Dei viui: quum enim constat ex vna parte filium sonare genitum talem qualis eius parens est, & ex altera parte parentem significari Deum viuum: si cointellecta fuerit philosophica traditio, scilicet naturalissimum operum esse omnibus viuentibus facere tale quale ipsum est (vt habetur secundo de Anima) manifestè videbis quòd dicendo Filius Dei viui, significatur naturalis Filius Dei: ex eo enim quòd filius Dei ponitur genitus à Deo dicitur, ex eo autem quòd Filius Dei, inquantum est viuus, ponitur quia naturalissimum opus viuẽti quatenus viuens est, genitus significatur. Acutissimè ergo & formalissimè, Petri confessio Christum non adoptiuum Dei filium, sed naturalem Dei filium manifestat, dicendo Christum Filium Dei viui. Et si altius adhuc intuiti fuerimus, percipiemus in hac responsione claudi non solùm duas Trinitatis personas Filiũ scilicet & Patrẽ, & rationem ac modum generationis, scilicet quòd ille naturalis Pater & iste naturalis Filius (vt declaratum est) sed substantialitatem, coæternitatem ac coæqualitatem vtriusque, nam ex eo quod naturalis Filius est talis qualis est Pater, & Christus dicitur Filius Dei viui, significatur quoque quòd ipse est Deus viuus: & quum non sint multi dij, consignificatur quòd est vnus Deus cum Patre, ac per hoc consubstantialis, coæternus, & coæqualis. Nec Spiritussancti persona omissa est, Christus enim sonat vnctum Spiritusancto: vt ipsemet Petrus declarauit Act. 10. Quo fit vt hac confessione Petrus non minus diuinæ Trinitatis ac generationis mysterium docuerit, quàm Ioannes dicendo, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, &c. imò licet Ioannes spiritualius, dum ad immaterialem, intelligibilémque gradum penetrauit, Petrus tamen personas nominibus propriis Filij ac per hoc Patris & generationem naturalem cum ratione generandi clarius significauit, dicens, Tu es Christus filius Dei viui: & ideo iure à Saluatore mundi beatus affirmatur. Ad hunc tam altum huius cõfessionis sensum intendisse inuenies Origenem, Chrysost. atque Hilar. hunc tam altum istius confessionis sensum testatur Ecclesia quotidiana veneratione repetens prima diei hora Christe fili Dei viui, &c. Meritò quoque ad eundem reuelationem spectat Bariona. dupliciter siquidem vt Hieronymus dicit, potest intelligi: vel legendo, Barionа: id est, filius Ionæ (Bar enim idem sonat quod filius) vel quod vitio scriptorum detracta sit media syllaba: quum deberet legi Bar Ioanna: id est filius Ioannis: Simon siquidem creditur à multis filius Ioannis: secundum tamen veritatem filius fuit Ionæ: vt patet Ioan. primo. Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas: licet vitio scriptorum Latinorum Latini codices sint corrupti. Est ergo primus sensus, mysticus tamen, Tu es filius Iona, id est columbæ, secundus autem literalis, Tu es filius Ionæ seu Ioanna. Vterque autem sensus propositum fouet: nam si filius exponitur columbæ, simplicitatem ac spiritualitatem personæ ipsius Petri tanquam habilis ad reuelationem suscipiendam indicat ad reuelationem nanque diuinam suscipiẽdam simplicitas & spiritualitas maximè præparant: Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum (vt dicitur Sapientiæ primo) & animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei, primæ Corinthiorum secundo. Si autem filius Ionæ vel Ioanna intelligitur, ad confirmationem confessæ veritatis valde spectat: quoniam pertinet ad hæc, quod ideo Dominus naturalis patris ipsius nõ Petri, sed Simonis meminit: vt subiungendo, Quia caro & sanguis non reuelauit, sed Pater meus: ex hoc ipso quod patrem suum & naturalem Patrem Simonis è regione ponit, tanquam diceret, Beatus es Simon filius Ionæ seu Ioannis: quia nõ pater tuus secundum carnem, & sanguinem reuelauit tibi: sed Pater meus, qui in cælis est: ex hoc inquam ipso eruditus quisque intelligat patrem, qui in cælis est, ita esse naturaliter patrem meum sicut Ionas est naturaliter pater tuus. Et hoc iam notauit Chrysost. dicẽs, Vanum est dicere, Tu es filius Ionæ vel Ioanna, nisi vt ostẽdat, quoniã ita naturaliter Christus est filius Dei, sicut Petrus filius Ionæ: eiusdem substantię cum eo qui genuit. Oportuit autem Saluatorem nostrum cõmendare Petri confessionem manifestando illius actorem & præmiũ, &c. vt Petri cõfessio vera habeatur: & sic ipse verus ac naturalis filius Dei credatur ex Petri confessione, non à carne & sanguine, sed à cælesti patre deriuata: nisi enim hoc manifestasset, confessionem Petri vt humanum verbũ acciperemus: nunc autem vt à Deo prolatã sententiã habemus. Ex quibus omnibus clarè patere potest, quod hucusque nihil ad principatum Petri pertinens dictum est. Tota igitur prima pars dominici ad Petrum sermonis, circa illius confessionem versatur: & ad probationem fidei de seipse Christo filio Dei viui pertinet: secunda autem ad Petro promittendum conuertitur: vnde & inchoat à reddendo vices ipsi Simoni Petro, Et ego dico tibi tanquam diceret (vt Hieronym. notauit) Tu mihi dixisti, Tu es Christus filius Dei viui. & ego dico tibi, Tu es Petrus, & super &c. Vbi aduerte non solum diuersas, verum non vnius, sed diuersorum generum promissiones Petro factas esse. nam prima promissio constructionẽ respicit Ecclesiæ, Ædificabo Ecclesiam meam: secunda autem autoritatem. Dabo claues regni cælorum. & quodcunque solueris &c. illa ad Ecclesiæ substantiam, ista ad officium respicit: tantúmque inter se differunt, quantum est inter substantiam & officium distantiæ. Et licet in prima promissione triplex inueniatur intellectus, exponendo per hanc petram vel Christum vel Petrum, vel confessionem Petri, vt Chrysostom. exponit: si tamen subtilius perpexerimus, vnicus est sensus literalis: hoc est, quod per hanc petram demonstratur Petrus. August. enim in libro primo Retractationum cap. 21. lectoris iudicio relinquit quæ duarum sententiarum sit probabilior. Petrúsne, an Christus demonstretur per hanc petram. Vnde ac libertate freti, ex ipso Euangelij textu dicimus, per hanc petram Petrum demonstrari: vt pater ex eo quòd Dominus dixit, super hanc petram ædificabo. Si enim seipsum demonstrasset, non dixisset, Ædificabo, sed ædifico: quoniã tunc verè super seipsum ædificabat faciendo de Simone Petrum: super Petrum autem non tunc sed post resurrectionem ædificare cœpit. & propterea dixit in futuro, ædificabo: ac si apertè diceret, Te quem nunc facio Petrum, postea faciam fundamentum Ecclesiæ meæ. Confirmatúrque hic sensus, quia aliter impertinẽter præmisisset, Tu es Petrus, quũ tamen pro maxima re hoc Petro dictum Euangeliũ insinuet: quum Dominus quasi reddens vices Petro (vt prædictum est) dixerit, Tu es Petrus: quid enim tam magnũ sonaret esse Petrum, aut quorsum, Tu es Petrus, nisi subsequenter demõstraretur, Et super hãc petram ædificabo Ecclesiam meam? Vnde Hieron. exponẽs hunc locum ait, Secundum autem metaphoram petræ, rectè dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meam super te. Expositio autẽ Chrysosto. de confessione Petri, in idem redit: quoniam confessio fidei in idem redit cũm soliditate seu firmitate fidei, quam denotat Petrus: non enim differt ab ea nisi tanquam actus ab habitu. & rursus constat quòd Ecclesia magis habet pro fundamento fidẽ, quàm fidei confessionem. Vnde relinquitur quòd ad literam per hanc petram, demonstratur Petrus. Exactius autem loquendo, die hãc petram, id est, in te petram, in te soliditatem fidei, in te Christũ creditum, in te Christum confessum: vt complectaris omnes sanctorum exercitatis explicarunt: fidem seu fidei confessionem, aut Petrum, vel Christum exponentes. Quum autem vtrunque simul iungitur, ita quòd & Petri personam & Christi seu fidem simul significari exponitur, integra veritas, integer sensus habetur literæ dicẽtis non super petram, sed super hanc petram. Indiuiduatur siquidem metaphorica petra, & fit hæc: quia est in hoc demonstrato supposito: sicut quòd licet aliud in Petro existens indiuiduatur: & fit hoc quia est in ipsa Petri persona.

¶ Hoc igitur integro sensu literali patefacto & admisso, & amplius aperiendo, scito ex Euangelio omnes promissiones Petro factas cõuenire in hoc quòd omnes sunt factæ vnicæ personæ ipsius Simonis, qui dicitur Petrus: cui dictum est, Tu es Petrus. Manifestatúrque sic esse primo de prima promissione, & deinde de secunda. In prima promissione tria respice. Primò, Tu, secundò, es Petrus, tertiò, super hanc petram. Ex pronomine, Tu, demonstratur persona illa cui Christus loquebatur: persona, dico, non qualitas aliqua: nam constat pronomen, Tu, demonstrare substantiam sine qualitate etiam apud grammaticos. Rursus ex pronomine, Tu, monstratur vnica persona. vt patet. Ex cõiunctione propterea huius quod est esse Petrũ ad ly, tu cùm dicit, Tu es Petrus, significatur apertè affirmari à Domino illam vnicam personam esse Petrum: & quia per hanc petram demonstrat illam eandem petram quam tũc pronomine demonstratiuo mõstrabat, Tu es Petrus. Significantissimè siquidẽ ille articulus hanc exprimit eandem monstrari petram, de qua tunc erat sermo, quæ & per pronomẽ, Tu, es Petrus, monstrabatur: & hoc tantò clarius, quantò nulla alia petra tunc monstrata, aut nominata inuenitur in Euangelio. Esse igitur futurũ Christi Ecclesiæ fundamentum, iungitur huic petræ, quæ quia iungitur personæ monstratæ pronomine, Tu, oportet intelligere, quod esse Christi Ecclesiæ fundamentum permittitur vnicæ personæ demõstratæ per, Tu: cui tunc datũ est quòd esset Petrus. Et vt hoc magis ac magis notares, inchoauit Dominus. Et ego dico tibi, nõ beatitudini tuæ, non filio colũbæ, nõ filio reuelationis: sed tibi. De secunda autem promissione clarissimè patet: quia exprimitur pronomen demonstratiuum substantiæ, dicendo, Et tibi dabo claues. Oportet nanque hæc valdè notare: quoniam hinc commenta hæreticorum schismaticorum specie tenus sancta, sed re venenosa confutantur: aiunt enim, Super petram, id est, fidei firmitatem Ecclesiam fundatam. Verum dicunt sed diminutum: quoniam Dominus dixit quidem, super petram: sed non hoc solùm dixit, sed addidit articulum, hanc, dicens, super hanc petram: quam proculdubio tunc monstrabat, dicens, Tu es Petrus: si enim super fidei solidũ absolutè ædificatur⁹ esset, nõ de articulasset soliditatẽ ad personã illã, Sed schismatici personalis fundamenti vnitatem

tatem à Christi Ecclesia tollere, per hæc commenta niturntur, Dominus autem hos omnes præueniẽs, sermonem ad Simonem Petrum sub pronomine direxit, inchoãs, Et ego tibi dico. & subdẽs, Tu es Petrus. tu, non beatitudo tua, aut aliquid eiusmodi: tu, non vos, vt vnitas fundamenti Ecclesiæ, vnitãs quoque personalis à Christo affirmata intelligatur: dũ dicitur, Tu es Petrus, tu vnus es Petrus futurus postea fundamentũ: quãdo super hanc petrã, id est te Petrum ædificabo Ecclesiã meam. Duplex autẽ aduertendum est inter has promissiones differentia: prima est, quòd esse fundamentũ Ecclesiæ non promittitur personę Petri absolutè, sed quatenus est Petrus seu petra: claues autem regni cęlorũ promittũtur personę Petri absolutè. Et habes hanc differentiã ex Euangelio: dum de primo dicitur, Et super hanc petram ędificabo Ecclesiã meam: non dixit, Super te ædificabo Ecclesiam meã: per hanc enim petram demonstrauit totum quod dixerat, Tu es Petrus: nã petram reddidit ad ly Petrus, & articulũ hanc reddidit ad pronomen, tu, tanquã si diceret. Tu es Petrus, & super te Petrũ ædificabo Ecclesiam meam. De claubus autem regni cælorum nõ dicitur, Et tibi Petro, neque huic petræ, sed simpliciter & absolutè, Tibi dabo claues, monstrãs per hoc, quod dixit, tibi, quod personæ nõ qualitati per petrã significatæ, puta fidei promittebat claues: personæ ergo qualificatę promissum est fore Christi Ecclesiæ fundamentũ: personæ vero nudę promissæ sunt claues regni cælorum. Altera differẽtia est, quòd in prima promissione Petro promittitur Ecclesiam sustinendi officium, non se Petro, sed Christo actorę: nã non dixit, Et super hanc petram ædicabis Ecclesiam meam: sed dixit, Super hanc petram ędificabo Ecclesiã meã: tanquàm si diceret, Tu sustinebis tanquàm petra me ædificante Ecclesiam meam super te petra. In promissione verò clauium aperiendi officium, & claudendi non sibi reseruauit Dominus, sed se daturũ claues promisit: vt ille cui dantur agat aperiendo, vel claudendo regnum cælorum. Hæc ex Euangelij pleno sensu differentiæ constãt, Ex quibus euidẽter colligitur differentia inter officium Petri quo ad potestatẽ vtendi clauibus, & soluendi, atque ligandi, & officium eiusdem ad sustinendam Ecclesiam in fide: dum officium clauium homini cõmittitur: officium verò sustinendi Ecclesiã in fide ad Christũ vt actorem, ad petram vt rationem sustinẽdi, ad hominem verò Petrum, vt fundamentum suppositũmque spectare dicitur: Oportet siquidem hæc diligentius contemplari, vt sciamus hinc rationem reddere poscẽtibus nos de ea, quæ in nobis est fide: ex his enim facile potest perspicere, quòd claues regni cælorum nõ sunt datæ sanctitati seu iustitiæ hominis, sed promissæ sunt homini futuro pastori ouium Christi. Si quis autẽ cõtra huiusmodi exactã exositionẽ verborũ Euangelij obiiciat, eo quod Petrus non fuit ex tunc re, & nomine Petrus: quoniã nõ perseuerauit solidus, ac firmus in fide, ter siquidem postea dominum negauit: ac per hoc verba Domini sonantia in præsenti, Tu es Petrus, non sunt sic exactè intelligẽda: aduertat sic obiiciens se falli confundendo firmitatem fidei & firmitatem charitatis: Petrus quidẽ ex tunc factus est firmus in fide, dicente Christo, Tu es Petrus: vt Hieron. testatur exponẽs, Et ego tibi dico, non sermone cassо, & nullum opus habẽte, sed dico tibi, quia meum dixisse fecisse est, quia tu es Petrus. Nec deficit negando Dominum in fide, quæ in corde est, quamuis defecerit in confessione fidei: horum enim distinctio à Paulo Apostolo manifesta est ad Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Testatur siquidem Dominus Petrum non defecisse in fide, Luc. 22. dicens, Ego rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua: constat enim Christum in omnibus exauditum fuisse pro sua reuerentia, vt dicitur Hebr. cap. 5. Defecisse autem ipsum in charitate, & perfidia manifestat, ad Dominus testatur subiungens, Et tũ aliquã do conuersus confirma fratres tuos: auersus enim fuit à charitate Christi non à fide, perseuerauit ergo semper Petrus.

¶ His præmissis Ad obiectiones in oppositum dicendũ est. Et circa tres primas non oportet insistere, quia iam declaratum est, cp impertinentes sunt: nam ad confessionem Petri spectant omnia, quæ in eis afferũtur. Ad alias verò obiectiones, ex illis verbis, Tu es Petrus & super hãc petrã ædificabo Ecclesiã meam, dicitur quod hæc quidẽ spectant ad pontificalem gradum, non secundum officium clauium, sed secundum officiũ fundamenti. Et ex proposito Dominus dixit, Nõ tu vocaberis Petrus, sed tu es Petrus: vt affirmaret, tu es Petrus re & nomine: hoc est solidus, firmus, cõstans, &c. in fide tanquã petra: vt Leo, Greg. Bedaque exponũt. Nec ex his aliud potest inferri, nisi cp soli habẽti fidẽ conuenit esse fundamẽtum sustinendi Ecclesiã in fide, quòd gratis concedimus: nam ex hoc non habetur, cp esse fundamentum mediante charitate, seu iustitia conueniat Petro, sed mediate inde. Et rursus hinc non habetur, quòd esse fundamentũ promissum sit fidei simpliciter & absolutè: ac per hoc promissum sit cuicũque in quo inuenitur fides: quoniam Christus non dixit, Et super petram, sed de articulauit eam ad personam adiungens ly, hanc, dicẽdo, super hanc petram: proculdubio enim petra tunc demõstrata per præmissa verba, Tu es Petrus, repetitur: vt qui modo est Petrus futurum sit fundamentum. Quoci rea clarè patet, quòd sicut solus Simon demonstratus est dicendo, Tu es Petrus, solus quoque repetitus est Domino. Et super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam. Nulla ergo promissio facta est duo virtutis absolutè: sed sola prima inter eas: scilicet ædificatio Ecclesiæ facta est dono fidei, non in quocunque, sed in persona futuri pastoris ouium Christi.

¶ Ad confirmationem autem inferentẽ simile esse iudiciũ de officio clauium & officio fundamenti: respondetur, cp ex differentibus verbis Domini manifestè declaratum est non esse simile de vtroque iudicium. Et licet accessorium sequatur naturã principalis cæteris paribus: vbi tamẽ (vt in proposito) maxima est in cæteris disparitas: non oportet secundarium assimilari principali. Manifestatur autem maxima disparitas in hoc, quod in officio fundamenti homo se habet quasi totaliter passiuè, dicẽte Christo, Ego ædificabo super te Petro: in officio autem clauium non dixit, Ego aperiam, aut claudam, sed absolutè, Tibi dabo claues regni cælorum. Non est propterea mirum, si aliter promissum est fundamenti officium, & aliter officium clauium: illud mediante firmitate fidei, istud homini absolutè. Cõsentanea est autem huiusmodi differẽtia à Christo instituta humanę etiã rationi: nam vsus clauium siue rectus, siue abusus fuerit, non in vniuersalem redundat Ecclesiam: officium autem sustinendi fidem si aberraret, Ecclesia vniuersalis rueret: de qua tamen Dominus dicit, Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Promissæ sunt ergo claues regni cælorum non dono virtutis (vt hæretici fingunt) sed personæ Simonis Petri, futuri pastoris ouium & agnorum Christi.

CAPVT III.

¶ Personæ Petri in se, & non solum in persona Ecclesiæ promissas esse claues.

NOnlongè à prioribus recedunt affirmantes claues regni cælorum non Petro, sed Ecclesiæ à Christo promissas, dicente, Tibi dabo claues regni cælorum: tanquàm dixerit, tibi, hoc est Ecclesiæ significatæ per te, non tibi, dabo claues regni cælorũ. Nã istis cum prioribus cõmune est, & eximere Petrũ ab hac Domini promissione, & nulli singulari homini datas esse claues, sed dono Dei promissas esse claues: solũ in hoc differunt, quòd priores dono Dei in quolibet iusto, aut falsè in quolibet fieri dono Dei in Ecclesia inuẽto claues datas asseuerãt, eo quòd Petro nõ vt vni homini, sed vt personam gerebat Ecclesiæ Christum dixisse contendunt, Tibi dabo claues regni cælorum: ni untúrque hoc multis argumentis astruere. Vnde primò arguunt, Christus exponit seipsum in Euãgelio, cui loquat ur & cui tradat claues dicens, Beatus es Simon Bariona, caro & sanguis non reuelauit, sed pater meus qui est in cælis. Vbi apertè Petrus in hac persona non est Petrus, non est caro, neque sanguis, non Si non Bariona, omnino Petrus extra hominem ponitur: & ita non est vlla persona per se, sed reuelantis Patris auditor cui dantur claues. Nulli ergo priuatq homini datæ sunt claues, sed soli Ecclesiæ, quia de nullo priuato homine certi sumus habeat nécne reuelationem Patris: Ecclesia autem ipsa est de qua dubitare non licet: ipsa est ergo ille Petrus auditor reuelationis, & acceptator clauium.

¶ Secundò, ex cohærentibus, Christus enim post gloriosam istam Petri commendationem, quum ei Petrus prohibuit ne moreretur reprehendit Petrum, Vade post me Satana: non enim sapis ea quæ Dei sunt. Vt ex subsequuta post commendationem vituperatione clarum fiat illum superiorem Petrum qui claues accepit, nõ fuisse Petrum filium Bariona, sed Ecclesiam filiam Dei: quæ verbo Dei genita: verbum Dei audit & confitetur perseueranter in ínfi: non aliquando non sapiens quæ Dei sunt, nec vnquam retrò abire iussa sicut Petrus.

¶ Tertiò, ex eo quòd Christus dixit, Super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam: hoc est, super fidem à Petro totius Ecclesię per sona confessam: ac per hoc in qualibet Ecclesia, vbi est fidei petra, illic & claues. Firmatur autem hoc, quia nec ipse Petrus petra fuit in eadem perseuerans confessione: quoniam mox post acceptas claues errauit: & tamen non sunt ei claues rursum allatæ: quare non in sua, sed Ecclesiæ persona eas accepit.

¶ Quartò, Quando papa eligitur, an secum affert claues vel nõ? si affert. ergo erat papa antequam eligeretur: si non affert, à quo accepit: nunquid ab Angelo de cælo? nonne ab Ecclesia? Item, quando papa moritur cui relinquit claues, nisi Ecclesiæ à qua accepit? quid igitur potest dici contra hanc euidentissimam experiẽtiam optimam Euangelij interpretem claues, nec Petro, nec successori, sed sori Ecclesiæ datas? à qua tanquam minister accepit vsurus eis facerdos in qualibet Ecclesia.

¶ Quintò, formatur argumentum similis formæ argumento, quo Paulus Ro. 4. & Gal. 4. vtitur dicens, quod sicut Abrahæ ex fide reputata est iustitia: ita & omnibus, qui credũt reputabitur ad iustitiã. Quare etiã hic similiter: si Petro habenti reuelationem Patri,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Christo confitenti claues dantur: ita necesse est homini similiter confitenti & reuelationem habenti, claues donatas esse, quòd nulli nisi Ecclesiæ conuenire potest: quum nullus singularis fidelis constanter, certo, ac perseueranter habere possit hanc confessionem: vt etiam de ipso Petro patet.

¶Sextò, quia non solùm (vt Aug. primo li. de doct. Christia. ca. 17. testatur) has claues Christus dedit Ecclesiæ suæ vt quæcúque solueret in terra soluta essent & in cœlis: sed etiá, vt ipse testatur super Ioan. Petrus Apostolus propter apostolatus sui primatũ Ecclesiæ gerebat figurata generalitate personã, in persona ergo nõ sua, sed Ecclesiæ claues accepit. Quod ex Aug. verbis ibidem amplius firmatur quum dicit, Quod enim ad ipsum Petrũ propriè pertinet, (nam vnus homo erat gratia vnus Christianus) abundãtiæ gratia vnus, idémque primus Apostolus: sed quando ei dictũ est, Tibi dabo claues regni cælorũ, vniuersam significabat Ecclesiam. Confirmatúrque eadem sententia ex verbis eiusdem Aug. Psal. 108. Sicut quædam dicuntur quæ ad Apostolũ Petrũ pertinere videtur: neque tamen habent illustrem intellectum, nisi quum referuntur ad Ecclesiam: cuius ille agnoscitur in figura gessisse personã propter primatum, quẽ in discipulis habuit: sicut est, Tibi dabo claues regni cælorum: ita Iudas personã sustinet inimicorũ Christi. Ex his enim verbis apparet Petrũ non in sua, sed Ecclesiæ figurata persona claues suscepisse, dum hic dicitur nõ haberi illustrẽ intellectũ, nisi ad Ecclesiam referatur: & ibi contra personales conditiones Petri aduersatiua coniunctione subditur: sed quando ei dictũ est, Tibi dabo, Ecclesiam significauit. Et cõfirmatur rursus autoritate Euangelistæ describentis interroganti Christo, Quẽ dicunt homines esse filium hominis? nullũ certum discipulum respondisse opiniones, quæ de eo erant interrogãti verò de se Apostolos, vnũ certum Petrum respondere, & constanter absoluere, ac pronuntiare fidei confessionẽ, vt veram Christi cognitionem in vnitate & firmitate consistere, nõ multorum opinionibus velut arundinẽ agitari doceret. Tenet ergo Petrus Ecclesię vnitatis figuram. Accedit ad hæc Cypriani autoritas habita. 24. q. 1. loquitur Dominus: dicentis, Quamuis apostolis omnibus post resurrectionẽ suam patrem tribuat potestatem: tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem autoritate sua disposuit: hoc vtique erant cæteri Apostoli quod Petrus fuit, pari consortio præditi & honoris & potestatis: sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia Christi vna monstraretur. Vnde non vnus, sed vnitas claues accepit, vt attestantur etiam capitula, omnibus, & quod cuq; ue. 24. quæst. 1. ex Hieronymo & Augustino.

¶AD EVIDENTIAM horum considerandum est, vnum dici à sanctis: scilicet Petrum significasse Ecclesiam, quum claues accepit. Duo autẽ exponi seu deduci: primum est, Ecclesia accepit claues, quum Petrus claues accepit: secundum est, quòd persona Petri non accepit claues. Vnde dupliciter cõtingit hic errare, vel negando primum, vel affirmando secundum. Et negare quidem Petrum Ecclesiã significasse, est contradicere expositioni sanctorum. Affirmare autem Ecclesiam sic accepisse claues, q; persona Petri nõ acceperit, error est plusquã hæreticus: quoniã Euangelica per hoc negatur historia, & historia in parabolã vertitur. Parũ dixi, quoniã omnis etiã veteris testamenti historia in parabolam verteretur. Declaro singula: si enim Petro nõ in persona propria, sed solũmodo in persona significatę per eũ ecclesiæ promissæ sunt claues, quũ dictum est ei, Et tibi dabo claues, &c. parabolicus Petrus inducitur, & nõ narratur historia, sed patabola, quũ dicitur, Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogauit Discipulos suos: cũ reliquis quæ sequũtur. Et eadem licentia qua hæc historia vertitur in parabolam, omnis alia historia non solùm noui, sed etiam veteris testamenti in parabolam verti potest: scriptum est enim, Omnia in figurã cõtingebant illis. Si enim quia Petrus figuram gerebat ecclesiæ, parabolicus ponitur, & non in propria persona circa claues, parabolam quoque necesse est fateri de Martha & Maria, quæ figurã gerebant vitæ actiuæ & contemplatiuæ: parabolæ quoque erũt resuscitationes trium mortuorum à Christo: quia figuram gerebant trium generum peccatorum spiritualiter resurgentium: quinimo & mors Christi & resurrectio parabola erit: quia illa nos mortuos peccato: ista nos in nouitate vitæ significat: & breuiter vniuersa ruit rerũ gestarũ fides in sacra Scriptura ex hac licentia. Vera autem & probata sententia est, dupliciter aliquid significari: vno modo per modũ parabolæ (sicut filius prodigus significat peccatorẽ, & operarij coducti ad vineam, significat cultores Dei in Christi ecclesia, & sic de aliis) alio modo per modum rei gestæ: ita q; res verè gesta significat rem aliam: sicut transitus Heoræorum per mare rubrum significat transitum nostrum de vitiis ad virtutẽ: & aduentus Magorum adorantium Christum, significat viatorum progressum ad cælestem patriam. Inter hos autem significandi modos hæc est ad propositum disparitas, quòd in parabolica significatione nulla est cura de significantibus personis secundum seipsas: quoniam ad significandum tantùm describuntur: quemadmodum apud Poetas sit in comœdiis & tragœdiis. Quum autem res gesta significat, oportet primò omnem curam adhibere ad rem quæ geritur, & ad personas secũdum seipsas: quia sensus literalis in hoc cõsistit, ex quo solo secundum Dionys. & Aug. efficax trahitur argumentum. Vnde oportet primò verificare in historiis res gestas & dictas de personis secundũ seipsas ad veritatẽ fidei, & deinde potest superaddi sensus spiritualis, quo res gesta significat aliã, quo persona historica figurat aliquid aliud: & hoc ad ædificationem Christi fidelium: nõ ad comprobandum ea fidei, quæ in controuersiam veniunt. Quocirca oportet primò ad veritatem fidei saluandã sensum historicum tenere, & personam Petri non vertere in personam parabolicam, quum de fidei agitur historia, & sensus literalis innexus gestis Euãgelicæ historiæ, quando venit Iesus in partes Cæsareę Philippi, & interrogauit primò ac secundò, audiuit respõsiones primò Discipulorum, deinde Petri: respondit Petro, dixit, promisitque claues regni cælorum. Et firmata veritate sensus literalis, quòd persona Petri dictum promissúmque est, superaddere licet sensum mysticum, quo Petrus figurat Ecclesiam, sicut apparet in similibus, puta in significatione vitæ actiuæ per Martham (cui dictum est, Solicita es & turbaris erga plurima) & contemplatiuæ per Mariam, de qua dictum est, Optimam partem elegit, quæ nõ auferetur ab ea: & sic de aliis. Patet ergo Petro in persona Ecclesiæ promissas esse claues, verum est sic vt personę ipsius Petri primò, & ad literam promissæ sunt: quia illud verificatur secundum sensum mysticum, hoc autem secundum sensum literalem.

¶AD PRIMVM ergo in oppositum dicitur, clarum ex antedictis esse verba illa Domini (Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit, sed Pater meus) non ad Petri primatum, sed ad ipsius confessionem, & confessionis fructum spectare: & propterea tanquam impertinentia longè sunt à proposito secundum literalem sensum. Has autem Petri conditiones trahere mystica interpretatione ad Ecclesiam, quamuis sustineri possit, intolerabile tamen est, vt sensus mysticus excludat literalem, Petrus excludat seipsum, auditor excludat eum, qui audit, & Simon Ioannes vertatur in parabolicam personam.

¶Ad secundum verò dicitur, falsò interpretari fidẽ, cur post tantam cõmendationem Petrus reprehensus fuerit: nam secundum planum literę sensum commendatur primò persona Petri ratione diuini doni, deinde reprehenditur ratione proprij sensus, neutrum autem secundum historiæ fidem spectat ad alium quàm ad Petrum: quoniam tam commendatio quàm reprehensio personalis fuit. Secus autem est secundum sensum mysticum: quo quilibet proprij sensus & affectus in Petro reprehenditur, & quilibet diuinæ reuelationis sectator in Petro commendatur.

¶Ad tertium dicitur, per hanc Petram demonstrari ad literam fidem in hoc, id est Petro, vt ex dictis patet. Et propterea non sequitur, quòd cuilibet partiali ecclesiæ, vbi est fides, æqualiter datæ sint claues: sed sufficit cuilibet fideli ecclesiæ datas esse in totius ecclesiæ capite, quod est hæc petra, super quam Christus ædificat ecclesiam suam. Et ad confirmationem dicitur, quòd licet Petrus errauerit, non tamen desiit esse petra: tum quia per illa verba, quę obiiciuntur, Abiit à te Domine, non erit tibi hoc, Petrus, nec fidẽ nec charitatem perdidit. Vnde & Dominus non dixit ei, Vade Satana: vt tentatori dixerat, sed modificauit dicens, Vade post me Satana: tanquam diceret, Sequi to me debes, non ego affectum tuum. Tum quia, vt prædictum est, quum postea Christum negauit fidem non perdidit, sed petra fidei perseuerauit in corde. Et tamen, vt Theop. Lu. 22. notauit, Christus iterum ipsum in Apostolico gradu restituit, dicens, Confirma fratres tuos.

¶Ad quartum dicitur, quòd quum Papa eligitur, neque secum claues affert neque ab ecclesia illas accipit: sed à Christo, non nouã traditione, sed antiqua illamet, qua tradidit Petro. Ecclesia siquidem ministerio electionis personam deputat, quæ Petro succedat: Christus autem ipse in beato Petro cuilibet successori claues tradidit, & propterea vana est quæstio, à quo accipit, aut cui relinquit morieus: verbum enim Christi semper viuum dat claues cuilibet succedenti, & non vnus alteri relinquit.

¶Ad quintum dicitur, argumentum esse similis formæ, sed dissimilis materiæ: & propterea non tenere. Iustitia siquidem & fides bona sunt animæ, ad vtilitatẽ ipsius credentis & iusti: claues autẽ potestatem significant, ad aliorum regimen ordinatam: & ideo licet cuilibet credenti imitanti Abraham, reputetur fides ad iustitiam, sicut Abrahæ: non tamen cuilibet credenti & confitenti Christum, imò nec cuilibet Petro imitanti Petrum in fide dari oportet claues: id est, potestatem aperiendi & claudendi aliis: sicut nec cuilibet imitanti fidẽ Abrahæ datur, quòd sit pater multarum gentium, quòd in semine suo benedicantur omnes gentes, quæ tamẽ Abrahæ credenti data sunt. Quod autem additur, nulli Ecclesiæ conuenire posse constanter, certò ac perseueranter habere Petri confessionem, si ad singulares personas referatur Paulus Apostolus ad Romanos octauo, cõfutat, dicens, Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, &c. & subdit, Certus sum enim, &c. loquens ad literam de electis. Quòd si non contrarem, sed contra notitiam nostram arguitur: quia nos nescimus quis perseuerabit, facilè satisfit per hoc, quòd Deus suauiter disponens omnia, non exigit ab homine maiorem certificationem ea, quæ est fidei & humani moris, à fructibus, scilicet eorum cognoscendo homines.

¶Ad sextum dicitur verum esse & q; Ecclesiæ datæ sunt claues, & q; Petrus personam Ecclesiæ figurare gerebat, & quòd vnitas Petri vnitatem Ecclesiæ significauit. Sed in hoc falluntur argumenta quòd ex his veritatibus in aliam veritatem insurgunt: hæ siquidem veritates non cõtrariantur huic alij veritati, quod Petrus in propria persona acceperit claues: sunt hæc enim omnia simul vera. Et primum quidẽ & vltimum, vt sexto patebit ca. ad veritatẽ sensus literalis spectant: quoniã ad literam Petrus in propria persona sic accepit claues, quòd etiam Ecclesia accepit easdem. Reliqua autem ad mystici sensus veritatem spectant: secundum spirituałem siquidem sensum, vnus Petrus vnitatem Ecclesiæ significat, & vniuersalem Ecclesiam repræsentat. Vnde Cypria. Hieron. & August. dicta, quæ obiiciendo allata sunt, verissima sunt, sed iuxta sensum mysticũ. Sed non aduersantur sensui literali: quo (vt Euangelica testatur historia) ipse Petrus in propria persona, cui reuelatio facta est, respõdit, clauiúmque promissionẽ accepit. Ad clariorem tamen notitiam habendam verborum Augu. scito duplicem Euãgelij sensum: hoc est, literalem (quo verificatur, Tibi, id est Petro, dabo claues regni cælorum.) & mysticum quo verificatur tibi, id est Ecclesiæ significatæ per te dabo claues regni cælorũ esse ab August. comparatum non penes verũ vel falsum, sed penes clarum vel minus clarum. Ad sensum siquidem mysticum spectat, quòd Petrus gerat in figura personã Ecclesiæ: sicut ad sensum mysticum pertinet, quòd Iudas gerat personam inimicorum Christi: ad literam autem ipse Iudas erat Christi inimicus, & ipse Petrus est cui promissæ sunt claues. Vnde Augustin. quia sensus mysticus altior est, quàm sensus literalis, in proposito (vt testãtur tot quæstiones, quæ circa sensum literalem emergunt) & sensus mysticus est omnibus manifestus vt etiam vulgares sciant, claues esse Ecclesiæ, comparauit sensum literalem (iuxta quem claues promissæ sunt personæ Petri futuri pastoris totius Ecclesiæ) ad sensum mysticũ. iuxta quẽ claues promissæ sunt Petro in figura Ecclesiæ: & dixit, quod mysticus sensus est clarior: hoc enim sonãt illa verba: Non habent illustrẽ intellectum, nisi ad Ecclesiam referantur, cuius ille gessit in figura personam. Negauit siquidem illustrem, & non negauit verum intellectum nisi ad Ecclesiam referãtur: constat enim illustre ad claritatem pertinere. Et hoc intendere Augustinum patet ex contextu: volens enim exponere Psalmum illum, Deus laudem meã, partim de Iuda, partim de populo Iudæorum inimico Christi, præmittit, si autem de tali genere malorum, id est inimicorum Christi ingratorum Iudæorum, omnia mihi videtur posse clarius aperiri: & statim subdit verba allata, vbi clarè videre quilibet potest non derogari veritati sensus literalis (quo personæ Petri sunt claues promissæ) ex hoc quod sensus iste non est ita clarus sicut mysticus: neque enim solus est rex, iste talis, sed innumeros habet in sacra Scriptura consodales: quorum sensus illustris nõ nisi mysticus est. Allata quoque verba Augu. super Ioã. non negant Petro secundum propriam personam dictum esse, Tibi dabo claues: sed affirmant, Petro in persona Ecclesiæ figuratiuè dictum esse, Tibi dabo claues. Ex hac autem vera affirmatione non sequi negationem illius alterius veritatis satis patet. Ad vim autẽ, quæ fit in coniunctione aduersatiua, respõdetur q; coniunctio illa augmentatiua, est iuxta frequentatiuum loquendi vsum, quo dicimus aliquem virtute bonum virum, sed officio bonum ciuem: & similia. Tanquam enumeratis Augustin. quibusdam personalibus Petri conditionibus, auxerit cõditionem Petri, transeundo ad extensionem eius in vniuersam Ecclesiam significatiuè, cum qua significatiua conditione stat, quòd per proprietatem pastoralis officij idem Petrus ad vniuersam se extendat Ecclesiam: quamuis hoc non sit tibi ab Augustino explicatum, qui de Petro & Ioanne mystice tractabat, vtille actiuæ, iste contemplatiuæ vitæ personam gerebat. Vnde quum infertur, quòd non vnus, sed vnitas claues accepit, pro quãto affirmatur vnitatem claues accepisse, verum dicitur, sicut verum est Ecclesiam accepisse claues quatenus verò negatur vnum Petrum accepisse claues, aut falsum dicitur, aut pię exponendum est. Nam si ideo negatur vnus, vt negetur Petrus, falsum dicitur contra Euangelicam historiam: si autem ideo negatur vnus, vt negetur solitudo personalis, hoc est, vt Petrus nõ acceperit claues secum sepeliendas, sed vt in ipso Ecclesia vsque ad finem seculi duraturas claues acceperit, verum dicitur: sic enim non vnus, id est, pro se tantùm, sed vnitas Ecclesiæ in illo vno claues accepit. In nullo tamen citatorum locorum habetur negatiua ista. Non vnus claues accepit. Et ex iis quæ diximus, soluendas similes obiectiones relinquimus: vt nõ sit opus omnia, quæ obiici possunt, afferre. Reliqua ex Cypria. allata de paritate Apostolorum, inferius loco suo patebunt.

CAPVT IIII.

¶Verba Christi Tibi dabo claues, Petro non in persona omnium Apostolorum dicta esse.

EXCLVSIS prioribus erroribus, tractãda est eorum opinio, qui Petro intelligũt in persona omnium Apostolorum dictũ à Christo, Tibi dabo claues, &c. Asserunt autem ad hoc argumenta quatuor. Primum ex interrogatione Domini: nam non Petrum solum, sed communiter omnes interrogauit, Vos autem quem me esse dicitis?

¶Secundum ex persona Petri, quia Petrus primus omnium erat Apostolorum, & personam omnium induit, pro omnibus respondendo. Vnde Chrys. dicit omnibus discipulis interrogatis, Petrus tanquam os Apostolorum & caput pro omnibus respondet. Et cõfirmatur: quia nisi in persona omnium Petrus respondisset, fuisset expectanda aliorum responsio: aut rei fuissent alij Apostoli omissæ responsionis ad interrogationem Domini, Vos autem quem me esse dicitis.

¶Tertium ex fructu: quia claues regni cælorum datæ sunt omnibus Apostolis.

¶Quartum ex communibus, quia Christus dixit, Quod vni dico, omnibus dico.

¶ANTEQVAM autem ad hæc respõdeatur, ex plano sensu tex. Euang. monstrandum est directa esse hęc domini verba ad Petrum solum. Patet siquidem hoc primò ex principio sermonis Domini ad Petrum, quum dixit, Beatus es Simõ Bariona. hoc enim non potest referri verè ad omnes. Tũ quia exprimitur proprium nomẽ Simonis: & explicatur cuius sit secundũ carnẽ filius, dicendo, Bariona, id est filius Ionæ. Tũ quia falsum hoc fuisset de Iuda: quoniam non credidit in Christũ: vt testatur Io. 6. cap. refert Dominum dixisse. Sed sunt quidã ex vobis, qui non credũt: & statim subdit rationem dicti, Sciebat enim ab initio Iesus qui essent credentes, & quis traditurus esset eum. Et rursus in calce eiusdem cap. dicente Petro pro 12. Apostolis: Et nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei: respondit ei Iesu, Nónne ego vos 12. elegi, & ex vobis vnus diabol' est? nõ potest ergo verificari quod ad omnes Apostolos dictum sit, Beatus es: quum vnus eorum non crederet, & diabolus esset. Secundò ex subiuncta ratione: quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi sed pater meus qui est in cælis. Nam ex his Domini verbis constat, Petro reuelationem factam esse à cælesti patre, ita quòd hoc negare esset contrarium fidei: sed non propterea hinc cõstat aliis Apostolis huiusmodi reuelationem esse factam: scriptura enim hoc non tradit, & propterea eadem facilitate contemnitur, qua affirmatur. Cõstat igitur hinc quod ad Petrũ verba diriguntur, & non cõstat, quod ad alios extẽduntur. Tertiò, ex subiũcta affirmatione. Tu es Petrus monstrat enim & pronomẽ, tu, & nomẽ sibi prius impositũ à Christo Io. 1. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, quod ad solum Petrũ sermo dirigitur. nam si per pronomen demonstratiuum ad sensum, adiũctis & nomine proprio à natiuitate, scilicet Simon, & nomine patris carnalis, & nomine quo solus cognominatus est à Christo à principio discipulatus, scilicet Petrus & interiori dono reuelationis (quod non cõstat aliis fuisse cõcessum) nõ sufficienter signatũ est quod ad ipsum solùm est sermo: quibus quæso verbis describendũ fuit ab Euangelista, quòd ad solum Petrum erat sermo? Et cõfirmatur: quia codẽ pronomine demonstratiuo ad sensum vsus est Dominus subiungẽs, Et tibi dabo, &c. Et confirmatur ex eo, quòd nõ pluribus nec maioribus circũstantiis describũtur & nominantur à notariis personæ hæredes, aut legatarię, quàm persona Petri in hoc textu descripta ac nominata est: vt patet colligendo, Simonem filium Ionę Petrum ex interna reuelatione cõmendatum. Ex verbis igitur & ex sensu verborum claraluce patet, soli Petro dictum esse, Tibi dabo claues, &c.

¶AD PRIMAM autem obiectionem in oppositum dicitur, ex hoc quod Dominus interrogauit omnes, non cogi reliquũ sermonem dirigi ad omnes: frequẽter enim diuertitur sermo à pluribus ad vnum, aut econuerso. Mater siquidem filiorum Zebedæi petiit, vt sederent duo filij sui, vnus ad dexterã, & alter ad sinistrã: Dominus autẽ ad filios respondendo, sermonẽ dirigit, Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Et si diligẽter perspectus fuerit euãgelicus tex. ipsa cõuersio sermonis attestatur, quod non omnẽ sermonẽ ad omnes dirigebat: inquit enim Matthæus quod primò & secundò interrogauit discipulos cõmuniter, deinde ad Petrũ sermonẽ vertit: & rursus ad discipulos sermonẽ conuertit; nã subditur, Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerẽt quia ipse esset Iesus, &c. Si enim totus iste sermo ad omnes fuisset directus non narrasset Euãgelista huiusmodi variam conuersionẽ sermonis. Nec efficit, quod cõmunis Petro & aliis causa effecta Domini interrogatione sit, cum hac enim cõmunitate stat, q; appropriata sit Petro, nam in maiori causa, communis scilicet tentationis, solius Petri ratio habita est: vt ipse Domin' testatur Lucæ 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicens,Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum:ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Vbi patet omnes expetitos à Satana: & tamen Dominum pro solo Petro orasse.Oraui, inquit,pro te,non pro vobis:imò alios Petro commendauit.

¶Ad secundã obiectionem ex persona Petri dicitur, quòd gerere personam communem,seu respõdere pro omnibus Apostolis, potest intelligi tripliciter. Vel ex officio,puta quia habet curam eorum. Vel per viam commissionis, puta quia Apostoli commiserũt Petro vt in persona omnium pro omnibus responderet. Vel per viam ratificationis:vt quia responsio data à Petro,grata fuit communiter Apostolis, vtpotè congrua ac eximia. Et quidem quòd Petrus non gereret personam communem ex officio, ex eo patet quod nondum erat constitutus pastor eorum: neque proprie erat caput eorum,nisi sicut primus inter canonicos potest dici caput canonicorum.Similiter & non ex commissione Apostolorum responderet,non solùm ex eo patet & huiusmodi commissio voluntariè affirmaretur(quoniam ex Scriptura non habetur) sed ex eo conuincitur,quòd Dominus expressè testatur, Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus. Vbi excludit non solùm omne humanum consilium, sed etiam disciplinam, & ex sensibili auditu doctrinæ ipsius Christi, dũ interiori spirituali reuelationi Patris,qui in cælis est,Petri notitiam,qua Christũ Filium Dei viui confessus est,attribuit.Si enim ex consultatione cũ aliis Apostolis responsum dedisset,non sibi dictum fuisset, Quia caro & sanguis non reuelauit tibi: quum inter eos esset cõsanguinitas & carnalis propinquitas:& similiter non fuisset recursum ad actorem omnino spirituale & designatum tam à remotis, scilicet in cælis. Hæc enim omnia manifestè testantur Petri cõfessionem nõ ex Apostolorum commissione, sed ex interiori ipsi Petro facta reuelatione processisse.Et confirmatur hoc ex contextu Euangelij: nam præposita Domini interrogatione prima Discipulorum (quem dicũt homines esse filium hominis?)quia responsio fuit cõmunis,Euangelista dicit,at illi dixerunt: in secunda verò interrogatione eorũdem(Vos autem quem me esse dicitis?)quia respõsio propria fuit Petro.Euangelista dicit: Respondens Simon Petrus dixit.Et confirmatur rursus ex Ioan.6.cap.Vbi differẽtiam apertè notare possumus inter Petrum in persona omnium loquentẽ vel in persona propria:nam ibidem Ioquens Petrus in persona omnium Christo Domino dicenti,Nunquid & vos vultis abire? respondit ei Simon Petrus in persona omnium,Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus quia tu es Christus filius Dei.Et subdit Euãgelista,Respondit ei Iesus, Nõne ego vos duodecim elegi,& vnus ex vobis diabolus est?Vbi conferẽdo textũ Ioãnis textui Matthæi,apertè apparet, quũ tũc apud Ioãnẽ in persona omniũ Petrus respondit, loquutus est in numero plurali primę personę,dicẽs,ad quẽ ibimus?& nos credimus & cognouimus,& similiter Dominus respõdit non Petro: sed eis, hic verò apud Matth.omnia sunt in numero singulari cum pronominibus demonstratiuis solius Petri,tam in respõsione Petri, quã in repli- catione Domini,& promissionibus ac assertionibus,Tibi, inquit, dabo,nõ vobis: quodcunq; ligaueris non quodcũque ligaueritis: tu es Petrus,non vos estis Petrus, vt patet in litera.Huiusmodi enim differẽtia manifestat & Petrus ex propriis intuit' à cælesti Patre habitis solus respondet,solũq; à Christo monstratur. Nec putes propterea hanc eandẽ esse lectionẽ apud Matthæum & Ioannem:quoniam ista Matthæi fuit postea, quæ referuntur à Ioanne. Quod ex multis patet: illa enim Ioannis fuit post miraculum de quinque panibus,& in Capernaum:vt ibidem apparet: quod autem refert Mattheus,fuit non solùm post miraculum de quinque panibus, sed etiã post aliud miraculũ de septem panibus: vt patet Matt.16.& fuit in partibus Cæsareæ Philippi. Dicendum est ergo, quòd respõsio Petri tanquam grata & rata pro omnibus, dicitur fuisse in persona omniũ,sicut frequenter cõtingit, quod collegis pluribus interrogatis,primo bene respõdente,ab omnibus, vt rata habetur respõsio, & pro omnibus respondisse primũ frequentissimo vsu dicimus.Et sic intelligenda sunt verba Chry.& glo. interli.& quoruncung; aliorum dicentium, quod Petrus respondet pro omnibus: erat enim os omnium tanquã ratificatũ ab omnibus.Vnde Chry.Homel.55.super Matt.subdit:Solus Petrus respõdet:& cõfestim præsiliuit,ac præueniens ait, Tu es Christus, &c. Vbi vides non consilio aut commissione aliorum respondisse,sed præuenisse.& Aug.de verbis Apostoli sermone 31.ait, respõdit Petrus vnus pro omnibus,quia vnitas in omnibus.Vbi videre potes quare dicitur Petrum respõdisse pro omnibus,non ex commissione omnium,nõ ex officio,sed ex vnitate omnium:quia scilicet omnes erant fratres, & & primus eorum optimè respondit omnibus placere fecit.Sicut inter fratres vnitos, ac vnanimes quòd ab vno bene dicitur,ab omnibus ratũ habetur,& vt ab omnibus dictum sumitur.Et hinc patet respõsio ad confirmationem subiunctam,ex eo enim,quòd Christus Petri responsionẽ approbauit & commendauit,Petrũque beauit,ac illi tot promisit,vanum apparet expectationem ingerere, vt audiantur alij. quis enim aliud dicturus esset quam quod diuinitus reuelatum, & sic remuneratum videt.Vnde nec remanserunt non respondentes alij: quia gratam eis esse Petri responsionem suffecit. Insinuatur autem Petri responsionem aliis Apostolis gratam fuisse non solùm ex hoc, & est rationi consentaneum iuxta humanum morem:sed ex subiunctis statim Euangelistæ verbis, Tunc præcepit Discipulis suis, vt nemini dicerent,quia ipse esset Iesus.Hoc siquidem præcepto mõstratur Discipulos Petri confessionem tenuisse: ideo enim ne aliis dicant inhibentur.

¶Ad tertiam autem dicitur,quod si intendit argumentum promissas per verba hæc omnibus Apostolis claues, principium petit: hoc enim est quod probandum erat. Si verò intendit:quod per alia verba Dominus Apostolis aliis claues regni cælorum tradiderit ad sequens spectat capitulum, vbi hoc tractabitur.

¶Ad quartam obiectionẽ dicitur,quòd autoritatem illam, Quòd vni dico, nullibi inuenio in Euangelio. Veruntamen vbicunque inueniatur, dicitur quod ad literam intelligitur de dicere doctrinali:vt Marcus testatur in simili c.8.Quod vobis dico omnibus dico:vigilate:Potest nihilominus ad proteruos dici,quòd in hac autoritate non habetur,quod vni do omnibus do:aliud est enim dicere,& aliud dare:præsens autem sermo non de dicere,sed de dare est: inquit enim Dominus, Tibi dabo claues regni cælorum: & propterea autoritas non est ad propositum. Ex quibus omnibus patere potest, quod ex his Domini verbis Matth.18.solus Petrus promissionem accepit clauum regni cælorum.

CAP. V.

¶Apostolis aliis non esse alias collatum,quod Petro.

QVAMVIS fateãtur multi præmissum textum Euangelij ad solum Petrum pertinere,affirmãt tamẽ nonnulli totum hoc,quod Petro promissum est, datũ esse à Christo aliàs reliquis Apostolis, idque verum esse multis affirmant argumentis ex sacra Scriptura. Primò Matth.23.Apostolis communiter dicitur, Quæcunque ligaueritis super terram,erunt ligata & in cælo:& quæcunque solueritis super terram erunt soluta & in cælo. Vbique apparet potestatem prius Petro promissam,ad omnes extensam esse.

¶Secundò,Ioan.20. Apostolis communiter exhibẽtur claues Petro promissæ dicendo,Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,& quorum retinueritis,retenta sunt.

¶Tertiò,Ioan.quoque 20. Apostolis cõmuniter dicit Christus,Sicut misit me Pater,& ego mitto vos.Et similiter Mar. vlt. & Matt. vlt.omnes cõmuniter misit ad docendũ,prædicandũ, &c. Deinde manifestatur idem ex facto:nã Act.8. Petrus missus cum Ioanne legitur in Samariam ab Apostolis,qui erant Hierosolymis.Et Act. 15. in synodo de legalium obseruatione præsente Petro Iacobus dedit sententiam,dum dixit,Ego iudicio non inquietari eos, &c. ad Gal.quoque 2. Petrus & Iacobus & Ioannes qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt Paulo & Barnabæ societatis. Ex quibus gestis æqualitas cõprobatur Petri & aliorũ Apostolorum.

¶Afferuntur demum mille autoritates Sanctorũ sonantes æqualitatem Petri & aliorum Apostolorum, vt est illa Cypria. & habetur 24.q.1.loquitur Dominus,dicentis,quod parẽ potestatem omnibus Apostolis tribuit:& hoc vtique erãt cæteri Aposto. quod Petrus fuit,pari cõsortio pręditi & honoris & potestatis. Et illa Hieron.contra Iouin.lib.1.c.14.At si tu dicis,Super Petrum fundatur Ecclesia,licet idipsum in alio loco super omnes Apost. fiat, & claues regni cælorum cũcti accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur.Et quæcunque aliæ similes.

¶AD EVIDENTIAM Horum,scito ex Euãgelico textu duo inueniri singulariter promissa Petro,quibus Orig.addidit tertium.Primũ est,Super hãc petrã ædificabo Ecclesiã meam. hoc enim soli Petro promissũ legimus.Secũdum est,Tibi dabo claues regni cælorum,quod nulli alij inuenitur promissum. Tertium ab Orig.notandum est, quod Petro dicitur, Quodcunque ligaueris super terrã,erit & in cœlis,in numero plurali:& similiter. Quodcũ que solueritis super terram,&c.Apostolis autẽ cõmuniter dicitur, quòd erunt ligata,aut soluta in cælo, in numero singulari. Et rationem subdit:quia non sunt tantæ perfectionis,sicut Petrus.

¶Inter quatuor ergo promissiones Petro factas,primę ab aliis differẽtia clara est: nã cõstat aliud significari per fore Ecclesiæ fundamentũ(quod explicat, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã)& aliud per habiturum claues, & soluere & ligare. Sed differẽtia inter secundam(id est inter claues regni cælorum) & tertiam ac quartã(hoc est ligare & soluere) nõ est vsquequaque nota,apparet siquidẽ iuxta literæ superficiẽ per claues potestatem, per ligare autẽ & soluere explicatos esse actus potestatis,vt efficacia clauium declararetur,quo pacto scilicet ad cælorum regnum pertingerent. Huiusmodi enim efficacia manifestatur dicendo, Quodcunque solueris super terram,erit solutum & in cælis, & quia pluraliter cælorum regnum præmiserat,ideo pluraliter dixit in cælis,Et iuxta hunc sensum promissio clauium à promissione soluendi & ligandi differũt, sicut promissio potestatis à promissione actuũ illius explicatiua.Sed hæc verã quidem, sed non totam continent Euangelij sententiam. Quod vt plenius intelligas, scito duplicis generis inueniri actus clauium, quidam enim sunt actus adæquati ipsis clauibus:quidam verò minores ipsis.Illi sunt velut actus totales,isti actus partiales.Adæquati autem clauibus actus sunt,aperire,& claudere:partiales autem sunt,ligare, & soluere. Declaro singula.Quod aperire,& claudere sint actus adæquantes claues,& voces sonant,& officium clauium clarissimè testatur,claues enim solummodo ad aperiendum & claudendum sunt. Nec desunt Scripturarum testimoniatam ex veteri quàm ex nouo Testamẽto. Esa.enim 22. quũ dictũ esset: Et dabo clauẽ domus Dauid,subditur,Et aperiet,& claudet:& similiter Apoc.3.idem repetitur.Quod verò soluere & ligare sint actus clauium doctores omnes testantur.Quod autem sint actus partiales, & non adæquati clauibus,ex hoc patet,quod soluere & ligare se habent ad aperire & claudere,vt partes ad totum: omnis enim, qui soluit aliquem, aperit illi regnum cælorum: sed non omnis qui aperit alicui regnum cælorum,soluit illum: & similiter omnis qui ligat claudit, sed non omnis qui claudit,ligat.

¶Et ne per multa diutius vagemur,sed solida ratio simul cum veritate pateat,soluere & ligare actus sunt iudiciales,siue in sacramẽto pœnitẽtiæ,siue in foro ecclesiastico, aperire & claudere actus sunt superiores,comprehendentes sub se & actus iudiciales, & actus nõ iudiciales: vtrisque enim claudit & aperitur regnũ cælorum.Et quidẽ, quod cælorum regnum multi claudant aliis absque vinculo iudiciali,testatur Dominus Lucæ 11.dicens,Væ vobis legisperitis,qui tulistis clauẽ scientiæ, ipsi nõ introistis, & eos qui introibant prohibuistis. Quod verò regnũ cælorum aperiant absque actu iudicij,magistra rerum experientia monstrat:dum pastoris prouidẽtia,gubernatione,ordinatione,doctrina,dispẽsatione, commutatione,&c. cõtinuè aperitur Ecclesiæ regnum cælorum, Differt ergo promissio clauium(Tibi dabo claues regni cælorũ)à subiunctis duabus reliquis(Et quodcũque ligaueris,& quodcunque solueris)secũdum rẽ promissam, nõ solùm sicut potestas ab actibus,sed sicut potestas ab actibus inadæquatis, seu minoribus & partialibus: ita & quum promissæ sunt claues Petro, promissa est potestas aperiendi & claudendi regnum cælorũ: quum autem promissum est eidẽ,Et quodcunque ligaueris, Et quodcunque solueris explicata est clauiũ efficacia in actibus minoribus,vt perciperemus & si partialium actuum tanta est efficacia, multo magis adæquatorum actuum efficacia pertinget ad cælos.Quocirca promittendo claues, promittitur totum: promittendo autem actus soluendi & ligandi,non promittitur totum, sed promittitur actus partialis.Et propterea ex hoc, quòd soli Petro promissæ sunt claues regni cælorũ,fateri oportet soli Petro promissam esse potestatem aperiendi & claudendi regni cælorum: non & solus aperire & claudere possit cælorum regnum:nã vt prædictum est, quicunque soluit aliquem,aperit illi regnum,cælorum, sed quia solus potest quicquid pertinet ad aperiendum & claudendum regnum cælorum,nõ istis vel illis, sed Ecclesiæ ædificatæ super eum à Christo. Hunc sensum,hãcque differentiã ad literam verificari ex tribus vltra prædicta declaratur:primò ex interposita semper cõiunctione copulatiua in textu euangelico:ait enim, Tu es Petrus & super hãc petrã,& tibi dabo claues,& quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris:diuersitatẽ enim promissarum rerum cõiunctio copulatiua insinuat.Secũdò, quia Dominus nõ dixit,& cuicũque aperueris,& cuicũque clauseris,sed dixit,quodcũque solueris,& quodcũque ligaueris.Si enim claues exponere voluisset per adæquatos proculdubio actus(qui sunt aperire & claudere)exponendæ erant sed vbi ad ligandum & soluendum descendit, manifestauit se non exponere claues, sed ad minores actus clauiũ transire.Tertiò,ex eo quod nunquam Apostolis promisit,aut dedit claues regni cælorum,vel illarũ adæquatos actus, scilicet aperire & claudere regnum cælorum:sed de partialibus actibus clauium locutus legitur cum Apostolis:& dicendo, Quæcũque alligaueritis super terram,&c.dicendo, Quorum remiseritis peccata, &c. Et si institetur, quod nec etiam Petro Dominus actus adæquatos clauibus dedit,aut promisit:quia claues quidem illi promisit, sed nunquam promisit,& aperiret & clauderet. Absit à diuina sapientia,vt silentio inuoluerit actus adæquatos clauium: quum enim expiscauit cuius essent claues,vt aperiẽdi & claudẽdi, explanauit proculdubiò actus adæquatos clauium, qui sunt aperire & claudere. Constat autem ideo apposuisse, regni cælorum, vt exponeretur, & claues sunt regni cælorum, vt aperiendi & claudendi. Eo ipso igitur, & promisit soli Petro claues regni cælorum, promisit soli Petro adæquatos actus clauium:seu, quod idem est claues secundum actus adæquatos clauibus: & post hanc promissionẽ descendit ad actus iudiciarios, Et quodcũque ligaueris,Et quodcunque solueris:vt prædictũ est. Ex Euangelico igitur textu duę euidenter restant soli Petro promissiones: hoc est forte fundamentum Ecclesię, (super hanc petram ædificabo ecclesiam meam)& dandas ei claues regni cęlorum:Et tibi dabo claues regni cęlorum.

¶Nec carent hæc obiectionibus.Nam contra primam promissionem opponitur aut solùm Christum esse fundamentum Ecclesiæ (iuxta illud primæ ad Cor.3.Fundamentum aliud nemo potest ponere præter illud quod positum est,quod est Christus Iesus) aut si multiplex fundamentum admittitur, non solus Petrus est Ecclesiæ fundamentum,sed etiam alij Apostoli: iuxta illud ad Ephe.2. Superædificati super fundamentum Apostolorum: & Apoca. 21. Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum.

¶Contra secundũ verò opponitur primò, Si promissione clauium promittitur tota potestas,cur post totum promittuntur partes, Quodcunque ligaueris,&,Quodcũque solueris: fuisset enim hæc promissa in toto.Secundò,Si soluere & ligare sunt partiales actus clauium,cur theologi in 18.& 19.& dist.4.sen. de clauibus tractando,diffiniunt eas per actus iudiciales, qui sunt ligare & soluere? diffinitio enim per proprios & adæquatos actus daridebet.

¶Tertiò,Cur claues apostolicæ in ordinatione presbyterorũ dari affirmãtur,si illis non conferuntur nisi minores actus clauium?

¶Quartò,Cur claues dicũtur claues Ecclesiæ,& non dicuntur claues Petri,si soli Petro primò datæ sunt?

¶Non est autẽ difficile his satisfacere. Et obiectis quidem contra primam promissionẽ Petro factam vt foret fundamentum Ecclesiæ,respondetur,& esse Ecclesiæ fundamentum simpliciter, id est totaliter propriũ est Christo:esse autem fundamentũ Ecclesiæ secundum aliquod tempus, vel secundum aliquam rationem particularem, cõmunicatum est aliis.Et sanctis quidem quibus reuelata est doctrina fidei pro Ecclesia, cõmunicatum est esse fundamentum sub rationibus Apostolorum & Prophetarum, Petro autem vltra prędictam rationem promissum est fore fundamentum secundum rationem pastoris totius Ecclesiæ Christi: secundum quam rationem non conuenit aliis Apostolis esse fundamentum. Et propterea diuersimode dicitur fundamentum de hoc tripliciter modo,de Christo enim dicitur cum exclusione aliorum (Fundamẽtum aliud nemo potest ponere, &c.) de Apostolis verò & Prophetis dicitur cum additione fundamenti totalis,id est Christi:dũ & ad Ephes.2.adiungitur,ipso summo angulari lapide Christo Iesu.(vbi Aug.dicit,Ne Apostoli vel Prophetę,in quibus fundata est ciuitas,se tenerent in se,in Christo totum inniititur primo fundamento:quod fundamentum in summo est nõ imo, vt in corporali fabrica.) Et Apoc.21.subiungitur. Et agni id est Christi. De Petro verò adiungit ipse Christus, ædificabo Ecclesiam meam,vt ostendatur ex Christo principaliter pendere Ecclesiæ ædificium.

¶Ad quæsita verò circa promissas claues respondẽdo, dicitur ideo post promissum totum per claues, promissas quoque esse partes, per,Quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris,vt monstraretur diuersitas rerum promissarũ.(Si enim sub vnica promissione omnia comprehensa essent absque coniunctionibus copulatiuis,aut solæ claues promissæ fuissent, adæquatas putarises, & exhaustas claues per hæc duo, Quodcunque ligaueris,& quodcunque solueris. Nunc autem, quia tam aperte promissarum rerum diuersitas monstrata est, exprimendo singula cum coniunctionibus copulatiuis, clarè intelligimus non totum quod promissum est Petro, promitti aut exhiberi cuicunque alteri per hoc, quod promittitur aut datur, Quodcunque alligaueris, & quodcunque solueris,&c. sed per hoc promitti aut dari tantùm quod tertio & quarto loco promissum est & Petro.) Et inde videres manere primas promissiones apud Petrum solùm.

¶Ad secundum verò quæsitum respondetur, ideo claues à Theologis per actus iudicis diffinitas, quia de clauibus ordinis tractabant:vt patet in tex. Magistri sent. tam in principio di.18.(vbi affertur Amb. dicens, Ius enim hoc solis permissum est sacerdotibus)quàm in principio dist.19. vbi dicitur, Dantur hæ claues per ministerium Episcopi in promotione sacerdotij : quum enim sacerdotalem recipit ordinẽ simul & has claues recipit. Et per hoc soluitur tertium quæsitum.

¶Ad quartum,autem quod non de re,sed de nomine est,&propter ea extraneum quodammodo est,respondetur quòd claues dicuntur & Ecclesiæ & Petri:solus enim Petrus clauiger dicitur regni & Ecclesiæ,& Petri:quòd claues sunt vt capitis vtentis,vt per quem ad Ecclesiam deriuantur: ecclesiæ autem sunt & vt finis (quia propter Ecclesiam Petrus habet claues) & vt vtentis in suis episcopis & sacerdotibus: ita tamen quod secundum earum totalitatem,Ecclesia vtitur illis in suo capite, secundum autem partiales,vsus vtitur in Episcopis & aliis ministris.Remanet ergo solida sententia dicta.

¶AD PRIMVM autẽ argumentorum in principio allatorũ, dicitur Dominũ per illa verba, Quæcũque alligaueritis super terrã,&c.non adæquatse promissiones quatuor factas Petro,sed solas duas vltimas,vt litera ipsa testatur. Et propterea nõ dixit Dominus,Dabo vobis, aut Ecclesiæ claues regni cælorum: quum tamen dixisset Petro corã eisdem,Tibi dabo claues regni cęlorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnde ex hoc ipso, ꝙ aliis Apostolis Dominus dixit, Quæcunque alligaueritis, &c. non facta mentione de clauibus manifestè habetur quòd non totum quod promiserat Petro repetiit in potestate aliorum, tanquam Petro totum, aliis verò partes commissurus.

¶Ad secundum verò dicitur, ꝙ post resurrectionē dicendo, Quorum remiseritis peccata, &c. datæ sunt quidē Apostolis claues, sed non in sua totalitate: quoniā datæ sunt tantum claues ordinis, vt cōmuniter Doct. dicunt, & bene. Vnde ad literam quum dicitur, Quorum remiseritis: cōstituitur iudex ecclesiasticus in sacramēto pœnitentiæ, quantum est ex parte ordinis: quum verò Matt. 18. dictū fuit eisdē, Quæcūque alligaueritis super terrā, sermo erat de iudicio ecclesiastico in foro iudiciali. Vnde & cōmuniter dicitur & bene, ꝙ tunc sermo fuit de actibus clauium iurisdictionis: postea autē de actibus clauium ordinis. Et quoniā (vt declaratū est) neutrum iudicium etiam simul sumptum adæquat claues Petro promissas, sed soluere & ligare in vtroque foro partiales sunt actus clauium Petro promissarū: ideo per vtrāque potestatē simul nō adæquatur potestas Petro promissa. Vnde disputationibus vacantes, caueāt à sophistis, opponentibus claues ordinis & claues iurisdictionis adæquare claues Ecclesiæ. Venenum latet hīc: quoniam, propriè & formaliter loquendo, claues Petro promissæ superiores sunt & clauibus ordinis, & clauibus iurisdictionis, & propterea Dominus non per actus ordinis aut iurisdictionis eas exposuit, sed per regnū cælorū proculdubio aperiendum vel claudendū. Ita quod perspicacius intuendo (vt prædictum est) Domini verba, Tibi dabo claues regni cælorum: per illam particulam, regni cælorum, exposuit claues per actum adæquatū scilicet aperire vel claudere: regnum enim cælorum aperiēdum vel claudendum, actum aperiendi vel claudendi secum fert: constat autem, quod aperire & claudere regnum cælorum, actus sunt longē superiores omnibus actibus iudicialibus, tam clauium iurisdictionis, quàm clauiū ordinis. Importunè denique instantibus nouas nunc inferri Ecclesiæ claues: hactenus enim nō sunt auditæ nisi claues ordinis & claues iurisdictionis. Vnde nūc tertiæ claues in Christi Ecclesia: Respondetur, me non inuenisse, aut fingere nouas claues re, aut nomine: sed si æqua lance librare fas est, hæc cum obiectis, inueniētur obiicientes seipsos arguere. nam neque claues ordinis, neque claues iurisdictionis tradidit sacra Scriptura, sed doctores explicarunt: claues autem regni cælorum Christus Dominus ore proprio consecrauit. Ego de clauibus regni cælorum loquor non nouitates introduco: ex ipsis Domini verbis iuxta sensum literalē perspicacius intellectum manifesto quæ dico. Oportet autem arguentes considerare subtilius Doctorū sensum, & vel ex hoc ipso quod doctores distinguunt regni cælorum claues in claues ordinis & claues iurisdictionis, intelligere superiores esse claues regni cælorum vtrisque, & vtrasque significare partes clauiū regni cælorum, ac per hoc claues regni cælorum significare totum maius & superius suis partibus, quum simpliciter, & absolutè dicuntur, vt Petro promissæ sunt: quoniam verò ad partes applicantur significare tam claues ordinis, quàm claues iurisdictionis: vtræque enim claues regni cælorum appellantur. Vnde acuti lectoris officium erit discernere quādo doctores de clauibus regni cælorum absolutè, & quando de clauibus regni cælorum applicatis ad ordinem vel iurisdictionem loquuntur.

¶Ad tertium dicitur, quòd ipsa Domini verba testantur quod de apostolatus autoritate sermo est, quum dicitur sicut misit me Pater, & ego mitto vos: mittere enim & mitti ad apostolatū spectat: iuxta illud Ioannis 13. Non est seruus maior domino suo, neque Apostolus maior est eo, qui misit illum: & propterea hinc non habetur nisi paritas apostolatus. Et similiter per alios textus, quibus missi sunt pariter ad docendum & prædicendum, &c. non habetur nisi paritas quo ad huiusmodi commissiones: Petro autem supra hæc omnia promissum est, & quod foret Ecclesiæ fundamentum, & quod sibi darentur claues cælorum.

¶His autē quæ ex gestis Apostolorum abducuntur, facillimè satisfit. Docent siquidem concorditer Theologi in primo sententiarum non oportere missum minorem esse mittente, neque etiam esse ab illo: nam Filius missus est à Spiritu sancto, quo non est minor; & à quo non est. Ad literam tamen dicitur, quòd Petrus erat tantæ humilitatis, vt inter Apostolos se gereret, vt vnus ex illis: & non volebat vti potestate quam habebat: & propterea tanquam vnus ex Apostolis ab eisdem cum Ioanne missus est. Pater autem manifestè huiusmodi Petri humilitas Act. 11. quum aduersus illum disceptabant alij fideles ex circumcisione: quod & Gregorius, & habetur 2. quæst. 7. cap. Petrus. notauit dicens, Petrus potestatem regni acceperat & tamē idem Apostolorum primus quærimoniæ contra eum à fidelibus factæ, curad gentes intrasset, non ex potestate officij qua posset dicere, Oues pastorem suum non accusent, nec reprehendant, sed ex autoritate diuinæ virtutis, qua Gentiles acceperant Spiritum sanctum respondit.

¶Et per hæc posset similiter dici in synodo de obseruatione legalium, Petrum se habuisse vt vnum Apostolum. Veruntamen si res gesta rectè notetur, non fuit Petrus consultatus, nec soli Apostoli: sed Apostoli & presbyteri in Hierusalem, & propterea conclusio nec à Petro, nec à Iacobo facta est, sed ab Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia, scribentibus tamen nomine Apostolorum & seniorum. Vnde falsum est, quod Iacobus sententiam protulerit: quoniam sententia conclusio est quam constat ab omnibus factam: sed dum Iacobus dixit, Ego iudico, perinde est ac si dixisset. Hoc est iudicium meum. Vnde non introducitur Iacobus iudicans, sed respondens: sic enim legimus. Et postquam tacuerūt, respōdit Iacobus: imò Petrus pastoris personam in principio gessisse videtur, quoniam ipse primus surgens allegans diuinam gratiam reprehendit eos, qui libertatem à legalibus vertebant in dubium. Legimus enim sic, Quum autem conquisitio fieret, surgens Petrus dixit, &c. vbi mōstratur Petri autoritas. Quòd dexteras demum societatis Petrus cum aliis dederit: hoc fecit quod quotidie Pontifex facit, omnes Episcopos non solùm, vt socios, sed vt fratres habens.

¶Ad autoritates denique Doctorum sanctorū, sonantes æqualitatē Petri & aliorum Apostolorum, dicitur verificari de paritate eorum secundum apostolatū: fuerunt enim æquales omnes in autoritate apostolica. Et si instetur, sub potestate apostolica comprehendi posse omnia, quæ Petrus poterat: in promptu responsio est satisfactiua, quod dato quod vera esset huiusmodi comprehēsio, ex ea tamen non sequeretur omnimoda æqualitas ad Petrum: essent enim eorū potestates æquales quo ad res, quas facere possent: sed non essent æquales extensiuè, neque quo ad modum. Apostoli siquidem potestatem à Christo acceperūt, vt Apostoli, hoc est, vt legati: Petro autem, supra apostolatum promissa est (vt infrà manifestabitur) potestas vt ordinario pastori Ecclesiæ. Et hinc patet tam superior gradus atque vnitas potestatis Petri quàm maior extensio: quoniam extendebat se ad ipsos etiam Apostolos vtpote Christi oues. Nec paruifacias differentiam penes modū habendi: magni siquidē lapsus periculum est si confundantur. Aliud quippe est habere claues vt Apostolos, & aliud habere claues vt caput & pastorem etiam ipsorum Apostolorum: illud nō derogat Petri singulari excellentiæ: hoc autem ipsum Petrum super omnes statuit, omnibúsque præficit Apostolis ac toti Ecclesiæ. Ad horum differentiam modorum spectat, quòd Dominus soli Petro claues promittit, aliis autem non dat claues, sed ea quæ sunt clauium, legat aut tribuit: siue Matth. 18. siue Ioan. 20. siue Matth. & Mar. vltimo, siue Luc. 22. Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum. Et vt allatæ primum autoritates manifestentur, patet Cypria. ita pares fateri Apostolos, vt tamen super vnum Petrū ædificari dicat Ecclesiam (ex verbis Domini, Super hanc petram) & autoritate sua Dominum disposuisse dicat vnitatem ecclesiasticam ab vno Petro originem habere. Hieron. quoque verba Christi apud Matth. Tu es Petrus, &c. soli Petro relinquens, ad alium se transfert locū, vbi similia Apostolis data narrantur, tria numerans. Primò fundari Ecclesiam super Apostolos omnes: hoc enim fieri promulgatum est ad Ephes. 2. Superædificati super fundamentum Apostolorū: secundū verò quod scilicet cuncti Apostoli claues regni cælorum accipiant, Matth. 18. Quæcunque alligaueritis: & Io. 20. Quorum remiseritis habetur, tertium autem & ex quo super eos Ecclesię fortitudo solidetur, & ex relatis textibus: scilicet Matth. & Mar. vlt. & Luc. 22. Ioan. 20. aut etiam ex aliis similibus textibus sumptum est: vnde patet ex iam dictis æqualitatem Apostolorum quatenus Apostoli sunt, & in fundando Ecclesiā & in clauibus iurisdictionis & ordinis & in robore doctrinę, miraculorū & vitę, Ecclesię fortitudinem solidantiū (quam Hier. affirmat) nihil officere Petri singulari autoritati, qua solus cunctę præponitur Ecclesię. Vnde & Hier. ibi subiūgit statim, Propterea tamen vnus inter 12. eligitur, vt capite cōstituto schismatis tollatur occasio. Vbi manifestè vides ita ex æquo apostolatus pares diuisse Apostolos, vt tamen Petrus electus & cōstitutus à Christo sit caput omniū: hoc siquidē est quod tuemur. Hoc ad differentiam modi habēdi spectat, quoniā hinc habes omnes hęc habuisse vt Apostolos, præter hunc autem modum, Petrum singulariter habuisse vt caput omniū. Ex duabus autē his autoritatibus declaratis facilè esse putamus reliquas rectè interpretandas iuxta sensum prędictarū. Manifestatur autē hunc esse verum sensum doctrinę sanctorum tripliciter. Primò, ex eo quod pares dicūt Apostolos: non solū potestate, sed honore: quod nisi ad Apostolatū referatur, constat esse falsum: quū Petrus primatū honoris manifestè habuerit secundū omnes: Secūdò ex textibus euangelicis, quos Sancti afferūt ad probandā huiusmodi ęqualitatē: afferunt enim istos quos nunc discussimus: ex quibus cōstat non plus haberi, quam ęqualitatem secundum Apostolatū. Tertiò ex ratione, qua vruntur: quia scilicet Petrus in persona Ecclesię vnus accepit claues, &c. vt vnitas Ecclesię hinc probaretur. Vbi propter schismaticos siste pedē: & scito dupliciter posse intelligi vnitatem Ecclesię per Petri vnitatem commendatam, primò, vt significata sit Ecclesię vnitas in Christo capite vno, vnitatēque articulorum fidei, sacramētorum Ecclesiæ & spei ac charitatis. Secundò, vt significata sit Ecclesię vnitas simpliciter & absolutè vnitæ in capite vno Christi in terris vicario, Petro, scilicet. Primum sensum eligunt schismatici ex Sanctorum vera ac sancta doctrina, sæpe vnitatem Ecclesiæ per ea quæ in primo numerantur, sensu explicante: verè quidem, sed non totaliter, nisi sub vnitate capitis scilicet Christi intelligatur ipse Christus in se & in suo in terris vicario, ipse Christus vt caput: Petrus autem vt vicecaput. Quod propterea quandoque taceitum est: quia acceptato capite, intelligi consuetum est acceptari ipsum in se & in suo vicario, dum absens fuerit.

¶Secundus autem sensus, (in quo clauditur primus adiuncta vnitate capitis in terra) catholicis omnibus communis est, eomprobatúrque quadrupliciter. Primò: quia ad designandam vnitatem Ecclesiæ in suo capite cælesti, Iesu Christo, non congruit vnitas Petri, sed & sufficiebat & decentissimè congruebat vnitas ipsius Christi: quam Dominus hic non tacuit, sed expressit dicens, Ego dico tibi: & rursus: Aedificabo Ecclesiam: & iterum, Dabo claues. diuinam autem sapientiam, quæ est Christus, disponentem omnia suauiter, cōuenientissimè per vnitatem Petri, vnitatem Ecclesiæ in capite terrestri loco Christi significare nullam habet difficultatem. Secundò, ex eo quòd historiæ fides periclitaretur: nam quasi similis esset Petrus in his paruulo, quem Matth. 24. aduocās ad se Dominus statuit in medio discipulorum dicens, Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus, &c. sicut enim paruulus ille assumptus est ad exemplū seu similitudinem humilitatis, ita Petrus nominatus esset ad exemplum, seu similitudinem vnitatis: ac per hoc sicut ad fidem historiæ curæ non est, quis fuerit paruulus ille: ita nihil aut parum curandum Ecclesiæ esset, an fuerit Simon Petrus, cui dictum est, Tibi dabo claues regni cælorum, &c. quod tamen Doctorum omnium & totius Ecclesiæ aures offendit. Sanctorum propterea sensus est, quòd secundùm historiæ fidem res ita gesta est, quòd vni Simoni Petro claues sunt promissæ, vt res ré significaret, vt vnus Petrus primò acceperus claues vnitatem significaret Ecclesiæ. Tertiò, ex eo quòd oportet saluare nō solùm significationem sed etiam deriuationem: hoc est non solùm vt vnitas Ecclesiæ significetur per vnitatem Petri, sed etiam vt vnitas Ecclesiæ proficiscatur ab vnitate Petri: vt Cypria. in autoritate allata dicit, Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: super vnum ædificat Ecclesiam. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam paré potestatem tribuat: dicens, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum: tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem autoritate sua disposuit. Vbi manifestè vides ex hoc, quòd Dominus autoritate sua disposuit originem vnitatis Ecclesiæ ab vno incipientem: non solam significationem vnitatis ab vno, sed deriuationem vnitatis ab vno assertam. Nam ad significādam autoritatem non erat opus: sed ad hoc quod initiū habeat Ecclesiæ vnitas ab vno Petro, autoritate Christi opus fuit: poterat enim si voluisset instituere vnitatem Ecclesiæ à multitudine Apostolorum proficiscī. Quartò, quia vnitas Ecclesiæ catholicæ non solùm opponitur hæresi, sed schismati. Si verò vnitas Ecclesiæ attenderetur solùm penes vnitatem cælestis capitis, illiúsque sacramentorum, ac rei separatæ, creditæ & amatæ, vnitas Ecclesiæ non opponeretur schismati: nam cum huiusmodi vnitate stat schisma: vt patet ex eo, quòd schismatici habentur qui ab vnitate Apostolicæ sedis separati sunt. Ex hoc igitur, quòd vnitas Ecclesiæ per Petrum vnum significatur, non excluditur, imò magis ex modo quo per Petrū significatur, includitur, quòd Petrus vnus claues accepit, vt Ecclesiæ vnitatem non solùm significaret, sed etiam inchoaret ac conseruaret. Et si perspectū acutius fuerit hoc, quòd est Ecclesiæ vnitatem accipere claues, verius perfectiúsque & fit, & significatur accipiendo claues in suo vno capite Petro, quàm si non in Petro, sed absolutè Ecclesia illas acciperet: quoniam vnitas capitis claues accipiens, vnitatem Ecclesiæ non solùm significat, sed construit, sicut & conseruat: quibus omnibus careret Ecclesia, si de vno non fuisset illi capite prouisum à Christo Domino. Et hinc habes vnde innumeras Sanctorum autoritates rectè intelligere queas.

CAP. VI.

¶Solum Petrum accepisse claues, consonat ei, quod est Ecclesiam accepisse claues.

QVERITVR Post præmissa satisfaciendum his, qui quærunt quónam pacto stant hæc duo simul, Solus Petrus accepit claues, & Ecclesia accepit claues. Apparet enim, quòd si solus Petrus, ergo non Ecclesia: & si Ecclesia, ergo non solus Petrus. Augetúrque quæstio ex Augustini verbis super Ioā. recitatis 24. quæstione prima, quodcunque. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. si hoc Petro tantùm dictum est, non hoc facit Ecclesia: si autem & in Ecclesia fit, Petrus, quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit.

HVIC ENIM Quæstioni satisfieri, facilè potest ab exercitatis in sacris literis: ac scientibus has duas veritates sic connexas, quòd secunda non solùm consentit primæ, sed præsupponit & dependat à prima, secundùm Sanctorum doctrinam. Considerandum siquidem est ecclesiam catholicam dupliciter referri ad Petrum, scilicet vt significatā & vt inchoatam: Petrus enim & significauit Ecclesiam vniuersalem, & inchoauit eandem, quemadmodum caput principium est corporis. Inter has autem duas relationes duplex ad propositum est differentia. Prima est, quòd significatio pertinet ad sensum mysticum, quo Petrus significat Ecclesiam: inchoatio autem pertinet ad sensum literalem, quo institutus est Petrus pastor totius Ecclesiæ. Secunda est, quod penes significationem non attenditur dependentia rei à re, sed dependentia significationis à significante: penes inchoationem autem attenditur depēdentia rei à re, hoc est corporis à capite. Vnde Ecclesia dupliciter accepit claues in Petro: nam & accepit eas vt significata in Petro, & accepit eas, vt inchoata in Petro: & secundū vtrunque accipiendi modum oportet præsupponere hanc priorem veritatem ad literam, solus Petrus accepit claues. Ad significationem siquidem spectando, quum significatio ista non sit per modum parabolæ, sed per modum rei gestæ (quia non Petrus parabolicus, seu parabolicè accipiens claues: sed Petrus secundum rem gestam significat vniuersam Ecclesiam) oportet fateri vnum solum Petrum secundùm historiam accepisse claues: vt ex re gesta significetur vnam solam Ecclesiam catholicam habere claues: iuxta illud Ambrof. Certum est quòd Ecclesiæ vtrunque ius, scilicet soluendi & ligandi licet, hæresis vtrunque non habet. Si enim solus Petrus secundum historiam non accepisset claues: nequaquam per modum rei gestæ figurā gereret vnius ac solius ecclesiæ vniuersalis. Dependet ergo catholicæ ecclesiæ significatio figurata in Petro ex veritate rei gestæ, quòd solus Petrus acceperit claues: & non contrariatur illi. Si ad inchoationem quoque spectetur: nulla est opus declaratione, quoniam manifestum valde est corpus dependere à capite & quod conuenit capiti conuenire quoque corpori in suo capite: & ideo solum Petrum accepisse claues est solam ecclesiam, cuius Petrus est caput, accepisse claues in suo capite. Quocirca solùm Petrum accepisse claues, non excludit, sed infert vniuersalem ecclesiam illas accepisse, vt significatam & inchoatam in Petro. Esse autem hanc sanctorum doctrinam, perspicere potes ex Cypriani verbis in præcedenti capitulo declaratis, vbi vtrunque modum, scilicet significationis per modum rei gestæ, & originis ecclesiæ à Petro docuit: dum dixit, Super vnū ædificat ecclesiam, & subdit, Et vnitatis eiusdem originem ab vno incipientē autoritate sua disposuit. Et rursus ex or diū ab vnitate proficiscitur, vt ecclesia Christi vna monstretur: vt prædeclaratum est. Augustini autem verba inducta eundem confirmare sensum patet ex duobus. primò ex eo quòd aduerbio tantùm vtitur ad excludendam extensionem Petri ad ecclesiam: dixit enim, Si Petro tantùm, perinde ac si dixisset, Si Petro secundum seipsum tantùm: & non secundum quòd se extendit ad ecclesiam significandam vel figuratè vel connotatiuè, vt caput significat corpus, cuius est caput. Vnde non intulit August. ex secunda veritate, scilicet ecclesia habet claues, negationem primæ, scilicet solus Petrus accepit claues, sed expositionem ipsius, scilicet quòd Petrus accipiens claues significauit ecclesiam: perinde ac si dixisset, quòd non accepit secundum seipsum tantùm, sed vt extēditur ad ecclesiam vniuersam significando illam: hic enim planus est sensus verborum Augustini. Secundò, ex eo quod subiungit, Si ergo in persona Petri significati sunt in ecclesia boni, & in Iudæ persona significati sunt mali in ecclesia. Hinc enim patet, quòd do significatione per modum rei gestæ loquitur: nam Iudam inter Apostolos significare per modum rei gestæ malos in ecclesia, dubium non est.

¶Intendit ergo Augustinus Petrum secundum rem gestam accipientem claues, inferre ecclesiam quoque per ipsum significatam accipere claues. Modus autem quo ecclesia per Petrum vsque ad consummationem seculi accipit claues, est suauissimè dispositus à diuina sapientia: nam vniuersalis ecclesia sicut distribuitur in caput & membra, ita distribuitur in suaui acceptione clauium, vt in capite quidem accipiat per successionem, in membris autem per participationem. In capite nanque habet claues regni cælorum secūdum actus clauibus adæquatos: in membris autem hoc est partialibus ecclesiis, claues habet secundum actus ordinis, & partialis iurisdictionis.

¶VNDE PATET oppositum esse eius quod apparebat proponendo quæstionem: quum enim dicimus, Solus Petrus accepit claues regni cælorum, socij compares excluduntur: non illius corpus ecclesia, non illius successor excluditur: imò tam Ecclesia quam successor in solo Petro includitur: quia ex hoc quòd solus Petrus accepit claues regni cælorum, infertur eaſdem accepisse ecclesiam inchoatā, ac significatam in suo capite: ac propter eā eandem semper claues habere in capite quidem per successio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem, in membris autem per participationem: vt sic verè vnum sit corpus tota Ecclesia sub vno capite. Nec fallaris antiqua schismaticorum inuectione in catholicos, tanquã monstra fingẽtes, dum Ecclesiæ caput Petrum dicimus: quandoquidem Christus est caput corporis Ecclesiæ (vt dicitur ad Colos. 1.) & si Petrus quoque caput Ecclesiæ ponitur, duo capita vni corpori non sine monstro iunguntur. Frigida sunt hæc: quoniam Petrus alia ratione caput Ecclesiæ dicitur, ab ea ratione, qua Christus est caput Ecclesiæ. Christus enim est caput ratione suiipsius, Petrus autem ratione Christi. Vnde Christus est simpliciter & absolutè caput: Petrus autem ideo caput, quia est vicecaput: est enim loco Christi in cælis residentis, caput in terris. Vnde totius ecclesiastici corporis vnum tantum ponitur caput simpliciter & absolutè, id est Christus, loco cuius in terris Petrus non aliud caput, sed vicecaput constitutus est. Vnde nulla interuenit monstruositas in ecclesiastico corpore, nisi apud nolentes intelligere ecclesiastica nomina in sensu, in quo dicũtur omnibus ferè manifesto. Libet autem intueri hoc inloco omnibus huiusmodi obuiationibus commune esse vnum errandi iter: inter omnes siquidem discussas positiones prima ex affirmata iustitiæ qualitate, negauit substantię personam: secunda ex affirmata Ecclesia significata, negauit personam Petri significantem: tertia ex affirmata Petri principalitate negauit eius singularitatem: quarta ex affirmato communi pariq; Apostolatu negauit vnitatem pastoralis officij in Petro. quinta ex affirmatis Ecclesiæ clauibus, negauit solum Petrum accepisse claues. sexta ex affirmato vnico Ecclesiæ capite Christo, negauit Petrum esse caput loco Christi, Et simile inuenies inferius, quum ex affirmata charitate Petri Pastoris, negabitur persona Pastoris sine charitate, & ex affirmato pascendi opere, negabitur Pastoris autoritas. Aperiantur itaque lectorum oculi, & laqueos deprehendant.

CAPVT VII.

¶ Promissum esse Petro totius Ecclesiæ Pontificatum in antedictis promissionibus.

QVATVOR Promissa esse Petro à Domino Matthæus euangelista in suprà allatis refert verbis: quorum duo vltima, Quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris, communicata quoque à Domino aliis Apostolis idem testatur: prima verò duo, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum, propria Petro perseuerauerunt. In quibus promitti Petro totius Ecclesiæ Pontificatum, declarandum est, postquàm ambæ promissiones amplius dilucidatæ fuerint.

¶QVOCIRCA In prima promissione notanda sunt sex significantius enim vide primò, Ecclesiam meam, non, Ecclesias meas: secundò, Ecclesiam meam, non aliquam Ecclesiam meam: tertiò, Ecclesiam meam, non omnem Ecclesiã meam: quartò, Ecclesiam meam, non indefinitè: quintò, Ecclesiam meã, singulariter seu vnicam: sextò, Ecclesiã meam, sine additione aliqua. Attende figillatim, nõ dixit Ecclesias meas, sed Ecclesiam meam, vt vna ecclesia significaretur: quæ quãuis multas comprehendat partiales ecclesias non propterea scinditur, diuiditur aut multiplicatur ecclesia: sed vnitate numerali retenta multas habet partes, sicut vnũ corpus multa habet membra: iuxta verbum Apostoli ad Col. ipse est caput corporis Ecclesiæ. & Gant. 6. Vna est colũba mea. Dixit non aliquam Ecclesiam meam, sed Ecclesiam meam: vt non de parte Ecclesiæ, non de particulari aliqua Ecclesia, sed de integra seu tota Ecclesia intelligeres, neque enim decebat diuinã sapientiã aliquam Ecclesiam ædificare super vnum Petrum & aliquã non: Dei siquidem perfecta sunt opera. Nõ dixit, omnem Ecclesiam meam: tum quia multitudinem Ecclesiarum supponeret distributiuum signũ, contra Domini sententiã Ioan. 10. Alias oues habeo, quæ nõ sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Tũ quia singulare distribui vniuersaliter, implicat contradictoria, nisi vniuersalitas referatur ad partes integrantes ipsum, quod est extra propositum. & inferius nihilominus declarabitur, quomodo partes Ecclesiæ ædificatæ sunt super hanc Petram. Dixit, Ecclesiam meã: non indefinite, vagũ relinquendo intellectum ad quærendum quæ esset Ecclesia Christi ædificãda super hanc Petram: sicut dubium reliquit intellectum, quũ in cœna dixit, Vnus vestrum me traditurus est: certificati enim sumus per hæc verba, q̃ vnica tota Christi Ecclesia ædificata est super hãc petram, & nõ sumus suspensi relicti, Dixit ergo, Ecclesiam meam: vt singularem vnicam q̃ solamque suam Ecclesiam integrã (de qua in symbolo dicitur, q̃ est vna Ecclesia catholica) intelligeres. Vnde per solum pronomẽ, meam, determinauit illam: vt perciperemus, quod de illa vna Ecclesia loquitur, quæ est Christi Ecclesia sine additione aliqua (quælibet namque partialis Ecclesiæ vocatur Christi Ecclesia cum aliqua additione) puta Romana, Antiochena, Constantinopolitana, &c. Et hoc nõ solùm secũdum modernũ vsum, sed secundum sacras Scripturas: vt patet in principio vtriusque Epistolæ ad Corint. vbi dicitur Ecclesiæ quæ est Corin. & in principio ad Gala. Ecclesiis Galatiæ: & ad Thessal. Ecclesiæ Thessal. &c. Habes igitur quid intelligere debeas per Ecclesiã meã: idem scilicet quod intelligis per vnam Ecclesiam catholicam. Non desunt tamen sophisticæ importunitates ex eo q̃ quælibet particularis Ecclesia verè est Christi Ecclesia arguentes. De illa Ecclesia Christus loquitur, de qua verificatur quòd est Ecclesia mea, id est Christi: sed de qualibet particulari Ecclesia verificatur, q̃ est Ecclesia mea: ergo de qualibet particulari Ecclesia Christus loquitur, quum dixit, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiã meam. Potest siquidem facilè detegi fallacia argumenti, ad rem spectando, & dicendo, quòd quælibet particularis Ecclesia est quidẽ Ecclesia Christi, sed non tota, nec sine additione aliqua, sed talis, puta Mediolanen. nec ita est Ecclesia quin sit pars Ecclesiæ: Christus autẽ loquitur de Ecclesia integra, quæ non est Ecclesia talis, nec Ecclesia aliqua sed est absolutè ipsius Ecclesia. Nihilominus dicendum est, q̃ eo modo quo quælibet Ecclesia est Ecclesia mea, i. Christi, illo eodẽ modo verificatur de ea q̃ est ædificata super hãc petram.

¶Quòd vt plenius intelligas, perspice differentiam in modo, quo Ecclesia catholica est Christi, & quo quælibet particularis Ecclesia est Christi: cõueniunt siquidẽ omnes partiales Ecclesiæ cũ Ecclesia catholica in hoc, q̃ sunt Christi (nam quælibet partialis est Christi Ecclesia & Ecclesia catholica est Christi Ecclesia) sed differunt in modo: quia Ecclesia catholica est Christi vt totum, quælibet autẽ Ecclesia est Christi vt pars. & propterea ecclesia catholica est ædificata vt totum super hanc petrã: quælibet autẽ Ecclesia particularis est ædificata super hanc Petram vt pars. Illo igitur modo, quo verificatur de Ecclesia particulari, quod est Ecclesia mea, eodem met modo verificatur de illa, quòd est ædificata super hanc petrã, & propterea quia est Ecclesia mea vt pars, est quoque ædificata, vt pars super hãc petrã. Ecclesia verò catholica, quia est Ecclesia mea vt tota, est quoque ædificata vt tota super hanc petram. Et quia totum comprehendit quamlibet partem, & ad partes se habet vt perfectũ ad imperfecta & vnitas & integritas ecclesiæ pari passu currunt: ideo verbum Christi ad literam intelligitur de ecclesia vna catholica, ratione cuius intelligitur quælibet particularis Ecclesia, vt pars vnius Ecclesiæ catholicæ ædificata super Petrum, sicut ratione vnius Ecclesiæ catholicæ quælibet partialis ecclesia vocari potest à Christo Ecclesia mea, tanquã pars ecclesiæ catholicæ, nec aliter verificaretur: quoniam si ab vnitate Ecclesiæ diuisa esset, non esset ecclesia Christi. Nec pures aduersari hæc sacris canonibus, aut Sanctorum dictis: quæ sonare videntur Ecclesiam Rom. ædificatã esse à Christo super hanc petram. Appellatione siquidem Rom. Ecclesiæ, (vt multi putant) ex verbis Concilij Constantien. in condemnatione articulorũ Ioannis Vvielef, intelligitur quandoque Ecclesia catholica: & secundum hũc sensum nulla esset in proposito quæstio nisi de nomine. Sed quoniam sensus hic non consonat intentioni scribentium de Rom. Ecclesia, intelligentium ipsius nomine quandam particularem Ecclesiam, distinctam cõtra alias particulares Ecclesias: ideo aliter dicendum est Rom. Ecclesiam ædificatam esse à Christo super hanc Petram verificari, non per proprietatem, sed per appropriationem. Quod ex conuenientia & differentia inter ecclesiam Rom. & alias manifestatur: commune siquidem est cuilibet particulari Ecclesiæ esse partem. Et hinc sit quòd nõ per proprietatem verificatur de quacunque particulari Ecclesia, sed tantummodo de Ecclesia catholica, quòd est ædificata super hãc petram: de ipsa enim sola ad literam loquitur Christus, dicens, Super hãc petram ædificabo Ecclesiam meam: in qua tamẽ omnes partiales Christi Ecclesiæ clauduntur, vt partes in toto. Differt autem Rom. ecclesia ab aliis partialibus Ecclesiis propinquitate ad caput Ecclesiæ catholicæ: nam Ecclesia Ro. in suo proprio capite non solùm proxima, sed eadem facta est cum capite Ecclesiæ catholicæ: ex facto enim Petri vnus atque idem factus est Pontifex Rom. & Pontifex Ecclesiæ catholicæ: secundũ seipsam verò immediatè hæret Pontifici Ecclesiæ catholicæ. Alia autem quæcunque partialis ecclesia nec secundum seipsam immediatè iungitur pastori Ecclesiæ catholicæ, nec secundũ suum caput coincidit cũ capite ecclesiæ catholicæ. Ob hanc igitur proximitatẽ & coniunctionem Ecclesiæ Rom. ad pastorem Ecclesiæ catholicæ, appropriantur verba Christi ad Rom. Ecclesiã potius, quàm ad alias: non quòd illi sint propria, sed ecclesiæ catholicæ: vt dictum est. Promisit igitur Dominus Petro prima promissione super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, futurum ipsum fundamentum Ecclesiæ catholicæ.

¶PER SECVNDAM Autem promissionem, (Tibi dabo claues regni cælorum,) plenitudinẽ potestatis ecclesiasticę eidem promisit: quòd tripliciter manifestatur. Primò, ex ipsa re significata per claues regni cælorũ: potestate scilicet aperiẽdi & claudẽdi cælorum regnũ, non his vel illis, sed absolutè: vt comprehendantur omnes viatores, quibus claudi vel aperiri regnum cælorũ potest. Huiusmodi siquidem potestas quadruplex potestatis genus sub se cõprehendit: hoc est iudiciariã tam in foro pœnitentię, quã in foro Ecclesiæ: quoniã omnis ecclesiasticus iudex vtriusq; fori, soluendo, vel ligando aperit, vel claudit regnum cælorum illi, qui soluitur vel ligatur. Potestatem quoque gubernatiuam Ecclesiæ catholicæ, nam prouidendo, gubernando, instituendo, disponendo, &c. eiusmodi faciendo, nihil aliud sit quàm aperitur vel claudirur regnum cælorum. Potestatem etiam ad purgatorium extensam comprehendit: vbi nota quod licet Christus non dederit Petro iudiciariam potestatem super purgatorium: dedit tamẽ illi claues regni cælorum, aperiendi etiam vel claudendi his, qui sunt in purgatorio. Et propterea de potestate iudiciaria loquens apposuit locum: scilicet super terram dicens, Quodcunque solueris super terram, & quodcunque ligaueris super terram: eximens per hoc eos, qui super terram amplius non sunt, à iudiciali potestate Petri. Loquens autem de clauibus regni cælorum: nullum exemit viatorem, cui per Ecclesiam potest aperiri vel claudi regnum cælorum: sed absolutè & illimitatè dixit, Tibi dabo claues regni cælorum: vt posset Petrus cuicunque viatori regnum cælorum aperire positiuè, claudere verò saltem negatiuè. Hæc autem dicẽtes, nequaquam Augustinum, sacrósque canones potestatem Petri ad excommunicandum etiam defunctos, tuentes oppugnamus: imò hinc quod dicimus, confirmamus, nam Ecclesiastica cẽsura in defunctos quatenus soluit aut ligat, ad id respicit, quod super terram est, hoc est viuos, qui ligantur ne communicent, aut soluuntur vt communicent defuncto: quatenus verò aperit aut claudit regnum cælorum, ad defunctorum animas respicit, quibus verè hinc aperitur, aut clauditur regnum cælorum. Terminatur ergo iudiciaria potestas super terram, claues autem regni cælorum ad omnes viatores se extendunt. Potestatem demum imperatiuam vniuersis ad Ecclesiam quomodolibet spectantibus in ordine tamen ad regnum cælorum: exigit siquidem recta ratio, vt potestas, quæ supremum fortita est finẽ, reliquis omnibus impetret in ordine ad supremum finem: vt facilè manifestatur inducẽdo tam in artibus, quàm in rectoribus, ducibus & principibus. Quilibet nempe artifex, rector, dux, princeps, superiorẽ fortitus finem, ordinat alios artifices rectores, duces, principes ad suum finem, ac per hoc illis quatenus ad suum diriguntur finem, præcipit. Constat autem regnum cælorum supremum esse finem, potestatíque clauium Petro promissarum respondere: reliqua verò omnia temporalia ad hunc finem quãdoque oportere disponi. Sub hac igitur Petri potestate comprehenditur posse imperare regnis & principibus omnibus in ordine ad regnum cælorum: nec enim huiusmodi imperium aliud est quàm aperire & claudere regnum cælorum, vt de se patet. Ex reigitur promissa per claues regni cælorum, patet primò, quòd plenitudo potestatis Ecclesiasticæ Petro promissa est à Christo dicente, Tibi dabo claues regni cælorum. Declaratur deinde idem ex modo loquendi sacræ Scripturæ. Isa. quidem 22. de Eliachim summi Sacerdotis plena potestate dicitur, Et dabo clauem domus Dauid super humerũ eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat. In nouo quoque Testamento Apoc. 3. de Christi potestate dicitur, Qui habet clauem Dauid, aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Nec obstat si obiiciatur, in textu Euangelij non haberi, quòd si Petrus aperiat, nemo claudit, & si claudat, nemo aperit: quia etsi non habentur hæc verba, habeturtamen idem sensus. Ex eo siquidem quòd de minoribus actibus clauium in Euangelio habetur: Quodcunque ligaueris super terrã, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis: manifestè habetur, quòd ita Petrus ligat, quòd nemo soluit, & ita soluit, quòd nemo ligat: quod enim in terra ligatum, in cælo quoque ligatum est, constat ita esse ligatũ quòd nemo soluit: & similiter quod in terra solutum: in cælis quoque solutum est, cõstat ita esse solutum, quòd nemo ligat. ex hoc autem sufficienter habetur, quòd ita Petrus aperit regnum cælorum, quòd nemo claudit, & ita claudit, quòd nemo aperit: æquum est enim, vt non minus, sed potiori modo possint claues Petri adæquatos sibi actus, quàm actus minores exercere. Et aduerte, quòd verba illa Isa. 22. dicta sunt de Eliachim in persona Christi: vt glo. ibi dicit. In cuius signum Ioannes Euangelista eadem repetit de Christo, tanquam monstrans illum esse in Eliachim significatum: & ipsemet Isaiæ 10. cap. de Christo scripserat, & factus est principatus super humerum eius: vt ostendatur clauis super humerum eius principatus super humerum eius: ac per hoc vndique perciptamus per claues regni cælorum plenitudinem potestatis significatam. Accedit autem ad hoc testimonium à consuetudine: an signum enim summæ potestatis claues regni regi offeruntur. Quocirca iungendo ambas promissiones, quum ex prima Petrus futurus sit fundamentum Ecclesiæ catholicæ (vbi in Petro officium sustinendi Ecclesiam catholicam in fidei soliditate statuitur, & pariter Ecclesiæ catholicæ autoritas inhærendi Petro vt fundamento imponitur: ædificationis enim ratio expoſcit, vt ædificium necessitatem habeat inhærendi petræ, super quam fundatum est) ex altera verò Petro Ecclesiæ potestatis plenitudo pollicita sit, manifestè liquet promissum huiusmodi verbis Petro Ecclesiæ catholicæ pontificatum esse: hæc enim duo præcipua esse in totius

Christianæ Ecclesiæ Pontifice constat. Ex Matthæi Euangelistæ igitur verbis, Tu es Petrus, &c. collatis cum aliis Euangeliis, ac discussis, manifestatum credimus soli Petro Pontificatum Ecclesiæ catholicæ esse promissum à Christo.

CAP. VIII.

¶ Persona Petri, quamuis charitate qualificatæ, dictum esse Pasce oues meas.

EXPEDITO Tractatu de promissionibus soli Petro factis à Domino apud Matt. tractanda occurrit commissio quam Saluator Petro fecit apud Ioannem, quum tories ei dixit, Pasce oues meas. Vbi sicut in antedictis, quatuor dilucidanda occurrunt. hoc est, quòd personæ Petri, quòd soli dicta hæc intelliguntur: ità quòd nusquam alias cæteris similia dicta sunt, quòd tota Ecclesia pascenda commissa est Petro, & quòd per hæc pontificatus Ecclesiæ catholicæ datus est Petro.

¶Quoniam autẽ soluere nescit, qui nodum ignorat, quæ rem dubiam reddere possunt, in horum singulis afferenda sunt. Ex duobus in primis apparet, quòd nõ personæ, sed qualificatæ personæ dictũ est, Pasce oues meas. Primò ex cognominatione Petri: dum appellatus est Simon Ioannis, hoc est obediẽs gratiæ: neque enim frustra (vt Beda hic dicit) sic eum Dominus appellauit: sed ad hoc mysterium insinuandum. Deinde ex trina interrogatione, Diligis me? vbi manifestè amanti dixit, Pasce oues meas. Ex his enim apparet, quòd non personæ, sed personæ qualificatæ obedientia diuinæ gratiæ & amore ipsius Christi dictum est, Pasce oues meas.

¶HOC In loco obseruandum est ne in extremos declinemus errores, sed media incedamus via: quum enim de qualificatæ personæ officio agitur, quatuor occurrunt, scilicet persona, qualitas eius, vsus officij, & rectitudo eius. Quæ omnia licet diuersa sunt, hæretici tamen nolentes discernere inter potestatis vsum & rectitudinem vsus totum qualitati tribuunt: malos Christi ministros cognoscere recusantes: quia qualificati Christi charitate nõ sunt: tanquam potestas & rectus potestatis vsus idem sint, vel saltem vtrunque qualitati, hoc est charitati cõmissum sit: vnde latius aberrantes, cuilibet iusto ecclesiasticã arrogant potestatem. Stulti autem (quorum infinitus est numerus) rectitudinem vsus partipendentes, si personæ ecclesiasticam tribuunt potestatem, quicquid sit de charitatis qualitate, fecisse putant satis. Recta verò ac catholica ratio mediam amplectitur viã, personæ qualificatæ datam & dari debere ecclesiasticam potestatem censens: ea tamen ratione, vt personæ potestas seu potestatis vsus, qualitati verò rectitudo vsus respondeat. Sic enim vterque vitatur error, dum sapienter qualificatæ personæ committitur, vt rectè vtatur ecclesiastico ministerio: & si contingit malos esse ministros, Ecclesia ambiguitati aut fallaciæ periculo nõ subsit, sed per malos etiam bona suscipiat. Et si sapiens quicunque qualificatæ debet personæ committere rectum vsum officij, hoc maximè decuit Sapientiam incarnatam. & propterea tertiò à Petro exigit qualitatem charitatis, committendo ei actum optimum, ita q̃ exacta charitas bonitatem actus respicit & ipsa rectitudo seu bonitas actus charitati tribuitur: vt omnes communiter Docto. sonant. Patet autem actum optimum à Saluatore Petro committi dicendo, Pasce oues meas, ex singulis trium dictionum: pascere enim est conferre nutrimentũ, quo oues nutriuntur, augentur, multiplicãtur, & viuũt. Oues dixit, nõ hœdos, non boues, non lupos, & id generis homines, luxuriosos, superbos, rapaces, inuidos, maledicos, &c. Meas addidit, vt proprio amore subtracto, amor Christi ratio pascendi oues significata explicetur. Ex quibus tribus simul iunctis perspicuum fit, q̃ actum optimum cõmittebat Petro dicens, Pasce oues meas: & quia (vt dictũ est) actus optimus nõ potest nisi à charitate Christi prodire, ideo personæ qualificatæ charitate à Domino cõmissus est. Ex hoc autẽ non sequitur (vt hæretici fingunt) q̃ qualitati commissum est pastorale officiũ: sed charitati quidem comissa intelligitur bonitas, seu rectitudo vsus officij pastoralis: ipse ausa intelligitur bonitas, seu rectitudo vsus officij pastoralis: ipse autem vsus personæ commissus intelligitur. Vnde & Dominus hoc idem vsus personæ commissus intelligitur. Vnde & Dominus hoc in loco ter exacta charitate non dixit, Charitas tua pascat oues meas: sed personam ter alloquitur dicẽs, Pasce tu agnos, seu oues meas. Et sicut apud Matthæum persona Petri descripta est nomine proprio, & nomine proprio patris carnalis quo ad corpus, & internæ reuelationis gratia quo ad animam, vt ex his singulariter Petro conuenientibus personam eius intelligeremus: ita quoque hoc in loco non semel, sed ter eodem nomine proprio & patris carnalis persona Petri secũdum earnem describitur, Simon Ioannis, seu Ionæ (vt correctiores codices habent) & secundum animam ex propria humiliatione, qua cor Christi scientiæ submittit, ter repetens, Domine scis, quia amo te: & ex propria contristatione, contristatus est Petrus, &c. vt ex his sibi propriis, Petri personam aperte intelligeremus esse illam, cui Christus dixit, Pasce oues meas: ac proinde non dono charitatis, sed personæ commissum officium pastorale perciperemus: exacta autem charitate intelligeremus charitati committi rectitudinem vsus officij pastora-

Universidad de Deusto
Biblioteca

storalis: nemo enim sine charitate potest officio pastorali rectè vti. Et hæc secundum literalem Euangelij sensum sunt: ad mysticum verò sensum (vnde efficax non potest argumentum trahi) spectat quòd Simon Ioannis interpretatur, Obediens gratiæ. Vnde pater, quod Christus non qualitati, sed personæ Petri qualificatæ charitate dixit, Pasce oues meas: ac proinde si decidisset Petrus à charitate, non amisisset pastorale officium, sed rectum vsum illius: quoniam à charitate pendet non officium, sed rectitudo vsus: vt planum est apud quemlibet catholicum Doctorem, & solos habet hæreticos contradictores.

CAPVT IX.

¶ Soli Petro ita, quod non alijs Apostolis, dictum esse, Pasce oues meas.

QVOD Autem soli Petro dictum sit à Christo, Pasce oues meas, textus ipse clare manifestat, tum ex nomine proprio suo & patris carnalis tertio repetito, tum ex comparatione apposita ad alios, Diligis me plus his? comparatiuum enim diuersitatem monstrat ipsius ad alios Apostolos præsentes, quibus comparatur. tum ex propria Petri passione, qua contristatus describitur ex tertia interrogatione memor negationis Christi prædictæ sibi olim ipso parato mori: ita vt locus dubitationi non relinquatur. Et quoniam hæc fuerunt Petro data post resurrectionem Domini, & aliis Apostolis, nec anteà nec posteà inuenitur simile quid dictum, restat vt omnino soli Petro dictum sit, Pasce oues meas. Nec obstat, quòd Ecclesia Apostolos omnes vocat pastores dominici gregis in præfatione (quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores) quando hoc ad Apostolatum manifestè refertur: & propterea eo modo dicuntur pastores Dominici gregis, quo ad Apostolatum spectat pastoralis cura: vt autem Apostoli nomen testatur, pastorale exercitium ad Apostolos spectat, vt ad legatos Christi: & sic hoc est, vt legati Christi dicuntur pastores dominici gregis. Petrus autem (vt ex supradictis & dicendis patebit) constitutus est, vt ordinarius pastor etiam ipsorum Apostolorum: & hoc significant Christi verba, Pasce oues meas.

CAPVT X.

¶ Petro soli vniuersam committi Ecclesiam, perhæc verba Christi, Pasce oues meas.

VNIVERSAM autem committi Ecclesiam Petro per hæc verba, Pasce oues meas, sophisticè in dubium vertitur ex sex.

¶Primò, Quia non dicitur, Pasce oues meas omnes: si enim tota Ecclesia comprehensa esset, dici debuisset, omnes oues meas: sicut dictum est: Docete omnes gẽtes, Mat. vlti.

¶Secundò, Quia nihil impossibile commissum est à Christo, vniuersam autem per orbem Ecclesiam pasci ab vno est impossibile. Et si dicatur, quòd vnus per alios posset pascere totum orbem: contra, quia Dominus dixit, Pasce, & non dicit fac pascere oues meas: hoc enim etiam ethnicus posset facere, committere, scilicet aliis, vt pascerent oues Christi.

¶Tertiò, Quia peccasset Petrus si non omnes solus pauisset, si omnes soli commissæ sunt.

¶Quartò, Quia Petrus, nullum Apostolum misit: & quilibet Apostolus ordinauit Episcopos absque Petri autoritate.

¶Quintò, Quia confitemur Apostolos in diuersas mundi partes tanquam suas portiones distributos.

¶Sextò, Quia Petrus circumcisionis tantum oues sortitus est: vt patet ad Gal. 2. vbi dicit Paulus, Quum vidissent, quòd creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circumcisionis: qui enim operatus est Petro in apostolatu circumcisionis, operatus est mihi inter Gentes.

¶QVOD Manifestè autem exorbitent hæc à vero Euangelij sensu, no est difficile aperire, dicendo siquidem, Pasce oues meas: oportet aut omnes, aut istas, aut nullas, vel vagè oues cõmitti pascendas. Et quidem quòd non has vel illas determinate commiserit, verba ipsa testantur: q verò nullas, veritati aduersatur, quòd autẽ vagè reliquerit, & Christi sapientiæ derogat, & veritati pronominis adiuncti contrariatur, sapienti enim gubernatoris & potentis diffinitè prouidere, non est vagam relinquere prouisionem suam. Et cõstat quòd ex hoc ipso, quod solo pronomine Meas demonstrat oues, nõ vagè, seu indefinitè loquitur, sed ex hoc ipso, q nullas suas eximit, omnes suas cõprehendit dicendo, Pasce oues meas. Et obserua peruersitatẽ exponendi, quãdo apud Matt. dicitur, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, de omni Ecclesia Christi intelligendum putant, ne vnam solam Ecclesiam super petram ædificatam fateantur: quãdo verò apud Ioannem Petro dicitur, Pasce oues meas, indefinitè exponunt, ne oues Christi sub vno pastore comprehendant. Ibi rem singularem, vnam scilicet Ecclesiam catholicam, contra omnem rationem distribuunt vniuersaliter, hic res diuersas, multas scilicet oues distribuere vniuersal ter recusant: vt hinc videas falsos esse eorum sensus: falsum enim etiam à seipso dissonat. Et per oppositum: quia verò omnia consonant, Ecclesiasticus sensus sicut habet, quòd ibi ita vnica intelligitur Ecclesia catholica, vt comprehendantur omnes Christi particulares Ecclesiæ in ea tanquam partes in toto: ita hic oues Christi ita intelliguntur explicatæ per pronomen meas: vt nulla relinquatur, quæ sub pronomine, meas comprehenditur.

¶ET PROPTEREA Nõ oportuit apponere omnes: quia quæcunque oues, ad quas extenditur pronomen, meas, comprehenduntur: quum dicitur, Pasce oues meas: sicut Ioan. 10. omnes comprehensæ sunt Christi oues, quum dixit Dominus. Animam meam pono pro ouibus meis: & rursus, Oues meæ vocem meam audiunt, &c. Vnde ly meas, vniuersalis signi supplere effectum altiori ratione necessariò appositum patet: & propterea non esse similè iudicium de hoc text. & illo, Docete omnes gentes: ibi enim tam suas, quàm non suas per electionem gentes docendas mandauit, hic verò, oues suas pascendas cõmisit sufficiẽter, per ly meas, comprehendens omnes: vt ratione & testimonio Scripturæ monstratum est clarissimè constare ex eodẽ Euangelista. Et hinc confirmatur sensus catholicus: quoniam quod ibi Christus promisit: hic exhibuit: & propterea quia ibi totam Ecclesiam promisit, hic omnes oues commisit. Et confirmatur rursus ex verbis domini. Ioan. 10. Alias oues habeo, quæ nõ sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile & vnus pastor: si enim ex ouibus omnibus ouile vnum constare debet sub vno pastore, consequens est: vt quum vnus pastor instituitur, & dicitur, Pasce oues meas: illius vnius ouilis cura committatur. Dubitandũ enim forte fuisse si plura haberet Christus ouilia, de quibus suis ouibus loqueretur: quum autẽ vnum tantum ouile se habere testetur, dubitari non potest, quas suas oues committat, nisi quis adeo desipiat, vt de parte tantum ouilis curam committat. Et confirmatur rursus hic sensus ex Sanctorum expositione: quorum autoritates latius inferius afferentur. Vnde Theophilus hic dicit, finito prandio commissionem ouium mundi Petro commendat, non alij.

¶ Ad secundam verò obiectionem dicitur, quòd non est impossibile, sed necessariũ atque vtile, omnes Christi oues pasci ab vno, vt catholicæ Ecclesiæ capite. In hoc autem pascendi modo, scilicet vt à capite catholicæ Ecclesiæ, clauditur quòd Christi oues diuersis coadiuuantibus membris pascuntur à capite: sicut totum corpus à capite regitur coadiuuantibus aliis membris. Vnde non est dicendum, quòd Petrus pascit: id est facit pascere: sed quòd ipse vt caput per alia commembra coadiuuantia pascit omnes Christi oues, quod non posse per principem laicum, aut quemcunque alium, qui non est caput Ecclesiæ, fieri constat. Tantóque possibilius est à Petro pasci omnes Christi oues, quantò Petrus vicarius est Christi viuentis, regnantis & assistentis ad dirigendum, inspirandum atque adiuuandum.

¶Vnde patet solutio tertiæ obiectionis: commissum est enim Petro soli, non vt solus omni modo, sed vt solus tanquam caput catholicæ Ecclesiæ pascat omnes Christi oues. & propterea nõ peccat si per commembra adiuuatur ad pascendum Christi oues, sed peccaret si concaput Ecclesiæ catholicæ sustineret.

¶ Ad quartam dicitur, Petrum nullũ misisse Apostolum, quia præuentus est à Christo domino, qui misit Apostolos, Io. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et propterea poterant autoritate Apostolatus Episcopos ordinare absque habita à Petro facultate.

¶ Ad quintam dicitur, quòd distributio Apostolorum ad apostolatus exequutionem spectat: & nihil penitus obstat pastorali officio Petri, sicut in nullo eius autoritas imminuta est ex hoc, quòd Christus Apostolos misit, hoc enim ad legationem, illud verò ad exequutionem pertinet.

¶Et per hoc etiam soluitur sexta obiectio: nam quantum ad exequutionem apostolatus Paulus loquitur: vt ipsa verba clarè testãtur, Qui operatus est in apostolatu. Cùm his enim diuersis exequutionibus euidenter stat vnitas pastoralis curæ apud Petrum.

CAP. XI.

¶ Petro per hæc verba, Pasce oues meas, commissum à Christo pontificatum totius Ecclesiæ esse.

ECCLESIÆ Totius põtificatum Petro per hæc verba collatum inficiantur aliqui.

¶Primò, Quia pascere non significat principari aut esse primum.

¶Secundò, Quia verbum Christi est vel exhortatorium vel præceptorium ad pascendum, non ad subiiciendum oues. Et si dicatur, pascere non potest nisi superior, quid ad me? quære locum vbi verba sunt conferentia Petro potestatem super Ecclesiam: hic enim solummodo pascere committitur.

¶VERVM Difficile non est pontificatum monstrare sub his verbis datum. Pascere siquidem Christi oues, actus est autoritatis in pascente, vtilitatis in ouibus, finis in Christo. Eo nãque ipso q Christus suos vt oues pascendas Petro commisit, meridiana luce clarius patet, quòd ipsum præfecit aliis vt pastorem ouibus.

¶ Non oportet ergo aliũ quærere locum, vbi Petro potestas data est super Ecclesiam: quoniam hic locus eam attestatur datam: nisi quis vsque adeo desipiat, vt Petro dictum puret, Pasce oues meas, non officio pastoris, sed officio mercenarij. Quæ etiam insipientia confut

futaretur ex trina exactione charitatis Christi à Petro: cui enim amore Christi pascẽdę oues cõmittuntur, procul abest amor mercenarius. Vnde etsi pascere nõ significat principari, significat tamẽ actum ecclesiastici principis, & rursus si non significat principari, præsupponit tamen principatum, quia præsupponit priorẽ. Vnde & bene respondebatur, q pascere non potest nisi superior. Et quũ dicitur, Quid ad me? respondetur multũ profectò ex ipsa ratione cõnexorum: habent enim hoc vt altero collato reliquũ tributum ãtelligatur. Quo fit vt si pascere non potest nisi superior, cui datum est pascere, datum quoque est esse superiorem: vnde ex hoc ipso etiam capite liquet, q non est alius quærendus locus Scripturæ, vbi Petrus factus est super Ecclesiam: quoniam hic clarè habetur.

¶Affirmamus autem Christi verbum præceptorium esse: nam si Apostolo Paulo væ est, si non euangelizauerit, multò magis Petro væ est, si non pauerit oues Christi. Sed non præceptorium solummodo est Christi verbum, sed institutorium: nam, si in conditione primæ partis vniuersi verbũ Dei instituit creaturas præcipuas, & simul propriũ earũ opus præcepit (iuxta illud, Statuit ea in æternum, & in seculum seculi, præceptũ posuit, & non præteribit) par est, vt in creatione Christianæ Ecclesiæ primum eius membrũ eo dem verbo perficerit, præcipiendo summi pontificatus opus, & ãstituendo ipsum pontificatũ. Eo verò ipso, quo Petro, vt pasceat Christi oues, committitur, Christianus populus, vt oues iubetur se habere ad Petrum: frustra enim cõmitterentur oues pascẽdæ à Petro, nisi vt oues exhiberẽtur eidem à communi Domino. Vnde necessitas nõ solũ pastus, sed subiectionis in verbis Domini significatur, quũ dicitur, Pasce oues meas. Attestante etiam hoc Augu. hic exponente, pascere non solùm docere, sed regere, dum dicit, oues ipsas pascendas, hoc est docendas regendãsque cõmittit. & Chrysost. Pasce oues meas, fratrum curam suscipe: & glossa ex Alchuino, Pascere, est credentes in Christo, ne à fide deficiant, confortare: terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidere, & exempla virtutis cum verbo prædicationis impendere, aduersatis obsistere, errantes subditos corrigere. Quocirca etsi pascere non significat principari: significat tamen Christi oues regere, in quo clauditur principari. & si non significat principari: trahitamen secum principari: sicut trahit secum requirere, reducere, alligare, consolidare, custodire & sanare: quorum meminit Dominus Ezech. 34. vnde & Petrus princeps Apostolorum, & princeps super plebem Christi constitutus dicitur: & iuxta Greg. verba ad Mauritium, Cura totius Ecclesiæ & principatus committitur.

¶Et si quæratur quare Dominus cõmisit pontificatum Petro non sub vocabulo prælationis, seu autoritatis, vel dignitatis, sed actus pascendi suas oues: In promptu ratio est, & ex parte rei, quia prælatio, seu autoritas est propter pascere oues Christi, & nõ econtra. Et ex parte appetitus regũlãdi, quia non locus superior, nõ dignitas, aut autoritas ambienda est, sed pastus ouiũ Christi appetẽdus in põtificatu, iuxta quod Apostolus postea dixit, Qui episcopatũ desiderat, bonum opus desiderat. Et ex parte Scripturæ adimplendæ: dixerat enim ante passionem. Luc. xxij. secundo, Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem exercent in eos, benefici vocantur: vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor. Hinc enim à ministeriali actu pascendi Christi oues significauit pontificatum tacitum tanquam annexum quid, & non æstimandum nisi propter vtilitatem ouium Christi: cuius oppositum contingit in regibus & dominis gentium: qui ad hoc vt regnent & domini sint, omnia ordinant.

¶Porrò commissum inter actus põtificios opus præcipuum, Petri monstrat pontificatum: pascere siquidem electos præcipuus est Pontificis actus. Nam sicut ad supremam diuinæ prouidentiæ partem spectat cura electorum (ad quorum felicitatem non solùm cæli motum ordinauit: testante Ioan. in Apoc. capit. 6. Dictum est illis, vt requiescerent adhuc modicum tempus, donec impleatur numerus conseruorum eorum, sed etiam ipsemet defecẽdit de cælis, & homo factus crucifixus, mortuus, sepultus, &c. omnia sustinuit propter electos) ita ad summã ecclesiasticã curam, quã pontificatum vocamus spectare oportet, pascere electos. Constat autẽ solos electos significari, quum dicitur, Pasce oues meas: testante hoc ipso Domino Ioan. 10. dicente, Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitã æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Nec propterea Petri põtificatus quasi ad solos electos se extendat, restrictus est: sed subordinatus electorum pastui, hinc est omnis circa alias pontificatus actus. Sicut enim secundũ vniuersi ordinem vnicus cæli motus propter implendum numerum est electorum, & idem tamen etiam ad propagandos non electos se extendit: & secundum ordinem gratiæ summæ bonus pastor Christus animam suam posuit pro ouibus suis, hoc est electis, & tamen eadem mors pro totius mundi vita fuit: ita in sacris mysteriis summus pontificatus propter pascendos est electos, & idem non electos comprehendit. Nec immeritò: quoniam eiusdem est æqua finis & dispositio eorum, quæ sunt ad finem: vita autem electorum finis est gubernationis aliorum. Omnia, inquit Apostolus, secundæ Timo. 2. sustineo propter electos, & ad Roma. 8. Omnia electis donata testatur: & super omnia bona Domini constituẽdi affirmatur electi Matth. 22. Nec silentio inuolutos propterea dixerim præscitos: quoniam sub agnorum nomine comprehendi aliquos præscitorum non inconuenit: sunt enim Christiani multi imperfecti semper discentes & nunquam ad perfectionem ouis peruenientes: quos Dominus pascẽdos simul cum ouibus hoc est electis, commisit Petro. Vnde bis commisit agnos, & tertiò oues: non solùm quia imperfecti maiore egẽt cura, sed vt ipso numero diuersitatem infinitam ætagnorum suorum, hoc est Christianorum communem vitam docentium, dum alij reprobi, alij electi sunt. oues autem semel & vltimò committuntur: quia omnes Christi oues inter electos sunt, & etsi seens oratio ad summũ terminatur. Et quum omnes pastorali Petri curæ committantur, soli agni & oues pascendæ committuntur: lupi siquidem leones & vrsi commissi intelliguntur cauendi, fugiendi, aut exterminãdi. Vnde nullus à Petri põtificatu exemptus relinquitur: etiam si solùm fuisset illi commissum: Pasce oues meas: propter quas fiunt omnia, vtpote cuibus omnia cooperãtur in bonum, vt Apostolus ad Rom. 8. testatur. Fit autem rursus huius excellentia commissi operis manifestior, discurrendo per pastoralia pontificiáque opera: nam sex illos actus pastorales Ezech. 34. positos, scilicet requirere q perierat, reducere quod abiectum erat, alligare quod confractum fuerat, consolidare quod erat infirmum, sanare quod erat ægrotum, custodire quod pingue & pastum ouium ordinari, testatur Dominus, argues de his pastores dicens, Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, nõne greges à pastoribus pascũtur: lac comedebatis & lanis operiebamini, &c. vbi rationem omissionis manifestè reddit ex eo & non oues, sed semetipsos pastores mali pascant, tãquam omnium horum operum ratio sit vacare ad pascendum ipsas oues. Actus quoque iudiciales, qui in Ecclesia fiũt tam in foro pœnitentiæ, quàm in foro contentioso, ad pascendas Christi oues ordinari nõ est dubium. Aperire demum & claudere regnum cælorum ad pastum ouium sic spectãt, quòd aperire regnũ cælorũ est pascere oues Christi, claudere autem illud, ad pastum earũdem ordinatur: quiquidem ad bonum refertur electorum quibus omnia cooperantur in bonũ. Constat igitur, si colligãtur cuncta significata per hanc promissionẽ, Pasce oues meas, commissum Petro esse totius Ecclesiæ pontificatum. Nec vt noua hæc cudimus, sed à patribus, quę didicimus, proferimus, eorundẽ attestatione Petri pontificatum firmantes: vt in vltim. patebit cap.

CAPVT XII.

¶ Petrum habere ex Christi institutione successorem in pontificatu Ecclesiæ catholicæ.

FIRMATO Petri põtificatu Ecclesiæ catholicæ oportet de successore eius tractare. Et vt intelligatur manifestè differentia inter catholicos & schismaticos, prænotandum est in quo conuenimus, & in quo dissentimus. Concorditer siquidem fatemur Petrum Apostolorum principem, &c. fuisse Rom. Pontificem, sicut Iacobus Apostolus fuit Pontifex Hierosolymit. & propterea quemlibet Rom. Episcopum successorem esse Petri in pontificatu Rom. Ecclesiæ, sicut quilibet Hierosolymitanus Episcopus successor est Iacobi in pontificatu Hierosolymitanæ Ecclesiæ. Concorditer quoque affirmamus Hierosolymitanum Episcopũ non succedere Iacobo nisi in Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopatu: non enim succedit Iacobo in autoritate apostolatus. Sed istam dissentimus, quum inferre conantur Rom. Pontificem non succedere Petro nisi in Episcopatu Rom. Ecclesiæ: fatentur enim catholici Ro. Pontificem succedere Petro non solùm in Episcopatu Rom. Ecclesiæ, sed etiam in pontificatu Ecclesiæ catholicæ. Vbi si perspicaciter scrutati fuerimus, videbimus duo supereſſe tractanda: an scilicet Petrus habeat diuino iure successorem in põtificatu Ecclesiæ catholicæ, & an huiusmodi successor sit Ro. Pontifex. Schismatici enim negant Ro. Pontificem Episcopum esse Ecclesiæ catholicæ: & pernegat oportere institutione diuina aliquem vnum succedere Petro in regimine totius Ecclesiæ: & ante omnia negant Petrum institutum à Christo Pontificẽ Ecclesiæ catholicæ. Quum autem iam declaratum sit huiusmodi Petri pontificatum, superest vt primò an habeat aliquẽ successorem, & demũ an ille sit Ro. Ponti. tractemus.

¶ET IVXTA præfixum modum afferenda censuit argumẽta, quibus contra vnicum Petri successorem in pontificatu Ecclesiæ catholicæ insurgitur.

¶Arguitur ergo primò ex coniunctis, Si hæc verba Christi ad Petrum, Tibi dabo claues regni cælorũ, Matt. 16. &, Pasce oues meas Ioan. vlt. extenduntur ad successorem, par est vt verba antecedentia concomitantia, & subsequentia dicta Petro à Christo, intelligantur quoque dicta non soli Petro, sed successori. sed hoc cõstat esse falsum: vt patet sigillatim discurrẽdo. Nam apud Matt. Dominus præmittit, Tu es Petrus: & post subiungit reprehendendo Petrum, Vade post me Satana, quia non sapis quæ Dei sunt, similiter

apud

Universidad de Deusto
Biblioteca

apud Ioan. præmittitur, Diligis me plus his? & similia cõcomitanter interponũtur cum Petri responsionibus: & postea subiũgitur, Quum esses iunior, cingebas te, &c. nihil autẽ horum spectat ad successorem secundum literalem sensum: ergo nec illa verba, Tibi dabo, & Pasce oues meas, sunt ad literã dicta Petro & successori: sed sicut reliqua mystice applicantur ad successores, ita & hæc.

¶ Secundò ex similibus, Verba Christi Luc. 22. Ego rogaui pro te, &c. non sunt ad literam dicta Petro & successori: ergo nec ista, Tibi dabo claues, &, Pasce oues meas, &c. sunt dicta Petro pro se & successore. Consequentia tenet à simili: præsertim quũ iste textus à sacris Doctoribus afferatur pro soliditate successionis Petri in fide. Antecedens verò manifestatur ex eo, quòd ibi dicitur, Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, si enim de quolibet successore hæc dicta sint, oporteret successorem quemlibet auersum quandoque esse vel fuisse, vt de ipso possit verificari, & tu aliquando conuersus: sicut Petrus auersus fuit negando Christum cum periurio, & postea conuersus confirmauit fratres suos.

¶ Tertiò ex aliis idem Petro à Domino dictis, puta, Antequã gallus cãtet, ter me negabis, Matth. 26. &, Vade ad mare & mitte hamum, &c. Matth. 17. cur enim huiusmodi soli personæ Petri ita ꝙ non successori dicta exponuntur: illa autem, Tibi dabo, & Pasce, ad successorem referuntur? voluntarie enim hoc fieri videtur.

¶ Quartò ex omissis, Nullibi siquidẽ dixit Christus se loquiin illis verbis Petro pro se & successore: quũ tamen debuisset hoc docere, quum hoc vt vnũ de necessario credibilibus proponatur Ecclesiæ: & ipse Isa. 5. dixerit, Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & nõ feci ei? si enim to ũ quod debitũ erat, effecit synagogæ Indæorum, multò magis totum effecit Ecclesiæ Christianę.

¶ Et augetur hoc argumentũ ex hoc, quòd Dominus Matth. vlt. dicit, Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus vsque ad cõsummationem seculi. Vbi quia se fore in toto hoc tempore cum Ecclesia nos certificare voluit, dicendo, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, manifestauit quòd ad discipulos pro se & successoribus eorum loquebatur. Hinc enim arguitur, quòd si Petro & successori intẽdisset hæc dicere: explicasset aut insinuasset successorem, sicut insinuauit ibi successores discipulorum.

¶ Quintò ex coapostolis. Quænam ratio est, vt nullus aliorũ Apostolorum habeat successorem in Apostolatu, & solus Petrus habeat? Et rursus quæ ratio est, vt Apostolorũ successores sint, & dicantur Episcopi (quos cõstat esse æquales: vnde & fratres vocantur,) & vnus tantum Episcopus successor sit Petri super totam Ecclesiam? Et rursus vt prætactum est, quæ ratio suffert, vt Episcopus Hierosolymitanus succedat Iacobo in Episcopatu illius Ecclesiæ, & nõ in apostolatu: successor autẽ Petri succedat ei in apostolatu ac pontificatu totius Ecclesiæ? hoc enim non nisi humana ratione, aut voluntate factũ videtur: quũ Scripturæ desit autoritas.

¶ Deinde arguitur ducendo ad incõuenientia multa. Et primò, Si ad solum Petrum refertur Christi verbum: ergo non ad successorem: & iterũ, ergo cum Petro claues venerunt & abierunt. Et probantur sequelæ: quia non potest ad plures pertinere quod ad vnũ tantum dicitur. Secundò: Quia si ad successorem extenditur. ergo necessaria ratione, & ad alios Apostolos: quia tunc erant præsentes, successores autem Petri nondum erãt. Tertiò: quia ridiculum esset, quòd omnium Ecclesiarũ idem Baptisma, eadem Eucharistia, eadem Confirmatio, idem verbum Dei, idem Sacerdotium, eadem Pœnitentia, Vnctionis, Matrimonij & reliqua sacramenta, eadẽ fides, spes, charitas, gratia, mors, vita, gloria esset, vna hæc temporalis potẽtia vni tributa esset successori Petri per Verbum Dei quod commune est omnibus. Quartò: si vnus Episcopus iure diuino cæteris præfertur, manifeste Hier. in epistola ad Euandrum: quæ habetur 93. dist. cap. legimus hæresim docet, non solum ipse, sed Petrus, Paulus, Ioannes, Lucas, quos inducit irrefragabiles autores. Patet enim ibi Episcopos eosdem esse cum presbyteris, & Episcopos æquales esse. Quintò: quia idem Hieron. super epistolam ad Tim. & habetur 95. dist. cap. olim dicit, Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispensationis dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere. Non ergo diuino iure vnus Petri successor Episcopus maior est aliis.

¶ AD HVIVS rei euidentiam considerandum est, triplici via manifestum fieri hæc Christi verba toties repetita Petro, non solum pro se, sed pro successore suo dicta esse. Prima via ex ipsis verbis Domini, quũ dixit, Pasce oues meas, procedit. Nã dicendo, Pasce oues meas, vnũ ouium suarum pastorẽ instituit (vt ipsa verba testantur, absque vlteriori probatione) Pastor autem significat ordinarium rectorẽ ouium: vt patet tum ex ipsis nominibus Pastoris & ouium, tum ex ipsa ratione pascendi: tum quia oportet eum qui ordinarie gerit curam ouium, vel mercenarij vel pastorem esse: sed mercenarius non est: quia cùm viderit lupum venientem fugit, & non pertinet ad eũ de ouibus, quia mercenarius est: vt dicitur Ioan. 10. Relinquitur ergo quòd is, qui ordinarie curam ouium gerit, pastor est. Cõstat autem pastorem vtpote ordinarium officialem, non finiti morte illius, qui pastorale officium exercebat, sed per successionẽ oportere durare. Et hinc fit, vt institutio pastoris sit institutio perpetui officij: ac per hoc ꝙ in prima institutione pastori tributur, pro quolibet successore eidẽ datur. Vnde ex hoc ipso, ꝙ Dominus dicẽdo, Pasce oues meas, pastorem totius Ecclesiæ instituit, pastorale officium totius Ecclesiæ statuit ex tunc & in seculum seculi. & consequenter, quòd dedit tunc Petro, significauit se dare cuilibet Petri successori in Petro. Rursus dicendo, Pasce oues meas, perpetuitatem pastoris intelligendam ex alio capite monstrauit: nam oues suas duraturas sciebat, & dixit, vsque ad consummationem seculi in præsentis miseriæ ouili vno: & propterea eo ipso quo ouibus in vno ouili duraturis vsque ad consummationem seculi oporteret pastorem vno, dicendo Petro, Pasce oues meas, significauit se prouidere de vno pastore vsque ad consumationem seculi. Habemus ergo dupliciter ex ipsis Euangelij verbis à Domino institutum esse quemlibet Petri successorem pastorem totius Ecclesiæ in ipso beato Petro.

¶ Secunda via ex rationibus fundatis super sacra scriptura procedit, tum quia desipientis est putare Christũ prouidisse de pastore suarum ouium pro parte tẽporis & ea minima qua, scilicet vixit Petrus: & non pro toto & tam prolixo tempore vsque ad cõsummationem seculi, quo durant suæ oues. Tũ quia rationabile est, vt vniuersalitas tẽporis cointelligatur vniuersalitati locorũ: & proinde quia dicẽdo, Pasce oues meas, oues suas vbique terrarũ comprehendit, cõsequens est vt eadem pro quocunque futuro tẽpore cõprehendar. Tum quia Christus synagogæ dicens, Quid vltra debui facere vineæ meæ, & nõ feci, insufficiẽter prouidisset Christianæ Ecclesiæ constitues eam vnũ ouile sine vno pastore cæuo ouili: conuersante cũ ouibus suauiter, hoc est sensibiliter secundũ modum ipsarum ouium: vtpote, quæ viuunt non sola spirituali, sed sensitiua natura: quum tamen de ipso scriptum sit, Attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, Sapien. 8.

¶ Tertia autem & ea optima pariter & certissima via procedit ex expressa diuina reuelatione facta Ecclesiæ suę sanctæ. Vt enim inferius de verbo ad verbũ afferentur autoritates, manifestè habetur quòd in hoc sensu à Sanctis innumeris, & à sacris Conciliis vniuersalibus intellecta est institutio pontificatus Petri super totam Ecclesiam à Christo facta. Certo autem certius est illum esse verum Scripturæ sensum, quem concorditer tradentibus Sanctis, vniuersalis synodi diffinitione accedente habemus. Fatemur igitur absque omni hæsitatione quemlibet Petri successorem institutum in beato Petro esse pastorem totius Ecclesiæ.

¶ AD PRIMVM ergo argumentũ in oppositum de concomitantibus, dicitur, præcedentia concomitantia & subsequẽtia inueniri duplicia, vel pertinentia ad pastorale officiũ, vel non pertinentia ad hoc. Et de non pertinentibus quidẽ ad pastorale officiũ (quale est illud, Vade post me Satana: vt patet in ipso Euangelij textu) nõ oportet esse solicitũ an spectẽt ad successorẽ: de pertinentibus autẽ dicitur, quòd eo modo, quo pertinent ad officium pastorale, eodẽ modo pertinent ad successorem. Vnde, vt ad singula descendatur, quia verba præmissa apud Matt. Beatus es Simon Barriona, &c. non spectant ad pontificatum, sed ad confessionẽ, quam fecerat Petrus (vt declaratum est,) nec ad successorem pertinent. Quod verò dicitur, Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. quia ad pontificatum totius Ecclesiæ necessariò pertinet, ad successorem quoque pertinere oportet: necesse est enim successorẽ Petri esse Petrum, id est in fide solidum, vt super hanc petram Christus ædificet Ecclesiam suam. Difficultates autem, quæ circa hoc sunt, in sequẽti tractabuntur cap. Quod autẽ dicitur apud Ioannem, diligis me & amas me? quodammodo ad pastorale officium spectat, & quodammodo non. Nam rectitudo pastoralis officij amore Christi exigit, ipsum autem pastorale officiũ sine Christi amore potest haberi & exerceri: & propterea amor Christi ad successorem quoque spectat, quantũ ad rectitudinẽ vtẽdi pastorali officio: non autem quantum ad habendum vel exercendum ipsum pastorale officium. Et similiter quod adiungitur, Quum esses iunior, licet cum Petro finitum sit, quantum ad prophetiæ cõsummationem: quantum tamen ad insinuatam præparationem animi pastoralis ad ponendum animam pro ouibus Christi, & frequentem euentum persecutionum, aut mortis pro Christi ouibus bono pastori, ad successoris rectitudinem atque fortitudinem pertinet.

¶ Ad secũdũ dicitur, ꝙ verba illa dñi iuxta regula de pertinẽtibus vel impertinẽtibus ad officiũ pastorale (quia ad pastorale spectat officiũ confirmare fratres) Petro pro se & successore dicta intelliguntur. Vnde Theo. hoc dicit, Hoc autẽ Petro dixit, eo ꝙ superbiret propterea in his, ꝙ promissa erat à Christo. Et rursus. Postquã me negaro ploraueris, ac pœnitueris, confirma cæteros: quũ te principẽ Apostolorũ deputauerim: hoc em decet te, ꝙ mecu robur es & petra ecclesiæ. Cyrillus quoq; hoc dicit, omissis cæteris venit ad Petrũ cæteris præiatu. Nec ꝓpterea oportet quẽlibet Petri successorẽ, cadere à Christi charitate: hæc enim Dñi verba nõ necessitate, sed possibilitatem auersionis à charitate cum indeficientia fidei significant: sic vt si auerti contingat, conuersus confirmet fratres suos. Indeficientia itaque fidei in Petro & ipsius successione impetrata asseritur, confirmatio fratrum imponitur, auersio possibilis significatur, conuersio prædicitur. Et hoc insinuat aduerbium, Aliquando: ex hoc enim, quòd non semper, sed aliquando conuersus prædicitur, auersio quoque, quod quandoque futura sit, insinuatur. Ad quod verificandum non oportet quemlibet successorem auerti: sed sat est & nimis etiam, quòd quandoque successor aliquis auertatur à Christi charitate.

¶ Ad tertiũ patere potest iam solutio: nam sola ea quæ dicta sunt Petro pertinentia ad pastorale officium, dicta sunt sibi pro se & successore ad literam: reliqua autẽ ad literam dicta sunt sibi soli.

¶ Ad quartum (quod maximè vrgebat) iam patet responsio: significauit enim Christus ipse in Petro, cuilibet eius successori se loqui, eo ipso ꝙ instituit eum pastorem ouium suarũ, tum ex parte officij pastoralis: tum ex perpetuitate ouium suarum: vt prædeclaratum est. Vnde non minus aperuit hic in Petro eius successorem, quàm aperuerit apud Matth. in discipulis suis eorum successores: ibi enim ex vno tantum capite, scilicet diuturnitate successionem significauit, hic verò ex duobus, scilicet & ex officio pastorali, & ex perpetuitate ouium suarum: vt prædeclaratum est.

¶ Ad quintum dicitur, quòd non est eadem ratio de successione in apostolatu, & de successione in pontificatu: Apostolus enim, vt ipsum nomẽ testatur, sonat, ab alio missum, seu legatũ (iuxta illud Apostoli. 2. ad Cor. 5. Legatiõe pro Christo fungimur: & ad Ephe. 6. Legatione fungor in catena ista) nõ est autẽ legatorũ vẽdicare sibi successores: sed finitur legatio cum legato, nisi à domino alius mittatur. Pastor autem ordinariũ officium sonat: cuius est habere successorem, & propterea Ecclesia non habet Apostolos, qui succederint in apostolatu Christi Apostolis, sed habet Episcopos succedentes Apostolis: nõ quo ad apostolatus autoritatem, sed quantum ad Episcopalem tam dignitatem, quam autoritatem. Vnde si formaliter & exactissimè loquendũ est, nec Petrus habet successorem in apostolatu, tum quia apostolatum communem habebat cum reliquis apostolis. parésque in apostolatu omnes fuerunt, ac per hoc par est ratio in apostolatus successione de omnibus: tum quia experiẽtia testatur nullius Petri successoris libellos quãtumcunque sanctos inter sacras esse Scripturas: vsque adeò, vt Epistola Pauli ad Philemonẽ, quamuis cõmendatitia vnius seruuli inter sacras computetur Scripturas. Veruntamen quia successor Petri succedens ei in pastorali officio ouium Christi (quod est põtificatus mundi) ex hoc ipso succedit in præcipuo apostolatus officio: quod, vt diuus Tho. dicit, erat gubernare catholicam Ecclesiam: hoc enim communiter Apostolis omnibus à Christo delegatum fuit: hoc Petro singulariter pastorali officio datum est, hoc solus Petri successor hæreditat: ex hoc ipso quòd succedit Petro in põtificatu Ecclesiæ catholicæ. Hinc igitur sola successoris Petri sedes vocatur, & est sedes Apostolica: vtpote ea, in qua sola autoritas gubernandi ecclesiã catholicam (quæ inter facultates legatas Apostolis summum tenet locum) residet: hinc successor Petri apostoli eius, hinc eius dignitas seu officium apostolatus, hinc eius autoritas apostolica vocatur: vtpote complectens supremam omnibus Apostolis tributam autoritatem. Vnde solutio patet omniũ quæsitorum: & cur solus Petrus inter Apostolos habet successorem in apostolica autoritate: quia scilicet solus institutus est à Christo pastor ouium suarum. Et quo pacto eum hoc stet, Episcopos omnes succedere Apostolis in Episcopali dignitate & autoritate, & quatenus Episcopos esse omnes pares: hoc enim nihil omnino obstat veritati declaratæ. Et quare Episcopus Hierosolym. non succedit Iacobo in autoritate Apostolica, Episcopus autẽ Ro. succedit Petro apostolica autoritate: quia scilicet Petrus autoritatẽ apostolicam habuit, etiã vt ordinarius pastor à Christo institutus super vniuerso ouili suo: Iacobus autem eam habuit tantum vt Apostolus. Et hoc non ratione aut voluntate humana factum, sed Christi vt veri Dei institutione ordinatum esse monstratũ est: dum Petrum solum pastorem suarum ouium instituit dicens, Pasce oues meas.

¶ AD ARGVMENTA deinde allata ducendo ad inconueniens, respondendo ad primum dicitur, sequelas nihil valere: Ad probationem autem (quia nõ potest ad plures pertinere quod ad vnum tantum dicitur) respondetur ad innumeros successores posse pertinere quod ad vnum tantum officialem instituendo dicitur: quoniam quod sibi dicitur, cuilibet succedenti intelligitur dictum. & propterea dictum Petro primo pastori Christi ouium instituto cuilibet ei succedenti in huiusmodi officio pastorali dictum est. Et eadem est ratio de promissionibus eidem factis.

¶ Ad secundum similiter dicitur, sequelam nihil valere: nec esse maiorem aut parem rationem, quòd extendantur hæc verba ad alios Apostolos, qui erant præsentes, quàm ad successorem Petri: quoniam quilibet successor, licet in seipso tunc non esset: erat tamen in ipso Petro, sed eadem officij forma: quo constat modo non fuisse alios Apostolos in Petro: quoniam nullus sub eadem officij forma fuit aut futurus fuit.

¶ Ad tertium dicitur, quòd non ridiculũ, sed diuinæ rationi consentaneum est, vt omnium Ecclesiarum communicantium in eisdem sacramentis, &c. sicut est vnum numero ouile institutum à verbo Dei communi omnibus, ita sit vnus numero pastor illius vnius ouilis institutus ab eodẽ verbo Dei cõmuni omnibus. Hoc siquidem diligenter perspectum, non est vni particulari Ecclesiæ aut personæ consulere, sed vnitati ouilis prouidere, ac per hoc sicut vnitas ouilis communis est Ecclesiis omnibus particularibus, ita vnitas pastoris ad omnium est vtilitatem Ecclesiarum. Et sic optimè adimpletur quod Apostolus dicit 1. ad Corinth. 3. Omnia vestra sunt, siue Paulus siue Apollo, siue Cephas.

¶ Ad quartum dicitur simul, & ad quintũ, consequentias nihil valere, vtpote ex impertinẽtibus ad propositũ deductas. Dicta siquidem à Hieron. in vtroque loco, impertinẽtia sunt ad propositũ: vtpote quæ de Episcopis & presbyteris quatenus Episcopi & presbyteri sunt dicũtur: æqualitas nãque seu idẽtitas diuino iure inter Episcopos & presbyteros, siue sit, siue nõ sit, nihil refert ad vnitatẽ pastoris totius Ecclesiæ: nõ enim ideo vnus est pastor totius Ecclesiæ: quia Episcopus maior est presbytero: sed ideo quia vnus est successor Petri, siue presbyteratus, siue Episcopatus sit maximus in Ecclesia Dei ordo. Aequalitas autẽ diuino iure Episcoporũ inter se quatenus Episcopi sunt, nõ eget probatione: quoniã illã asserimus, sed impertinẽs est propositio, quoniã nõ ideo vnus est pastor totius Ecclesiæ: quia vnus Episcopus est sacrator alterius (oẽs enim Episcopi sunt æquales in episcopatus ordine, & nõ est magis aut plus Episcopus successor Petri quicũque alius Episcopus: sicut non est magis presbyter, quàm quicũque alius presbyter) sed ideo vn' est pastor totius Ecclesię, & reliquis prælatus Episcopis atque presbyteris, quia vnus est successor Petri. Vnde patet ex hoc, quod diuino iure à Christo instituto vnus presbyter, siue episcopus Petri successor cæteris Episcopis & presbyteris, imò toti ecclesiæ præfertur, nã sequi Hier. & allatos à Hier. Petrum, Paulum, Ioannem, Lucã, hæresim docere: vt arguẽtes audent inferre, sed prudens lector intelligit dicta horũ impertinenter deducta ad propositum.

CAPVT XIII.

¶ Romanum Pontificem succedere Petro in Pontificatu totius Ecclesiæ.

SVPPOSITA Petri successione, oportet monstrare qs sit ille successor Petri in pastorali cura totiꝰ ecclesię. habet enim proprias difficultates, an is sit Ro. episcopꝰ.

¶ OBIICITVR, igitur in primis ex parte temporis quia Rom. Ponti. natus est per multos annos post Petri pontificatum: quum prius Petrus sederit Antiochiæ, & per multos annos ante, absque particulari aliqua sede fuerit.

¶ Et cõfirmatur hæc ratio arguẽdo sicut arguit Apostolus ad Ro. 4. vbi probat ex circunstãtia tẽporis & facti Abraham non ex circumcisione, sed ex fide iustificatũ nulla alia ratione vsus, quàm ꝙ Abraham ante circuncisionẽ fuerit iustus apud Deum per fidem. Si hoc eius argumentũ, valet necesse est valere & hoc, scilicet Petrus quando claues accepit à Christo, nondũ erat Episcopus vrbis Romæ, sed erat vnus inter Apostolos: ergo claues non sunt ei datæ. secundum quòd postea, vel factus vel mutatus est, vel loco, vel officio (sicut Abrahæ non est iustitia reputata qualiscunque post fidem factus fuerit) sed prout fuit Apostolus tantùm.

¶ Secundò, Si Romanus Pontifex esset Petri successor in cura totius Ecclesiæ (de hac enim successione, ne contingat idem sæpius replicari, semper loquimur nisi quãdoque explicemus de sola successione in episcopatu Romano nos loqui) oporteret de quolibet Romano Pontifice verificari verba Christi spectantia necessariò ad successorem Petri, sed non de quolibet Romano Pontifice hæc verificari oportet: ergo Rom. ponti. non est successor Petri. Probatur autem destructio consequentis, ex eo ꝙ Romanus Põtifex potest labi in hæresim, & sic non verificabũtur de eo verba Christi, Tu es Petrus, id est in fide solidus: neque super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: quoniam soliditas fidei in ipso, super quam ædificãda est ecclesia, non inueniretur: nec, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: quæ omnia ad successorem Petri dicta sunt. Et non deficiat fides tua: quæ omnia ad successorem Petri dicta esse monstratũ est. Tertiò, quia nõ omnis Rom. ponti. habet Christi charitatem, quam tamen tertiò Christus exegit in institutione officij pastoralis: nõ est ergo Petri successor, qui exactæ à Christo tunc in Petro charitati non succedit. Quartò, quia non omnis Romanus Põt. pascit oues Christi, sed multi eorũ pascunt oues suas: di pontificatũ exercent. Dicente autẽ Domino, Pasce oues meas: significauit Petri successores, aut pastores esse debere ouiũ Christi, ipsum amãtes & illas pascẽtes, doctrina, iustitia, & aliis huiusmodi: aut si non amãt & docẽt, nihil hoc verbũ ad eos pertinere: ac per hoc non esse Petri successores. Quintò, quia prisci Romani põtifices recusauerũt se vniuersales appellari. Greg. enim senis epistolis hoc reprehẽdit: & narrat prædecessores suos hoc renuisse. Si enim Greg. cũ aliis noluit vocari Episcopus vniuersalis, cõsequẽs est quòd non erat aut non se credebat vniuersalẽ Episcopũ, idem autem sonat Põtifex vniuersalis, & Pontifex totius ecclesiæ. Non

succe

Universidad de Deusto
Biblioteca

succedit ergo Roma. Ponti. Petro in pontificatu totius Ecclesiæ. Sextò concilium Nicenum (vt scribitur libr.10.cap.6. histo.ecclesiast.) statuit sic. Et apud Alexandriam vel in vrbe Roma, vetusta consuetudo seruatur: vt vel ille Aegypti, vel hic suburbanarum Ecclesiarum solicitudinem gerat. Si enim Rom. Ponti. successor esset Petri in pontificatu totius Ecclesiæ, non præsumpsisset Nicenum concilij fines suæ solicitudini decernere in suburbanis Ecclesiis. Septimò ſi Rom. Ponti. Christi institutione præest toti Ecclesiæ, vt Christi vicarius generalis, sequitur peccasse, & peccare omnes, qui non fuerunt, & qui non sunt sub Rom. Pon. obedientia. Et hinc sequitur primò primitiuā Ecclesiā totā errasse: quum adhuc non esset Rom. Pon. Sequitur deinde tot Sanctos & Martyres vsq; ad quadringentos annos post Christū, errasse: quum tunc non recognoscebatur Rom. Pōr. vt pastor totius Ecclesiæ. Sequitur postea Asiam, Aphricā, atq; Græciā in damnatione fuisse: vtpote non recognoscētes Rom. Pont. vt omniū caput. Sequitur demum Christianos, qui hodie sunt in Perside, India, Scithia, totóque Oriente, damnari: eo quòd non subsunt Rom. Pont. Manifestatur autem hos non recognouisse Rom. Pon. eo quòd non ab ipso seu eius autoritate eorū Episcopi sunt instituti, eorum Concilia sunt celebrata. Octauò, Hieron. de viris illustr. scribit, quòd Achatius Episcopus Cæsariensis discipulus Eusebij Pamphili, imperante Constantio, Liberium Papam depoſuerit, & Felicem constituerit. Constat autem hoc repugnare primatui Rom. Pont. si totius Ecclesiæ Antistes esset. Nonò, Si vlla ecclesia est prima & mater omniū Ecclesiarum, & à Christo Domino immediatè fundata, non est alia nisi Ecclesia Hierosolymitana, quæ per multos annos fuit ante Romanam: vnde exierunt omnes Apostoli & Episcopi ad vniuersum orbem terrarum. In cuius signum ab omnibus Ecclesiis etiam Romana collectæ soluebantur Ecclesiæ Hierosolymitanæ.

¶AD HVIVS rei euidentiam considerāda sunt duo, primum vnde est, secundum vnde scitur Rom. Pon. succedere Petro. Circa primum autem distinguendum est de ratione succedēdi & ratione succedētis: nam ratio succedendi est non Euāgelica institutio, sed subsequutū factum Petri, quo Ecclesia Rom. appropriata est Petro appropriatione firmata. Declaro singula, cautum reddendo lectorē in primis, quòd aliud est succedere Petro, & aliud est succedere Petro huic, scilicet Rom. Pon. Ratio enim quòd Petrus habeat successorē, institutio est euangelica: qua Dominus in Petro pastorale totius mundi instituit officiū, vt in præcedentibus manifestatum est. Ratio verò, q̄ Petro succedat hic, hoc est Rom. Pon. non est institutio euāgelica: tum quia euangelica voce nō est Ecclesia Rom. appropriata Petro, sed tota Ecclesia commissa sibi, dū dicitur, Pasce oues meas: & propterea si Petrus perseuerasset vsque ad finē, vt incepit absque appropriatione alicuius particularis Ecclesiæ nec Rom. Pōr. nec aliquis alius particularis Episcopus esset Petri successor: sed migrante ad cælū Petro, fuisset vnus electus in Episcopū catholicæ Ecclesiæ, qui successor fuisset Petri. Tū quia si Petrus in sede Antiochena, quam sibi prius appropriauit, perseuerasset vsque ad mortem, non Rom. Pontifex, sed Antiochenus successor esset Petri. Tum quia si Petrus discessisset ex Roma non tantum loco, sed sede, ita quòd alibi sedē elegisset, nō successisset Rom. Pontifex Petro, sicut nec modo succedit Petro Antiochenus: quia inde discessit, mutando non solùm locum sed sedem. Ex his enim patet, non ex euangelica institutione ortum habere, q̄ Rom. Pontifex succedat Petro: euangelica siquidem institutio de his mutationibus nonsē impedit: sed subsequētibus factis disponendū hoc reliquit. Quocirca ex eo, quòd appropriatione firmata. Rom. Ecclesia Petri Pontificatui addicta est, inde ortum est, vt Rom. Pontifex Petro succedat. Appropriationem autem firmatā dicimus, quia Petri morte firmata est: & quia Christi autoritate robur firmitatis obtinuit. Nam (vt Ecclesia cantat, & Ambr. in oratione cōtra Auxentium, de Basilicis tradendis, quam habes in lib.5. Epistolarū Ambr. post 32. Epistolam asserit, & ante ipsum in lib.3. de excidio Hierosolymitano, cap. 2. Egesippus affirmat) voléti Petro ex vrbe Roma discedere obuiās Christus iussit, vt Romæ mortem pateretur, eidem dicendo, Venio Romā iterum crucifigi, vt non nuda Petri mors Romæ: sed morsiussa à Christo in vrbe Roma, firmaret Romanā sedē in Petri successione. Si ad ortum itaque atque initium successionis Rom. Pontificis Petro spectat rationē succedendi inuenies fuisse Ecclesiæ Rom. appropriationem ad pontificatum Petri, firmatam & Petri morte & Christi mandato. Quum autem dicimus, Petrum & Rom. Pontificem & Pontificem Ecclesiæ catholicę, nō duos intelligas Pōtificatus: non enim sunt duo in actu, sed in potentia tantū, hoc est, quia potuissent esse duo: vt patet ex dictis. Vndenō se habēt sicut duo Episcopatus vnit: non erat siquidem in Rom. Ecclesia Episcopatus ante Petrum: sed ipse Petrus Rom. Ecclesiā euexit in pontificatum, non alium, quām suum, quem secum vehebat: ita quod pōtificatus Petri, quem à Christo habuit relatum ad Ecclesiā catholicam, retulit ipse Petrus ad Ecclesiā Rom.: appropriando sibi illam. Confert autem nonnihil hæc pōtificatus vnitas ad hoc, vt idem sit Romanus Pontifex, & Pōtifex Ecclesiæ catholicæ: non solū vnitate personæ, sed identitate pōtificatus. In cuius signū non dātur Romano Pontifici duo pallia, sed vnū tantum: quum tamen plura dari consuerint habenti plures pontificatus, quibus debentur pallia. Si autem de ratione succedētis est sermo, euāgelica institutio, ratio inuenitur succedētis. Rom. siquidem Pont. Petro succedens autoritatem habet apostolicam ab euangelica Christi voce, Pasce oues meas: nam cuilibet Petri successori, in Petro dixit Christus: Pasce oues meas. Licet itaque Apostolicā sedem Rom. esse Pont. initium habuerit ex appropriatione Ecclesiæ Rom. ad Petrū: ex quo tamen firmatum sic est eo ipso quo aliquis verus est Rom. Pon. verus est Pon. Ecclesiæ catholicæ à Christo in beato Petro institutus. Manifestū est igitur, Vnde Rom. Pon. est Petri successor, ac totius Ecclesię pastor. Scitur autē hoc diuina reuelatione facta, tum vniuersali Ecclesiæ, tū sanctis Doc. innumeris, tum sacris Cōciliis. Nullus siquidem Christianus dubitare permittitur ex diuina prodire reuelatione quicquid ad fidei Christianæ rationem spectās (de quorum numero hoc constat per Decre. vnam sanctam esse) cōtestatum inuenitur à præfatis. Cōmunis Christianorū & olim & nunc & semper cōfessio fuit, est, & erit. Rom. Pont. sedem solam esse sedem Apostolicā: hoc autē nihil aliud est quàm fateri Rom. Pont. Petri successorem esse rectorem catholicæ Ecclesiæ, nam in apostolica sede (nisi quis propriā ignoret vocem) clauditur apostolica autoritas: in apostolica autem autoritate facultatem regendi totam Ecclesiā includi, intelligunt exercitatiin sacris literis. Et hoc vsque adeò est clarū, vt concorditer dicatur Apostolicæ autoritati à Christo orbem cōmissum terrarum: sic vt quilibet Apostolus vbicūque cōtingeret ipsum fore, instituebat ecclesias, instituebat Episcopos, & id genus reliqua faciebat: vt eorū etiam gesta testātur. Vnde cū 1.ad Cor.12. dicitur, Posuit Deus in ecclesia primum Apostolos: dicit glo. inter li. omniū ordinatores & iudices: manifestans apostolicam autoritatē esse omnium ordinatricem & iudicem. Confitētes igitur apostolicæ autoritatis sedem, cōfitemur velimus nolimus sedem ordinatricem & iudicem omnium. Hanc autem esse intentionē confitentiū ex eo etiam competitur, quòd solam successoris Petri sedem Apostolicā cōsitemur. Extat siquidem Hierosolym. sedes, in qua Iacobus Apostolus sedit, cuius successor est Episcopus Hierosolymitanus sedes illa, in qua Iacobus apostolus sedit (quæ prius tempore fuit, quàm quæcunque alia partialis sedes) non est ipsa quoque sedes apostolica, nisi quia in illa nō est autoritas apostolica, & in ista est? Nam si ex sola successione ad personam Apostoli affirmaretur, à Christi fidelibus sedes apostolica, dubium non est, quòd multæ essent sedes apostolicæ: & Hieroso. sedes esset apostolica, & Rom. sedes esset apostolica, modò autem, quòd vnicā tantū nouit Christianus populus sedem apostolicam, eámque Rom. Ponti. sedem esse plena voce confitentur, clarum relinquitur, per sedem apostolicam intelligi sedem autoritatis apostolicę. Et cōfirmatur: quia sicut in episcopali sede clauditur pontificia autoritas, & in Archiepiscopali sede autoritas archiepiscopalis. & in sede patriarchali autoritas patriarchalis: ita in sede apostolica clauditur autoritas apostolica. ac per hoc quēdictas autoritates recurrere intendit: ita ad apostolicā sedem recurrens, aut ipsam quomodolibet venerans, autoritatem apostolicam confitetur. Porrò in professione sedis apostolicæ clauditur eius diuinæ institutionis confessio: nam quia secundū veritatem, Apostolica tam sedes, quàm autoritas à solo Christo est vel esse potest, à quo solo possunt Apostoli fieri (neque enim minus est apostolicam sedem ac autoritatem, quàm apostolum instituere: sicut non minus est episcopalē autoritatem ac sedem facere, quàm episcopum) necesse est vt qui apostolicam confitētur sedem, à Iesu Christo immediatè illius esse autoritatem fateantur, diuinóque proinde iure institutam illam esse profiteantur. Et hinc habes q̄ Doctores confitentes Rom. Pont. sedem apostolicam aut apostolatum, aut autoritatem apostolicam, fatentur Ro. Pontificem esse totius Ecclesiæ rectorem: quod notandum valde est, & secundum se, & ne oporteat sæpe repeti in autoritatibus sanctorum, &c.

¶ANTEQVAM autem autoritates adferantur, ad obiecta respondendum est. Ad primum ergo dicitur, nihil obstare successioni Rom. Pon. Petrum, quatenus Rom. Pon. fuit, natum esse post acceptas claues: sufficit enim successori natum esse ante mortem eius, cui succedit. Ad argumentum autem formatum ad similitudinem argumenti Pauli Apostoli de iustificatione Abrahæ: respondetur militare illud non contra nostram sententiam, sed potius contra arguentes. Manifestatur autem hoc distinguēdo, sicut in Abraham reputationem iustitiæ à iustitia reputata, ita proportionaliter in Petro acceptationem clauium à clauibus acceptis. Nam quemadmodum reputatio ad iustitiam Abrahæ cōuenit ex fide, & non ex circūcisione postea subsequuta: ita Petro acceptio clauium conuenit ex pontificatu ecclesiæ catho. (tunc enim datæ sunt ei claues, quando factus est pastor Christiani ouilis) & nō ex ecclesia Ro. seu Pon. Ro. postea subsequuto. Et similiter quemadmodum

modum iustitia reputata Abrahæ, non est restricta ad statū præputij, sed est extensa ad subsequutum statum circunsionis (dicente Apostolo ibidem: ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, &c.) ita acceptæ claues extensæ sunt ad subsequutūm posteà Petri pontificatum Rom. Rursus quemadmodum Abrahæ iustitia reputata ap propriata est subsequutæ circuncisioni, seu ipsi Abrahæ, vt postea pater factus est circuncisionis, sic vt eius semen ex circuncisione prælatū sit omnibus in consummatione iustitiæ promissionum, & benedictionum Abrahæ (dicente Apostolo ad Gal. 3. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius, qui est Christus: quem constat ex circuncisione natum) ita acceptæ claues appropriatæ sunt Ecclesiæ Rom. seu Petro, vt factus posteà est Pon. Rom. sic vt per ipsam aperiatur regnum cælorum omnibus cognationibus terrę. Vnde patet q̄ ex huiusmodi argumento etsi habetur, quòd acceptio clauium non pertinet ad Petrum nisi secundum quod erat tunc quum accepit claues, (erat autem non solùm Apostolus, sed pastor ouium Christi) non tamen habetur, quod acceptæ claues restrictæ sint & conclusæ ad statum illum præcise: sed subsequendo similitudinem Abrahæ habetur, quod claues acceptæ & extensæ & appropriatæ sunt ad Pontif. Rom. secundum mutationem, qua & loco & officio appropriata est Petro Ecclesia Romana

¶Ad secundum dicitur, posse dupliciter intelligi successorem Petri seu Rom. Pon. non posse esse infidelem seu hæreticum. Vel de ipsius persona in ordine ad Ecclesiam catholicam: vel de ipsius persona secundum seipsam. Et vtroque modo verificatur: & vtrūque expressit Dominus in Euangelio. Fidem enim solidam in Petro & successoribus suis secundum proprias personas, significauit Dominus, dicens, Tu es Petrus in præsenti: & dicens, Ego rogaui pro te, vt nō deficiat fides tua, in futuro. Fidem verò eiusdem in ordine ad Ecclesiam significauit Dominus, & dicens, Super hāc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & dicens, Confirma fratres tuos. Nec obstat persona Rom. Pontif. fidei secundum propriam personam, quod illa persona potest esse hæretica: quoniam quam primùm desinit esse fidelis, desinit etiam esse Petri successor secundum rei veritatem & apud Deum: apud cuius tribunal qui non credit, iam iudicatus est: vt dicitur Ioan.3. quidquid sit secundum forum ecclesiasticum. Ex quo tamen idem habetur: nam ex hoc ipso, q̄ille homo qui vocatur Petri successor, ex casu à fide, iudicio etiam inuitus subiicitur Ecclesiæ manifestatur ipsum non esse amplius Petri successorem secundum veritatem. nam si verè esset Petri successor, iudex esset totius Ecclesiæ, & non esset illi subiectus inuitus. Ex soliditate autem in fide personæ. Romani Pontif. in ordine ad Ecclesiam, prouenit vt errare non possit sententialiter diffiniendo de fide Christiana: quoniam in huiusmodi diffinitione construitur fides vniuersalis Ecclesiæ, & per eam ædificatur Ecclesia Christi ab ipso Christo super petram sedis apostolicæ. Impossibile autem esse constat vniuersalem Ecclesiam errare in fide. Liber autem intueri quàm suauiter commendata sit huiusmodi fidei diffinitio voce euangelica. fide siquidem construi Ecclesiam constat, quum sit (vt ad Hebræos 10. dicitur) speranda-rum substantia rerum: & ideo ædificandi & confirmandi actūi respondet. vterque enim substantiam ædificij respicit. Sed quoniam fides donum Dei est, idcirco Christus sibiipsi attribuit ædificationem Ecclesiæ super sedem Apostolicam: dicens, Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, firmare vero fideles fluctuātes in ambiguitatibus & quæstionibus, quæ circa fidem emergunt, quia ministeriale opus est Petri & successoris, ideo dicitur Petro & successori, Confirma fratres tuos: quidquid enim agit sedes Apostolica diffiniendo de fide, nihil aliud est quàm declarare quid sub fide à Christo data continetur: sic enim cōfirmat fratres suos. Vnde & in Calcedon. synodo dixerunt patres, quòd congregati in Constantinopolitano Cōcilio doctrinam de Spiritusancto tradiderunt: non quod minus esset in præcedentibus, qui apud Nicæam congregati sunt inferentes, sed intelligendum aduersus hæreticos declarantes. Et hinc oritur vt diffinitis de fide ab apostolica sede subsit etiam ipse Rom. Pontif. sicut subest fidei: non enim alicui propterea de nouo subiicitur, sed quod implicitè credebat, tenetur explicitè credere, ex hoc quod fides sufficienter explicata est, quo ad hæc, quæ prius explicata non erant fidei veritati subesse. At si cuiquam mira in hac responsione dicta apparebunt: meminerit scriptum esse, Mirabilia testimonia tua, sunt enim hæc Iesu Christi testimonia. Sed quid mirari fidelis debet de tali tantāque diuinæ gratiæ assistentia suo in terris Vicario: quum Caïphæ Pont. synagogę minus legitimo ac persecutori ipsius Christi astiterit ad prophetandum ratione pontificatus: testante Ioan. Euangelistā, dum dicit, A semetipso non dixit, sed quum esset Pontifex anni illius, pro phetauit q̄ Iesus erat moriturus pro gente. Ioannis 11. Cur enim Ioannes hoc docuit, cur hoc reuelauit, nisi vt diuinam assistentiam peculiarem Pontifici esse reuelaret?

¶Ad tertium dicitur, quod exacta trina dilectio à Petro rectitudinem respicit pastoralis officij, & propterea qui non succedit Petro in dilectione Christi, nequaquam succedit eidem in bonitate pastoralis exercitij: sed pastor est officio & nomine, mercenarius autem studio & exercitatione.

¶Ad quartum dicitur, quod amare, & pascere oues Christi. spectat ad successores Petri sub ratione commissi: & debiti: Christus enim commisit, vt pasceret oues suas. & ad hoc successor tenetur, & ad hoc se obliganit suscipiendo pontificatum. Vnde si nec amat nec pascit, non propterea locus iste ad ipsum nō spectat: nam multum ad eum spectat pascere Christi oues: ad quem spectat vt præceptum & ex officio debitum. Exigit quippe locus iste pascentem & amantem, quia exigit, vt amare & pascere debeat. Et quamuis non amans nec pascens indignus sit pastorali officio, & mereretur illo priuari: non esse tamen propterea priuatum ex vtroque testamento dicimus. Ezechiel. siquidem 34. reprehenduntur mali pastores, qui non Dei gregem: sed semetipsos pascebant, appositis propheticis minis priuationis pastoralis officij per ipsum Deum exercendę, pastores tamen reinquuntur. Matth. quoque 23. Super cathedram, inquit Dominus, Moysi sederunt Scribæ & Phariſæi, quæcunque dixerint vobis seruate & facite, secundum verò opera eorum nolite facere.

¶Ad quintum dicitur, Greg. prædecessorum vestigia imitatum refutasse se vniuersalem appellari, ea ratione, vtipse millies dicit, quia si vnus vniuersalis Episcopus dicitur, solus ipse Episcopus videtur dici: & sic cæteris Episcopatus tolleretur. Non autem ea ratione, quod Rom. Pont. autoritas restricta sit, & ad vniuersalem non se extendat Ecclesiam: superbum enim vocabulum, vtpote re liquorum Episcoporum iniuriam præseferens, horruit Greg. & nō rem Apostolicæ autoritatis extendentis se ad vniuersalem Ecclesiam. Vnde post inferius ad Mauricium Imperatorem afferenda verba de Petri autoritate super totam Ecclesiam, subiungit de Petro, Cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur. Vbi patet Gregor. simul affirmare curam totius Ecclesię, & negare vniuersalis vocabulum. Propter quod posteriores Pontifices Rom. rem tenentes, nec à Gregor. humilitate discedentes, vniuersalis nomen à recto in obliquū transtulerunt: & subscribunt se in hodiernum diem, Ego enim Episcopus Ecclesiæ catholicę.

¶Ad sextum dicitur, quòd aliud est loqui de autoritate, & aliud de executione: cum autoritate siquidem Rom. Pon. super totam Ecclesiam. mos fuit laudabilis, vt non exequeretur Papa ea, quę ad particulares aliarum Ecclesiarum curas pertinebant, nisi casus aliquis id exegisset. Et hinc mos fuit, vt Episcopi ab Archiepiscopis confirmarentur, curati ab Episcopis darentur, & innumera similia fiebant. Et hæc est illa vetusta consuetudo, cuius meminit Nicenum Concilium, quod annuente Rom. Pont. ibi per suos legatos presente de obseruatione huiusmodi vetustę consuetudinis statuit. Ex hoc autem non sequitur statutum esse de autoritate Rom. Pon. aut ipsam fuisse illius autoritatem: sicut nec hodie minuitur, aut læditur Rom. Pontif. autoritas ex eo quod in multis prouinciis Ro. Pont. obedientibus, huiusmodi executiones per prouinciales fiunt.

¶Ad septimum dicitur, quod Rom. Ponti. Christi institutione esse prælatum cęteris, potest dupliciter intelligi: vel quo ad rationem initij: & sic falsum est, iuxta superius declarata. Vel præsuppositа appropriatione Ecclesię Romanę ad Petrum, & sic verissimum est: & propterea conceditur sequela, scilicet omnes peccare & peccasse, qui eum non cognouerunt vt prælatum. Et quum infertur primò quod primitiua Ecclesia erraſſet, negatur sequela: quoniam tunc adhuc non fuerat appropriatio Ecclesię Rom. ad Petrum: quę præsuppositа Pon. Rom. præest omnibus. Sufficiebat siquidē tunc, quod tota Ecclesia recognoſceret Petrum, vt totius Ecclesię pastorem: post appropriatam autem Rom. Ecclesiam, oportet recognoscere Rom. Pon. successorem Petri pastorem totius Ecclesiæ, non quatenus est Rom. Pont. sed quatenus est successor Petri per se, & formaliter loquendo. Quum verò infertur secūdò, quod tot Martyres & Sancti ad quadringentos annos peccassent, quia non recognouerunt Rom. Pont. respondetur falsum esse, huiusmodi Martyres & Sanctos non recognouisse Ro. Pon. à principio enim Ecclesiæ Petrus recognitus est, & successiuè Ro. Pon. ei successores: vt subsequentes manifestent autoritates Sanctorum. Et similiter quum tertiò infertur, Asiam, Aphricam & Græciam erraſſe, quia non fuerunt subditæ Rom. Ecclesiæ, manifestè erratur, & quæ falsissima comprobantur, inducuntur: plenum siquidem regiſtrum Greg. curis, Asiæ, Aphricæ, & Græciæ, testatur oppositum.

¶Quod demum inducitur Christianos hodie Orientales non sub esse Ro. Ecclesiæ (nisi de schismaticis sit sermo) falsum esse, ex gestis in Concilio Floren. sub Eugenio IIII. patere potest: sibi siquidem Iacobitę Armeni, atque Græci Rom. Pontificem vt pastorem totius Ecclesiæ recognoscere se confessi sunt. Ad probationem autem subiunctā: quia nec Episcopi ibi à Papa instituuntur, nec Cōcilia eorum Papæ fiunt autoritate, iam patet quid dicendū est, scilicet, q̄ huiusmodi ex equutionum consuetudo in quibuscunque

Universidad de Deusto
Biblioteca

prouinciis,Papæ nec tollit,nec lædit autoritatē.Verūtamē pluries nostra ætate visum est, ab Orientalibus missum ad Ro. Pon. pro surrogando Episcopo,seu confirmando electo: & tēpore Alexandri VI.& Iulij II.

¶Ad octauum dicitur,nos de iure diuino loqui: arguentes autem obiiciunt damnatum violentiæ factum:vt ipsamet verba Hier.testantur:ait enim, Achatius in tantum claruit, vt in locum Liberij Felicem Arrianum substitueret, Vnde Felix ille in catalogo Pontificum non est computandus : vt testatur Aug. in Epistola ad Generosum : & est Epistola 165. Ibi siquidem Aug. à Petro. vsque ad tunc temporis Rom. Pon. Anastasium singulos successiuè recensens,Liberio Damasum successorem ponit, non Felicem.

¶Ad nonum dicitur Rom.Ecclesię appellatione intelligi posse,vel ipsum corpus Rom.Ecclesiæ secundum se,vel secundum suum caput:& q̄ licet Rom. Ecclesia secundum reliqua eius membra non fuit prima, nec mater omnium Ecclesiarum , nec immediatè instituta à Christo : ipsa tamen eadem Ecclesia Rom.secundum suum caput Petrum ac Petri successorem prima est ac mater & magistra omnium Ecclesiarum : & immediatè à Christo euangelica voce autoritatem ac firmitatem habens:vt prædeclaratum est. Vnde tā Canonum quàm Sanctorum sententiæ Romanam Ecclesiam primam magistrā, matrémque Ecclesiarum omnium, aut à Christo Domino euangelica voce fundatam firmatámque sonantes, veræ sunt ratione capitis , Et hoc intendunt qui hæc scripserunt : vt ex eo patet,quod eorum sententia fundatur super verbis Domini ad Petrum, qui caput fuit,& in suis successoribus est Eccle.Rom.Vnde nihil obstant huic primatui quæ de Hierosolymitana Ecclesia afferuntur:nam illa non fuit prior Petro : sed subdita fuit Petro. Collectæ autem Ecclesiæ Hierosolymitanæ non vt prælatę,sed vt indigenti ab aliis dabantur,vt patet ad Gal.2. Vnde impertinentes sunt ad propositum.

CAPVT XIIII.

¶Autoritates Sanctorum antiquorum & Conciliorum,affirmantes,in Petro ac Rom.Pont.successore Petri,totius Ecclesiæ pontificatum institutum.

RELIQVVM Est , vt illis quoque fiat satis qui nesciunt à priscis Ecclesiæ Patribus in Asia , Aphrica,& Europa veneratum esse Rom.Pont.vt totius Ecclesiæ patrem,nō humana,sed diuina ratione, scilicet quia in Petro institutus est rector Ecclesiæ vniuersalis.Afferendas propterea censui Græcorum ac Latinorum antiquorum Ecclesię Patrum ac Doctorum sententias non omnes,nec omniū, sed tot vt sufficiāt ad claram notitiam,q̄ Rom.Pont. Petri successor est , & habitus est semper in Petro institutus Pastor & rector totius Ecclesię.Et à Græcis incipiēdo, Chrys.homil.55. super Matt. exponens illud,Super hanc Petram:dicit, Petrum Ecclesię futurę pastorem constituit.Et infrà, Deus concedere solus potest peccatorum remissionem, & vt futura Ecclesia tot , tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat : cuius pastor & caput piscator homo,atque ignobilis terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet.hæc inquam omnia, quæ solius Dei sunt,se pollicetur daturum.Et infrà,Hūc,scilicet Petrum,vniuerso terrarum orbi Christus præposuit. Et licet superius glossauerit,super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,id est fidem atque confessionem: inferius tamen ait,Ego dico tibi , Tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam.Et homil. vlt.super Ioan.tractans illud,Simon Ioannis diligis me plus his, &c. dicit, Aliis omissis duntaxat Petrum affatur, fratrum ei curam committit:neque negotiationis meminit, neque exprobrat: tantum dicit,Si amas me fratrum curam suscipias.Et infrà,tractans illud, Sequere me,ait,Inquit ei, Sequere me ; quibus verbis iterum curam & familiarem in eum affectum ostendit: Quod si per cunctaretur quomodo Iacobus Hierosolymis sedem acceperit , responderem hunc totius orbis magistrum præposuisse. Et infrà,tractās illud, Domine hic autem, quid? dicit , Nam quū magnā Dominus Petro communicasset,orbis terrarum curam demandasset , martyrium prædixisset,& maiora &c.

¶Theophilus quoque Luc.22.tractans illud, Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos,ait,Postquam me negato ploraueris ac pœnitueris,corrobora cæteros: quum te principem Apostolorum deputauerim:hoc enim decet te, qui mecum robur es , & petra Ecclesiæ.Et infra,Quum esset Apostolus,denegauit ac iterum per pœnitentiam obtinuit prærogatiuam,vt esset Antistes mundi. Et super Ioan.vlt.cap.super illud. Quum ergo prandissent,ait.Finito prandio commissionem ouium mundi Petro commendabat non alij. Et super illud,Sequere me , ait, In hoc quòd dicit Dominus Petro,Sequere me, cunctorum fidelium prælaturam ei instituit.Et infrà,super illud,Donec veniam ait,Id est , dum hunc scilicet Ioan.volens dirigam ad prædicandum:te nanque nunc dirigo ad orbis pontificatum,& in hoc me sequere.

¶Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in lib.Thesau.Sicut Christus accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ gentium , dux ex Israël egre-

diens super omnem principatum & potestatem super omne quod cunque est, vt ei cuncta curuentur : sic & Petro & eius successoribus plenissimè commisit & nulli alij quàm Petro Christus quod suum est plenum,sed ipsi soli dedit.Et rursus,pedes Christi humanitas est , scilicet ipse homo cui tota Trinitas plenissimam dedit potestatem: quem vnus trium assumpsit in vnitatem personæ trāsuexit ad patrem super omnem principatum & potestatem,vt adorent eum omnes Angeli Dei,quem totum dimisit per sacramentū & potestatem Petro & Ecclesiæ eius.Et iterum, Petro omnes iure diuino caput inclinant:& primates munditanquam ipsi Domino Iesu obediunt.Et iterum , ipsius Apostolici throni Romanorum Pontificum solius est reprehendere , corrigere,statuere,soluere, disponere,& loco illius ligare, qui ipsum ædificauit. Maximus in Epistola Orientalibus directa. Omnes fines orbis qui Dominum syncerè receperunt:& vbique terrarum catholici veram fidem cō fitentes,in Ecclesiam Romanorum tanquam in Solem respiciunt, & ex ipsa lumen catholicæ & Apostolicæ fidei recipiunt.

¶Cyrillus Patriarcha Hierosolymitanus, ex persona Christi loquēs dicit Petro,Tu cum fine & ego sine fine cum omnibus, quos loco tui ponam , plenè & perfectè sacramento & autoritate ero sicut sum & tecum.

¶Concilium Calcedon.(vt in eius gestis legitur) tempore sancti Leonis & Martiani Imperatoris acclamauit Leoni Papæ:Leo sanctissimus Apostolicus & vniuersalis. Et prius tēpore Diocletiani & Maximiani Imperatorum (vt habetur dist.21.nunc autē) quum Marcellinus Papa , & postea Martyr timore ductus thurificasset idolis, synodus Episcoporum collecta huius rei gratia dixit, Prima sedes non iudicabitur à quoquam. Et longe antè Anacletus Martyr Traiani tempore natione Græcus,patria Athenien.ait Sacros.Rom.& Apostolica Ecclesia non ab Apostolis,sed ab ipso Domino & Saluatore nostro primatum obtinuit : sicut beato Petro Apostolo dixit:Tu es Petrus , & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:& tibi dabo claues, &c.vt habetur dist.22.Sacrosancta.Et rursus,vt habetur dist.21.in nouo.idem dixit , In nouo Testamento post Christum dominum à Petro sacerdotalis cœpit ordo,quia ipsi primo pontificatus in Ecclesia Christi datus est : Domino dicente ad eum, Tu es Petrus & super hanc petram, &c. Et iterum,Electionem summorum Pontificum sibi Dominus reseruauit 79.dist.electionem. Marcellus Papa & Martyr tempore Dioletiani & Maximiani,seu Constantij & Galeri,qui imperij gubernacula susceperunt, post Diocletianum & Maximianum in can. rogamus vos.24. q. 1. ait de Petro , Ipse est caput totius Ecclesiæ cui Dominus ait , Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,&c.

¶Cyprianus quoque Martyr in tract. de Simplicitate prælatorum dicit ea quæ referuntur 24.q.1.loquitur Dominus, quæ breuitatis causa non duxi repetenda.In illis siquidem Petri pontificatus satis patet,vt declaratum superius est.

¶Amb. in sermone 47. de fide Petri Apostoli, & habetur dist.50. can.fidelior.dicit de Petro , Tanquam bonus pastor tuę dum gregē accepit:vt qui sibi infirmus antè fuerat , fieret omnibus firmamentum:& qui ipse interrogationis tētatione nutauerat,cęteros fidei soliditate fundaret.Denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarū petra dicitur:sicut ait Dominus, Tu es Petrus,& super hanc petram ædific. Eccles. meam : petra enim dicitur, eo q̄ primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquā fatum immobile totius operis Christiani compagē molémque contineat. Et idē in hymno Dominicali Petrū petrā ecclesiæ appellat, dicens, Hoc ipsa petra ecclesiæ canente,culpam diluit. Testatur siquidē Aug. in li.1.Retrac.c.21.hunc hymnum Amb.esse. Et in serm.11. de mirabilibus: Hanc igitur solam ecclesiæ nauē ascēdit Dominus,in qua Petrus magister est constitutus:dicente domino, Super hāc petrā ædific. ecclesiam meam. Quæ nauis in altū seculi iactus ita natat, vt persecutę mūdo, omnes quos suscipit, seruet illæsos. Cuius figuram in veteri videmus Testamento. Sicut enim Noe arca, nauigans gāte mūdo, cunctos quos susceperat incolumes reseruauit: ita & Petri ecclesia cōflagrante seculo, omnes quos ampliectitur, reprę sentabit illęsos. Et sicut tunc trāsacto diluuio ad aream Noe colūba signū pacis detulit:ita & trāsacto iudicio ad ecclesiam Petri Christus gaudiū pacis referet:quia ipse colūba, vel pax est. Et idem iustus gaudiū pacis referet:quia ipse colūba, vel pax est. Et idem super Epist.1.ad Tim.c.3.tractās illud, Vt scias quemadmodū oportet te in domo Dei conuersari,quæ est ecclesia Dei viui, &c. ait: Quum totus mūdus Dei sit ecclesia, tamen domus eius dicitur, eū ius hodie rector est Damasus: mūdus enim in prævaricatione est diuerso turbatus errore: ideo illic necesse est dicatur esse domus Dei & veritas , vbi secundū voluntatē suā timetur. Et in li. de excęssu fratris sui nomine Satyri,narrat , cōmēdat ac tuetur cautelā ac sapiētiā eiusdē in peregrinatis partibus percūctātis,si Episcopus esset catholicus,hoc est cū Ro.eccles.cōueniret:dicēs ca. 7.Adiocauit ad se Episcopū nec vllā putauit verā niſi verę fidei gratiā:per cunctatusq; ex eo est,vtrū nam cū Episcopis catholicis, hoc est cū Ro. Eccle.cōueniret, Cū Rō. dixit nō Hierosolymitana, nō Antiochena, nō Cōstātinopolitana,&c.cur hoc,niſi quia Rō. communis est omnib' catholicis, proculdubio vt caput? Simile siquidē apud Hieron.refugium inuenies , scribentem ad Damasum Epistola 7. Ego interim clamito,Si quis cathedræ Petri iungitur,meus est.

¶Hieronymus,super Matth. ait, Simoni , qui credebat in petram Christum,Petri largitus est nomē:ac secundum metaphoram petræ rectè dicitur ei,Ædificabo Ecclesiam meam super te.

¶Rursus ad Damasum:& habetur vigesimaquarta quæstione prima,c.quoniam vetus. Ego nullum præmium niſi Christum sequens, beatitudini tuæ,id est,cathedræ Petri communionem consortior, super illam Petram ædificatam ecclesiam suam scio.Et infrà,Quicunque tecū non colligit, spargit: hoc est qui Christi non est,Antichristi est. Vbi nota Hier. pro eodē computare Christum & Papam quantū ad ea quæ sunt fidei:de his enim eum loqui claret patet videri Epistolam 4.Item quoque 1. lib. cōtra Iouinianum ca.14.ait,Inter 12.vnus eligitur , vt capite cōstituto schismatis tollatur occasio. & loquitur procul dubiò de electione Petri non ab Apostolis,sed à Christo : vt patet ex solutione subiūctæ mox quæstionis,sed cur non Ioānes virgo electus est? soluit enim , Ne magister bonus,qui dixerat,Pacem meam do vobis,&c.in adolescentem,quē dilexerat, causam præbere videretur inuidiæ. Idē rursus Epistola 2.ad Damasum:& habetur 24.q.1.Hæc est fides,ait,Si hęc nostra confessio apostolatus tui iudicio comprobatur quicunque me culpare voluerit,se imperitum vel maleuolum, vel etiam non catholicum,non me hæreticum comprobabit, vbi quia vides, ex sedis apostolicæ iudicio pendere esse,vel non esse catholicum,aut hæreticum summum Christi in terris tribunal agnoscere potes:ad quod de fide iudicium spectare constat.

¶Aug.non solum Petrū principem Apostolorū affirmat:sed quum consultaretur sedes Apostolica de fide cōtra Pelagianā hæresim a duobus Conciliis Carthagi. & Mileuitano subscriptus iuuenitur. Et respondente Innocētio Papa ad Carthaginēse quidē Concilij. Patrum institutа sacerdotali custodientes officio non censetis esse calcanda,quod illi non humana , sed diuina decreuere sententia, vt quidquid de disiūctis remotísque prouinciis ageretur,nō prius ducerent finiendum,nisi ad huius sedis notitiā peruenirent:vbi tota huius autoritatē iusta , quæ fuerit pronunciatio firmaretur:indeq; sumerent cæteræ Ecclesiæ,velut de naturali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diuersas totius mundis regiones puri capitis incorruptæ manarent:quid præcipere,quos abluere, quos velut in cœno inemundabili sordidatos mūdis digna corporibus vnda vitaret? Concilium verò Mileuitanum , Quoties fidei ratio ventilatur arbitror omnes fratres & coepiscopos nostros non nisi ad Petrum,id est sui nominis & honoris autorem referre debere: velut nunc retulit vestra dilectio,q̄ per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in communi prodesse. Et idem ad Paulinum Epistola 106.referens hæc gesta,commendat Innocentij literas respōsuas , subiungens , Ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat atque oportebat apostolicæ sedis Antistitem. Rursus secundo lib.de Baptismo contra Donatistas ca.1.(& habetur 2.q.7.puto) Petri cathedrā cuilibet præfert Episcopatui,quū comparando Cyprianū Petro ait , Vereri debeo ne in Petrū contumeliosus existam:quis nescit enim illum apostolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum?sed & si distat cathedrarum gratia vna tamen est Martyrū gloria. Idem in 2.lib.de Doct. Christia. non longè versus principiū,decretales Epistolas apostolicæ sedis inter canonicas habendas scripturas censet, dicens , In canonicis scripturis Ecclesiarū catholicarum quàm plurium diuinarum scripturarum solertissimus indagator,autoritatē sequatur: inter quas sanè illæ sint,quas apostolica sedes habere , & ab ea alij meruerunt accipere Epistolas. Quid enim Decretales fidei, quas apud se habent,vel aliis misit apostolica sedes inter canonicas esse habendas scripturas affirmat, supponit procul dubio apostolicā sedē non solum cunctis prælatā sedibus:sed diuinam vtpote fidei magistram.

¶Greg.in regist.libro 4. Epistola 32. ad Mauricium Augustū ait: Cunctis Euangelium scientibus liquet,quòd voce Dominica sancto , & omnium Apostolorum principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est:ipsi quippe dicitur,Petre amas me? pasce oues meas. Ipsi dicitur,Ecce satanas expetiit eribrare vos sicut triticum:& ego pro te rogaui,vt non deficiat fides tua:& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ipsi dicitur, Tu es Petrus , & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā , & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam:& tibi dabo claues regni cælorū:& quodcunque ligaueris super terram , erit ligatum & in cælis , & quodcunque solueris , super terram , erit solutum & in cælis.Ecce claues regni cælestis accepit: potestas eligandi & soluendi tribuitur:cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur.

¶Sanctus Leo primus in sermone 3. de anniuersario suæ assumptionis die ait,De toto mundo vnus Petrus eligitur qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis cunctísque Ecclesiæ patribus præponatur , vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multi que pastores, omnes tamen regat Petrus, quos

principaliter regit & Christus. Magnum & mirabile , dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio : & si quid eum eo commune cæteris voluit esse principibus, nunquam niſi per ipsum dedit, quicquid aliis non negauit.

¶Venerabilis Beda super illud Ioan. 1. Intuitus autem in eum Iesus dicit,Vidit cordis eius simplicitatem, animi sublimitatem:cuius meritò cunctæ esset præferendus Ecclesiæ.

¶Bernardus nō solùm pluries Ro. Pon.Iesu Christi vicariū & totius ecclesiæ caput appellat: sed in Epistola prima ad Eugeniū Papam 237.in ordine Epistolarum ait,Locus in quo stas,terra sancta est,locus Petri est,locus principis Apostolorū,vbi steterunt pedes eius:locus illius est,quem cōstituit Dominus dominū domus suæ & principē omnis possessionis suæ:meritò tali pastori, tali nutritori cōmissa est ecclesia,quū adhuc tenera adhuc in cunabulis esset. Et in Epist.242.ad Ro. quando discesserūt à Domino Papa ait, Cur regem terræ,cur dominū cæli furore tam intolerabili, quàm irrationabiliin vos pariter prouocatis, dum sacrā & apostolicam sedem diuinis regalibūsque priuilegiis singulariter sublimatā,au su sacrilego incessere,suoque minuere honore contenditis? Et in Epist.131.ad Mediola.de plenitudine potestatis apostolicæ ait,Ro. Ecclesia valde clemens est,sed nihilominus potens:fidele consiliū & omni acceptione dignū,noli abuti clementia, ne potētia opprimaris.Sed dicit aliquis,Debitā ei reuerentiā exhibebo , & nihil amplius.Esto.Fac quod dicis:quasi exhibeas debitā, & omnimodam.Plenitudo siquidē potestatis super vniuersas orbis Ecclesias singulari prærogatiua apostolicæ sedi donata est: qui igitur huic potestati resistit,Dei ordinationi resistit.Potest si vile iudicauerit nouos ordinare Episcopatus,vbi hactenus nō fuerūt : potest eos, qui sunt alios deprimere,alios sublimare,proutratio sibi dictaue rit:ita vt de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, & ecōuerso si necesse visum fuerit.Potest à finibus terræ sublimes quaſcunque personas Ecclesiasticas euocare,& cogere ad suā præsentiā:nō semel aut bis,sed quoties expedire videbit.Porrò in prōptu est ei omnem vicisci inobedientiā,si quis fortè reluctari conatus fuerit.

¶In gestis concilij Constan.inter damnatos articulos Io.V Viclef, & Io.Hus reperiuntur hi duo,scilicet Petrus non est nec fuit caput sanctæ Ecclesiæ catholicæ,non est de necessitate salutis credere Rom.Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias . Et subditur,Error est,pro quanto negaret primatum summi Pont. super alias Ecclesias particulares.

¶Sanctus Th.in 4.cōtra Gen c.76.postquā multipliciter probauit vnū Episcopū præfatū à Christo,toti Ecclesiæ , subdit,per hoc autē excluditur quorundā præsumptuosus error,qui se subducere nituntur ab obedientia & subiectione Petri , successorem eius Romanum Pon.vniuersalis Ecclesiæ pastorem non recognoscentes.

¶In cōcilio quoque vniuersali Florētiæ sub Eugenio 4. vbi Græcorum, Armenorū,& Iacobitarū cum Rom.Ecclesia facta legitur vnio,habentur hæc verba,Diffinimus sanctā apostolicam sedem, & Ro.Pon.in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Rom. Pont.successorem esse beati Petri principis Apostolorū , & verum Christi vicarium,totiúsque Ecclesiæ caput & omniū Christianorum patrem ac doctorem existere:& ipsi in beato Petro pascēdi, regendi & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem tradita esse , quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum & in sacris canonibus continetur.hæc ibi.Vbi non nouiter ab hac synodo inuētam fuisse hanc diffinitionem,sed ipsam continetiin aliorum vniuersalium Conciliorum gestis,& propterea hoc vnum Concilium sufficit pro omnibus ad firmandam fidem huiusmodi veritatis.

¶Prætereo turbā Canonum & doctorum(quam dinumerare nemo potest)idem sententiū. Tam euidenter siquidē ex his, quæ attulimus,clarum est Ro.Pont. Petri successorē , à Christo in Petro institutū esse totius Ecclesiæ pastorē, vt locus dubitationi nullus relictus sit.Si quis autē post hæc hæsitās inuenitur,aut rudis & ineptus,aut cū hæreticis seu schismaticis sapit , aut certè Christianus nō est,ineruditus quippe valde & indocilis est quisque certitudinē mathematicā in omnibus quærit,vt Philosophi tradūt:Hæreticorū atque schismaticorū proprium est sacra vti scriptura, secundum sensum tamē quo ipsi faciunt illam sonare. Christianorū autem,quivere catholici sunt, sapientia sacram scripturam intelligit secūdum sensum,quem sancti Doctores,quem sacra Cōcilia,apostolica autoritate roborata interpretātur. Hūc sciēdi Christianam veritatē modum quisquis repellit Christianus non est:ab hac via qui recedit,infidelis inuenitur.Nā licentia exorbitandi ab hac via si admittitur, Trinitatis vnā substantiam renocare in dubiū cum Arrio fas est:Spiritum quoque sanctū procedere à filio ambiguū adhuc cum priscis eritpane in sacramento altaris conuerti in corpus Christi dubitatur.Hæc enim omnia nulla alia via aut autoritate sunt Christianis reddita certa & indubia fide tenēda, niſi interpretatione sacræ scripturæ,iuxta Sanctorū documenta , & sacrorum Conciliorum autoritate apostolica firmatorum diffinitionē. Quocirca quum textus euangelici ad propositum adsint, & San-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctorum doctrina cõformis in proposito pateat, nullo penitus Sanctorum reluctãte, sacrorúmque Cõciliorum cum Apostolica autoritate inueniatur definitio, omnísque Christianorũ ætas à Petro hucúsque in sancta Ecclesia catholica hoc cõfessa inueniatur, reliquorúmque Doctorum testimonia innumera sint: certũ ita redditur Ro. Pon. Petri successorem in Petro à Christo institutum totius Ecclesiæ pastorem, vt certior fides haberi non possit, Amen.

¶ Romæ, anno Christianæ salutis, 1521. ætatis verò propriæ 52. die 17. Februarij.

FINIS.

TRACTATVS QVARTVS, De Attritione & Contritione, in quatuor Quæstiones diuisus.

SVMMARIVM.

1 *Num Attritio possit fieri contritio.*
2 *Num Contritio debeat esse singulorum peccatorum.*
3 *Num peccator teneatur ad contritionem quandocunque recordatur suorum peccatorum.*
4 *Num contritio non modo culpam, sed pœnã debitam peccatis remittat.*

PROLOGVS.



NTENTIO Mea in subsequentibus, quæ ab autore tractanda erant ad perfectionem operis, est non aggredi ordinem per quæstiones & articulos sigillatim decidendo, quasi complere vellem tertiam partem (imparem enim me tanto negotio & cognosco & fateor) sed dubia aliqua vtilia necnõ discussione digna tractare, & iuxta ingenij vires diuina aspirante gratia determinare. Seruabóque ordinem sacramentorum suprapositum.

¶ De partibus igitur pœnitentiæ in speciali tractando, primum occurrit de prima parte pœnitentiæ dubiũ circa quidditatem eius: quæ ex differentia inter attritionem & contritionem facilius cognoscetur.

QVAESTIO I.

¶ An attritio possit fieri contritio.



ST PROPTEREA Quæritur primò an attritio possit fieri contritio. Videtur enim quòd non. Tum quia contritio & attritio differunt penes principia: quoniam contritio est à charitate, attritio autem est à voluntate sine charitate. Tum quia imperfectio attritionis est de ratione eius: ac per hoc remota imperfectione nõ remanet attritionis actus, qui possit perfici per charitatem.

¶ AD EVIDENTIAM Huius tria facienda sunt, primò dicetur quid nominis: secundò manifestabitur quotuplex est tam attritio, quàm contritio, tertiò respondebitur quæsito.

¶ Quo ad primum attritio sonat imperfectam displicentiam peccati: contritio autem sonat displicẽtiam perfectam peccati. Et est sermo de peccato mortali. Notanter autem dico displicentiam, & non dico dolorem seu tristitiam: quoniam contritio propriè significat displicentiam quæ est causa tristitiæ seu doloris, quãuis frequenti vsu dicatur, quod contritio est dolor, significando causam ab effectu. Quanta autem differentia sit inter displicentiam & tristitiam, quæ est in voluntate, manifestat status cælestis patriæ: in qua sanctis displicebunt peccata olim ab eis eõmissa, nullam tamẽ tristitiam de eis habebunt. Ex hoc enim quòd in patria erit displicentia, & non erit tristitia, manifestè patet quòd tristitia ipsa, quæ est in voluntate, non est essentialiter displicentia, sed ad displicentiam sequitur tristitia in iis, qui sunt tristitiæ capaces. Et hanc doctrinam habes superius ab Autore in q. 84. art. 4. Hæc de primo.

¶ Quo ad secundum, quia imperfectum dicit negationem perfecti, & negatio per affirmationem oppositã cognoscitur: ideo inchoandum est à contritione, quæ est displicentia perfecta. Ex tribus siquidem constat huiusmodi perfecta displicentia: primũ est ipsa displicentia peccati: secundum est propositum de cætero non peccandi mortaliter: tertium est quòd sit charitate informata. Et siquidem primum defecerit totaliter, nec attritio, nec contritio est: quoniam displicentia communis est vtrique. Si verò defecerit secundum quid (puta quia adest peccati displicentia modica: seu leuis) tunc attritio esse potest, verum vsque ad quem terminum quãritas displicentiæ limites habeat, ita quòd ibi sint cõfines attritio & contritio, in tertia cõditione declarabitur. Si verò secunda defecerit conditio (scilicet propositum de cætero non peccandi mortaliter) tripliciter hoc contingere potest. Vel per positionem contrarij præpositi in actu: puta, quia actualiter intendit peccare mortaliter: & tunc non habet locum attritio. Vel per positionem contrarij habitualiter tantùm: puta quia non intendit actualiter committere peccatum mortale, nec intendit mutare statum suũ, quo detinetur in peccato mortali, vt patet in vsurariis, cõcubinariis, & aliis similibus: qui consentunt peccata sua, displicétque eis peccasse, habéntque velleitatem relinquendi peccatum, nõ tamen deserunt concubinatũ, aut restituunt vsuras, &c. Et hæc displicentia cum huiusmodi velleitate attritio dici potest, vel per negationem propositi expliciti: puta quia pœnitẽs est sic dispositus quòd displicent ei peccata præterita, & non intendit peccatum mortale aliquod committere, & intendit tanquam in quodam cõfuso cauere à peccatis: ita quòd duo prima, scilicet affirmatio displicentiæ & negatio intentionis peccandi habẽtur explicitè: tertium autem, scilicet affirmatio propositi de cætero non peccandi mortaliter, non nisi in confuso habetur: pro quanto in voluntate nõ peccandi confunditur & tempus proximè futurum, & totum tempus vitæ suæ: ad quod non explicitè extendit se hoc debile propositũ, de quo est sermo. Et talis displicẽtia forte est valde communis: & illa quæ communiter vocatur attritio. Circa defectũ verò tertiæ conditionis aduertendũ est, quod in conditione illa clauduntur duo, quorũ vnum est in potestate nostra, & de eo certi esse possumus, alterum est ex diuina gratia, & nobis incertum. Horum primum est, diligere Deum super omnia: Secundum est, quòd huiusmodi diligere sit informatum charitate diffusa à Spiritu sancto in cordibus filiorũ Dei. Et si quidẽ defecerit primũ (scilicet dilectio Dei super omnia) attritio non contritio est: si verò primũ affuerit, cõtritio vocatur. Esse autẽ hanc dilectionem in potestate nostra, ex eo patet: quia sicut in potestate nostra est cõstituere nobis pro vltimo fine delectationẽ venereã, aut lucra, aut regnum: ita in potestate nostra est habere Deum etiã vt beatitudo est Sanctorũ, pro vltimo fine: ita quòd intendamus & deliberemus præferre ipsum in voluntate nostra omnibus, quæ desiderari haberíve possint. Quòd etiã huiusmodi dilectio exigatur ad contritionẽ, & distinguãt ab attritione, ex eo patet, quia sine huiusmodi dilectione nõ potest esse informatio charitatis: substernitur enim huiusmodi dilectio acquisita charitatis formationi, & tũc tam sapiẽtes, quã boni fideles, tã seipsos, quàm alios habent pro contritis, quũ hæc dilectio testimoniũ perhibet. Quod demum huiusmodi tam dilectio, quàm contritio possit esse sine charitate, ex eo patet, quòd multi sciunt se habere hanc dilectionẽ, & nesciunt se esse in charitate. Si enim huiusmodi tam cõtritio, quàm dilectio nõ posset esse informis manifestè sequeretur, quòd scire possemus euidẽter, nos esse in Dei gratia: quia euidẽter certi sumus de nobis ipsis quòd habemus hanc voluntatem deliberatã præferendi omnibus Deũ, &c. Et hæc est dilectio similis charitati infusæ intantũ quòd propter similitudinẽ actũ censet diuus Thomas non discerni à nobis, an dilectio nostra, qua Deũ diligimus & proximũ, sit ex infusa gratia, vel non? Et ab hoc amore prouenire potest q. Apostolus ait, Si distribuero facultates meas in cibũ pauperum, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam: charitatem autem non habeam, &c. Et hinc habere potes terminos quãtitatis tã displicentiæ peccati quàm propositi non peccãdi: quantificatur enim vtrunque horũ ex quantitate amoris Dei: ita q. sicut amor Dei est super omnia amabilia, ita propositũ vitãdi peccati debet esse super omnia euitabilia, & similiter displicentia peccati super omnia odibilia. Ac per hoc displicentia peccati modica, quæ non peruenit ad displicentiam cõtritionis, est illa qua minus odio habemus peccatum, quàm aliquod aliud dãnum, & similiter propositum illud est debile ac deficiens à proposito contritionis: quo plus proponimus cauere ab aliquo alio malo, quàm à peccato mortali. Si postremò deficiat charitas stantibus reliquis conditionibus, contritio, vt dictum est, vocatur, quamuis appelletur attritio ab illis, qui sine charitate contritionem non nouerunt.

¶ Ex quibus omnibus colligere possumus duplicẽ esse attritionẽ & duplicem contritionem. Prima attritio est, displicentia peccati cũ velleitate nõ peccãdi, in statu tamẽ peccati: & hæc est attritio meretricum, vsurariorum, & aliorum huiusmodi: & hæc vocatur attritio impœnitentium. Secunda attritio est displicentia peccati cum non voluntate peccandi, & cum voluntate non peccandi in confuso: & hæc est attritio pœnitentium, qui sic in confuso, tam totum tempus futurum, quàm comparationẽ peccati ad alia odibilia, quam etiam comparationem Dei ad alia amabilia in voluntate sua habent: & hæc vocatur attritio imperfectorum. Prima verò cõtritio est acquisita displicentia peccati supra omne odibile, cum proposito vitãdi peccatum supra omne vitabile, ex amore Dei supra omne amabile: & hæc vocatur cõtritio informis. Secunda autem contritio est hæc eadem displicẽtia cum dicto tam proposito, quàm amore, charitate informata: & hæc vocatur contritio formata. Hæc de secundo.

¶ Quo ad tertiũ, prænotandum est, quòd aliud est quærere an de attrito fiat contritus, & an attritio fiat cõtritio. Prima enim quæstio clara est: quoniã cõstat multos peccatores paulatim ad pœnitentiam conuerti, & ex imperfecta displicentia ac ex imperfecto proposito imperfectóque Dei amore ad perfectionẽ cõtritionis deduci, ita vt verè contritionem charitate informatam assequantur. Secunda autem quæstio (de qua est sermo) non est vsque quaque clara: quoniam permanentia actuum interiorum in ideitate numerali, satis occulta videtur. Veruntamen dicendum est, quòd attritio impœnitẽtium non potest fieri cõtritio. Quod probatur non

solùm, ex eo quod velleitas non est idem actus cum volũtate deliberata: & similiter displicentia proportionalis velleitati nõ est idẽ actus cum displicentia proportionali voluntati deliberatæ, sed præcipuè ex eo quod actus vnius speciei non transit in actum alterius speciei: displicentia autẽ summi odibilis, quæ est cõtritio & displicentia odibilis, non summi, quæ est attritio, differunt specie: quia summũ odibile ex suo genere specie differt ab odibili nõ summo: & hoc tã in genere mali, quàm in genere odibilis. Et hæc intellige formaliter, id est quia attritio est displicentia peccati sub ratione nõ summè odibilis, cõtritio autẽ sub ratione summè odibilis. Cui enim offensa Dei est summè odibilis, illi Deus est summè amabilis: & à quo Deus nõ summè amatur, illi offensa Dei non est summè odibilis. Attritio quoque imperfectorũ non fit cõtritio eadem ratione, qua cognitio cõfusa nõ fit cognitio distincta: sed sicut cognitio confusa approximat intellectum ad cognitionem distinctam: ita displicentia confusa, quæ attritio dicitur, ducit & appropinquat voluntatem ad displicentiam distinctam, quæ est cõtritio. De acquisita autem contritione, quæ contritio informis dicitur dicendum est, quòd potest fieri cõtritio formata: quoniam potest continuari idem numero actus acquisitæ contritionis vsque ad charitatis infusionem inclusiuè, & sic charitate informari. Et quia huiusmodi contritio antequã informetur charitate, vocatur etiã quãdoque attritio: ideo hoc tertio modo sumpta attritio potest fieri cõtritio. Et hoc iam habere potes à diuo Thom. superius in q. 89. vbi dixit, quòd contritio est vltima dispositio ad charitatem.

¶ Sed occurrit hic non dissimulandum dubiũ, per quid, seu quomodo huiusmodi attritio seu cõtritio acquisita sit vltima dispositio ad gratiã. Est enim quãdoq; nõ vltima dispositio: vt patet ex eo quod potest esse informis. Si enim semper esset vltima dispositio, quum Deus tam in naturalibus, quàm in gratuitis dat semper vltimò dispositis formã, pro qua sunt vltimò disposita, sequeretur q. homo habẽs huiusmodi cõtritionem acquisitã certus esset se esse in gratia Dei. Quandoq; autem est vltima dispositio: vt diuus Th. dixit, & ratio approbat: quia gratia perficit naturã, ac per hoc rationabile est, vt à nobis acquisita displicentia peccati suprema, perficiatur quandoque gratuita charitate. Si dicatur, quòd huiusmodi transitus fit per motũ intensionis, ita quod acquisita huiusmodi perfecta displicẽtia peccati, si est remissa, est attritio, & non habet rationem vltimæ dispositionis ad charitatẽ: si autem intenditur & crescit, est cõtritio & vltima dispositio ad charitatẽ: vt sic verificetur quasi cõmune dictum, quod contritio & attritio differunt secundũ magis & minus. Contra: Nam loquẽdo de attritione tam impœnitentium quàm imperfectorũ, cõstat quòd differt à contritione non penes obiectum materiale: quia vtriusq; materia est peccatum mortale, sed penes obiectum formale: quia contritio attingit mortale peccatũ sub ratione summè odibilis: attritio autem tam impœnitentiũ, quàm imperfectorũ attingit mortale peccatũ non sub ratione formali summè odibilis. Et propterea neutra differt à contritione penes magis & minus, tum quia differentia secundũ magis & minus, non est differentia formalis: tum quia quantumcunque creseret displicentia mortalis peccati extra formalem rationem summè odibilis, nunquam esset contritio. Tertio verò modo sumpta attritio, nec penes materiã, nec penes rationem formalẽ obiecti differt à cõtritione acquisita: quia sunt respectu eiusdẽ mortalis peccati, & sub ratione summè odibilis. Et quòd nec differant penes magis & minus, ex eo patet, quod minimus gradus huiusmodi displicẽtiæ sufficit ad charitatem operiẽtẽ multitudinem peccatorũ. Quod ex Ecclesiæ testimonio reprobatur: credimus enim omnes tam nosmetipsos quam alios cõprobatur: credimus enim omnes tam nosmetipsos quam alios esse in charitate, quum ad huiusmodi displicentiã quantumcunque remissam peruenimus. Vnde nec est verum cõtritionẽ & attritionem differre secundũ magis & minus in eadem specie, licet sit verum secundũ magis & minus in diuersis speciebus: sicut album habet magis deluce, quam viride. Nec allata responsio satisfacit quæsito. Aliter ergo dicendũ mihi videtur, quòd gratuita Dei modo est, quæ huiusmodi acquisitam contritionẽ efficit vltimam dispositionem ad gratiam seu charitatem: ita quòd ex hoc ipso, q. Deus non per aliquod superadditum donum habituale sed per gratuitam dilectionẽ, qua dignatur vti nostra acquisita contritione: vt dispositione vltima ad suum proprium opus, quod est charitas, quæ infunditur, transferturnostra cõtritio in fore vltimam dispositionem pro gratia habituali: iuxta illud Hiere. Ad Deum post quam conuertisti me, pœnitentiam egi. Hæc de tertio.

¶ AD ARGVMENTA in oppositum, pro quanto contra attritionem tertio modo dictam militant, respondendo dicitur: q. quidquid sit de diuersitate penes principia in esse naturæ, diuersitas tamen principiorũ in genere moris, seu meriti nõ infert vnũ eundémq; actũ nõ posse esse sine tali principio, & cum tali principio: vnus namque & idem actus exterior, qui à principio non fuit bonus moraliter, potest esse bonus moraliter in prosequutione. Et similiter in proposito contritio acquisita, quæ à principio non est meritoria, potest in sui prosequutione fieri meritoria, superueniẽte charitate: nec oportet reinchoare actum, quo ad substantiam actus, sed sufficit quòd inchoetur actus quo ad esse meritorium. Quuum enim dicitur actum meritorium inchoari à charitate, est sermo formalis: hoc est non de actu simpliciter, sed inquãtum est meritorius: & propterea stat actum esse simpliciter inchoatum sine merito & charitate, & eundem continuari cum merito, & inchoari à charitate secundum esse meritorium.

¶ Ad secundum dicitur, quòd licet imperfectio attritionis tam impœnitentium, quàm imperfectorum sit de illius ratione, quia penes defectum obiecti formalis attenditur: imperfectio tamen contritionis acquisitæ, quæ attritio tertio modo vocatur, non est de ratione illius, quoniam penes solam negationem potentis superuenire diuini doni attenditur: non enim informitas huiusmodi contritionis, seu attritionis est magis de ratione ipsius, quàm informitas fidei sit de ratione fidei. Et propterea sicut actus fidei informis potest in sui prosequutione formari charitate, ita actus acquisitæ contritionis potest superueniente charitate imperfectionem suæ informitatis deserere, & formatus continuari.

QVAESTIO II.

¶ An exigatur ad contritionem, quod sit singulorum peccatorum mortalium.



ECVNDO QVAERITVR de materia contritionis, an exigatur ad contritionem, quòd sit singulorum peccatorum mortalium. Videtur enim quòd sic.

¶ Tum quia contritio debet adæquare confessionẽ: confessio autem comprehendit omnia mortalia: vt patet in cap. omnis vtriusque sexus. ergo.

¶ Tum quia hæc est differentia inter pœnitentiam mortalium, & pœnitentiam venialium: quòd ad remissionem venialium sufficit virtualis displicentia: ad remissionem autem mortalium exigitur, vt homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur. Et confirmatur hoc autoritate diui Tho. superius in calce corporis primi ar. q. 87. dicentis quòd displicentia virtualis non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quãtum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.

¶ AD HVIVS euidentiam sciendum est, quæstionem hanc posse intelligi tripliciter. Primò an exigatur, q. singulis secundum numerum peccatis mortalibus respondeant totidem cõtritiones. Et sic intellecta quæstio, facilè soluitur negatiuè: quoniã nec quo ad actum displicentiæ, nec quo ad actum cõfessionis, nec quo ad actum satisfactionis oportet multiplicari actus pœnitentiæ in xta multitudinem actuum peccatorum: vnicus siquidẽ satisfactionis actus potest satisfacere pro multis mortalibus cõmissis. Et similiter vnica enuntiatione potest quis simul confiteri mille mortalia: dicendo, Percussi millies. Et similiter vnica displicentia potest respondere mille peccatis, non minus quàm confessio & satisfactio. Tum quia ridiculum est ita velle adæquare numerum contritionũ numero peccatorum, tanquam in multitudine actuum, & non in perfectione potius actus consistat virtus: quasi non possit vna perfecta displicentia æquiualere decem millibus imperfectis: quum tamen etiam in sensibilibus videamus, quòd vnum numisma aureum æquiualet mille æreis.

¶ Secundo verò modo potest quæstio intelligi, an singula peccata mortalia in seipsis, seu formaliter attingi debeant à cõtritione: ita quòd nõ sufficiat homini displicere sibi in generali quæcũque cõmisit contra Deum, sed exigatur, vt displiceat sibi in speciali peccata à se patrata: puta decem adulteria, cẽtum furta, mille blasphemia, &c. & hoc quo ad peccata, quorum memoria subest.

¶ Et sic intellecta quæstio, dupliciter examinanda est. Primò, de cõ trione relata ad sacramentũ pœnitentiæ: deinde de contritione absolutè. Multum enim refert sic vel sic loqui, quoniam contritio relata ad sacramentum pœnitentiæ, sub euangelica lege incæpit: contritio autem absolutè, post Adæ peccatum, & ante scriptam legem, & sub lege Moysi, omnibus peccatoribus necessaria fuit.

¶ Si igitur contritio relata ad sacramentum pœnitentiæ, exigat quòd terminetur ad singula mortalia formaliter, seu in seipsis, oportet quòd hoc habeat vel ex satisfactione, vel ex cõfessione, vel ex seipsa, vel ex absolutione sacerdotali: plura enim in sacramẽto pœnitentiæ non inueniũtur. Sed nõ cõuenire sibi ex satisfactione, patet ex hoc q. vna satisfactio virtualiter potest adæquare multa mortalia. Quod nec etiam ex confessione, ex eo patet quòd ratio quare confessio exigit singula mortalia, pro materia est: quia confessio fit humano iudici, qui nõ potest iudicare, nisi de cognitis: incognita autem sibi vi iudici remanerent quæcunque non essent à pœnitente in seipsis explicata. Quæ ratio non habet locũ in contritione, quæ Deo offert cor: qui non pensat quantũ aut quor, sed ex quanto offertur. Vnde de Magdalena legitur, Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: & non dixit quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

niam displicuerunt ei multa. Quòd etiam hoc non proueniat ex absolutione, manifestat vnica absolutio: quæ simul sit absque explicatione singulorum. Quòd demum cõtritio nõ habeat hoc ex seipsa, ex eo patet, quòd cõmunis doctrina tenet sufficere post singulorum peccatorum mortalium attritiones, vnam contritionem in generali. Ex hoc enim dicto manifestè habetur, quòd licet aggregatũ ex cõtritione & attritione seu attritionibus terminetur ad singula mortalia in seipsis: ipsa tamen contritio non terminatur ad singula mortalia in seipsis, seu formaliter, sed tantum virtualiter.

¶ Et si dicatur, quòd contritio sequens tot attritiones, operatur in viillarum, ac per hoc terminatur ad obiecta illarum formaliter, manifeste patet nihil valere illationem hanc, sed destruere commune dictũ: quoniam hinc non sequitur contritionem terminari formaliter ad obiecta attritionũ, sed virtualiter tantum. sicut non formaliter, sed virtualiter claudit in se attritiones. Et falsum esset quòd contritio sequens esset vna contritio generalis. Ex quibus omnibus apparet, quòd propriè loquendo, contritio relata ad sacramentũ pœnitentiæ, non exigit quòd terminetur formaliter ad singula mortalia, sed sufficit ꝙ terminetur ad ea virtualiter. Si autem spectemus ad cõtritionẽ simpliciter & absolutè, dicendũ est, quod nõ exigit determinari formaliter ad singula mortalia peccata: sed exigit virtualiter attingere singula mortalia etiam oblita & incognita. Dico autem virtualiter attingere singula: quia per hoc simpliciter & absolutè differt cõtritio remittens peccata venialia à contritione remittente peccata mortalia. Ad remissionẽ siquidẽ peccatorum mortaliũ, exigitur quòd contritionis displicentia sit adeò perfecta extensiuè, quòd formaliter, aut virtualiter attingat omnia & singula mortalia, quorũ pœnitẽs est reus: & hoc manifestatur ex eo, ꝙ impium est dimidiam à Deo sperare veniã mortalium peccatorum. Ad remissionem autem venialium nõ exigitur hæc extensiua perfectio: potest siquidem vnum peccatũ venia le dimitti sine alio, & illa tantum venialia remittuntur, ad quæ displicentia virtualis se extendit. Probatur ergo declarata cõclusio ex eo quòd contritio generalis virtualiter se extendens ad omnia mortalia, sufficit ad remissionẽ eorum concurrente charitate, &c. Probatur hoc: quia in instãti fit iustificatio impij, & cõuerti potest peccator ad Deũ: scriptum est enim, In quacunque hora ingemuerit peccator, &c. Et si forte obiiciatur contra hoc, dicendo ꝙ huiusmodi momẽtanea ac generalis contritio fert secum propositũ specialis cõtritionis de singulis mortalibus in seipsis, sicut Baptismus fluminis fert secũ propositũ baptismi fluminis: & ideo cõtritio illa generalis vtpote imperfecta, cõcurrit ad remissionẽ peccati, vt tẽdens ad contritionẽ specialem, quæ est perfecta. Aduertat hæc obiiciens, quòd voluntariè opponitur ille ordo contritionis perfectæ virtualiter ad contritionẽ perfectã formaliter: tum quia nec ex sacra scriptura, nec ex sacris Doctoribus traditur, cõmuni sentẽtiæ superius recitatæ aduersatur: nã si contritio perfecta virtualiter remittit peccata, vt tendens in contritionem perfectã formaliter, sequeretur quòd post omnes attritiones in speciali subsequuta vna cõtritio generalis perfecta virtualiter, nõ sufficeret ad salutem: quoniam exigeretur, quòd post generalem contritionem perfectam virtualiter, sequeretur contritio specialis perfecta formaliter. Si enim perfecta virtualiter, fert secum propositũ perfectè formaliter, oporteret post illã hanc exequi, cuius contrarium pro certo habemus. Et bene nota, ꝙ aliud est dicere contritionem generalem perfectam virtualiter coẽxigere ante vel post detestationes speciales peccatorũ mortaliũ in seipsis: & aliud est dicere contritionẽ generalem perfectam virtualiter coẽxigere ante vel post contritiones speciales peccatorũ in seipsis. Nos enim hoc secundũ dicimus esse falsum tam nunc, quàm omnibus præteritis tẽporibus, primũ autem sacri Doctores tradunt. Et verũ proculdubio est tempore euangelicæ legis: in quo contritio fert secum propositum confessionis sacramentalis, ratione cuius exiguntur speciales detestatione peccatorum: siue vt præcedentes contritionem generalem virtualiter perfectã (vt contingit illis, qui suscipiendo actualiter sacramentũ pœnitentiæ fiunt de attritis cõtriti) siue vt consequentes sæpe dictam contritionem, vt cõtingit illis qui ex toto corde statim conuertũtur ad Deum habẽtes virtualiter saltem propositum cõsitendi suo tempore peccata sua. Vtrũ autem hoc sacrorũ Doctorũ dictum, verum etiã sit de contritione simpliciter & absolutè ex dictis apparere potest, quòd non. Nulla siquidẽ apparet ratio cogens ad huiusmodi detestationes speciales seclusa sacramento pœnitentiæ: nam & voluntas potest perfectè mutari & exercitari in necessariis virtutũ actibus & pro peccatis potest perfectè satisfieri absque huiusmodi specialibus detestationibus: vt paret ponendo peccatorem pœnitentẽ, qui totum se diuinæ dilectioni, eleemosynis, ieiuniisque daret: hic enim, prisco tempore perfectè satisfeciset pro peccatis absque tot detestationibus. Et hinc patet quid dicendũ sit ad quæstionẽ tertio modo intellectam: scilicet an contritio exigat quod terminetur ad omnia & singula peccata mortalia, non curando de modo terminandi. Ex dictis siquidem patet respondendum esse affirmatiuè: quoniam non curando de modo, hoc est an formaliter vel virtualiter, certũ est oportere sub contritione comprehendi omnia mortalia peccata commissa: siue sint sibi cogita, siue incognita: quoniam (vt dictum est) impium est à Deo dimidiam sperare veniam.

¶ AD PRIMVM Ergo in oppositum dicitur, quòd propriissimè loquendo, contritio respondet absolutioni, & detestationes respondent confessioni: & propterea detestationes sunt æquales numero actibus confessionis: & sæpe sunt simul tempore, quando scilicet pœnitens simul recordatur peccati, & confitetur illud. Vnde contritio secundum annexas detestationes adæquat confessionem quo ad modum attingendi peccata, scilicet in speciali, & non conuenit hoc contritioni secundum se.

¶ Ad secundum dicitur, quòd assumptum verum est de pœnitentia seu contritione relata ad sacramentum pœnitentiæ: & similiter intelligenda sunt verba diui Thomæ.

¶ Potest quoque & aliter dici iuxta differentiam vltimò explicatam inter perfectionem displicentiæ requisitam ad remissionem mortalium & requisitam ad remissionem venialium, quòd remissio mortalium exigit generalem contritionem perfectam virtualiter, sic quòd actualiter homo huiusmodi displicentiam perfectã extensiue ad omnia & singula mortalia habeat: remissio autem venialium non requirit huiusmodi extensiuè perfectam displicentiam. Sed cùm hoc quod aliquis in solis venialibus constitutus nõ habuerit generalem displicentiam de omnibus suis venialibus, stat quod ex aliquo feruore charitatis, in quo si occurrerent, displicerent contrariantia venialia, consequatur remissionem venialium illorum, quæ displicerent: quod non sufficere dicitur ad remissionem peccati mortalis, nisi obsti: quia (vt dictum est) oportet actualiter habere illam contritionem generalem perfectam virtualiter, ad remissionem mortalium.

QVAESTIO III.

¶ An peccator teneatur ad contritionem quando recordatur peccaterum suorum.

TERTIO Quæritur circa tempus contritionis, An peccator teneatur ad contritionem quando recordatur peccatorum suorum. Et quia quæstionem hanc discussimus in quolibetis nostris, ideo quære ibi. sat sic hic scire partem negatiuam esse veram.

QVAESTIO IIII.

¶ An contritio remittat non solum culpam, sed pœnam debitam peccato.

QVARTO Quæritur circa effectum contritionis, An contritio remittat non solum culpam, sed pœnam debitam peccato.

Videtur enim quòd non. Tum quia ad remissionem pœnæ ordinatur tertia pars pœnitentiæ, scilicet satisfactio: non ergo ad illam ordinatur contritio, nisi quatenus forte habet satisfactionem annexam.

¶ Tum quia contritio sufficiens ordinatur per se ad remissionem culpæ: nec apparet vnde habeat quòd pœnam sensus remittat.

¶ AD HVIVS Euidentiam sciendum est, duplicem esse modum dicendi de hac re: quamuis omnium sententia in idem tandem concurrat. Primus est, quòd alia est pœna, quæ debetur in contrito, & est alia, quæ debetur contrito: nam incontrito debetur pœna inferni, contrito autem pœna temporalis. Et propterea quum contritio tollat pœnam inferni (nunquam enim contritus perseuerans, ad pœnam infernalem ibit) dici potest, quòd contritio tollit totam pœnam peccato mortali prius debitam. Alter verò dicendi modus est, quod contritio non tollit totam pœnam, sed commutat pœnam æternam in temporalem: nam incontritus reus erat æternæ pœnæ, contritus autem reus est pœnæ temporalis. Sed vterque dicendi modus deficit. Primus quidem tripliciter, scilicet & dicendo pœnam deberi contrito, nam non nisi per accidens hoc verificatur. Contritio enim vt sic, non ponit reatum pœnæ: alioquin cuilibet contrito deberetur pœna: & dicendo alietatem pœnæ debitæ contrito & incontrito: nam, vt patebit, non alia pœna est quæ vtrique, si qua contrito alicui debetur, & inferendo, quod dici potest totam pœnam incontrito prius debitam per contritionem remitti: nam, vt patebit, pars quædam pœnæ sibi prius debitæ communiter remanet (scilicet pœna sensus) absque æternitate tamen. Secundus autem modus deficit ponendo commutationem: nam idem est quòd Deus interius operatur in pœnitente, & quod Dei minister sacramentum adhibendo significat: exterior enim sacramentalis actus significat interiorem Dei operationem. Sed sacramentalis actio in sacramento pœnitentiæ nõ significat commutationem, sed absolutionem: ergo interior Dei operatio, quæ in contritione interuenit, non est commutatio, sed absolutio.

¶ Ad cuius pleniorem intelligentiam aduertendũ est, in pœna inferni inueniri tria: pœnam damni, pœnã sensus & æternitatem pœnæ: iuxta tria quæ sunt in peccato mortali. Per peccatum siquidẽ fit auersio ab incommutabili bono, cui respondet pœna damni, separans animã à Deo, & fit conuersio ad commutabile bonum, cui respondet pœna sensus: & constituitur inimicus Dei, cui respondet æternitas pœnæ, inimicus enim quia est hostiliter exterminandus, est æternaliter puniendus. Quum autem peccator conteritur, quia charitate Deo coniungitur, tollit contritio pœnã damni, quæ separationem à Deo ponebat, & quia per eandem charitatem amicus Dei constituitur, tollit contritio æternitatem pœnæ: amicus enim nõ est æternaliter puniendus. Et si nihil aliud efficit contritio, remanet contritus obligatus ad pœnam sensus, ad quam prius tenebatur: sed non æternaliter sustinendam, sicut prius tenebatur. Et sic licet contritus perseuerans nunquam ad infernum iret, passurus totam pœnam inferni: nihil tamen prohibet obligatum eum remanere ad partem illius pœnæ quæ in inferno sustinenda ab ipso erat: scilicet ad pœnam sensus.

¶ Vbi vides, quòd non est alia pœna, quæ debetur alicui cõtrito, ab illa, quæ sibimet incontrito debebatur: sed est illamet pœna sensus relicta, & hoc contra primum modum dicendi. Nec interuenit commutatio pœnæ æternæ in temporalem: sed expoliatio pœnæ ab æternitate, & hoc contra secundum modum dicendi.

¶ Vt autẽ restans dubitatio (an, scilicet contritio remittat pœnam sensus) soluatur, sciendum est, quòd hic certa sunt duo. Primũ est, quòd quantò cõtritio est maior, tantò plus tollit de pœna sensus peccato debita. Secundum est, ꝙ tanta potest esse contritio, quòd tolleret totã pœnam sensus. Ambiguum verò est, an quantulacunque contritio charitate informata (de tali enim est sermo) tollat aliquid de illa pœna sensus: multi enim videntur de hoc dubitare, mihi autẽ apparet ꝙ pars affirmatiua est vera propter duas rationes: quarũ quælibet verificata sufficiens est. Potest enim contritio ex duplici capite tollere in toto, vel in parte pœnã sensus. Primò ex pœnalitate sibi annexa, displicẽtia enim commissi criminis nõ fert secum necessariò pœnalitatẽ: quum sit in patria, vbi nulla est pœnalitas, sed in subiecto susceptiuo doloris seu pœnæ, fert secũ naturaliter displicentia pœnalitatem quandã, dolemus enim communiter de nostris, quæ nobis displicẽt. Et quoniã huiusmodi pœnam parere, contritioni conueniret seclusa relatione ad sacramentum pœnitentiæ: ideo secundum hoc caput dicendũ est, quòd cõtritio quælibet simpliciter, & absolutè ex annexa pœnalitate tollit aliquid pœnæ sensus: habet enim satisfactoriãvim pœna voluntariè assumpta secundũ Deum. Secundò ex merito passionis Christi: est enim passionis Christi meritum remissiuum suis membris pœnæ pro peccatis debitæ, plus, & minus prout illis cõiungitur. Quod primò apparet in Baptismo: vbi quia passio Christi totaliter communicatur baptizato, quasi ipse baptizatus passus esset, tota pœna tollitur. Apparet deinde & in sacramento pœnitentiæ actualiter susceptо, dum ex vi sacramenti cõmunicatur meritum passionis Christi ad remissionem aliquantæ saltẽ pœnæ sensus. Et quia coniunctio ad meritũ passionis Christi conuenit contritioni non simpliciter & absolutè, sed relatæ ad sacramentũ pœnitentiæ: ex hoc quòd contritio fert secum votum sacramenti pœnitentiæ, coniungit merito passionis Christi per sacramẽta nobis cõmunicato. Et secundũ hoc caput dicendum est, quòd quæcunque nostra contritio tollit aliquid pœnæ sensus ex merito passionis Christi, nam rationabile est, ꝙ plus pœnæ tollat charitas extensa ad sacramentum, quam non extensa ad illud: sed charitas nõ extensa ad sacramentum (qualis erat antiquorũ pœnitentium charitas) tollebat meritum (quatenus charitatis, & pœnam damni: & æternitatẽ pœnæ. ex annexa autem pœnalitate tollebat in toto, vel in parte pœnã sensus: ergo charitas pœnitentium in noua lege, quæ est charitas extensa ad sacramentũ pœnitentiæ, plus pœnæ tollit. Minor huius rationis propositio clara est. Maior autem facile suadetur ex eo, quòd pœnitentiæ sacramentum actualiter exhibitum, est proculdubio remissiuum pœnæ sensus in toto, vel in parte: ex hoc enim consequens est, vt idem ipsum sacramentum in voto charitatis existens apud contritum, aliquid huiusmodi pœnæ remittat. Simile enim quid perspicimus in baptismo: quòd scilicet id quod operatur Baptismus exhibitus, operatur etiã in voto charitatis habitus nõ itaqopiosè. Nec excluditur maioris huius veritas: si dicatur, quòd charitas extensa ad sacramentum, habet ex extensione ad sacramentum, quòd tollat illamet, quæ tollebat charitas antiquorum pœnitentium absolute. Nam hoc non est charitatem extensam ad sacramentum efficere plus, sed est efficere pluribus rationibus vnum & idem extense liquidem charitas ad sacramentũ duplici ratione tollit pœnam damni, & æternitatem pœnæ, scilicet ex vi charitatis, & ex vi sacramenti in voto. Sed hæc veritas non excludit quin verum quoque esse debeat, quòd huiusmodi extensa charitas plus efficiat, plus pœnæ tollat: quia hoc ad vim sacramenti spectat. Ex quibus omnibus patet dicendum esse ad quæstum, quòd contritio ratione charitatis, qua formatur, non solum tollit culpam, sed & pœnam damni, & æternitatem pœnæ: ratione verò annexæ pœnalitatis tollit aliquid pœnæ sensus: & ratione sacramenti in voto tollit rursus aliquid pœnæ sensus. Et tam vehemens, inquit diuus Thomas in 27. cap. contra Gen. potest esse huiusmodi coniunctio contriti ad meritum passionis Christi, quod tolleret totam pœnam sensus.

¶ AD PRIMVM ergo argumentum in oppositum, dicitur quod satisfactio distincta est à contritione secundum ea: quæ communiter in humano genere inueniuntur: communiter enim contriti non tam vehementer iunguntur passioni Christi, vt non sit opus satisfactione ad arbitrium sacerdotis. Traditur enim tam doctrina, quàm lex moralis secundum ea quæ vt in pluribus contingunt.

¶ Ad secundum dicitur, quod iam ex dictis apparent duo capita, vnde quantulacunque contritio tollat aliquid pœnæ sensus, inter quæ capita coniunctio ad meritum Christi præcipuè perspici debet: quoniam illud est de ratione contritionis, annexus autem dolor quasi vicem satisfactionis tenere videtur.

TRACTATVS QVINTVS

De Confessione, in quinque quæstiones diuisus.

1 *Num omnis teneatur ad confessionem.*
2 *Num peccata mortalia totaliter occulta, vt in solo corde latentia sint necessario confitenda.*
3 *Num oporteat confiteri singulas species singulorum peccatorum.*
4 *Num peccata semel confessa subsecuta absolutione, & satisfactione possint iterum fructuosè confiteri.*
5 *Num in forma confessio sit iteranda.*

QVAESTIO I.

¶ An omnes teneantur ad confessionem.

DE CONFESSIONE Quæ secunda est pars pœnitẽtiæ, quæritur primo circa eius necessitatem, an omnes teneantur ad confessionem. Et est ratio dubitandi: quia nonnulli sunt viuentes absque peccato mortali: & propterea in dubium vertitur, an omnes teneantur confiteri.

¶ Videtur enim quòd sic: quia extrà, de pœniten. & remis. expressè dicitur, Omnis vtriusque sexus quum ad annos discretionis peruenerit, &c. Et confirmatur, quia quum nullus excipiatur, sequeretur quòd Ecclesia in hoc statuto præsupponeret omnes fideles singulis annis peccare mortaliter. Et patet sequela, si sola peccata mortalia præcipiuntur confitenda. Et rursus cõfirmatur, ex hoc quod absque distinctione aliqua omnis vtriusque sexus ibidem obligatus est semel in anno ad confessionem, & ad communionẽ in Pascha: sed constat, quòd omnis vtriusque sexus &c. siue peccauerit mortaliter, siue non, comprehenditur sub illo præcepto quo ad communionem: ergo omnis etiam vtriusque sexus, &c. siue peccauerit mortaliter, siue nõ, comprehenditur sub illo præcepto quo ad confessionem.

¶ IN OPPOSITVM est, quòd nullus tenetur confiteri venialia. Ad hanc quæstionem respondetur distinguendo & bene, de necessitate, vel sacramenti, vel præcepti ecclesiastici. Et dicitur, quòd de necessitate sacramenti, nullus tenetur confiteri, nisi peccatum mortale certum, vel dubium: quia post Baptismum non potest aliter remitti mortale peccatum, nisi per sacramentum pœnitentiæ in re vel in voto. De necessitate autem præcepti Ecclesiæ duplex est opinio. Vna est, quod carens peccato mortali tenetur confiteri semel in anno aliquod veniale, vt sic impleat Ecclesiæ præceptum. Altera est, quòd carens peccato mortali, non tenetur confiteri aliquod veniale: quia non comprehenditur sub Ecclesiæ præcepto.

¶ Et licet prima opinio sit tutior, secunda tamen est verior, imò sola vera: quod probatur multipliciter. Primò ex ratione præcepti: ratio enim ecclesiastici præcepti non est præcipere confessionem, sed præceptam diuino iure confessionem determinare, quo ad tempus executionis: & propterea sub Ecclesiæ præcepto non cadit alia comprehenditur confessio, quàm illa, quæ à Christo est præcepta: sed à Christo non est præcepta, nisi confessio mortalium: ergo ab Ecclesia sola peccatorum mortalium, confessio præcepta est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est. Secundò, & est confirmatio præcedentis, patet idem ex verbis ipsius statuti, dum dicit, Omnia sua peccata. non enim hoc potest intelligi de peccatis venialibus: quum constet neminem quocunque præcepto teneri ad omnium venialium confessionem: oportet ergo intelligi de mortalibus. Et propterea ex explicata materia confessionis, scilicet quod sunt omnia sua peccata, clarè patet quòd de sola confessione præcepta ex diuino iure ecclesiasticum statutũ loquitur: est enim materia cõfessionis à Christo præceptæ omnia pœnitentis peccata comprehendens: materia autem confessionis venialium non cõprehendit omnia pœnitentis peccata.

¶ Tertiò patet idẽ ex pœna subiuncta: scilicet quòd viuus arceatur ab ingressu Ecclesiæ & moriens Christiana careat sepultura. Huiusmodi enim pœnæ nõ sunt à pia matre Ecclesia perfectioribus viris, quales sunt viuẽtes sine peccato mortali, pro omissione cõfessionis venialium, ad quam alij non tenentur infligendæ: quinimò ex hoc sequeretur, quòd meliores essent deterioris conditionis. Quartò patet idem ex subiuncta causa frequentis publicationis dicti statuti scilicet, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Hoc enim in huiusmodi confessione venialium locum habere non videtur. Et confirmantur hæc omnia ex Clemen. ne in agro dominico, de sta. mona. vbi mẽstrua confessio nigris monachis imponitur, absque explicatione materiæ. non enim dicitur quòd confiteantur omnia sua peccata, vt ex hoc intelligatur astringi illos, etiam si mortali peccato careant ad confessionem semel in mense, vnde non supradicta, sed pœna regularis disciplinæ subiungitur imponenda temerario violatori: sicut enim religiosi ex suis statutis obligantur ad alia quæ absolutè sunt bona super erogationis: ita obligantur ad confessiones statutas, etiam si mortali careant peccato. In cuius signum puniuntur in religionibus qui statutis diebus non confitentur: quantumcunque nullum habeant mortale.

¶AD OBIECTIONEM Ergo primâ dicitur, quòd materia confessionis explicata per ly, omnia sua peccata, restringit ly, omnis vtriusque sexus, ad indigentes confessione: ac per hoc excipit omnes carentes mortali peccato: ita quòd sensus est, omnis vtriusque sexus indigens confessione, &c. Et ad primam confirmationem dicitur quòd falsum assumit seu supponit: scilicet nullum excipi ab illa vniuersali, omnis vtriusque sexus, &c. imò ideo Ecclesia apposuit ly omnia sua peccata, vt exciperet multos, quos credit sine peccato mortali vitam ducere. Ad secundam autem confirmationem dicitur, quòd quum duo prædicata exigant duo subiecta, enuntiatio illa, qua omnis vtriusque sexus confiteri & communicare præcipitur, est enuntiatio non vna, sed plures: licet secundum vocem sit vna. Vnde sensus primæ est, omnis vtriusque sexus indigens confessione, omnia sua peccata confiteatur, &c. Sensus verò secundæ est, Omnis vtriusque sexus communicet in Pascha, &c. Et ratio diuersitatis iam dicta est: quia ibi explicatur materia restringens ly omnis vtriusque sexus respectu confessionis, & non restringens respectu communionis.

QVÆSTIO II.

¶ An peccata mortalia totaliter occulta (vt sunt peccata in solo corde) sint necessario confitenda

CIRCA materiam confessionis quæritur secundò, an peccata mortalia totaliter occulta (vt sunt peccata in solo corde) sint necessariò confitenda. Videtur enim quòd non. Tum quia non sunt de necessitate ecclesiastici præcepti: non potest enim Ecclesia de huiusmodi occultis secundum se præcipere aut iudicare. Et si datur, quòd occultorum confessio cadit sub præcepto Ecclesiæ indirectè, scilicet ratione integritatis, pro quanto is, qui tenetur singulis annis alia peccata confiteri, tenetur quoque ex consequenti peccata cordis singulis annis confiteri, vt confessio omni anno sit integra. Hæc instantia nihil valet: quoniam posito homine, qui sola peccata cordis mortalia haberet aliquo anno, sequeretur, quòd illo anno non teneretur confiteri: quoniam tunc non haberet locum ratio integritatis.

¶ Tum quia huiusmodi occultorum confessio non est de necessitate sacramenti: quoniam sola illa peccata sunt de necessitate sacramenti, quæ sub iudicio hominis commisso à Christo comprehenduntur: sed nullum iudicium commissum homini à Christo extendit se ad huiusmodi occulta: ergo occulta hæc, non sunt de necessitate confitenda. Maior patet, quoniam iudicium fori pœnitentialis homini commissum est à Christo, & non Angelis, aut quibuscunque aliis. Minor verò probatur autoritate Apostoli, Nolite ante tempus iudicare, &c. Si dicatur, quòd duplex iudicium commissum est: homini à Christo: alterum secundum potestatem iurisdictionis (& hoc non se extendit ad huiusmodi occulta: & de hoc loquitur Apostolus) Alterum secundum potestatem ordinis, & hoc extendit se ad occulta: & est iudicium quod exercet Ecclesia per suos ministros in foro pœnitentiali. contrà dupliciter. Primò, quia iudicium pœnitentiale licet exigat potestatem ordinis, exigit quoque potestatem iurisdictionis: quoniam solus sacerdos ordinariam vel delegatam iurisdictionem habens, est minister huius sacramenti, vt patet in cap. omnis vtriusque sexus, & alibi. Secundò, quia vnumquodque recipitur in alio secundum modum recipientis: ac per hoc iudicium secundum potestatem ordinis à Christo commissum homini ex hoc ipso, quòd homini commissum est, modificari oportet secundum conditionem ipsius hominis, quæ est non se extendere ad occulta cordium: hæc enim soli Deo sunt reseruata, non iu minus iudicando, quàm in cognoscendo. Et confirmatur hæc ratio ex hoc, quòd quum apud ipsum Dominum Iesum Christum resideat vtraque potestas, scilicet ordinis & iurisdictionis, non diminutè, sed plenissimè: & vtranque inueniatur Ecclesiæ suæ commisisse, non imperfectè, sed latissimè (vt de potestate iurisdictionis patet Matthæi decimooctauo, & de potestate ordinis Ioannis vigesimo) sicut potestas iurisdictionis ex hoc ipso, quòd commissa est homini, non extendit se ad occulta omnino, ita potestas ordinis ex hoc ipso, quòd commissa est homini, non debet se extendere ad totaliter occulta.

CONCLVSIO.

¶ Non modo manifesta peccata mortalia Christi fideles confiteri tenentur, sed quæ ita occulta sunt, vt solo corde peccata sunt.

¶AD VERITATEM Dubij huius plenius percipiẽdam, sciendum est, quòdlicet quidam ex huiusmodi fortè rationibus, aut melioribus moti opinari videantur peccata omnino occulta non esse necessariò confitenda sacerdoti, sed soli Deo, eorum tamen error ex tribus patet. Primò ex formali ratione materiæ confessionis, seu (quod in idem erit) iudicij pœnitentialis, quum enim Dominus pœnitentiale iudicium instituerit ac commiserit post resurrectionem suam, dicens Ioãnis vigesimo Apostolis iam sacerdotibus. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: & materiam iudicij explicauerit quo ad substantiam tantum, dum remittendo vel retinendo explicauit peccata: & non posset intelligi ita nudè, vt sonat litera (quoniam certum est, quod per huiusmodi commissionem non possunt nec potuerunt ministri noui Testamenti remittere peccata eis totaliter incognita, inconfessa, obstinata) oportet aliquas subintelligere conditiones peccatorum remittendorum: & quia iudicium præsupponit cognitionem, & modus iudicij modum cognitionis: ideo communi catholicæ Ecclesiæ sensu subintelligitur, spontanea confessione ad vos delata: ita quòd sensus est, Quorum remiseritis peccata spontanea confessione reorum ad vos delata, remittuntur eis, &c. Vbi clarè patet materiam iudicij pœnitentialis esse peccata spontanea reorum confessione delata: hæc est enim formalis ratio materiæ huius iudicij: ad quam totam se extendit, & extra quam non se extendit pœnitentiale iudicium: quoniam hæc omnia & sola remittere vel retinere potest. Ex hac autem formali ratione materiæ huius iudicij, habetur facile quòd peccata quantumcunque occulta, sunt materia huius iudicij: nam quantumcunque occulta peccata, comprehenduntur sub iis, quæ sunt spontanea confessione detegẽda: nullum enim est ita latens, quod non possit eius, qui commisit, confessione spontanea aperiri. Et confirmatur ratio hæc ex parte formalis materiæ ex ipsis verbis Domini. Differenter siquidem significauit Dominus materiam iudicij pœnitentialis seu potestatis ordinis, & materiam iudicij secũdum potestatem iurisdictionis: quoniam respectu potestatis ordinis explicauit pro materia peccata, dicens: Quorum remiseritis peccata: respectu verò potestatis iurisdictionis explicauit pro materia peccatum in alium, dicens: Si peccauerit in te frater tuus, &c. Ex qua differentia docuit nos diuina sapientia, à materia iudicij pœnitentialis nullum peccatum excipi: ac per hoc comprehendi præcipue peccatum in sua primaria sede residens, hoc est peccatum cordis: sub materia verò potestatis iurisdictionis non comprehendi peccatum omne: sed exterius tantùm, quod solum potest alium offendere & propterea ab illa excipi peccatum cordis, nisi pro quanto esset ratio exterioris commissionis vel omissionis.

¶ Secundò, ex ratione proprij finis ipsius confessionis, ex quo sumitur formalis ratio eiusdem confessionis, quæuis est actus pœnitentiæ: ordinatur enim confessio ad subiiciendum voluntariè reum ministro Dei offensi: vt ad arbitrium ipsius recompenser. Et hinc confessio ipsa, quę est actus veritatis, fit actus pœnitentiæ: dum reus veraciter proponendo in quo offendit, seipsum accusat ac subiicit ad recompensandum, non de quibusdam sic, & de quibusdam non: sed omnes accusando offensas, vt de omnibus arbitrari possit minister offensi. Hoc autem conitat, quòd non fieret si omnino occulta peccata cordis non accusarentur: vt igitur de peccatis cordis possit ad arbitrium offensi recompensare oportet peccatorem offensas cordis subiicere ipsius Dei offensi iudicio, in persona sui ministri.

¶ Tertiò, ex vsu Ecclesiæ. Nam cõmunis animi conceptio Christianorũ est peccata omnia, siue occulta, siue manifesta oportere in sacramento pœnitentiæ confiteri. Et ad hoc est determinatio generalis Concilij, primò Lateranensis sub Innocentio 3. Vbi dicitur, quòd omnis vtriusque sexus confiteatur peccata sua omnia, nullum ergo excipitur peccatum. Et deinde in Concilio Florent. sub Eug. 4. Vbi dicitur omnia sua peccata, quorum memoriam habet, confiteatur, vbi patet etiam peccatum cordis non excipi.

¶AD PRIMAM autem obiectionem in oppositum dicitur, quòd Ecclesia potest præcipere & præcipit singulis annis confiteri omnia sua peccata mortalia, etiam si solum peccatum cordis occultissimum haberet: non quia ipsa habeat iudicare de occultis, sed quia ipsius est determinare præcepta Christi ad certum tempus. Hinc enim fit, vt præcipiente Christo confessionem cuiuscunque mortalis peccati post Baptismum, siue peccatum sit solum in corde, siue ad extra prodierit, Ecclesia determinans tempus confessionis ad singulos annos, obligat ad confitendum singulis annis omnem, qui pro tunc habet aliquod peccatum mortale, siue occultum, siue non. Nam determinatio Ecclesiæ non minuit aut restringit materiam confessionis præceptæ à Christo: sed tempus tantum confessione determinat, relinquens materiam in suis limitibus.

¶Ad secundam verò dicitur, quòd responsio ibi data vera est. Et ad primam illius impugnationem dicitur, quòd concursus potestatis ordinis & potestatis iurisdictionis, nõ tollit aliquid à potestate ordinis: & ideo cum hoc quòd potestas ordinis extendit se ad occulta cordium peccata, stat quòd cum ea cõcurrat potestas iurisdictionis, quæ secundum se ad huiusmodi occulta nõ se extendit. Et si perspicacius fueris intuitus, videbis quòd quo ad forum pœnitentiale potestas ordinis concurrit, directè respiciens ipsa peccata: potestas autem iurisdictionis concurrit directè respiciens personam peccatoris: vt scilicet peccator sit subditus sacerdoti, vt habeat potestatẽ ordinis, in quem exerceat actũ suum remissionis, vel retentionis peccatorum. Ad secundam verò dicitur, quòd quia omne iudicium homini commissum intelligitur de cognitis, & diuersus est institutus à Deo modo cognoscendi in vtroque iudicio: ideo ex huiusmodi instituta diuersitate modi cognoscendi, prouenit diuersitas ista: scilicet quòd iudicium pœnitentiale extendit se ad omnino occulta peccata, iudicium verò iurisdictionis pure extendit se ad externa tantùm: ideo non est miranda disparitas vtriusq; potestatis in homine. Quod enim iudicium omne commissum homini à Christo intelligatur cum cognitione causæ, probatione non eget: quum non sit delegatum Patrum ministerium, sed commissa sit autoritas iudicandi, remittendo vel retinendo, absoluendo vel ligando. Quòd etiam diuersus modus cognoscendi sit vtrobique à Christo institutus, patet: nam modus cognoscendi in potestate iurisdictionis est cognitio per testes: vt patet Matthæi 18. modus autem cognoscẽdi in iudicio potestatis ordinis, est spontanea confessio secreta, &c. vt vniuersalis Ecclesia testatur. Quòd demum ex hac diuersitate modi cognoscendi, proueniat differẽtia dicta inter materiam, & materiam, ex supradictis clarè patet: quoniam ex hoc, quòd peccatum spontanea rei confessione accusandum, est materia iudicij pœnitentialis, conclusum est sub hac materia comprehendi peccatum cordis quantumcunque occultissimum: & per oppositum, quia solum peccatũ testificabile est materia iudicij exterioris, ideo peccata in solo corde manẽtia exempta remanent à materia ecclesiæ iurisdictionis. Quum ergo obiicitur, vnumquodque recipi in alio per modum recipientis: admittatur. Et quum infertur, ergo iudicium secundum potestatem ordinis commissum homini, modificatur secundum cõditionem hominis, conceditur, formaliter loquendo, quoniam nullum actum commisit Christus ministro sacramenti pœnitentiæ, qui non exerceatur ab eodem secundum conditionem hominis: nam & audire peccata, & discernere inter ea, & interrogare circunstantias peccati & peccatoris, & retinere seu remittere, facit humano more, vtendo diuina potestate. Et ideo quum vlterius infertur, ergo non se extendit ad occulta, negatur illatio: quoniam aliunde prouenit, quòd iudicium se extendat, prouenit enim ex modo accusandi quo reus tenetur se accusare, scilicet spontanea confessione &c. & hoc quia Christus sic instituit. Cognoscere autem & iudicare de occultissimis spontanea confessione accusatis, non excedit modũ conditionis humanæ, vtentis potestate diuina. Vnde ad confirmationem & simili ratione in potestate iurisdictionis, dupliciter dici potest (vt patet ex dictis) quòd non est similis ratio de vtriusque potestatis iudicio. Primò, quia modus cognoscendi in vtroque iudicio est ex diuina institutione diuersus. Secundò, quia ipse Dominus expressit diuersimode vtriusque materiam, dum vnius materiam dixit peccata absque limitatione aliqua: alterius verò dixit peccatum in alium, limitando peccatum in alium.

QVÆSTIO III.

¶ An oporteat confiteri in specie singulas species, & numerum certum peccatorum.

CIRCA Materiam rursus confessionis quæritur tertiò vtrum oporteat confiteri in speciali singulas species, & numerum certum peccatorum. Et est ratio dubij: quoniam pars affirmatiua communi autoritate Doctorum firmata videtur. Et ratione comprobatur. Tum quia circunstantia varians speciem peccati mortalis, est necessario confitenda: ergo à fortiori quælibet species mortalis peccati est exprimenda. Et similiter numerus peccatorum, quum non sit circunstantia peccati, sed multiplicatio eiusdem, necessariò est exprimendus, prout memoriæ occurrit: quum non magis teneatur pœnitens accusare se de decimo, quàm de vicesimo secundo peccato, vel econuerso. Et confirmatur, quia si non omnes species & omnia singularia oportet exprimere, consequens est quòd aut nulla species nulláque singularia, aut quædam species & quædam singularia, sic & quasdam ac quædã non, necesse est explicari: & quum non possit affirmari primum, oportet reddere rationem quare quædam sic, & quædam non.

¶ Tum quia pœnitens tenetur explicare omnia quæ oportet cognosci à confessore ad hoc, vt possit suo arbitrio adæquare pœnam culpæ: quoniam confitendo nihil aliud facit pœnitens quam quòd submittit se sacerdoti in persona Christi ad recompensandum secundum illius arbitrium. sed confessor non posset arbitrari de æqualitate recompensationis: nisi cognosceret diuersitatẽ offensarum, quæ in diuersitate specifica consistit, & numerum peccatorum: quoniam recompensa adæquans centum offensas, non adæquat mille. & sic de aliis, ergo.

¶PRO PARTE autem negatiua videtur esse vsus maioris fortè partis confessorum, ac pœnitentium non curantium de huiusmodi subtili discussione. Et confirmatur ratione: quia huiusmodi discussio est molesta, inutilis atque melioris boni impeditiua. Et molesta quidem satis patet expertis. Quòd verò sit inutilis, ex eo patet, quod tam cum huiusmodi discussione, quam sine ea pœnitentibus prouidetur eodem modo. Quòd autem sit impeditiua maioris boni, testatur experientia: quoniam & confessores circa huiusmodi discussionem soliciti impediuntur à multorum confitentium audientia, dum fortè totum tempus consumunt circa vnum: & pœnitentes minus deuotè confitentur implicati huiusmodi discussionibus.

¶AD HVIVS quæstionis euidentiam sciendum est, duplex esse iudicium: quoddam est cuius actus est propter seipsum intentus: quoddam verò, cuius actus est propter aliud. Ad primum iudicium, quia spectat facere iustum absolute, pertinet quoque cognoscere singula peccata, vt singula possit adæquare puniendo. Ad alterum verò iudicium, quia non tendit ad punitionem secundum se, sed in ordine ad alium finem, puta bonum commune: sicut sufficit punire prout expedit illi fini, ita sufficit cognoscere quantum opus est ad illum finem. Inter præsentis autem vitæ tempus & futuræ hoc interest, quantum ad iudicium, quòd nullum præsentis vitæ iudicium tendit ad punitionem secundum se, sed vt medicinalem, eo quòd præsentis vitæ tempus non est tempus punitionis, sed in quo pœnæ sunt medicinæ: vel ipsius qui punitur, vel aliorum. Iudicium autem futuræ vitæ est id, quod ad punitionem secundum seipsam tendet: quoniam adæquandam pœnam culpæ ordinatur: non ad bonum puniti, nec ad cautelam aliorum, sed vt reus patiatur quod meretur.

¶Nec putet aliquis iudicium quod in foro pœnitentiali exercetur, locari debere sub iudicio primo modo, propterea quia iudicium hoc est magis diuinum, quàm humanum, & confessor in tanta persona Dei in actu illo tenet, vt nesciat: ipse quod scit, vt Deus. Falsa est imaginatio ista. Tum quia iudicium pœnitentiale ad præsentis vitæ tempus spectat, ac per hoc non est exemptum à communissima ratione iudicij præsentis vitæ. Tum quia Saluator noster hoc attestatur, dicens, Io. 3. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Hinc enim apparet, ꝙ Christus non venit in primo adventu ad iudicandum mundum per ministros suos, hoc est ad iudicium secundum se exercendum, sed ad saluandum, hoc est quantum ad pœnitentiæ sacramentum spectat, ad iudicium salutare per suos iudices exercendum: Idem est autem iudicium salutare & iudicium medicinale, & pœnitentiale iudicium ad primum Domini aduentum spectat proculdubio, ad quem spectat sacramentum pœnitentiæ. Est igitur pœnitentiale iudicium non iudicium absolutè, sed iudicium salutare, seu medicinale: ac per hoc non tendit ad punitionem secundum se, sed in ordine ad salutem, non aliorum, sed ipsius rei solius.

¶Et quia hoc proprie est officiũ confessoris, ideo hinc perspicere oportet, quanta debet esse cognitio peccatorũ: oportet enim tantum manifestari peccata, quantũ exigit huiusmodi salutare iudicium. Si enim ad hoc salutare iudicium exigitur manifestatio omnium, & singulorũ specierum, & certi numeri singulorum, consequẽs est, ꝙ oportet pœnitentem hæc explicare iuxta possibilita

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem suam: si verò huiusmodi discussio non exigitur, consequès est quòd non oporteat pœnitentem hæc explicare. Et si hæc negatiua admittitur, consequens est vt declaretur, quæ & quãta discussio exigitur ad hoc salutare iudiciũ. Dicamus igitur, ꝙ iudicium huiusmodi claudit in se duo, scilicet esse iudicium, & esse salutare: ita ꝙ secundũ est finis primi: & propterea ex secundo manifestandum est primũ: tantum enim debet concurrere de eo quod est iudicij, quantum expedit vel saltem opus est hoc, vt iudicium sit salutare pœnitenti. Et quia salutare pœnitenti iudicium à iudicio absolutè differt (vt dictũ est) quantum ad punitionem, in hoc quòd in iudicio absolutè ineditur ad punitionẽ secundum se, in iudicio verò salutari intenditur punitio salutaris pœnitenti: consequens est vt differentia quoque sit quo ad cognitionem. Nam quia punitio secundum se cõsistit in adæquatione pœnæ ad culpam, oportet in iudicio absolutè cognoscere exactè culpas omnes & singulas: vt æquari illis possit pœna. Et quia punitio medicinalis consistit in cõmensuratione pœnæ ad pœnitentẽ & illius salutẽ (sicut medicina consistit in cõmensuratione tã ad infirmũ, quàm ad sanitatẽ acquirendam) & cõmensurata pœna tam pœnitenti, quàm ipsius saluti absque exacta cognitione omnium & singularum culparum rectè iudicatur, atque imponitur (vt patet quantum ad peccatorũ species de superstitionis seu diuinationis, & similium speciebus) absque discussione harum, commensurata tam pœnitenti, quàm eius saluti punitio atq; prouisio sit. Quantum verò ad peccatorum numerum, ex eo quòd medicinalis tam punitio, quàm prouisio idem habet iudicium, si certificatus fuerit numerus vicenarius, & si incertus relictus sit an duobus demptis, vel adiunctis: & similiter si certificatus fuerit centenarius, an dubium inter nonagenarium & decem supra centum: & sic de aliis. Hæc enim & similia manifestant quòd salutare iudicium non exigit exactam omnium, & singularum culparum cognitionem: sed ex sua formali ratione exigit omnes & singulas mortales culpas cognosci vsque ad hoc, quod notum fiat confessori, quæ, qualis, & quanta pœna commensurati debeat huic pœnitenti rectè dispositio, & illius saluti. Dico autem rectè dispositio: quia licet aliquis pœnitens sit minus deuotè dispositus, ac per hoc cõmensurata sit indispositio, pœnitentia erit fortè oratio dominica semel: manifestatio tamen peccatorum in iudicio salutari debet perducere confessorem ad cognoscendum, quanta, qualis, &c. pœna deberet sibi commensurari, si esset rectè dispositus: huiusmodi enim indispositio pœnitentis: quia est per accidens, non variat id quod per se exigit salutaris iudicij ratio. Notanter quoque dixi, iudicium salutare non requirit cognitionem exactam omnium & singulorum peccatorum mortalium, & non dixi quòd requirit imperfectam eorum cognitionem: quoniam nec exigit nec excludit plenam eorum cognitionem. sub formali nanque ratione iudicij medicinalis potest materialiter quandoque contineri exacta notitia peccatorum.

¶Et quoniam practica nimis est & valde communis notitia de confessione, idcirco ad particularia descendendo dicimus, quòd species peccatorum mortalium sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt, quarũ diuersitas diuersitatem iudicij salutaris inducit: aliter enim iudicandus est pro sua salute blasphemus, aliter adulter, aliter homicida, &c. & tales sunt species peccatorum, quæ in communi habentur notitia: vt adulterium, fornicatio, furtum, rapina, contumelia detractio, &c. Quædam verò species sunt quæ nullam videntur facere in salutari iudicio differentiam, vt sunt species diuinationis: idem est enim iudicium pœnitentiale si quis aqua vel terra abusus fuerit: & sic de aliis, & huiusmodi videntur esse species gulæ, & vniuersaliter omnes latentes: quas forte vix doctores discernunt. Et propterea explicare primas peccatorum species in confessione oportet: secundas verò sufficit explicare in generibus subalternis: puta peccaui in necromantia: & sic de aliis.

¶Circa numerum verò peccatorum sciendum est, quòd dupliciter accusandus occurrit. primo secundum se, secundò vt circunstantia peccatoris. Et secundum quòd est circunstantia peccatoris, differentiam quodammodo inducit in iudicio salutari: & quodãmodo nõ inducit: nam aliter iudicandus est & medendus qui semel tantum, aut bis offendit, & aliter qui centies offendit. Sed qui toties quoties potuit offendit, eodẽ modo iudicatur ac medetur si milies, & si centies millies offendit: nec hoc eget probatione: quoniam experientia testatur. Secundum se autem numerus peccatorum accusandus venit, non vt facit differentiam in iudicio absolute, sed vt facit differentiam in iudicio salutari: & propterea si nescitur, sufficit explicare illũ crassa quadam æstimatione: nam salutaris iudicij ratio non variatur ex hoc. Verbi gratia, Commisit quis furtum multoties: videtur sibi quòd parum plus aut minus fuerit, quàm vigesies, non est opus solicitari, forte fuerunt viginti duo, forte 19. ied sat est, ita confuse numerum explicare vt occurrit. Quocirca numerum peccatorum tam vt circunstantiam peccatoris, quàm secundum se, si certus non est (nam ad certum numerum occultandum nulla conducit ratio) vel explicandus est sub quodam verisimili numero: vel quum consuetudo peccandi præcessit, explicato tempore, puta quòd per decenium fuit in hac mala consuetudine & frequẽtia delinquendi, puta quòd quotidie aut ferè, seu quouis alio modo multitudine maxima seu frequentia manifestata aperiendus est. Nec oportet in huiusmodi numeris pœnitentem aut confessorem multum solicitari: quoniam par est salutaris iudicij ratio. Et quandoque vtrique nocet solicitudo circa hoc: magis enim debet manifestari frequentia cum pronitate, quàm indagari verisimilis certus numerus: puta ter centum, seu mille, &c. Vnde si meretrix audienda est ad pœnitentiam conuertsa, facillimè potest quo ad hæc expediri, narrando discursum vitæ suæ in annis meretricis: nec oportet solicitari quoties cum coniugatis, quoties cum clericis potuit peccare, sed ex discursu vitæ suæ discreté manifestato arbitretur & medeatur prudẽs confessor. Hæc sunt quæ ex parte salutaris iudicij exprimenda videntur in confessione. Quibus si adiunxeris, quòd ex parte pœnitentis tenetur reus ipse accusare se de omnibus, vt recõciliatio amicitiæ fiat, dicendum est, quòd pœnitens debet habere intẽtionem explicandi omnia mortalia, ac per hoc sub quocunque modo dicendi debet intendere comprehendere omnia: ita quòd explicare species, vel individua tali, vel tali modo, non exigitur à pœnitente, aut confessore ad occultandum aliquid, sed ad faciliorem modum explicandi omnia. Et sic dicendo euitatur error putantium, quòd sufficit explicare numerum in communi: puta dicendo quòd pluries furatus sum. hoc enim non sufficere manifestè patet, ex eo, ꝙ aliter iudicandus est & medendus qui bis tantùm, & qui centies furatus est. Et vitatur molestia ac solicitudo reducendi incertum numerum ad certum: media siquidem via inecedendum est, vt salutaris iudicij ratio habeatur: quòd medium est inter purum iudicium & certum iudicium. Et vtraque pars quæsiti aliqualiter est vera: & autoritati Doctorum & vsui confessorum ac pœnitentium simul defertur.

¶AD OBIECTIONES Tamen primò allatas: pro quãto contra conclusa militant respondendum est. Et ad autoritatem quidem Doctorum dicitur, quòd intelligitur quando certus est numerus peccatorum: ex quo enim pœnitens intendit omnia dicere, & certus est de numero peccatorũ, nulla apparet ratio quare non debeat numerum illum explicare: de incerto autem numero in solis forte verbis ab aliquo Doctore discordare credimus. De speciebus verò dicitur, quòd de communiter notis speciebus verificatur eorum dictum: alioquin non relinqueretur in Ecclesiã Dei milesimus quisque confessor, non errans: quum huiusmodi latentes species rarissimis sint manifestæ.

¶Et per hoc patet solutio sequentis obiectionis & suæ confirmationis: nam non dicimus quæda singularia esse confitẽda, & quædam non: nec dicimus quasdam species peccatorum esse manifestandas, & quasdam occultandas: sed dicimus alio modo aperiri quasdam species, scilicet communiter notas: & alio modo aperiri quasdã alias species, scilicet quarum diuersitas est latens: illas in speciali, illas in vna earum, seu aliquo huiusmodi. Et similiter dicimus omnia singularia confitenda: sed non eodem modo, nam certa in numero certo, incerta autem non, excessiuæ tamen multitudinis in numero verisimili (etiam si aliqualiter crassa fuerit æstimatio) seu frequentia idem insinuante: incerta autẽ excessiuę multitudinis sufficit in cõfuso significare, vt prudens confessor intelligat. Et ratio diuersitatis est diuersa habitudo ad salutare iudicium: hinc enim omnia pendent. Et quia non omnes confessores sunt æqualis perspicacitatis ac prudẽtiæ: ideo alicui applicãdi modus sufficit apud aliquem confessorẽ, perpendentem inde totum quantũ sufficit ad iudicium salutare, qui alteri non sufficeret. Similis quoque accidit quandoq; dispartitas ex parte pœnitentium, quibusdam scientibus ante confessoris oculos breuissimè & clarè omnia sua peccata, vt ipsimet sciunt proponere: quibusdã autem inuoluetibus, aut laborantibus in singulorum explicatione.

¶Ad rationem autem magis vrgentem, dicitur ꝙ, vt iam dictum est, adæquare pœnam culpæ contingit dupliciter, vel simpliciter propter se, vel quodammodo in ordine ad aliud. Et ꝙ primo modo exigit exactam cognitionẽ cuiusque tam culpæ, quàm pœnæ: quia in qualitate pœnæ ad culpam consistit: secudo autẽ modo non exigit exactam cognitionẽ culpæ & pœnæ: quia non cõsistit in vtriusque æqualitate, sed exigit cognitionẽ comensurationis pœnæ ad finẽ. Et quoniã primo modo non est actus iudicij præsentis vitę: ideo ad confessorẽ nõ spectat actus iste: & quum potẽtia sit propter actum, non est opus vt confessori sic exacte notã fiat peccata, vt possit pœnam culpæ adæquare simpliciter & absolute. Sed quia ad confessorem spectat commensurare pœnam pœnitenti in ordine ad suam salutẽ (quoniam hic est actus iudicij salutaris sibi commissi) & huiusmodi commẽsuratio in quadã proportione media inter pœnitentẽ & illius salutẽ consistit: ideo medicinam oportet esse proportionatam & sanitati recuperandæ & infirmo (sunt enim medicinales pœnæ præsentis tẽporis) ideo & vera est Doctorum sententia dicentiũ, ꝙ confessor debet posse adæq

adæquatam pœnitentiam, arbitrari, saluatur enim commensurationis adæquatio: licet non interueniat æqualitas inter culpam & pœnam. Et verum est, quòd peccatorum notitia non exacta sufficit ad adæquatam pœnitentiam arbitrandam à confessore.

QVAESTIO IIII.

¶An peccata semel ritè confessa subsequuta absolutione & satisfactione possint iterum fructuosè confiteri, &c.

QVÆRITVR Quartò adhuc circa materiam confessionis, an peccata semel ritè confessa, subsecuta absolutione & satisfactione, possint iterum fructuosè confiteri, &c. Videtur enim quod non.

¶Primò, quia nulla forma sacramenti est iterabilis super eadem numero materia: peccata autem sunt materia in hoc sacramento: ergo.

¶Secundò, quia oportet saluari veritatem efficacem in formis sacramentorum, quæ in hoc casu non saluaretur: falsum nanque diceret sacerdos, dicendo, Absoluo te à peccatis tuis, &c. quoniam non absoluitur nisi ligatus: hic autem præsupponitur absolutus.

¶Tertiò, quia hoc sacramentum quum ministretur per modum iudicij, exigit cognitionem vinculi: quæ in proposito non habetur, si confitens denuò, peccata aliàs confessa solummodo exprimeret: lateret enim confessorem istum esse aliàs ab his absolutum: ac per hoc lateret ipsum pœnitentem hunc vinculis horum peccatorum astringi vel non astringi: quod est inconueniens.

¶Quartò, quia, si replicatio confessionis eorundem esset fructuosa, sequeretur quòd aliquis eidem confessori replicando solummodo in communi confessionem, puta, dico meam culpam de his, quæ aliàs dixi, &c. fructum sacramenti perciperet: & sic in vno die centies replicando, centies fructum sacramenti percipieret: quod est ponere sacramenta in ridiculum.

¶Quintò, quia iudiciũ semel latum sine errore à confessore, Deus sic ratificat, ꝙ est irreuocabile. Ergo rationabile est, inquit Scotus, quòd etiã sic ratificet quod sit irreiterabile, quo ad fructum.

¶Et confirmatur ex his, quæ videmus in foro litigioso: nam sententia diffinitiua absolutoria accusati innocentis, non replicatur: nec si replicaretur, absolueret: quia non est amplius obligatus, vt absolui possit.

¶IN OPPOSITVM videtur esse communis opinio. Ad euidentiam huius sciendum est contineri hic duo quæsita, scilicet an iterare eorundem confessionem sit licitum, & an sit fructuosum. Et est sermo de confessione non mixta, quæ scilicet continet quædam peccata aliàs confessa, & quædam nunquam cõfessa: sed de confessione continente solummodo alias confessa. Et similiter est sermo de fructu ex parte sacramenti, seu clauium, & non de fructu ex parte pœnitentis, scilicet erubescentia & ampliori satisfactione & huiusmodi. Nullus enim dubitat huiusmodi erubescentiam ac satisfactionem esse fructuosam: & similiter nullus dubitat confessionem istam esse licitam & fructuosam, saltem ea ratione, quia vtile per inutile adiunctum non vitiatur.

¶De primo igitur quæsito non meminisse legisse me aliquem tenentem esse illicitum iterare eorundem puram confessionem. Et quæ circa hoc ingerere possent ambiguitatem, in primis argumentis tanguntur, ex quorum solutione manifestum erit, licitum esse eadem peccata pluries confiteri pure.

¶Et quia ratio, quàm in secundo quæsito adducemus hoc idem concludit, ideo, trãseo ad secundum quæsitũ. In quo inuenio Sco. in 4. sent. dist. 18. respondendo ad primum, tenere partem negatiuam esse probabiliorem: ita quòd sentit iteratam confessionem non esse fructuosam ex parte clauium, hoc est nec remittere culpam (quæ iam dimissa supponitur) nec remittere partem aliquam pœnæ. Mouetur autem ex argumento quinto loco allato cum sua confirmatione. Sed reuera non solùm minus probabilis, sed falsa est eius opinio. Quod sic patet: Quicunque suscipit quodcũq; Ecclesiæ sacramentũ ritè ac dignè, concurrentibus omnibus requisitis ad sacramentũ (puta forma, materia, partibus omnibus, ministro idoneo, &c.) non solùm licitè recipit sacramentum, sed etiam recipit fructum sacramenti: sed in casu proposito pœnitens ritè ac dignè suscipit sacramentum, &c. ergo est illi fructuosum sacramentum: quod est intentũ. Maior est per se nota: positis enim omnibus tam ex parte agentis, quàm ipsius sacramenti, quàm suscipientis, non est intelligibile, regulariter loquendo, non esse fructuosum sacramentum. Et patet inductiue in singulis sacramentis. Minor autem facilè patet discurrenti per singula requisita ad sacramentum pœnitentiæ, tàm ex parte ministri, quàm suscipientis, quàm ipsius sacramenti. Vnde dicendum est, quòd fructus iteratæ confessionis, præsupposito fructu primæ, est augmentũ gratiæ & remissio aliquantæ pœnæ: si tota, prius non est remissa. Similem enim fructum habet prima confessio, ad quam heri cõtritus hodie accessit: augmẽtauit enim gratiã, & remisit aliquantam partem temporalis pœnæ, si pœnitens adhuc debitor illius erat.

¶AD PRIMA ergo argumenta, quæ contra primum militant quæsitum, respondendo dicitur, quòd materia sacramẽti pœnitentiæ existente duplici, scilicet remota, & propinqua (nam remota est peccatum: propinqua verò est ipse actus pœnitentis, scilicet confessio) non inconuenit super eadem materia remota, diuersa tamen existente materia propinqua, iterari formam sacramenti. Et propterea quia confessio non est eadem: scilicet sit eorundem peccatorum, potest licitè replicari forma, imò rectè loquendo, sicut materia propinqua est alia numero, & non est replicatio eiusdem: ita forma est alia numero, & non est replicatio eiusdem.

¶Ad secundum dicitur, quòd hoc argumentũ petit difficultatem communẽ huic quæsito, & alteri quæsito, quid scilicet soluit quãdo totaliter contritus & solutus à culpa & pœna accedit prima confessione ad sacramẽtum pœnitentiæ, eadem est enim vtrobique difficultas. Et eadem responsione satisfit vtrique, dicendo, quòd quia sacramentum est exterius sensibile signum, secundum ea, quæ exterius geruntur, ab Ecclesia iudicatur & ministratur, ac per hoc, quia pœnitens proponit peccata sua, vt expiabilia, ac vt ea, quibus seipsum alligauit: ideo Ecclesiæ minister absoluit, id est sacramentum absolutionis impendit licitè profitenti alligationẽ. Et quia in sacramẽto efficitur intus quod significatur extra, ideo intus communiter fit absolutio peccati, saltem quo ad aliquam partẽ pœnæ. Et licet hoc sufficere videatur, quia ad id quod communiter inuenitur, leges respiciunt: subiungendũ tamen est stringentibus casum admittentes etiã à pœna, quòd ipsa gratia augmentata, quæ per sacramentalem absolutionem confertur, habet rationem magis absolutorij. Quia enim sacramentum pœnitentiæ ex propria ratione habet quòd sit medicinale, & curatiuum infirmitatis peccati actualis: & peccati actualis infirmitas consistit non solùm in culpa, & vocata pœna siue æterna, siue temporali, sed in multis aliis malis (vt clarè patet in augmento vulnerum originalium) ideo absolutio sacramentalis, non solùm extendit se ad culpam, & pœnam, sed ad alia ex peccato actualiinecursa mala. Ita quòd gratia per sacramentalem absolutionem significata & collata, quatenus est sacramentalis huius sacramẽti, eo ipso, quòd extenditur ad amplius sanandum à morbo peccati actualis, habet rationem magis absolutorij à peccato, sicut gratia baptismalis, si baptizaretur quis plenè prius consequutus baptismalem gratiam ex baptismo fluminis, esset magis ablutiua à peccato, dum à peccati reliquiis magis mundaret. Cuilibet siquidem Christiano sicut conuenit orare, Amplius laua me Domine ab iniquitate mea: ita conuenit orare, Amplius, sana Domine: & amplius, Absolue Domine, &c. Nec putes nouam me introducere de effectu sacramenti pœnitentiæ doctrinam. Vide superius diuum Tho. in articulo 1. quæstione 65. dicentem, Extrema vnctio ordinatur contra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, aut ex negligentia, aut ex ignorantia. Et percipe ex his, sacramentum pœnitentiæ ad tollendas etiam reliquias peccatorum se extendere, si ignorantia, aut negligentia ex parte nostra non impediat sufficientem illarum ablationem.

¶Ad tertium dicitur, ꝙ quia confessio fit de actibus peccatorum, & nõ de esse sub peccato (debemus enim confiteri, ꝙ fecimus tale & tale peccatum: an autem adhuc detineamur illius peccati vinculo, vel sub peccato non simus, sub cõfessione non cadit) ideo satis est confessori cognoscere pœnitẽtem confitẽtem se perpetrasse tale peccatum, & paratum ad pœnitentiam, &c. sufficit enim ꝙ subiiciat se iudicio, accusando seipsum, &c. Et consimiliter: quia pœnitentia magis egisse de talibus peccatis, pertinet ad circunstantias alleuiantes sententiã iudicis, quas cõstat non esse opus confiteri.

¶Ad quartum dicitur, quòd quia præcipuus sacramenti effectus est gratia prima vel eius augmentum: ideo frequentia sacramenti illis solis conuenit, qui seipsos paratos reddũt ad gratię augmentum. Et propterea nõ sequitur, quòd fructus sacramentorum exponat ea ridiculo: non sunt enim frequentanda quantumcunque fructuosa sint, nisi à dispositis ad præcipuum eorum effectum: communiter autem huiusmodi dispositio non tam frequenter inuenitur in hominibus, vt totiens expediat confiteri.

¶Ad quintum dicitur, quòd sequela nihil valet: quoniam irreuocabilitas sententiæ pertinet ad firmitatem iudicis & iudicij, infructuositas autem supposita iterabilitate præ se fert, aut infirmitatem, aut minorem largitatem iudicis vel iudicij, iudicis quidem, si non vult, aut non potest virtutem dare similem iterato iudicio. iudicij autem si iudicium ipsum secundum se non est virtuosum, quale est humanũ iudicium in foro litigioso. Et per hoc patet responsio ad confirmationem. Notanter autem dixi, supposita iterabilitate: quoniam ex hoc ipso, quòd Deus iterabile instituit sacramentum pœnitentiæ super eisdem peccatis, consequens est, vt fructuosum replicet. Secus autem est in non iterabilibus sacramentis: huiusmodi enim eo ipso quòd sunt non iterabilia, vana sunt, si iterantur.

QVÆST

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO V.

¶ An confessio informis sit iteranda.

CIRCA Qualitatem confessionis quæritur an confessio informis sit iteranda: videtur enim quòd sic. Primò quia instrumentum oportet moueri à principali agente, alioquin instrumenti ratio non soluatur: ergo iudicium pœnitentiale oportet à ministro exerceri, prout mouetur à Deo: sed confessionem existente informi non exercetur iudicium pœnitentiale secundum motionem diuinam: ergo oportet denuò confiteri vt exerceatur pœnitentiale iudicium, vt instrumentum motum à Deo principaliter absoluente.

¶Secundò, Confessione existente informi, deest vna pars sacramenti, quæ est contritio: ergo sacramentum non valet: sed est iterandum: vt patet in aliis sacramentis quando deficit aliqua pars.

¶Tertiò, quia confessione existente informi, necesse est peccatum aliquod mortale subtrahi à materia absolutionis, ac per hoc necesse est confessionem non esse integram, & consequenter esse reiterandam. Assumptum probatur, tum quia communiter confessio informis accidit propter aliquid non explicatum in confessione. Tum quia peccatum illud, quod dum absolutio fit à pœnitente committitur, irreuerenter suscipiendo sacramentum, non est materia absolutionis: quoniam non potest simul pœnitens peccare & absolui ab illo peccato.

¶Quartò, quia fructus sacramenti pœnitentiæ est remissio peccati ex coniunctione passionis Christi per sacramentum ad pœnitentem: sed confessione existente informi non fit huiusmodi coniunctio, nec habetur hic fructus: ergo vanum fuit huiusmodi sacramentum, & consequenter iterandum est.

¶IN OPPOSITVM est autoritas diui Tho. in 4. sen. dist. 17.

¶Circa hanc difficultatẽ (quæ propter diuersas opiniones adhuc sub iudice videtur esse) sciendum est, quòd vtrandi sunt duo extremi errores. Alter est, quòd omnis confessio informis est valida, ita vt non sit iteranda: clarè siquidem patet confessionem illius, qui propter verecundiam peccatum aliquod mortale tacuit, esse informem & reiterandam. Alter est, quòd nulla confessio informis est valida, ita quòd non sit iteranda. Nam clarè constat nescire nos an aliqua nostra confessio fuerit formata, quia nescimus nos esse in gratia, & cum hoc dubio non curare nos amplius de memoria peccatorum, vt de nouo confitendorum: quum tamen oportet nos esse solicitos ad pluries confitendum, vt quandoque fieret confessio formata: & sic nũquam finis imponendus esset confessioni, vt tutior pars eligeretur: quod constat vniuersalis Ecclesiæ aures offendere. Ex vtroq; autem errore perspiciendum est, quòd non ad ipsam informitatem, sed ad informitatis causam resoluere oportet validitatem vel non validitatem informis confessionis: ex eo enim, quòd aliqua informis confessio est valida, & aliqua non est valida, non ex ipsa informitate, sed aliunde, puta ipsius informitatis causa prouenire debet, quòd aliqua sit valida, & aliqua non. Et quoniam causa hæc se tenet ex parte pœnitẽtis cuius duo sunt actus vsque ad absolutionem, scilicet contritio & confessio: ideo hinc scrutandum est quid veri appareat. Ex parte igitur confessionis certum est confessionem ex proposito non integrã propter verecundiam, aut aliquid huiusmodi, esse inualidam ac reiterandam: & in hoc nulla est quæstio.

¶Ex defectu autẽ contritionis tota oritur difficultas, quæ, vt clarius eluceſcat, distinguendus est cõtritionis defectus: habet enim multos gradus. Minimus autem contritionis defectus est ipsa absentia charitatis: qui enim sunt ita attriti, quòd dolent de præteritis omnibus, vt de summo odibili, & proponunt vitare mortale peccatum vt summum vitabile, si confessionem subeunt informem non tenentur iterare confessionem, sed est eorum confessio valida. Nec alia hoc eget probatione, quàm superius adducta ex vniuersalis Ecclesiæ testimonio: omnes enim sapientes & timorati viri sic dispositis mandant imponendum esse confessioni finẽ. In inferiori autem gradu contritionis, sunt sic attriti, vt doleant quidem de omnibus præteritis: non tamẽ ascendunt vsq; ad hoc, vt doleant de eis tanquã summo odibili: & similiter proponũt cauere de futuro, non tamen tanquã à summo vitabili. Et hoc bifariam contingit. Primò sine discussione talis defectus: quia scilicet non discutit pœnitens dolorem suum de commisso mortali, an sit tanquam de summo vitabili, & similiter propositum suum vitãdi mortale, an intendat vitare tãquam summum vitabile: sed occurrit tantum ei dolere de peccato & cauere de futuro (sicut si offendisset vnum hominem & doleret de offensa præterita & intenderet amplius illum non offendere) in eius tamen animo non ita dominatur affectus tam vitandi offensam in futuro, quàm detestandi commissam in præterito, vt pro summis malis hæc habeat. De horum numero vtinam non maxima pars Christianorum pœnitentium sit, quos non sicut primos puto virtute clauium de attritis regulariter fieri contritos: sed in sua attritione absolui & communicare. Cuius signũ est, quòd charitas sicut positiuè præfert Deum omni amabili, ita facit apud habẽtem ipsam offensam Dei odibiliorem omni odibili, & magis vitandam omni aliovitabili. operatur enim hæc magna amor Dei, si est: & si hæc non operatur, non est charitas Dei. De istorum confessione intelligo doctrinam diui Thomæ quòd confessio informis per defectum contritionis est valida, ita vt non sit iteranda: & erit eis fructuosa quando ascendent ad eor altum, vt habeant peccatam pro summo odibili & summo vitabili, & confitebuntur fictionem suam hanc, qua vt contriti sacramentum susceperunt: quum in veritate contriti non essent. Quare autem huiusmodi confessio sit valida, inferius declarabitur. Si verò huiusmodi attriti animaduerterint, se non esse contritos, simile est de eorum confessione iudicium & de confessione illorum qui sunt in tertio gradu: de quibus modò subiungimus, quòd in infimo loco attritorum sunt, qui ambas contritionis partes, aut parum attingunt, aut saltem altera carẽt. Ad contritionem enim quum duo spectent: dolor de peccato, & propositum cauendi de cætero, infimi proculdubio sunt, qui de præteritis quidem aliqualiter dolent, & de futuro velleitatem habent cauendi. Inter quos est etiam latitudo, non solùm secundum gradus doloris & velleitatis, sed etiam secundum differentiam percipientis, vel non percipientis statum proprium: & similiter secundum differentiam explicantis, vel non explicantis in confessione plenè seipsum. Nam qui huiusmodi statum suum non percipit, ac per hoc non explicat cõfitendo, integrè quidem confitetur quantum est ex intentione: qui autem percipit & confitetur, etiam integrè ex intentione confitetur: qui verò percipit & non confitetur, quia non occurrit sibi hoc quasi peccatum confitendum, adhuc integrè ex intẽtione confitetur, secus autẽ si nolle t hoc confiteri: tunc enim ex proposito dimidiaretur confessio. Et similes distinctiones fieri possunt de attritis in secundo gradu positis. Quo circa de omnibus dicitur, quòd quũ ex proposito tacetur peccatum sacrilegij ex tali statu pœnitẽtis consurgens confessio non est valida, sed iterandaridest si quidem confessioni non sola contritio, sed integritas ex proposito. Quando verò confessio ex proposito est integra, omnium confessio videtur valida: ita quòd non est necessario iteranda. Quamuis differentia sit inter eos, quo ad vitandum sacrilegij peccatum: quoniam percipientes statum suum malum, & confitentes eundem, putantésque se non sacrilegio, sed bono operam dare, rogando confessorem, vt eos absoluat, excusantur, si bona fide cum sacerdote docto id tractẽt, à sacrilegij peccato. Nec obstat, si dicatur, quòd ista est ignorãtia iuris diuini: quoniam in huiusmodi, quę sunt iuris diuini positiui, excusantur indocti, quando à doctoribus iudicibus sic eruditur: statuit enim Deus leges suas ad infimos per medios peruenire. Vnde & Apostolus, mulierem à viro suo interrogare iubet, si quid voluerit scire. Illos autem qui non explicant, confitendo, huiusmodi malum statũ suum, nescio excusare à nouo sacrilegij peccato: deberent enim saltem sacerdotis arbitrio iudicandos offerre seipsos in his, quæ communiter pœnitentes nosse & confiteri consueuerunt: communissimum autem est pœnitentibus omnibus confiteri voluntatem suam de non cauendo de cętero: hoc enim etiam mulierculæ & sciunt & seruant.

¶Communis autem ratio quare attritorũ omnium integra quidem, sed informis confessio est valida, ita quòd non est iteranda, assignatur à diuo Tho. quia sacramentum pœnitentiæ verum inuenitur & fructuosum non tunc, sed quando aderit contritio. Et quidem quòd verum inueniatur sacramentum, non solùm secundum illorum opinionem, qui negant contritionem esse partẽ sacramenti pœnitentiæ, apparet, quia nihil deest huic sacramento nisi contritio: sed etiam tenendo contritionem esse partem sacramenti pœnitentiæ, manifestatur ex eo quòd contritio non secundum se, sed relata ad confessionem (hoc est vt est spõtanea voluntas recompensandi ad arbitrium sacerdotis) pars sacramenti est posita superius à diuo Thoma. Hæc autem in proposita cofessione inuenitur, dum quilibet sponte eligit submittere se iudicandum sacerdoti, &c. Quia concurrunt igitur ad sacramentum huiusmodi, omnes partes eius, quæ se tenent loco materiæ, & forma & minister debitus, consequens est vt sit verum ecclesiasticum sacramentum. Quòd autem existente vero sacramento, informitas non pariat reiterationem, sed fructum futuro tempore, à diuo Thoma probatur: quia sic est in aliis sacramentis, & verè sic est de Baptismo, Confirmatione, Ordine, &c. Nec obstat, dicere quòd hoc verificatur in istis sacramentis, quia non sunt iterabilia, aut quia imprimunt characterem: vtrunque enim per accidens se habet ad fructum pro futuro tempore. Ex quo inferri potest, quòd non oporteiterari, etiam si esset iterabile: ex eo nanque quòd sacramentum est propter fructum eius: & fructus eius potest in futurum haberi sine ipsius iteratione. optimè sequitur, quòd non oportet sacramentum ipsum iterari. Amplius extrema vnctio est sacramentum iterabile: & tamen

si in contritus suscipit quis extremam vnctionem, & post ho tam conteratur, non reiterabitur extrema vnctio: nec carebit infirmus moriens illius fructu: quoniã si careret illius fructu, petenti infirmo iterari extremam vnctionem, ob suam incontritionem Ecclesia non negaret: quam tamen negat, dum super eundem morbum, &c. ordinat non repetendam. Ex hoc ergo, quòd informiter suscipiens sacramenta, siue iterabilia, siue non, ex ipsa informitate licet perdat fructum pro tunc, imò quandoque addat nouum peccatum mortale pro tunc, non tamen perdit fructum sacramenti, pro quando erit contritus, habetur non oportere iterari sacramentum. Nec oportet aliam huius rationem quærere, quàm ipsam sacramenti vim ritúmque Ecclesiæ. Augustinus enim primus hoc docuisse videtur de Baptismi fructu: diuus Thomas ad alia sacramenta hoc extendit: & Ecclesiæ ritus hoc videtur semper seruasse: fructu quoque extremæ vnctionis attestante. Et propterea concludendum videtur hoc loco, non plus sapere quam oportet.

¶AD PRIMVM In oppositum dicitur, quòd sacerdote præsumente soluere impœnitentem, sacramentale iudicium exercetur, vt Dei instrumentum quodammodo non, & quodammodo sic. Nam quo ad modum exercendi non procedit à Deo: quoniam sacrilegè exercetur: quo ad substantiam verò sacramenti, à Deo procedit simpliciter & absolutè. Et quia sacramentum secundum se est fructuosum, ideo à Deo procedit vt sacramentum fructuosum sortiturum effectum, quando suscipiens est dispositus. Et licet tempus dispositionis ex parte recipientis arctetur ad tunc: tamen ex diuina largitate extensum intelligimus ad tunc, vel postea, quando erit dispositus: vt in Baptismo contingit, ideo non oportet sacramentum repetere, vt Deo actore exerceatur.

¶Ad secundum dicitur, quòd in contritione duo sunt: scilicet vele recõpensare, & charitas informans illud velle. Et respectu quidem sacramenti pœnitentię absolutè, sufficit cõtritio quo ad primum, respectu autẽ eiusdem fructuosi in ipsius præsentia, cõcurrit contritio etiam quo ad secundum: & hoc solùm deest in proposito. Vnde nulla pars sacramenti vt necessaria est ad sacramentum, deficit: quamuis deficiat vt necessaria ad sacramẽti effectũ nunc.

¶Ad tertium dicitur, quòd quia actus morales ex per se obiecto iudicantur, ille solus dimidiat cõfessionem, qui ex intentione integritatem violat: & propterea quum in proposito supponatur, confessionem esse ex intentione integram, licet materialiter non sit integra, non sequitur, confessionem esse iterandam. Aduerte tamen hic, quòd sicut in aliis vitiis tam enormiter contingit errare materialiter, vt actus redeat ad naturam formalẽ sui generis (vt patet in detractione, cõtumelia, & huiusmodi: contingit enim tam grauiter absque intentione detrahendi detrahere famæ proximi, vt ipsa magna læsio incursa minus æstimata, detrahendi actum in detractionis naturam reducat) ita potest cõtingere quòd ex nulla aut tam crassa & supina conscientiæ discussione: aliquorum peccatorum mortalium confessio omittitur, vt materialis violatio integritatis in formalem reducatur, tanquam dimidiationis incursus ille, qui pro nihilo æstimatus est, intentus fuerit, Vnde tales ad reiterandam confessionem inducendi sunt. In quorum numero videntur esse illi, qui eum sola velleitate abstinendi à peccato confitentur & absoluuntur, tacentes huiusmodi peccatum & impedimentum, quod etiam mulierculæ nouerunt, & consueuerunt explicare.

¶Ad quartum dicitur proportionaliter sicut ad primum, quòd licet sacrilegè, sacramentum tamen coniunctionis fructuosæ secundum se passionis Christi ad pœnitentem exercetur: cuius fructus etsi non tunc, quando tamen erit dispositus pœnitens, percipietur, vnde non fuit sacramentum vanum, quòd Deus adeò acceptat, vt non exacta repetitione sacramentalem gratiam conferat, quam primum pœnitens fuerit dispositus, quam per sacramentum præsens erat daturus, si tunc pœnitens fuisset dispositus.

TRACTATVS SEXTVS, DE Satisfactione pœnitentiali, in duas Quæstiones diuisus.

1. *Num pœnitentialis satisfactio de aliàs debito fieri possit.*
2. *Num pro contrito & confesso peccato imposita satisfactio, si exoluatur in peccato mortali sit iteranda.*

QVAESTIO I.

¶ An satisfactio pœnitentialis possit esse de aliàs debito.

CIRCA Satisfactionem pœnitentialem quæritur primò, an possit esse de aliàs debito. Et videtur quòd non, primò ex ipsa ratione satisfactionis. Nam satisfacere est facere æquale debito: non fieret autem æqualitas, si aliàs, id quod fit esset debitum. minus enim fieret quàm deberetur. Et confirmatur hoc ex similibus in reliquis satisfactionibus.

¶Secundò, quia ritus Ecclesiæ hoc habet vt pœnitentias iniungat non de ieiuniis & orationibus: quæ sunt in præcepto.

¶Tertiò, quia secundum Ansel. in lib. Cur Deus homo, per illa fit satisfactio, quæ non possent ab homine exigi ni peccasset: sed præcepta possent ab homine exigi, etiam si non peccasset: ergo de præceptis non potest fieri satisfactio pœnitentialis.

¶IN OPPOSITVM est, quòd in casu quo martyrium est in præcepto, satisfactio per illud fit: non derogat ergo satisfactioni pœnitentiali esse aliàs debitum.

¶Ad huius euidentiam sciendum est plus tenuisse doctores partem negatiuam quæstionis propter argumenta inducta. Et quoniam pars affirmatiua mihi videtur vera, ideo eius veritas monstranda est, assumẽdo pro fundamento, quòd vnum & idem opus à diuersis directum seu assumptum principiis, multiplicis est efficaciæ in his, quæ sunt iustitiæ mixta, qualis est inter hominem & Deum. Sub qua constat comprehendi satisfactionem pœnitentialem: quoniam nulla nostra satisfactio est sufficiens secundum æquialentiam exactam à pura iustitia, sed secundum diuinam acceptationem. probatur ergo primò intentum sic: eadem pœna si à minori charitate procedit, est minus satisfactoria, & à maiore charitate procedens est magis satisfactoria: ergo pœna aliàs debita, si procedat à maiore charitate, vel à virtute clauium, erit plus satisfactoria, quàm ipsa secundum se, vt erat aliàs debita: ergo pœna aliàs debita potest assumi in satisfactionem pœnitentialem. Assumptum est notum, & approbatum de excellentia satisfactionis in passione Christi propter excellentissimam illius charitatem, à qua procedebat. Consequentia autem est per se euidens, & tantò euidentior, quanto in satisfactione pœnitentiali plus pensatur quantitas ex diuina acceptatione, quam secundum substantiam operis seu pœnæ, quam pura iustitia consideraret.

¶Præterea vnum & idem opus cum hoc quòd est aliàs debitum Deo, est meritorium de condigno æternæ vitæ: ergo potest esse etiam satisfactorium pœnæ pro peccatis debitæ. Assumptum patet: quia honorando parentes (quòd est opus præceptum) mereor si ex charitate illos honoro, vitam æternam de condigno. Consequentia probatur, ex eo quòd ratio aliàs debiti non minus officit ad constituendum ius futuræ mercedis, quàm ad constituendum ius recompensandi peccatum debitum: opus siquidem aliàs debitum, si potest cum hoc efficere, vt exigente iustitia merces sibi debeatur, tam excellens qualis est æterna fœlicitas, multò magis sufficiens est, vt constituat ius soluti pretij debiti tam minimi, quale est temporalis pœna. Et confirmatur: quia tribus existentibus virtutibus, scilicet charitate, gratificatione & pœnitentia, & actus aliàs debitus potest ex charitate efficaciam meritoriam, ex gratificatione efficaciam gratiarum actionis sortiri: cur non assumptus à pœnitentia vim satisfactoriam sortietur? nunquid diuina acceptatio tam larga in merito & gratificatione, manca est in satisfactione? an fortè plus iustitiæ locum habet in amico circa solutionem pœnæ, quam circa gratiarum actionem, aut meritum?

¶Præterea, ad particularia descendendo, & discurrendo per consilia, quando sunt in præcepto, idem apparet: in casu enim quo tenetur quis eleemosynam facere, cur non potest pœnitens ordinare illam pro satisfactione pœnitentiali? & similiter in casu quo præbere alteram maxillam, vel angariari, vel esurire, aut sitire, penuriam pati, aut huiusmodi aliquid, esset in præcepto, quis sapiens prohibeat pœnitentem offerre hæc Deo in satisfactionem, aut neget solui per hæc pœnam debitam pro peccatis? an fortè huiusmodi opera debita ex præcepto, possunt ab ipso quidem pœnitente assumi in satisfactionem pœnitentialem, sed per confessoris ministerium non possunt hæc in pœnitentiam dari. Hoc enim Ecclesiæ clauibus est derogare, maiorémque virtutem humanæ intentioni, quàm Christi clauibus tribuere: tanquam humana intentio, quædam possit pro satisfactione assumere, ad quæ claues non se extendunt: quod à fidelium æstimatione longè sit. In cuius signum laudabilis multorum confessorum consuetudo antiqua, absoluendo pœnitentem dicit, Quicquid boni feceris, & facere intendis, & mala quæ sustines, & sustinebis, sint tibi in remissionem peccatorum, &c. & non dicit, Quicquid supererogationis boni feceris, aut mali, sustinebis.

¶AD PRIMVM ergo in oppositum dicitur, quòd aliud est loqui de satisfactione infra limites puræ iustitiæ, & aliud est loqui de satisfactione sapiente magis naturam amicitiæ quàm iustitiæ: argumentum enim procedit de satisfactione infra limites iustitiæ concluſa, de qua non est hic sermo. Vnde & pœnitentia postea est à diuo Thoma differens à iustitia vindicatiua: quia illa attendit, hæc autem voluntatem offensi & offendentis, quod amicitiæ magis est, quàm iustitiæ.

¶ Ad sec

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶Ad secundum dicitur, quia ecclesiasticus minister homo est, (qui non intuetur cor, quem latet pœnitentis charitas,) ideò prouidè ad tutiorem partem iudicium suum declinat: & id quod est amicitiæ præteriens, ad id quod est iustitiæ se conuertit. Et quoniam ex parte iustitiæ satisfactio habet, quòd sit de non alias debito, ideo confessores non imponunt ieiunia alias debita, sed opera ad quæ aliàs pœnitens non teneretur: cum quo stat, quòd si opera, ad quæ aliàs pœnitens tenetur, imponeret in satisfactionem peccatorum, prodesset saltem virtute clauium pœnitenti satisfactio huiusmodi ex charitate adimpleta.

¶Ad tertium dicitur, quòd autoritas non videtur adduci ad propositum, quoniam ex illa nihil aliud habetur, nisi quòd satisfactio sit per pœnalia: hæc enim sunt quæ si homo non posset, ab eo non exigerentur. De hoc enim nulla est quæstio: sed an huiusmodi pœnalia sint satisfactoria, si sint aliàs debita, de quo nihil dicit autoritas allegata. Veruntamen scito, quòd opus hoc, quod est honorare parentes (quod etiam si homo non peccasset, præceptum fuisset) si in præsenti statu exercendum cum pœnalitate aliqua occurrat, illud vnum opus præceptum, quatenus est pietatis, esset meritorium, vt est à charitate, & gratiarum actio Deo, vt est à superexcellẽti gratitudine vocatur religio, & esset satisfactorium, quatenus esset à pœnitentia: & simile est in aliis. Vnde habes, quòd etiam per ea quæ si homo non peccasset, essent exacta, alio tamen modo post peccatum exercita satisfactio fit.

QVAESTIO II.

¶ An pro contrito & confesso peccato imposita satisfactio, si exoluatur in peccato mortali, sit iteranda.

SECVNDO circa satisfactionem pœnitentialem quæritur, an pro contrito & confesso peccato imposita satisfactio, si exoluatur in peccato mortali, sit iteranda. Videtur enim quòd non.

¶Primò ex ipsa ratione iustitiæ. Ex quo enim secum plenam iustitiam punitiuà semel imposita est pœna temporalis pro peccato, de quo verè pœnituit, nunquam pro illo debebitur, nisi pœna temporalis: & illa soluta nulla. Et confirmatur hoc in actibus humanis. Si enim alicui culpæ præcisè correspondeat secundùm legem abscissio manus, non debet secundum iustitiam manu abscissa exigi maior punitio: ergo à simili si quis remanet debitor præcisè temporalis pœnæ (puta quatuor dierum) non debet secundum diuinam iustitiam illa soluta plus exigi.

¶Præterea, Si huiusmodi satisfactio extra charitatem dicatur nõ sufficere, sententia nimis dura & occasio peccandi videtur: quoniam pœnitens quum hoc audierit, post lapsum in peccatũ mortale non prosequetur executionem pœnitentiæ, vtpote inutiliter: & sic incidet in nouum peccatum mortale, transgrediendo præceptum Ecclesiæ & vicarij Dei in illo actu. Et hinc formatur, inquit Scotus, talis ratio, Si post lapsum non exequatur quis satisfactionem pristinam sibi impositam peccat mortaliter: ergo si exequatur, bene facit: quia actum obedientiæ facit: sed non facit actum obedientiæ nisi inquantum illud est sibi impositum, tanquam pars satisfactionis: ergo, &c.

¶Præterea, Sequitur aliud inconueniens, scilicet q̃ huiusmodi peccator si damnaretur, æternaliter puniretur pro peccatis semel dimissis: ac per hoc dimissa peccata redirent simpliciter: quia redirent quo ad pœnam æternam. Et vlterius sequitur, quòd ita æternaliter punitur quis pro peccatis dimissis, sicut pro non dimissis.

¶IN OPPOSITVM est, q̃ satisfactio mortua non est satisfactio, sicut nec homo mortuus est homo. Hæc quæstio sub iudice ab omnibus communiter videtur derelicta, quum ipse Scotus, qui partem negatiuam tenet (cuius sunt argumenta inducta) non audeat eam asserere: sed dicat se absque præiudicio loqui in 1. quæstio. dist. 15. 4. sentent. & diuus Tho. varia videatur sentire: Durandus soluat ad vtranque partem, &c. Quo circa vt radicales rationes examinentur, & rationabiliior pars eligatur, hanc mouimus. Et quoniam rectum, est iudex sui & obliqui, hinc incipiendum reor, quòd secundum omnes nulla nostra pœnitentialis satisfactio apud Deum est sufficiens sine charitate: quia nulla est sufficiens secundum æquiualentiam simpliciter, sed quæcunque est sufficiens, ex diuina acceptatione est sufficiens: acceptabilem autem charitas reddit. Ex hoc communi principio oportet doctrinam procedere per se, absque diuersione ad ea, quæ sunt per accidens, aut extranea: alioquin doctrina magis erit voluntarium dogma, quàm vera doctrina. Ex hoc autem principio manifestè deducitur, nullam satisfactionem sufficere nisi charitas reddat eam acceptabilem: nec oportet in hac deductione laborare: sed tantummodo subsumere, sed hæc est satisfactio: ergo. Vnde quum reliqua ista de qua quæritur satisfactio, sit verè satisfactio pro peccati pœna, & nullam habeat conditionem diminuentem rationem satisfactionis, mirum, vt non dicam voluntarium, videtur eximere huiusmodi satisfactionem à communi regula satisfaciendi: aut enim oportet negare illud vniuersale ac commune principium, aut illo concesso oportet vniuersaliter dicere, nullam satisfactionem pœnitentialem sufficere nisi secundum acceptationem: quæ extra charitatem non inuenitur. Et confirmatur ex casu simili, ponendo hominem post contritionem suorum peccatorum, & aliquot dies pœnitentiæ. citra tamen confessionem, relapsum & nihilominus prosequi actus pœnitentiales pro peccatis pristinis. Hoc enim sic se habente, quæratur an huiusmodi actus pœnitentiales post relapsum sint satisfactorij; an non. Si dicitur quòd sunt satisfactorij, sequitur quòd non oportet recurrere ad determinationem pœnæ factam per punitiuam iustitiam clauis non errantis, &c. quum in hoc casu huiusmodi determinatio per clauis non interuenerit: & vltra hoc videtur negari communis Doctorum sententia. Si verò non sunt satisfactorij, quum sola temporalis pœna pro pristinis peccatis in vtroque casu remanserit soluenda, nulla est ratio, quare solutio vnius extra charitatem valeat, & alterius non: si enim iniustum est plus exigere in primo casu, iniustum quoque est plus exigere in secundo: quoniam secundum diuinam iustitiam vtrobique debitum solius pœnæ temporalis remanet. Et si illa soluitur extra charitatem, nullius restat pœnæ debitum: si autem charitas exigitur ad hoc, vt solutio sit sufficiens, neutrius solutio aliquid valet. Concludendum igitur ex communi hoc principio videtur, quòd nulla satisfactio pœnitentialis est sufficiens nisi secundum diuinam acceptationem, quam constat (vt fæpe dictum est) extra charitatem non inueniri. Et confirmatur hoc ex ipso modo remissionis peccatorum. fit enim remissio mortalis peccati per modum amicabilis reconciliationis, ex hoc enim modo fit: vt peccator ex proprio demerito hostiliter puniendus, amicabiliter contipiendus reflet: hoc est enim auferri reatum pœnæ æternæ, & transire in reatum pœnæ temporalis. Ex hoc autem quòd peccator de hostiliter puniendo, transit in amicabiliter puniendum hic, vel in purgatorio, sequitur quòd nisi amicabiliter pœna exoluatur, nunquam soluetur: quia quòd amicè debeo nunquam exoluo nisi amicè tribuam.

¶Ex eodem quoq; principio deducitur, exceptionem aliam de satisfactionibus relinquẽtibus post se effectum, non esse vsquequaque veram: sed ex famosa apparentia humanáq; compassione processisse videtur distinctio inter satisfactiones relinquentes post se effectum, & satisfactiones non relinquentes post se effectum: ita vt licet vtræque extra charitatem factæ sint mortuæ, effectus tamen primarũ remanens potest viuificari per subsequentem charitatem: & ideo primæ non sunt reiterandæ, secundæ autem quia totaliter transierunt, sunt reiterandæ. Fauorabilis siquidem magis quàm vera videtur interpretatio hæc. Nã opus satisfactorium relinquens post se effectum (puta ieiunium, vel eleemosyna extra charitatem) si est sic per sequentem charitatem viuificabile, vel hoc habet ex sacramentalitate sola. & hoc nõ: quia sic etiam conueniret satisfactionibus non relinquentibus effectum: quoniam ipsæ etiam sunt sacramẽtales. Vel hoc habet ex relicto effectu solo: & hoc non: quia hoc conueniret similibus satisfactionibus factis ante contritionem & confessionem: quod omnes negamus, dicentes cum Augustin. quòd peccator non est dignus etiam panequo vescitur: & cum Apostolo, Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, &c. Vel hoc habet ex vtroque simul, scilicet sacramentalitate & effectu relicto & hoc non: tum quia ad hoc, quòd opus sacramentale sortiatur effectum per sequentem charitatem, non requiritur relictus effectus: vt de confessione informi patet. Tum quia huiusmodi relictus effectus nõ est sacramentalis: quoniam nõ est effectus operis satisfactorij, vt est sacramentale, aut morale, sed secundum naturam operis, afflictio enim carnis nõ est effectus ieiuni, vt est a ctus moralis, aut sacramentalis, sed vt est subtractio cibi. Et similiter diminutio boni exterioris non est effectus eleemosynæ, nisi secundum naturam operis: puta quia subtrahit illud à se: vnde effectus iste est valde remotus à sacramentalitate. Tum quia vacillans, aut claudicãs inueniretur hoc verum: nam non esset verum vniuersaliter, sed in solo illo casu quo relictus effectus duraret vsque ad aduẽtum nouæ charitatis: vt sic inuentus posset à charitate viuificari. Nam si non duraret, non posset per illã viuificari plusquam trãsitoria quæ præteriit oratio. & sic si quis extra charitatem ieiuniorum iniunctam pœnitẽtiam peregisset, & debilitatis seu afflictionis derelictus effectus non duraret, post duos menses (qui interim pœnitens bene se confortauit) & noua charitas non fuisset recuperata vsque ad quartum mensem, iteranda essent prædicta ieiunia.

¶Quia igitur neutra via solide fundata videtur, occurrit medis via incedendum, dicendo tria. Primum est, quòd omnis, pœnitentialis satisfactio à confessore imposita etiam si extra charitatem fiat, sufficiens est quo ad forum militantis Ecclesiæ. Probatur hoc

hoc: quia satisfactio huiusmodi est sacramentalis: est enim tertia pars sacramenti, ac per hoc satisfacit Ecclesiæ, si est informis, sicut confessio informis. Et hinc oritur, vt nõ solùm ieiunia & eleemosynas, verum etiam orationes non sit solita Ecclesia, iterum imponere pœnitentibus, qui eas semel soluerunt, quãuis iuniores non nulli trepidantes timore vbi non est timor, & adinuenerint quandam momentaneam satisfactionculam pro pœnitentia sacramentali: & deinde arbitrantur, quasi condignam pœnitentiã, quæ aut non est pœnitentia sacramentalis, aut si est, vanum monstrat eorum timorẽ. Nec hoc facere sunt edocti à sancta catholica Ecclesia, & propterea reprehensione magis dignum est, quàm vsu. Secundum est, quòd quæcunque sacramentalis satisfactio si extrà charitatem sit, nihil tunc valet ad expiationem pœnæ pro peccato debitæ apud Deum. Hoc ex suprà dictis satis probatum est, & à Magistro sen. multis autoritatibus in 15. dist. 4. c. firmatur. Tertiũ est, quòd omnis satisfactio sacramentalis si extra charitatem sit, valere incipiet quando recuperata charitate pœnitens ad eor redibit, &c. Probatur hoc ex eo quòd regulariter opus sacramentale vtpote opus Dei recedente fictione sortitur effectum (vt de Baptismo, confessione, & extrema vnctione dictum est) satisfactio autem sacramentalis pars sacramenti est, vimque habet ex clauibus: ergo, si est informis, sortietur posteà recedente fictione, effectum. An autem totũ effectum sortiatur postea quem sortita fuisset, si in charitate peracta esset, non facilè dixerim. Videtur tamen mihi, quòd non totum satisfactionis effectum sortiatur postea: quia sacramentalis satisfactio plus se tenet ex parte humani operis, quàm ex parte diuini, hoc est sacramenti. Cuius oppositum acciditin aliis: vt patet in Baptismo, in quo totum opus est Dei, & hominis est solũ ministerium: in satisfactione verò sacramentali opus est præcipuè pœnitentis, & tam parum habet sacramenti, vt multi Doctores negent ipsam esse partem sacramenti. Et propterea rationabile videtur, quòd satisfactio sacramentalis informis aliquem effectum postea sortiatur ex illa parte quia sacramentalis est: non totum autem ex illa præcipua sui parte, qua humanum opus mortuum habuit.

¶AD PRIMVM Ergo in oppositũ dicitur, quòd obiectio confecta est ex lana & lino, quoniam orta est ex amicitia, & contexta est ex mera iustitia. Supponit enim pœnitentem secundum meram iustitiam debere pœnam solummodo tẽporalem, & cum hoc reconciliatum esse ex gratia, quasi post reconciliationem satisfactio sit sufficiens secũdum æquiualentiam simpliciter, & non secundum acceptationem. Et quoniã satisfactio secundum æquiualentiam simpliciter, non consonat satisfactioni amicabili & posibili inter hominem & Deum: ideo, vt prædictum est, repetitur dicendo satisfactionem impositam tempoalem pro pœna peccati siue imposita sit à sacerdote, siue non, esse amicabiliter soluendam: & si amicabiliter, non soluitur, nunquam soluitur. Et propterea quæ de mera iustitia & humanis punitionibus adducuntur extra propositum sunt: quoniam de vindicatiua loquuntur iustitia, in qua attenditur æqualitas rei ad rem: nos autem de satisfactione pœnitentiali loquimur, in qua attenditur æqualitas secundum acceptationem Dei offensi.

¶Ad secundum dicitur, quòd sententia hæc non est dura, sed dulcedine amicitiæ diuinæ plena, nec est occasio peccandi nisi forte de errare: vt patet applicando eam ad peccatorem communicaturum in paschate, dicendo, Si non communicat peccat nouo peccato: ergo si communicat, bene facit obediendo. Quod patet esse ridiculum.

¶Et quia multiplicare inconuenientia, non est soluere, dicitur secundo, quòd huiusmodi rationi in quæcunq; materia fiat responsum est: Si non exequitur peccat, admittitur: ergo si exequitur cõdignè, bene facit alioquin negetur sequela: quoniam & communicando & non communicando in Paschate peccat nouo peccato indignus. Dicitur tertiò quantum ad materiam quæ tangitur de nouo peccato mortali omittentis pœnitentiã iniunctam à confessore pro mortalibus, quòd nulla ratione apparet omissionem huiusmodi esse peccatum mortale, vt patet discurrendo per omnia concurrentia ad huiusmodi actum, iniuncta siquidẽ à confessore pro mortalibus satisfactio, quatuor habet capita. primum est, quòd est iudicata & præcepta à Christi vicario: & hinc satisfactio fit actus iustitiæ cuiusdam & obedientiæ: & hinc satisfactionis omissio non habet peccati mortalis rationem, si desit contemptus, qui contrariatur præcepto: & abiiceret gratiam iudicij facti. Secundum est ex parte pœnitentis, quod est actus pœnitentiæ & charitatis: & hinc nulla est in omissione ratio peccati mortalis, nisi actus iste iustitiæ, pœnitentiæ & charitatis sit necessarius ad salutem. Quod constat esse falsum: quia actus iste non est necessarius ad dilectionem Dei, aut ipsius, aut proximi: quoniam versatur circa ea, quæ sunt ad finem scilicet solutionem pœnæ temporalis: quam potest pœnitens referuare sibi in purgatorio absque mortali offensa Dei. Tertium est ex parte finis, quod est expiatiua pœnæ pro peccato debitæ: & hinc, vt nunc monstratum est, non habet omissio, q̃ sit mortale peccatum, sed quòd sit reseruatio luendæ pœnæ. Quartum est, quòd est pars sacramenti: & hinc, quòd omissio non constituat sacrilegium, ex eo apparet, q̃ Ecclesia vtitur pœnitentiæ sacramento quandoque absque hac tertia parte (vt patet de pœnitentibus in fine, quibus non imponitur secundum canones satisfactio) & ex eo quòd si quis sua spõte ante confessionẽ satisfeciſſet, non esset imponenda satisfactio aliqua à confessore. Nec desunt dicentes posse pœnitentem malè paratum ad suscipiendam satisfactionem in hac vita, absolui referuata satisfactione in purgatorio: ex his enim omnibus habetur, quòd omissio huius partis sacramenti non est peccatum mortale ex suo genere. Vnde quum satisfactio à confessore non imponatur, nisi vt descripta est, & vt sic illius omissio non habeat ex suo genere rationem peccati mortalis, concludendum est peccare quidem omittentem iniunctam satisfactionem (quum agat præter obedientiam & alias virtutes) nõ tamen mortaliter, deniente contemptu, quum nec cõtra obedientiam, charitatémve omittat.

¶Ad tertium dicitur, quòd distinctio inter per se & per accidens euitat hæc inconuenientia: pœnam siquidem temporalem fieri per se æternam est inconueniens: per accidens autem æternari non inconuenit. Sic autem est in proposito: quoniam temporalis pœna amicè soluenda propterea ordinatur in inferno, quia nunquam amicè soluitur. Vnde nec propterea redunt simpliciter dimissa peccata, nec æquè punitur pro peccato dimisso & pro nõ dimisso: si enim redirent simpliciter deberetur per se pœna æterna: & similiter peccato non dimisso deberetur per se pœna æterna. In proposito autem æternitas pœnæ inuenitur per accidens: non tamen sicut in pœna venialium: ratio enim proxima æternitatis pœnæ perseuerantium venialium in inferno est æternitas culpæ: perseuerante enim culpa semper debet perseuerare pœna. Ratio autem æternitatis pœnæ in proposito est defectus acceptabilitatis: quia scilicet solutio pœnæ nunquam est acceptabilis, quia nunquam soluitur amicè.

TRACTATVS SEPTIMVS DE Ministro sacramenti pœnitentiæ, cuius vnicum est Quæsitum.

QVAESTIO VNICA.

¶ An sacramenti pœnitentiæ minister possit esse sacerdos absque iurisdictione.

CIRCA Ministrum sacramenti pœnitentiæ quæritur an possit esse sacerdos absque iurisdictione. Et est ratio dubij. Tum quia cõfessor summi pontificis ministrat ei sacramentum pœnitentiæ solã potestate ordinis: quum potestatem iurisdictionis super eũ habere nequeat. Tum quia videtur communiter dici quòd sola potestas ordinis sufficit ad absoluendum à peccatis venialibus. tum quia videtur etiam communiter dici, quòd potestas ordinis ex se, se extenderet ad omnes absoluendos, nisi per Ecclesiam esset limitatæ iurisdictiones.

¶IN OPPOSITVM est decretum omnis vtriusque sexus. ¶Ad euidentiam huius sciendum est, quod licet multa Doctorum verba sonare videantur, solam ordinis potestatem quãdoque sufficere ad hoc sacramentum, secundum tamen rei veritatem nunquam sufficit, sed semper exigitur vltra potestatem ordinis, autoritas iurisdictionis aliquo modo. Et hoc quidem non solùm per Ecclesiam determinatum est, sed ex ipsa sacramenti natura habetur, legimus enim in Concilio Floren. sub Eugenio 4. quòd ministri huius sacramenti est sacerdos habẽs autoritatem ordinariam vel delegatam. Ex quo patet quòd sacerdos sola ordinis potestate fultus, non est minister huius sacramenti: Et quum in proposito non habeat locum distinctio illa de ministro ex officio vel ex articulo necessitatis sicut in Baptismo, oportet dicere, quòd si sacerdos sola ordinis potestate absoluat, sacramentum nullum est: quia deficit minister. Et quoque sacramentum hoc ex sua natura iudiciale: quoniam forma eius consistit in actu iudicis, vt sic, actus autem iudicialis, etiam si fingendi detur licentia, non poterit intelligi exerceri, nisi in subditum: igitur non ex Ecclesiæ constitutione, sed ex ipsius sacramenti iudicialis natura exigetur potestas iurisdictionis in hoc sacramento. Dupliciter autem contingit haberi potestatem iurisdictionis: primò ex parte principij iudicandi, ita, quòd potestas ipsa iurisdictionis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit principium iudicij: sicut in naturalibus calor est principium calefaciendi, & in politicis potestas principis est principium puniendi, & in ecclesiasticis potestas pontificia est principium excommunicandi, & huiusmodi. Alio modo inuenitur iurisdictio ex parte eius, qui iudicandus est: sicut contingit in iudicio arbitrorum, à partibus tantum potestatem habentium, ex hoc ipso quòd illis se submittunt in illa causa. In ministro verò sacramenti pœnitentiæ quum ordinaria vel delegata à superiori potestate est minister, licet inueniatur potestas iurisdictionis primo modo, ad ministrandum tamen sacramentum pœnitentiæ, sufficit potestas iurisdictionis secundo modo. Et ratio est: quia sacramentalis absolutionis principium non est potestas iurisdictionis, sed potestas ordinis: potestas autem iurisdictionis concurrit quo ad hoc solum, quòd facit de peccatore subditum: vel simpliciter vel quo ad talia peccata. Et hinc fit, vt quicunque potest se subiicere in foro pœnitentiali cui vult; non egeat aliunde iurisdictione in ministrante ei hoc sacramentum.

¶ ET PER hoc patet responsio ad primum: ex hoc enim q summus Pontifex nulli in terris subditus est, potest seipsum subdere in foro pœnitentiali cuilibet sacerdoti, nec confessor ille habet, propriè loquendo, potestatem iurisdictionis super Papa pœnitente, à Christo, vel Ecclesia, vel ab ipso Papa tanquam à superiore: sed ex hoc ipso quòd Papa se subdit illi. Et hic modus iurisdictionis reductiuè spectat ad iurisdictionem delegatam: quamuis propriè non sit delegata.

¶ Ad secundum dicitur, quòd quia quo ad peccata venalia quilibet est liber respectu sacramenti pœnitentiæ (eo quòd nullus tenetur cõfiteri venialia) ideo satis rationabile est, q quilibet potest se subdere cui vult sacerdoti pro sacramento pœnitentiæ venialium. Et sic inuenitur hic non sola potestas ordinis, sed potestas iurisdictionis reductiuè: quæ quia non est propriè delegata, tacita videtur à dicentibus, quod sola potestas ordinis ministrat sacramentum venialibus: quum tamen secundum veritatem si nullo modo iurisdictio interueniret, nullum esset peccatum: vt dictum est. Caue tamen ne huiusmodi iurisdictionem extendas ad absolutionem ab excommunicatione minori, etiam per peccatum veniale incursa: nam quia excommunicatio minor vinculum est introductum à potestate iurisdictionis, quæ est principium iudicij, impossibile est quòd sine huiusmodi potestate iurisdictionis, quæ est principium actuum iudicialium, absoluat quis ab excommunicatione minori. Vnde quamuis habens venialia tantum possit à quocunque sacerdote pœnitentiæ sacramentum suscipere ex hoc ipso, quòd se subdit illi: non potest tamen à quocunque sacerdote absolui ab excommunicatione minori: sed si illa habet, oportet prius à proprio sacerdote ab illa absolui.

¶ Ad tertium dicitur, quòd illud dictum potest dupliciter intelligi: vel vt omnes sacerdotes à principio ex hoc ipso, quòd erant sacerdotes poterant omnes absoluere: vel quòd omnes sacerdotes instituebantur non solùm sacerdotes cõmunes: sed iudices communes in foro pœnitentiali. Primus sensus est falsus: quia de necessitate sacramenti iudicialis est iurisdictio. Secundus sensus est verus, supposita veritate dicti, quoniam ante distinctiones parochiarum, &c. sacerdotes vtranque potestatem accipiebant: ita q tunc erat & sacerdotes communes & iudices communes, postea autem ordinantur quidam sacerdotes communes, fiunt autem iudices proprij, assignando eis plebes proprias. Et multi relinquuntur sacerdotes communes qui nunquam fiunt iudices, nec communes, nec proprij: vt patet de his qui non sunt expositi ad audientiam confessionum, nec aliquis se subdit eis quo ad venialia.

TRACTATVS OCTAVVS, DE Indulgentiarum, Thesauro, in quatuor Quæstiones diuisus.

1 *Num aliquis thesaurus sit necessarius ad efficaciam indulgentiarum.*
2 *Num, & quibus satisfactionibus & meritis constet thesaurus indulgentiarum.*
3 *Num satisfactiones, ex quibus est thesaurus indulgentiarum, sint Christi merita & sanctorum.*
4 *Num thesaurus indulgentiarum subdatur Papæ absque sacramentorum collatione.*

CIRCA Indulgentias post tractatum quendam aliàs editum, & plures quæstiones in secundo quo libet positas, iam tertiò scribendum occurit tripertita considerationi. primò de thesauro. Secundò de causa. Tertiò de suscipientibus.

¶ Circa thesaurum occurrunt quatuor quærenda: primum, an aliquis thesaurus sit necessarius ad efficaciam indulgentiarum. Secundò, ex quibus constat dictus thesaurus. Tertiò quorum sint vel fuerint reposita in dicto thesauro. Quartò, an dictus Thesaurus subsit dispensationi summi Pontificis.

QVAESTIO I.

¶ An thesaurus aliquis sit necessarius ad efficaciam indulgentiarum.

CIRCA Primũ (an thesaurus aliquis sit necessarius ad efficaciam indulgẽtiarum) sciendum est, quòd ex duplici capite dubitatio hæc oritur. vel ex eo quòd creditur Papam posse facere effectum indulgentiæ autoritatiuè, sicut potest absoluere ab excõmunicatione: sic quòd ita potest absoluere à debito pœnarum temporaliũ, quas pœnitentes pro suis debent peccatis, sicut potest absoluere à vinculis suspensionis, interdicti & huiusmodi. Vel ex eo q creditur effectum indulgentiarum non esse aliud, quàm solutionem ecclesiastici vinculi, quo pœnitens alligatus est ad iniunctas pœnitentias. Ex vtraque siquidem opinione sequitur nullo opus esse thesauro ad efficaciam indulgentiarum: vt manifestè patet.

¶ Prima autem opinio est Francisci Maironis in 4. dist. 19. Et fundatur super verbo Christi, Quodcunq; solueris super terram, &c. Hinc enim vult Papam veluti principem Christianæ Reipub. constitutum: & postea ex regulari potestate principum, qua quilibet princeps habens plenariam potestatem, potest remittere debita peccatoribus in sua politia, infert Papam posse remittere debita pœnarum temporalium, quas pœnitẽs tenetur in hac vita vel in purgatorio exoluere. Firmatúrq; hoc, inducendo quòd sacerdos absoluendo trãsfert pœnam æternam in temporalem: sc. per hoc de foro inferni in forum temporale, &c. Sed hic dicendi modus tripliciter errat. Primò in hoc, quòd non distinguit inter forum pœnitentiale & forum extrinsecæ iurisdictionis ecclesiasticæ: Papa enim, licet sit quasi princeps in foro ecclesiasticæ iurisdictionis exterioris (cuius signum est, quòd est solutus ecclesiasticis pœnis & legibus, vt princeps) in foro tamen pœnitentiali est subditus: vnde & potest solui & ligari à sacerdote in foro pœnitentiali, & potest & debet sibi negari absolutio, sicut & reliquis fidelibus accedentibus ad sacramentum pœnitentiæ: pœna autem temporalis pro peccatis actualibus post contritionem & confessionem debita non spectat ad extrinsecum forum, sed ad forum pœnitentiale. Quod etiam ex eo patet, quòd est eiusdem rationis cum suis aliis partibus, quæ remissæ sunt ex virtute clauium, vel per satisfactionem pœnitẽtialem, vnde quo ad hoc non habet Papa à Christo potestatem tanquam princeps, sed tanquam minister. Secundò errat in hoc quòd non discernit inter causas debitorum. nam si princeps non posset remittere causam debiti, nec ipsum debitum remittere posset. Vnde quum Papa non possit remittere causam debiti (quoniã causa debiti est peccatum: Papa autem non potest etiam veniale remittere peccatum) non igitur ad potestatẽ principatus eius spectat remittere pœnam ex peccato debitã. Tertiò errat non discernens modũ potentiæ: aliud est enim Papã posse remittere huiusmodi pœnas. Dato enim, quòd Papa possit sicut rei veritas est quòd potest ex illo Christi verbo, Quodcunque solueris, &c. non tamẽ sequitur, potest hoc tali modo, puta solo iussu: stat enim quòd potest hoc alio modo, puta per ecclesiastici thesauri dispensationẽ. Et hoc patet in simili: nam sicut Christus dixit Petro, Quodcunque solueris, &c. ita dixit discipulis, Quorum remiseritis peccata, &c. & sicut non valet, discipuli seu sacerdotes possunt remittere peccata, ergo possunt solo iussu seu autoritate: (sed stat, q possunt alio modo, scilicet ministrando sacramentum pœnitentiæ) ita non valet, Papa potest quodcunque soluere super terram: ergo solo iussu seu autoritate hoc potest: stat enim quòd hoc possit diuersimode, quo ad exteriora quidem solo iussu, quo ad intima verò, peccata scilicet & eorum pœnas, apud Deum mediante sacramento, quo ad peccata: mediante verò dispensatione thesauri, quo ad dictas pœnas. Nec sacerdos aliter quàm per sacramentum transfert pœnam æternam in temporalem.

¶ Secunda autẽ opinio verborũ sonum habens pro se (pro quanto indulgentiæ, sonant pro iniunctis pœnitentiis) fundatur super hoc, quod pœna debita à pœnitente apud diuinã iustitiam est reseruata superiori tribunali, scilicet ipsius diuinæ iustitiæ: nec hoc non potest ab inferiori (qualis est Papa) remitti. nisi papa posset supra ius diuinum: quod constat esse falsum. Et hæc opinio tripliciter errat. Primò diminutissimè exponendo remissionem iniunctarũ pœnitentiarũ, dum exponit pro remissione solius vinculi: quum etiam ipsa verba sonent remissionẽ ipsarum iniunctarum pœnitentiarũ, & non solius vinculi iniunctionis: non enim dicitur, quòd relaxamus iniunctionem, sed quòd relaxamus iniunctas pœnitentias. Secundò, quod impietatẽ tribuit Ecclesiæ: nam si indulgẽtia liberaret à sola iuiunctione pœnitẽtiæ, impiè ageret Ecclesia dando indulgẽtias: quoniã absoluendo à vinculo iniunctionis, trãsmitteret pœnitentes ad pœnas purgatorij, à quibus liberati fuissent exequendo iniunctas pœnitentias. Vnde magna impietas esset, dicere se facere gratiam dando indulgẽtiam. Tertiò errat in hoc, quòd non discernit inter posse remittere ministerialiter, & posse remittere autoritatiuè. Licet enim Deo debita solus Deus autoritatiuè remittere possit: homo tamen minister Dei, diuina autoritate sibi concessa potest Deo debita remittere ministerialiter, nec solùm debita pœnarum, sed etiam debita culparum: vt patet in sacramento pœnitentiæ. Nec hoc est posse supra ius diuinum: sed est ministerialiter fungi autoritate diuina.

¶ HIS IGITVR exclusis opinionibus, quia ex fine necessitas medij sumitur, finis autem & effectus in huiusmodi coincidunt: (sanitas enim est finis, & effectus medicinæ) ideo stabiliendus est effectus indulgentiarũ ex his quæ certa sunt. Et quoniam certum est omni hoc attestante Ecclesia, indulgentias succedere loco iniunctarum pœnitentiarum, consequens est, quòd idem est effectus indulgentiæ, qui erat futurus effectus iniunctæ satisfactionis pœnitentialis. Constat autem quòd per iniunctam satisfactionem pœnitentialem dignè exequutam soluitur pœna temporalis pro actuali peccato debita apud diuinam iustitiam (hoc enim vniuersalis credit Ecclesia) igitur per indulgentiam loco satisfactionis succedẽtem, si veraciter ac dignè acquisita fuerit, solueretur quoque tantùm de pœna temporali pro actuali peccato debita apud diuinam iustitiam, quãtum apud eandem æquialet indulgentia acquisita. Et hæc ratio non eget ampliori confirmatione: quum iam determinatum sit per Ecclesiam Romanam id quod communis doctorum opinio sentiebat, scilicet effectum indulgentiarum esse remissionem pœnæ temporalis pro peccato actuali debitæ apud diuinam iustitiam: sed hinc sumenda est necessitas quæsiti thesauri. Vnde considerandum est, quòd remissio peccatorum, vt tota clamat scriptura, effectus est passionis Christi quòd cuicunque remittitur peccatum, siue quo ad culpam, siue quo ad pœnam, ex virtute passionis Christi remittitur. Credimus autem in huiusmodi remissione sicut & in vniuersis viis Domini non solùm misericordiam, sed etiam iustitiam inueniri: misericordiam quidem in hoc, quòd misertam peccatoris computat Christus quasi suam: iustitiam verò in hoc, quòd meritum ac passio Christi communicatur peccatori, quasi peccator ipse pateretur: vt sic peccator debitum Deo soluat de suo, non per seipsum: sed per Christi communionem acquisito: vt patet in Baptismo: in quo propterea fit plenaria peccatorum remissio, quia plenissimè commoritur & consepelitur Christo baptizatus. Ex quibus formatur talis ratio, Ad remissionem peccatorum, siue quo ad culpam, siue quo ad pœnam per sacramenta habendam, exigitur thesaurus aliquis, puta meritorum passionis Christi remanentium in diuina acceptatione: ergo à fortiori ad remissionem peccatorum quoad pœnam tantùm per indulgentiam, exigitur aliquis similis thesaurus. Antecedens patet discurrendo per sacramenta, & Ecclesiæ doctrinam, quam diximus. Consequentia verò ex se est satis euidens: quoniam omnis ratio exposcit quòd diuina prouidentia si subiicientibus se sacramentis ordinauit, non remitti pœnam peccatorum, nisi computando pœnam Christi pro his, quibus remittitur, multò magis ordinauit non remitti pœnas peccatorum per indulgentias, nisi computando alienas pœnas pro acquirentibus indulgentias: quandoquidem submittere se indulgentiis, multominus est, quàm submittere se sacramentis. Est igitur ad efficaciam indulgentiarum thesaurus aliquis necessarius, non minus quàm ad efficaciam sacramentorum.

QVAESTIO II.

¶ Ex quibus constet thesaurus, vnde fiant indulgentiæ.

CIRCA secundum quæsitum (ex quibus constet thesaurus, vnde fiunt indulgentiæ) ratio dubitandi est: quoniam interdum merita, interdum passiones, interdum satisfactiones dicuntur esse ea, quæ sunt in hoc thesauro reposita. Veritas autem (vt patebit) formaliter explicatur per satisfactiones superfluas.

¶ AD CVIVS euidentiam non aliunde quam ex fundamento prius posito procedendum est, ex hoc, scilicet, quòd indulgentiæ succedunt loco pœnitentialium satisfactionum. Hoc enim dictum oportet cum grano salis sumere. In pœnitentiali siquidem satisfactione digne exequuta (puta ieiunio) considerandum est quadruplex officium. habet enim huiusmodi opus quatuor officia, scilicet, bonificandi, medendi, merendi, & satisfaciendi. Nam ex eo quòd est opus bonum, bonificat operantem, & disponit illum ad alia bona opera. ex eo verò quòd est tale opus (puta ieiunium) medicinam, præbet contra carnis concupiscentiam, sicut eleemosyna contra auaritiam, &c. ex eo autem quòd à charitate procedit, meritorium est vitæ æternæ, & ex eo demum q pœnale satisfactorium est pro pœna temporali pro peccato debita. soluitur enim pœna absque omni contradictione per opus pœnale vt sic: indulgentia autem non succedit loco satisfactionis pœnitentialis, nisi quo ad vltimum officium quod est satisfacere: nam ex vi indulgentiæ non fit homo bonus, nec medicatur, nec meretur, sed solummodo soluit pœnam quam per pœnitentiam soluisset. Et propterea doctores consulunt, assequentibus indulgentias, adimplere nihilominus suas pœnitentias: & meritum longè melius esse prædicant quàm indulgentiam. Nec propter hoc tamen vilipendendæ sunt indulgentiæ: quoniam salutares sunt tollendo pœnam quæ impediret ingressum cælestis patriæ. Notanter autem dixi ex vi indulgentiæ, quoniam si indulgentiæ mixtum cointelligatur opus sanctum, quo acquiritur indulgentia, puta eleemosyna, aut aliquid huiusmodi, sic mixta intellecta indulgentia melior esse potest, quàm satisfactio pœnitentialis. Nam nullũ officiorum inuentorum in satisfactione pœnitentiali sibi deficit: est enim dignè data eleemosyna pro acquirenda indulgentia, reddens bonum, & disponens ad bona opera dantem illum, & præbet medicinam contra cupiditatem pecuniæ, & est meritoria vitæ æternæ, & est satisfactoria ex propria pœnalitate: & vltra hæc superuenit sibi solutio pœnæ, seu satisfactio per indulgentiam. Ex hoc igitur, quòd indulgentia pura succedit satisfactioni pœnitentiali solummodo quo ad vim satisfactiuam, manifestè sequitur, quòd thesaurus indulgentiarum, thesaurus est satisfactionum, quæ quia per opera pœnalia & meritoria fiunt, ideo idem dicitur thesaurus passionum & meritorum, quatenus satisfactoria sunt. Rationabile autem, vltra dicta, in præcedenti articulo monstratur esse, debere esse thesaurum hunc thesaurum satisfactionum, seu meritorum, quatenus satisfactoria, ex eo quòd vnus pro alio & in temporalibus, & in spiritualibus satisfacere potest: non medicatur autem nec fit bonus, nec meretur vnus pro alio, sunt igitur ea quæ sunt reposita in hoc thesauro, satisfactiones. Quòd autem non quæcunque satisfactiones, sed solæ superfluæ in eodem reconditæ sint, ex eo patet, quod satisfactiones illę, quibus satisfacientes indiguerunt pro seipsis: iam cesserunt in solutionem pœnarum debitarum pro propriis peccatis: & propterea non possunt pro aliis soluere. Et simile est iudicium de satisfactionibus quæ pro quibusdã determinate obtatæ sunt: sunt enim & ipsæ fortiæ suum effectum. Quia igitur oporteat satisfactiones in thesauro repositas pro alienis pœnis soluendis offerri posse, oportet huiusmodi satisfactiones esse superfluas, ita quòd nec pro his qui illas egerunt, nec pro aliis hactenus satisfecerint: hoc enim est merita seu opera esse superflua, quo ad officium satisfaciendi.

¶ OBIECTIONES autem, quæ ingerere videntur plus requiri ad recondita in hoc thesauro, puta quòd non solùm sint satisfactiones superfluæ, sed etiam non plene remuneratæ, in sequenti articulo monstrabuntur vanæ. Et ideo concludendum est, thesaurum indulgentiarum esse thesaurum superfluarum satisfactionum, seu meritorum, quatenus superfluũt quo ad officium satisfaciendi pro pœna actualibus peccatis debita.

QVAESTIO III.

¶ Quorum sint satisfactiones, ex quibus constet thesaurus, vnde fiant indulgentiæ.

CIRCA tertium de thesauro quæsitum (scilicet quorum sint huiusmodi superfluæ satisfactiones) dubitãdi ratio est: quia dicitur, quòd sunt Christi & Sanctorum: multis tamen doctoribus aduersantibus. Dum quidam nec in Christo, nec in Sanctis superfluas concedunt satisfactiones: quidam autem etsi in Christo concedunt, de Sanctis tamen dubitant. Franciscus igitur Maironis in quarto distinct. 19. negans omni ex parte hunc thesaurum dicit nulla esse Christi superflua merita: quoniam omnia sunt plenè sibi remunerata: iuxta illud: Exinaniuit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit ei nomen, &c. Durãdus verò in quarto distinct. 20. Christi quidem superflua merita in thesauro hoc affirmat, de sanctorum verò superfluis meritis dubitat duplici ratione. Prima communi sibi & Francisco: quia merita Sanctorum sunt plenissimè remunerata, imò vltra condignum: quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.

¶ Secundò, quia ad hoc quod satisfactio vnius valeat pro alio exigitur intentio dirigens, & applicans satisfactionem illã ad alium: de nullo autem sanctorum autentice constat, quòd habuerit intentionem satisfaciendi pro nobis: non igitur sanctorum sunt merita satisfactoria, ex quorum thesauro fiunt indulgentiæ.

¶ Sed horum opinio tam in rationibus, quàm in conclusione, falsa & irrationabilis inuenitur. Et à Christo inchoando, falsissimum est Christi merita esse remunerata: quum Christus meruerit nobis, & continue remuneretur in membris suis: vt patet in baptizatis, qui non proprio, sed Christi merito ad cælestem perueniunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

patriam. A ratione quoque hoc alienum est: quoniam Christus est caput mystici corporis, quod est Ecclesia, ac per hoc gratia eius est gratia capitalis, & proinde meritum eius ita se habet ad membra eius, sicut meritum priuati hominis se habet ad corpus suum: & propterea sicut quilibet homo meretur non solùm animæ, sed etiam corpori suo: ita Christus non solùm sibi, sed aliis meruit. Imò maius quid meruit nobis, quàm sibi: quia nobis meruit beatitudinem, quam sibiipsi non meruit: sed sine merito à principio conceptionis suę habuit. Autoritas autem Apostoli non dicit, merita Christi fuisse plenè remunerata in seipso, sed duo illius præmia narrat, scilicet exaltationem ipsius, & excellentiá sui nominis, meruit enim præter hæc multa alia Christus, vt patet ex supradictis à diuo Thoma. De Sanctorum autem remuneratione duo dicenda sunt. Primum non curando de proprietate vocabuli: sed communicando in vocabulis cum arguentibus: deinde propriè loquendo de remuneratione. Loquendo siquidem de remuneratione communiter, siue sit propriè remuneratio, siue non, distinguendum est, ꝙ merita Sanctorum quo ad aliquid, sunt totaliter remunerabilia in ipsis Sanctis: quo ad aliquid verò non sunt totaliter remunerabilia in ipsis sanctis: & quo ad hoc superfluunt in ipsis Sanctis, & ponuntur in thesauro remanentia in diuina acceptatione, remunerandа in aliis. Merita siquidem Sanctorum, licet secundum reliqua officia sua possint remunerari in ipsis Sanctis: secundum tamen hoc officium, quod est satisfacere pro pœna temporali peccatis actualibus debita, remunerari non possunt in ipso Sancto, si non est debitor alicuius tẽporalis pœnæ pro suo peccato actuali: ex hoc enim ipso, quòd Sanctus ponitur non debitor talis pœnæ, necessariò sequitur ꝙ non sit capax talis remunerationis, scilicet quòd satisfactio sua valeat sibi absolutionem pœnæ pro se. Si supponamus ergo (quod postea probabitur) Sanctos plus satisfeciſſe, quàm pro propriis peccatis erãt debitores: oportet consequenter dicere, quòd satisfactiones suæ inquantum excedunt sua debita, non sunt remuneratæ in ipsis Sanctis: quia ipsi non indigebant solutione pœnarum: quæ est seu dicitur remuneratio satisfactionis, abusiuè (vt dictum est) de remuneratione loquendo. At si propriè loquendum est de remuneratione, dicendum est, quòd merita Sanctorum omnia sunt plenissimè remunerata sibi: ita quòd etiam ipsæ eis superfluæ satisfactiones sunt plenissimè remuneratæ, vel remunerandæ in ipsis Sanctis: quoniam quicquid inde meruerunt, totum eorum erit, siue sit præmium essentiale siue accidentale. Sed plenissima remuneratio non minuit vim satisfactiuam pro aliis: quoniam soluere pro se vel alio, non est meritum aut merces, aut remuneratio quæcunque: actus enim satisfaciẽdi, qui à Sanctis processit, pro quanto fuit meritorius remuneratus est vita æterna, &c. Et rursus pro quanto fuit tale opus pœnale sibi, remuneratus est gaudio accidentali: gaudebit enim de hoc, ꝙ plus passus est, quàm peccata sua demeruerint: vnde & laureola datur quibusdam generibus operum ex ipsa executione. Sed propter huiusmodi & quascunque alias remunerationes non perdit actus ille officium suum, quod est soluere pro pœna temporali actualis peccati proprij vel alieni: imò quum contingat superfluam satisfactionem Laurentij soluere pro pœna debita Ioanni pœnitenti, gaudium quoddam accidentale Laurentius in cælo habebit de hoc ꝙ satisfactio sua soluit pro Ioanne. Interuenit igitur in huiusmodi ratione super plena remuneratione meritorum fundata, error in hoc, quòd satisfacere, seu soluere pœnam temporalem pro actuali peccato debitam, inter remunerationes, seu remunerabilia computatur: quum longè sit à genere tam meriti, quàm mercedis, vt etiam attestantur doctores, tenentes huiusmodi residuas pœnas si contingat inueniri in damnatis, posse solui in inferno: vbi constat nõ inueniri meritum aut mercedem. Attestatur etiá & communis doctrina, tenẽs in purgatorio solui huiusmodi pœnas: & tamẽ in huiusmodi solutione non mereri neque remunerari. Quia ergo plenissima remuneratio quantumcunque vltra condignũ, non tollit à meritis Sanctorum superfluens officium satisfaciẽdi pro pœna temporali actualium peccatorũ: si constat Sanctorum merita plus esse satisfactoria, quá ipsi essent debitores, nihil obstabit ratio de plena remuneratione. Quòd autem sancti plus satisfeceˊrint, quá demeruerint, testatur Iob 6. c. dicens, Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quá patior in statera: quasi arena maris hæc grauior appareret. Vbi clare liquet Iob, plus passum fuisse, quam pro peccatis suis debuerit patiũ superabundantia satisfactionum: vt patet ex antedictis. Simile autem esse de multis aliis iudicium, nemo dubitat. De intentione verò Sanctorum, quòd scilicet fuerit pati pro nobis, testatur Apostolus ad Colos. 1. dicens, Adimpleo ea quæ sunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia. Vbi manifestè patet, diuinam prouidentiam disposuisse passiones aliquas in carne Sanctorum, spectare ad complementum passionum Christi pro corpore eius quod est Ecclesia, & hanc diuinam ordinationem Sanctos adimplere suis passionibus superabundantibus.

¶EX QVIBVS omnibus patet, argumenta supradictorum doctorum falsa esse. De conclusione autem non est amplius dubitandum: quoniam iam per Romanam Ecclesiam determinatum est indulgentias fieri ex thesauro super abundantium meritorum, seu passionum Christi & Sanctorum. Quæ etiá conclusio quo ad superabundantiam passionum Christi pro nobis fundamentũ habet in Scriptura primæ Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autẽ tantùm, sed totius mundi. Ex qua autoritate patet passionem Christi sufficienter satisfacere pro toto mundo: ac per hoc quum ex equutiuè pro paucis tantũ satisfaciat, infinitũ thesaurum satisfactionũ Christi superesse in sacramẽtis: quibus eadem Christi passio satisfacit. De sanctorum autem superabundãtibus meritis quo ad officium satisfaciendi pro nobis, fundamentũ est in Scriptura in locis allegatis ex Iob & Apostolo. Vnde apparet quàm rationabiliter Ecclesia Ro. determinauerit. ¶Et si quæratur, ad quid vtilis erit tanta superabundantia satisfactionum Christi & Sanctorum, quãta secundum prædicta superexit post vniuersale iudicium, quãdo nulli amplius proderit, dum pro nullo amplius soluere poterit pœnã pro peccato debitam: dicendum est, quòd hoc ipsum quod est merita Christi & Sanctorum vt satisfactoria, tam excellẽter superare omnes quæ soluendæ fuerant, pœnas, non est vanum: sed ad gloriam Christi & Sanctorum, & ad commẽdandam libertatem saluationis electorum. Hæc enim superabundantia meritorum attestatur quòd non ex insufficientia satisfactionum Christi & Sanctorum damnati sunt reprobi, quasi solis electis illa sufficeˊrent, sed ex propria iniquitate damnati sunt reprobi, pro quibus sufficiens remanet satisfactio, si diuina misericordia ad illos eam applicare vellet.

¶Si autem quæritur, ad quid superabũdans satisfactio Sãctorum ponitur, quum Christi satisfactio sufficiẽtissima sit pro toto mundo: respondendum est, hoc propterea esse, vt Christi membra similima essent capiti: videmus enim diuinam prouidẽtiam disposuisse, quòd Christi membra præsertim præcipua, sibi assimilarentur quantum fas est. Vnde sicut sunt Sancti quidam aliorum curatores, quidam aliorum doctores, quidam qui pro aliis merentur, de congruo tamen: quidam qui pro aliis impetrant: ita quidam sunt alienarum pœnarum satisfactores: ita vt assimilentur Christo etiam in hoc quòd pro aliis passus est, dum & ipsi qui patiuntur, plus quàm demerentur, pro aliis satisfaciunt.

QVÆSTIO IIII.

¶An hic thesaurus subditus sit dispensationi Papæ aliter, quàm per sacramentorum collationem.

QUIRCA Quartum de thesauro quæsitum (an scilicet thesaurus hic subditus sit dispensationi Papæ aliter, quàm per sacramentorum collationem) ambiguitas magna est: quoniã conferre effectum sacramẽti sine sacramento, spectat ad claues excellẽtiæ, quas constat non esse communicatas Papæ, sed reseruatas soli Christo: remissio autem pœnæ temporalis pro actuali peccato debitæ, est effectus sacramenti: quoniam hoc fit per Baptismum, & per tertiam partem sacramenti pœnitentiæ, quæ est satisfactio.

¶IN HAC Quæstione sciendum est, totam difficultatem consistere non in hoc, an thesaurus iste sit dispensabilis per Papam, sed in hoc, an aliter quam per sacramentorum collationem possit Papa thesaurum istum communicare: quoniam nulla autoritate Scripturæ, nullâve ratione haberi videtur, quòd dispensatio talis sit credita Petro. Autoritates siquidem illæ, Quodcunque solueris super terram, & quorũ remiseritis peccata: intelliguntur procul dubio secundum subiectam materiam, vt scilicet ea, quæ spectant ad remissionem peccatorum, commissorum sint soluenda & remittenda mediantibus sacramentis. Ratio quoque communiter allata, scilicet quòd communia bona Ecclesiæ sunt dispensabilia per præsidentem Ecclesiæ: eandem patitur difficultatem. Declaratur enim, quòd communia Ecclesiæ bona spectantia ad remissionem peccatorum, sunt quidem dispensabilia per præsidentem Ecclesiæ, sed non quomodolibet: sed certo modo, hoc est per collationem sacramentorum. Ratio demum ducens ad inconueniẽs, puta quòd superfluæ satisfactiones Sanctorum fruˊstra repositæ essent in thesauro: quia illæ non communicantur per sacramẽta, sicut satisfactiones Christi, nec possunt dispẽsari sine sacramẽtis: ergo vanè sunt in thesauro Ecclesiæ. Hæc inquam ratio facilè soluitur, dicendo quòd sunt in thesauro Ecclesiæ, vt à Christo dispẽsentur membris Ecclesiæ militãtis, & quòd hoc fit quotidie, dum meritis Sanctorum petimus remissionem peccatorum, & exaudimur. Ita quòd secundum has difficultates, huius thesauri dispensatio aliter, quàm per sacramẽtum, reseruata videtur summo Sacerdoti Christo, qui solus nouit merita causarum circa remissionem peccatorum.

¶LICET Autẽ difficilis sit notitia quæstionis huius: quia tamen vniuersalis Ecclesia facto declarauit, Ecclesiæ prælatos posse huiusmodi

huiusmodi thesaurum, sine sacramentis dispensare (dum Episcopi omnes indulgentias dant, nõ crudeliter loco solius vinculi iniunctionis trãsmittendo ad pœnas purgatorij: sed gratiosè loco ipsarum satisfactionum iniunctarum: ex hoc enim, vt in superioribus manifestatum est. oportet dicti thesauri dispensationem interuenire: quum non possint aliter fructuosæ huiusmodi indulgentiæ succedere pœnitentiis iniunctis) ideo absque hæsitatione aliqua etiam, si nulla adesset ratio, fatendum est dicti thesauri dispensationem, non solùm per sacramenta, quo ad merita Christi, sed aliter quàm per sacramenta quo ad merita Christi, & Sanctorum commissam esse prælatis Ecclesiæ: & præcipuè Papæ. Et hoc tantò magis fatendum est, quantò per Leonem 10. determinatum est. Suffragatur autem huic veritati ratio, tantò acceptabilior, quantò magis soluit omnes difficultates accidentes in hac re. Est autem ratio hæc, Communia præsentis Ecclesiæ bona communicabilia aliter, quàm per sacramenta, sunt à Præsidente Ecclesiæ dispensabilia aliter, quam per sacramenta: sed merita Christi & Sanctorum vt superabundanter satisfactoria, sunt communia bona præsentis Ecclesiæ communicabilia aliter, quàm per sacramenta: ergo sunt à Præsidente Ecclesiæ dispensabilia aliter quàm per sacramenta. Maior autem ex supradictis clara est, excepta vltima particula, scilicet, ꝙ hæc bona sint communicabilia aliter, quàm per sacramenta. Quæ particula manifestatur ex eo, ꝙ hæc eadem bona potuissent si voluissent Sancti communicare, non per viam sacramenti aliis membris Ecclesiæ in particulari: ex hoc enim ꝙ ipsi potuissent hoc efficere aliter, quam per sacramenta, sequitur, ꝙ satisfactiones istæ suapte natura sunt communicabiles aliis aliter, quam per sacramenta. Hinc quoque monstratur validam esse ad propositum autoritatem illam, Quodcunque solueris: nam verus illius intellectus est, Quodcunque solueris eo modo, quo illud est solubile, & sic in omni materia currit, & ad propositum efficax inuenitur. Est enim sic practicanda, Quodcunque per sacramentum solubile, solueris, per sacramentum: & similiter, Quodcunque aliter, quam per sacramentum solubile, solueris etiam aliter, quàm per sacramentum, &c. Et sic subsumendo, quòd pœna temporis pro actuali peccato debita, est solubilis & per sacramentum & per alienam satisfactionem sine sacramento applicatam, infertur quòd huiusmodi pœna potest à Petro solui, non solùm per sacramentum, sed etiam per alienam satisfactionem sine sacramento applicatam. Per hoc etiam saluatur ratio communis de potestate Præsidentis Ecclesiæ: quoniam vera est respectiuè intellecta, hoc est, quòd bona communicabilia per sacramenta solùm, potest per sacramenta communicare: bona autem communicabilia etiam aliter, quàm per sacramenta communicare. Illud verò quod glossando, seu respondendo dicitur, ea quæ spectant ad remissionem peccatorum commissa esse prælatis Ecclesiæ mediantibus solummodò sacramentis. Verum est de spectantibus ad remissionem peccatorum simpliciter: non autem de his quæ spectant ad remissionem peccatorum secundum quid, de quorum numero est remissio pœnæ temporalis pro actuali peccato debitæ: præsupponit enim peccatum simpliciter remissum, & secundum minimum quid tantùm, puta temporalem pœnam remittendum.

¶ET PER hoc patet solutio principalis argumenti. Nã sine sacramento conferre sacramenti effectũ simpliciter, seu totalem, spectat ad claues excellentiæ: conferre autem sine sacramento id, quod partialiter potest esse effectus sacramenti, potest pertinere ad claues ministerij. Sic autem est in proposito: quoniam remissio pœnæ temporalis pro actuali peccato debitæ, nullius sacramenti est simpliciter, seu totalis effectus: licet sit partialis Baptismi effectus, & possit esse partialis aliorum sacramentorum effectus, & possit etiam sine sacramento effici, & sine actu clauium. Quia constat, quòd potest, vel per proprios actus pœnitentis, vel per amicorum satisfacientium pro eo actus fieri: vt patet quum aliquis mortificat seipsum ieiunando, peregrinando, &c. pro peccatis suis: vel amicus similia facit, vt pro amico satisfaciat.

¶CIRCA PRIMVM, videtur pars negatiua vera, quoniam indulgentiæ indiscretæ, licet peccet concedens, sunt efficaces. Dicuntur autem indulgentiæ indiscretæ, quæ ex causa non rationabili procedunt.

¶Præterea, dispensatio ministeriorum Dei in Ecclesia presenti, est valida etiam sine causa rationabili facta: ergo dispensatio indulgentiarum etiam sine causa rationabili facta, debet esse valida. Antecedens patet in promotione indignorum: si enim indigni aliqui promoueantur ad episcopatum, prioratum, Abbatiam, &c. quamuis promotor peccet, tamen tenent. Consequentia verò probatur: quia sicut credita est Papæ dispensatio indulgentiarum, ita & dispensatio ministeriorum Dei: iuxta illud, Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores ministeriorum Dei.

¶IN OPPOSITVM autem est, quòd indiscretæ indulgentiæ eneruant satisfactionem pœnitentialem, vt dicitur extra, de pœnit. & remiss. cap. quum ex eo. non eneruarent autem, si essent validæ, sed supplerent, adimplentes in veritate, quod per satisfactionem pœnitentialem agendum erat.

¶IN OPPOSITVM autem quæritur, supponitur enim cum doctrina communi, ꝙ vnum requisitorum necessariò ad efficaciam indulgentię, est causa rationabilis. Quod etiam manifestatur, ex eo quòd si daretur indulgentia ob causam prophanam (puta pro eundo ad theatrum) cõstat quòd indulgentia esset nulla. Hoc autem supposito in quæstionem vertitur, an quemadmodum ad collationem indulgentiæ requiritur rationabilis causa, ita necessariò quòd sine illa indulgentia non est valida ita ad efficaciam tantæ indulgentiæ (puta centum vel mille annorum, &c.) exigatur simili necessitate rationabilis causa tãtæ quantitatis indulgẽtiæ, ita quòd sine huiusmodi rationabili causa tanta quantitas indulgentiæ est inualida.

¶Ex communibus autem applicatis ad hoc, non est difficile concludere partem affirmatiuam veram, scilicet ad efficaciam tantæ indulgentiæ exigitur rationabilis causa quantitatis indulgentiæ, ita quod sine illa non est valida. Nam si vt supponitur & communiter confitemur, rationabilis causa est sic necessaria ad indulgentiam, necessariò sequitur, quod ad tantam indulgentiam est etiam sic necessaria rationabilis causa illius quantitatis. Et probatur sequela inductiuè.

¶Verùm ad minus cõmunia descendẽdo considerandũ est, quòd licet potestas Papæ super cõmunia Ecclesiæ bona tam spiritualia quàm corporalia sit dispensatiua: iuxta illud Apostoli, Dispẽsatio mihi credita est: res tamẽ subiectę huiusmodi potestati, diuersimodè illi subduntur & diuersimodè ab illa attinguntur. Et quantum ad propositũ spectat, distinguenda sunt in duo genera, scilicet validorum ex solo imperio, vel non validorum ex solo imperio: sunt enim quædam in Dei Ecclesia: quæ quãuis ad hoc quòd rectè fiat, vltra Pontificis imperium exigãt rectam regulam voluntatis imperantis, si tamen absque recta regula solo Põtificis imperio fiãt, valida sunt, de quibus iura dicũt, ꝙ multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenẽt. De quorum numero sunt distributiones beneficiorũ, dispensationes matrimoniorum in casibus dispẽsabilibus & similia. Secundum autem genus, scilicet inualidorum, ex solo imperio, adhuc subdistinguitur: nam quædã inualida ex solo imperio, attingi cum hoc possunt à Pontifice verbo & opere per viã facti: quædã verò sunt inualida ex solo imperio, quæ cum hoc per viam facti attingi non possunt opere, sed verbo tantùm. In primo mẽbro huius subdiuisionis continetur dilapidatio bonorũ Ecclesiæ. si enim Põtifex pro suo libito Ecclesiæ terras, &c. donaret, donatio esset inualida: quoniã ipse nõ est dominus bonorũ Ecclesiæ. & si facto & bullis poneret eos, quibus donauit in possessionẽ, nõ propterea trãsferret dominium rerum illarum in illos. In secundo autem mẽbro continetur dispensatio votorum: si enim votum castitatis solo imperio à Papa dispensetur: cõstat dispensationem esse nullam: & circa voti vinculũ, propterea per viam facti nullũm actum Pontifex haberet nisi verborũ: exequutio enim cuiuscũq; operis Põtificij ex solo imperio emanans, nõ attingit aliquid circa voti vinculum. Tribus igitur existentibus generibus rerũ subiectarum dispensatiuæ potestati Pontificis, facilè patere potest quòd primũ genus dupliciter à potestate põtificia attingitur, scilicet dispensatione regulata, & dispẽsatione non regulata. Secundum autem à potestate quidem põtificia vnico modo attingitur, scilicet dispensatione, hoc est rationabili operatione: sed ab ipso Pontifice aliter de facto attingitur, puta dilapidatione, dilapidatione, &c. Tertium verò sola dispensatione: id est rationabili operatione, (seclusis verbis, sicut & in secundo) attingi potest tam à potestate pontificia, quàm ipso Pontifice. In quo autem horũ genere rerum indulgentiæ contineantur, facilè est discernere. Quòd enim non sint sub primo genere (quæ, scilicet sunt valida ex solo imperio) ex eo patet, quòd Papa non potest dare indulgentias, hac sola ratione, quia vult: & si pro solo libito daretur indulgentia, non esset valida: vt ex communi doctrina supponimus, &

TRACTATVS NONVS, DE causa indulgentiarum, in duas Quæstiones diuisus.

1 *Num necessariò sit aliqua rationabilis causa indulgentiarum.*
2 *Num causa in bulla indulgentiarum expressa ex hoc ipso sit rationabilis.*

QVÆSTIO I.

¶Vtrum necessariò requiratur rationabilis causa indulgentiarum.

QUIRCA causam indulgentiarum dubium duplex occurrit, primum, an necessariò requiratur causa rationabilis: secundum, an causa expressa in bulla, ex hoc ipso, quòd est expressa, sit rationabilis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliqualiter probatum est. Et iterum probatur, ex hoc quòd communia Ecclesiæ bona temporalia non potest Pontifex donare donatione valida, ex hoc solo quia vult: non minus enim pretiosa ac chara Ecclesiæ sunt bona communia spiritualia quàm temporalia: & propterea si illorum donatio ex solo imperio est inualida, multò magis inualida erit horũ effusio ex solo imperio. Nec soluitur hæc ratio, dicẽdo, quòd donatio tẽporalium est cum damno Ecclesiæ: donatio verò horum spiritualium est sine damno Ecclesiæ: nam habere damnũ annexum, vel carere annexo damno, per accidens, se habet ad potestatem dispensatiuam: vt patet ex hoc, quòd etiam in quibusdam habentibus annexum damnum Ecclesiæ, donatio ex solo imperio est valida: vt attestatur distributio prælationum. Vnde non penes damnum, vel non damnum attenditur vis potestatis dispensatiuæ.

¶Quia igitur communia Ecclesiæ bona ex quibus efficaces sunt indulgentiæ, non continentur sub primo genere, & à secundo genere in hoc distant, quòd per viam facti nullum operis solius verbi actum Papa habere potest circa illa (non enim potest transferre possessorium de facto horum bonorum sicut potest respectu temporalium) restat, vt sub tertio genere thesaurus contineatur indulgentiarum. Ex quibus potest formari talis ratio, Thesaurus indulgentiarum non potest veraciter attingi à potestate pontificia, nisi actu veræ dispensationis: ergo tam indulgẽtia, quàm tanta indulgentia data sine causa rationabili tantæ indulgentiæ est inualida. Antecedens probatum est, & supponitur secũdum communem doctrinam. Consequentia verò quo ad secundam partem probatur: tum quia eiusdem rationis est actus dans indulgentiam & dans indulgentiam tantam: ac per hoc si solus actus veræ dispensationis potest attingere thesaurum indulgentiæ, solus etiam veræ dispensationis actus poterit attingere thesaurum tantæ indulgentiæ: tum quia si quantitas indulgentiæ attingitur aliter, quàm per veram dispensationem, oportet alium actum fingere, puta actum imperij seu liberæ donationis respectu talis quantitatis: & tunc aut iste actus attingit thesaurum via facti, aut via iuris: non via facti, quia ad istum thesaurum nullus est humanus accessus per viam facti: nec via iuris, quia de iure sola dispensatio credita est Papæ. Sicut sunt ergo inualidæ indulgẽtiæ quæ ex causa rationabili non fiunt, ita non est valida tanta indulgentia, puta mille annorum, nisi fiat ex causa rationabili tantæ quantitatis: scilicet mille annorum.

¶AD PRIMVM autem in oppositum dicitur, quòd sententia illa scilicet indulgentiæ indiscretæ sunt validæ, verificatur de indiscretis quo ad euentũ: non autẽ de indiscretis quo ad causam. Sunt enim indulgentiæ indiscretæ ratione euentus, quãdo indulgentiæ alias bene concessæ pariunt propter earum multitudinem quasi contemptũ, aut ipsarum aut satisfactionum pœnitẽtialium: & tales sunt validæ. Sed si sunt indiscretæ, quia carent rationabili causa, aut omnino, aut quo ad tantam quantitatem, sunt inualidæ.

¶Ad secundum iam patet responsio ex dictis: nam ministeria sunt in alio genere dispensabilium & indulgentiæ sunt in alio dispensabilium genere: illorum enim efficacia ex solo pendet imperio, horum autem efficacia absque vera dispensatione esse nequit. Et propterea non est similis ratio.

QVÆSTIO II.

¶ An ex hoc ipso, quod in bulla exprimitur aliquid pro causa indulgentiæ, sit rationabilis causa tantæ indulgentiæ.

CIRCA Secundum de causa rationabili indulgentiarum quæsitum (an ex hoc ipso quòd in bulla exprimitur aliquid pro causa indulgentiæ, sit rationabilis causa tantæ indulgentiæ) pro parte affirmatiua occurrit multiplex argumentum. Primò, quia aliter prædicatio Ecclesiæ esset falsa. Secundò, quia doctrina Romanæ Ecclesiæ periclitaretur. Tertiò, quia non esset vniuersaliter vera illa communis sententia, indulgentiæ tantum valent quantum sonant. Quartò, quia aliter deciperetur populus ab Ecclesia: audiens tantam indulgentiam pro tali opere, & exequens illud, vt habeat indulgentiam, & tamen non acquireret illam in veritate.

¶QVÆSTIO hæc nõ est mota propter difficultatem, quam in seipsa habeat, sed ad excitandos illos qui sciunt in vniuersali, & deficiunt in singulari. Vnde distinguendo de rationabili præsumpto, vel verò duo dicenda sunt. Primum, Causa indulgentiæ expressa in bulla nisi manifestus sit error, est semper rationabilis, loquendo de rationabili præsumpto: nam sicut sententia à iudice lata, nisi errorem contineat manifestum, præsumitur iusta: ita causa à principe expressa in dispensationibus præsumitur rationabilis, nisi vt dictum est, error sit manifestus. Secundũ est, Causam indulgentiæ tantæ expressam in bulla, nõ oportet esse rationabilem in veritate. Et ratio in promptu est multiplex: tum quia Papa potest in istis errare, quum non sit hæc sententia iudicialis de his, quæ sunt fidei. Vbi scito, quòd licet accessus ad indulgentias & earum susceptio sit quædam Christianæ fidei professio, fides tamẽ Christiana eo modo, quo est de indulgentiis, non est de hac vel illa indulgentia. Sed sicut fides nostra circa Eucharistiæ sacramentum est, quòd sub hostia ritè consecrata cõtinetur corpus Christi, non autem est, quòd ista hostia sit ritè consecrata, neque est quòd sub hac hostia, quæ proponitur adoranda, continetur corpus Christi (quoniam vtrunque eorum potest esse falsum: fidei autem Christianæ non potest subesse falsum) ita circa indulgentias nõ curando pro nunc quomodo spectent ad fidem, fides nostra est quòd indulgentiæ ritè datæ sunt validæ: & non spectat ad fidem, an ista indulgentia sit ritè data, an ista causa eius sit rationabilis, an ista indulgentia sit valida. Et simile est de aliis singularibus: quoniam hæc omnia possunt esse falsa: & propterea non spectant ad fidem nostram, sed ad humanam opinionem seu credulitatem, quæ est de his singularibus, & potest falli. Et propterea accessus ad indulgentias, in communi quidem est quædam fidei professio: sed accessus ad istam indulgentiam, procedit ex fide tanquam ex causa remota, & humana credulitate huius indulgentiæ, huius causæ, & huiusmodi tanquam ex causa proxima. Et quia effectus sequitur conditionem causæ proximæ sicut cõclusio minorem seu deteriorem præmissam: ideo potest concursus iste falli absque Christianæ fidei detrimento. Tum quia non solùm potest Papa errare in huiusmodi, sed etiam facilè potest errare, sicut & in aliis similibus actibus. Dare siquidem indulgentias, consistit in actibus absolutionis & dispẽsationis: absoluuntur enim per eas pœnitentes ab iniunctis pœnitentiis, & dispensatur thesaurus meritorum Christi & sanctorũ: sed tã in actu absolutionis, quàm in actu dispensationis facilè cõmitti potest error, etiam ex proposito: vt patet in dispẽsatione votorum, & in dispensatione bonorum temporalium Ecclesiæ, & ministeriorum ecclesiasticorũ, & in absolutionibus à censuris & iuramentis in præiudicium aliorum, &c. ergo in hoc quoque singulari facto quo dat indulgentiã, seu exprimit talẽ causam pro tanta indulgentia, errare facilè potest. Nec est recurrẽdum ad Spiritumsancti assistẽtiam, & propterea piè deberet credi q̃ non potest Papa in istis errare. Nam in maiori causa permisit Spiritussanctus Romanos Pontifices errare, scilicet in causa spectante ad sacramentũ matrimonij: in qua (vt habetur extrà, desponsa. duorum in c. licet) Alexander 4. dicit, quamuis aliter à quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquãdo iudicatũ, quòd longè plus est quàm dare indulgentiam indiscretã ex causa: tum quia erat causa sacramentalis: tum quia iudicialiter actũ est: indulgentiæ autem possunt dari passim sine cõsilio & sine meditatione: ac per hoc sine discretione. Quamuis igitur nõ spectet ad subditos, discutere & iudicare de pontificiis indulgentiis, aut causarũ meritis: dubium tamen non est posse etiam per Papam dari indulgentias indiscretas, & quo ad causam, & quo ad euentum.

¶AD PRIMVM Ergo in oppositũ dicitur, quòd prædicatio Ecclesiæ quo ad indulgẽtias, tripliciter se habet. Primò narratiuè: prout scilicet narrat contenta in bulla: & hic nulla est falsitas quoniam narratio est. Secundò doctrinaliter: & hic subdistinguitur. Vel docendo doctrinam fidei, & sic etiam nullũ est periculum falsitatis: quoniam sicut fides non se extendit ad istã indulgẽtiam aut istã causam istius indulgentiæ, ita nec doctrina Ecclesiæ extẽdit se ad hæc singularia. Vel docendo opiniones doctorum: & sic potest prædicare falsa, si opinio prædicata est falsa: & propterea ad præseruandam prædicationem abhuiusmodi falsitate, debent prædicatores, aut opinatiuè aut recitatiuè opiniones prædicare.

¶Ad secundum dicitur, quòd aliud est loqui de doctrina Romanæ Ecclesiæ, seu Romani Pontificis, & aliud est loqui de operibus eiusdem. Docuerunt siquidem Romani Pontifices multi indulgentias ex causis rationabilibus dari: in qua doctrina continetur quòd etiã tanta indulgentia debet procedere ex causa rationabili tantæ quantitatis, vt superius deductũ est. Factum autem, quod in bullis indulgentiarum continetur, si quandoque periclitaretur non propterea Romanæ Ecclesiæ doctrina periclitaretur.

¶Ad tertiũ dicitur dupliciter. Primò quòd illa sententia communis intelligitur negatiuè, hoc est non plus valent quàm sonant: diulgata enim videtur sententia illa ad excludendas extensiones in dulgentiarum ad ea quæ sub earum tenore non continentur. Secundò dicitur, quòd vera est de indulgentiis discretis: non autem de indiscretis quò ad causam. Potest & tertiò dici, quòd vera est in foro exteriori: in quo statur præsumptionibus iuris.

¶Ad quartum dicitur, quòd populus potest quidẽ decipi in huiusmodi: sed non decipitur ab Ecclesia, sicut etiam potest decipi adorando hostiam propositam à sacerdote in missa. Si cõtingeret autem huiusmodi populũ falli, falleretur aut à propria credulitate, aut ab humanis opinionibus, aut ab indiscreto facto dantis indulgentiam, vel ab omnibus simul: & non ab Ecclesia, ad cuius doctrinam non spectant hæc singularia, sicut nec ad eius fidem.

TRAC

TRACTATVS DECIMVS DE Suscipientibus indulgentias, in duas quæstiones diuisus.

1 ¶ *Num præter gratiam ex parte suscipientis necessaria sit aliqua dispositio.*
2 ¶ *Num tempore, quo fit opus pro indulgentia, oporteat operantem esse in gratia.*

QVÆSTIO I.

¶ An præter gratiam requiratur ex parte suscipientis indulgentias, aliqua alia dispositio.

CIRCA Suscipientes indulgentias, dubium duplex occurrit. Primum, an præter gratiam requiratur ex parte suscipientis aliqua alia dispositio. Secundum est, an tempore quo fit opus pro indulgentia, oporteat operantem esse in gratia.

¶ET IN PRIMO Quidem dubio pro parte negatiua est autoritas doctrinæ communis, tenentis ad indulgentiam sufficere tria: autoritatem in dante, gratiam in suscipiente, pietatem in causa.

¶In oppositum est, quod ad plenariam remissionem pœnæ per viam sacramenti pœnitentiæ, nõ sufficit gratia ex parte suscipientis: ergo nec ad plenariam huiusmodi remissionem per viam indulgentiæ sufficit gratia ex parte suscipientis. Antecedens est clarum alioquin quilibet confessus in gratia, consequeretur plenariam remissionem pœnæ. Consequentia verò probatur: tum quia sacramentum est potius, quàm indulgentia: & distributor thesauri per sacramentum est longè liberalior, quàm quilibet Pontifex: quoniam liberalitas diuina in infinitum excedit liberalitatem humanam.

¶IN HAC Quæstione, quia difficile admittitur oppositum eorum, quæ consueuimus, censorem desidero, intellectum mundum ab opinionibus. Videtur siquidem mihi rationabiliter dici quòd nõ sufficit sola gratia ex parte suscipientis ad veraciter consequendam indulgentiam coram Deo. Sunt siquidem confessi in gratia duplicis ordinis: quidam solliciti ad satisfaciendum per seipsos pro peccatis suis, quidam negligentes satisfacere per seipsos. Primi condignas pœnitentias vel petunt à confessoribus sibi imponi, parati eas implere: vel sponte illas assumunt, dum continue studeant per sua sancta opera satisfacere, ieiunando, orando, eleemosynas dando, &c. ad hoc. Secundi verò paruissimam pœnitentiam aut rogant, aut læti suscipiunt: & quum illam impleuerint (quàm sciunt esse minimam) non curant amplius de satisfaciendo, reputantes sibi sufficere, quòd non ibunt ad infernum. Et hi sunt, quibus indulgentiæ non prosunt, iudicio meo. Et ratio quæ me mouet est: Nullus indignus aliena satisfactione pro pœna sibi debita, consequitur veraciter fructum indulgentiæ: sed quilibet in gratia constitutus negligens satisfacere per seipsum, est indignus aliena satisfactione pro pœna propriis peccatis debita: ergo nullus constitutus in gratia negligens satisfacere per seipsum, acquirit fructum indulgentiæ. Maior propositio intelligentibus terminos est euidens: indulgentia enim per satisfactionem alienam (hoc est Christi, & Sanctorum) patit fructum, qui est remissio pœnæ temporalis pro actuali peccato debitæ: ac per hoc si est aliquis indignus aliena satisfactione, indignus est indulgentia. Indignos autem indulgentia non consequi veraciter fructum illius, tam verum ac manifestum est, vt probatione non egeat, apud intelligentes, distributionem diuinorum donorum in solis dispositis habere locum: constat autem indignos non esse dispositos, & diuina operatione remissiones fieri pœnarum per indulgentias humano ministerio rite concessas.

¶Ad euidentiam autem minoris prælibanda sunt duo: primum est, q̃ satisfactio pro pœna temporali, actuali peccato debita, est onus personale: tenetur enim ipse qui peccauit, facere satis. Secundum est, quòd licet tam contritio quam confessio sit ita personalis, quòd non possit per amicum suppleri, satisfactio tamen quia per exteriora bona fit, inter quæ computantur amici, ita est onus personale, quòd capax est amicabilis adiutorij. Quibus præmissis probatur minor, primò sic: Indignus amicabili adiutorio, est indignus aliena satisfactione, sed constitutus in gratia, negligẽs satisfacere per seipsum indignus est amicabili adiutorio: quoniam amicitiæ ratio poscit, q̃ amicorum sit idem velle & idem nolle: & propterea, si ego pro meipso nolo satisfacere: par est vt amicus quoque hoc nolit, quin potius non amicè peteret vt me negligente satisfacere, ipse pro me peteretur. Poteruntque rectè huiusmodi negligentes, quærentesque per indulgentias satisfacere, verbo Domini reprehendi, Alligant onera grauia & importabilia in humeros hominum, id est amicorum: digito autem suo nolunt mouere ea. Nec obstat q̃ Sancti iam passi sunt: quoniam similis est ratio de passionibus præteritis & futuris, quia illis solis prosunt præteritæ, pro quibus patiendum fuerat: & ideo si pro huiusmodi negligentibus non fuerat ab amicis patiendum, nec postea quòd pati sunt illis amicorum prosunt passiones. Secundò probatur eadem minor similiter ex habitudine ad communem Ecclesiæ thesaurum: quia in qualibet bene ordinata repub. quantumcunque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi communem thesaurum in ciues grauatos ære alieno, negligentes tamen soluere, indigni censerentur adiutorio thesauri: ex eo enim, quòd possunt de suo soluere, & non curant, indignos se reddunt tali subleuamine. Et nisi tales pro indignis haberentur, to-ueretur negligentia: quoniam alij horum exemplo ad similem negligentiam prouocarentur: legis autem est facere non negligentes, sed virtuosos. Quum igitur Ecclesia sit à Deo ordinata, æquum non est, vt spiritualis dispensatio thesauri, negligentes satisfacere pro dignis habeat: hoc enim verè esset eneruare satisfactiones pœnitentiales. Non profunt igitur indulgentiæ constitutis in gratia negligentibus satisfacere per seipsos: quoniam indigni sunt indulgentia, sed oportet vltra gratiam dispositos ipsos esse, vt digni sint alienis satisfactionibus: fiunt autem digni per hoc, q̃ sunt parati per seipsos satisfacere: sic enim sunt digni amicabili adiutorio ad satisfaciendum: parati autem ad satisfaciendum per seipsos sunt, non qui negligunt per seipsos satisfacere, sed illi soli, quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata, quòd non retardat opus nisi impedita. Confirmatur autem hoc ex antiqua forma indulgentiæ, quum dicitur, Verè pœnitentibus. Pœnitens enim dupliciter dicitur, vel per exclusionem contrarij: quia scilicet nihil habet in suo animo contrarium pœnitentiæ: & hoc modo quilibet existens in gratia, est pœnitẽs, etiam si sit negligens ad satisfaciendum. Vel per positionem virtualis pœnitentiæ: quia scilicet vis affectus pœnitentialis in eo secundum veritatem viget: & hoc modo pœnitens non est nisi solicitus ad per seipsum satisfaciendum. Quum ergo dicitur, Verè pœnitentibus, nisi superfluè, seu ad maiorem expressionem appositum sit ly Verè, denotat indulgentias non consequi pœnitentes negligentes, sed pœnitentes solicitos, qui soli sunt verè pœnitentes, significante Participio actum pœnitendi: qui non inuenitur apud negligentes, sed apud solicitos. Manifestius quoque suadetur hoc idem ex alio verbo eiusdem formæ, quum dicitur, de iniunctis pœnitentiis: constat enim communiter, quemlibet pœnitentem paratum esse ad iniunctam pœnitentiam peragendam, alioquin non acceptasset illam. Et propterea ex hoc verbo duo habentur: alterum est, quòd indulgentia nisi noua form: detur, non absoluit, nisi à pœnitentiis iniunctis. Alterum est, quòd indulgentia non prodest, nisi parato per se satisfacere, primum enim horum explicitè, secundum autem implicitè (inquantum paratus ad satisfaciendum supponitur) ex eodem verbo habetur.

¶Et hinc sequitur primò, quòd frustrà faceret quis sibi iniũgi magnas pœnitẽtias à confessore, non vt ipsas adimpleret, sed vt per indulgentias ipsas exolueret: quoniam hoc non est esse paratũ ad satisfaciendum, sed ad imponendum amicis iugum suum. Sequitur secũdò, quòd si forma indulgentiæ mutaretur, & ad nõ iuncta extenderetur pœnitentias, dispositio tamen suscipientis non propterea mutaretur, quoniam ex natura rei exigitur ex parte suscipientis esse paratum ad satisfaciendum secundum vires per seipsum: vt declaratum est. Nec intelligo hanc præparationem ad satisfaciendum ita strictè, quin per aliquid æquiualens, aut maius suppleri possit, vt patet ex hoc quòd contingit quandoque causam pro qua datur indulgentia tale, ac tantum exigere opus vt exceda præparationem ad satisfaciendum: puta si detur plenaria pro actu quo se exponit morti pro Christo, aut perpetuæ mancipationi alicuius pij seruitij, aut aliquo huiusmodi: & tunc causa indulgentiæ ex parte concedentis tenet locum causæ rationabilis tantæ indulgentiæ, & ex parte suscipientis supplet locum dispositionis reddentis dignum amicabili satisfactione. Secus autem est si daretur plenaria pro visitante aliquam Ecclesiam: nam dato quòd causa esset rationabilis ex parte concedentis, visitatio tamen ipsa non supplet vicem præparationis ad satisfaciendum: quum nec illi æquiualeat, nec excedat.

¶AD OBIECTIONEM Autem in oppositum dicitur, quantũ ad diuum Tho. spectat, quòd aliorum opiniones sequutus est, vt ipsemet tria illa colligẽdo explicat in 4. sent. dist. 20. q. 1. art. 3. q. 2. Quantũ verò ad cõmunem doctrinã, quia nõ nisi opinatiua est (cum bona reuerẽtia dictum sit) non incõuenit ad inuentis ab ipsis aliquid noui superaddi, quod sub forma indulgẽtiæ latebat, & ratione probabili roboratur. Et scito, quòd iuxta hunc dicendi modum soluuntur omnes quæstiones, tam de nimis largo Dei foro, quàm de omittẽdis suffragiis pro plenariè absolutis in morte, quam de admiratione sapiẽtum, & de obloquutionibus detrahentium, & excitantur Christi fideles ad pœnitentiæ opera. Nec aliquid adimitur efficaciæ indulgentiarum: sicut nihil adimitur efficaciæ sacramentorum ex hoc, quòd oportet accedentes ad illa

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse dignè dispositos, si fructuosa sibi esse volunt: soli siquidem indigni indulgentia, ab illius fructu iuxta hunc dicendi modum excluduntur.

QVÆSTIO II.

¶ An tempore, quo fit opus pro indulgentia, oporteat operantem esse in gratia.

CIRCA secundum verò quæritum de causa indulgentiarum, sciendum est, quòd dupliciter dantur indulgentiæ. Vel ita quèd tempus indulgentiæ & tempus operis sit vnum & idem, vt quum datur indulgentia visitanti Ecclesiam. Et tunc non habet locum hæc quæstio: quoniam constat tempus fructus indulgentiæ coexigere gratiam in percipiente illam. Vel ita quòd aliud sit tempus operis, & aliud sit tempus percipiendi fructum indulgentiæ: vt quum datur indulgentia semel in vita & semel in morte suscipientibus crucem: & tunc habet locum proposita quæstio, an exigatur gratia tunc, quum fit opus pro quo datur indulgentia.

¶ Videtur enim pars negatiua vera. Tum quia absque gratia tempore operis saluari possunt omnia requisita ad fructum indulgentiæ: nam saluatur autoritas in dante, pietas in causa, gratia etiam solicita in suscipiente tempore quo suscipit illam: ergo, &c.

¶ Tum quia non minus valet huiusmodi opus pro se, quam pro alio, sed si pro alio (puta existente in purgatorio) opus hoc quis faceret sine gratia, indulgentia valeret pro illa anima, præsupposito, vt quandoque fit, quòd possit quis accipere indulgentiam pro defuncto faciendo tale opus: ergo ad faciendum opus pro indulgentia non requiritur gratia.

¶ IN HAC quæstione videtur mihi non solùm tutior sed longè rationabilior pars affirmatiua, scilicet ꝙ exigitur gratia etiam tempore operis. Probatúrque hoc dupliciter. Primo ex antiqua indulgentiarum forma, quum ordinatè vtrunque exprimitur, ita quòd primo loco exprimitur gratia, & secundo exprimitur opus, non qualitercunque, sed vt ipsa gratia afficiat operantem: dicitur enim sic omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui visitauerint talem ecclesiam, seu qui manus porrexerunt adiutrices, &c. Vbi manifestè patet, ex forma ecclesiæ consueta haberi pœnitentiam seu gratiam coexigi ad tale opus, pro quo fit indulgentia. Deinde probatur hoc ratione, Sicut thesaurus ciuilis non nisi pro ciuili causa dispensatur: Ita thesaurus vitalis non nisi pro sola vitali causa dispensatur, sed thesaurus indulgentiarum est thesaurus vitalis, vtpote ex passionibus viuis Christi & Sanctorum constans, & vitæ æternæ impedimenta tollens: ergo pro sola vitali causa communicatur: sed opus extra gratiam non est viuum, sed mortuum: ergo pro eo thesaurus indulgentiarum non communicatur.

¶ Et confirmatur ex hoc, quòd reliqua requisita ad dispensationem thesauri indulgentiarum sunt viua: viuunt enim qui passi sunt Sancti, viuæ sunt & passiones eorum, viuit & summus Sacerdos qui est vt principalis dispensator indulgentiæ, viuit participes indulgentiæ: ergo & viuam oportet esse causam indulgentiæ: quæ est enim conuentio lucis ad tenebras, & vitæ ad mortem?

¶ Nec obstat quòd Pontifex dans indulgentiam, possit esse mortuus secundum vitam gratiæ: quoniam ipse minister tantùm est, & velut instrumentum Christi concurrit. Ad causam enim principalem respiciendum est, vt patet in simili: quum scilicet dominus in charitate existens per reprobum dispensatorem eleemosynas distribuit: est enim opus illud viuum, non obstante spirituali morte ministri. Oportet ergo viuum esse opus pro quo datur indulgentia.

¶ AD PRIMAM ergo obiectionem in oppositum, dicitur falsum esse, quod sine viuo opere omnia requisita ad indulgentiam saluantur: nam pietas in causa claudit in se vitam operis. Ex hoc enim quòd exigitur pietas in causa, hoc est in opere, pro quo datur indulgentia: consequens est quòd exigatur etiam vita: nam pietas ipsa nisi sit viua pietas, non erit quum nulla sit Christiana virtus sine charitate.

¶ Ad secundum dicitur: quòd opus mortuum sicut non sufficit ad indulgentiam pro se pro tempore, quo erit in gratia: ita non sufficit ad indulgentiã pro alio existente in gratia. Et si instetur, quòd eleemosyna facta extra charitatẽ pro existente in purgatorio, valet pro illo, ergo multò magis valet mediante indulgentia: respondetur quòd eleemosyna talis non valet pro defuncto per modum satisfactionis, sed per modum supplicationis: scriptum est enim: Absconde eleemosynam in sinu pauperis, & ipse orabit pro te. Peccatorum autem supplicationes quandoque exaudiri Augustinus testatur, reprehendens verbum cæcinati: Nos scimus quia peccatores Deus non exaudit. Ex hoc autem quòd valet per modum supplicationis mortuæ, non sequitur quòd valet pro indulgentia acquirenda: quoniam indulgentia habet vim satisfactionis viuæ, supplicatio autem mortua, soli misericordiæ innititur Dei, cui supplicatur.

TRACT. XI.

TRACTATVS VNDECIMVS, De modo tradendi seu suscipiendi sacros ordines.

ARTICVLVS VNICVS.

¶ Quomodo tradantur, vel suscipiantur sacri ordines.

CIRCA Sacramenta tam extremæ vnctionis, quàm ordinis nihil mihi scribendum occurrit, nisi circa sacramentum ordinis cautos reddere ne pertinax quisquam, aut leuis sit circa modum tradendi, aut recipiendi ordines. Nam, si collecta fuerint quæ pontificales codices, quæue ratio autoritásque doctrinæ tradidit, incerta valde apparebit presbyteratu excepto, reliquorum natura ordinum. Et de minoribus quidem ordinibus & subdiaconatu Magister sentent. in 24. distinctione 4. sentent. dicit institutos esse ab Ecclesia. De diaconatu verò ambiguum magis est: quia nõ constat ex actibus Apostolorum Diaconos altaris, sed Diaconos mensarum & viduarum institutos esse ab Apostolis Actuũ sexto, quin potius oppositum ibi dicitur quoniã Diaconi altaris ad orandum & prædicandum ordinantur (vt in pontificalibus patet) ibi verò dicunt Apostoli, Nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus. Quocirca licet tunc nõ fuerint Diaconi altaris instituti, videntur tamen ab Apostolis instituti, licet nesciatur quando, & vbi. Iungit siquidẽ Diaconos Episcopis Paulus ad Philippenses secũdo, dicẽs: omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconibus: & primæ ad Timotheum tertio, describto Episcopo, describit qualis debet esse Diaconus. Et quia ambæ Ecclesiæ: scilicet Philippẽsis & Ephesina (cuius erat Timotheus Episcopus) erant Ecclesiæ Gentium, in quibus non legimus vixisse in communi Christianos, vt Hierosolymis, ac per hoc non egebant Diaconis mensarum & viduarũ: ideo Diaconi altaris videtur esse isti. Et confirmatur ex Dio. ponente diaconatus ordinem in primitiua Ecclesia: vnde diaconatũ ab Apostolis credimus cœpisse. Et quod magis vrget, nulla videtur certa forma in diaconatu: nã secũdum antiqua pontificalia impositio manuũ super Diaconum non habet certam verborum formam, nisi orationem illam: Emitte, quæsumus, in eos Sanctum spiritum, &c. quæ secundum noua pontificalia post impositionem manuum dicenda est. Datio autem libri Euangeliorum certam habet formã verborum: sed tunc non imprimi caracterem ex eo videtur, quòd antequam Euangelium aliquod esset scriptũ, Diaconi ab Apostolis videntur ordinati, non dicendo: Accipe potestatem legendi Euangelium, sed vt creditur per impositionem manuum. Idem quoque apparet in subdiaconatu, in quo nullum põtificale habet nisi materiam sine forma, scilicet traditionem calicis vacui, &c. Taceo de minoribus ordinibus, in quibus varietas multiplex inuenitur, etiam inter antiqua pontificalia: ex quibus apparet quòd huiusmodi ordines sacramentalia quædam videntur magis quàm sacramenta. Et ad hoc ducit ratio: quia per nullum dictorum ordinum potest ordinatus actum aliquem, qui si sine illo ordine fieret, esset nullus: vt patet discurrendo per singulos actus Diaconi & inferiorum. Et per hanc rationẽ episcopatus videtur ordo: quia aliquem actum potest Episcopus, quia non Episcopo factus nullus est: vt confirmare, præsupposita veritate decretalis extra de consuetudine, cap. quanto.

¶ HÆC Autem sint collecta non ea ratione, vt nouã velimus ingerere doctrinam de sacramento ordinis: sed vt doctus quisque percipiat incertitudinem materiæ, de qua est sermo: & non velit plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: hoc est, vt sit contentus consueto pontificali Ecclesiæ, in qua ordinatur. Et si aliquid fuerit omissum eorum, quæ ex nouis pontificalibus sunt addita (puta quia non est datus subdiacono liber Epistolarum cum illis verbis, Accipe librum, &c.) non propterea supleri oportet in alia ordinatione huiusmodi omissum: huiusmodi enim noua additio non facit legem nouam. Nec mihi aliquis obiiciat oppositum me alibi scripsisse, dum de simultate contactus in primo quolibeto scripsi. Hæc enim non aduersantur illis: quoniam non nisi de his quorum cõtactus simul cum traditione in pontificali mandatur, loquutus sum.

¶ Tutius tamẽ esse constat sequi antiqua põtificalia in tribus infimis ordinibus, quàm modernum, in quo ostensio materiæ prius mandatur cum verbis, & postea tactus materiæ. Et certe mirum est, quum corrector ille mutauerit ministrum materiæ in acolytatu, scilicet Archidiaconum in Episcopum, vt utiorẽ viam eligeret quòd in præcedentibus ordinibus labori Episcopi tantũ pepercit vt nimis rutam viam eligeret. In antiquis siquidem põtificalibus diuersimodè de minoribꝰ ordinibus habetur: nã alicubi de ostiario & lectore habetur, Tradit sibi claues vel librũ Episcopus, dicens, de exorcista verò habetur: Accipiat librũ de manu Episcopi dicentis sibi: de acolyto autem accipiat candelabrum, &c. de manu archidiaconi dicente sibi Episcopo. Vbi apparet semper simultas formæ & materiæ: & quòd materia non est monstratio, sed traditio & acceptio. Alicubi verò habetur, vt in nouo pontificali tempore Innocentij octaui impresso legis.

TRACTATVS DVODECIMus de Contractu matrimonij in tres diuisus quæstiones.

1 *Num matrimonium contractum per procuratorem sit sacramentum.*
2 *Num contractus matrimonij clandestinus sit quandoque licitus*
3 *Num matrimonij contractus non propter prolem, nec propter vitandam fornicationem sit licitus.*

¶ De sacramento matrimonij Triplex quæsitum.

CIRCA sacramentum matrimonij paucula tractandi occurrunt. Et primò circa ipsum matrimonij contractum tria occurrunt dubia. Primum est, an matrimonium contractum per procuratorem sit sacramentum. Secundum, an contractus matrimonij clandestinus sit quandoque licitus. Tertium est, an matrimonij contractus non propter prolem, nec propter vitandam fornicationem, sit licitus.

QVÆSTIO I.

¶ An matrimonium contractum per procuratorem, sit sacramentum.

CIRCA primum ratio dubij est, quia matrimonium inter fideles verum & ratum est sacramentum: contractus autem huiusmodi per procuratores efficit matrimonium verum & ratum: ergo est ibi sacramentum.

¶ Præterea, Coniugium inter infideles est sacramentum, vt dicitur extra de diuortiis cap. gaudemus: ergo à fortiori coniugium huiusmodi quod est verum & ratum est sacramentum.

¶ IN OPPOSITVM est, quòd nullum sacramentum ministratur per procuratorem. Ad hoc dicuntur duo: primum directè respondendo quæsito, quòd matrimonium contractum tantummodo per procuratorem non est sacramentum Ecclesiæ. Quod manifestatur dupliciter. Primò, quia nullum sacramentum suscipitur per procuratorem: quia receptio sacramenti est passio personalis, quum sit intus quidem receptio gratiæ sacramentalis, foris verò exigat aliquam in sua persona sensibilem actionem vel passionem, vt patet ex communi ratione in omnibus sacramentis. Et confirmatur ex hoc, quòd sacramentum pœnitentiæ non potest suscipi per procuratorem: nam sicut sacramentum matrimonij consistit in contractibus, ita sacramentum pœnitentiæ consistit in actibus iudicialibus: tam autem in iudicialibus quàm in contractibus nihil prohibet multa fieri per procuratorem, nisi ratio sacramenti: potest enim quis iudicari, absolui, ligari per procuratorem, sed non sacramentaliter: & similiter potest quis contractum facere de propria persona per procuratorem, sed non sacramentaliter. Et confirmatur rursus: quia si per procuratorem posset suscipi sacramentum, sequeretur, quòd dormientibus ambobus coniugibus dum procuratores contrahunt, coniuges sacramentum susciperent, & nihil omnino à seipsis, aut ministro aliquo sacramenti circa ipsos tunc fieret: quod non solùm est absurdum, sed non intelligibile, stante constantia sacramenti ex materia & forma, &c. & vltra hoc sequeretur, quòd dormiens peccaret mortaliter peccato sacrilegij, suscipiens sacramentum in peccato mortali, si contigisset vt iuisset tunc dormitum in peccato mortali: non est ergo coniugium contractum inter fideles per procuratores sacramentum, donec coniuges ipsi coram ratificent contractum: quòd tunc fit, quum coram positi primò manifestant sibi inuicem se habere vt coniuges.

¶ Secundum est, quòd licet huiusmodi coniugium per procuratorem contractum non sit sacramentum: est tamen verum coniugium, dirimens quodcunque aliud posteà contractum consummatum, multo magis quàm primum coniugium inter infideles dirimit secundum: vt dicitur extra de diuor. c. gaudemus. Potest tamen facilius dissolui de consensu partium apostolica autoritate matrimonium per procuratorem cõtractum, quàm per seipsos coniuges contractum: quoniam in illo deest sacramentum, quod non deest huic.

¶ AD PRIMAM ergo obiectionem in oppositum, dicitur quòd coniugium dicitur ratum dupliciter, vel radicaliter, vel formaliter. Et quòd coniugium fidelium per procuratores contractum est ratum in radice Baptismi, non autem est ratum ex formaipsius sacramenti matrimonij: coniugium autem inter infideles neutro modo est ratum.

¶ Ad secundam dicitur quòd vel est loquutio intransitiua, vt dicatur sacramentum coniugij pro coniugio: vel latiori vocabulo sumitur sacramentum: & non propriè, vt restringitur ad significandum sacramentum nouæ legis, de quo solo est nostra quæstio.

QVÆSTIO II.

¶ An matrimonij contractus clandestinus sit quandoque licitus.

CIRCA secundum (an matrimonij contractus clandestinus sit quandoque licitus) absque argumentis dicendum est, quòd quum contractus clandestinus non sit secundum se malus mortaliter, sed ratione accidentium ex illo consequentium: ideo in casu, quo cessarent omnia inconuenientia, licitum esset contrahere clandestinè, quoniam tunc etiam cessaret obligatio iuris positiui, quod propter huiusmodi inconuenientia constat emanasse. Contingit autem de facto pluries casus iste quando matrimonium contractum est in facie Ecclesiæ & consummatum, & tamen fuit in veritate nullum propter aliquod occultum impedimentum dirimens: puta quia præcognouerat consanguineam vxoris. Tunc enim habita dispensatione per secretas vias potest & debet contrahi matrimonium sine testibus ad euitandum scandalum, imò nec coniungi debet impedimentum manifestare, sed duleiter rogare vt pro consolatione sua velit se iterum acceptare in coniugem, & parte assentiente sufficit. Sic enim euitatur omnis infamia, & intentum habetur: & nullum potest inconueniens sequi ex huiusmodi clandestino contractu.

¶ AN VERO ante contractum in facie Ecclesiæ matrimonium accidere possit casus, in quo licitus sit contractus clandestinus, non mihi occurrit de clandestino per se, sed potest contingere de clandestino per accidens, ꝙ sit aut licitus, aut sine mortali peccato. Licitus quidem, si contingeret carere testibus, & oportet contrahere: vt si in bello seu direptione ciuitatis saluifierent coniugati, possent personæ habiles contrahere & consummare: vt vel sic euaderent opprobria, &c. cessant enim omnia inconuenientia, & præter intentionem est clandestinum matrimonium. Absque mortali verò, vt si puella sub malignis tutoribus, ne tradatur viro imprudenti cum damno debitæ sibi dotis, aut hæreditatis propriæ, obiata commoditate non valens habere testes præsentes, contraheret cum viro grato, prudente, &c. sciens quòd post factum publicabunt ipsa & vir contractum: & sic præualebunt. Ex quo enim parati publicare, contrahunt præter intentum ex rationabili causa clam, excusantur saltem à mortali.

QVÆSTIO. III.

¶ An matrimonij contractus non propter prolem, aut vitandam fornicationem, sit licitus.

CIRCA tertium verò an matrimonij contractus non propter prolem, aut vitandam fornicationem sit licitus: ratio dubij est, quia videtur sacrilegium, sacramentum non ordinari ad finem proprium: finis autem proprius sacramenti coniugij est proles educanda ad cultum Dei, & remedium concupiscentiæ.

¶ In oppositum est coniugium inter beatam Virginem & Ioseph, quod neutrum finem habuit ex parte virginis.

¶ AD HOC DICITVR quòd in contrahendo matrimonium, multiplex finis potest inueniri: & quantum ad propositum spectat, quintuplex finis potest considerari. Primus est finis istius contractus ratione actus: & hic est proles, vel remedium concupiscentiæ: hic enim est finis coniugij mediante concubitu: vt patet. Secundus est ipsius contractus ratione sui: & hinc est mutua potestas corporum: ad hoc enim fit hic contractus, vt neutra potestas corporum: ad hoc enim fit hic contractus, vt neuter coniugum habeat potestatem sui corporis, seu alter alterius. Tertius est eiusdem contractus ratione sacramenti: & hic est sanctificatio coniugum, vt vnusquisque possit vas suum possidere in sanctificationem. Quartus esset, si contractus iste ordinaretur à contrahente ad aliud extraneum: puta ad aliquod maleficium. Quintus esset finis non contractus, sed contrahentis tantummodo: hoc est quòd esset motiuum vt finis ad hoc, vt homo qui alias nollet contrahere matrimonium applicaret se ad contrahendum matrimonium. Verbi gratia, quum Dauid contraxit cum Abisach Sunamite, non ordinauit coniugium ad calefaciendum se, sed applicauit se ad contrahendum coniugium vt per mulierem calefieret, quum non esset alias dispositus ad contrahendum matrimonium.

¶ Quibus præmiis dicenda sunt, ad quæstionem motam, duo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Primum directè respondendo quæsito, quòd contractus est licitus: quoniam sufficit coniugio habere vtrumque finem suum proximum, finis autem proximus ipsius contractus secundum se, est mutua potestas corporum: quatenus verò sacramentum, est sanctificatio, & propterea, etiam si non intendant prolem, neque remedium concupiscentiæ, sed solummodò esse coniuges, secundum Ecclesiam, contractus est licitus. Et sic inter senes, & quoscunque non intendentes concumbere, potest licitè contrahi matrimonium.

¶ Secundum est, quòd communiter extranei, seu accidentes sines 10 altero duorum modorum contingunt: vel vt ratio non coniugij, sed coniugij cum tali: vel vt ratio applicationis ad contrahendum coniugium. Ideo communiter huiusmodi contractus sunt liciti: quoniam vterque modus est licitus. Exemplum primi modi habetur inter Iacob & Rachelem; propter pulchritudinem enim ipsius, elegit contrahere potius cum Rachele, quàm cum Lia, dicens socero, Seruiam tibi pro Rachele filia tua minore, &c. Exemplum secundi habetur inter Dauid & Sunamitem. Et primus quidem sæpe contingit, & clarus est omnibus: secundus autem amplius manifestatur exemplo & ratione. Simile quidem 20 est, si sacerdos aliquis nollet hodie celebrare, superueniente autem amico, vt illi morem gerat, applicat se ad celebrandum: ita siquis non intenderet matrimonio coniungi, superueniente autem vidua promittente maria & montes, vt sibimet vtile faciat, applicat se ad contrahendum matrimonium cum illa, intendens illam habere cõiugem, &c. vtrobique enim aduentitius finis non ponitur finis celebrationis aut coniugij, sed applicationis ad celebrandum seu ad contrahendum. Et hæc est ratio quare contractus non redditur illicitus.

¶ ET PER hoc patet responsio ad obiectionem in oppositum. Nam sicut sacerdos aliàs non celebraturus hodie, vt morem geratamico applicans se ad celebrandum, non constituit per hoc amicum finem celebrationis, sed applicationis suæ: ita qui propter bona temporalia aliàs non contracturus mouetur ad contrahendum coniugium, non constituit bonum illud extrinsecum finem coniugij, sed mutationis suæ, qua de non volente contrahere factus est volens contrahere: coniugium verò ipsum suscipit cum fine ipsius coniugij, etiam si de fine ipsius nihil cogitet: sicut dictus sacerdos celebrationem ordinat in finem celebrationis, etiam si nihil cogitet de fine. Eo ipso nanque quod intendit coniugium, intendit ipsius finem, quamuis forte ad illum non se disponat: sicut sacerdos intendens celebrare, vult ex hoc ipso finem celebrationis, quamuis forte non se disponat ad illum.

TRACTATVS DECIMVS TERtius de Vsu Matrimonij, in duas quæstiones diuisus.

1 *Num vsus matrimonij ante benedictionem sit licitus.*
2 *Num vsus clandestini coniugij sit illicitus mortaliter.*

QVÆSTIO I.

¶ An vsus matrimonij sit illicitus ante benedictionem.

QUIRCA Vsum matrimonij, dubium primò occurrit, an sit licitus ante benedictionem.

¶ Videtur enim quòd non. Tum quia sit contra statutum ac consuetudinem Ecclesiæ: vt patet 30. quæst. 5. in pluribus cap.

¶ Tum quia quum sine causa rationabili hoc sit, non euaditur contemptus: quem constat constituere peccatum mortale.

¶ AD HOC dicitur, q̃ licet quibusdam visum fuerit distinguendum de reddente, aut petente debitum: & similiter de loco vbi est vel non est consuetudo huiusmodi benedictionis: & similiter de causa an sit rationabilis, vel non: Mihi tamen videtur, simpliciter & absolutè dicendum, q̃ huiusmodi actus non est peccatum mortale. Et ratio est: quia nullum apparet in iure præceptum obligans ad mortale: imò expressè in fine c. nostrates. enumeratis concurrentibus ad nuptias, subditur, quòd hæc omnia non seruare non est peccatum. Consuetudo quoque non obligat ad mortale plus quàm statutum, & tanto minus hæc consuetudo obligat, quanto alicubi (vt in Germania) nobiles nocte præcedente benedictionem, consummant matrimonium: alicubi verò (vt in Italia) pœna apposita ab Ecclesia maritis consummantibus matrimonium ante benedictionem, tam leuis est, vt testetur minimum aut nullum esse peccatum. Ex parte verò benedictionis quum nulla fiat sibi iniuria (quoniam nec contemnitur, sed suscipitur etiam consummato matrimonio) nec admiscetur propterea aliquod falsum seu mendacium, quoniam nulla sit de virginitate ibi mentio, nulla habetur ratio mortalis peccati. Nec obstat si dicatur q̃ canones præsupponunt virginitatem in benedicendis saltem in sponsa: vt patet ibidem, cap. sponsus. Quoniam hoc de congruitate, & secundum communiter accidentia intelligitur: vt patet ex hoc quòd puella corrupta ante coniugium secretè ab alio nihilominus licitè nuptialem benedictionem suscipit. Ex parte demũ finis ipsius benedictionis idem apparet: quoniam ad duo ordinatur, scilicet ad solennem traductionem vxoris (quam constat propterea omitti) & ad diuinam obtinendam benedictionem ipsorum coniugum, quæ etiam non omittitur. Ex quibus omnibus potest formari talis ratio: Actus coniugij ante benedictionem, &c. quum non sit illicitus nisi quia præuenit benedictionem antè debitam, non plus habet illiciti, quàm ex iniuria vel legis, seu cõsuetudinis inhibentis, vel benedictionis ipsius seu eius finis contrahatur sed ex nullo horum contrahit rationem peccati mortalis, vt declaratum est, ergo non est peccatum mortale. A veniali autem peccato non excusari matrimonij consummationem ex parte tam petentis, quàm reddentis ex eo patet, quòd ordo ipse statutus lege vel consuetudine non seruatur, dum ante benedictionem fit, quod post benedictionem agendum erat.

¶ AD PRIMVM autem in oppositum, dicitur, quòd hoc argumentum nihil valet, Statutum seu consuetudo Ecclesiæ non seruatur, ergo est peccatum mortale: plus enim exigitur ad peccandum mortaliter, quàm violare statutum, seu consuetudinem Ecclesiæ: quoniam nec omne statutum, nec omnis consuetudo Ecclesiæ obligat ad mortale.

¶ Ad secundum dicitur, falsum esse, quod vbi deest rationabilis causa violandi seu non seruandi statutum & consuetudinem Ecclesiæ ibi est contemptus: stat enim quòd ex infirmitate seu concupiscentia veniali fiat transgressio. & sic communiter videtur accidere in huiusmodi casibus: Et propterea quia communiter ex contemptu non fit, communiter non est peccatum mortale.

QVÆSTIO II.

¶ An vsus clandestini coniugij sit illicitus mortaliter.

SECVNDO Quæritur an vsus clandestini coniugij sit illicitus mortaliter. Et est ratio dubij: quia si pars affirmatiua poneretur: aut hoc esset ratione annexi scandali, aut ratione inhibitionis Ecclesiæ: sed scandalum tollitur, si vsus est occultus, inhibitio autem Ecclesiæ non facit peccatum mortale, quum in præcedenti articulusum sit vsum coniugij ante benedictionem non esse peccatum mortale, quamuis sit contra inhibitionem Ecclesiæ.

¶ IN OPPOSITVM Est, quòd vsus coniugij non legitimi est peccatum mortale: clandestinum autem matrimonium quamuis sit verum & ratum, constat non esse legitimum: ergo:

¶ AD HVIVS Euidentiam recolendum est, in coniugiis dupliciter inueniri illicitum & mortale, vel quia malum, vt coniugium cum parente: vel quia prohibitum, vt coniugium cum affinibus seu consanguineis quarti gradus. Vsus autem coniugij clandestini vtroque modo illicitus inuenitur, & quia malus & quia prohibitus. Est siquidem malus, non secundum se, sed secundum sibi annexa. Ad cuius pleniorem intelligentiam sciendum est, quod licet clandestinum coniugium cum suo vsu habeat omnia requisita ad substantialia coniugij & eius actus, & propter hoc dicitur quòd neutrum est secundum se malum: ex naturali tamen hominis proprietate, qua est animal sociale atque politicum, prouenit turpido in clandestino coniugio & eius actu. Ex hoc nanque, quòd homo est animal sociale & politicum, prouenit quòd coniugium & ipsius actus debeant sic fieri vt sint sine offensa, & periculo offendendi societatem politicam: vsus autem clandestini coniugij annexum habet scandalum vitę socialis dum scitur commisceri personas quæ nesciuntur coniuges: nec etiam sine scandalo appareret mulier grauida, & proles fieret, &c. Ipsum verò coniugium clandestinum annexum habet periculum offendendi vitam socialem: quoniam posset alter coniugum noua inire connubia, dum ignoratur ligatus altero coniugio. Est igitur tam clandestinum coniugium quàm ipsius actus, etiam si prohibitio legis non esset de genere malorum moraliter, non secundum se, sed secundum sibi annexa.

¶ Vtrum autem sit mortale peccatum, considerandum restat ex vtroque principio: scilicet annexæ moralis malitiæ & legalis inhibitionis. Ex parte siquidem moralis iniquitatis distinguẽdum occurrit, & dicẽdum: quòd quãdo actus huiusmodi habet annexam scandali turpitudinem, est peccatum mortale: quando verò caret annexa turpitudine, nõ est peccatum mortale. Et horum ratio est in promptu: quia ex quo ratio peccati mortalis consurgit ex annexa turpitudine extante, illa sit peccatum mortale: & illa nõ extante, non est peccatum mortale. Notanter autem dixi actus huiusmodi, ad differentiam vsus: quoniã frequens actus, qui vsum constituit, impossibile est, morabiliter loquendo, quòd careat scandalo: nam frequens secreta cõuentio personarũ, quæ possunt esse cõiuges, semper est suspecta, & experientia teste videmus scandala maxima

maxima ex huiusmodi vsu prouenire. Ex parte autem inhibitionis Ecclesiasticæ mortale peccatum videtur: quoniam Euaristus Papa (vt habetur 30. quæstione 5. canone, aliter) damnat huiusmodi coniugia: ita quod non coniugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes esse non dubitat. Quod quia verum esse constat in iudiciali foro, in quo clandestinum matrimonium non est matrimonium ex auctoritate Papæ promulgatum, damnabilem constituit clandestini vsum matrimonij. Simpliciter igitur & absolutè loquendo, vsus matrimonij clandestini peccatum mortale est: vtpote scandalosus scandalo notabili, reddente vtrunque coniugem infamem, & à iure damnatus vt adulterium, seu fornicatio. Quocirca caueant confessores viduarum nobilium, ne consulant fornicariè, vt contrahant clandestinum matrimonium, quasi licitè deinceps satisfacturæ voluptati suæ cum clandestino coniugetum quia non sunt facienda mala, vt veniant bona, & multo minus vt euitentur peiora: tum quia per hoc non euaditur peccatum mortale in vsu dicti coniugij: tum quia adiungitur periculum homicidij vtriusque, aut alterius coniugis: vt pluries vidimus nostra ætate: consanguinei enim multò magis vindicant talia coniugia, quàm si fornicatio sola fuisset.

¶ AD OBIECTA Ergo in oppositum dicitur, quòd licet actus vnus seu aliquis possit esse ita occultus, quòd careat secundum se omni turpitudine scandalosa: frequens tamen actus, vt dictum est, esse non potest: & ille vnicus actus omnino occultus non caret periculo scandali: quia posset inde coniunx concipere, & sic scandalum sequeretur. Inhibitio autem Ecclesiæ non similiter se habet ad vsum coniugij ante benedictionem, & ad vsum coniugij clandestini, quoniam primum simpliciter inhibet: secundum autem non solùm inhibet, sed damnat vt stuprum, seu fornicationem. Et ratio est disparitatis: quia actui coniugali deberur totus publicus, hoc est, publicè præparabilis seu præparatus: vnde & coniuges conrorales dicuntur: clandestini autem coniugij actui non potest publicè torus præparari, quum coniugium ipsum publicè habeatur tanquam non sit, quum probari non possit. Ante benedictionem verò publicis coniugibus potest publicè torus præparari, imò & de facto millies præparatur & propterea actus cõiugij clandestini meritò reprobatur ac damnatur: actus vero publici coniugij non reprobatur nec damnatur, sed solius cæremoniæ defectus accusatur: est enim præceptum cæremoniale de non præueniendo benedictionem, de non vtendo vero clandestino, est præceptum propriè substantiale. Et hinc sequitur, quòd non solùm vsus sed etiam actus vnus coniugij per se clandestini, etiam cum sterili seu vetula, quæ non potest concipere, quantumcunque occultus est mortale peccatum, sicut & ipse contractus clandestinus propter damnationem Ecclesiæ damnantis omnem contractum & concubitum clandestinum in sua specie: ac per hoc omnem concubitum & contractum clandestinum: & consequenter nisi rationabilis causa subsit contrahendi clandestinè, aut clandestinè consummandi, damnationem suæ speciei incurrit.

TRACTATVS DECIMVS quartus de Delectatione morosa, in tria quæsita diuisus.

1 *Num voluntaria delectatio de cogitato actu licito conditionaliter sit mortale peccatum.*
2 *Num vidua, quæ voluntariè delectatur de coniugali actu præterito, peccet mortaliter.*
3 *Num voluntaria delectatio de visa pulchra muliere sit computanda inter peccata mortalia delectationis morosæ.*

CIRCA Actum coniugij, quoniam multa scripsimus in commentariis præcedentis libri in tractatu de luxuria, & quædam etiam in quolibetis, ideo ne eadem repetamus, pertranseundum est. Incidenter tamen dubia aliqua, de delectatione morosa soluendo.

DVBIVM I.

¶ An voluntaria delectatio de cogitato actu licito conditionaliter, sit mortale peccatum.

EST AVTEM Primum dubium, an voluntaria delectatio de cogitato actu licito conditionaliter, sit mortale peccatum. Verbi gratia, cogitat quis de actu coniugali cum tali muliere si esset vxor sua, & voluntarie delectatur de actu cogitato, an in hoc & similibus sit peccatum mortale. Et est ratio dubij: quoniam pro parte negatiua est quòd delectatio est de actu licito, inrantum quòd consensus in huiusmodi actum non est peccatum: si enim consensus in actum non est peccatum, à fortiori nec cogitatio de illo erit peccatum. Pro parte verò affirmatiua est omnis religiosa conscientia, cauens huiusmodi delectationem: vt peccatum mortale.

¶ AD HOC dicitur, quòd sine dubio huiusmodi delectatio voluntaria est peccatum mortale, quia est simpliciter de concubitu peccati mortalis. Ad cuius euidentiam discernendum est inter consensum & delectationem: quoniam tam consensus, quàm desiderium ferri potest in obiectum vel absolutè vel conditionaliter: potest enim quis desiderare cibum absolutè, & potest rursus desiderare ipsum sub conditione: puta si non esset dies ieiunij. Et quod dicimus de actu, idem intellige de delectatione consequente actum exterius exercitum: nam potest quis desiderare delectationem cibi & absolutè & sub conditione, puta velle delectari in comedendo, si non esset dies ieiunij. Delectatio autem voluntaria consequens obiectum interius apprehensum & concubitum siue absolutè, siue conditionaliter, non potest distingui in delectationem conditionalem, vel absolutam: sed ex hoc ipso quòd inest huiusmodi delectatio voluntariè, est simpliciter & absolutè delectatio. Vnde cum aliquis desiderat actum coniugij cum aliqua conditionaliter: id est si esset sua, non peccat, quoniam desiderium obiectum habet rectæ rationi consonum: sed quum delectatur quis de huiusmodi actu conditionali cogitato, delectatio ipsa non est conditionalis: quoniam conditionalis nihil ponit in esse: huiusmodi autem delectatio ponitur in esse voluntariè. Et propterea delectatio ipsa non spectat ad obiectum desideratum & cogitatum, quatenus est conditionale: ac per hoc redit ad naturam sui generis: scilicet delectationis morosæ de illicito concubitu. Ex hoc nanque quòd actus vt conditionalis, non facit ipsam delectationem conditionalem: sequitur quòd relinquat eam in genere delectationis voluntariæ de concubitu seclusa conditione, quæ sola faceret illum licitum. Et hoc est nihil aliud dicere, quàm relinquere illam in specie delectationis voluntariæ de concubitu, ac si illa conditio non esset cogitata: & hoc est quod timoratæ conscientiæ vtriusque sexus testantur.

¶ ET PER HOC patet solutio ad obiectum: quoniam non est idem iudicium de consensu, & desiderio in actum exteriorem illiusque delectationem sub conditione, & de præsenti delectatione voluntaria de eodem actu eademque delectatione cogitata. Nec est verum, quòd præsens delectatio sit de actu licito: quoniam non est de illo conditionaliter, actus autem non nisi conditionaliter est licitus.

DVBIVM II.

¶ An vidua, quæ voluntariè delectatur de coniugali actu præterito, peccet mortaliter.

SECVNDVM Dubium est, an vidua quæ voluntariè delectatur de actu coniugali præterito, peccet mortaliter. Et est ratio dubij ambiguitas scribentium.

¶ AD HOC Dicitur, quòd formaliter loquendo, voluntaria delectatio de præterito actu coniugij non est peccatum mortale. Et ratio est, quia eiusdem moris est delectari de præsenti, præterito, vel futuro: huiusmodi enim differentiæ non variant speciem moris de bono in malum: & propterea sicut simpliciter, & absolutè, viduæ cõsensu approbatiuo potest placere actus præteritus, ita potest delectari de illo. Et licet hæc ratio sufficiat, manifestatur tamen ex similitudex enim functus officio, potest voluntariè delectari de vindicta, quam exercuit occidendo perturbatores Reipublicæ: nec solùm intus potest delectabiliter memorari, verum potest etiam delectabiliter hæc enarrare: vt patet. Idem autem est iudicium de voluntaria delectatione in cogitatione, memoria, narratione & facto vindictæ, & cuiuscunque alterius actus: memoria enim de iustis seu licitis, eodem more est delectabilis, quo & ipsa iusta & licita fuerunt delectabilia.

¶ Aduertendum tamen est hic, quòd aliud est loqui de voluntaria delectatione præteriti actus liciti, & aliud est loqui de concomitantibus illã: nam stat quòd ipsa delectatio de actu præterito voluntaria immunis sit secundum seipsam à peccato mortali: & tamen ipsamet, vt annexum habet malum aliquod (puta pollutionem, vel delectationem interiorem, consequentem vellcitatem actus similis præterito, aut consequentem insurgentem concupiscentiam) sit peccatum mortale. Et quia venerea quantumcunque licita, quum cogitantur, annexam habent concupiscentiã carnis, motúsque qui etiam non præcipiente intellectu insurgunt (vt experientia testatur) ideo si viduæ delectatio periculum habet annexum pollutionis aut ruinæ animæ ad aliquem prauum consensum huiusmodi delectationum annexarum (vt communiter videtur accidere voluntariè immorantibus in memoriis talibus) retinetur cuitare huiusmodi memoriam, sicut tenetur fugere huiusmodi pericula. Sine his tamen, huiusmodi memoriæ communiter sunt peccata venialia: quia carent pia necessitate & vtilitate.

DVBIVM III.

¶ An voluntaria delectatio de visa pulchra muliere, sit computanda inter peccata mortalia delectationis morosæ.

TERTIVM est, An voluntaria delectatio de visa pulchra muliere, sit computanda inter peccata mortalia delectationis morosæ. Et est ratio dubij, quia simile videtur iudicium de delectatione omnis sensus: sed voluntaria delectatio de muliere tacta, spectat ad delectationem morosam, ergo & de visa.

¶AD HOC dicitur, quòd quum nulla sensatio naturalis sit secundum se peccatum (quoniam est à natura ipsa, cum consequente delectatione) proculdubio nisi mulieris visus aut tactus sit mortaliter malus, delectatio voluntaria de ipsa visa aut tacta non est mala. Verùm inter tactus & alios sensus est quo ad propositum differentia in hoc quòd visus mulieris pulchræ secùdum seipsum delectabilis, non est libidinosus nisi ex parte videntis ad malum ordinetur: tactus autem per oscula & amplexus, vt est secundum tactum talem delectabilis, est libidinosus, sicut & concubitus, nisi coniugij bono honestetur. Quoniam delectatio sensibilis secundum quendam tactum, scilicet oculorum, amplexum & huiusmodi, est secundum se à natura ordinata ad venerea: delectatio autem visus non est secundum se ad hoc ordinata, hinc enim fit, vt illa ob solam delectationem exercitata sint libidinosa: visus autem minimè. Et propterea sicut sensibilis delectatio oculorum, &c. extra coniugium illicita est, & secundum se mortalis (vt in commentariis præcedentis libri diffuse declaratum est) ita voluntaria delectatio de huiusmodi cogitatis, mortale peccatum est delectationis morosæ. Et per oppositum, quia videre mulierem pulchram, non est secundum se ordinatum ad venerea, ideo delectabiliter videre mulierem pulchram, & ex suo genere nullum est peccatum: ac per hoc delectabiliter cogitare de visa muliere pulchra nisi otiosè vel ob malum fiat, peccatum nullum est. Et hæc similiter intellige de huiusmodi actibus secundum se: nam secundum annexa pericula iudicandum est iuxta canones periculorum: multi enim ex aspectu mulierum corruerunt: vt patet de Dauid, &c.

¶ET HÆC Sufficiant pro hoc libro super tertia parte diui Thom. ac per hoc pro commentariis integris super tota summa eiusdem: ad gloriam in primis omnipotentis Dei, deinde ipsius diui Thom. vtilitatem autem Ecclesiæ. Sub correctione sanctæ sedis Apostolicæ (in qua nunc sedet Leo decimus Pontifex Maximus) cui & scripta & scribenda omnia submissa semper esse volo. Romæ die 19. Decembris. Anno Christianæ salutis millesimo quingentesimo vigesimo, ætatis autem meæ quinquagesimo secundo, Amen.

AD REVERENDISS. AC ILLVSTRISS. D. D. IVLIVM MEDICEM S. ROM. ECC. PRESBYTERVM CARDINALEM, AC VICECANCELlarium, Tractatus de Indulgentiis, Thomæ de Vio Caietani, Cardinalis Sancti Xysti.

PROLOGVS.

SATIS constat, pater amplissime, inter eos thesauros qui ab apostolicæ potestatis throno ad animarum salutem per Ecclesiam diffunduntur, nequaquam in extremo loco ponendas esse remissiones illas, quas trito iam nomine indulgentias appellamus. De quarum vi quum varias & pontificij iuris & theologiæ professorum opiniones esse animaduerterem, libuit mihi pro mea consuetudine qui omnes meas lucubrationes ad Ecclesiæ vtilitatem semper contuli, pro virili mea: id quoque in summam compendiúmque redigere: quid illud denique sit quod tanquam ratum certúmque de huiusmodi remissionibus habeamus. Nostrum verò de hac re opusculum tibi iure optimo dedicandum censui, tum sequutus illorum morem qui principibus viris integritate, prudentia, fortitudine ac magnanimitate excultis (qualem te esse omnes gaudemus) libros suos nuncupare præsestiunt: vt sub illorum auspiciis honestati, gratiores in vulgus prodeant. Tum quia sanctissimi Domini nostri Leonis x. benignitate, in sacrum Rom. Ecclesiæ Senatum ascitus, inclytæ familiæ vestræ in vniuersum, ac seorsum & singulis vestrum, tibique præsertim (quem præcipuum mihi patronum dominúmque elegi) & meipsum, & omnes ingenij mei fœtus dedicandos esse cognosco. Addo etiam quòd quum tu Rom. Ecclesiæ vicecancellarius diuo suffectus sis Laurentio, cuius est officium sedis Apostolicæ tractare thesauros, ac dispensare: iure quodam suo nostrum hunc libellum, in quo agitur de spiritualibus Ecclesiæ thesauris, vt patronus ac præses tibi vendicas & ascisci. Oro itaque amplitudinem tuam, vt ea benignitate munus hoc quoque meum accipias, qua & meipsum maximo tuo beneficio honestatum dignatus es in clientelam accipere.

TRACTATVS DECIMVS quintus de Indulgentiis, in Decem Capita diuisus.

1 *Quæ à Prisci constant de indulgentijs.*
2 *Quid sit indulgentia.*
3 *Obiectiones contra assignatam indulgentiæ definitionem.*
4 *Quæstiones tres contra assignatam definitionem indulgentiæ.*
5 *Soluuntur obiectiones in tertio cap. positæ, num indulgentiæ spectent ad iurisdictionem.*
6 *Solutio obiectionum 3. cap. num indulgentia sit absolutio.*
7 *Solutio obiectionis 3. cap 1. quod indulgentia sit de iniunctis pœnitentijs.*
8 *Responsio ad quæstionem de indulgentijs causa 4. cap. posita.*
9 *Responsio ad secundam quæstionem de tempore veræ pœnitentiæ cap. positam.*
10 *Responsio ad tertiam quæstionem 4. capit. positam de tempore confessionis.*

CAP. I.

¶ Quæ à prisci constant de indulgentijs.

DE ORTV Indulgentiarum, si certitudo haberi posset, veritati indagandæ opem ferret: verùm quia nulla sacræ Scripturæ, nulla priscorum doctorum Græcorum, aut Latinorum autoritas scripta hunc ad nostrã deduxit notitiam: sed hoc solùm à trecentis annis Scripturæ commendatum est de vetustis Patribus, quod beatus Greg. indulgentias stationũ instituit, vt in 4. sen. diui Tho. habetur. Longè siquidem post Greg. legimus, quòd quidam indiscretas & superfluas indulgentias dabant: vt Innoc. 3. in ca. quum ex eo. extra de pœ. & re. dicit. Et per 40. forte annos ante ab Alex. 3. propositam de indulgentiis datis ab Episcopis quæstionẽ solutam inuenimus ibidẽ in c. quod autem. Ex verbis quoque Inno. 3. in c. excommunicamus. extra de hære. §. catholici. apparet cõcessam fuisse indulgentiam euntibus in subsidium Terræ sanctæ. Et quamuis non inueniatur in iure, indubie tamen tenetur cruciatæ expeditionem sultam fuisse indulgentia plenaria. & hoc haberi dicitur in parte decisa decretalis ad liberandum. extra de Iudæis.

¶Ex his autem textibus nõ solùm habetur, quòd indulgẽtiarum gratia antiqua est in Christi Ecclesia, & non noua adinuentio, sed habentur clarè quatuor. Primò, quòd dare indulgẽtiam alicui est illum absoluere. Secundò, q̃ ista absolutio spectat ad forum pœnitentialem. Tertio, quòd ista absolutio est à pœnitentijs iniunctis. Quartò, quòd quandoq; sunt indiscretæ. Et primum quidem eorum habetur expressẽ in dicto cap. quod autem. ab Alex. 3. respondere Archiepiscopo Cantuarien. quòd quia nullus potest ligari, aut solui à nõ suo iudice, ideo indulgentiæ cõcessæ ab aliquo episcopo, non se extendunt ad non subditos sibi nisi de cõsensu proprio iudicum. Hæc enim responsio clarè docet q̃ quia indulgentia est absolutio, ideo à proprio iudice vel de consensu proprij iudicis ab alieno potest fieri tantùm. Reliqua verò tria habentur ex Concilio generali sub Inno. 3. in ca. quum ex eo. extra de pœ. & re. Quòd enim spectet ad forũ pœnitentialem inde habetur: quia ibi dicitur, quòd eneruat pœnitẽtialem satisfactionem indiscretæ indulgentia. Quòd ab iniunctis liberet pœnitentijs, clarè ibi habetur: & similiter, quòd superfluè & indiscretè quandoque fiant.

Cap.

CAP. II.

¶ Quid est indulgentia.

PRINCIPIVM Igitur inuestigandæ quidditatis indulgẽtiæ ex his quæ cõstant sumẽdo, ab illius stabilito genere ex sacris canonibus ordinamur. Et dicamus, q̃ indulgentia est quædam absolutio: nisi enim per se & propriè indulgentia absolutio esset, non reddidisset per se rationem ius, quare indulgentia non prodest non subdito: quia ligari absoluive non nisi subditus potest. Si enim ratio est per se, oportet indulgentiam consisterein absoluendo aut ligando: constat autem q̃ indulgere non est ligare: igitur est absoluere. Necessarium est autem asserere rationem canonis esse per se: quia ea quæ sunt per accidens, repelluntur à qualibet scientia. Est igitur Ecclesiastica indulgentia (colligendo omnia certa ex sacris canonibus) absolutio ab iniuncta pœnitentia in foro pœnitentiali. Et quanuis prima facie videantur hæc non sufficere ad indulgentiæ diffinitionem: scrutando tamen singula subtilius, apparebit sufficiens. Differt siquidem imprimis indulgentia ab omnibus priuatis actionibus ex genere, sub quo continetur absolutio: est enim absoluere sicut & ligare actus iurisdictionis. Et ex hoc indulgentia differt tam ab actionibus priuatis (puta quum vnus orat, aut facit pœnitentiam pro alio aut seipso) quàm ab actionibus communibus personis publicis & priuatis: puta cõpensatione vnius ad alterum, aut subuẽtione dando alicui pretium, vnde soluat creditori. Nullus siquidem horum actuum est actus iurisdictionis: quilibet enim absq; quacunq; iurisdictione potest huiusmodi actus exercere, nõ solũ in profanis, sed etiam in proposita materia: vt enim in 4. sent. Theologi dicũt: Vnus homo existens in charitate, potest facere pœnitentiã & satisfacere pro altero in charitate existẽte. Quod Ecclesiæ cõsuetudine approbatur, ieiunia aliaq; opera satisfactoria esse pro pœnis debitis animabus in purgatorio existẽtibus affirmante, si pro illis à personis in charitate existentibus fiãt: vbi patet opera satisfactoria priuatarũ personarũ absq; vlla iurisdictione Ecclesiastica compensari pro pœnis animarũ quæ purgantur, & pro pœnitentiis illis iniunctis satisfacere: & est quasi pretium q̃ priuatæ personæ animabus donant, vnde quasi soluant & liberentur. Differt deinde indulgentia, ex hoc, quod non est quicunque iurisdictionis actus, sed talis, scilicet absolutio, ab actu distributionis, quo curã habẽs boni cõmunis distribuit illud partibus eiusdem communitatis: vt quũ distribuit princeps, aut cõmunitas honores Reip. inter ciues. Absolutio enim est actus iudicis ad vnũ subditũ nulla habita ratione æqualitatis ad alterũ, vt patet etiã in hac materia, quum datur indulgentia alicui vni: quod quotidie per cõfessionale aut indultum fit. Distributio autẽ vt patet 5. Ethic. fit secundum æqualitatem proportionalem: quæ sine ratione ad alterum fieri non potest vni quũ hoc intelligi non possit: vnde quum vnus tantũ quandoq; honoratur in Rep. si iusta distributione honor talis illi defertur, rationẽ illius habere ad alios est necessarium: & quantò aliis præstat simpliciter vel tunc, quo ad hoc, tantum nunc honoratur. Monstratur quoq; ex hoc, quòd indulgentia est absolutio, & effectiua illius causa, scilicet iudex: actus enim iurisdictionis operatio est iudicis: & per hoc mõstratur requiri tam autoritatẽ in date indulgentiã (non enim est iudex sine autoritate) quàm rationem: non enim pro libito, sed ratione suadẽte absoluit, aut ligat iudex nisi cuius voluntas lex est: quod soli Deo conuenit. Et materialis, scilicet subditus, in quem exercetur: non enim absolui potest nisi subditus: vt Alex. 3. ad hoc propositum in alia to canone dixit. Sed materia circa quã exercetur per subiunctã particulam monstratur, quum subiungitur, ab iniuncta pœnitentia. Est siquidẽ indulgentia subditi absolutio quo ad iniunctã sibi pœnitẽtiam non in foro contentioso, sed pœnitentiali, ita q̃ly, in foro pœnitentiali determinat duo, scilicet absolutionẽ & iniunctam pœnitentiam. Et est sensus q̃ indulgentia est absolutio in foro pœnitẽtiali à pœnitentia iniuncta in foro pœnitentiali. Etenim indulgentia, quia actus est iudicis, ad aliquẽ forum spectat, liquet autem q̃ nõ contentiosi est fori, pœnitẽtialis igitur erit. Et hinc patet qualitas iudicis: forus enim pœnitentialis ad ecclesiasticum tantũ iudicem spectat: & propterea ecclesiasticum oportet esse iudicẽ, qui indulgentiã concedit. Verùm quum pœnitentialis absolutio secetur in eam, quæ est ordinis, quæ sacramentalis est (vt pote sacramentum pœnitẽtiæ perficiẽs sacerdotis ministerio) & eam quæ est iurisdictionis tantum, quæ à legatis & electis tantum pontificibus exercetur: & illa directè & per se primò culpã respiciat (est enim absolutio ab ipso peccato) ista autem culpa remissionẽ præsupponat, & pœnam peccato debitam respiciat, non quamcunq;, quia non pœnam æternam (non enim liberat indulgentia à pœna inferni) sed temporalem: quæ hic, aut in purgatorio exoluenda pro commisso peccato est: ideo ad differentiam sacramẽtalis absolutionis remittentis culpam & æternitatem pœnæ subiunctum est in diffinitione, ab iniuncta pœnitentia: iniuncta siquidem in foro pœnitentiali, pœnitentia non nisi tẽporalis esse potest, & remissionem culpæ præsupponit. Monstratur nihilominus ex eadem particula qualitas subditi, cui confertur indulgentia: quòd scilicet sit verè pœnitens & confessus. Nam quia in sacramento pœnitentiæ non ligat ad pœnam sacerdos, iniungendo pœnitentiam, nisi absoluendo à culpa: & prius natura absoluit, quàm ligat (quia obligatio ad pœnam temporalem supponit remissionem culpæ, absolui autem à culpa ab ecclesiastico iudice nullus potest nisi verè pœnitens & confessus) ideo ex hoc ipso, quòd indulgentia est absolutio à pœna iniuncta in foro pœnitentiali, monstratur quòd recipiens indulgentiam debet esse verè pœnitens & confessus: attestante consueta forma indulgentiarum: in qua dicitur verè pœnitentibus & confessis. Differt demum indulgentia à remissione pœnarum iudicialium ad forum contentiosum spectantium per eandem particulam: scilicet iniuncta in foro pœnitentiali: indulgentia siquidem non liberat à pœnis iniunctis in foro contentioso, & vsque adeo ab illis elongatur, vt diuus Thomas propterea dicat, religiosos per indulgentiam non liberari à pœnitentiis sibi iniunctis in capitulo, à suis prælatis. Ex quibus omnibus apparet, quòd diffinitio indulgentiæ collecta ex sacris canonibus, cuncta complectitur quæ ad rationem indulgentiæ concurrunt. Est igitur Ecclesiastica (de qua est sermo) indulgentia, absolutio à pœnitentia iniuncta in foro pœnitentiali.

CAP. III.

¶ Obiectiones contra assignatam rationem indulgentiæ.

QVÆSTIO.

¶ Num dare indulgentiæ spectet ad iurisdictionem.

HABET Autem dicta diffinitio indulgentiæ difficultates multas & obiectiones, contra tria in illa contenta.

¶Contra illud in primis dictum: scilicet, dare indulgentias est actus iurisdictionis, opponitur à Durando in quarto sent. dist. 20. Tum quia iurisdictio exerceri potest in inuitum: indulgentiam autem nullus consequi potest inuitus. Tamẽ quia nullus potest vti actu iurisdictionis, in seipsum: indulgẽtia autem aliis data potest concedens vti sicut alij. Ab aliis verò: tum quia Archiepiscopus potest in tota sua prouincia indulgentias dare, vt patet in cap. nostro. extra de pœn. & re. & tamen constat Archiepiscopum non habere nisi in articulis quibusdam potestatem in subditos suffraganeorum: extra de offi. or. cap. pastoralis. Tamen quia indulgentiæ dantur etiam defunctis existentibus in Purgatorio: qui à iurisdictione Ecclesiæ sunt exẽpti, vtpote extra hanc vitam; & quos ecclesia non potest ligare, cui data est potestas ligandi atque soluendi super terram tantùm.

QVÆSTIO.

¶ Num absolutio potius quàm distributio, vel compensatio sit indulgentia.

¶CONTRA aliud deinde dictum, scilicet quòd indulgentia est absolutio, non compensatio, aut distributio, opponitur communis tam theologorum, quàm canonistarũ doctrina, canonizata à Clemente 6. in extrauaganti, vnigenitus. de pœn. & re. decernentium indulgẽtias fieri per modum distributionis, & compensationis, seu solutionis. Dicunt enim quòd thesaurus Ecclesiæ, in quo sunt recondita merita Christi & sanctorum, quatenus satisfactoria sunt non pro seipsis, distribuitur per indulgẽtias in Christi fideles, ita quòd pœnitentiæ nostræ compensantur per pœnas Christi & sanctorum, dum ex thesauro illo conceditur cuique quasi pretium pœnale, vnde soluat Deo debitam, pro suis peccatis pœnitentiam. Hæc autem patet contrauenire sententiæ, qua dicitur, quod indulgentia est absolutio: quum longè distet actus absolutionis iudicialis ab actibus his: quoniam isti actus omnes sunt actus non iudicij proprij, sed communes tam publicis quàm priuatis personis, exceptis distributionis actu, cuius tamen differentia ab absolutionis actu clarè liquet. Opponitur quoque, quòd ex illo canone Alexandri 3. non habetur nisi quòd dare indulgentiam est actus iurisdictionis in subditum: quòd quidem potest verificari ponendo, quòd est actus dispensationis, seu distributionis. Nam hic actus est iurisdictionis, & super thesaurũ dispensandum & super eum, cui communicatur: quia commune bonum non nisi in partes communitatis distribuendum est: & sic ruit tota diffinitio assignata. Potest quoque & aliter exponi canon ille vt intelligatur causaliter indulgentiam esse absolutionem, quia causat absolutionem, dispensatio nanque thesauri dicti causat in illo, cui communicatur, absolutionem à pœna peccato debita, & à sacerdote iniuncta. Et sic redit ruina diffinitionis.

QVÆSTIO.

¶ Num indulgentia sit absolutio ab iniuncta pœnitentia.

¶CONTRA tertium demum dictum (scilicet ab iniuncta pœnitentia) obijcitur. Tum quia diuus Thomas cum multis theologis & canonistis dicit indulgentiam liberare hominem ab iniunctis, & non iniunctis, pœnitentijs.

¶Tum quia indulgentiæ tantùm valent quantum sonat: vt communiter tenetur: constat autem, quòd in plenariis indulgentijs non fit mentio de iniunctis. Tum quia indulgentiæ, quæ dantur

pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro defunctis,non dantur pro iniunctis: nam non præsupponitur iniunctas eis pœnitentias non perfeciſſe, eos qui ſunt in purgatorio. Tum quia quum pœnitentiarius Romæ iniungeret pœnitentiam plenariam indulgentiarum conſequutus, accepit mandatum à Papa, vt non iniungeret pœnitentiam: vt refert Petrus de Pal.in 4.ſent.diſt.20.quæſt.4.in calce. Tum quia in forma plenariæ abſolutionis, quæ conceditur in morte, continetur reſtitutio ad innocentiam baptiſmalem, quæ non eſſet verè efficax, ſi ab iniuncta tantum pœnitentia abſolueret.

CAP. IIII.

¶ Quæſtiones tres circa aſſignatam diffinitionem indulgentiæ.

QVÆSTIO.

¶ Num quæuis cauſa indulgentiæ ſit etiam cauſa quantæcunque.

SVNT Præterea circa dicta in ſuprapoſita diffinitione indulgentiæ tres quæſtiones. Prima omniũ difficillima eſt circa cauſam effectiuam indulgentiæ. Dictum eſt enim, quòd oportet dantem indulgentiam fultum eſſe autoritate & ratione. In dubium autem non paruũ vertitur, an quælibet rationabilis cauſa dãdi indulgẽtiam, ſit etiam rationabilis cauſa quantæcunq; indulgẽtiæ: an potius quædã ſit rationabilis cauſa tãtæ indulgẽtiæ (puta vnius anni) quæ nõ eſſet rationabilis cauſa multò maioris indulgẽtię, puta viginti millium annorum. Eſt autem ratio ambiguitatis quia pro prima parte, hoc eſt ꝙ cauſa legitima indulgentiæ eſt etiam ſufficiens cauſa quantæcunq; indulgẽtiæ, extat autoritas diui Tho. in 4.ſent.diſt.20.expreſſe dicentis, ꝙ indulgẽtiæ ratio ſeu cauſa non exigitur ad menſurandam indulgentiam. Et probat hoc: quia eadem ſtante ratione Eccleſia modo maiorem, modo minorem dat indulgentiam. Et tandem dicit, ꝙ licet dans indiſcrete indulgentias, ita vt homines pro nihilo ab operibus pœnitẽtię retrahãtur, peccet, nihilominus conſequuntur homines plenã indulgentiam datam. extat (& quam continua experientia Romæ docet autoritas Eccleſiæ) dantis indulgentiam plenariam pro ſola viſitatione alicuius Eccleſ. ſine manibus adiutricibus: & in die ſancto Paſchæ data benedictione à Papa ſuper plateas S. Petri. pronuntiant duo Cardinales indulgentiam plenariã omnibus præſentibus. Si enim hæ cauſæ ſunt legitimæ cauſæ indulgentiæ plenariæ, nulla reſtat cauſa pia tã parua, quæ nõ ſit legitima cauſa quantæcunq; indulgentiæ. Extat & autoritas veritatis eccleſiaſticæ: ſecundum quam oportet indulgẽtias tantũ valere quantum ſonant: cõſtat autem, quòd ſonant ex quacunque cauſa etiam plenariã indulgentiam.

¶IN OPPOSITVM Autem eſt: quia à ratione diſſonat indulgentiam exigere vltra autoritatem in dante & charitatem in recipiente, rationabilitatem in cauſa, ita quòd ſine legitima cauſa indulgentia eſt nulla, & tamen quantitatem indulgentiæ non exigere aliquid ex parte legitimæ cauſæ.

¶ Contra quoq; rationem eſt, quòd poteſtas Eccleſiæ quæ non niſi miniſtri & diſpenſatoris eſt, nulla ratione diſpenſandi vtatur in quãtitate tã pretioſi theſauri. Et cõfirmatur: quia ſi in prophanis poſſunt Eccleſiæ miniſtri ita diſpenſare, vt diſpenſatio ſit nulla (vt ſi Papa donaret totũ ſtatum tẽporalem Eccleſiæ filio ſuo, quamuis eſſet rationabilis cauſa donãdi ſibi aliquid) multò magis videtur ꝙ errare poſſit in diſpenſando theſaurũ ſpiritualiũ bonorum, ita vt diſpenſatio ſit nulla. vtriuſq; enim eſt diſpenſator nõ dominus, in ædificationem corporis Chriſti myſtici, non illius diſſipationem. Accedit ad hoc autoritas apoſtolica Clemẽtis 6. in dicta extrauagante, vnigenitus: de autoritate data à Chriſto diſpẽſandi hunc theſaurum, dicentis, Quem quidem theſaurum per beatum Petrum cæli clauigerũ, eiúſque ſucceſſores ſuos in terris vicarios commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandũ: & propriis & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ tam generaliter, quàm ſpecialiter prout cũ Deo expedire cognoſcerent, verè pœnitentibus & confeſſis miſericorditer applicandũ. Vbi patet ꝙ non ſolùm rationabiles, ſed proprias oportet eſſe cauſas quãtitatis indulgentiarum.

QVÆSTIO.

¶ Num & quomodo, & quando pœnitentia ſit neceſſaria pro conſequenda indulgentia.

¶SECVNDA Quæſtio eſt, an vera pœnitentia exigatur tempore, quo indulgẽtia cõceditur, aut opus exercetur, an extẽdatur ad tẽpus aliud, quo quis vult illa indulgẽtia vti. Verbi gratia quo ad conceſſionẽ, dat Papa quinque annos de indulgentia omnibus præſentibus, quum infrà miſſam in capella ſua ſingulis diebus do minicis aduentus & quadrageſimæ abſolutionem facit, ſi teneor tunc eſſe verè pœnitens, an ſufficiat quòd intendo verè pœnitere: & tunc, vt iſta indulgentia quinque annorum: Et ſimiliter quo ad exercitium operis, dat Papa quòd dicẽs ſeptem Pſalmos, vel dans tantam eleemoſynam, habeat plenariam remiſſionem ſemel in vita & ſemel in mortis articulo, an teneatur eſſe verè pœnitens tempore quo dicit ſeptem Pſalmos, aut dat eleemoſynam.

¶TERTIA Quæſtio eſt, an oporteat eſſe cõfeſſum, ita quòd nullum ſit in conſcientia mortale peccatum cõmiſſum non confeſſum tempore, quo acquirit quis, & vtitur indulgentia, an ſufficiat eſſe confeſſum ſecundum præceptum Eccleſiæ: hoc eſt ſemel in anno. Et eſt ratio dubij: quia hinc apparet quòd verba iudicum ſunt ſecundum iura interpretãda, ac per hoc quòd ſunt illo anno confeſſi. Inde verò apparet, quòd ſi non requireretur confeſſio alia ſufficeret dicere pœnitentibus: quoniam in vera pœnitentia elauditur propoſitum obſeruandi præcepta Chriſti & Eccleſiæ.

CAP. V.

¶ Soluuntur obiectiones in 3. cap. poſitæ, contra hoc, quod dare indulgentiam, eſt actus iuriſdictionis.

NON EST Autem difficile ad obiecta, primò contra aſſignatã diffinitionẽ reſpondere. Falſum nanq; eſt quòd Durandus dicit, omnem iuriſdictionis actũ poſſe in inuitũ exerceri, quum abſolutio ſacramentalis ſit actus non ſolũ ordinis, ſed iuriſdictionis (vtpote à non proprio iudice ordinario, vel delegato facta nulla exiſtens) & tamen non poteſt exercereri in inuitum. Sed ꝙ nullus poſſit exercere actũ iuriſdictionis in ſeipſum abſoluẽdo & ligando ſe, verũ eſt: & propterea licet alij aliter ſentiant, concedo ego, quòd dans indulgentiã aliis, non acquiritillã: quia abſoluẽs alios, nõ abſoluit ſe. Nec tamẽ eſt deterioris cõditionis, quàm alij, quia & ſi non per iſtã viam: per aliam viam poteſt eandẽ indulgentiam conſequi, ſcilicet cõmittendo cõfeſſori ſuo: vt ſic abſoluat ipſum, ſicut ipſe abſoluit alios: hoc enim modo Papa ſubiicit ſe abſolutioni ſacramẽtali, & ſimiliter indulgentiæ eadẽ ratione Archiepiſcopi quoque poteſtas ſuper totã prouinciã ex hoc ipſo, ꝙ in quibuldã articulis affirmatur, manifeſtatur extẽdi ad dandas indulgentias in tota ſua prouincia: quandoquidẽ ille eſt vnus illorũ articulorũ, qui in iure numerãtur: vt Panor. ibidem ſcripſit. Defunctos autẽ in purgatorio exiſtentes, extra iuriſdictionem Eccleſiæ quidam negãt: eo quòd ſicut ſunt mediji inter nos & beatos (dum nos viatores ſumus quo ad meritũ, vel demeritum, & quo ad pœnam & præmiũ, & beati extra viam totaliter ſunt: qui purgantur autẽ quo ad meritũ, vel demeritũ extra viam, ſed quo ad pœnam, vel præmium in via adhuc ſunt) ita ſunt quodãmodo ſubditi vicario Chriſti viatoribus dimiſſo: vt ſicut quo ad punitionẽ adhuc ſunt in via ita quo ad releuationem à pœna adhuc ſubſunt iudici viatorũ. Sed hæc opinio multa vera dicẽs non infert efficaciter in tantum: plus enim requiritur ad ſubditum iudici viatorum, quam adhuc participare aliquid de via. Exigitur enim ꝙ poſſit cauſa ſua quantũ ad illud quod ſapit viæ, cognoſci à iudice viatorum: nullus enim poteſt eſſe iudex cauſæ omnino incognoſcibilis ab ipſo: cõſtat autẽ à Papæ cognitione omnino eſſe alienas cauſas exiſtentiũ in purgatorio: & ideo patet Papã nõ poſſe abſoluere, aut ligare exiſtentes in purgatorio. Manifeſtatur quoq; hoc idẽ ex verbis Domini: limitãtis Petri poteſtatem ſuper terram: ita ꝙ licet effectus poteſtatis Petri penetret cælos, dicente Domino, Erit ligatum aut ſolutũ in cælis: iuriſdictionis tamen actus terminatur ad hoc, vt ſit ſuper terram dicente Domino, Quodcũq; ſolueris, aut ligaueris ſuper terrã. Scriptura autem ſacra mortuos non eſſe ſuper terrã vocat: vt patet Gen. 42. vbi de Ioſeph tanquam de mortuo loquentes fratres & pater, introdueuntur dicentes, ꝙ non eſt ſuper. Purgatoriũ rurſum nõ ſuper, ſed ſub terra eſſe ex eo patet ꝙ Chriſtus deſcendit ad inferos: vbi erat limbus Patrũ: neq; enim fas eſt credere ꝙ de purgatorio exeũtes animæ ante Chriſti mortem: & ad limbũ Patrum euntes, ad inferos à ſuperis deſcẽderint: ſed econtra ex inferno inferiori ad infernũ ſuperius aſcenderent: quum etiam ſecundum Philoſophos loca quantò ſuperiora, tanto nobiliora ſint. Quocirca nõ dat Papa defunctis indulgentiam autoritatiuè abſoluendo, ſed per modũ ſuffragij. quod etiam ipſæ Apoſtolicæ literæ atteſtantur, clarè apponentes iſtam clauſulam, per modum ſuffragij, quum pro defunctis dantur indulgentiæ. Et potes videre quòd ex hoc ipſo diuerſo modo dandi indulgẽtiam viuis & defunctis, inſinuatur intentum: nam ex eo quòd non audens Eccleſia defunctis autoritatiuè remittere pœnas ſicut viuis, ſuffragantis perſonã induit, concedendo defunctis indulgentiam, monſtratur quòd indulgentia ſimpliciter & abſolute remiſſio eſt autoritatiuè ab Eccleſia facta. Niſi enim eſſet autoritatiua remiſſio, ex applicatione eccleſiaſtici theſauri non oporteret ad ſuffragij modum deſcendere, quum ad defunctos extenditur: quibus Eccleſia non niſi ſuffragari poteſt.

CAPVT VI.

¶ Solutio obiectionum in tertio cap. contra hoc quod indulgentia eſt abſolutio.

AD EVIDENTIAM autem ſpecificæ naturæ ipſius indulgentiæ oportet noſſe duo cõcurrere ad indulgentiã, abſolutionem à pœnitentia iniunctã & diſpenſationem ſpiritualis theſauri, applicando pœnam Chriſti & ſanctorum ad hunc, cui datur indulgẽtia. Et primum quidem probatum eſt ex canone Alex. 3. ſecundũ autem non ſolùm ex cõmuni Sanctorum doctrina, ſed ex allata extrauagante Clementis ſexti patet. Verũ multũ intereſt ad naturã indulgẽtię cognoſcẽdã, an primũ indulgẽtia ſit abſolutio, an diſpẽſatio. Nã ſi indulgẽtia primò cõſiſtat in abſolutione, diſpẽſatio theſauri accelſo

acceſſoriè concurrit ad indulgentiam: vt quia Eccleſia non poteſt liberè relaxare debitam Deo pœnã pro peccato in illum cõmiſſo, ad hoc, vt remiſſio ſua ſit efficax: iungit abſolutioni diſpenſationem pœnarum ſolutarũ à Chriſto & Sanctis, applicando aliquid earum huic, & aliquid illi: vt ſic & remiſſio ſiat efficax ex adiuncta ſatisfactione Chriſti & Sanctorũ pro iſtis quibus indulgentia datur, & Deo debita pro peccato pœna exoluta inueniatur. Si autem primùm indulgentia ſit diſpẽſatio prædicti theſauri, abſolutio ab iniuncta pœnitẽtia acceſſoriè cõcurrit ad indulgentiã: ex eo nanque ꝙ applicatur mihi per indulgentiam tantum de pœna reconditam theſauro, ſequitur ꝙ ſum abſolutus ab æquiualenti pœna, quam debebam Deo pro peccatis meis exoluere. Quid autem horum verius ſit, non ex ratione, ſed ex facto pendet. nã rationi conſentaneum eſt, quòd Eccleſia vtroq; modo poteſt indulgentias facere: ſed an de facto indulgentias altero tãtum, & quo aut vtroque modo faciat, ſcire oportet ſi indulgentię natura cognoſcenda eſt. Apparet autẽ prima facie inſpicientibus doctores & dictã extrauagantem Clementis, primũ in indulgẽtia locũ tenere, diſpenſationem Eccleſiaſtici theſauri, & abſolutionẽ acceſſoriè comitari. conferenti verò poſteriores indulgentias priſcis, apparet Eccleſiã olim feciſſe viã indulgentiis principaliter per modũ abſolutionis, quã neceſſariò comitatur diſpenſatio theſauri: à tempore autem Bonifacij 8. primi autoris perennis Iubilęi vſam fuiſſe, principaliter indulgẽtiis, diſtributione theſauri: & comitãter abſolutione à pœnitẽtia: quoniã tãta abundãtia indulgentiarũ plenariarũ quanta vix credi poteſt paſſim data: ſuper hoc fundari videtur. Et ſecũdum hoc diffinitio indulgentiæ collecta ex ſacris canonibus, quã aſſignauimus, nõ eſt diffinitio indulgẽtiæ quæ modo ſit ab Eccleſia Ro. ſed illius quæ olim fiebat: quoniã ſacri can. loquũtur de indulgentia, quæ erat cõſueta in Eccleſia, & nõ de illa, quæ poterat inueniri de nouo. Sunt enim diuerſarũ rationũ iſtæ & illæ quo ad naturas: quãuis ſint vnius & eiuſdem rationis quo ad vltimũ effectum qui eſt remiſſio pœnæ temporalis debitæ pro peccato. Et ſic dicẽdo cõcordia fieret inter noua & vetera. Sed hæc opinio ponẽs de facto indulgẽtias diuerſarũ rationũ in Eccleſia, diſſonat ab vſu Eccleſiæ & Doctorũ. nã Bonifacius ipſe 8. indulgentiã Iubilæi inchoat ab indulgentiis magnis cõceſſis à prioribus, manifeſtãs per hoc ſe ſectari veſtigia prædeceſſorũ. Rom. quoq; Pont. in hodiernum vſq; diem indulgẽtias tot annorũ, adiũctis tot quadragenis dando coram ſe in capella põtificia, teſtantur apertè ſe modo priſcorũ dare indulgentias: & apponendo ſemper explicitè clauſulã illã ſcilicet, In forma Eccleſię cõſueta, nulli dubitationi relinquit locũ ꝙ antiquam intendunt ſequi indulgentiæ formã, & non inducere indulgentiã alterius rationis. Doctores quoq; omnes ſiue Theologi ſiue Canoniſtæ quantũ hactenus memini me vidiſſe, de indulgẽtia, vt de vna quadã eccleſiaſtica actione, & nõ vt de actionibus diuerſarũ rationũ tractãt. Vnde vnius rationis de facto eſſe indulgentiã nunc & olim colligimus: & ipſam primò eſſe abſolutionẽ comitatã applicatiõe theſauri ad hũc, cui datur indulgẽtia, & nõ ecõtra: hoc eſt ipſam eſſe applicationẽ theſauri ad hunc comitatã abſolutione ipſius canõ ſæpe dictus Alexandri 3. monſtrat & cõuincit. Nã ſi principaliter natura indulgẽtiæ cõſiſteret in diſpẽſatione & applicatione theſauri eccleſiaſtici ad hũc poſſet Epiſcopus Bono. indulgentiã concedere alieno: quoniã ad cõmunicandũ alicui theſaurum non exigitur aliquis actus iuriſdictionis ſuper illũ, ſed ſufficit autoritas ſuper theſauri diſpenſatione: vt patet in diſpẽſatione theſauri temporalis. Abſolutio autem à pœna, per viã ſequelæ comitaretur abſq; aliquo alio actu iuriſdictionis: quia iam exoluiſſet pœnam debitam, ex pœna Chriſti & ſanctorũ ſibi communicata, ac per hoc alienus, qui ſolùm ad 40. dies pœnitentiæ teneretur, ab Epiſcopo Bonon. per indulgentiã 40. dierum ſic abſolueretur, ꝙ ſaltem corã Deo ad nullam pro peccato pœnam teneretur, cuius oppoſitum in canone habetur, dum dicitur, quòd alieno nõ prodeſt indulgentia niſi de conſenſu proprij iudicis. At ſi quis dixerit, quòd quia indulgẽtia liberat eum, cui datur pœna & corã Deo & coram proprio iudice, quia liberat ab iniuncta pœnitentia: & alienus Epiſcopus licet communicando pœnam theſauri non ſubdito pœnitentiam iniunctã pro illo exoluat corã Deo, nõ tamen corã proprio iudice, & ideo remanet ille adhuc ad pœnitentiã iniunctam obligatus corã proprio iudice (ſicut ſi ſine indulgentia aliqua per alia opera ſatisfactoria totam pœnam exoluiſſet peccatis ſuis debitã, & pœnitẽtiam iniunctam à ſacerdote non peregiſſet, remaneret obligatus in foro Eccleſiæ ad pœnitentiã iniunctam peragendam) idcirco Alexander 3. dicit quòd indulgentia non ſubdito nõ prodeſt, ſcilicet in foro Eccleſiaſtico, in quo iura fiunt. Aduertat ſic dicens quòd ſi indulgentiæ natura principaliter conſiſtit in cõmunicatione theſauri exoluẽtis pœnã corã Deo, & abſolutio iudicialis comes ponitur, nõ debebat conſultus Alexander reſpondere negatiuam ſimpliciter & abſolutè, dicendo ꝙ non prodeſt niſi de licentia proprij iudicis: ex quo oppoſitũ verum eſt ſimpliciter & abſolutè: quia vnaquæque res ſimpliciter & abſolutè iudicatur ſecundum ſuam naturam, & non ſecundum concomitantia. Imo hæc ipſa reſponſio monſtrat intentum: quia duobus concurrentibus ad indulgentiam (altero pertinente ad Eccleſiam & Deum, ſcilicet diſpenſatione & communicatione theſauri pœnam debitam exoluentis coram Deo: altero pertinente ad Eccleſiam tantũ, ſcilicet iniunctæ pœnitentiæ ſolutio in foro Eccleſiæ) ſi indulgentia eſt principaliter & eſſentialiter illa theſauri communicatio, debebat affirmari: quòd prodeſt non ſubditis, ex quo illã quo ad principale & eſſentiale cõſequuntur. Et quia negatum eſt illis prodeſſe, dicimus inde quòd indulgentia principaliter & eſſentialiter eſt abſolutio, quã quia non ſubditus cõſequi nequit, ideo indulgentia ab alieno nõ ſibi prodeſt tã quo ad Deum, quàm quo ad Eccleſiã. Et hic eſt planus ſenſus illius decretalis abſque extorſione aliqua vt patet intuẽti. Eſt igitur indulgentia qua de facto olim vſa eſt, & nunc vtitur Eccleſia vnius rationis: & eſt principaliter ac eſſentialiter abſolutio iudicialis in foro pœnitẽtiali, annexam habens cõmunionem theſauri paſſionum Chriſti & Sãctorum. Et confirmatur hoc ex forma plenariæ indulgentiæ, quando per viam commiſſionis fit. Conceditur ſiquidem quòd poſſit plenariè abſolui in vita & in morte: conſtat enim quòd non eſt ſermo de abſolutione ſacramentali, ſed ſpectante ad indulgentias: & cõſtat quòd per modum & verbum abſolutionis confertur. Et conſtat quòd eiuſdem eſt rationis indulgentia collata ſine miniſtro medio abſoluente, cùm Papa dat indulgentiam præſentibus, aut viſitantibus, &c. & quum per miniſtrũ medium concedit quòd ſemel in vita, & ſemel in morte plenariè abſoluatur. Tenet igitur abſolutio primùm in indulgẽtiæ ratione locum.

¶AD OBIECTA Igitur ex communi doctrina fulta autoritate multorũ Rom. Pontificum, dicitur, quòd non contrariatur doctrina hæc aſſignatę diffinitioni: quoniã non docet principaliter indulgentiã eſſe applicationem theſauri: ſed docet vnde eſt valor, & efficacia indulgẽtiæ ad remiſſionem pœnæ Deo debitæ pro peccato, videlicet ex theſauri ſpiritualis diſpenſatione. Et ad hanc efficaciã ſpectat modus ſolutionis, compẽſationis, diſtributionis, communionis, diſpẽſationis & ſimiliũ, quum dicitur quòd indulgentiæ valent, aut dãtur per modũ diſpenſationis, & huiuſmodi, & non ſpectant hæc ad principalẽ actum indulgẽtiæ, qui eſt iudicialis in foro pœnitentiali abſolutio: propter quem exigitur quòd indulgentia fiat à proprio iudice: & ſi eſt non à proprio iudice facta, nulla ſit: vt ex ſæpe dicti Alexãdri 3. canone patet. Nec ſuſcepit canon ille obiectam prius expoſitionem, ſcilicet, ꝙ indulgẽtia eſt diſtributio inter ſubditos: quoniã diſtributio arctata ad ſubditos vt partes cõmunitatis, eſt actus iuſtitiæ diſtributiuæ, exigẽs æqualitatem proportionalem in ſua forma: vt patet in 5. Eth. quod alienum conſtat eſſe ab indulgentia ex ipſo Eccleſiæ vſu tam moderno, quàm antiquo. Refutat quoque alteram dictus canon, deinde obiectam expoſitionem, ſcilicet quòd ſat eſt illi, quòd indulgẽtia eſt abſolutio cauſaliter: hoc eſt, quòd eſt diſpenſatio theſauri cauſans abſolutionem: quoniã ſi ſic eſſet, nõ eſſet opus proprio iudice ad conſequendam remiſſionem pœnæ, peccato debitæ ab alieno Epiſcopo indulgentiam concedente, quandoquidẽ abſolutio per viã ſequelæ comitaretur ex applicatione theſauri facta à potenti diſpenſare theſaurum. Diſpenſatio ſiquidẽ theſauri non exigit iuriſdictionẽ ſuper perſonis, quibus donatur, ſed ſuper theſauro: ſat enim eſt perſonis illis, vt ſint capaces cõmunionis illius, quæ quidem capacitas in propoſito conſiſtit in hoc, ꝙ homo ſit verè pœnitẽs & confeſſus. Vrgẽtq; tantò magis canon iſte, quantũ creditur indulgentiam valere ad remittendas pœnitentias non iniunctas: cõſtat enim ꝙ reſpectu non iniunctarũ pœnitentiarum nullus requireretur proprij iudicis conſenſus, ſi indulgentia eſſet eſſentialiter communicatio theſauri. Cõmunicato ſiquidem mihi ab alieno Epiſcopo theſauro, corã Deo ſoluiſſem, & coram proprio iudice non remanerẽ ligatus, quippe qui nõ eram ab eo ligatus ad aliquam iniunctam pœnitentiã. Quia igitur hoc eſt falſum, reſtat vt indulgẽtia ſit eſſentialiter abſolutio: cui annectitur diſpenſatio Eccleſiaſtici theſauri ad hoc, vt abſolutio à pœna, ſit efficax, non ſolùm quo ad Eccleſiã, ſed etiã corã Deo. Etſi perſpicaciter intuiti fuerimus ordinẽ manifeſtati vſus theſauri ad vſum indulgentiæ, videbimus ex eo intentum, ſcilicet quòd indulgentia eſt eſſentialiter abſolutio. Nam quum viderent Doctores Eccleſiam abſque ſacramẽtali medio remittere pœnas peccatis confeſſis debitas, nec ab eccleſia inſtructi eſſent quomodo hujuſmodi remiſſiones valerẽt, ſupponẽtes Eccleſiam abſoluere à vinculo remiſſionis, in varias inciderunt opiniones de efficacia huiuſmodi remiſſionis, ſeu abſolutionis: quibuſdã neſcientibus hunc Eccleſiæ militãtis theſaurum: opinãtibus abſolutiones has in foro tantũ militantis Eccleſiæ liberare à pœnitentiis, aliis non curantibus de hoc theſauro, putãtibus ex poteſtate data Petro poſſe Papã remittere liberaliter pœnas peccatis debitas, ita ꝙ nec hic, nec alibi oportet illas exoluere, aliis dicentibus, ꝙ abſolutio ſeu (quod idem eſt) remiſſio efficaciã habet etiã coram Deo exapplicato theſauro paſſionis Chriſti & Sanctorũ: quorũ dogma approbari meruit ab Apoſtolica ſede. Hęc ſi quidem manifeſtant, quòd

pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro certo supponebatur ab omnibus essentia indulgentiæ, quòd esset remissio, & ad inuestigandum ipsius efficaciam, tot concurrerunt opiniones multiplicatæ valdè: quas nunc omitto, quia sat est proposito omnes conuenire in præsupposito genere indulgentiæ, scilicet quòd est absolutio seu remissio.

CAPVT VII.

¶ Solutio obiectionum in 3. cap. contra hoc. quod indulgentia restringit pœnitentiam iniunctam.

NON Parua præterea intelligentia opus est ad euidentiam habendam de pœnitentia, à qua absoluit indulgentia, dum sacri canones non nisi de iniuncta mentionem faciunt: Doctores autem ad iniunctas & non iniunctas extendunt. Et licet Doctorum opinio, quam etiam sequutum se dicit diuus Tho. magnifacienda sit: quia tamen huius rei veritas ex facto pendet, & in facto consistit, & sacri canones solùm de iniuncta faciunt mentionem, ideo tenendo certum, & dimittendo incertum, diffinita est indulgentia, quòd est absolutio à pœnitentia iniuncta. In Concilio siquidem Lateran. sub Innoc. 3. determinatur potestas episcopalis circa indulgentiam, & expressè post tempora indulgentiæ decreta, subiungitur, De iniunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat, in ca. quum ex eo. de pœn. & re. Vbi secundum textum & omnes Doctores episcopalis potestas dandi indulgentias, limitatur: quod non esset verum, si indulgentia absolueret à non iniunctis. Nam si indulgentia liberat ab iniunctis & non iniunctis pœnitentiis, & Episcopalis potestas est restricta solùm quo ad iniunctas pœnitentias, consequens est, quòd respectu pœnitentiarũ non iniunctarum non sit limitata episcopalis potestas: quod contra textum esse constat, obuiantem expressè indiscretis indulgentiis simpliciter & absolutè: & contra Doctores ex illo textu affirmãtes limitatam esse Episcoporum potestatem circa indulgentias absolutè. Quòd etiam patet in cap. nostro. eo. ti. Vbi Archiepiscopum dicit nõ posse excedere circa indulgẽtias statutum illius capituli. Nec potest responderi ꝙ restricta potestate quo ad pœnitentias iniunctas, intelligitur & restricta quo ad nõ iniunctas: quoniam restrictio potestatis quo ad maiora, non infert restrictionem eiusdem quo ad minora, quamuis e contrario restrictio, quo ad minora, à fortiori refrænet à maiori. Sed plus est remittere iniunctas, quàm non iniunctas: tum propter vinculum duplex ibi, & simplum hic: tum propter forum ecclesiasticũ ibi, qui non interuenit hic: igitur ex hoc, quòd limitata esset quo ad iniunctas, episcopalis potestas, non propterea limitata esset quo ad nõ iniunctas, si indulgentia respiceret iniunctas & nõ iniunctas. Nec potest rursum dici, quòd quia pœnitentia iniuncta est principalis materia indulgentiæ, ideo prohibitio indulgẽtiæ de iniũctis infert prohibitionem etiã de non iniunctis, quia accessorium sequitur principale: & sic materia indulgentiæ principalis quidẽ, sed non sola est pœnitentia iniuncta. Nam hæc responsio nostrum infert intentum: & quòd rectè diffinita est indulgentia per iniunctam pœnitentiam, (vtpote principalem materiã) & quòd iniuncta pœnitentia sic est principalis materia indulgẽtiæ, vt ipsa principali materia subtracta subtrahatur accessoria: ac per hoc si indulgentiæ nõ substernitur iniuncta pœnitentia, intelligitur non substerni eidẽ pœnitentiam non iniunctam, quod esset voluntariũ: quum nullo canone, nulla ratione fultum inueniatur, si indulgentia liberat ab vtraque pœnitentia, quòd non liberet ab vna sine altera. Est ergo iniuncta pœnitentia & principalis & sola materia indulgentiæ secundum sacros canones intellectæ. Seruauit quoq; Ecclesia multo tẽpore hunc stylum, vt exprimeret in literis relaxationẽ ab iniunctis pœnitentiis: intãtum vt Durandus cùm dixisset in 4. sentent. ꝙ indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, subiunxit, Sonant autem ꝙ ab iniunctis pœnitentiis liberant. Quocirca quando non exprimitur, an ab iniuncta vel nõ iniuncta pœnitẽtia liberat, intelligitur de iniuncta: quia verba iudicis sunt intelligenda secundũ formam iuris: in iure autẽ solùm fit mentio de iniũctis: igitur de iniunctis tantùm pœnitẽtiis intelligẽda est indulgentia data simpliciter & absolutè. Expositio vero dicens, quòd ly ab iniunctis pœnitẽtiis intelligitur subintellecta cõiunctione etiam (ac si diceretur etiã ab iniunctis pœnitentiis) non est expositio, sed diuinatio: nam si liceret in textibus apponere ly, etiam, infiniti text. subiecti essent diuinationi, quandoq; etiam contra textum: vt facilè patet discurrenti. Attestatur autem sic esse intelligendũ, ratione Ecclesiæ consuetudo in viridi obseruantia consistens: dum Ro. Pon. singulis diebus Dominicis & Quadragesimæ & Aduentus, dat omnibus præsentibus quinq; vel septẽ annos & totidem quadragenas de vera indulgentia. Exprimendo siquidem tot annos, & totidem quadragenas, manifestat se loqui vt canones pœnitẽtiales loquũtur, taxantes pœnitẽtias per annos & quadragenas. Cúmque de illis taxatis per sacros canones annis & quadragenis liberat illos, ꝓculdubio quid ad illos & illas sunt obligati, mõstrat ab iniũctis pœnitentiis tantummodo indulgentias datas liberare. Accedit ad hoc, ꝙ cõmunis forma indulgentiarũ fit per tempora: pura dies, quadragenas, annum vel annos: quia sic taxatæ sunt pœnitẽtiæ in sacris canonibus. Nec obstat quando sit plenaria indulgẽtia: quoniam plenitudo etiam plenissima non mutat substantiã, sed auget quantitatẽ ipsius substantiæ: vt patet. Et propterea si pœnitentia, à qua liberat indulgentia, est substantialiter pœnitentia iniuncta, quãtumcunque indulgentia sit plenissima, non liberat nisi ab iniuncta. Et aliæ quidẽ liberant ab iniũcta vnius anni, vel tot annorum, aut dierũ: plenissima autẽ liberat à tota iniuncta, sicut si per quotã data indulgentia est (puta remissionẽ tertiæ partis) liberat à tertia parte iniunctæ pœnitentiæ. Et si quæratur an intelligatur hic de pœnitentia iniuncta tam à iudice, quàm à iure, an de iniũcta tantũ à iudice, respondetur quòd quum à iure nulli sit pœnitentia iniuncta, sed taxata iniungenda, ideo dicendo quòd liberat solùm ab iniuncta, soluta est quæstio. Et probatur ꝙ dicitur, quia ad pœnitẽtiam iniunctam ille, cui iniuncta est, tenetur: nullus autẽ tenetur ad pœnitentias taxatas in canonibus pœnitentialibus, nisi sibi specialiter imponãtur: igitur pœnitentiæ illæ non sunt iniunctæ. Sed Ecclesia sicut præsupponit homines egere remissione pœnarũ debitarum pro suis peccatis, ita præsupponit verè pœnitentibus & cõfessis iniunctas esse pœnitentias secundũ sacros canones, pensata tamen qualitate personarũ & aliis meritò pensandis, & supponẽs illos esse obnoxios iniunctis pœnitentiis: dat illis indulgẽtiam seu remissionẽ iuxta formã canonũ pœnitẽtialium. Quocirca multum verisimile ac rationi cõsentaneũ est, vt ortum habuerit indulgentia à pœnitentium vinculis, quibus olim alligabãtur à cõfessoribus iuxta canones pœnitẽtiales: hinc enim perseuerat vsq; hodie, vt dictũ est, indulgẽtia tot annorum & tot quadragenarum: hinc indulgentia absolutio est, quã à proprio iudice fieri iura testãtur: hinc emanauit opinio illa, quãuis falsa, quòd in dulgentiæ solùm valent quo ad forum Ecclesiæ militantis: hinc omniũ est consonãtia canonũ. Cum his tamen scito, quòd licet indulgẽtiæ tam pro viuis quàm defunctis sic sint secundum iura interpretãdæ: quũ non sint melioris cõditionis defuncti, quàm viui, quo ad cõsequendas indulgẽtias (imò sint deterioris, quia ad eos nõ peruẽniũt nisi ꝓ suffragia) si tamẽ Papa daret alio modo indulgẽtiã, scilicet nõ solũ ab iniũctis, sed etiã à quomodolibet debitis pœnis pro peccatis, dicẽdum secus esset: potest enim absoluere à pœna debita licet nõ iniũcta, dummodo culpa remissa sit. Verum autem hactenus Põtifices sic dederint indulgentiã, nescio. Si enim verum est, quòd Petrus de Pal. refert (quod etiam Ioannes Monachus in extrauaganti Bonifacij 8. de Iubilæi expositione refert) non ex litera, sed ex intentione Papæ illius, scilicet Bonifacij 8. habetur, quòd non solùm ab iniuncta, sed ãniungenda intẽdebat liberare per illam indulgentiam plenissimã. Sed vereor, ne Bonifacius non vt Pontifex, sed vt doctor & illius opinionis sectator, illa dixerit verba. Nec inconuenit ipsum vt doctorem minus benè dixisse: quum etiam dixisse referatur ab eodem ibidem, quòd indulgentia illa liberabat etiam à votis: quod cõstat non nisi extorquè posse benè intelligi, perspecta illa Iubilæi extrauagante. Quocirca propter huiusmodi, quæ ex literis non constant apostolicis, non est recedendum à iuris tramite recto, quo cõfessor iniungere debet pœnitentiam, etiam si ipsemet vt minister indulgentiæ statim absoluturus sit eundem pœnitentem plenariè à pœna.

¶ Ad id verò quod ex forma plenariæ absolutionis obiicitur, dicitur ꝙ de autoritate talis formæ quicquid sit, potest dupliciter exponi. Primò, vt intelligatur edita secundũ opinionem illam valde, vt videtur, communem, scilicet ꝙ indulgentia liberat ab iniunctis & non iniunctis pœnis. Nec mirũ alicui videatur si Ecclesiæ ministrii in formis huiusmodi vtantur opinatis: quum in præfatione communi vtatur Ecclesia opinione dicentiũ cælos esse animatos, dum inter creaturas intellectuales cælos inseruit dicens, Maiestatem tuã laudant Angeli, adorántq; dominationes, tremũt potestates, cæli cælorúmq; virtutes, ac beata Seraphim. Et ꝙ cum formidine aliqua vtantur Ecclesiæ ministri opinione illa in hac forma, infinuatur ex eo, ꝙ ibi opponitur, quantũ se extendũt claues Ecclesiæ: titubantis enim sunt verba hæc. Secũdò, quòd intelligatur ex meritis indulgentiæ: ita ꝙ restitutio ad puritatem baptismalem non intelligitur fieri simpliciter, & absolutè, sed quantum est ex parte indulgentiæ. Præsumit enim Ecclesia arbitratas ac iniunctas esse verè pœnitentibus & confessis condignas pœnitentias: ac per hoc absoluendo ab iniunctis, præsupponit se absoluere ab omnibus pœnis illi debitis, & consequenter restituere innocẽtiæ baptismali. Et hoc sic esse intelligendũ attestatur: quia proculdubio præsupponit in hac forma Ecclesia pœnitentẽ esse contritum de omnibus venialibus: alioquin restitutio ad puritatẽ baptismalẽ locũ non haberet. Et quia vtraq; præsumptio est facti, & tenet se ex parte pœnitẽtis: ideo forma illa efficax quãtũ ex parte est indulgẽtiæ, si fiat in patiẽte benè dispositò per iniũctas pœnitẽtias, efficax simpliciter & absolutè inuenit. Et ab effectu suo deficere potest, si de facto pœnitẽs nõ requisita omnia ad hoc, vt absolutio ab omnib⁹ iniũctis, fit absolutio ab omnib⁹ simpliciter debitis ꝓ peccatis pœnis habeat: qã tunc accidit, qñ nõ est perfuseptas cõdignas

pœnitentias dispositus. Quæ indispositio pœnitentibus merito imputatur: quia ob communem pœnitentiũ imperfectionẽ, condignæ non dantur secundum sacros canones pœnitentiæ. Nec debent pœnitentes ex imperfectione sua reportare commodum indulgentiarum: vt scilicet valeant eis ac si iniunctas suscepissent condignas pœnitentias: non enim debẽt æquiparari illis: qui condignas acceptarunt secundũ sacros canones pœnitentias: quorũ misertus mater Ecclesia indulgentiæ leuamen illis contulit. Et meritò, quia iam sponte susceperant peragendas hic condignas pœnitentias: quod constat non amplecti à modernis pœnitentibus, quibus pro multis & magnis peccatis exigua pœnitentia sufficit. Consonat autem hæc doctrina Eccle. Rom. consuetudini: quum in illa viua voce, indulgentiæ concedantur apposita semper clausula ista, videlicet in forma Ecclesiæ consueta: constat enim quòd forma Ecclesiæ non potest melius interpretari quàm forma Ecclesiastici iuris secundum quam clausula hæc non solùm denotatly, verè pœnitentibus & confessis, sed etiãly, ab iniunctis pœnitentiis. Et confirmatur: quia consentaneũ rationi est, vt iudex Ecclesiasticus iudicet non nisi de delatis ad suum iudiciũ, & non de relictis ab eodẽ se impediat, illa enim quæ ad ecclesiasticũ forum nõ sunt delata (qualia sunt pecc.ta nõ confessa) rationabiliter ab ecclesiastici iudicis absolutione aliena sunt: vt sicut non ligat nisi pro cognitis in foro Ecclesiæ: ita non absoluit nisi à cognitis in eodẽ. Oblata præterea ad forum ecclesiasticum per cõfessionem, & iudice minori pœnitentia punita, tanquam derelicta quo ad reliquam partem pœnitentiæ in foro ecclesiastico videntur, præsumit enim Ecclesia cõfessores rite arbitratos iudicasse pœnitentes esse sibi ipsis relinquẽdos, quo ad reliquũ satisfactionis, ac per hoc ecclesiastica censura pœnitentialis fori nõ se amplius impedit de illis. Quo fit, vt sicut ad ecclesiasticum iudicium non redit reliqua satisfactio quo ad vinculũ, ita non redeat quo ad absolutionem: vt pariliganti soluendiq; ritus passu currat. Ab iniuncta igitur tantummodo pœnitentia Ecclesiastica indulgentia de iure cõmuni liberat tam viuos, quàm defunctos: idem est enim ꝙ per indulgentiam viuis & defunctis datur: licet modus dandi sit diuersus, vt patet ex dictis. Et sic valet quantum sonat sanè intellecta secundum formam iuris: vnde nulla fraus ab Ecclesiæ ministris in his committitur, si aliter quàm secundum iura intelligant multi indulgentias, & sic illis vtantur, & consequi se illas credant: nulli siquidem noxiam opinionem permittere quid nocet? At si dixerit quispiam, cùm hodie non iniungantur frequenter pœnitentiæ indigentes tanto tẽpore, vanus erit accessus ad indulgentias: respondeturꝙ propterea non est vanus: quia per indulgentias relaxantur pœnitentiæ iniunctæ: quæ sunt factæ in peccato mortali: quæ etsi in foro Ecclesiæ exolutæ erãt, non tamen in foro Dei: & propterea per indulgẽtias remittuntur, vtpote iniunctæ, & non adhuc Deo exolutæ. Doctrina igitur dicentium indulgentiã bonũ ecclesię est æquale, nec Ecclesię finis exigit æqualiter quodcunq; opportunum etiam vnum & idem diuersis temporibus, vt patet, nisi igitur iuxta mensurã opportunitatis, seu opportunorũ ad Ecclesiæ bonũ applicẽtur passiones in thesauro Ecclesiæ recõditæ, non saluatur intentio Christi, & Sanctorum. Et si aduixeris, ꝙ variæ mensuræ opportunorum ad Ecclesiæ bonum, non omnis pia causa respondet, per species quòd non quælibet pia causa sufficit ad quantamcunq; indulgentiam. Et confirmatur: quia dispensatio credita Petro, & successoribus imitari debet dispensationem factã ab ipso Christo: omnis enim Christi actio, nostra est instructio, imò sic agendo formã instituit nostrarum actionũ. Constat autẽ, quòd Christus eundẽ thesaurũ dispensat cõmensuratè iuxta concurrentes conditiones causarũ mediarũ: vt patet ex differenti dispẽsatione eiusdẽ per sacramentũ Baptismi, quo tota pœna exoluitur, & per sacramentũ pœnitẽtię, quo nõ tota pœna soluitur: ergo ipsi⁹ vicario cõmẽsurata quoq; applicationẽ dicti thesauri creditã esse, rõnabile est. Et est tanto ꝓbabilior hæc ratio, quanto actio sacramẽtalis eminẽtior, & efficacior causa media est, quàm actio iurisdictionalis, qua dee indulgẽtia. Et cõfirmatur rursus: quia cõstat prælatos oẽs Ecclesiæ non nisi ministros & dispẽsatores esse: tota igitur eorũ potestas supra thesaurũ Ecclesiæ infra limites dispẽsatiuæ potẽtiæ clauditur. Ex quibus habemus, quòd non saluatur intẽtio Christi, & Sanctorum in applicatione thesauri sui, nisi dispensando applicentur passiones in illo reconditæ huic vel illi.

¶ AD OBIECTA Autem in oppositum, dicimus, quòd inter duas extremas opiniones incedimus medij. Putantes enim efficaciam indulgentiæ quantificari secundum causam indulgentiæ extremi sunt, contra quos diuus Thomas procesit: quia causa indulgentiæ non est propria causa remissionis pœnæ, quæ est fructus indulgentiæ: sed propria causa remissionis pœnæ est passio Christi, & Sanctorum applicata huic. Existimantes autem omnem legitimã causam indulgẽtiæ, esse legitimã causam quãtæcunq; indulgẽtiæ, extremi quoque sunt, contra quos procedimus. Media autẽ via est opinari, quòd causam indulgẽtiæ oportet esse legitimam causam tantæ dispẽsationis: ita quòd causa indulgẽtię, quia

CAP. VIII.

¶ Responsio ad quæstionem de indulgentiæ causa, primo propositam in capite quarto,

AD DIFFICILLIMAM Autem quæst. de causa indulgentiæ propositam, respõdere quamuis temerarium forsan censebitur, dicendum tamen est ratione duce quid sentiẽdum est de illa: oportet enim & Ecclesiæ prædicationẽ saluare, vt vera est, & fideles pascere pane intellectus. Dicendũ est igitur ad quæstionem, ꝙ non quæcunque causa sufficit ad indulgentiam dandam, sufficit etiam ad quantamcunque indulgẽtiam dandam: ac per hoc indulgentia data sine legitima causa ad dandam tantam indulgentiã non valet quo ad quantitatẽ, in qua exceduntur limites legitimæ causæ. Probatur hoc multipliciter. Primò autoritate Cõcilij Latera. sub Inno. 3. vt enim habetur extrà, de pœ. & re. cap. cũ ex eo. per indiscretas & superfluas indulgentias eneruatur pœnitẽtialis satisfactio. Ex hoc enim habeo, ꝙ indulgentiæ indiscretæ & superfluæ non adimplent satisfactionẽ pœnitentialem, sed eneruãt: nisi quis adeò desipiat: vt idẽ putet adimplere & eneruare, quæ cõstat esse contraria. Et quũ constet, quòd propriùs fructus indulgentiæ est adimpletio satisfactionis pœnitentialis: cõsequens necessariò est, vt per indiscretas superfluasq; indulgẽtias (quæ proculdubio sunt illæ quæ ex quacunq; pia causa fiunt magnæ valdè) nõ consequatur pœnitentialem satisfactionem à nobis debitam, adimpletam esse pro nobis à Christo & Sanctis: nã si per indiscretas huiusmodi indulgẽtias hoc consequeremur, nõ eneruaretur: sed adimpleretur pœnitentialis satisfactio. Sed dum indiscretè huiusmodi indulgentiæ infructuosæ sunt secundum veritatẽ ad satisfactionem pœnitentialem adimplendã, & pœnitentes putando sibi eas prodesse, omittunt satisfactionem pœnitentialẽ, eneruatur in veritate pœnitentialis satisfactio: vt sacer canon dicit. Probatur idẽ se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia non est propria causa remissionis pœnæ, ideo non quantificat illam: & quia est propria causa dispensationis, ideo quantificat dispensationem: quantitas enim effectus propriam causam consequitur. Quòd autem causa indulgentiæ sit propria causa dispensationis, ex hoc patet, quòd actus applicandi indulgentiam carens legitima causa indulgentiæ, non est dispensatio, & secundù communem Doctorum doctrinam non est indulgentia. Quia igitur concurrentibus reliquis ad indulgentiam requisitis, sola legitima causa deficiente actio dandi indulgentiam non est dispensatio: habemus, quòd causa legitima constituit actū dandi indulgentiam, in hoc quòd est esse dispensationem. Et si subiunxeris, vt iam dictum est, ꝙ propria causa quantificat effectum, apparebit quòd sicut dispensationem oportet causari à causa legitima, tantæ dispensationis procedere: alioquin dispensatio ipsa dependeret ex causa propria legitima, & quantitas dispensationis non dependeret ex propria causa legitima ipsius quantitatis. Quod secundum Philosophiæ processus monstrum esset: quoniam in reliquis magnitudo effectus magnitudini causæ illius rei respondet: magnus enim calor ex magnitudine calefacientis procedit, & sic de aliis. Non dicimus ergo quòd remissio pœnæ attendatur penes quantitatem causæ pro qua fit indulgentia: sed dicimus, quòd actus dandi indulgentiam oportet quòd habeat causam insufficientem ad hoc, quòd tanta applicatio passionum Christi & Sanctorum ad hos nunc, &c. fit verè dispensatio earundem. Et quia dispensatio habet, vt propriam causam, bonum Ecclesiæ seu pietatem, dicimus consequenter, quòd nō quodlibet Ecclesiæ bonum, seu non quæcunque pietas sufficit ad minorem dispēsationem, sufficiat etiam ad quantumcunque maiorem: sed quantitas dispensationis consequitur suapte natura magnitudinem suæ causæ. Magnitudinem autem causæ dico non secundum se, hoc est non secundum quantitatē, quam in se habet, sed secundū relationem ad Ecclesiæ bonum, nam idem labor, eadē eleemosyna, eadem deuotio, & huiusmodi est, quandoque vt parua ratio indulgentiæ, & quandoque vt maxima ratio indulgentiæ. Et ideo quandoque ex causa eadem secundum se datur indulgentia parua & quandoque maxima: & apparet quòd sit eadem causa totaliter, & non est eadem in veritate, sed secundum se: est enim relata valde maior seipsa absolutè.

¶ Verbi gratia, visitatio Ecclesiæ sancti Petri æqualis est secūdum se hodie, & in anno iubilæi, sed nō est æqualis relata ad bonū Ecclesiæ: quoniam relata ad professionem vnitatis Ecclesiæ sub vno capite Petri successore (ad quod in anno Iubilæi refertur ab vniuerso orbe terrarum) est immensa causa indulgentiæ. Et similiter manere in platea sancti Petri in die Paschę pro benedictione, non est absolute ratio magna indulgentiæ, sed quod profiteamur vnitatem ecclesiasticam sub vno capite, & viuam conseruemus autoritatem vniuersalem & plenissimam Rom. Pont. immensa est ratio indulgentiæ, & sic de aliis. Et ideo nō est mirum, si ex eadem ex se causa, nūc maior, nunc minor sit indulgentia. Quāuis etiam hæc varietas possit aliunde prouenire: ex hoc, scilicet quòd causa legitima tantæ dispensationis non intelligitur ad modum puncti indiuisibilis, sed in latitudine quadam consistit, infra quam etiam si indiscrete prælatus indulgentiam det, ac propterea peccet, valet tamen. Ac per hoc habes quomodo verificare potes obiecta ex autoritate Doctorum & Rom. Ecclesiæ.

¶ Ad id verò quòd obiicitur ex autoritate veritatis Ecclesiæ (puta scilicet non valerent, vt sonant) dicitur ꝙ quia causa indulgentiæ sortitur magnitudinem ex relatione: & relationes huiusmodi discutere ac pensare non est cuiusque, sed dantis indulgentiam: ideo Ecclesia rationabiliter præsumit pro dante indulgentiam, vtpote iudice. Præsumitur enim de iure pro iudice semper, nisi manifestè appareat error, & supponens ex causa legitima datam tantam indulgentiam, veritatem prædicat: sicut absque falsitate prædicat talem sanctum, supponens illum rite canonizatum. Ita quod dato, quòd iste canonizatus nō esset sanctus, sed damnatus, Ecclesiæ doctrina aut prædicatio non esset mendax aut falsa: quia hic non pertinentia ad fidem non intelliguntur affirmari & prædicari nisi cum grano salis hoc est stantibus communiter præsumptis. Præsumit enim Ecclesia canonizationem rite factam, & similiter indulgentiam rite datam: & sic prædicat indulgentias valere quantum sonant. Sed sicut potest interuenire error humanus in canonizatione alicuius Sancti (vt S. Thom. dicit) ita potest interuenire error humanus in collatione indulgentiæ. Si quis autē putet Ro. Pontif. non posse errare in istis particularibus actionibus (quales sunt dispensationes bonorum, tam temporalium quam spiritualium Ecclesiæ) putet quoque ipsum non esse hominem. Verùm quia nulla forte est tam parua secundum se pia causa, quæ non possit esse maxima ex aliqua relatione: ideo noli velle iudicare an ista vel illa causa posita in indulgentia sit sufficiens, si non vis errare. Habes autem ex his, duo. Primum, quomodo intelligēda sit indulgentia, si fiat principaliter per modum dispensationis communionis, aut applicationis thesauri Ecclesiastici: quoniam hæc dicta ad huiusmodi communicationem spectant. Deinde quare mentibus nonnullorum fidelium insita sit ambiguitas nonnulla de effectu indulgentiarum: quia enim latet eos rationabilitas causæ tantæ indulgentiæ, ideo scrupulum incurrunt, & admirari non desinunt quomodo verum sit, quòd pro tam paruo actu consequatur quis tam magnam indulgentiam.

CAP. IX.

¶ Responsio ad secundam quæstionem de tempore veræ pœnitentiæ propositam in quarto cap.

SECVNDA Quæstio in 4. ca. proposita de tempore veræ pœnitentia, facilè soluitur dicendo quòd tempus veræ pœnitētiæ proculdubio est tempus vsus indulgentiæ. Oportet enim quando quis vtitur indulgentia, tunc esse verè pœnitentem: alioquin non reciperet remissionem pœnæ peccato debitæ. Sed quum sint in proposito tria tēpora (scilicet concessionis operis, & vsus) quæ patet diuersa esse, quum Papa dat danti eleemosynā talem, vt semel in vita & semel in morte possit plenariè absolui: tunc enim hodie concessio fit, & opus eleemosynæ fit eras, & absolutionis plenariæ vsus fiet fortè hinc ad annum, constat ꝙ hæc tempora concurrunt quandoq; simul, vt quū pro actu præsenti datur indulgētia absolutè, vt quū datur indulgentia omnibus hic præsentibus. Et tunc quæstio non habet locū: nam non est in potestate suscipientis indulgētiam differre vsum illius, quū absolutè datur pro actu præsenti: quia intelligitur dari tūc pro tunc, vt sonant verba. Et similiter dicunt aliqui de tēpore operis, quando diuersum est à tēpore vsus eadē ratione: quia scilicet non absoluitur tūc à pœna. Sed salua eorū reuerentia oppositū est verum. Tum quia cōsueta forma Ecclesiæ quæ semper in indulgētiis subintelligitur (etiā si non exprimatur) continet expressè, ꝙ opus fiat à verè pœnitentibus: ait enim, omnibus igitur verè pœnitentibus & confessis, qui visitauerint, vel dederint, vel fuerint. Vbi clarè patet opus præsupponere verè pœnitentē. Tum quia causa indulgētiæ ex hoc ipso, ꝙ est ratio cōmunionis passionū Christi & Sanctorū cum mēbris viuis, oportet ꝙ sit infra latitudinē operū viuorum: quæ enim est conuentio tenebrarū ad lucem, aut mortis ad vitam? cōstat autem ꝙ opus factū à verè pœnitente est opus mortuū: non potest ergo esse legitima causa indulgētiæ: quam constat consistere in communione vitali Christi & membrorū, nō mortuorū, sed viuorū. Vnde si datur indulgentia alicui, ꝙ dicendo 7. Psal. vel visitando tot Ecclesias, vel faciendo tale opus pium etiā si sit eleemosyna, nisi fiat in statu charitatis, non acquiritur apud Deum indulgentia. Nam licet tūc non fiat remissio semper (puta quū absolutio futura est) sit tamē tunc meritum remissionis quamuis mediatæ, hoc est mediante applicatione passionū Christi & Sanctorū. Ad impletionem enim causæ indulgentiæ est meritū cōmunionis remissiuæ, ita ꝙ nihil aliud exigitur ad remissionem nisi mera executio: debetur enim adimpleti causam indulgentiæ communio remissiua pœnæ. Constat autem ꝙ meritum remissionis pœnæ peccato debitæ est opus viuum: Oportet ergo verè pœnitētem esse consequutum indulgentiam non solùm tempore vsus, sed etiam tempore operis, quod est causa indulgentiæ: vt ipsa indulgentiæ verba sonant.

CAP. X.

¶ Responsio ad tertiam quæstionem cap. quarto propositam de tempore confessionis.

TERTIA Quæstio circa indulgentias proposita de tempore confessionis, à multis soluitur dicendo, ꝙ sufficit confessum esse illo anno: quia sic intelligitur confessus secundū præceptum Ecclesiæ. Et licet hæc solutio rationabilis multum appareat propter dictā rationē, quia verba iuris nō sunt intelligenda secundū formā iuris: duo tamen sibi obstāt. Primo: quia si ista ratio esset in proposito efficax, quū in forma indulgentiæ contineātur duæ cōditiones simul: scilicet pœnitentiæ & cōfessionis, si tempus cōfessionis intelligitur secundū formam iuris, tempus quoq; pœnitentiæ intelligendum est secundū formam iuris. Cōstat enim præceptum pœnitentiæ sicut & confessionis affirmatiuū esse, & non obligare, necessitatis articulo excepto, nisi pro loco & tempore: & Ecclesiam determinasse tēpus vtriusque ad semel in anno. Non obligatur igitur ex forma indulgentiæ volēs particeps illius fieri ad veram tunc pœnitentiam, si non obligatur tunc ad confessionem. Secundum quod magis vrget, est: quia si intelligitur confessus secundum formam iuris, vel quod idem est, secundum præceptum Ecclesiæ, sequitur vnum maximè absurdum: hoc est, ꝙ indulgentiæ non dātur nisi cōfessis, singulis annis: quia soli isti iunt cōfessi secundum formam iuris, & soli isti sunt confessi secundū præceptum Ecclesiæ, vt patet. Et consequenter quicunq; aliquo vno anno quantūcunque præterito violassēt præceptū Ecclesiæ de confessione annua, non cōprehenderetur sub capacibus indulgentiæ datæ: constat enim hoc esse contra cōmunem animi conceptionē omniū & sapientum & fidelium. Quia igitur solutio ista, vbi erediderit extēdere indulgentiam, restrinxit multum illam si rationabiliter

biliter & consequenter loqui debet, ideò cum bona tantorum Doctorum venia omittenda est. Et dicendum est cum ipsis indulgentiæ verbis, & antiquiore, vt apparet, mihi doctrina, quòd tempus veræ pœnitentiæ, & tempus cōfessionis est vnum, & idem ad capescendam indulgentiam, quamuis diuersa ratione necessarium, quia vera pœnitentia exigitur ex diuino, & humano simul iure, confessio autem exigitur ex humana tantùm autoritate: quia, scilicet statuta est sic indulgentiæ forma ab Ecclesia, vnde Papa dare posset indulgentiam absque actuali confessione. Dicere autem quòd forma indulgentiæ intelligitur de confessis non secundum formam iuris, aut præceptum Ecclesiæ simpliciter & absolutè, sed anno illo voluntarium est, quia nec ex forma iuris, nec ex forma iudicis, nec ex ratione hoc emanat. Nec furda pertransfeundi sunt aure, detrahentes huic, quamuis exiguæ vigiliæ, vanitatis eam accusantes, eo quòd eras existimantes quęstum pietatem, apostolicas pulsabunt aures, & indulgentias ad non inuūctas extendi pœnitentias, confessisque anno illo modò verè pœnitentes sint conferri obtinebunt. Audiant hi primum, non frustrà fuisse tātillum laborem, si occ fionem tanti fructus Christiano populo contulerit: neque enim ea scripsimus ratione, vt alios dirigeremus, sed inter certa ambiguáque discernere sat fuerit. Percipiant deinde, pias deuo ásque fidelium mentes, hinc potius excitandas ad petendas condignas secundum sacros canones à confessoribus pœnitentias, vt vel indulgētiæ gratia ex passione Christi & Sanctorum soluant Deo pœ itentias, quas prompto animo à seipsis peragendas postulauerunt, atque susceperunt. Redirent si quidem hoc pacto aurea pœnitentium Patrum secula. ¶ Et hæc de indulgentiis dicta secundum proprij ingenioli vires, saluo omnium melius sentientium iudicio, sufficiant. Romæ anno salutis 1517. pontificatus S. D. M. Leonis XI. quinto: ætatis verò meæ 48. die 8. Decembris.

Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Xysti, viginti septem Quæstionum Opusculum.

TRACTATVS DECIMVS SEXTVS, De Indulgentiis, in sex Quæstiones diuisus.

1 *Num indulgentiæ fiant de thesauro meritorum Christi & Sanctorum.*
2 *Num dare operam ad consequendas indulgentias sit imperfectionis.*
3 *Num occurrenti pauperi negans eleemosynam, quam tamen dat pro indulgentia consequenda peccet.*
4 *Num indulgentia absoluendo ab iniunctis pœnitentiis absoluat à pœna debita peccatis apud diuinam iustitiam.*
5 *Num indulgentiis liberentur defuncti à pœnis Purgatorij.*
6 *Num Papa autoritate clauium det indulgentiam animabus in Purgatorio.*

QVÆSTIO I.

¶ De thesauro indulgentiarum.

VTRVM Indulgētiæ Ecclesiæ fiant de thesauro meritorum Christi, & sanctorum. Et videtur, quòd non. Primo, quia indulgentia non esset indulgētia seu remissio, sed satisfactio & persolutio vsque ad nouissimum quadrantem per aliorum opera.

¶ Et sequitur vlterius, quod omnes negant, scilicet quod concedens oneret se ad satisfactionem. Et probatur sequela: quia sic Papa non remitteret, sed satisfaceret per alios.

¶ Secundo, quia sic virtute clauium non fieret absolutio, sed trāslatio operum, contra verbum Christi, Quodcunque solueris. Et vlterius idem per claues ageretur, quod de facto fit: quia si sunt opera Sanctorum in thesauro Ecclesiæ, non permittuntur otiosa à Spiritu sancto, sed de facto succurrerent quibus possunt.

¶ Tertio, Nulla Sāctorum opera sunt relicta irremunerata: ergo. Antecedens probatur, tum quia non sunt cōdignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam: tum quia secundum hoc super erogationis non remunerarentur in Sanctis, sed in nobis: ac per hoc minora essent remunerata & maiora non. Et si dicatur, quod eadem opera sunt etiam in ipsis Sanctis remunerata: ergo nulla sunt eorum operā irremunerata relicta.

¶ Quarto, Nullus Sanctorum sufficienter impleuit in hac vita mandata Dei: ergo nihil fecerunt superabundans, ergo nihil relinquerunt pro indulgentiis. Antecedens probatur primo per illud Christi, Quum feceritis omnia quæ scripta sunt, dicite, Serui inutiles sumus: sed seruus inutilis non vltra, sed citra facisse intelligitur. Secundo, per illud Matth. 25. quod sapientes virgines noluerunt communicare de oleo suo, timentes ne ipsis deficeret. Tertio, omnis Sanctus debitor est Dei diligendi quantum potest, imo vltrà quam potest: sed nullus id fecit aut potuit: ergo. Quarto, Sancti per Martyrium (quod est opus perfectissimum) non faciunt vltra quàm debent, imo vix faciunt quod debent, ergo multo minus in aliis operibus plus fecerūt quàm debuerunt.

¶ Quintò, quia sine scripturis, doctoribus atque rationibus oppositum dicitur.

¶ PROBATVR quoque idem autoritate Sāctorum. Primò Augustinus omnibus sanctis conuenit dicere, Dimitte nobis debita nostra, sed qui consistentur debita, non sup rabundant: ergo.

¶ Secundò, authoritate Hieron. tractantis contra Pelag. illud, Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum: infrà, pro hac orabit omnis Sanctus in tempore opportuno. Quomodo est Sanctus, si pro impietate sua orat? Et si est impius, non sanctus. Itaque sancti per orationem & confessionem suæ impietatis n.rentur sibi non imputari peccatum.

¶ Tertiò, Aug. lib. 1. retra. c. 19. Omnia mandata implentur, quādo quicquid non impletur, ignoscitur. Negat enim sanctos implesse perfectè mādata Dei, dicens magis ignoscēte Deo quā implente.

¶ Quartò, Augustin. confes. lib. 9. Væ hominum vitæ quantumcunque laudabili, si remota misericordia iudicetur: iuxta illud Iob: si etiam iustū quippiam habuero, iudicē meum deprecabor.

¶ Quintò, secundum Augustin. nullus sanctus in hac vita sine peccato fuit: iuxta illud 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c. ergo merita sanctorum nulla sunt superflua.

¶ Et si dicatur quòd sanctis habentibus aliquod veniale potuerunt plura facere, quàm debuerunt: contra, Opus bonum optimè factum est veniale peccatum: ergo semper minus, quàm debuerunt fecerunt, & peccarunt. Antecedens est ex Augustin. vbi suprà, Omnia mandata implentur, &c.

¶ DEINDE arguitur, ꝙ dato quòd sint superflua sanctorum merita, nō prodessent: quia vnusquisque propriam mercedem accipiet secūdum propriū laborē, non secūdum aliena, vt ad Rom. 3. dicitur. Nec digne ab Ecclesia expenderentur: quia solutio pœnę est vilissimū Ecclesię donū. Nec piè Ecclesia ageret relaxādo pœnas: castigare enim alios potius est pietatis, quā remittere pœnas.

¶ DENIQVE probatur, quòd merita Christi non sint thesaurus indulgētiarum. Primò, quia assertio illa est sine autoritate Scripturæ. Et si afferatur autoritas Rom. Ecclesiæ remaneret periculum exponendi Ecclesiam hæreticorum irrisioni: dum non possemus reddere rationē de hac, quæ in nobis est fide, atque spe.

¶ Secundò, quia locum habent primo inductæ rationes etiā hic, scilicet quod indulgentiæ non essent indulgentiæ, sed satisfactiones per alium: & tamen canon dicit, per indulgentias pœnitentiales satisfactio eneruatur. de pœ. & re. cum ex eo. non dixit mutatur, sed eneruatur. Et similiter claues non soluerent, sed transferrent pro alio: impium est autem dicere claues non soluere: si soluunt totum tollunt, non transferunt. Et similiter merita Christi de facto idem operantur, quia non sunt otiosa.

¶ Tertio, quia infignis fieret irreuerētia meritis Christi, si solùm pro pœnę relaxatione expēderentur, cùm ipse per ea fuerit exemplum omnium martyrum, vilissimum quippe est remissio pœnæ.

¶ Quarto, S. Thom. & Bonauē. dicunt opera nostra bona meliora esse quàm indulgentias, & merita Christi expendi per indulgentias. Et merita Christi esse multo meliora bona, quàm opera nostra bona, constat: ergo quod meliores sunt indulgentiæ quam nostra opera bona, quod est contrarium primæ propositioni. Aut ergo indulgentiæ non sunt merita Christi: aut omissis omnibus indulgentiæ sectandæ sunt, scilicet Christi merita.

¶ Quinto, Consulitur communiter à doctoribus, quod post indulgentias nihilominus sit ieiunandum: quia nemo scit vtrum odio, vel amore dignus sit. Tunc sic, aut ista sententia est impia in Deum & Ecclesiam: aut merita Christi non sunt thesaurus indulgētiarum. Primò, quia sic claues Ecclesiæ nihil faciunt certi: quod est blasphemia: & indulgētia esset incerta donatio: ac per hoc impia illusio ab Ecclesia fieret, aut post indulgētiā ex meritis Christi & sanctorū deberet quiescere ab operibus suis. Secundò, quia si per indulgētias impēdūtur merita Christi & adhuc incertus sum de remissione peccatorum, aut credo opera Christi applicata & donata mihi esse sufficientia ad remissionem, aut dubito. Si credo, iam non est amplius ieiunandum: quia non debeo mea opera meliora putare, quàm Christi opera. Si dubito, quid hoc dubio execrabilius? Et confirmatur: quia merita Christi nulla proportione bonitatis excedunt opera nostra: ac per hoc aut ipsa non sunt thesaurus indulgentiarum, aut indulgentiæ præferendæ sunt omnibus operibus diuinorum præceptorum, nisi iniuria fiat meritis Christi. Sextò, quia ipsa appositio meritorum & sanctorum minus consonat, quasi merita Christi non sufficiant.

¶ Septimò, Nulli datur gratia cōritionis, quin simul ei dētur merita Christi, ergo sine indulgētiis habet quis thesaurū meritorū.

¶ Octauò, Si meritum Christi est thesaurus indulgentiarum: ergo remittet morte eiúsque pœnas. Probatur sequela: tum quia alioquin esset infirmus: tū quia potens est remittere pœnā æternam.

¶ DEMVM arguitur, Si absoluere in indulgentiis est dispensare thesaurum Christi, ergo aliæ etiam absolutiones dispēsabunt thesaurum Christi: & præcipuè ab excommunicatione, quando quis particeps fit meritorum Christi & Ecclesiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Prætereà, Si absoluere in indulgentiis est distribuere thesaurum Christi, ergo ligare est includere, vel colligere thesaurum Christi: quod tamen non spectat ad potestatem clauium, quia sine omni indulgentiarum actu hoc fit.

CONCLVSIO.

¶ Indulgentiarum thesaurus merita sunt Christi & Sanctorum.

¶ IN OPPOSITVM Est sententia sacrorum doctorum. ¶ Ad euidentiam huius quæstionis mõstrandum est, merita Christi & Sãctorum esse thesaurum indulgẽtiarum: & qua ratione hoc notum sit, & quid sit, & propter quid sit. Et quidem merita Christi & Sãctorum esse thesaurum indulgẽtiarum, autoritate apostolica tenemus, in extrauaganti siquidem. Clementis sexti de pœn. & re. vnigenitus dicitur de thesauro meritorũ Christi. Qué quidem thesaurum per beatum Petrum cœli clauigerum, eiúsque successores suos in terris vicarios cõmisit fidelibus dispẽsandum: & propriis rationabilibúsque causis nũc pro totali, nũc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter quàm specialiter prout cũ Deo expedire cognoscerent: verè pœnitentibus & confessis misericorditer applicandumtad cuius quidem thesauri cũmulum beatę Dei genitricis & omniũ electorum merita admodũ præstare nosceuntur. Hæc ibi: post multa de superabũdantia meritorum dicta. Est autem ex duobus huius decretalis autoritas pensanda. Primò, ex decretis distinc. 19. in canonicis: vbi epistolis decretalibus Romanorũ põtificum primus autoritatis locus post sacram scripturam dẽcernitur: & ibidẽ cap. 1. vbi extrauagãtes apostolicæ defendũtur. Secundò, ex eo, quòd de vna parte sacramenti pœnitẽtiæ, scilicet satisfactione docet: constat nanque extrà de hæreticis, ad abolendam: nulli in materia sacramentorum licere dissentire ab eo quod Rom. Ecclesia facit & prædicat: credẽdum est igitur, nec in dubium aut opinionem vertendum sic esse. Nec somniauit aut finxit sibi Ro. Ecclesia thesaurũ istũ indulgẽtiarum, sed ex scripturæ sacræ autoritate, certáque inde ratione sacrorum doctorum sententia probata id habetur.

¶ Ad cuius clariorem notitiam differentia inter meritum & satisfactionem prælibanda est. Meritum cõdigni (de hoc enim sermo est) appellatur opus, ex quo operans dignus est æterna beatitudine, ita ꝙ debetur sibi illa: iuxta illud Apostoli, Bonũ certamẽ certaui, &c. & subditur, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Satisfactio autem appellatur voluntaria solutio pœnæ: tũc enim debitor pœnæ facit satis iustitiæ, quando debitã pœnã exoluit: adæquãdo enim solutionẽ debito, satis procul dubio facit. Nec meritum & satisfactio adeò à se inuicẽ elõgantur, vt nõ coëant sæpè in vnũ idémq; opus: nam dẽ operibus ex charitate procedentibus loquẽndo, quãtum habet opus bonitatis, tantum habet meriti: & quãtum habet mali pœnæ, tãtùm habet satisfactionis. Verbi gratia, Ieiunium vt opus bonum est meritorium: idémque vt est pœnale est satisfactorium. Hæc est formalis differentia inter meritum & satisfactionem. Est & alia differẽtia quo ad efficaciam seu fructum: nam meritũ non excedit personam quæ meretur solo Christo excepto, nullus enim potest mereri fœlicitatẽ æternã alteri, sed sibi soli, excepto Christo, qui meruit suis electis. Et ratio assignatur, quia gratia Christo data, est gratia capitalis seu vniuersalis: gratia autem reliquorum, est gratia partialis: meritũ enim Christi, & non aliorum per sacramẽta communicantur nobis & nos saluat. Propterea Paulus dicebat, nunquid Paulus crucifixus est pro vobis aut in nomine Pauli baptizati estis? Satisfacere autẽ potest vnus pro altero, vt patet quum vnus implet sacramẽtalem pœnitẽtiam pro altero. Et ex hac differẽtia prouenit, ꝙ sanctorũ opera quatenus meritoria fuerunt, acceperunt mercedem suam in ipsis sanctis: quoniã ipsis solis profuerunt: quatenus verò satisfactoria fuerunt, primũ quidem soluerunt debitam pro illorum peccatis pœnã: deinde si plus pœnalitatis habuerunt, quàm pœna ipsorũ peccatis debita exigetet, remansit illud plus tanquam ipsis sanctis superfluum. Et hoc plus est illud, quod à quibusdam vocatur irremuneratum in ipsis Sãctis, nõ propter defectũ diuinæ largitatis, aut operis, aut ipsius Sancti, sed propter excellentiam ipsius personæ, quæ superabundanter passa est volũtariè. Ex eo nanque, ꝙ persona patiens non habet propria pœnarum debita pro peccatis, prouenit ꝙ satisfactiones superfluæ non possunt in ipsis remunerari, seu rectius loquẽdo non possunt in ipsis habere effectũ solutionis. Et quoniam cõstat Sãctos multos multò plus passos, quam ex peccatis suis debuerint pati: cõsequens est, vt multa satisfactoria remãserint superflua ipsis Sanctis. Patet autẽ Sãctos satisfactoriè plus exoluisse quã debuerant pro peccatis suis. Tũ quia beata Virgo nulla satisfactione pro suis peccatis eguit (quia nullũ peccatũ comisit) & tamen satisfactoria multa subiit: eius enim vita cunctas illustrauit Ecclesias: & de ipsius dolore scriptũ est: Et tuã ipsius animã pertrãsibit gladius. Iob quoq; testatur c. 7. Vtinã appenderentur peccata mea, quibus irã merui, & calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret. Et quis est tam mentis inops, vt dicat Laurẽtium, Vincẽtium, reliquosq; tãta passos martyres, omnibus illis pœnis indiguisse, vt satisfacerẽt pro pœna peccatis suis debitã? Superfluũt igitur multa satisfactoria Sãctis vltra ingens pelagus superfluẽtis satisfactionis Christi, qui pro totius mũdi peccatis, vt Ioannes Euangelista testatur, satisfecit: vt etiam ex hoc patet, ꝙ si totus mundus post omnium peccata commissa baptizaretur, ſtatim meritorum satisfactione Christi euolaret ad cœlum. Et tamen constat, ꝙ tanta hominum multitudo damnata indignam se reddens Christi satisfactione, superfluere illam testatur, quæ pro omnibus sufficeret. Quocirca ex meritis Christi & Sanctorum quatenus satisfactoria superfluis, thesaurum indulgentiarum constitui intelligito, si non vis errare. Et quidem quòd huiusmodi opera Christi & Sãctorum satisfactoria remanserint, declaratum est: quòd verò remanserint pro nobis, & quod remanserint dispensanda pet militãtem Ecclesiam, manifestari oportet.

¶ Et primum, scilicet quòd ad hoc remanserint huiusmodi satisfactoria, vt nobis cõmunicata, pro nobis satisfacerent tanquàm si ipsi Sancti viuentes ea intẽtione fecissent, vt pœnas nostris peccatis debitas ipsi exoluerẽt, mõstratur, tũ ex eo quòd nõ inania aut inutilia huiusmodi satisfactoria esse debent: essent autẽ vt satisfactoria infructuosa, si proprio fructũ (qui est satisfacere) essent priuata, nõ per accidens, puta quia desunt hi, in quibus fructificet per se: quia scilicet suaptè natura omnia satisfactoria supererogationis essent infructuosa: quia nec in ipsis operantibus, nec in aliis effectũ habere posset, eo ipso ꝙ satisfactoria supererogationis sunt. Tũ quia vnitas Ecclesiæ exigit, vt quælibet suorũ ciuium, quæ possunt esse vtilia reipublicæ Christianæ, ordinata à Spiritu sancto Ecclesiã regente, sint ad vtilitatẽ ipsius Ecclesiæ. Cõstat autẽ satisfactoria supererogationis posse ad vtilitatẽ Ecclesiæ cedere: vt patet ex eo, quòd per propriã intẽtionem ipsorũ Sãctorum potuissent applicari hęc ad satisfaciẽdum pro isto vel illo Ecclesię mẽbro, debẽte satisfacere pro suis peccatis. Cõsentaneum igitur rationi est, ꝙ hæc satisfactoria supererogatiuè facta à Sanctis, ad vtilitatẽ aliorũ mẽbrorum Ecclesiæ ordinata sunt. Vtilitas autem propria eorũ est satisfacere pro aliis, ex quo pro his, qui fecerũt, satisfacere nõ possunt, dixit autẽ vtilitas propria: quia non ex comunibus, sed propriis iudicãdum est de rebus. Tum maximè, quia Paulus Apostolus, ad Col. 1. hoc de suis satisfactoriis testatur dicẽs: Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionũ Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia. Vbi clare videre potes, intentionem adimplẽtis in propria carnẽ passiones deficiẽtes passioni Christi ad cõficiendã mensurã à Deo definitã pro Ecclesia. Idẽ autẽ est iudiciũ de Paulo & aliis Sãctis: vt ex Aug. super Psal. 68. afferente dictã Apostoli sentẽtiam, patet.

¶ Secũdum autem, scilicet quòd thesaurus iste meritorũ, vt satisfactoria sunt, dispensandus sit per summum Põtificem, facilè manifestatur: quoniã cõmune omni Reip. est, vt illius princeps dispẽsator sit cõmunium bonorum illius Reip. nam sine omni cõtradictione, cui cura creditaest ipsius Reip. eidẽ quoque credita intelligitur dispẽsatio eorum, quæ ad cõmune bonum illius spectant. Huiusmodi autem satisfactoria constat esse velut bona quædam ex dictis. Consequens igitur est, vt ad eum qui totius Ecclesiæ curam habet, spectet dispẽsatio dicti thesauri. Et quia solus Petri successor præsit toti Ecclesiæ, ideò ad solum Rom. Põtificem spectat dispensare, non pro libito donare thesaurum istum. Et quoniã per indulgentias rẽmittitur pœna tẽporalis debita pro satisfactione peccatorum (vt dicta extrauagans dicit) nec Papa potest illã remittere sine sacramento ecclesiastico, nisi applicando satisfactoria aliorũ ad istũ, cui remittit, ideo apostolica sedes in dicta extrauagante, & sacri doctores theologi Spiritussancti lumine illustrante concludunt, & rationabiliter, dictum thesaurum dispensari per indulgentias Christi fidelibus, qui per charitatem Christi memora sunt. Vnde euidentissimè sequitur, quòd indulgentia absoluendo hunc à tanta pœna pro suo peccato debita, applicat illi tantum ex dicto thesauro, de satisfactoriis quantum æquiualet tantæ pœnæ, quæ relaxatur, & simul sit opus misericordiæ, remittendo huic pœnam: & opus iustitiæ, applicando huic satisfactionem aliorum pro eo, sic enim terrestris Hierusalem descendit de cœlo per imitationem: quoniam vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Ex quibus patent omnia præmissa.

¶ AD PRIMAM obiectionem in oppositum dicitur, quòd indulgẽtia secundum diuersos suos actus diuersis rationibus exprimitur: nã secundũ ꝙ est absolutio & remissio pœnæ, sic iudicis actus est, & dicitur, secundùm vero ꝙ est applicatio satisfactionis ad hũc, sic dispensatio est & dicitur: & secũdum ꝙ efficit exolutionem pœnæ apud diuinam iustitiam per applicatam satisfactionem, sic opus iustitiæ est & dicitur. Vnde breuiter respondetur, ꝙ indulgentia, vt respicit hunc, cui conceditur, est remissio & relaxatio: quamuis vt respicit diuinam iustitiã, sit solutio vsque ad minimum quadrantem. Est enim solutio, sed non ad hoc, & istud est maximæ gratiæ, quòd soluatur debitum meum non à me. Nec hoc

est mirum, aut nouum in mysteriis Ecclesiæ: quum etiam in Baptismo omnia donari gratiosè concedamus, eodem modo, scilicet vt omnia soluantur, non per Baptismum, sed per Christi meritum, quod illi per Baptismum communicatur. Celerius dicam. Tanto vinculo iunxit Deus iustitiam misericordiæ, vt peccatis nostris parcere sic voluerit, vt tamẽ per vnigenitum suum Filium suæ iustitiæ satisfieret pro nobis, & hoc abũdantioris gratiæ fuit, vt non solùm debita remitteret, sed satisfactorem daret. Nihil ergo secundum diuinæ sapientiæ ordinem admittur indulgentiarum gratiæ, ac misericordiæ, ex hoc quòd interuenit ibi etiam solutio per Christi & sanctorum merita satisfactoria. Argumentum verò procedit, ac si hæc duo essent incomposibilia: quæ, vt dictum est, se consequuntur secundum ordinem dispositionis diuinæ: vt ex dictis clarè patet. Ad vlteriorem verò sequelam (scilicet, ergo conredens obligat se ad satisfactionem) dicitur quòd nec apparentiam habet. Et quum probatur, quia hoc modo satisfacit per alios, respondetur quòd ad bonum sensum admittendo, quòd Papa dando indulgentias satisfacit per alios, hoc est, applicat aliorum satisfactionem: hinc etiam nulla ratione apparenti sequitur, ergo Papa obligat se ad satisfactionem: aliud est enim applicare huic alienam satisfactionem, & aliud est obligare se ad satisfaciendum pro illo, sicut aliud est volare, & aliud sedere.

¶ Ad secundam negatur, quòd sic virtute clauium nihil fiat: fit nanque non solum applicatio operum sanctorum ad istum, sed & absolutio istius à pœna pro peccatis suis debita fit: vnde & verbum Christi, Quodcunque solueris, ad literam adimpletur. Et similiter negatur, quòd sic virtute clauium nihil fieret: nisi quod de facto sit. Et ad probationem, quia merita sanctorum, si sunt, non relinquuntur à Spiritusancto otiosa: respondetur, quòd huiusmodi sanctorum merita satisfactoria sunt facta pro Ecclesia, & non determinatè pro hoc vel illo: & ideo non operantur in hoc vel illo particulari, nisi fuerint applicata ab ipso Deo vel eius vicario ad hunc vel illum. Non ergo de facto operantur absque applicatione: quia sunt communia, nec sunt otiosa: quia ad hoc suaptè natura sunt ordinata, & applicata, vt non aliter operentur.

¶ Ad tertiam de operibus sanctorum irremuneratis, dicitur quòd cõmunicando in abusu vocabulorũ, hoc est, accipiendo irremuneratum, prout sumitur à sic dicentibus, hoc est non sortita suum fructum in ipsis sanctis. Sic inquãlocuendo respondendum est, ꝙ opera bona sanctorũ dupliciter sumi possunt, scilicet vt meritoria: & sic omnia sunt remunerata in ipsis sanctis, vel vt satisfactoria: & sic ea quæ supererogauerunt, non sunt remunerata in ipsis sanctis: sed relicta sunt remuneranda in nobis. Et contra hoc probationes non militant. Non prima, scilicet non sunt cõdignæ passiones huius temporis: quia de passionibus nostris secũdum substantiam operis, seu, vt sunt, ex libero arbitrio intelligitur: remuneratio autem respicit opera & passiones vt sunt ex charitate; seu gratia Dei: Nõ secũda, scilicet Deus præmiat vltrà condignũ, tum quia de præmio operũ: vt sunt meritoria, intelligitur sentẽtia illa: tũ quia nõ ex defectu largitatis præmiãtis, sed ex excellentia sancti operãtis prouenit, ꝙ opus suum vt satisfactorium non remuneratur in ipso Sãcto, hoc est nõ satisfacit pro ipso: quia ipse non est debitor pœnæ pro qua satisfactio fit. Non tertia, scilicet, quòd opera supererogationis nõ remunerarẽtur in ipsis sanctis, sed in nobis, &c. quoniã opera supererogationis vt sunt meritoria, remunerantur in ipsis sanctis: iuxta verbum Samaritani, Quodcunque supererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi. Sed inquantũ supererogant pœnalitates, sic propter ipsorum sanctorum excellentiam nõ possunt in ipsis sanctis remunerari. Vnde patet nullum inconueniens sequi. sed omnia cõsonare, habet enim rectæ rationis ordo, vt quis prius pro se satisfaciat: & si supererogat soluẽdo quod nõ debet, nõ pro se sed pro alio soluat. Nec ex hoc, ꝙ diximus eadẽ opera esse remunerata in sanctis & in nobis, sequitur, ergo nulla sunt sanctorũ opera irremunerata in ipsis. Nam quùm dicitur quædam esse sanctorũ merita relicta irremunerata, nõ fit distinctio operũ, quasi quædã fuerint eorũ opera remunerata, & quædam alia relicta irremunerata: vt argumẽtum interpretatur, & male: sed fit distinctio cõdirionum etiam vnius & eiusdẽ operis. Et est sensus, quòd opera sanctorum inquantum sunt meritoria sunt remunerata in ipsis sanctis: inquantum verò sunt satisfactoria sunt relicta irremunerata, quãtum ad illud pœnalitatis quod supererogauerũt. Vbi patet absque cõtrouersia omnia consonare.

¶ Ad quartã dicitur, quòd vir sanctus potest iudicari dupliciter: primò inquantũ operatur ex suo libero arbitrio, & sic nullus sanctorum impleuit sufficienter in hac vita mandata Dei. Alio modo inquantum operatur ex gratia diuina, & inexistente & assistente: & sic quilibet sanctus sufficiẽter impleuit mandata Dei in his quæ obseruasse eos laudamus. Etsi contra hoc probationes assistentis afferantur, respõdetur & ad primam dicitur, quòd si verbã Domini integrè afferantur, mentirant oppositum. nãm Dominus dicit, Quum feceritis omnia quęcunque præcepero vobis, dicite: Quod debuimus facimus, serui inutiles sumus. Vbi vides, quòd dicẽdo: Quod debuimus fecimus, mõstrat eos impleſſe mãdata sufficienter, alioquin nõ fecerũt quod debuerunt: nã debuerunt sufficienter implere. Non est autem verum, seruum qui fecit quod debuit inutilem citrà fecisse: quoniã si citra fecisset, iam nõ fecisset, quod debuisset: Sed verũ est, ꝙ vt sic nõ supererogauit: & propterea inutilis dicitur: qui enim non facit nisi quod debet, inutilis dicitur. Vnde ex ista autoritate nihil aliud habetur nisi ꝙ sancti ex hoc, ꝙ impleuerunt præcepta Christi, non supererogauerunt: cum quo stat, & ꝙ sufficienter mandata Christi implere potuerunt, & supererogare, vt sic non solùm fecerint quod debuerunt, sed essent serui inutiles in domo Domini. Ad secũdam dicitur quòd oleum, quod sapientes Virgines timuerunt sibi non sufficere, ad meriti conscientiam spectat, & non ad pœnalitates. Ad tertiam dicitur, quod falsum esse constat præceptum de Deo diligendo obseruare hominem plus quàm possit: Maledictus, inquit Hieron. dicens Deũ, præcepisse aliquod impossibile. Falsum quoque est sub præcepto de Dec diligendo, cadere quòd homo diligat quantum potest: intelligẽdo sic, quòd si dilectionis aliquem actum possibilem sibi omittat quis, peccet, vt patet ex hoc, quòd multi dilectionis actus spectant ad opera supererogationis: vt benè velle, & benè facere inimicis in particulari extra necessitatis casum, perfectionis siquidem est hoc, non præcepti. Sed præcipitur, quòd homo diligat Deũ ex toto corde, & ex omnibus viribus, &c. ad hũc sensum, ꝙ nihil contrarium diuinæ dilectioni in corde suo, in mente sua, in viribus suis, &c. admittat. Intellectum autem præceptum illud de actuali dilectione, vt sonat non quid agere hic debemus, sed quo tendere debemus, monstrat secundum Augustinum, quòd patet quòd sancti impleuerunt hoc præceptum, & supererogauerunt. Ad quartam dicitur, quòd sancti per martyrium extrà necessitatis articulum faciunt plus quàm debent: quia supererogant. Et rursus in articulo necessitate ad martyrium pro confessione fidei, supererogant sæpe quo ad satisfactionem: dum plus patiuntur voluntariè quàm pro peccatis suis debeant. Ad quintam dicitur, ꝙ doctrina hæc, super scripturas & rationes & autoritates Rom. Ecclesiæ sanctorũque doctorum fundatur. Et non solùm temeràriæ præsumptionis est contrarium dicere, verum indisciplinatæ mentis est nõ acquiescere tot allatis, vltra autoritatem sanctorum Tho. & Bonauenturæ, & infinitorum doctorum sequacium: oportet enim virum docilem in moralitam theologia, quàm philosophia non quærere certitudinem mathematicam: sed nisi rationi consentaneæ, simúlque à communi doctorum sententia probata in moralibus, vt certa habeamus, confundere necesse est omnia.

¶ AD PROBATIONES Deinde ex autoritatibus sanctorum respondendo dicitur, ꝙ cùm hoc, ꝙ omnes sancti aliquod peccati debitũ habuerũt, pro quo quandiu viuunt orare possunt. non quòd oporteat eos semper peccatũ habuisse coæuum, quandoque enim sine omni peccato fuerũt, sed quia quãdoque peccauerunt, stat ꝙ multa supererogationis & meritoria, & satisfactoria fecerint: qui enim dimitti orat sibi peccata, fatetur se debitorem. Et hoc in tota vita verificatur, quantum est ex parte nostra: quamuis secus sit si secundum adiunctam Dei gratiam sancti iudicentur. Et ne sæpius idem repetatur, distinguito, quòd sancti, & sua opera dupliciter iudicari possunt. Primo secundum se, & secundum proprias vires: & sic sunt semper debitores, & damnabiles, non implẽtes mãdata Dei: iuxta illud Isaiæ. Vniuersæ iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ. Alio modo secundum gratiam Spiritussancti in ipsis & operibus suis, tam informantem, quàm assistẽtem: & sic implent mãdata, & non sunt debitores, sed creditores, digni vita æterna ex ipsis sanctis operibus suis, nihil dãnationis habentes, &c. iuxta illud, 1. Ioan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, non facit peccatum, quoniam semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quomiã ex Deo natus est. Et illud Apostoli ad Rom. 8. Nihil dãnationis ex his, qui sunt in Christo Iesu. Et illud eiusdẽ ad Tim. Bonũ certamen certaui, cursum consummaui, fidẽ seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Vnde prudẽtis lectoris erit discernere, quando scriptura, vel sanctorum doctrina loquitur de nobis aut operibus nostris, secũdum ꝙ sunt nostra, & secũdum ꝙ sunt diuinæ gratiæ: omnia enim mala verificãtur de nobis, & nostris secundum ꝙ sumus nostri, vel sunt nostra: & rursus simul infinita bona verificãtur de eisdem, vt sunt diuinæ misericordiæ, ac gratiæ: vt patet ex his scripturæ locis & multis aliis, quæ afferri possunt. Et hinc habes solutionẽ huius & sequẽtium & similium obiectionum: nãm cum hoc, ꝙ omnes sancti sunt ex se debitores, stat ꝙ ex diuina gratia operando, supererogant. Et similiter, quòd sunt impij ex se: & orando ex diuina gratia meretur nõ imputari sibi impietatẽ. Et similiter Deo ignoscente, hoc est gratiam dante implent mandata: non homine ex seipso implente. Et similiter omnia mandata rune implentur, quando quicquid non ex nobis impletur per gratiam impletur. Et similiter væ vitæ hominũ laudabili, si sine gratia (diuinæ misericordiæ effectu) iudicetur. Et similiter si quid iusti habuero secundum humanã iustitiã iudicem

Universidad de Deusto
Biblioteca

meum deprecabor. Et similiter omne opus bonũ optimè factum, inquantum est ex nobis factum peccatum est, sicut pannus menstruatæ: sed quatenus ex Dei gratia est, nullum peccatum, sed meritorium & supererogatiuum bonum est. Vnde si in quinta probatione intenditur, quòd simpliciter & absolutè & non secundum quòd ex nobis est, omne opus bonũ optimè ex charitate factum est peccatum veniale, non respõsione, sed sensu autignue opus est: nam secundum hoc beata virgo in omni opere suo peccauit venialiter, cui tamen August. dicit gratiam collatam esse ad peccatum ex omni parte vincendũ. Ex hoc sequitur contra Apostolum, indignitas operum suorum ad coronam secundum iustitiam diuinam. Et ex hoc sequitur contra Ioannem Euangelistam, quòd etiam natus ex Deo facit peccatum. Et ex his patet solutio omnium obiectorum ex autoritate Sanctorum.

¶ AD OBIECTA autem contra naturalem vtilitatem ex superfluis Sanctorũ meritis, respõdetur. Et ad primũ, Vnusquisq; propriam mercedem, & secũdum proprium laborẽ, dicitur, quòd vt patet, de mercede loquitur: merces autẽ merito respõdet: & nos idẽ dicimus ꝙ quiliber sibi soli meretur. Nos autẽ de pœnarum remissione loquimur, dicẽtes ꝙ vnus potest satisfacere per alium.
¶ Ad secundum (quòd non digne expenderet illa Ecclesia) dicitur quòd dignissimè expendit dum satisfactoria pro satisfactore expendit: neque enim possunt digniùs expendi. Et licet remissio temporalis pœnæ in comparatione ad dona spiritualis gratiæ sit vile donum: est tamen proportionatum & commensuratum donum meritis Sanctorum, inquantum sunt satisfactoria: quoniam vt sic non nisi exolutiua temporalium pœnarum sunt.
¶ Ad tertium (quòd non piè ageret Ecclesia) dicitur, quòd piissimè mater Ecclesia filiis suis remittit, quos Deus ex rationabili causa in adoptionis filios computaui: non enim omni actu debet mater castigare filium, sed omnia tempus habent.

¶ AD OBIECTA Deniq; cõtra thesaurũ indulgentiarum ex meritis Christi respõdetur. Et ad primum iam patet ex dictis, quòd cum autoritate non solius Ro. Ecclesiæ, sed sacræ scripturæ, Sãctorum & doctorũ hoc dicitur. Et si solius Rom. Ecclesiæ autoritate diffinitiua diceretur, sufficeret ad rationẽ reddendam, de ea quæ in nobis est, fide nõ minus, quã si autoritate generalis cõcilij diffinitũ esset. Hæretici autẽ sicut refutare possunt Ro. Ecclesiam, ita & Cõciliũ. Nec hoc ego somnio: sed Hier. ad Damasum Papa dicit, Si Apostolatus tui iudicio fuerit approbatum, hæreticum se experietur qui contradixerit. Et in Concilio Flor. sub Eugenio 4. acceptat professio Armenorũ, dicẽtiũ, Approbamus quod approbat Ro. Ecclesia, & reprobamus quidquid reprobat Ro. Ecclesia.
¶ Ad secundũ iam dictũ est nisi ad subiuncta ex canone autoritatẽ malè allatam: quia textus non de indulgentiis, sed de indulgentiis indiscretis dicit, ꝙ sunt eneruationes ratione indiscretionis.
¶ Ad tertiũ similiter dictũ est & probatũ, ꝙ nulla sit irreuerentia.
¶ Ad quartum dicitur, quòd opera bona dicuntur esse meliora indulgentiis, hoc est, effectibus indulgentiarum: & non meritis Christi & Sanctorum quæ non sunt indulgentiæ, sed ex eorum satisfactoria supererogatione est efficacia indulgentiæ. Vnde processus illius argumenti assumit tot falsas propositiones, vel veras causaliter & non formaliter, vt non sit mirũ si seipsum interimit.
¶ Ad quintũ dicitur, quòd Cõcilium illud piũ est, quòd claues Ecclesiæ, sicut & alia sacramenta, facere aliquid certi vel nihil certi, potest inrelligi dupliciter. Primò, quantũ ex seipsis: & sic dicitur ꝙ faciũt certũ quid, & oppositũ est impiũ. Alio modo per accidens, puta propter indispositionẽ materiæ, vel subiecti, & sic contingit nõ solùm claues Ecclesiæ, sed & Baptismũ nõ habere certum effectũ: puta, si adultus suscipiat ablutionẽ occulto animo non suscipiendi Baptismũ: tũc enim nec characterẽ recipit. Et si cũ animo solùm peccandi mortaliter accedat, licet characterem suscipiat, gratiam tamẽ nõ suscipit. Et sic est in proposito: quia propter ambiguitatẽ de dispositione subiecti dubitamus de effectu clauium in isto: & cum hoc sumus certi ꝙ claues habẽt certissimũ effectũ in subiecto dispositio ad earũ effectum: & similiter indulgentia est certa donatio dispositis ad illã. Vnde nulla est illusio, si applicatur verè pœnitẽtibus, nec insufficiẽtia meritorũ Christi & Sãctorum: sed ex dubio de dispositione subiecti, quę cõstitit in facto nõ hominis solius, sed Dei misereũs, donãdo vetã cõtritionem, prouenit ꝙ nõ quiescimus à nostris pœnitẽtiis post indulgentias. Et quòd secundò adiungitur, Aut credo mihi merita Christi applicata per indulgentiã esse sufficiẽtia, aut dubito, respõdetur ꝙ plus oportet addere, scilicet susceptа in me, seu participata à me. Credo enim indubiè merita Christi applicata per indulgentiam mihi, & participata à me, seu susceptа in me, esse sufficienter exoluẽtia debitas à me pœnas temporales pro meis peccatis: sed dubito an sint à me participata, quia dubito an ego fuerim dispositus pro participatione illorum, hoc autem dubium est sanctum. Et rursus si credo me participasse, volo etiam addere meas satisfactiones non tanquam meliores satisfactione Christi: sed quia melius est duplici via satisfacere, quàm vna tantùm: & plura bona sunt satisfactio Christi & mea, quàm satisfactio Christi tantùm. Ad confirmationem dicitur, quòd merita Christi non sunt indulgentiæ, sed causæ indulgentiarum efficaciæ: indulgentiæ enim, quas consequuntur Christi fideles, nihil aliud sunt quàm remissiones suarum pœnarum per merita Christi. Vnde sicut remissiones pœnarum non sunt præferendæ meritis Christi, nec præceptis Christi, aut Ecclesiæ, ita nec indulgentiæ: & tamen cum hoc stare liquet, quòd remissiones fiant per merita Christi.
¶ Ad sextum dicitur, quòd appositio meritorum Sanctorum consonat diuinæ dispositioni, non quòd insufficiens sit Christi satisfactio, sed vt plura sint in Christi corpore mystico satisfactoria. Sic enim docuit Apostolus: Adimpleo inquit ea quæ desunt passioni Christi in carne mea pro corpore eius, quòd est Ecclesia.
¶ Ad septimũ dicitur, ꝙ nõ est hæc Ecclesię doctrina, vt thesaurus meritorum Christi & Sanctorum ita cõmissus sit Ecclesiæ dispensationi per indulgẽtias, ꝙ sine ipsius nõ dispẽsetur à Christo summo Sacerdote. Sed ista cõsequentia nõ valet, Thesaurus ille potest haberi sine indulgentiis, ergo non habetur per indulgentias: stat enim quod multis modis participari possit à Christi membris.
¶ Ad octauũ dicitur negando sequelam, non ex insufficientia meritorum Christi: sed propter diuinæ sapientiæ dispositionem ex parte Dei, qui nõ ordinauit thesaurum Ecclesiæ ad remittendum pœnã mortis: & propter disparitatẽ pœnarũ exparte nostri. Pœnarum siquidem nostrarũ quædã sunt pœnę naturales, & quędam personales: hoc est, quædam cõsequuntur nos propter peccatum naturæ, quod est peccatum originale, & quædam sunt nobis debitæ propter actualia peccata nostra. Illæ pœnæ quas incurrimus propter infectam naturam, reseruantur vsque ad renouationem naturæ, quæ in resurrectione fiet ex merito etiam passionis Christi: quoniam ipse mortem nostram vtranque, scilicet animæ & corporis moriendo destruxit, & ideo non remittuntur per indulgentias: quoniam spectant ad tempus naturæ infectæ. Illæ verò, ad quas tenemur ex propriis peccatis actualibus, in hac vita remittuntur per indulgentias: præsens enim vita tẽpus est purgandi non naturalia, sed personalia: vnde etiam in Baptismo persona, non natura sanatur. Et quia mors cum suis pœnalitatibus est pœna naturæ, ideo merita Christi per indulgentias applicata ad pœnam mortis non se extendunt. Vnde patet, quòd non ex infirmitate meritorũ Christi, sed ex natura pœnæ & status præsentis prouenit, quòd pœna mortis nõ remittitur per illam in hac vita. Nec ex hoc quòd remittunt pœnam æternæ mortis sequitur, ergo & temporalis mortis pœnam: tum quia æterna sensus pœna est de numero personalium pœnarum, mors autem de numero naturalium. Tum quia aliud est loqui de meritis Christi satisfactoriis absolutè, & aliud de eisdem, vt superfluunt sacramentis, vt per indulgentias dispẽsanda relinquuntur: ipsa enim absolute in sacramentis tollunt pœnam damni & sensus æternam, potius per viam concomitantiæ, quàm per satisfactionis. Reconciliando quippe hostem in Dei filium adoptiuum, sequitur quòd non hostili pœna puniendus est, quòd est tollere pœnam æternam. Soli enim hostes exterminatrice pœna digni sunt. Filij enim castigandi, purgandi suaptè natura relinquuntur. Thesaurus autem indulgentiarum Christi merita, vt satisfactoria exhibet.
¶ Ad demum obiecta cõtra hoc quòd absolutioni, quæ fit per indulgentias annectitur dispensatio thesauri meritorum Christi & Sanctorum, respondetur: Et ad primum dicitur, quòd non est par ratio de actu absolutionis in indulgentiis, & de aliis absolutionibus, siue censuris, siue aliis, sine sacramenti exhibitione. Tũ quia absolutio ista respicit tertiam sacramenti pœnitentiæ partem, scilicet pœnitentialem satisfactionem (suppiet enim eam) Christi autem merita directè ad sacramenta respiciunt: reliquæ autem absolutiones non respiciunt partem aliquam sacraméti alicuius. Tum quia absolutio ista est à pœna debita apud diuinam iustiam in hac vita vel alia: aliæ verò absolutiones sunt à pœnis in hac tantum vita debitis. Hinc enim fit, quòd ad istas remittendas sola potestas Papæ sufficiat & efficiat: ad illas verò vltra potestatem in Papa exigatur & dispositio subiecti per veram pœnitentiam, & meritorum Christi dispensatio, non ad libitum applicato: quoniam ministri non est remittere pœnas principali debitas, nisi dispensando. Sic enim nos existimet homo (inquit Apostolus) vt ministros Christi: & dispensatores mysteriorum Dei.
¶ Ad secũdum dicitur, quòd sicut in sacramento pœnitentiæ claues respectu peccatorum actum quidem soluendi exercent positiuè, ligãdi autem negatiuè quo ad clauem potẽtiæ, quamuis positiuè ad vtrũque se habeat clauis scientiæ, ita in indulgentiis inuenitur, quòd clauis scientiæ positiuè decernit solutionẽ & ligationem: clauis verò potestatis positiuè quidem absoluit, negatiuè autẽ ligat: qualiagare hic sicut & in peccatis, non est aliud quàm nõ absoluere ex iudicio & autoritate clauis scientiæ. Vnde nõ soluere absolutè nõ est actus clauis, qui est ligare: sed ex iudicio clauis non soluere est ligare, qui actus est clauium. Et per hoc patet, quòd licet effectus solutionis & ligationis sit suæ clauibus: ipsum tamen soluere, vel ligare non est in militanti Ecclesia sine clauium exercitio. Augustæ die 7. Octob. 1518.

QVÆSTIO II.

¶ *Num dare operam ad consequendas indulgentias sit imperfectionis.*

VÆRITVR vtrum dare operã ad acquirendas indulgentias sit imperfectionis. Et videtur quòd sic. Primò, quia actus non meritorius est imperfectionis: sed acquirere indulgentiam, non est meritorium: ergo, &c.
¶ Secundò, quia indulgentiæ sunt relaxationes pœnarum debitarum: perfectorũ autem est pœnas amplecti, non fugere: quoniam sitiunt crucem Christi: vt de sanctis Andrea, Laurentio, & Vincentio legitur.
¶ Tertiò, quia secundum doctores sacros, habens indulgentias melius facit si per seipsum adimplet iniunctã pœnitẽtiam, quàm si propter indulgẽtias omittat illã: perfecti autẽ æmulãtur charismata meliora imperfectorum igitur est indulgentiis incumbere.
¶ Quartò, quia indulgentiæ non prosunt, nisi ad relaxationem pœnarum canonicarum: sed non nisi criminosis publicè imponuntur canonum pœnæ, quia sunt publicæ pœnitentiæ partes: ergo non est nisi imperfectorum indulgentiis egere, ac per hoc dare operam ad eas acquirendas.
¶ Ad huius euidentiam sciendum, quòd indulgentiarum fructus proprius est satisfacere diuinæ iustitiæ, quo ad pœnam temporalem propriis peccatis debitã ex pœnis Christi & sanctorum, secundum traditionem Ecclesiæ Rom. vt patet in extrauaganti Clem. 6. & multorum Romanorum Pon. apostolicis literis. Hac autem suppositione facta (in alia quæstione adhuc magis probanda, quàm in tractatu de indulgentiis firmauerimus) consequenter dicendum est, quòd quum actus iste, qui est satisfacere per alium, non sit ex suo genere malus, nullam enim deordinationem importat, nec habet imperfectionem moralem annexam, quoniam cum ferueñti charitate & promptissima voluntate per seipsum satisfaciendi, stat quòd tali modo, scilicet per sanctorum pœnas velit satisfacere, & nihilominus operibus sanctissimis tãto magis intendere, quantò liberior à debita pœna, & gratior esse debet propter hoc cumulatum beneficij. Sed est actus de genere bonorum moralium: est enim appetitu recto appetibilis, vtpotè ablatiuus impedimentorum ad cælestem patriam. Pœnæ peccatis enim debitæ impediunt ingressum ad æternam beatitudinem, vnde tantùm oportet animas in purgatorio morari, donec exolutis pœnis omnibus debitis pro suis peccatis, liberæ ab omni malo pœnæ, omnium bonorum aggregatione perfectum statum assequantur. Nec solum est moraliter bonus, sed etiam meritorius, si fructuosus est: quoniam non nisi existentibus in charitate indulgentiæ prosunt, vt ipsa concessionis forma monstrat (dicendo verè pœnitentibus) omnes autem actus humanos ex charitate procedentes meritorios esse constat. Nec solùm est meritorius æternæ vitæ, sed consonus etiam perfectis viris: quoniam continuè suspirantibus ad cælestem patriam, & cupientibus dissolui, & esse cum Christo consonant omnia recta acceleratiua cælestis ingressus: cõstat autem exolutionem pœnarum debitarum pro peccatis acceleratiuam esse cælestis itineris: quoniam impedimenta ingressus ad felicitatẽ tollit. Omni igitur ex parte apparet, quòd dare operam indulgentiis, est actus communis perfectis & imperfectis in charitate constitutis, si pœnis adhuc pro peccatis suis obnoxij sunt. Et cõfirmatur, quia omnibus quantumcunque perfectis conuenit dicere quotidie, Dimitte nobis debita nostra: in quorum numero constet esse debitum pœnæ pro peccatis, quod autem consonat petere, consonat & quærere. Consonat igitur etiam perfectis quærere debitum pœnæ pro peccatis suis debitæ exolui per satisfactoria opera Christi & Sanctorum.

¶ AD PRIMAM autem obiectionem dicitur, quòd sermo doctorum dicentium indulgẽtias non esse meritorias, est formalis, & verus formaliter intellectus: hoc est, quòd indulgentia, vt satisfactoria, non est meritoria. Cõmune est enim satisfactoriis omnibus (siue per seipsum homo satisfaciat, siue per alium viatorem, vel sanctum) quòd meritoria non sunt formaliter sumpta, hoc est, vt satisfactoria. Et ratio est in promptu, quia satisfacere, nõ est aliud, quàm liberari à debito: ex hoc autem, quòd aliquis à debito liberatur nõ meretur: vnde & in purgatorio quilibet satisfacit, & nemo meretur. Cùm hoc autẽ, ꝙ indulgentia, quo ad fructum, satisfactionem per alium, hoc est, Christũ, & sanctos sonat, non est meritoria, stat quòd aliquid facere pro indulgentia satisfactoria, sit meritorium, non solùm ex genere operis (puta subuenire Ecclesiæ, autorare) sed ex intentione facientis, qui mouetur ex charitate, ad hoc, vt impedimenta sui ingressus ad æternam vitam tollantur. Et hoc consonare perfectis, manifestum est.
¶ Ad secũdum dicitur, quòd perfectorum est pœnas promotiuas sui vel aliorum ad æternam vitã amplecti. Pœnas autem ex propria culpa impeditiuas æternæ vitæ, non est perfectorum iterare, sed quà citius fieri potest, liberare se abillis: vt expeditius semper inueniatur pro cælestis patriæ ingressu. Constat autem pœnas pro peccatis debitas esse ex propria culpa impeditiuas ingressus cælestis: & ideo perfectis per se, vel per alium citius sunt exoluendę.
¶ Ad tertiam dicitur, quòd nihil obstat dictis confilium de meliori bono: quòd, scilicet melius facit cõsequutus indulgentiam, si per seipsum satisfacit. Nam proculdubio melius est duobus modis satisfacere, quàm vno, scilicet per alium, & per se, quàm per alium tantùm. Et rursus, per alium satisfit solùm, sed per seipsum, & satisfit & medela adhibetur: pœnitentia enim per seipsum impleta est, non solùm satisfactio, sed medicina. Cùm his enim stat, quòd perfecti emulando charismata meliora, sectentur etiam indulgentias, vt expediti sint ad vitam æternam.
¶ Ad quartam dicitur, quod multa falsa continet. Primum est, quod indulgẽtiæ non prosint nisi ad relaxationem pœnarum, quæ per canones pœnitentiales impositæ sunt: patet enim hoc esse falsum ex ipsa forma conceptionis, sonantis remissionem pœnarum iniunctarum: iniunctæ autem sunt, siue secundum canones, siue secundum arbitrium confessoris. Aliud falsum est ꝙ pœnæ canonum pro solis criminibus publicis imponi possunt: quum constet in foro pœnitentiali posse imponi: vt pro secretis secretè pœnitentiam agant. Aliud falsum subintelligitur, reprobatum in alia quæstione, scilicet quòd sub pœna canonica non includatur etiam pœna simpliciter debita peccato. Quod ex eo patet etiam esse falsum: quòd non iudicat Deus bis in id ipsum: iudicaret autem bis, si semel per seipsum, & semel per suum vicarium temporalem pœnam satisfactoriam pro peccato exigeret, quod contingeret, si pœnitentia à sacerdote secundum canones imposita, non euacuaret pro sua portione pœnam satisfactoriam apud Deum. Et hinc est quartum falsum, scilicet, quòd remissio pœnitentiæ iniunctæ adepta per indulgentias, non sit remissio pœnæ debitæ pro satisfactione peccati apud Deum: vt in alia quæstione manifestauimus. Quocirca cuicunque obnoxio pœnæ temporali pro satisfactione cuiusque actualis peccati profunt indulgentiæ, siue sint iniunctæ secũdum canones, siue cõfessores arbitrio. Et etiam si non sunt actu iniunctæ dummodo Ecclesia seruatis seruandis in forma indulgentiæ etiam ad non iniunctas pœnitentias extendat illam: vt alias hoc, scilicet de non iniunctis, manifestabitur. Et quia tam perfecti quàm imperfecti, tam sani, quàm infirmi, tam morituri, quàm diu victuri, tam impediti, quàm non impediti in charitate constituti, rei possunt esse alicuius pœnæ temporalis pro satisfactione suorum actualium peccatorum: ideo nullus excipitur à fructu indulgentiarum qui voluerit earum particeps fieri, rarisque videntur esse adeò satisfacientes per seipsos, qui non egeant indulgẽtiis: qui tamen tutius agunt si per indulgẽtias etiam à debitis se absolui curent. Augustæ die 2. Octobris, 1518.

QVÆSTIO III.

¶ *Num occurrenti pauperi negans eleemosynam, quam tamen dat pro indulgentia consequenda, peccet.*

VÆRITVR vtrum occurrenti pauperi negans eleemosynam, quã tamen dat pro indulgentia consequenda, peccet. Et videtur quòd sic.
¶ Primò, quia agit contra ordinem diuini præcepti: quo quis primò seruare tenetur præcepta, seu mandata Christi, quàm acquirendis vacare indulgentiis: vtpotè quia hoc non est mandatum, sed voluntarium.
¶ Secundò, quia talis agit contra illud Ioã. Si quis viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? primæ Ioan. 3. Et si dicatur quòd sola extrema necessitas obligat ad mortale: contrà, tum quia secundum hoc charitas nunquam vel rarissimè locum haberet operandi, tum quia quiliber in necessitate constitutus, vellet non sibi expectari necessitatem extremam, sed prius subueniri: ergo hoc idem seruandum est in aliis.
¶ Ad euidentiam huius considerandum est, quòd ad hoc, quòd aliquis actus humanus sit peccatum, non sufficit negatio bonitatis maioris, alioquin non daretur gradus in actibus bonis, sed soli summè boni actus effugerẽt rationem peccati: sed exigitur quòd sit inordinatus: nisi enim à diuino ordine declinaret, peccatũ non esset. Deordinatio autem actus effusiuæ pecuniæ sicut & cæterarum moralium actionum, tunc tantum est, quum vel non sua, vel ad id quod non debet, vel quum non debet, &c. impenditur pecunia: nisi enim aliquid quod debuerat adesse, desit, aut quòd debuerat abesse, adsit, peccati ratio non saluatur: quocirca ad debiti rationem oportet spectare peccati iudicium. Et hinc fit, vt licet melius faceret qui pecunias suas in eleemosynas daret, quàm si expenderet eas in humanis officiis defunctorum, quæ sunt consolationes viuorum: non tamen peccaret expendens eas pro honorabilibus exequiis, quia non tenetur illas pecunias dare pauperibus: & actus exequiarum humanus iuxta statũ personæ & patriæ morem non est deordinatus. Vnde in proposito, quum dare eleemosynã sit præceptum affirmatiuum, obligans tantum pro loco & tempore: si in casu quimur, quo præceptum de eleemosyna obli-

gat,non est dubium ꝙ negans illam, vt det pro indulgẽtia peccet, non enim sunt faciẽda mala,vt veniãt bona. Si autem sumus extra casum,in quo præceptum de eleemosyna obligat: quamuis pauper occurrat petens eleemosynã, licitè potest quis omittere eleemosynam & dare pro indulgentia non minus, quam posset illam simpliciter omittere, & quam posset pecuniam illam in vsus suos conuertere. Vnde Dominus Mariam à discipulis defendit, obiicientibus quòd pretiosum vnguentum quo multis potuisset subueniri pauperibus in vnum humanum opus perderet: affirmans quòd bonum opus operata est. Vbi ex subiuncta ratione, Pauperes enim semper habebitis,&c. docuit, quòd cõcurrentibus duobus bonis, altero continuo, altero pro instante commoditate, licitum est omisso pro tunc maiori ex suo genere bono, dare operam minori illo tempore occurrenti: ad hoc enim spectat, quòd pauperes semper adsunt, ipse autem non semper.

¶ AD PRIMAM Autẽ obiectionẽ dicitur ꝙ ordo præceptorũ æ̃ eõsimilia est in præcepto tunc tãtum, pro quanto præceptum affirmatiuum obligat: extra tẽpus siquidẽ pro quo obligat, liberũ est cuiq; cõsilia sequi. Sic autẽ esse in proposito supponitur.

¶ Ad secundã negatur, ꝙ talis agat cõtra doctrinam Ioan. Euang. quia Ioãnes loquitur pro quanto præceptũ affirmatiuum obligat: certo autẽ certius cõstat, ꝙ nõ quælibet necessitas fratris visa cõstituit tẽpus, pro quo præceptũ eleemosynæ obligat. Vnde glossa ibidem dicit in verbo necessitate victus vel vestitus. Multi autem sunt pauperes habentes victum & vestitum, vt patet de Gabelo apud Thobiam. Et rursus glossa ibidem de substantia superflua exponit, dicens: Si superflua non potes dare fratri, animam tuam non potes ponere pro fratre. Non loquitur ergo Ioannes de qualibet necessitate fratris, nec de quolibet habente substantiam huius mundi: sed de superfluam substantiam habente iuxta verbum Domini: Quod superest, eleemosynam date, Luc. 11. Nec propterea ego abundans teneor huic pauperi dare, quamuis teneat dare eleemosynam: si recta ratio moralium actuum regula est. Vtrum autem sola extrema necessitas,tẽpus, pro quo præceptum obligat determinet, alia quæstio est:& alibi memini me scripsisse post S. Thomam, ꝙ quãtum est ex parte necessitatis pauperis sola extrema necessitas determinat tẽpus,pro quo præceptũ de eleemosyna obligat ad peccatum mortale. Sed extrema necessitas non intelligitur, quãdo prope mortem homo est, tũc enim non potest sibi subueniri, sed quãdo est adhuc tẽpus viliter subueniendi, nec apparet alia via, qua illi subueniatur, si ã me non sibi succurritur: tunc enim necessitas est extrema, licet longè sit à morte. Rursus licet necessitas non extrema non obliget ad peccatum mortale omittentem eleemosynam, magna tamen necessitas visa à potenti sine suo incommodo subuenire, rationabiliter tenetur, vt obliget etiam ad peccatum, quamuis non mortale. Sicut enim secundum Philosophos in actibus bonis, quod est prope medium, ad virtutis actum spectat: ita in oppositis non solùm qui totaliter declinat, peccat, sed etiam qui propè ad vitium appropinquat, & secũdum Theologos non solùm qui cõtra præceptum: sed qui præter præceptum facit, peccat. Et propter istam latitudinem, qua necessitas proximi visa quãdoque ad mortale, quãdoque ad veniale, quandoque ad nullum obligat peccatum: Ioan. Euang. dixit, Quomodo charitas Dei manet in illo? & non manifestè asseruit charitatem Dei non manere in illo. Quamuis asserriuè intellecta verba illa, secluſa superfluitate bonorum, de extrema necessitate accipienda sint, quoniam tunc tantùm debita negatur subuentio in notabile damnum proximi vergens:& propterea fit contra charitatem proximo debitam. Extra hãc autem necessitatem, aut subuentio non est ad hoc debita, aut non est illatiua damni notabilis proximo: & sic non fit contra charitatem debitam, sed aut præter eam, aut nec præter, nec contra illam. Et quum contra hoc arguitur: primò, quia secundum hoc charitas nunquam, aut rarò haberet locũ operandi, negatur sequela, quoniam charitas etiam sine præcepto operari potest & frequentissimè eleemosynæ opus operatur. Et quum dicitur secũdo, quia quilibet vellet sibi extra necessitatem extremam subueniri: conceditur, sed negatur sequela, ergo subuentio est in præcepto. Non enim omne quòd volumus, nobis fieri, cadit sub præcepto, vt alij nobis faciant: quilibet enim vellet nunquam sibi mendacium dici, non tamen propterea sequitur, ergo quilibet mentiens facit contra præceptum:& sic de aliis. Augustæ die 7. Octobris, 1518.

QVÆSTIO IIII.

¶ Num indulgentia absoluendo ab iniunctis pœnitentijs absoluat à pœna debita peccato apud diuinam iustitiam.

QVÆRITVR Vtrum indulgentia absoluendo ab iniunctis pœnitentiis, absoluat à pœna debita peccato apud diuinam iustitiam. Et videtur quòd non.

¶ Primò, quia iniunctæ pœnitentiæ ab homine, sicut non obligant nisi in foro ecclesiastico, ita earum absolutio non est nisi in foro ecclesiastico.

¶ Secundò, quia pœnitẽtia voluntaria, de qua Christus dicit, Pœnitentiam agite, est de præcepto Christi & de essentia pœnitentiæ spiritualis, ac omnino de necessitate salutis:& consequenter non est in potestate sacerdotis cuiusq; dimittere illam. Est enim mortificatio passionum & crux portanda post Christum.

¶ Tertiò, quia potestas ligandi atque soluendi par est: sed Papa non potest ligare nisi ad pœnam canonicam: ergo non potest absoluere nisi à pœna canonica.

¶ Quartò, Satisfactio sacramentalis non dicitur satisfactio, quia satisfaciat pro culpa simpliciter, sed quia satisfaciat secundum statuta Ecclesiæ: ergo absolutio ab illa non est absolutio à satisfactione simpliciter. Antecedens probatur: quia dicendo pro culpa satisfit per pœnam mortificationis proprie,& huiusmodi.

¶ IN OPPOSITVM Autem est cõmunis Ecclesiæ sensus.

¶ AD EVIDENTIAM Huius sciendum est, quòd pœna canonica (hoc est iuncta à sacerdote in confessione sacramentali) & pœna satisfactoria pro culpa secũdum diuinam iustitiam, non se habent sicut duæ pœnæ, sed se habent sicut pœna indeterminata & pœna determinata. Sicut etiam præceptum de confessione facienda editum à Deo & ab Ecclesia, non præcipit duplicem cõfessionem, sed se habet Ecclesiæ præceptorum ad diuinum vt determinatum ad indeterminatum. Illud enim idem quod precipit Deus, præcipit Ecclesia: sed Deus præcipit, quòd confiteamur non determinando tempus, Ecclesia idem præcipiendo determinat tempus, scilicet in singulis annis: vnde vna & eadem est confessio præcepta à Deo & Ecclesia, Et proculdubio vnica confessione implet, qui licet præceptum Dei & Ecclesiæ: ridiculum quippe esset semel confiteri, vt obediatur Deo, & iterum vt obediatur Ecclesiæ. Simile quid est videre in proposito: nam pro peccato cõmisso (puta periurio) tenetur ex diuino præcepto homo satisfacere, sed non determinatè per istam vel illam pœnam: nam potest satisfacere per eleemosynam, vel per ieiunium, vel oratione. Et pro eodem peccato tenetur ex iniunctione sacerdotis imponentis satisfacere per determinatam pœnam, puta ieiunium septem annorum. Nec tenetur pœnitens ad duas pœnas: alteram satisfactoriam apud Deum, & alteram satisfactoriam Ecclesiæ sed implendo iniunctam ab Ecclesia, satisfecit Deo & Ecclesiæ: vel pro tota pœna debita illi peccato (si imposita à sacerdote adæquat debitam secũdum diuinam iustitiam) vel pro parte illa quæ correspondet impositæ, si pœna imposita minor est illa quę secundum diuinam iustitiam determinanda erat. Nec hæc voluntarie dicimus: sed euidenter monstramus discurrẽdo per omnes actus præceptos ab vtrisque, scilicet Deo & Ecclesia: vt patet in præcepto de obseruatione festorum & præcepto de obseruatione ieiuniorũ. Vnũ enim atque idẽ est quod à Deo Ecclesiáq; præcipitur, ab illo indeterminatè, & ab ista determinatè: & dum Ecclesię obeditur, non remanet homo obligatus ad Dei præceptum iterũ implẽdum circa illud. Et simile est in aliis. Quocirca Deo Ecclesiáq; idem præcipiẽte, vnus atque idẽ actus fit debitus duplici vinculo, scilicet Dei & Ecclesiæ. Et propterea putari potest, ꝙ si iniuncta pœnitentia relaxatur per indulgentiam, non remittitur pœna satisfactoria simpliciter & absolutè, sed solũ vt est debita ex vinculo Ecclesiæ, & propterea remanet, vt est debita ex vinculo diuinæ iustitiæ. Sicut quum Papa relaxat ieiuniũ alicui personæ, non cõcedit illi, ꝙ non impleat Dei, seu naturæ præceptum de ieiunio, sed quòd non arctetur ex vinculo ecclesiastici præcepti ad ieiunium. Et secũdum hãc viam sicut ligat sacerdos ad pœnam nouam adiiciẽdo vinculũ determinãdoque per qualẽ quatámque pœnam satisfacere debet pœnitens: ita absolueret per indulgẽtiam tollẽdo vinculũ Ecclesiæ & determinationẽ ad talẽ pœnã. Fallitur autem opinio hæc in hoc, quòd non discernit inter absolutionẽ per viam indulgentiæ & absolutionẽ per viam licentiæ. Absolutio enim per viam licentiæ cõmunis est omnibus principibus ecclesiasticis & secularibus: dum quilibet potest soluere, quæ ligauit, licẽtia præbendo, vt non teneatur iussa à se adimplere:& de huiusmodi absolutione verificatur licẽtia ieiuniorum & similiũ. Sed ꝙ nõ fit talis absolutio per indulgentias: patet ex eo, ꝙ innititur illi priuilegio Christi, Quodcunque solueris super terram: certum est enim absolutionem concessam per hoc priuilegium, non esse illam, quæ cõmunis omnibus principibus est: ad quã nõ est opus priuilegio, sed statim vt quis est princeps habet illam. Amplius absolutio per modũ licentiæ, extendit se indifferenter ad singula positiui iuris: potest enim ita relaxare obseruationem vnius præceptiuris sicut alterius: vt patet. Absolutio autem Petro concessa ex priuilegio Christi habet pro materia ea, quæ regni cælorum sunt (dicente Christo, Tibi dabo claues regni cælorum) & specialiter culpæ (vt patet ex verbo Christi: Quorũ remiseritis peccata, remittũtur eis) & pœnas pro culpa, vt patet ex verbo Christi Matth. 18. Vbi quum dixisset, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus, subdit, Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, &c. Amplius, si indulgẽtiæ nõ essent nisi relaxationes vinculi à sacerdote vel canone impositi, decepta esset vniuersitas fidelium, credẽtium non solum vinculũ, sed ipsas pœnas remissas esse. Alio ergo modo absolu-

absolutionẽ per indulgentiã fieri, ex eo cõuincitur, ꝙ indulgentia verè acquisita, tenet cõmunis Ecclesiæ & doctorum sensus satisfeciſſe hominem illum, ac si pœnitentiam correspondentem illi indulgentiæ perfeciſſet. Ex hoc enim manifestè sequitur, ꝙ indulgentiæ absoluẽdo ab iniunctis pœnitentiis absoluunt nõ solùm à vinculo per sacerdotem, aut canonem apposito: sed etiam à pœna temporali debita secũdum diuinam iustitiam peccato, quãta correspõdet illi acquisitæ indulgentiæ. Nec est parui momenti ratio sumpta à communi sensu Ecclesiæ & doctorum sacrorum: sed est tãtæ autoritatis, vt nõ nisi temerè liceat sentire oppositũ. Et confirmatur sententia hæc: quoniã sic verè relucet operatio priuilegij Petro concessi. Quodcunq; solueris super terrã: absolueris enim à pœnis peccato debitis in foro diuinæ iustitiæ, nõ principis, nõ iuris humani, sed diuinæ est potestatis Petro cõmunicatæ à Christo. Amplius, Clem. 6. tradidit expresse, ꝙ indulgẽtia remittit pœnã tẽporalem pro peccato debitã: vt patet in extrauagãte ab orbe acceptata de Iubilæo quinquagesimo quoque anno: & habetur in extrauagãtium cõmunium titulo, de pœ. & re. cap. vnigenitus. Non licet autem contra apostolicæ sedis doctrinam sentire.

¶ AD PRIMAM ergo obiectionẽ dicitur, ꝙ pœna iniuncta ab homine, seu canone est duplex: quædã simpliciter appositæ ab homine, vel canone, vt excõmunicatio, carcer, & huiusmodi, & hæ non ligant nisi in foro Ecclesiastico. Quædã verò sunt appositæ ab homine seu canone, & appositæ solùm quo ad quantitatẽ & qualitatem, vt suppositas pœnas euacuent. Et istæ obligant partim in solo foro Ecclesiæ, pro quãto non tenentur nisi in hac vita implereillas qualitates: & partim simpliciter apud Deum pro quanto si non secundum iniunctas qualitates satisfecit, tenetur satisfacere apud diuinam iustitiã in alia vita de tota illa pœna, quæ euacuata fuisset, si secundum iniunctas satisfeciſſet. Vnde si cut pœnitentia sacramentalis obligat in foro Dei, ita absoluit in foro Dei.

¶ Ad secundã dicitur, ꝙ Ecclesia potest absoluere per indulgentias à pœnis debitis ex præcepto & vinculo diuino. Nec hoc facit Ecclesia humana sed diuina autoritate sibi concessa ex priuilegio Quodcunq; solueris: Petrus enim vt vicarius, & minister Christi agit autoritate Christi. Nec mirũ si potest absoluere à pœna debita ex præcepto Christi, & ad quã obligat interior pœnitentia, & quæ est de necessitate salutis, quia potest absoluere à culpa: quæ tantum excedit pœnã vt Iudæi dixerint, Quis põt peccata dimittere, nisi solus Deus? Sacerdos enim ministerialiter absoluit à culpa & remittit peccata confitentiũ sibi: dicente Christo: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et multò magis potest Christi minister absoluere à pœnis: quũ enim culpa & pœna impedimenta sint regni cælorũ (quia & nihil coinquinatum intrabit illud, & absterget Deus omnẽ lachrymã, nec dolor erit vltra, &c.) Ad claues regni cælorum spectare necesse est vtrunque impedimentum tollere: alioquin aperiri regnum cælorum fidelibus non sufficerent. Cõstat autem sufficere in patiente dispositio, & reliquis concurrentibus requisitis. Quocirca pœna ad quam peccator ex Dei præcepto tenetur, & quam pœnitẽtia interior operatura erat pro peccato, & quæ de necessitate salutis æternæ habendæ implenda erat, per indulgentiæ absolutionem verè acquisitam sublata, & definit talis homo ad illam obligari, & ex diuino præcepto, & ex pœnitentia interiori, & ex fine salutis æternæ, quia iam satisfecit per aliam viã, scilicet per absolutionem indulgẽtiæ, & hoc Christi autoritate per suum ministrum ritè exequuta. Quod autẽ dicitur, quòd pœnitentia, ad quam tenetur peccator, est erux Christi, & mortificatio passionum iam à priscis solutum doctoribus dicentibus, quòd pœnæ inquantum sunt medicinæ passionum, non supplentur per indulgentias: & propterea debemus etiam indulgentiis acquisitis pœnitentiam agere, vt medicinam passionum nostrarum: Inquantum verò sunt satisfactiuæ pro peccatis commissis, sic supplentur per indulgentias. Et similiter est distinguendum de cruce post Christum portanda, & similibus.

¶ Ad tertiam dicitur, quòd propositio assumpta (scilicet potestas ligandi atque soluendi par est) est cum grano salis intelligenda: quia etsi est par quantum ad materiam (quia vtrobique Dominus dixit, Quodcunque. sicut enim dixit, Quodcunque solueris, ita dixit, Quodcunque ligaueris) non tamen est par quo ad modum. Nã & peccata sacerdos ministerio autoritatiuo tollit, ita quòd absoluendo facit de peccatore iustum: non potest tamen ministerialiter ligãdo facere de iusto peccatorem. Ex hoc enim patet, quòd alio modo soluit quam ligat Petrus quantum ad culpas: & similiter fas est, vt alio modo Pontifex liget, quam soluat pœnas. Absoluit enim ministerialiter & per sacramentalem absolutionem, & per indulgentias à pœnis secundum diuinam iustitiam debitis: ligat autem ad pœnam sicut ad culpam. Nam sicut ad culpam ligat, vel non remittendo, vel præcipiendo aliquid, cuius transgressio constituit peccatorem: ita ligat ad pœnam, vel non remittendo, vel agendo, vnde per seipsum quis incurrat debitum pœnæ apud diuinam iustitiam. Sub hac autem distinctione dicitur ad minorem, ꝙ si sermo sit de posse quibuſuis modis Papa potest ligare ad pœnam canonicam, & non canonicam, hoc est absolutè apud Deum, (vt patet ex dictis) & similiter absoluere. Si verò sermo sit de posse tali modo, scilicet directè imponendo vel tollendo, sic minor est falsa: quia non æqualiter se habent quo ad modum claues in ligando & soluendo. Potest enim directè absoluere quod non potest directè imponere: vt in culpa.

¶ Potest & nihilominus ad minorem aliter responderi dicendo, quòd in canonica pœna quæ in foro pœnitentiæ iniungitur in satisfactionem, clauditur pœna debita peccato coram diuina iustitia: quoniam eadem est pœna supposita, & qualificata ab homine vel canone: vt patet ex dictis. Et propterea sicut sacerdos ligãdo ad pœnam canonicam, ligat ad pœnã simpliciter vestitam qualitatibus appositis ab homine vel canone: ita absoluendo ab huiusmodi pœna canonica, absoluit & à pœna simpliciter. Nam absoluendo à pœna qualificata per hominem vel canonem, absoluit & à pœna, & à qualitate, qui enim absoluit à toto, absoluit à qualibet illius parte, quia toto includitur pars. Et sic dato ꝙ non liget nisi ad canonicam, nec absoluat nisi à canonica, adhuc habetur intẽtum, quòd ligat & absoluit in pœnam simpliciter debitam in satisfactione pro peccato. Potest & tertiò dici ad eandem, ꝙ quia actus & potẽtia dinidunt ens, & quodlibet genus entis, & ad idem propterea genus spectat homo in potentia & homo in actu & album in potentia & album in actu: & sic de aliis: ideo etiam pœna canonica diuiditur in canonicam in actu, vel in potentia, & vtraq; infra genus canonicæ pœnæ clauditur. Et quòd Ecclesia non solùm potest super pœnas canonicas in actu, sed etiam super pœnas canonicas in potentia. Imò de facto Ecclesia per canones pœnitentiales, & per arbitrium confessorum, nihil aliud facit quàm quòd pœnas debitas simpliciter pro peccatis, quæ sunt canonicæ in potentia facit canonicas in actu adhibendo illis formam canonicam, puta tot dies ieiunij, &c. Ac per hoc Ecclesia ex hoc ipso, quòd potest super pœnas canonicas tam actu quàm potentia, potest super omnem temporalem debitam pro satisfactione peccatorum: quoniam omnes tales pœnæ sunt canonicæ aut in actu aut in potentia: hoc est sunt aut determinatæ per canones, aut determinabiles, sunt aut iniunctæ per sacerdotem, aut possunt iniungi. Et propterea licet Ecclesia in indulgentiis non consueuerit nisi iniunctas pœnas remittere, quia ita sonant, posset tamen etiam non iniunctas remittere: sequitur enim hoc ex nunc probatis, & fulcitur autoritate diui Thom. aliorũmque doctorum.

¶ Ad quartam dicitur, quòd ly simpliciter, in duobus sensibus sumi consueuit. Primò, vt æquiualeat ad ly totaliter, secundò, vt excludat additionem, vt Æthiops non dicitur albus simpliciter, sed cum additione dicitur albus dentes, non autem quia dicimus albi sine addictione aliqua, dicimur albi simpliciter. In proposito ergo si Simpliciter sumitur, pro Totaliter, sic satisfactio sacramentalis quandoque satisfacit simpliciter, & quãdoque non simpliciter, sed partialiter, quia quãdoque adæquat pœnam debitam peccatis, & quandoque non, & hoc est manifestum. Si autem sumitur pro fine addictione, sic satisfactio sacramentalis semper satisfacit simpliciter, dummodo pœnitens agat illam rectè dispositus: quia non solùm satisfacit Ecclesiæ, sed Deo pro tanta pœna debita peccatis, quanta correspondet illi satisfactioni sacramentali. Nec hæc voluntariè dicimus, sed probata efficaciter sunt ex supradictis. Augustæ die 29. Septembris 1518.

QVÆSTIO V.

¶ Num indulgentijs liberentur defuncti à pœnis purgatorij.



QVÆRITVR vtrum ob plenariam indulgentiam concessam pro defunctis, & acceptatam à viuis pro certis defunctis, animæ illorum defunctorum in purgatorio existentes liberentur totaliter à pœnis purgatorij. Videtur enim quòd sic: quia indulgentiæ tantùm donant quantum sonant: sed plenaria indulgentia sonat remissionem omnium pœnarum: ergo, &c.

¶ Præterea, Indulgentia valet (vt dicunt doctores) per modum solutionis: ac per hoc indulgentia plenaria valet per modum solutionis plenariæ: sed facta solutione integra alicuius debiti liber est debitor ab vniuerso quod debebat: igitur habita indulgentia plenaria liberaretur anima à pœnis purgatorij.

¶ Præterea, Doctorum sententia est, quòd cõcurrentibus tribus, scilicet autoritate in dante, pietate in causa, & gratia in recipiente, indulgentia valet: sed hic cõcurrunt omnia: ergo. Et confirmatur ex autoritate prædicationis ecclesiasticæ: multi enim prædicando hoc dicunt.

¶ IN oppositum autem est, quia ex hoc sequeretur, quòd per indulgentias posset Pontifex expoliare Purgatorium.

¶ Ad euidentiam huius difficultatis supposito (prout rei veritas est) indulgentias non nisi per modum suffragij prodesse defunctis, tria sunt præmittenda: & post modum respondendum quæsito. Primum præmittendum est de ista indulgentia in se, quid sit plenaria indulgentia per modum suffragij. Secundum est de modo seu via, quo modo perducatur indulgentia ad animas in Purgatorio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

torio. Tertium est de ipsarum animarum in Purgatorio dispositione ad percipientem indulgentiæ fructum.

¶ Quo ad primum, à quid nominis inchoando, quia suffragium auxilium significat, & in proposito de ecclesiastico suffragio est sermo modus suffragij modum ecclesiastici auxilij denotat: ita ꝙ indulgentia per modum suffragij significat indulgentiam per modum ecclesiastici auxilij: hoc est per modum, quo nos per pia opera nostra suffragamur, seu auxiliamur defunctis. Nequit autē intelligi modus iste suffragij nisi Ecclesię suffragia perspecta fuerint: quoniam ad horum similitudinem indulgentia suffragij modum induat. Et quum triplariam nostris operibus suffragemur defunctis (vel meredo bonis operibus, de cōgruo tamen, defuncti alicuius liberationem à Purgatorio, vel impetrando nostris orationibus illam, vel satisfaciendo nostris passionibus, seu pœnalibus operibus pro illis) & indulgentiam supponamus fieri ex thesauro superabundantium in Ecclesia passionum, seu pœnalium operum, consequens est, si singula singulis reddēda sunt, vt indulgentia quæ pœnarum solutioné Ecclesiastica autoritate collatam sonat, quum ad modū Ecclesiastici suffragij determinatur, nō cuiuscūq; Ecclesiastici suffragij, sed satisfactorij suffragij modū induat. Nā quum indulgētia, inquātum indulgētia, non sit nisi meritoria, neq; impetratoria, sed satisfactoria: cōsentaneum rationi est, vt non induat modū suffragij meritorij, neq; modum suffragij impetratorij, sed modū suffragij satisfactorij: ita ꝙ indulgētia per modū suffragij, est cōcessa ex thesauro Ecclesiæ, opus satisfactoriū per modū Ecclesiastici suffragij satisfactorij: hoc est per modū, quo nostra satisfactoria suffragia opē ferunt. Hæc de primo.

¶ Quo ad secūdum, qua scilicet via indulgentia per modū suffragij perueniat ad animas in Purgatorio, in ꝓptu est, vnde manifestū fiat. Ex hoc enim ipso, ꝙ indulgentia modum Ecclesiastici suffragij satisfactorij induit, vna eadem est via, per quam Ecclesiæ suffragia satisfactoria pro defunctis facta (vt ieiunia, peregrinationes, & alia huiusmodi) ad defunctorum animas perducūtur, & per quam indulgentia per modum suffragij ad illas perueniē. Et via hæc nō est via iustitiæ, sed via gratiæ seu misericordiæ: quoniā vniuersa Ecclesiæ suffragia diuinam efflagitant gratiam: qua hæc accepta sint pro animabus illis purgandis, quibus suffragari intendimus. Quod ex duobus ad propositum spectantibus declaratur. Primò ex hoc, ꝙ pœnæ nostræ (vt diuus Thom. docuit) sunt alterius & deficientis rationis à pœnis animarum separatarum: sicut pœna pecuniaria est alterius ac desicientis rationis à pœna seruitutis. Hinc enim fit, vt sicut seruitus pecunia non redimitur secundum iustitiæ rigorem, sed secūdum Domini acceptationem: ita pœnæ animæ separatæ pœnis nostris non redimūtur secūdum iustitiæ rationem, sed secundum diuinæ misericordiæ dispensationem. Secundò ex hoc, ꝙ alter est forus noster, in quo nos patimur, & alter & altior, in quo animæ separatæ puniūtur: noster est forus mitis, quasi canonicus vel ciuilis, ille rigorosus, quasi sanguinis & criminalis. Et propterea si quis hic ob debitā pecuniam in seruitutem redactus esset (vt olim fiebat) aut clericus in forum sanguinis decidisset: sicut non sufficeret amplius pecunia ad redimendum illum, nec pœnæ canonicæ sufficerent ad redimendam clerici vitam: ita non sufficiunt passiones nostræ ad satisfaciendum pro pœnis animarum in Purgatorio, quæ tamen nostræ passiones sufficissent ad satisfaciēdum pro eorundem delictorū pœnis in hac vita soluēdis, antea scilicet quā in pœnas alterius rationis essent trāslatæ in foro iræ ac rigoris diuinæ iustitiæ: qualis est forus, in quo puniūtur animæ separatæ: spectāt enim illarū pœnæ ad statutū pœnarum inferni. Nec putes propterea Ecclesiæ suffragia satisfactoria pro defunctis esse vana, aut incerta, sed scito esse vtilia & certa: sicut etiā vtilia sunt & certa suffragia orationū pro illis: quæ cōstat diuinæ misericordiæ inniti. Bene liquidē nobiscū, & cūctis agitur, si diuina gratia acceptatæ, Ecclesiæ suffragia satisfactoria ad releuamē animarū, quę in alia vita puniūtur, deducūtur. Nō est vobis via iuris aliqua adeūdi forū illum ad alicuius redemptionem, sed gratia opus est. Manifestius quoque fit quod dicimus, locū habere in indulgentiis pro defunctis, ex differentia inter modum, quo conceditur defunctis, & quo conceditur viuis: nam defunctis conceditur per modum suffragij: viuis autem per modū absolutionis: vt patet extra. de pœn. & re. cap. quod autem. Vbi videre potes, ꝙ ecclesiasticus princeps vtrobiq; autoritatiue habet actum dispēsandi thesaurū Ecclesiæ, sed respectu viuorum superaddit actum absolutionis, respectu verò defunctorū nullum addit propriè loquendo, actū: latius tamen loquendo, addit actum modificatiuum ad suffragia ecclesiastica. Et meritò sic fit: quoniā nos, qui viuimus, sumus subditi Pōtifici, & pœnę nostrę ad forum præsentis vitę spectant: & propterea seruatis seruandis: indulgētia ad viuos defert viam iustitiæ per iudicis actū, scilicet absolutionem. Existentes autem in Purgatorio (vtpotè extra Ecclesiæ præsentis forum) à Papa absolui non possunt, sicut nec ligari: & ideò indulgentia, quàm autoritatiuè ex thesauro Ecclesiæ confert illis per modum auxilij, ad eorum subelevationem mittit cōfidens in diuina misericordia ꝙ acceptabitur ad subleuamen eorum, qui in foro iræ & furoris Domini puniūtur purgādi. Et est simile ac si sit princeps ciuitatis alicuius, ex ærario publico liberaturus oēs ciues ære alieno grauatos, quo ū aliquis sub suo dominio, alij in alieno iā propterea seruituti addicti essent. In hoc enim casu princeps ex publico ærario autoritatiuè nūmos dispēsaret pro istis & illis, sed degētes sub sua iurisdictione etiā iudicialiter absolueret à debito: ad degētes autē alibi seruos non posset nisi per modum auxilij subuenire cū pecunia illa, & alterius gratiā ac absolutionem expectare. Simili modo Ecclesiasticus princeps ex thesauro Ecclesiæ viuorū ac defunctorū pœnas pro peccatis debitas solutus vtrisq; thesauri opes dispēsat: sed viuis applicat absoluendo illos, defunctis autē applicat auxiliādo, hoc est vt Ecclesiæ satisfactiua suffragia ad defunctorum liberationē dirigendo. Notāter autē dico, Ecclesiæ: quoniam satisfactiones ex thesauro Ecclesiæ dispēsati intelligūtur, si propriè loquendum est, nō ita vt sint istorum, quibus cōcedūntur, tanquam ipsimet opera illa fecissent, aut illi, qui fecerūt fecissent specialiter pro istis: sed tanquam Ecclesię cōia suffragia appropriātur singularibus personis. Est siquidē inter sacramētorū & indulgētiarū efficaciā differētia ad propositū: in hoc ꝙ remissio pœnæ per sacramentum fit ex intentione ipsius Christi, cuius est sacramēti operatio: ita ꝙ iste suscipiēs sacramētum releuatur à tāta pœna, ac si ipse passus fuerit patiēte Christo: vt sacramentū Baptismi testatur: docēte hoc Apostolo ad Ro. 6. & diuo Thom. in 3. par. q. 69. Per indulgentiam autē, remissionę pœnæ cōsequimur, tanquam Ecclesia pro nobis illa passa fuerit, quoniam abūdantia passionū Christi & Sāctorum Ecclesiæ dispensationi credita, intelligitur dona Ecclesiæ, vt cōmune ipsius Ecclesię bonū: ac per hoc per Ecclesiæ rectores, vt ipsius Ecclesiæ sunt, ex intētione Ecclesiæ applicanda his vel illis. Deuenerunt siquidem passiones istæ ad thesaurū Ecclesiæ ex intētione Christi & Sāctorum ad cōmune Ecclesiæ bonū in generali, & cōmissa sunt, vt ex intentione Ecclesiæ ad hos vel illos. Et hoc explicatur in forma indulgentiarum pro defunctis, quū per modū suffragij proculdubio Ecclesiæ cōceditur. Deducitur igitur indulgētia ad defunctos nō iustitia, sed gratiæ diuinæ acceptatione duce. Hæc de secundo.

¶ Quo ad tertium prima frōte apparet ꝙ indulgētiæ sicut & alia cōia Ecclesiæ suffragia omnibus in Purgatorio existentibus pro quibus fiunt, prosint, quoniā oēs tales inter valde malos, & valde bonos medij sunt: quibus secundum August. doctrinam Ecclesiæ prosunt suffragia. Si tamen diligētius perspexerimus, oppositum apparebit, sectando Augustini doctrinā in Enchiridio, & in lib. de Cura pro mor. agen. recitatam à Gratiano 13. q. 2. Videtur enim ꝙ Ecclesiæ suffragia saltem specialia, & similiter indulgentiæ, quæ vt specialia suffragia subrogantur, illis solis defunctis prosint qui in hac vita meruerunt, vt in Purgatorio hæc illis prodessent. Et quoniā fructus, quē ex suffragiis animæ quæ purgātur percipiūt, ad præmiū accidētale spectat, quum sit pœnæ tēporalis remissio: consequens est ꝙ non ad essentiale, sed accidentale meritum pertineat mereri in hac vita, vt suffragia prosint in alia vita. Et si his adiunxeris, ꝙ huiusmodi accidentalia merita non sunt omnibus in gratia decedentibus ad Purgatoriū ducendis: perspicuum erit, ꝙ non omnibus in Purgatorio indulgentiæ & alia specialia suffragia prosunt: quia nō omnes hic meruerunt, vt hæc illis possint prodesse: quamuis omnes hic meruerint, vt hæc illis possint prodesse: quia hoc spectat ad meritum essentiale. Eodē enim merito, quo meruerunt vitam æternam tandem eis exhibendam, meruerunt, vt Sanctorum cōmunione iuuari interim, & tādem frui possint. Videntur autem ad accidentalia hæc merita spectare, deuotio magna ad claues Ecclesiæ indulgentiæ donatiuas, misericordia, solicitudo ad satisfaciēdum pro peccatis, studiū ad suffragandum defunctis, & similia. Et cōfirmatur quod dicimus autoritate diui Thomæ dictis in 3. par. q. 52. art. 8. ad primum, ꝙ in descensu Christi ad inferos non solum liberati sunt illi, quorum tēpus purgationis aduenerat, sed illi qui ob specialē in hac vita deuotionem ad Christi aduētum, meruerunt, vt Christo visitante liberarentur. Vbi videre potes accidentali merito in hac vita tributum, vt pœnæ remissio in Purgatorio accelerata fuerit. Dicendum ergo videtur, quòd omnes, qui in Purgatorio sunt, possunt Ecclesiæ suffragiis & indulgentiis iuuari: sed de facto specialibus suffragiis & indulgentiis non omnes iuuantur, sed illi soli, qui hic meruerunt, vt illi iuuarentur. Communibus autem suffragiis pie puto omnes iuuari: plus tamen & minus secundum diuinæ dispositionis gratiam. Nam qui in hac vita defunctos oblivioni dant, satisfacere quę propriis peccatis negligunt, & sui ita sunt, vt vix cū gratia discedant, alienos à fructu omnium suffragiorum ibi credidierim: quamuis multa pro eis hic fiant, diuina vlciscente iustitia huiusmodi duritiam cordis atque incuriam. Hæc de tertio.

¶ Ex omnibus autem prędmissis facilè patet respōsio ad quæstū. Liquet nāque nō omnes animas in Purgatorio oportere liberari propter planariam indulgentiam illis concessam: tum quia multæ earum sunt forte de illarum numero, quæ hic non meruerunt, vt huiusmodi indulgentiæ illis prodessent: tum quia non constat, si huiusmodi indulgentia per modum suffragij coram diuina acceptata sit grātia pro illa anima.

¶ AD PRIMVM Ergo argumentum dicitur, ꝙ indulgentiæ tantùm donant, quantum sonant: apud tamē aures doctas, apud quas indulgentia plenaria sonat remissionem omnis pœnæ pro peccato actuali iniunctæ. Et si extenderetur ad non iniunctā, semper subintelligeretur modus suffragij: qui non minuit rationem plenariæ, sed apponit modum, quo indulgentia plenaria fit auxiliaris tantùm.

¶ Ad secundum dicitur, ꝙ indulgentia plenaria in præsenti foro est absolutè indulgentia: & ideo valet per modū solutionis plenariæ. Sed indulgentia plenaria relata ad forū alterius vitæ, quia vt sic induit modum suffragij, valet per modū solutionis plenariæ, suffragando tantùm: ac per hoc expectando diuinæ gratiæ acceptationem. Et propterea licet indulgentia plenaria solueret: nihil tamen fieret nisi absolutio acceptetur à principe, cuius interest.

¶ Quamuis possit etiam dici vltra plenariam absolutionem requiri, quòd ad debitorem perueniat fructus solutionis, qui potest impediri ex hoc, quod debitor non meruit in ista vita quòd hæc plenaria solutio ei prosit: vt declaratum est.

¶ Ad tertium dicitur, ꝙ cōcursus illorū trium proposito nihil officit: quoniā nō est hic sermo de indulgētia simpliciter, sed de ipsa per modū suffragij, qui modus licet nō mutet indulgentiam, nec ipsius plenitudinem tollat: mutat tamen modum perueniendi ad eos, quibus prodest, quoniā ponit modum perueniendi per viam gratiæ. Hoc enim, vt declaratum est, importat modus suffragij.

¶ Ad confirmationem autem de prædicatoribus dicitur, ꝙ prædicatores Ecclesiæ personam agunt dum prædicant Christi & Ecclesiæ doctrinam. Dum autem ex proprio sensu aut cupiditate dicunt ea quæ nesciunt, non agunt Ecclesiæ personam: & ideo non est mirū si in istiusmodi verbis errant. Romę 20. Nouembris 1519.

QVAESTIO VI.

¶ Num Papa autoritate clauium det indulgentiam animabus in Purgatorio.

VTRVM Papa autoritate clauium det indulgentiam animabus in Purgatorio. Et videtur quòd non. Primò, quia potestas Petro data non nisi super terram est: dicente Domino, Quodcunque solueris super terram.

¶ Secundò, quia ipse stylus literarum indulgentiæ pro defunctis expressè habet, quòd per modum suffragij indulgentia animabus datur: constat autem suffragium non spectare ad potestatem clauium, sed ad suffragantium auxilium.

¶ Tertiò, quia hæc potestas non habetur ex sacra Scriptura, nec ex sacris canonibus: ergo, &c.

¶ IN OPPOSITVM videtur autoritas literarum apostolicarum.

¶ Ad euidentiam huius sciendum est, quòd quum actus clauium sit aperire, consequens est, vt actus clauium regni cælorum Petro concessarum sit aperire regnum cælorum, proculdubiò ingressuris in illud, quos constat oportere esse membra Christi. Aperiri siquidem regnum, quum nihil aliud sit quam tolli impedimenta ingressus ad illud, sicut duplicia sunt impedimenta, ita dupliciter aperiri inuenitur regnum cælorum. Sunt enim quædam impedimenta naturæ, hoc est ex peccato originali: & quædam impeditæ personæ, ex peccato actuali. Et quo ad impedimenta peccati originalis, aperuit Christus per seipsum regnum cælorum per passionem mortémque suam (in qua etiam portas abstulit, vtpotè nunquam claudendas) & per Baptismum, in quo cæli aperti sunt. Quo ad impedimenta verò personalia (quæ, scilicet ex peccatis nostris actualibus sunt: vt culpa & pœna pro actualibus debita) per Petrum aperire regnum cælorum statuit. Et propterea sicut ad potestatem clauium Petri spectat tollere personalem culpam per sacramentum pœnitentiæ: dicente Domino, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: ita ad clauium Petri potestatem spectat tollere personalem pœnam, quæ scilicet, pro actuali culpa est debita. Vtraque enim impedit ingressum hominis ad regnum cælorum: alioquin claues non sufficienter aperirent: dum non sufficerent ad tollendum vtrunque genus personalis impedimenti ad regni cælorum ingressum. Et periclitaretur illa vniuersalis à Domino data autoritas, Quodcunque solueris super terram: nam si pœna excipitur actuali peccato debita, iam non ad quodcunque soluendum extenderetur clauium subiunctus actus per dicta verba. Clauium igitur Petri actus, cùm sit aperire regnum cælorum Christi membris, tollendo personalia culpæ & pœnæ impedimenta, consequens est, vt quia indulgentiæ autoritate Ecclesiastica datæ seruatis seruandis tollunt pœnam pro actualibus peccatis debitam, ad potestatem clauium pertineant. Et si his iunctum fuerit, quòd indulgentiæ omnes eiusdem rationis sunt quo ad causam & effectum (quia omnes sunt ab Ecclesiastica potestate dispensante thesaurum meritorum Christi & Sanctorum, quatenus suffragia sunt: & omnes tollunt pœnam aliquam temporalem pro actualibus peccatis secundum diuinam iustitiam debitam) consequens erit quòd indulgentia quæ pro defunctis conceditur, ad potestatem clauium spectet: ad quam spectat concedere indulgentiam pro viuis. Et confirmatur hoc ex ipso Romano Ecclesiæ stylo in literis indulgentiarum pro defunctis: duo enim ibi dicuntur, & quòd apostolica autoritate indulgentia pro animabus in purgatorio conceditur, & quòd indulgentia ipsa per modum suffragij opitulerur animabus in remissionem suarum pœnarum. Docet enim per hoc Rom. Ecclesia, quòd apostolica sedes thesaurum meritorum Christi & Sanctorum pro animabus in purgatorio dispensat autoritate clauium: sola enim clauium potestas est apostolica autoritate super aperiendo cælorum regno ex meritis Christi & sanctorum animabus Purgatorij, tollendo earum pœnas impedientes illas ab ingressu regni cælorum: vt patet. Et quòd ad animarum in purgatorio pœnas relaxandas indulgentiam concessam transfert per modum suffragij, & non per modum absolutionis: quo scilicet absolutionis modo indulgentiam impedit viuis: vt patet extra de pœ. & re cap. quod autem. Vnde patet quòd indulgentia concessa viuis & defunctis, hoc habet cōmune, quòd vtraque ex potestate clauium dispensante thesaurum meritorum pœnalium Christi & sanctorum in remissionem pœnæ temporalis pro actualibus peccatis debitæ conceditur. Sed modus, quo perueniit indulgentia ad vtrosque, diuersus est: quia ad viuos, qui illam consequuntur veraciter, per modum absolutionis perueniet, defunctos autem, qui etiam illam veraciter eonsequuntur, per modum suffragij liberat.

¶ AD PRIMAM ergo obiectionem conceditur, quòd Papa non potest autoritatiuè absoluere animas existentes in purgatorio: sed aliud est absoluere autoritatiuè illas, & aliud est dispensare autoritatiuè thesaurū Christi & sanctorū pro illis, vt per modum suffragij absoluantur illæ. hoc enim Papa faciens, nō excedit fines iurisdictionis suæ: quia non soluit autoritatiuè per hoc sub terra.

¶ Ad secundam dicitur, quòd stylus literarum apostolicarum continet quidem modum suffragij, sed non tantùm: quoniam continet eum hoc autoritatiuum concessionem indulgentiæ. Et per ambo monstrat & autoritatem dispensandi, & modum suffragij in perueniendo ad animas in purgatorio.

¶ Ad tertiam dicitur, quòd hæc potestas satis habetur ex sacra scriptura, dum ex ea habentur claues Petri: & ex conditrice canonum Romana Ecclesia explicatum est, quòd modis diuersis claues aperiunt regnum cælorum Christi membris viuis & defunctis: vt patet ex dictis. Augustæ die 15. Octob. 1518.

TRACTATVS DECIMVSSEPTIMVS de Contritione, vnica quæstione contentus.

QVAESTIO I.

¶ Num quando quis sua peccata mortalia recordatur, teneatur habere de eo contritionem.

QVAERITVR vtrum quoties recordatur quis sui peccati mortalis, teneatur habere contritionem. Et est ratio dubij: tum quia partem affirmatiuam multi tenere videntur ex verbis S. Tho. in 4. sen. dist. 17. q. 13. art. 1. q. 4. dicentis: Ad contritionem tenetur homo quando peccata memoriæ occurrunt, quum præcipuè in periculo mortis existit, aut in aliquo artic. 4. c.

¶ Tum quia sicut quoties occurit peccatum mortale vt à se committendum, tenetur homo refutare commissionem, ita quoties vt à se commissum teneatur illud detestari.

¶ Tum quia nec per momentum licitum est stare in peccato mortali: ac per hoc statim vt occurrit tenetur illud fugere: iuxta illud Ecclesiastici 12. Quasi à facie colubri fuge peccata.

¶ IN oppositum autem est. Tum quia sequeretur, quòd quotiescunque aliquis de commisso peccato occurrente sibi atteretur, peccaret mortaliter: quia non haberet contritionem. Tum quia efficax ratio non apparet præcepti ad contritionem pro tali tempore, scilicet memoriæ peccati.

¶ AD euidentiam huius dubitationis præmittendū est ꝙ non est hic quæstio de peccato mortali semel contrito, quoniā hoc iā deletū prima contritione est: & sicut peccatum semel rite confessum non tenetur homo iterū confiteri, eadē ratione de peccato semel contrito non tenetur homo iterū conteri. Non enim iudicat Deus bis in idipsum (vt dicit Naum primo) tam quo ad vindictā exteriorē, quam per confessorē exercet, quàm quo ad vindictam interiorē, quam per actum ipsius pœnitētis conterēdo peccatū, exercet: sufficit enim semel contrito, ꝙ nō placeāt sibi cōmissa à se peccata. Et hoc siue cōtritio fuerit de aliquo mortali, siue in genera-

tali: dūmodo fuerit cōtritio illa sufficiēs ad salutē vsq; ad tempus confessionis, qū singula detestādo in cōfessione cōtineatur in speciali. Est autē cōtritio generalis sufficiens ad salutē ad confessionē, illa, qua homo dolēs de omnibus offensis Dei mutat liberale cor ad præponendū Deū omnibus, etiam propriæ vitæ, intēdens congruo tēpore cōfiteri. Et est sermo de cōtritione ipsius peccati secundū se, non secundū suum effectum, qui est retardatio à fœlicitate, ratione cuius totum tēpus præsentis vitæ est tempus contritionis: quia tēpus peccato occupatum inreparabile effectū est pro fœlicitate. Nec est hic quæstio de contritione in vesitate, hoc est dolore charitate informato: quoniā, qū̄ nemo sciat, vtrū amore, vel odio dignus sit, si exigeretur certitudo veræ cōtritionis, semper esset homo perplexus, aut nunquam cessaret obligatio contritionis: quod est falsum. Sed est quæstio de cōtritione quantū est ex parte pœnitētis, hoc est q̄ quantū est ex parte conditionū requisitārū ad cōtritionē ex parte pœnitentis est vera contritio, quamuis nesciat, an sit charitate informata: quia nescitur præsentia charitatis. Et similiter est quæstio de peccato mortali à se cōmisso nūquā contrito, si ue secundū veritatē, sive secundum æstimationē.

¶ Quibus præmissis sciendum est, præceptum habendæ contritionis & esse per se primo affirmatiuū, & claudere in se præceptum negatiuum. Nā præcipit actum contritionis habēdum, & per hoc est affirmatiuū: & præcipit non esse retinēdum odiū Dei, in quod ex peccato mortali incurritur, & per hoc est præceptum negatiuum. Et propterea primo tractandum est de vinculo eius, quatenus est affirmatiuū, & deinde quatenus est negatiuum, & demum quatenus est ex vtroq; mixtum. Præceptorum igitur affirmatiuorum natura quum sit obligare quidem semper, sed nō ad semper, sed ad determinatum tempus, hoc est tēpus necessitatis (vt diuus Thom. in 4. sent. dist. 17. q. 3. ar. 1. q. 4. dicit) consequens est vt præceptum de cōtritione habenda non obliget nisi ad tēpus vrgens ad contritionem, quod constat esse tempus tam mortis (quia summa est tunc necessitas cōtritionis: quoniam nō remanet amplius tempus pœnitendi) quàm tempus ante sacramenti cuiusq; susceptionem aut administrationē: quoniā nisi tunc esset cōtritus, mortaliter peccaret susc ipiens sacramentum, aut exercens actum, quem sine peccato mortali oportet exercere. Tēpus autē occursus, quia scilicet memoriæ occurrit cōmissum peccatū etiā practicè (puta vt detestandū, seu cōterendū) nulla apparet ratione esse tēpus necessitatis. quoniā cū tali occursu stat hominē se habere circa commissum peccatum neutraliter, ac si nō meminisset, ac si dormiret. Nā occurrēte peccato cōmisso, vt materia detestationis habendæ à me, possum tripliciter me habere, vel cōsentiendo in detestatione, vel aspernando detestationē, vel nec amplectēdo nec contemnēdo: sed vel nullū actū volūtatis circa illā exercēdo: & tūc essem neuter: vel habēdo actu velleitatis circa illā, puta quia vellē habere cōtritionē, quāuis in veritate nō velim: q̄a nō intendo abstinere, &c. Si occurrēs ergo memoria nō necessitat hominē ad articulū aliquē, quo oporteat ipsum actū aliquē exercere (quo pacto tēpus necessitatis cōstituit & si rationē præceptorū affirmatiuorū perspexerimus, apparebit occursum nō cōstituere tēpus necessitatis: nā in præcepto baptismi quātūcunq; memorię occurrat baptismus, vt suscipiēdus cū cōmoditate oblata, non propterea obligatio fit pro tūc ad Baptismū. Et similiter in præcepto cōfessiōis, & in præcepto elecmosynæ de superfluo, nō tenet quis tūc confiteri, aut eleemosynā dare, quādo memoriæ occurrit cum cōmoditate parata, vt patet ibidē ex diuo Tho. Si ergo in aliis affirmatiuis præceptis occursus exercēdi actus cōmodē, non constituit necessitatis tēpus, cōsequēs est, vt nec in præcepto cōtritionis habendæ occursus peccati, vt cōterēdi cōstituat tempus necessitatis. Oportet enim oppositū dicētē rationē reddere, quare à cōmuni regula occurrētis actus & materiæ cū reliquis paratis in præceptis affirmatiuis excipiat occurens contritionis cū sua materia actus: vt, sicut se solus habeat vim cōstitutiuā tēporis vrgentis ad seipsum exercendū, reliquis hāc vim nō habētibus. Et quia nulla apparet exceptiōis ratio, sequamur gñalē regulā, tanquā cōmunē huic & aliis præceptis affirmatiuis. Negatiua verò præcepta obligāt semp & ad semper: prohibēt enim mala, quæ nullaten' committēda aut incurrēda sunt. Et licet oīa negatiua præcepta cōueniant in obligatione ad semp, quo ad esse illicitū: differētia tamē quædā inter ipsa præcepta extēso præcepti nomine est in obligatione ad semp quo ad actū peccati. Nā negatiua præcepta de actibus peccatorū obligāt ad semp non solū quo ad esse illicitū, sed etiā quo ad actū peccati: quia prohibēt actū peccati, puta mēdaciū, adulteriū, blasphemia & similia: quæ nō solū sunt illicita, sed quādo adsunt peccati actus cōmittūt. Nullus enim trāsgredit præcepta hæc, Nō mētieris, Nō adulterabis, Nō blasphemabis, nisi qui mētitur, adulteratur aut blasphemat actu exteriori, vel saltē interiori. Negatiua autē præcepta de habituali statu peccati obligāt secūdū se ad semper solū quo ad esse illicitū, & non quo ad actū peccati: quia non prohibēt actū peccati, sed pseuerātiā in statu peccati talis vel simpliciter. Præceptū aut, verbi gratia, de non retinendo alienū inuito Dño, dupliciter intelligi pōt: primò, de detētione habituali: qui nō est actus, sed effectus peccati. & sic nō est præceptū prohibēs actū aliquē. Quod patet ex eo. q̄ q̄ abstulit etiā si dormiat, retinet alienū inuito Dño: sed ꝓhibet pseuerātiā in statu peccatitalis. Similiter & præceptū nō de retinēdo habitualiter odiū erga deū, nō ꝓhibet aliquē actū, puta actū odij divini, sed supposito, q̄ homo peccādo mortaliter odio habuerit Deū, ac per hoc pseueret vsq; ad cōtritionem in statu diuini odij, nō solū passiue, q̄ in altissimus odio habet peccatores, sed q̄ pei' est, actiue, q̄ perseuerat in statu peccati mortalis includēdēs in se diuinū odiū ꝓpter contrarietatē ad dilectionē charitatis, prohibet perseuerantiā in statu peccati mortalis simpliciter: quo fit, vt quia statibus, sicut habitibus, nō meremur, nec demeremur, sed actibus: nullū nouū peccatū cōtra hoc negatiuū præceptū incurratur, nisi stat' talis de nouo acceptetur: puta si de nouo cōsentiatur in perseuerātiā talis status. Sed de detentione actuali, quę nihil aliud est, quā cōsensus efficax in detētionē habitualē, seu quæ est effect' peccati, & sic præceptū est prohibēs actū peccati: & constat q̄ obligat semper & ad semp, sicut reliqua negatiua, & sic ꝓprie habet vim & nomē præcepti: quoniā præcepta propriè de actibus sunt. Discutiendo verò præceptū contritionis, vt mixtū est affirmatiuo & negatiuo, sicut præceptū de restitutiōe, inuenim', q̄ obligat ad statim habēdā cōtritionē, sicut præceptū de restitutiōe obligat ad statim restituendū. Et ratio est: quia tēpus huiusmodi actuū dilatū annexā habet cōtrarietatē ad virtutē. Restitutio enim dilata annexā habet retētionē alieni inuito Dño, quæ cōtrariatur iustitiæ: & similiter cōtritio dilata annexā habet retētionē diuini odij, quæ cōtrariatur charitati. Nec propterea huiusmodi mixta præcepta exorbitant à cōmuni regula præceptorū affirmatiuorū, sed sequūtur eā obligādo tātū ad tēpus necessitatis: nā implicatio inhibitæ cōtrarietatis ad virtutē, determinat tēpus necessitatis ad statim: tēpus quippe necessitatis exercēdæ affirmationis est tēpus ad actionē illā vrgens, sic ꝓ nisi fiat, incurritur peccatū. Sicut igitur præceptū de restitutione propter implicitā detentionē alieni obligat ad statim restituēdū: ita præceptū de cōtritiōe, ꝓpter implicitā detētionē odij cōtra Deū obligat ad statim cōterēdū. Et hęc, p̄culdubiò, est veritas.

¶ SED exurgit difficultas, Quando peccatur cōtra hoc præceptū? Dicere enim, vt prima facie apparet, ꝙ contra præcepta affirmatiua obligātia ad statim peccetur statim (puta cōsummato furto, si non statim fiat restitutio, peccatur contra præceptū restitutionis, omittēdo statim restituere: & similiter cōsummato peccato mortali, agitur cōtra præceptū contritionis, si nō statim cōtritio habetur) Irrationabile videt: quia huiusmodi præcepta obligāt ad singula statim, & non ad primū statim tantū, vt patet ex eo, q̄ transacto primo, Statim, non absoluitur à vinculo præcepti, sed remanet semper obligatus ad statim, donec adimpleat præceptū. Si autē obligat ad singula, statim, sequitur quòd infinities peccat mortaliter, non restituēdo qui furatus est, & non restituit statim, iuxta infinitas moras temporis intermedij inter furtum & restitutionem, si tandem sit. Magis autem rationi cōsentaneum est, vt contra huiusmodi præcepta tunc solùm peccetur ex præteritione temporis, quando non solum omittitur, sed committitur actus peccati determinantis præceptum affirmatiuum ad Statim

¶ Pro cuius clariori notitia aduertēdum est, quòd tripliciter inuenitur concurrere tēpus vrgens ad exercitiū præcepti affirmatiui. Primò, vt actus illius mensura simpliciter & absolutè: sicut tēpus diei festi determinat præceptum de audiendo Missam, & Quadragesimæ ieiunij præceptum. Secūdò, vt actus illius mensura ex præparatione ad alium: sicut tempus præcedēs susceptionē vel administrationē sacramenti determinat præceptum contritionis: non enim tempus illud vrget absolutè ad conterendū, sed si suscipiendum, aut administrādum est sacramentum. Tertiò vt actus illius mēsura ex connexione alterius actus: sicut tēpus significatum per ly statim, determinat præceptum restitutionis, quia actus differendi restitutionē habet annexum actum voluntariæ detētionis alieni interim. Inter hæc autē tempora differētia vna ad propositum inuenitur: quòd si tēpus vrget ad actum, vt illius mensura absolutè, adueniente illo tempore, si omittitur actus, ita quòd omissio vt volūtaria priuatè (quia scilicet potuit, & sciuit exercere actum illum, puta audire Missam, & non audiuit) incurritur peccatū omissionis contra præceptum illud. Si verò tempus vrget ad actum, vt mensura illius ex ordine ad alterum actum, adueniente quocunque tempore, nisi ille alter actus, propter quem tēpus vrget exerceatur, non fit contra præceptum: quantumcunque enim aliquis sit administraturus sacramentum nisi administret illud, aut proponat administrare illud in contritione, nunquam agit propterea contra præceptū cōtritionis: vt patet. Et mīsi modo eadem ratione quantumcunq; aliquis non conteratur statim nisi ad hoc deueniat q̄ cōmissionis peccato incurrat detentionē diuini odij, non peccat mortaliter quāuis pseueret in statu peccati mortalis: sicut qui nō statim restituit, nisi ad hoc deueniat, q̄ cōmissionis peccato incurrat detetionē alieni, nō peccatur de nouo mortaliter, Cōtra præcep

præcepta nanque hæc de non detinendo odium Dei, vel alienum, quum sint negatiua, commissionis peccato oportet quòd agatur, ac per hoc si propterea peccatur contra præcepta affirmatiua de restituendo vel conterendo, quia contra hæc negatiua agitur, non est omissio affirmatiui, nisi adsit commissio cōtra negatiuum. Et hæc absque omni scrupulo veritas amplectenda est.

¶ Ex his autem patet quid dicendum sit ad motam quæstionem principalē: patet nanque q̄ præceptum contritionis non determinatur secundū se ad tempus memoriæ, sed ad statim. Et propterea nisi memoria afferat vrgentē causam ad actum actualis detentionis odij Dei, non occurrit noua omissio contritionis, sed antiqua perseuerat. Nulla autem apparet ratio, quare memoria, aut occursus cōmissi peccati vt detestandi, cōstituat tunc tēpus necessitatis cōmissionis ad detinendū odium Dei magis quàm si non occurreret, nisi fortè aut a l diuinæ inspirationis sequelā dicatur occursum obligare (sed aliud est præceptū de sequela inspiratiōis diuinę, aliud de restitutionis aut cōtritionis tēpore) aut occursum, seu memoriam tanquā appropriās materiā constituere dicatur tempus agendi: quia tēpus agendi est, quando materia est præsens: sed aliud est loqui de necessitate agendi, aliud de cōmoditate, seu cōgruitate agendi. Approximatio enim ad agens liberū, non constituit tempus necessitatis, sed cōmoditatis ad agēdum, nos autem, vt patet ex dictis, tempus necessitatis agendi, ita q̄ nisi agatur, nouum peccatum incurritur: quærimus, Vnde restat, vt recordatio peccati commissi quantumcunq; practica non obliget ad contritionem, sicut nec in præceptis aliis occursus materiæ obligat ad actum. Et hoc loquendo de memoria secundū se: nam si sit sermo de memoria secundum suum effectum, quem vt in pluribus habet (quia scilicet parit aut detestationem: aut approbationem peccati commissi occurentis) sic obligat ad detestationē: quæ tamen potest esse attritio vel contritio, ne in approbationem lapsus fiat.

¶ AD PRIMAM autem obiectionem in oppositum dicitur quòd vox dicentium, q̄ homo tenetur cōteri, quādo recordatur, verificatur secūdum id quod vt in pluribus videtur accidere: quia scilicet cōmuniter practica memoria in nō dolēte parere approbationē videtur. Diui autē Tho. verba si exactè librentur, non dicūt hominem teneri ad contritionē, quando recordatur: sed vnū quādo determinant per alterū quando. Nam dicunt, quando peccata memoriæ occurunt quum in periculo mortis existit, aut aliquo articulo, vbi apparet quòd tempus memoriæ determinatur per tēpus periculi mortis, vel per tempus alicuius articuli, &c. Nec obstat quòd apponitur ly præcipuè: quoniam ly præcipuè, principalitatē denotat periculi mortis respectu alterius partis disiunctiuę scilicet, aut alicuius articuli, &c. periculosius enim omittitur cōtritio in periculo mortis: quia non restat locus pœnitentiæ. Vel ly præcipuè denotat principalitatem rationis obligatiuę ad contritionem, ita quòd tempus memoriæ est quædam ratio conterendi: sed quia non est sufficiens ratio obligandi ad conterendum, ideo additur principalis ratio obligandi, dicendo quum præcipuè periculū, aut articulus, &c. & redit eadem conclusio. Approbat autem hanc doctrinam communis peccatorum attritio, qua fatentur sibi displicere commissa peccata, & dicunt, suam culpam & confitētur quandoq; circa absolutionem, & velleitatem habent status sine peccato. Hi enim actus sunt boni & dispositiui ad pœnitentiam, adeò vt Ecclesia tales confessiones susceipiendas dicit extra de pœ. & re. quod quidem & tamen semper peccarent mortaliter, omittēdo contritionem, si tempus memoriæ esset tempus cōtritionis: quum isti actus nō sint sine memoria peccatorū. Nec obstat, q̄ isti contriti nolunt susc ipere absolutionem, dicentes se esse impœnitentes: quoniā narrare se habituali volūtate esse perseuerantem in statu peccati, non est peccatū: quoniam non approbatur: sed narratur in pœnitentia, nec proponit tunc meretrix peccare, sed narrat tunc miseria status sui cum voluntate illius. Nolle autem absolui, actus bonus est in dispositio tunc ad absolutionē.

¶ Ad secundam obiectionem dicitur, quòd etiam quando peccatum occurrit vt committendum, sufficit non consentire: nec tenetur homo dissentire.

¶ Ad tertiam dicitur, quòd licet nunquam sit licitum stare in statu peccati: non tamen de nouo semper peccat perseuerans in statu peccati: vt patet ex dictis. Romæ, 4. Martij. 1518.

TRACTATVS DECIMVS OCTAVVS de Confessione, in quinque quæstiones diuisus.

1 *Num confessurus peccata sua, id potissimum debeat cogitare, quid faceret, si non esset præceptum confitendi, an etiam vellet confiteri, & exinde iudicare cor suum.*
2 *Num præsumptionis sit confiteri omnia venialia & mortalia.*
3 *Num circumstantia diei festi sit necessario confitenda.*
4 *Num fides ad fructuosam absolutionem necessario sit.*
5 *Num sacramentalis absolutionis effectus sit remissio culpæ.*

QVÆSTIO I.

¶ Num confessurus peccata sua, id potissimum debeat cogitare, quid faceret, si non esset præceptum confiteri an etiam vellet confiteri, & exinde iudicare cor suum.

VTRVM cōfessurus peccata sua, id potissimū debeat cogitare, quid faceret si nō esset præceptū cōfitēdi: an etiā vellet cōfiteri, & exinde iudicare cor suū. Et videtur q̄ sic: quia nisi paratus sit confiteri secluso præcepto, iam non ex amore nouę vitæ, sed ex timore præcepti confiteretur.

¶ AD EVIDENTIAM huius cōsiderandū est, quòd actuū humanorum eligibilium duplex est differentia. Quidam enim secundum se boni sunt: & ideo eligibiles, vt diligere Deum, benefacere proximo, & alia huiusmodi. Quidam verò sunt propter aliquid boni, & similiter propter aliud eligibiles: vt ieiunare, peregrinari, & huiusmodi, hæc enim nullus sanæ mentis eligeret, nisi propter aliud, puta mentis eleuationem, carnis domationem, diuinum cultum & huiusmodi. Actus autem iste de quo est quæstio (scilicet proponere sibiipsi quid faceret si nō esset præceptū de confessione) constat quòd non est sub primo genere bonorū. Tum quia actus iste ad malum & bonum est secundū se: est enim via ad bonum, si ad voluntatem bonam terminatur: & est via ad malum, si ad voluntatem malam terminatur. Tum quoniam actus iste non propter se, sed propter discussionem præparationis personæ exercetur ad inueniendū, an sit impræparatus homo ad confitendum etiam secluso præcepto. Restat ergo, vt si est eligibilis, sit propter aliud eligibilis. In his autē, quę propter aliud eligenda rectè sunt, oportet duo cōsiderare, alterum est, vt consona sint fmi bono: alterum est, vt consonent eligenti. Videmus enim medicinas, vel quia non consonant morbo pellendo, vel quia proportionatę non sunt complexionibus infirmorum, secundum rectam rationem repelli, &c. Et quidem q̄ actus iste, scilicet proponere sibiipsi quid facere si, &c. dissonet à dispositione infirmorum (quales credimus communiter esse confessuros peccata sua) ex eo patere potest, q̄ actus iste nihil aliud est, quàm tētatio periculosa. Multi enim sunt casti, qui si tentarentur, virginitatē perderent: & multi abstinent, qui si tentarentur, non abstinerent, & sic de aliis. Non cōuenit autem infirmis periculum: ergo actus iste non consonat dispositioni confitentiū. Quòd dissonet etiam à fine, scilicet bono conscientiæ ex eo patet: quòd licet tentari vtile sit ad bonum virtutis, tamen tentari à seipso dissonantiam importat secūdum rectam rationē: quia est seipsum exponere absque necessitate periculo peccandi. Et confirmatur hoc, tum quia imitari debemus in actibus nostris Deum: Deus autem neminem tentat: vt Iacobus dixit, non ergo debeo meipsum tentare. Tum quia in cæteris vitiosum esse cōstat tentare seipsum: ergo & in hoc. Antecedens patet: quia male faceret, quis si proponeret sibi quid faceret, si mulierem in lecto, &c. haberet, & similiter si regnum mundi vno mendacio posset comparare, & aliis similibus conditionalibus seipsum tentaret. Tum quia officium Diaboli est tentare: & huiusmodi conditionalibus deiicere mentem humanā. Amplius tentare se huiusmodi conditionalibus est superfluū: ergo peccatū. Antecedens probatur: quia perfecti non egēt hac se tentatione discutere: quoniā ipsorū charitas est adeò radicata, vt dicere cū Paulo possint, Quis nos separabit à charitate Christi? certus sum enim, q̄ neq; mors neque vita &c. Infirmis aūt sufficit si testimoniū habet conscientię suæ q̄ Deum super omnia ament opere & veritate: hæc enim notitia humano more sufficit hominibus ad accedēdū ad sacramenta Ecclesię, quāuis non in hoc iustificentur. Et hæc in cōmuni dicta sint de huiusmodi rēr ationibus cōditionalibus: quas opera Diaboli esse testatur infinita multitudo peccatorum, quæ fierent, si huiusmodi cōditionales sibi homines ꝓponerēt in variis & diuersis materiis: inciderēt enim in velleitates innumeras, quę proculdubio essent peccata mortalia, vt de se patet. Vnde laudabiliter refertur prudēs cuiusdam respōsum ad conditionales huiusmodi propositas, Scio quid facere deberem, sed nescio quid facerem. Optimè dixit, quia nescimus, si diuina nobis tunc manus adesset super caput nostrū.

¶ Ad propositā autem cōditionalē specialiter descendendo, apparet q̄ multò vanior est. Tum quia præceptū de confessione faciendo, est de secūdo ordine diuinorū præceptorum, scilicet de bono, quia præceptū: ac per hoc sublato præcepto, nō teneret quis confiteri. Sūt enim diuina præcepta duplicis ordinis. Quædā de ꝓhibitis, quia mala, & præceptis, quia bona: vt sunt præcepta de dilectiōne Dei & dilectione proximi: hæc enim sunt præcepta, quia bona sunt. Et similiter de furto & falso testimonio: sunt enim hæc de ꝓhibitis, quia mala sunt. Alia verò sunt de bonis, quia præcepta: vt præceptū de Baptismo, Baptismus enim nisi institutus esset, nō esset de genere bonorum: & potuit institui à Deo, ita quodeūque aliud sicut Baptism': sed ex quo institutus est, bon' est. Et similiter sunt præcepta de malis, quia prohibita: vt sunt contraria sacra-

ment

mentis,non baptizari enim,& non communicare, & huiusmodi, nõ sunt mala, nisi quia prohibita sunt à Deo post tot temporum curricula,scilicet aduenięte Christo:vt de se patet. Vnde si præcepta hæc secundi ordinis non essent, sicut stultè,inaniter, & superstitiosè ageret,si quis ad baptismum propter æternam salutẽ iret: ita si quis cõfiteretur, & alia quę nũc sunt sacramenta ageret. Et si conditionalem restringat, ꝙ sacramento confessionis præsupposito,nullus esset obligatus sub præcepto ad illud,tunc dicitur quòd inanis quoque est ista tentatio,quid tunc faceret:nam consentiẽs in hoc quòd non cõfiteretur,in nullo peccaret: quia non confiteri non est prohibitum,quia malum,sed malum, quia prohibitum: & ideo sublata prohibitione non remaneret mali ratio in nolle confiteri.Non solùm ergo confessurus peccata sua non tenetur ad tentandũ se tali propositione,quid faceret,si non esset præceptum confessionis:sed debet alienus esse ab hac tentatione, & si fuerit sibi ab alio illata,prudenter sperare illam:vt prædictum est.

¶AD obiectionẽ autem in oppositũ negatur sequela:cum hoc enim ꝙ secluso præcepto,non cõfiterer,stat, ꝙ ex quo video Deũ hoc præcipere,amo & præceptorẽ,& præceptum,& finẽ præcepti, & amore moueor ad implendum illud. Nec hoc eget probatione: quia ex se clarè patet,& experiẽtia testatur multa nos paterno præcepto imposita ex amore implere, quæ nisi præcepta essent, non faceremus:vtpotè vel nescientes Patris voluntatem,quæ per præceptum innotuit,vel scientes paternam amicitiã,non offendi si illud omitteremus,vt esset in proposito si cõfessio esset nõ sub præcepto sed sub cõsilio.Falsum ergo signũ ad discussionẽ amoris assumeret ex hoc in similibus,nõ operaretur quis sine præcepto:sed & in his quæ sunt secundũ se bona vel mala, & ideo præcepta vel prohibita,non est tali discussione ideo examinandũ: quoniã sufficit homini habere cor paratũ ad implendum diuina præcepta ex amore Dei:non curãdo si Deus nõ præcepisset, & alia huiusmodi incitamenta ad malũ.plena est enim sacra Scriptura,ꝙ est amandus, quòd præcepta sunt seruanda: & nunquam in ea legi præceptum mandatum, aut consultum, seruare præcepta Dei, si Deus non præciperet.Augustæ die 8.Octobris,Anno Domini,1580.

QVAESTIO II.

¶Num præsumptionis sit confiteri venialia,& omnia mortalia.

QVÆRITVR Vtrum sit præsumptionis confiteri venialia & omnia mortalia. Et videtur quòd sic. Primò,quia impossibile est,vt quis omnia mortalia cognoscat:ad impossibile aũt nemo obligatur. ¶Secundò: quia in primitiua Ecclesia solùm manifesta mortalia confitebantur, vt patet primæ ad Cor.2.Si qs inter vos est fornicator,aut auarus,aut idololatra,aut maledicus,aut ebriosus,aut rapax,cum huiusmodi nec cibum sumere.Et illud ad Galat.5.manifesta sunt opera carnis,&c.

¶Tertiò,quia nulla sunt opera nostra etiã bona,quin sint peccata dãmnabilia,si Deus in iudicium intret nobiscum:iuxta illud,Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine:quia non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens. Itẽ,Omnis homo mẽdax:ergo,&c.

¶Quartò, quia dum volumus omnia peccata confiteri, nihil misericordiæ Dei relinquere volumus ignoscendum: quia non confidere in eo, sed in confessione nostra cupimus, & securi esse volumus nec eius timere iudicium.

¶AD EVIDENTIAM horum,scito duo hic vertiin dubium:& an omnia mortalia,& an omnia venialia confiteri,sit præsumptionis. Et de primo quidẽ clarè patere potest,quòd non præsumptionis,sed necessitatis ac virtutis est confiteri omnia sua peccata mortalia. Nam ex sexdecim conditionibus ad confessionem requisitis secundum communem doctorum sententiam,vna conditio necessaria est,quòd sit integra quo ad peccata mortalia:non esset autem integra,si quædam mortalia essent confessa,& quædã non,est autem huius ratio: quia peccata mortalia quæcunque simul in vno homine sunt,sic se habent, quòd sunt cõnexa ex parte auersionis à Deo, ita quòd vnum non potest remitti sine reliquis omnibus:iuxta illud August. Impium est à Deo,dimidiam sperare veniam. Et propterea sicut in prima pœnitentiæ parte, quæ est contritio,necessarium est,vt omnia mortalia cõcludãtur(oportet enim hominem cõteri de omnibus mortalibus, & non de aliquo tantum)ita in secunda,quę est confessio,oportet omnia contineri mortalia: sic enim integre homo submittit se ministro Christi in confessione,sicut submittit se integre Deo per contritionem. Et ne alicui liceat sentire contrariũ,affero textum rotundum de pœ.re. omnis vtriusque sexus. Vbi expressè præcipitur ꝙ quilibet omnia sua peccata solus confiteatur proprio sacerdoti. Et quũ ly omnia nõ distribuat pro venialibus(vt tota Ecclesia attestat) restat vt distribuat pro mortalibus,quæ sunt materia necessaria cõfessionis, vt etiam ibi glossa dicit. Restringere autẽ ly omnia, ad manifesta tantum,temeritatis est:quia sine ratione & sine autoritate,& contra communem sententiam doctorum, rationique consentanea fit restrictio ista.Imò in Concilio Floren.sub Eugenio 4.declarata est ista particula,Omnia quorum memoriam habet.

¶De secundo autem,scilicet confessione venialium, cogitari vix potest quòd sit actus præsumptionis: quum clare liqueat, quòd accusare se in confessione de venialibus, est actus & humilitatis, & iustitiæ vindicatiuæ in seipsum seu pœnitentiæ. Et licet non sit actus præceptus,est tamẽ consultus: consilium autem non datur de actibus præsumptuosis,sed de actibus virtuosum, scilicet de bonis supererogationis. Testatur autem sic esse communis bonorum religiosorum consuetudo: nam communiter de venialibus confitentur,& crebrò. magnæ autem præsumptionis est arguere approbatos mores tot religiosorum ac religiosarum. Laudabilis siquidem mos hic vltra vim satisfactiuam,acquisitiuam gratiæ ex virtute sacramenti, habet vim conseruatiuam hominis in gratia Dei:nam qui minima negligunt,paulatim desluunt.

¶AD PRIMAM autem obiectionem dicitur primò ꝙ Ecclesia non præcipit,quòd quilibet cognoscat,sed quòd confiteatur omnia sua peccata mortalia,quorum memoriam habet:hoc enim constat non esse impossibile.Dicitur secundò negando, ꝙ sit impossibile hominem omnia mortalia cognoscere: peccatum quippe mortale,quum sit voluntarium,nõ secundũ primos motus,sed secundum rationẽ deliberatam,nullam habet in se causam quare sit impossibile,vt cognoscatur ab eo,qui cõmisit illud. Si enim impossibile est,vt omnia cognoscãtur,aut hoc est,qa sunt cognoscibilia supernaturalis ordinis(vt de gratia & diuinis dicitur) & hoc non:aut quia sunt adeò minimæ entitatis,vt cognosci nõ possint, & hoc nõ:tum quia aliqua nos cognoscere cõceditur:tum qa non est quæstio de cognitione,quid est,sed de cognitione an est:nã sufficit pœnitentẽ cognoscere, ꝙ ipse cõmisit talẽ actum,puta rapinã, licet nesciat diffinitiuè quid sit rapina,tum quia actus humani de liberati cõtra Dei legem non sunt tam minimæ entitatis,Aut hoc est,quia sunt in quolibet infinita peccata mortalia, & hoc esse falsum patet,ex eo ꝙ à primo die,quo quis habuit vsum liberalis arbitrij,vsque ad quẽcunque diem suę cõfessionis,nõ fuerunt exercitati à quocunq; infiniti actus deliberati:vt patet. Aut hoc est,quia sunt infinita non simpliciter,sed illi qui cõmisit: & hoc etiam non esse necessarium ex eo patet, ꝙ multi sunt, qui diarium operum suorum scribunt:ac per hoc finita sunt eis omnia deliberata opera sua contra legem Dei. Non est ergo impossibile hominem cognoscere omnia sua peccata mortalia:vel sic quòd sciat hæc esse mortalia,vel in ambiguis,quòd sciat se cõmisisse tale, de quo dubium est, an sit mortale. Et scientia hęc sufficit,& requiritur ad contendum omnia mortalia, quorum memoriam habet: & cõmunis est omnibus pœnitẽtialibus bene instructis.Obligat enim Ecclesia ad cõfitendum omnia peccata mortalia, quorum memoriã ꝙs habet,facta secundum humanas vires collectione omnium suorũ mortalium,siue sint manifestè mortalia,siue sint ambiguè mortalia:tenetur enim omnia confiteri certa pro certis,& ambigua pro ambiguis.Sic enim absque nostra voluntaria glossa,sanè pater plan⁹ sensus canonis omnis vtriusque sexus.sic testatur communis mos pœnitentium atque confessiones audientium: omnes enim ambigua pro ambiguis confitentur. Nec satisfacere credimus confessioni eum qui opinatur se consensisse in sacrilegium, licet non sit certus si non confitetur de illo consensu vt opinato.

¶Ad secundam autem obiectionem dicitur, quòd ex neutro illorum textuum habetur,quòd in primitiua Ecclesia, sola manifestè mortalia confiterentur homines: nam textus illi non loquuntur de confessione:vt clarè patet.

¶Ad tertiam dicitur, quòd opera nostra bona possunt dupliciter considerari. Primò, vt ex nobis sunt:& sic licet dicantur damnabilia, pro quanto indigna sunt Deo & felicitate æterna:nõ tamen sunt damnabilia vt peccata mortalia: quoniam in veritate etiam, vt ex nobis sunt, non sunt peccata mortalia: sed indigna diuina retributione.Et propterea dicitur, nõ intres in iudicium cũ seruo tuo Domine:quia nõ iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens, quantũ est ex se. Et ad hũc sensum multa similia inuenies scripta. Alio modo considerantur opera nostra vt sunt ex Deo in nobis, operãte per suam gratiam,& destinãte in vitam æternã:& sic sunt merita ex cõdigno æternæ felicitatis. Nec sunt dãnabilia,sed sunt remunerabilia etiam secũdum diuinam iustitiã,vt patet ex verbis Apostoli,Reposita est mihi corona iustitiæ quã reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: nõ solùm autẽ mihi,sed & his,qui diligunt aduẽtum eius,vbi vides secũdum iustitiã à Deo iusto iudice reddẽdam coronã diligẽtibus ipsum Deum. Non sunt igitur ignota nobis omnia nostra mortalia: quia opera nostra sunt damnabilia quantũ est ex nobis.Oportet enim inspicere ad opera nostra bona simpliciter, vt sunt in veritate qualificata: puta à charitate & gratia informata,&c.nõ secũdum quid (puta vt sunt ex nobis) quado iudicari debẽt,si sunt peccata, vel no: quãuis ad beneficia diuinæ gratiæ, reuerentiam diuinam, gratiarum actiones, laudesque diuinas exercendas considerata, omnia nostra vt sunt ex nobis multum prosint: & nõ solùm in nobis sed etiam in beatis consideratio hæc creaturæ vtilitatem seu nullitatem efficiat. Propterea enim de spiritibus beatis canit Ecclesia, Tremunt potestates.In Augusta Vindelicorum,die 29.Septembris.1518.

QVÆSTIO III.

¶Num circunstantia diei festi sit necessario confitenda.

VÆRITVR Vtrum circunstantia diei festi sit necessario confitenda.Et videtur quòd sic.Quia circunstantia repugnãs speciali præcepto,est specialiter explicanda secundũ omnes.sed tempus festiuum repugnat præcepto de obseruatione festi: ergo. Minor probatur, tũ autoritate Ambr. super illud Lucæ 11.Archisynagogus indignãs, quia sabbato curasset. Iex enim inquit, in sabbato nõ hominẽ curare,sed seruilia opera facere,id est peccatis grauari prohibet.Tũ authoritate S.Tho.in Secunda secũdæ.q.122.art.4. ad tertium.Magis,inquit,facit contra hoc præceptum qui peccat in die festo, quam qui aliquod corporale opus licitũ facit: affértque ad hoc autoritatem Augustini in lib.de Decem Chordis.

¶IN OPPOSITVM Est multorũ modernorum opinio, tenens circunstantiam temporis festiui non esse necessariò confitendam,nisi in contemptum festi peccatum fuerit.

¶RESPONDEO. In hac quæstio. duæ sunt opiniones. Vna est tenentium partem affirmatiuam, & hi mouentur ex ratione, quam tangit S.Tho.scilicet,quia quum in festo prohibeatur omne opus seruile,& peccatũ mortale sit magis opus seruile, quàm opus corporale(puta arare) magisquam cõtrarietur peccatũ mortale sanctificationi ad quam ordinatur festũ, quàm opus corporale:vt pote per se & directè excludens illam:consequens est,ꝙ vtriusque prohibitio sub præcepto cõprehẽdatur. Aliorũ verò opinio oppositum sentit: & hi mouentur ex eo,ꝙ ex solo sensu literali secundum Dionys. & Aug. potest trahi efficax argumentum. Opera autem seruilia prohibita in festo ad literã sunt opera corporalia, qui serui distinguũtur à liberis: & nõ peccata nisi mysticè: vt S. Thom.expresse dicit in 3.senten.distinct.37.artic.5.quæst.2. ad 2. ¶Et quoniam hæc opinio rationabilior est, ideo ad eius euidentiam sciendum est, ꝙ quum obseruatio festi ad literam partim sit moralis & partim ceremonialis,oportet aut ex morali, aut ecclesiastico præcepto innasci quicquid obligationis in ea est. Ex morali quidem præcepto ꝙ obligatio talis non prouenit: potest propterea quia nulla certa temporis pars est, quam cultui diuino exteriori naturalis ratio dedicandam censeat:quamuis enim morale sit in hoc præcepto, quòd aliquod tempus Dei cultui exteriori deputetur:non tamen quòd hoc vel illud tempus. Vnde quum singulæ partes temporis possint ab hac dedicatione absolui,quando cunque peccatum committatur, nunquam tempus aliquod diuino dicatum cultui polluitur,aut impeditur à diuino cultu: potest siquidem alio tempore debitus cultus exolui. Et eadem ratio est de opere corporali: solum enim peccatum omissionis debiti cultus,ex præcepto morali accideret. Ex ecclesiastico autem mandato non prohiberi specialiter peccata in die festo, ex eo habetur, quòd ecclesia non plus prohibet,quam id quod ex literali ceremonia antiquæ legis in Sabbato prohibeatur:imò minus, vt S.Tho. placet. Ex præcepto autem hoc ad literam ceremoniale triplex erat,scilicet certum tempus,puta dies septem,& certus cultus,scilicet memoria creationis mundi in ipsa quiete (quasi quies ipsa esset professio quædam diuinæ quietis à creando) & determinatio operum,à quibus cessandum esset,scilicet ab operibus seruilibus.Ex nullo autem horum peccatum specialiter prohiberi conuincitur:sed oppositum potius ratione suaderi potest. Tum quia, vt allegatum fuit:ad literam opera seruilia tantum sunt opera, ad quæ seruos deputatos habemus. Tum quia ex hoc, quòd aliquod certum tempus dedicat cultui Dei exteriori, nihil aliud sequitur prohiberi nisi id,quod repugnat tali cultui illo tempore exhibendo:& hoc aut ratione cultus,aut ratione temporis.Sed nec macula,nec actus peccati mortalis repugnat aliquo modo cultui exteriori exhibendo in die festo:non ergo cadit sub hoc speciali præcepto. Quòd enim macula, ei non contrarietur, patet, alioquin quilibet in peccato mortali existens,transgrederetur præceptum hoc singulis diebus festiuis:quod superstitiosa adinuentione non est inducendum,cum his qui credunt contritionem esse in præcepto in die festo. Tum quia finis præcepti non cadit sub præcepto. Tum quia præceptum de interiori cultu Dei(quo fide spe & charitate colitur) sub hoc præcepto non cadit, sub quo cultus exterior includitur & determinatur:sed Ecclesia videtur interioris cultus tẽpus determinasse,quãdo tẽpus sacramẽti pœnitentiæ & Eucharistiæ decreuit.Tum quia nec Doctorũ sanctorũ nec Ecclesiastica doctrina aut cõsuetudo hoc habet: ꝙ tamen si esset præceptum de iure esset positiuo:vt ex dictis patet.

¶Quòd verò actus moralis etiam non repugnet tali cultui:probatur ex eo,quòd si cultui Dei exteriori certo tempore statuto repugnaret peccatum mortale illo tempore commissum,hoc non esset quandoque sic,& quandoque non,sed vniuersaliter; sed aperte vi-

demus, quòd sub præcepto, quo Deus quotidie colendus à clericis horis canonicis statuitur, non comprehenditur prohibitio ab actu peccati mortalis quocunque tempore, ergo nec in proposito. Vterque siquidem cultus exterior est, & eundem habet finem. Et habens aliquid morale & aliquid ceremoniale,scilicet certum tempus & certum cultus modum:nec minus sacer est secundus primo,aut minus sub præcepto cadens. Nec obstat si dicatur non esse aliquam certam horam diei sub præcepto taxata ad horas canonicas,sicut totus dies festus deputatus est cultui diuino.Hoc enim nihil adimit efficaciæ processui facto:cuius vis non consistit in determinatione temporis actu iam præcepti, sed possibili,vel suppositi,ac si esset.Si enim ecclesia certas horas sub præcepto deputarer horis canonicis exoluendis, non propter ea abstinere ab actu peccati mortalis sub tali præcepto comprehenderetur,sed satisfieret temporis debitis horas exoluẽdo: sicut modo satisfit intra diem deputatum dicendo,quantumcunque aliàs peccetur. Vnde quum ecclesia ceremoniale legis præceptum mutando impleuerit, pro die septimo Dominicum diem, & pro cultu Missam,& quietem in memoria resurrectionis Dominicæ determinando,& ab operibus seruilibus non sic arctè consueuerit abstinere,consequens est,quòd non indicat speciali præcepto quietem à peccato in die festo, sed opere corporaliter seruili. Et confirmatur,quia quum ecclesia non iudicet de actibus interioribus(in quibus solis plerũque committitur peccatum mortale)sat est sub eius prohibitione comprehendi illorum impedimentorũ amotionẽ,quæ Ecclesiastici fori sunt:quia vniuersaliter non sunt nisi opera seruilia corporaliter.Et quamuis magis repugnet satisfactioni, quæ est finis huius præcepti, peccatum mortale quam opus corporale licitum secundum se:quia tamen sanctitas ipsa interior,quę finis est,sub præcepto hoc nõ cadit,cõsequẽs est, ꝙ nec exclusio ipsius,quæ per peccatũ mortale fit, sub hoc præcepto cõprehẽdatur:si enim affirmatio nõ præcepitur, ex ipsa nõ conuincitur,ꝙ eius opposita negatio prohibeatur,quamuis prohiberi possit.

¶AD EA verò quæ in oppositum obiiciuntur, respondetur. Et ad autoritatem Ambro. dicitur cum San. Thoma quod sensum mysticum,& non literalem tangit.

¶Ad autoritatẽ ipsius S.Tho.dicit dupliciter.Primò, ꝙ loquit de præcepto quo ad suũ finẽ, qui sub præcepto nõ cadit,& nõ de ipsõ præcepto absolutè:in tantũ enim dicit repugnare huic præcepto peccatũ mortale,inquãtũ excludit sanctitatẽ & applicationẽ ad diuina,quæ est finis præcepti.Secũdo, ꝙ loquit de præcepto hoc indistinctè,i.& literaliter & spũaliter intellecto, vnde eodẽ cõtextu de operibus seruilibus corporaliter & spũaliter,doctrina tradit. Et tamẽ cõstat ibidẽ in respõsione ad primũ cessationẽ à peccato sub sensu spirituali huius præcepti claudi:& sic non numerari inter præcepta decalogi,sed tantũ secundũ sensum literalẽ, quatum ad id quod cõtinet de iure naturę. Ex hoc aũt ꝙ aliquid repugnat præcepto huic mysticè,nõ põt trahi efficax argumẽtu, sed rõnabilis exhortatio,vt & à peccãdo in festis abstineatur (ne de nobis dicatur, Populus hic labiis me honorat,cor autẽ eorũ lõgè est à me) & cõmissa cõfiteantur in fine cõfessionis perpetrata pro magna, vel tanta parte in diebus festis, quatenus reprehensi tempora sacra reuereantur. Mediolani,die vigesimaquarta Aprilis,M.D.

QVÆSTIO IIII.

¶Num fides ad fructuosam absolutionem sacramentalem necessaria sit.

VÆRITVR vtrũ ad fructuosam absolutionem in sacramento pœnitentiæ exigatur fides, qua pœnitẽs credat certissimè se esse absolutum à Deo. Videtur ꝙ sic. Primò,quia oportet fidem habere in verbũ Christi,Quodcunque solueris super terram.

¶Secundò,quia si per impossibile cõfessus nõ sit cõtrit', aut sacerdos nõ seriò,sed ioco absoluat, si tamen credat se esse absolutum, verissimè est absolutus: tanta res est fides in verbũ Christi.Probatur assumptũ ex ecclesiastica historia,quia beatus Athanasius ludẽs cũ pueris,baptizauit eos,sicut viderat fieri à sacerdotibus: & baptizatos eos iudicauit beatus Alexander episcopus.Itẽ quidam mimus, vt placeret Imperatori,iudicro Baptismo est batizatus.

¶Tertiò,quia nõ sacramentũ,sed fides sacraméti iustificat:secundum illud Aug.Sacramentum abluit,nõ quia fit,sed quia creditur.

¶Quartò, quia plus est à cõstitére requirendũ an credat sese absolui,quàm an sit verè contritus:quia cõtritio nunqa est vera satis: quod si esset vera,non tamẽ certa,& si certa,non tamen satis:fides autem & verbũ Christi sunt certissima verissima, & sufficientissima.

¶Quintò,quia nõ solùm attritus absq; obice actualis peccati vel propositi,sed etiam contritus accedens ad sacramentum, à gratia consequenda est alienus,nisi crediderit in absolutionem: quia sacramenta essent in mortem,& damnationem etiam contrito.

¶Sextò, quia ad sacramentum pœnitentiæ accedit homo petens à Deo remissionem peccatorum: scriptum est autem, Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis: & fiet vobis. Et Iacobus dicit:Postulet autem in fide,nihil hæsitans:ergo.

¶IN oppositum est communis Ecclesiæ sensus.

¶AD

¶AD EVIDENTIAM horum sciendum est, nouitatē superexortam esse, ꝙ huiusmodi fides adeo exigatur, vt plus quam contritio requiręda sit, & dānandi sint omnes, qui nolunt considere sese absolutos, donec certi sunt se satis contritos. Fūdatur autē phantasia ista, primò super cōmunissimis Scripturæ autoritatibus de fide ac spe in verbo Dei: puta, Memor esto verbi tui, in quo spem dedisti; & similia infinita. Secundò super cōmunibus de efficacia sacramentorum, scilicet ꝙ fides est, quæ in sacris operatur. Tertiò, super specialis Christi verbi ad propositū pertinentis efficacia certissima, Quodcunq; solueris super terram, &c. Ex huiusmodi siquidē efficaciæ certificatione deducitur oportere cōfitentem credere se absolutum, si sacerdos absoluat, siue erret, siue non erret, sicut etiā certus est se esse baptizatum, etiam si sacerdos erraret, ipsum baptizādo. Adiungūt, ꝙ dicendo, Quodcunq; solueris, dedit potestatē: dicēdo, Erit solutū, excitauit fidem de effectu.

¶Nouam autem hanc inuentionem alienam esse ab Ecclesiastica doctrina, facilè patet distinguēdo de duplici fide, quā habere possumus: scilicet vel acquisitā, vel infusā. Nā si sermo est de fide infusa (quæ est vna de theologalibus virtutibus) cuius plena est sacra Scriptura, sine qua impossibile est placere Deo, & per quam Sancti vicerūt regna, operati sunt iustitiā, constat, ꝙ illa est necessaria ad sacramentum pœnitentiæ: quoniam ipsius non nisi Christi fideles baptizati capaces sunt. Sed huiusmodi fides, licet ad sacramēta se extendat, vt patet in Symbolo: non tamē extenditur se ad hæc singularia: puta quòd hoc sit sacramentum, & ꝙ in hoc sit effectus sacramenti, verbi gratia, tenemur credere vnum Baptisma in remissionem peccatorum: sed non tenemur credere, ꝙ dum ille sacerdos abluit Ioseph adultum Iudæū, dicens, Ego baptizo in nomine Patris & filij & Spiritus sancti, sit Ioseph verè consecutus gratiam Dei & characterem, quia ex intētione baptizantis vel baptizati potest occultè fuisse simulatio talis, quòd nō intēderit ille facere, quod facit Ecclesia, aut Ioseph nō intēderit suscipere Baptisma, vt temporibus nostris de facto cōtigisse sibi quidam Iudæus coram me confessus est, & hæc quo ad characterem. Quo ad gratiam verò, quia potest esse, quòd Ioseph cum proposito deliberato fornicationē committendi Baptismā susceperit, ac per hoc gratiæ Dei obicem posuerit. Similiter posset dari exemplum de Eucharistia: quamuis enim teneamur ex fide credere in hostia, rite consecrata, esse verum corpus Christi, non tamen ad fidem infusam spectat credere, an ista Hostia sit rite cōsecrata: tum propter intētionem mīnīstri, tum etiā propter incertitudinem materiæ, & similes particulares defectus humanos. Ratio autē vniuersalis, quare sub fide infusa non cadunt huiusmodi particularia, est quia fidei infusæ (vtpote diuinæ veritati innixæ) nō potest subesse falsum: est enim non minus circa verum, quàm quæcunq; scientia acquisita, quæ nō nisi verorum est. Esset autem quandoq; circa falsum, si extenderet se ad hæc particularia, vt patet ex infinitis similibus, quæ possunt afferri in medium. Non spectat igitur ad fidē infusam credere absolutionis effectum in hoc particulari, puta in meipso, sed ad fidem ipsam infusam pertinet credere absolutionem ab ecclesiastico ministro rite factam, efficacem esse, & in suscipiēte digne gratiam operari. Hæc siquidem fide nullus potest errare, sed credendo effectum in me vel in illo determinate, possum errare: quia potest adesse impedimētum aliquod ex parte mei seu illius. Sicut in aliis sacramentis credimus & verbo Dei & sacramentis: & specialiter efficaciam certissimam illius verbi, Quodcunque solueris super terram, in subiecto dispositō: sed non habemus infusam fidem, quòd in me effectum sortiatur, quòd ego sim subiectū dispositū: quia potest in me inueniri impedimentū ignotū. Ex quo autem non debet subesse falsum fidei (quæ non nisi verorum certissimorum est) excitatur, imò certificatur fides infusa per illud verbum. Erit solutum in cælis, de effectu absolutionis in subiecto disposito, & non in me, qui fortè non sum dispositus: & sic fides esset falsi. Erronea igitur inuenitur opinio dicta de fide infusa intellecta: quia sequitur, quòd infusæ fidei posset subesse falsum.

¶Si autē dicta opnio intelligatur de fide acquisita, erronea quoque inuenitur. nam licet acquisita fides circa huiusmodi particularia versetur (tali nanq; fide credimus hanc Hostiā rite consecratam esse, & hunc ritè baptizatū, & similia) sed hæc fides nō est illa qua in verbo Christi confidimus, quæ in sacramentis operatur, quia credimus efficax esse Christi verbum, Quodcūq; solueris super terrā: & reliqua, quæ fidei sunt Christianæ. Et propterea ex illis autoritatibus, quę de fide infusa loquuntur, nō potest acquisita fides cōcludi: nec potest fides ista de obiecto (scilicet me esse absolutū etiam per absolutionē in effectu coram Deo) esse certa infallibiliter: quia quīubet est dubius in hac vita: secundum cōmunē legē nescit, an sit in gratia Dei. Nec aliquis est qui certus sit se esse sufficiter dispositū per gratiā Dei, quæ per absolutione cōceditur: iuxta illud Iob 10. Et si simpiex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Amplius, fides ista potest esse in schismatico vel hæretico aliàs bene confitente: esset igitur iste verè absolutus, si errans sacerdos ipsum absolueret, & consequenter iste simul esset in gratia Dei (quia verè absolutus corā Deo) & in peccato mortali, quia hæreticus, vel schismaticus: quod est impossibile. Amplius, fides ista est, qua quantum credis, tantum habes, cum fides ista sit opus humanum (quia ista est acquisita) consequēs est vt in opere suę fidei confidētia suę pœnitentię consistat: quod est alienum à Christiana veritate, Amplius, Quum nec ex sacra Scriptura, sacris canonibus. Ecclesiæ traditione, sacrísque doctoribus, dispositionis istius necessitas in sacramēto pœnitētiæ habeatur, & rationi aduersetur, non videtur præsumptione, aut ignorantia ista excusari.

¶AD OBIECTIONES infinitas de fide, vt respondeas, habeto præoculis hāc distinctionē: scilicet vel ex parte sacramentorum, vel ex parte suscipientis. Et dicito, ꝙ fides certissima est, & esse debet etiam de effectu sacramenti particulari in me, quātum est ex parte sacramenti: sed ex parte mei suscipientis licitū est dubitare de illius effectu in me. Et hoc est quod Ecclesia docet dum in orationibus post cōmunionē petit sacerdos, ꝙ susceptū sacramentū non sit ad reatus pœnā, non ad iudicium, &c. Consequēter etiam docet omnē quantumcunque credentē post confessionem & absolutionem dicere, Domine non sum dignus, &c. & non aduertere ad distinctionē hāc quæ est, vt puto, causa dictę nouitatis.

¶AD PRIMAM ergo obiectionem dicitur, quòd in verbo Dei & Christi sufficiens fides habetur, quum quis credit omnes articulos fidei. nec fides infusa, qua credimus in Deum, &c. est de effectu horum verborum in me: vt dictum est.

¶Ad secundam dicitur, ꝙ peccat argumentum secundū non causam, vt causam, quo ad sacramentum Baptismi. Nam non ideo illi fuerūt verè baptizati, quia credebāt se baptizatos, imò credebant fortè nihil recipere de gratia: sed ideo Baptismus iocosè factus est verè Baptisma, quia intētio iocosa nō ad Baptismū, sed ad exercitiū Baptismi refertur. Simile est enim de lectādi causa Baptizare & Baptizari, sicut fi auaritię causa quis baptizaret, aut baptizaret: vtrobiq; enim est verum Baptisma: quia delectatio & auaritia non Baptismi: sed ꝙ iste exerceat, vel suscipiat Baptismū, causa est. Secus autē esset, si intētio iocandi ad Baptismū referretur, sic ꝙ non Baptizare, sed similitudinē Baptismi exercere, aut suscipere, intendere ioci aut auaritiæ gratia: tūc enim nullū esset Baptisma. Quod aūt assumitur, ꝙ nō cōtritus si absoluitur credēs se absolui, est verè absolutus, nisi fit ita attritus, ꝙ saltē virtute clauiū de attrito secūdū quosdā fiat cōtritus: impossibile est. Nā ex eo ꝙ ponitur incōtritus, & virtute clauiū non factus de attrito cōtritus, oportet ꝙ aut sua fide acquisita fit iustificatus, quod est erroneū: aut ꝙ simul sit incontritus & absolutus apud Deū, quod est impossibile.

¶Ad tertiā dicitur, ꝙ sacramentū abluit. nō quia fit, hoc est nō secundū substantiā factis: sed quia creditur, hoc est secundū virtutē creditā in eo, & nō quia creditur à suscipiente, effectus suus in eo certissimè ab hoc. Et nota ꝙ nō dixit, quia credit minister aut suscipiēs, sed impersonaliter qa creditur, hoc est propter rē creditā: nā nisi intēdat quis facere quod facit ecclesia, non baptizaret. In hoc aūt quod est imitari in illo actu ecclesiā, includeretur res creditā: quāuis nec à suscipiēte, nec à baptizāte: vt patet, si infidelis baptizaret infantē, aut adultū, dicentem, Valeat quantū valere potest.

¶Ad quartā dicitur, ꝙ assumptū nō solùm falsum, sed & præsumptuosum est valde, cōtra vniuersalis ecclesiæ ritū: cōtritio enim est summè necessaria. Ista autē fides acquisita de effectu sacramenti in seipsa est impossibilis: quia semper est, & debet esse ambigua, nec est requirēda à cōfitente: qui nisi crederet se absolutū, absolutionī se nō submitteret. Nec obstat, ꝙ cōtritio sit incerta: iussit enim Deus ipse, vt cū nostra hac incertitudine accedam⁹ ad sacramēta. Quod aūt dicit, ꝙ nūquā est vera, satis falsum est: vt patet in multis cū vera & suīncięti cōritione cōfitentibus, quāuis incerta eis. Et quū subditur, ꝙ fides Christi est veriſſima & certissima & sufficięntissima, respondeō ꝙ talis est de rebus subiectis fidei infusę, sed nō de impertinētibus ad ipsam, vt sunt ex parte nostri singulares singuloru effectus sacramētorum. De his enim nec certa, nec incerta est fides infusa: quia nō est eorū: est enim fides infusa de gratia per sacramēta certissimè cōferenda suscipientibus digne illa: vt in Concilio Florēt. sub Eugenio IIII. determinatum est. Et ex Apostolo assumptū est, dicēte, Qui manducat, & bibit indignè, iudiciū sibi manducat, & bibit. Vbi etiam Apostolus, secundū quid reputare se homo debeat dignū vel indignum, præmittit dicens, probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat. Vbi ex subiūctis, ꝙ si nosmetipsos iudicaremus, nō vtique à Domino iudicaremur, patet quòd probare seipsum est seipsum iudicare, cōtra se vindictam exercere: quod vocatur contritio communi vsu Ecclesiæ & doctorum: & propterea falsum ac temerarium esse constat, ꝙ plus est à pœnitente requirendū, si habeat credulitatem de effectu in se futuro sacramenti: quàm de illius contritione: probare enim seipsum (quod est conteri) iussit Apostolus, iubet Ecclesia, exigunt omnes cōmuniter confessores. Credere autem se pœnitente omnino effectum habiturum nouatorum exigit dogma.

¶Ad quintam dicitur, ꝙ duorum, quæ ibi tanguntur, primū, ꝙ attritus non ponēs obicem, non consequitur gratiam absolutionis, nisi

nisi credat (vt iam patet ex dictis) voluntariè dicitur, apponendo notellū, & impertinens accidens pro dispositione necessaria ad gratiam Dei per absolutionem sacramentalem. Secundum autem, ꝙ contrito in damnationē sunt sacramēta, nisi credat se absolui, non est responsione, sed correctione dignū: quoniā sacramentum pœnitentiæ ab Ecclesia sufficienter traditum per confessionē, contritionē & satisfactionē, dānabile cōstituit sine quarto, scilicet certa fide effectus in suscipiēte: Hoc enim est nouā Ecclesiā construere.

¶Ad sextā de oratione dicitur primò, ꝙ ratio digreditur ad accidentia, quæ sunt extra essentiā sacramenti: oratio enim cōstat ꝙ à sacramentis distinguitur, imò ponitur sub satisfactione, quæ est tertia pars sacramenti pœnitentiæ. Verumtamen de oratione ipsa etiam dicendum est, ꝙ fides de effectu orationis dupliciter haberi potest. primò ex parte ipsius diuinę misericordię, gratię, & potentiæ, prouidētiæ, promissionis, &c. & sic fides debet esse in oratione absq; hæsitatiōe aliqua. Alio modo ex parte eius, qui orat, vel pro quo oratur: & sic nisi piè quādoq; dubitaret de effectu petito, plerunq; fides inueniretur falsa, vt patet in Paulo orante, qui absque hæsitatione credendo, ꝙ acciperet id quod peteret, iuxta Domini doctrinam, Rogauit ter, vt stimulus carnis à se discederet, & non est cōsecutus effectum petitum: vt patet 2. ad Cor. 12. Hic enim patet quòd fides, ꝙ accipiamus quicquid petimus, non refertur ad rem petitam accipiendam simpliciter & absolutè, sed quātum est ex parte diuinæ misericordiæ, &c. alioquin esset quādoq; falsa, & Pauli fides fuisset falsa: potest enim aliunde ex aliqua ex parte nōstri ratione fieri, vt illud nō accipiamus. Vnde Saluator de hac fide docens præmittit, habēte fidem Dei, & subdit, Amen dico vobis, &c. ostendens per hoc, ꝙ firmitas nostræ fidei de effectibus particularibus debet esse de illis, quantum est ex parte Dei & non ex parte nostri. In Augusta Vindelicorum 26. Septembris. 1518.

QVAESTIO V.

¶Num sacramentalis absolutionis effectus sit remissio peccatorum.

QVAERITVR Vtrum sacramentalis absolutionis effectus sit remissio culpæ. Et videtur quòd non. Primò, quia soliùs Dei est remittere culpam: vt omnis Scriptura & Ecclesia fatetur.

¶Secūdò, quia culpa est remissa à Deo proponēti cōfiteri antequā pœnitens à sacerdote absoluatur: iuxta illud, Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiā meā, & tu remisisti impietatē peccati mei.

¶IN OPPOSITVM Est, quòd sacramenta nouæ legis conferunt gratiam, secundum communem Ecclesiæ doctrinam.

¶AD EVIDENTIAM huius quæstionis, scito antiquam esse hanc quæstionem: & in 18. distinct. 4. senten. tractari. Vbi quia obscuræ satis sunt autoritates antiquorū doctorum applicatæ ad hoc, Magister sent. cōcludit sacerdotem euangelicum absoluere, hoc est declarare absolutum à Deo, & ad Ecclesiæ communionem admittere. Nouitia autem quædam opinio addit super hoc effectū pacem animi: quoniam ante absolutionē inquieta est anima de remissione suorum peccatorum, accepta autem absolutione cum fide, quòd verè absoluatur, sit secura anima de remissione peccatorum percepta, & in pace quieſcit, tantique sit fides de gratia præsenti ministerio sacerdotis, quòd peccatum maneret, nisi remissum crederet: non enim sufficit remissio peccati & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

¶Verūm si domini verba diligētius perspecta fuerint quum potestatem sacramentalem dedit: aliter sentiendū est, non enim dixit Quorum declaraueritis remissa peccata, sed dixit, Quorū remiseritis peccata: & similiter dixit, Quodcunque solueris. neq; dixit, Remittuntur eis, aut solutū erit, quo ad Ecclesiam: sed solutū erit, in cælis, & remittūtur eis, simpliciter & absolutè. Ideo si verba Domini sunt vera in sensu proprio, conuincunt Ecclesiæ ministros habere potestatē remittendi peccata autoritate Christi: par enim ratio est, ꝙ verba hæc Domini ad sacramentum pœnitentiæ spectantia in proprio sensu verificētur, & ꝙ verba eiusdem ad sacramentum Eucharistiæ pertinentia (scilicet hoc est corpus meum) in proprio sensu verificentur. Nulla enim est ratio quare ista in proprio sensu vera esse fateamur. & illa à proprio sensu aliena fateamur: præsertim quum maius miraculū fit, ꝙ de pane fiant corpus Christi ministerio sacerdotis. Vnde si verba Eucharistiæ à sacerdote prolata, vt vera sint cōpulerunt vt fateamur hoc, id est cō tentū sub hac specie, est corpus meum, (scilicet Christi: non minus compellitur ad verificandum hæc Domini verba, (Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis) in sensu proprio, credere ꝙ sacerdotis ministerio remittuntur peccata, absoluuntur peccatores à culpis suis. Nec enim minus operatorius esse debet sermo Christi per os sacerdotis, dicentis, Absoluo te à peccatis, quàm eiusdem Christi sermo per os sacerdotis dicentis, Hoc est corpus meum, vterq; igitur operatorius est eius, ꝙ significat se tuatis seruandis, scilicet cōcurrente ex parte ministri autoritate (nō enim quilibet homo, sed sacerdos ordinariā vel delegatā autoritatē habēs est minister sacramentalis absolutionis) & ex parte pœnitentis debita dispositione, vt scilicet sit absolutione dignus. Alioquin extremus rediret error à Hiero. dānatus: vt pro nostro arbitrio dānare innoxios & absoluere noxios possemus, sicut etiam in sacramento altaris non quamcunque materiam: sed panis triticei tātum, consecrari per illa verba, non diaconi, sed sacerdotis ministerio prolata concessum credimus. In cuius signum Dominus quū daret potestatē remittendi, retinendíque peccata, præmisit, Accipite Spiritum sanctum, subiungēdo, Quorū remiseritis peccata, &c. tāquam diceret, Spiritu sancto dirigente, Quorum remiseritis peccata, remittūtur eis, & nō spiritu vestro instigante. Mouet & dirigit procul dubio Spiritus sanctus ad absoluendum vel ligandū, quum seruatis vndique seruandis minister Christi absoluit, vel ligat. Credendum est igitur & confitendum, ꝙ effectus sacramentalis absolutionis rite factę (scilicet à debito ministro, debita forma, supra dispositam materiam, scilicet peccatorem confitentē dignum absolutione) est peccatorum remissio, quām autoritatiuè quidē solus Deus facit: ministerialiter autem minister ipse Christi sacramēto mediante efficit. Sic enim ad literam impletur illud, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: non ꝙ prius Ecclesia remittat, quàm Deus, tāquam Deus Ecclesiæ iudicium sequatur. Nō enim dicit, Quorū remiseritis peccata, remittētur eis, in futuro: sed remittuntur in præsenti: ad denotandum, quòd ipsa per ministrum remissio est vna atque eadem cum remissione, quam facit Deus. Illam quippe vnam & eandem remissionem peccati, quam sacerdos ministerialiter facit, & efficit Deus autoritatiuè: sicut eandem conuersionē panis in corpus Christi, quā sermo Christi per os sacerdotis operatur, efficit Deus autoritatiuè. Et licet olim dubia fuerit hæc quæstio, hodie tamen determinata est in Concilio Florent. sub Eugenio 4. Vbi dicitur, Effectus huius sacramenti est absolutio à peccatis. Absolutio, inquit, non declaratio, non pax. Et rursus, effectus sacramenti huius, dixit, non effectus solius Dei. Et hinc patet, quòd sacerdos absoluendo seruatis seruandis, & in veritate absoluit à peccatis, & per viam sequelæ declaret pœnitentem absolutum, & certificat (humana tamen conjectura peccatorem de peccatorum remissione. Remanet enim semper secundum communem legem peccator ambiguus de consecuta ad Deū remissione: quia semper restat ambiguum nobis, an ex vel cum infusa charitate sacramentum susceperit pœnitentiæ. Quocirca nouitia opinio relata, non opinio, sed error est: pro quātō efficaciam adimit sacramento pœnitentiæ sine credulitate effectus in seipso, & nulli conferri veniam remittente sacerdote dicit, Nisi credat sibi remitti: & quod intolerabilius est, nec intelligibile, manere, scilicet peccatum etiā remissione facta, & gratia donata, nisi credat pœnitens peccatum remissum. Indigna nempe sunt hæc non solùm eruditorum, sed quorumlibet Christianorum auribus. Et quo ad illorum impugnationem seruandum est illud Philosophi, Quolibet proferente contraria, solicitum esse, stultum est. Constat enim Baptismum remittere peccata absque tali suscipientis credulitate: vt patet in infantibus. Constat omnes ferè tremore Domini refertos semper dubios de diuina in se gratia, & pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta suscipere, & sic ambiguos perseuerare. Imò & hoc sacri doctores laudant: & eius oppositum præsumptioni communiter adscribitur, aut ignorantiæ.

¶AD PRIMAM ergo obiectionem dicitur, quòd diuersus remittendi modus omnes huiusmodi autoritates manifestat. Solus enim Deus peccata remittit autoritatiuè: cum quo stat, quòd minister euangelicus autoritate à Deo concessa, peccata remittat ministerialiter, mediante Christi sacramento ad hoc ab ipso Christo instituto.

¶Ad secundā dicitur, quòd sacramentalis absolutio dicitur operari remissionē peccatorum dupliciter, vel in voto, vel in executione. Nam qui ante confessionem remissionem consequitur, ex sacramentali absolutione in voto consequitur (iuxta illud, Dixi, confitebor, & tu remisisti) proculdubio mediante confessione, ad quam tendens, Dixi, Confitebor: alioquin non oportuisset dicere, Dixi, confitebor: sed sat fuisset dicere, Dixi aduersum me iniustiam meam Domino. Et si quidem ante absolutionem consequitur pœnitens remissionem peccatorum, per sequentem absolutionem augetur gratia remissiua peccatorum: si verò non prius consequutus est veniam, consequitur per absolutionem, si tamen (vt dictum est) dignus absolutione tūc est. Nec hæc ex proprio arbitrio dicimus, sed ab vniuersa Ecclesia accepimus, cōfitente vnā Baptisma in remissionem peccatorum: per omnia similiter intelligēdo, vt diximus, scilicet quòd Baptisma in exequutione remittit peccata in illo, in quo inuenit peccata nō remissa ex Baptismo in voto, & digne ad Baptismum accedit: in quo autem remissa ex seipso in voto inuenit, gratiam auget. Hæc enim varietas non ex defectu sacramentorum, sed ex varia dispositione participantium sacramenta prouenit. Augustæ, die primo Octobris, 1518.

TRAC

Universidad de Deusto
Biblioteca

TRACTATVS DECIMVSNONVS, de excommunicatione, cuius est vnica QVAESTIO.

¶ Num excommunicatio priuet à participatione interiori fidelium.

VTRVM excommunicatio priuet à participatione interioti fidelium. Et videtur quòd non. Primo: quia excommunicatio non tollit plus quàm Ecclesiastica autoritas iurisdictionis potest cõferre: est enim excommunicatio actus potestatis, non ordinis, sed iurisdictionis: quam non dedit Christus maiorem in auferendo, quàm in concedendo, quum ipse sit magis pronus ad inferendum bona quàm mala. Sed Ecclesiastica huiusmodi potestas non potest dare fidem, spem, & charitatem, per quas quilibet fidelis participat interius aliorum fidelium bona: ergo non potest tollere huiusmodi participationem interiorem.

¶ Secundò, quia excõmunicatio communiter se habet ad iustam & iniustam: est enim vtraque efficax ad ligandum: quia, vt Grego. dicit, & habetur 11. quæstione tertia. sententia Pastoris siue iusta, siue iniusta, est timenda. sed excommunicatio iniusta non priuat excõmunicatũ cõmunicatione interiori, sed solum exteriori: ergo excommunicatio simpliciter non priuat nisi externa communione fidelium. Et confirmatur: quia in sacra Scriptura nunquam inuenitur excommunicatio, nisi prõ priuatione ab externis actibus, seu cũ sola extrinseca pœna, vt patet discurrenti per epistolas Ioannis & Pauli, in quibus nihil aliud inuenitur prohibitum nisi extrinseca communio: nam quum tradebantur Satanæ, solùm extrinsecè vexabantur, vt patet ex eo, quod ibi dicitur, Vt spiritus saluus fiat, primæ ad Corinth. 5. Non nisi voluntariè ergo dicitur, quòd excommunicatio priuet spiritualibus suffragiis Ecclesiæ.

¶ IN OPPOSITVM est Magister sent. in 8 distin. 4. quem communiter doctores in hoc sequi videntur.

¶ Ad euidentiam quæst. huius sciendum est, ꝙ oportet extremum vtrunque vitare, ne in errorem incidamus. Tria siquidẽ inueniuntur in cõmunione fidelium, quatenus fideles sunt. Vnum est communio extrinseca in simul orãdo, vt fit cõueniendo in ecclesia ad Missarum, aliorúmque diuinorum officiorum solennia: & hoc est vnum extremum. Aliud est Sanctorũ communio, quæ fit per charitatem vnientẽ Christi membra secundum fidem formatam capiti Christo, & reliquis Christi mẽbris sibi similibus: & hoc est alterum extremum. Tertium est communio fidelium secundum communia suffragia, quæ in Ecclesia ex institutione Ecclesiæ fiunt, vt patet in orationibus & Missis: & hoc est medium. Dupliciter ergo contingit in proposito errare, vel dicẽdo ꝙ excommunicatio auferat solam intrinsecam communionem, vel dicendo ꝙ excommunicatio tollit directè omnem communionẽ, vtrunq; enim est falsum: vt patet. Veritas autem est, ꝙ excommunicatio tollit extrinsecam & intrinsecam quo ad cõmunia suffragia communionem fidelium, & supponit ablatam communionem Sanctorum per charitatem. Pro quorum intellectu (quia de externa cõmunione non est dubium) videnda est primò differentia inter dictas duas communiones internas: & monstrandum est deinde, ꝙ altera earum per excõmunicationem aufertur. Cõmunio fidelium quum consistat in conferendo & recipiendo, oportet ꝙ interna etiam communio cõsistat in collationibus & receptionibus. Et collatio quidẽ fit meritis, orationibus, atq; suffragiis apud Deũ adiuuantibus & intercedentibus pro aliis. Receptio autem fit suscipiendo ex aliorum ope, vel gratia, vel gratiæ augmẽtum, vel protectionẽ diuinæ assistentiæ à malis præseruantis, vel ad bonum promouentis, & huiusmodi. Verùm collationes horum spiritualium auxiliorum ex duplici oriuntur causa, nam quandoq; oriũtur ex charitate immediate: vt quũ in charitate cõstitutus ex priuata intentione orat, operatur, affligitq; se pro alio, & impetratilli vel gratiã, vel gratiæ augmentum, vel adiutoriũ contra tẽtationes, & huiusmodi. Vel ex charitate mediante institutione, vel actione ecclesię, vt quum ex Missis diuinisq; officiis aliquis adiuuatur ad bonum operandum, vel ad malum vitandũ: hæc enim ex charitate, sancta matre Ecclesia instituẽte sunt, & pro cõmuni ecclesiæ bono ordinata: & pro singulis eius mẽbris agit ea, iuxta singulorum fidem deuotionémq; offerẽtium. Et ad hoc collationum genus, spectat sacramentorum collatio, quæ Christi fidelibus dispẽsantur: quoniam actione ecclesiastica conferuntur. Quocirca inter communionem internam secundum charitatem immediatè & cõmunionem internam mediate ecclesiæ institutione, seu actione, ex parte receptorũ non est differentia secundũ substantiam: sed secundum magis & minus, nisi quo ad gratias sacramentales: quoniã omnia illa spiritualia dona, quę ego possum recipere ex vna cõmunione, possum recipere ex alia, & ecõtra: excepta (vt dictũ est) sacramentali gratia, vt puta charactere in sacramento confirmationis, & si militer in sacramẽto ordinis: hæc enim nõ potest quis accipere ex communione solius charitatis: sed oportet interuenire cõmunionem secundum Ecclesiasticã sacramenti actualem susceptionem. Communio siquidem in sacramentis in voto tantum, stat infra limites communionis charitatis: sed communio in sacramentis secundum rem, ad communionem actionis ecclesiasticæ spectat. Et hinc patet, quòd recepta differunt secũdum magis & minus: quia constat, ꝙ maior gratia habetur, quum sacramenta actualiter sumuntur, quàm cum in voto tantũ. Ex parte autem collationis inuenitur magna differentia secũdum substantiã, quoniam interna cõmunio charitatis immediate, in meritis, orationib⁹, suffragiisque priuatis cõsistit. Cõmunio autem charitatis ad intima penetrans mediãte ecclesiæ actione, seu institutione in meritis, orationibus, suffragiisq; cõmunibus (hoc est in ipsius Ecclesiæ & sacramentis & sacramentalibus) vt in actionibus consistit. Orat enim ecclesia, suffragatur, meretur, sacramenta dat & sacramentalia, ex charitate proculdubio: & his efficit apud Deũ, vt nõ solùm ecclesia, sed singuli fideles bonum gratię, aut augmentũ protectionem & reliqua bona habeamus, nisi obicem ponamus. Ad primam cõmunionẽ spectat illud, Particeps ego sum omniũ timentium te, ad vtranq; simul spectat articulus fidei, scilicet Sanctorum communionem, quoniã ad illum spectat cõmunio in sacramentis. Prima communio non est propriè nisi existentis in charitate. secũda autem ad Christianos etiãin peccato mortali existentes se extendit: nam & pro peccatoribus ecclesia orat (& frequenter exaudi-tur) etiam proteruis, ex hoc quòd Missas celebramus pro conuersione peccatorũ. Hæc autem dicta sunt adeò nota, vt nulla egeant probatione: quoniam ex ritu Ecclesiæ apparet eorum veritas.

¶ His autem præmissis manifestum est, quòd excõmunicatio: quia extra ecclesiæ communionẽ ponit, ab actionibus, in quibus ecclesiasticæ charitatis cõmunio consistit vt actionibus, separat: & cõsequẽter à receptionibus, quæ ex illis actionibus prouenĩut, segregat. Et quia inter hæc multa sunt interiora bona animæ: cõsequens est, vt excõmunicatio à communione multorum interiorum bonorum separet excommunicatum. Quòd autem excõmunicatio extra Ecclesię cõmunionẽ ponat, quo ad actiones ecclesię (ex qua cætera pendẽt) manifestatur ex eo, quòd Ecclesia non orat pro excommunicatis. Cõstat enim ꝙ non licet celebrare pro excommunicatis: imò, vt Bernardus dicit, vide quàm mala sit excommunicatio, ꝙ in Paraseue Ecclesia pro Iudæis & Paganis orat, sed nõ pro excommunicatis. Probatúrque hoc radicaliter ex euangelica doctrina: constat enim quòd ecclesia non orat secundum communem legem nisi pro fratribus nostris: sed excommunicati nõ sunt nostri fratres: ergo, &c. Minor patet ex eo, quòd Saluator noster Mat. 18. (vbi excommunicandi autoritatem ecclesiæ dedit) dixit de excommunicato, Sit tibi sicut ethnicus. i. Gentilis. Vbi man ifestè apparet, ꝙ excommunicatio ex fratre facit nobis sicut Gentilem: vnde Aug. dicit: Noli illum iam reputare in numero fratrum eorum: ergo. Amplius, Si excommunicatus extra ecclesiã ponitur quo ad externa tãtũ, sequitur ꝙ excõmunicatio nõ egeret autoritate Christi: quoniã quilibet princeps, quælibet ciuitas, quælibet cõmunitas posset extra suã cõmunionem ponere. Constat autẽ Christi autoritate excommunicationẽ fieri, Mat. 18. vbi subiungit, Amẽ dico vobis, quæcunq; alligaueritis super terrã (glos. vinculo anathematis) vbi Chryso. dicit, Vide qualiter duplicibus colligatur necessitatibus: & pœna, quæ hic est, scilicet proiectione ab ecclesia, sit tibi sicut ethnicus: & supplicio futuro, ꝙ est esse ligatũ in exilo. Amplius, ecclesia extra seipsam excõmunicatũ eiiciendo, ab omnibus his separat, quæ suis mẽbris cõferr: sed ipsa ecclesia sua institutione & actiõe cõfert mẽbris suis cõmunes orationes, suffragia, & huiusmodi: ergo hæc tollit excõmunicado, & ad hæc adunatit recõciliãdo. Maior patet ex eo, ꝙ excõicatio est suprema pœna Ecclesiæ: nõ esset aũt suprema, si nõ tolleret totũ quod ecclesia dedit, quoniã adhuc maior supereſſet pœna, si adhuc restaret se parãdus excõicatus ab his, quę dedit & dat cõtinuè ipsa, suis mẽbris. Minor probatur, quia Ecclesia instituit Missas nõ solum pro ecclesia in cõmuni, sed pro singulis: vt patet in canone Missæ. vbi dicitur, pro ecclesia tua sancta catholica, quo ad primum: & omnil ius orthodoxis, atque catholicæ & apostolicę fidei cultoribus, quę ad secundum. Instituit etiam in Memento pro aliquibus singulari bus orari, instituit horas canonicas & orationes pro fidelib⁹: vt patet. Hæc omnia esse suffragia & ab ecclesia & in persona ecclesiæ quis dubitat, non egeratione, sed sensu. Et sic patet excõmunicatum esse alienum ab actionibus communibus, quibus Ecclesia communicat suis fidelibus. Et patet cõsequẽter alienũ quoq; esse à fructu illarũ actionũ: hoc enim manifeste sequit. Et quia fructꝰ actio nũ illarũ sunt adiuuari ad gratiã, vel gratię augmẽtũ, ad bene operãdũ, ad declinãdũ à malo ad resistẽdu diabolo, &c. ideo patet ꝙ à multis internis bonis excõicatio separet. Et cõfirmatur autoritate Aug. de verbis Apostoli, sermo. 68. Omnis Christianus qui à sacerdotibus excõmunicatur, Satanæ traditur. Quomodo? quia sicut extra ecclesiã diabolus est, sicut in ecclesia Christꝰ: ac per hoc quasi diabolo tradit, ꝙ ab ecclesiastica cõmunione remouet. Vbi habes

habes quomodo extra Ecclesiam intelligit Aug, non Ecclesiam materialem, non extrinsecam communionem, sed extra Christum. Replicando autem dicit, quasi Diabolo traditur: quia non traditur Diabolo possidendus, sed corripiendus. Ad idem est autoritas Hiero. Quorum dimiseritis peccata, &c id est, quibus Ecclesiam interdixeritis, nisi reconciliati per satisfactionem fuerint, ipsis ianua regni cælestis clausa erit. Et habentur 11. q. 3. ambæ autoritates. Ex quibus patet quòd excommunicatio ab internis bonis excludit (quæ regni cælestis ianuam aperiunt) pro quanto priuat excommunicatum à communibus Ecclesiæ suffragiis: per quæ interna bona à diuina misericordia suauiter omnia disponente ad nos descendunt.

¶ AD OBIECTIONEM ergo primam in oppositum dicitur, ꝙ licet omnia suffragia ex charitate prodeant, non tamen omnia eodem modo à charitate ordinata procedunt. Sed quædam procedunt immediatè per solas priuatas intentiones seu actiones fidelium: & horum communio spectat ad charitatem: & ista non tolluntur directè per excommunicationem, sed præsuppositiuè tolluntur per eam, quia excommunicatio non incurritur absque mortali peccato tollente charitatem & consequẽter communionem istam. Quædam autem suffragia procedunt ex charitate per Ecclesiæ actionem, vt sunt communia suffragia, quæ in persona Ecclesiæ fiunt: & horum communio spectat ad fideles omnes ab Ecclesia non præcisos: sunt enim hæc communia fidelibus omnibus etiam existentibus in peccato mortali, vt probatum est. Et hæc est differentia inter hominem fidelem existentem in mortali peccato absque excommunicatione, vel cum excommunicatione ꝙ non excõmunicatus adiuuatur à pia matre communibus Ecclesiæ suffragiis: excommunicatus autem non adiuuatur per illa, sed sibiipsi relinquitur vt gentilis, iuxta domini præceptum: non tamen omnino deseritillos mater Ecclesia: quia requirit illos, vt resipiscant: nec salutem eorum sicut nec Paganorum negligit, vt Aug. vbi suprà subiungit. Et ad hanc solicitudinem vltra personale onus spectat, ꝙ Ecclesia obligat clericum excommunicatum ad horas canonicas, sicut & omnes excommunicatos ad ieiunium ab Ecclesia institutum. conceditur igitur ꝙ excommunicatio non nisi præsuppositiuè tollit communionem charitatis: sed cum hoc stat, quòd directè tollit communionem suffragiorum communium Ecclesiæ: ac per hoc internorum bonorum, quæ sunt illorum suffragiorum fructus: quia ista non spectant ad communionem charitatis immediatè: de qua sola dictum est, Particeps ego sum omnium timentium te: quamuis hæc verba verius intelligenda sint in persona veri membri Ecclesiæ non præcisi ab ea: hic enim verè dicit, Particeps ego sum, &c. quia omnium simpliciter est particeps. Ad secundam dicitur, quòd propriè loquendo excommunicatio iniusta quo ad ipsam, (puta pro non crimine,) non est excommunicatio simpliciter & absolutè, sed secundum quid tantum, hoc est in foro iudiciali. Et ꝙ non sit simpliciter excommunicatio, patet ex illa vniuersali, Iustum iudicium non est iudicium: excommunicatio enim quodam iudicium est. Et manifestatur facilè: quia excommunicatio actus iudicis est, actus autem iudicis est ius dicere: constat autem, quòd dicere iniustum non est dicere ius. Et similiter excommunicare est ius tale dicere, iniusta autem excommunicatio est iniustum tale dicere: non igitur est excommunicatio, si iniusta est, secundum substantiam excommunicatio. Secus autem est de iniusta ex parte motiui, puta, quia ille potest excommunicari ex suo crimine, sed tamen ego non moueor nisi ex odio ad excommunicandum. Hæc enim excommunicatio est iusta secundum se, quamuis sit iniusta ex parte motiui: & ideo est verè excommunicatio, & omnes excommunicationis effectus secum fert. Sed excommunicatio secundum se iniusta, non fert secum excommunicationis effectus, nisi in foro exteriori: non est enim sic excommunicatus priuatus suffragiis Ecclesiæ secundum veritatem: quia non est verè excommunicatus in cælo: quia non est Ecclesiæ non auditor, ac per hoc non sicut ethnicus. Vnde Aug. de verbis Domini Matth. 18. cœpisti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra, sed vt iustè alliges, vide: nam iniusta vincula diffrumpit iustitia. Parere tamen excommunicationi debet, ab extrinseca communione se abstinendo: quia in foro extrinsecò ligat. Et hoc est quod Gregorius docet, dicens quòd sententia pastoris siue iusta, siue iniusta est timenda. Secus autem (vt communiter dicitur, & bene,) esset, si sententia esset nulla, hoc est manifestum etiam in foro exteriori: ita quòd inter excommunicationem iniustam, & nullam non est differentia, quia illa excommunicatio sit, & ista nõ, (neutra enim est excommunicatio absolute) sed quia illa est excommunicatio in foro exteriori, hæc autem in nullo foro: & ideo nulla dicitur. Et est quando continet errorẽ intolerabilem vel in facto, puta si excõmunicetur quis quia non tenet cõcubinam, vel in iure, vt si excõmunicetur post legitimam appellationem ab eodem, & huiusmodi: vt habes in glosia dicti c. Non ergo communiter se habet excõmunicatio ad excommunicationem iustã & iniustam: sed ly iniusta est conditio diminuens rationem excommunicationis: sicut homo non se habet cõmuniter ad hominem verum & pictum. Et propterea nõ est de natura excommunicationis iudicandum, secundũ ꝙ saluatur iniusta: sed simpliciter & absolutè, prout est in sua integra ratiõe & efficacia quam solùm significat excommunicatio, propriè & formaliter loquendo, quoniam actus est iudicis dicentis eius. Ad confirmationem dicitur, quòd ex sacra Scriptura habetur excommunicatum priuatum esse spiritualibus bonis & regno cælorum, Matth. 18. Ex eo enim, quòd Ecclesiæ sit vt Gentilis, priuatur Ecclesiæ suffragiis: sicut Gentilis expers eorum est. ex eo autem quòd ligatus est in cælo, prinatur bonis soluentibus vincula cælestia. Habetur quoque idem ex ipsa forma excommunicationis: nam ea, quę extrà fiunt ab Ecclesia sunt signa eorum quæ sunt intus, si error non interuenit. Et propterea ex hoc ipso, quòd Ecclesia ab ecclesiastica communione exterius separat hominem excommunicando, significat illum ab interna communione Ecclesiæ separari. In cuius signum in primitiua Ecclesia etiam sensibiliter potestati dæmonum excommunicati tradebantur, quasi à Christo exciſi. Nec est verum quòd in primitiua Ecclesia sola externa pœna excommunicati mulctabantur: sed vltra internas addebantur externæ pœnæ à Diabolo: sicut vltra interna bona in primitiua Ecclesia boni visibiliter visitabãtur à Spiritusancto, Loquẽtes linguis, &c. Nec obstat quod dicitur, Vt spiritus saluus fiat: quoniam hoc spectat ad finem. constat autem quòd excommunicatio priuat etiam suffragiis Ecclesiæ, & relinquit hominem sibiipsi, vt resipiscat, vt spiritus saluus fiat: est enim velut medicina quædam in cap. quuin medicinalis. de sen. excom. lib. 6. Augustæ, die 29. Octobris 1518.

TRACTATVS VIGESIMVS de Iniunctis pœnitentiis, vnica quæstione contentus.

QVAESTIO.

¶ Num pœnitentia iniuncta à confessore si non impleatur in hac vita, exoluenda sit in alia.

QVAERITVR Vtrum pœnitentia secundum canones imposita à confessore, si non impleatur in hac vita, exoluenda sit in alia vita. Et videtur ꝙ non: quia nec canones pœnitẽtiales, nec sententiæ hominis intelligũtur imponi, nisi in hac vita, vt patet discurrendo. Et cõfirmatur, quia mortui sunt extra territoriũ humani iuris: constat autẽ impunè posse non parere extra territoriũ ius dicẽti.

¶ In oppositum enim est communis Ecclesiæ sensus.

¶ AD EVIDENTIAM Huius sciendum est, quòd pœna ritè imposita, quæ in hac quæstione nuncupatur pœna canonica duo in se cõtinet. Alterũ est id quod pro culpæ satisfactione debetur: quoniam nisi pœnitens remaneret debitor ad satisfaciendum diuinæ iustitiæ nulla deberet ei pœna imponi. Claues enim Ecclesiæ sicut non soluunt in veritate nisi dignos absolutione, ita non ligant secundum rei veritatem nisi alligatione dignos: si enim & non aliter confessor exhibet se Christi ministrũ, vtendo claue potestatis. Vnde ad discernendum dignos ab indignis, data est ei altera clauis, scilicet autoritatis discretiuæ. Alterũ est id quod confessor apponit, ꝙ se habet ad primum sicut determinatum ad indeterminatum, & sicut qualitas ad substantiam, seu accidentale ad substantiale. Nam ad satisfactionẽ pro peccato, substãtialiter exigitur, ꝙ pœna sufficienter exoluatur: an autem tali, vel tali pœna satisfactio fieri debeat pro indeterminato habetur donec à Deo vel homine determinetur: puta ꝙ ieiunet, peregrinetur, & huiusmodi. Et quoniam possunt etiam hæ determinationes mutari (vt patet quum imposita pœnitentia commutatur, & substantiale debitum satisfactionis, quod erat quasi vestirũ priori qualitate pœnitentiæ induit ex cõmutatione nouam qualitatem: puta, si prius erat sub forma orationis, & postea mutatur in formam eleemosynæ) ideo vt accidentale ad substantiale, & vt determinatio ad determinabile se habet quod apponitur à confessore ad id, quod pro peccati satisfactione exoluendum restat. Importat ergo canonica pœna, non solas qualitates appositas ab homine secundum canones, nec solam suppositam pœnam peccato debitam: sed vtrunque. Ita quòd inter pœnam debitam pro satisfactione peccati simpliciter & absolutè & pœnam canonicam, hæc est differentia, quòd illa primo modo significatur nuda: secundo autem, hoc est per pœnam canonicam, si gnificatur vestita per determinationes à confessore cõcanonice appositas.

¶ Quocirca ad propositam quæstionem respondendũ cum distinctione est, vt vterque extremus error vitetur. Nã si dicatur, quòd pœnitẽs non remanet post hanc vitam obligatus, errabunt multi inferẽtes ex hoc ꝙ mors absoluit omnes à pœnis debitis, ꝙ peccatis, dũmodo hic fuerint impositæ à cõfessoribus & acceptatæ, quamuis non exoluerint omnes: hoc enim clarè constat esse erroneũ. Et rursus si dicatur, ꝙ pœnitens remanet obligatus posthanc

Universidad de Deusto
Biblioteca

vitam errabunt fortè aliqui, sumẽtes ex hoc alterum extremum, scilicet, quòd mortui tenentur ad ieiunia, peregrinationes, &c. quod est ridiculum.

¶ Dicatur ergo secũdum distinctionem iam dictam & probatam, quòd pœna canonica non remanet exoluenda quantum ad qualitatem ab homine appositam, & ex hoc sequitur, quòd non teneantur ad ieiunia, & alia huius vitæ opera mortui. Remanet autem quo ad substantialem pœnam: & ideo sequitur, ꝙ post mortem tenentur exoluere quod hic non soluerunt. Ratio autẽ quare remanet quo ad substantiale: est quia satisfactio substantialis erat debita ex ipso peccato, seclusa impositione canonis & sacerdotis: & nunquam est soluta in hac vita. Ex hoc enim conuincitur primò, quod aut nunquã exoluetur: & sic peccatũ remanebit absq; satisfactione (quod est impossibile in his qui saluantur) aut quòd exoluetur post hãc vitam: quod est verissimum, & à catholica Ecclesia confessum. Conuincitur secundò, quòd non est eadem ratio de remanſione post hanc vitam pœnitentiæ sacramentalis quo ad substantiale, & de aliis pœnis, vel operationibus impositis à iure humano, vel ab homine: puta quòd dicamus horas canonicas, quòd ieiunemus in Quadragesima & huiusmodi. Manifesta siquidem est diuersitatis ratio, ex hoc quòd pœnitentia sacramentalis claudit in se pœnam debitam simpliciter pro satisfactione peccati, ratione cuius remanet: quia pœna simpliciter debita peccato, non hic tantùm, sed aut hic, aut in futuro exoluenda est, si in patriam cælestem ingressus patebit. pœnæ autem & opera alia solummodo præsentis vitę exercitationes debitas continent: & ideo cum vita præsenti totaliter spirant.

¶ ET PER hoc patet respõsio tam ad primam obiectionem, quàm ad secundam: vtraque enim loquitur de vinculo canonum, quo ad id, quod ex solo humano vinculo pendet. Pœnitentiam autem sacramentalem remanere constat non ex canonis vinculo, sed ex eo quòd ipsa claudit pœna simpliciter peccato debita hic, aut in futuro, tam hominis, quàm canonis arbitrio seclusо. Augustæ, die 30. Septembris. 1518.

TRACTATVS VIGESIMVS primus de Sigillo Confessionis, vnica quæstione contentus.

QVÆSTIO.

¶ Num confessor teneatur occultam seruare deliberationem confitentis, se omnino occisurum regem, aut Pontificem summum.

QVÆRITVR Vtrum confessor teneatur occultam seruare deliberationem confitentis se omnino occisurum Regem, aut Pontificem summum.

¶ Videtur enim ꝙ non. Tũ quia confitens non habet contritionem, aut attritionẽ de tali deliberatione, & consequẽter nõ est occultanda à sacerdote, sicut nec à Deo occultatur. Tum quia peccatũ cadens sub sigillo cõfessionis est comissum, non cõmittendum: cùm confessio non sit de futuris. Sed homicidium est futurum: igitur licitum est reuelare, vt caueat.

¶ IN OPPOSITVM Autem est autoritas Theologorum in 4. dist. 21. ibi enim communiter tenẽt, quòd in nullo casu etiam infectionis hæresis licet reuelare peccatum in confessione detectum: vt patet in S. Tho. Sco. & Perro de Palude.

¶ HÆC Quæstio mota est occasionaliter quidẽ propter quẽdam reuerendissimum dominum Cardinalem, qui hoc per contatus iussit, vt scriberem, complectiuè autem propter opinionem Panormit. in cap. omnis vtriusque sexus. de pœn. & remiſ. Vnde duo facienda sunt. Primò fundabitur illius opinio. Secundò confutabitur, ostendendo quid sentiendum: & sic satisfiet obiectis.

¶ QVO AD Primũ, Panormit. ex quibusdam Innocẽtij verbis in eodẽ c. motus, dixit, quod confessor potest reuelare ne eueniat tantum malum: dixitque hoc sentire Innocẽtium: fundátque se super rationib⁹ in principio adductis. Sed vt melius veritas elucescat, fundatur opinio ista sic iuxta verba Innocẽtij, Illa tantum cadũt sub sigillo cõfessionis, quæ à pœnitẽte, in quantũ pœnitens est, dicuntur. Sed obstinatio sua ad occidendũ, non dicitur ab eo, inquantum est pœnitens: quia implicat esse obstinatũ & pœnitentem respectu eiusdẽ: ergo. Præterea, ex parte peccati: & idẽ redit, Illa tantũ cadũt sub sigillo cõfessionis: quæ reuelantur, vt occultabilia sacramento cõfessionis. Sed obstinatio ad futurũ homicidiũ non reuelatur, vt occultabilis per sacramentũ: quia implicat proponere, vt absolubile, & vt pertinax: ergo. Et similiter põt fundari ex parte confessionis. Quia scilicet ad illa tantũ se extẽdit sigillum, ad quæ se extendit ministerium cõfessoris actu vel potentia: sed ad obstinationem nullo modo se extẽdit: ergo. Hæc de primo.

¶ QVO AD Secundum. Ista opinio tripliciter errat, primò à veritate: ex triplici enim capite ostenditur, talem obstinationem sub sigillo cadere cõfessionis. Primò, quia eiusdẽ rationis est confiteri peccatum vt absoluendum, & confiteri impedimentum prohibens absolutionem, vt patet ex eo, ꝙ ad eundẽ iudicem & in eodem foro spectat nosse vtrunque, quid absoluendũ sit, & an adsit impedimentũ aliquod, alioquin nõ posset nisi casualiter recte absoluere. Sed obstinatio in peccato, reuelatur & cognoscitur vt impedimentum prohibens absolutionẽ: ergo eiusdẽ rationis fori & iudicis sunt: sed constat peccatũ reuelari à pœnitẽte ministro Dei: ergo & obstinationem. Et per hoc patet defectus fundamenti opinionis adueꝛsæ, quoniã pœnitens inquantum pœnitẽs non solùm dicit ea, quorum pœnitenti, sed impedimenta veræ pœnitentiæ, & sic dicit se obstinatũ. Et similiter non solũ quod proponitur vt occultabile per absolutionẽ, sed quod apponitur vt impedimentum absolutionis, infra ordinẽ occultabilium clauditur. Et similiter ad ministerium confessoris pertinet nõ solùm absoluere, sed impedimenta absolutionis cognoscere. Secundò, quia sermones, circunstantia, & vniuersaliter quicquid dictũ pandit hoc peccatũ cõmissum & confessum huius personæ, cadit sub sigillo cõfessionis. Sed manifestare homicidiũ ab hoc cõmittendum, pandit peccatũ iam commissum, scilicet voluntatem, qua deliberauit se homicidium cõmissurũ: ergo cadit sub sigillo cõfessionis. Et ex hoc ruit secunda ratio in principio adducta ex Panor. Nõ enim vidit, ꝙ in cõfessione illius obstinationis reuelantur duo connexa, scilicet cõmissum, propositum, & cõmittendum factum: & ꝙ similiter in reuelatione qua faceret confessor, non solũ reuelaret cõmittendũ factũ, sed cõmissum propositũ. Tertiò, quia si obstinatio huiusmodi posset reuelari, ergo quantũ est ex natura sacramenti, nulla obstinatio de mortali caderet sub sigillo confessionis: & tunc ergo non esset reus violati sigilli cõfessionis, quicunq; reuelaret aliquẽ obstinatũ in odio, in luxuria, in superbia, &c. quæ sunt manifestè cõtra cõmunẽ Ecclesiæ doctrinam: ergo. Et propterea S. Tho. vbi supra hanc opinionẽ erroneã reputauit in responsione ad primum.

¶ Errat secundò à cõmuni Theologorũ doctrina in quarto vbi supra, vbi etiã si aliquis obstinatus in hæresi cũ periculo infectionis aliorũ cõfiteretur, occultãdus de necessitate sacramẽti dicitur. Et ratio est: quia cõfessio immũda nihilominus cõfessio est sacramẽtalis, sicut & Baptismus immundus verum sacramentũ est. Et tãtò detestabilior est error iste, quãtò materia hæc theologalis nõ canonica est, nisi per accidẽs quia canoni inserta: sicut etiã materia de Trinitate. Errat tertiò ab ipso Innocentio, cui hanc imponit opinionem: vt enim ex plana verborum Innocentij serie apparet duæ ibi distinctiones ponuntur: altera de cõfessione, altera de fine confitentis. De confessione quidem: quia primò ponitur confessio sacramentalis: secundò confessio per modum secreti: scilicet, Dico tibi hoc in pœnitẽtia seu in cõfessione. De fine autẽ, quia aut propter partem pœnitentiæ suscipiendam, & orationum suffragia & consilium animæ suæ: aut propter auxiliũ, vel consilium non animæ, sed ad alia. Et dicit ibidem Innocentius de confessione primo modo propter finem spiritualem, quòd confessor teneatur occultare, & quòd non placet sibi responsio dicentium, quòd non reuelantur vt ministro. Deinde addit de confessione secundo modo propter finem secularem: & dicit quòd tenetur manifestare non obstante confessione. Ex quibus apparet, quòd oppositum concludit eius, quod Panormitanus somniauit. Nec prima ratio in principio adducta de incontritione aliquid valet. Quia (vt patet ex dictis) & sufficit quòd manifestetur vt impedimentum contritionis, & confessio immunda verè sacramentalis confessio est, &c. Vnde tu simplex confessor caue à summa Angelica in hoc passu: quia nesciens quid diceret, scripsit sibi placere opinionem Panormitani. Romæ die 13. Septembris 1504.

TRACTATVS VIGESIMVS SECVNdus de Pollutione ex auditione Confessionis proueniente, vnica Quæstione contentus.

QVÆSTIO.

¶ Num confessor cognoscens ex his quæ audit in confessione, sequi in seipso emissionem seminis sibi displicentem, peccet mortaliter audiendo, vel prosequendo tales confessiones.

QVÆRITVR Vtrum confessor cognoscens ex his quæ audit in confessione, sequi in seipso emissionem seminis sibi displicentẽ, peccet mortaliter audiẽdo, vel prosequẽdo tales confessiones. Et videtur quòd sic. Primò, quia omnis voluntaria seminatio extra matrimonium est peccatũ mortale: sed hæc est huiusmodi: ergo. Probatur minor, quia in potestate istius stat auferre causam pollutionis talis: voluntaria enim est auditio talium, vt patet.

¶ Secũdò, Quia sicut tentatio carnis ex his prouenientes, non excusatur à peccato veniali (dicente Aug. quòd nonnullum peccatum est cum caro concupiscit aduersus spiritum) ita seminatio ex eisdem prouenientes non excusatur à mortali: est enim huiusmodi seminatio secundum se mortalis, sicut tentatio venialis.

¶ PRÆTEREA, Si excusaretur à peccato mortali, hoc esset quia sic esset voluntaria causa, ꝙ non esset voluntarius effectus. Sed hoc est impossibile in causis, ad quas naturaliter sequitur effectus, & sequela est cognita: quicunque enim vult antecedens, vult consequẽs, necessariũ naturali necessitate & cognitũ: quamuis diuersimode, quia antecedens directè, consequens verò indirectè.

¶ IN OPPOSITVM videtur, & est multorum opinio, quia ex retractione confessoris ab huiusmodi, sequeretur scandalum cum pluribus inconuenientibus: puta quòd bonus confessor non posset vacare saluti animarum: imò quòd curatus, qui tenetur ad audiendas confessiones, teneretur omittere curam ouium: & quandoque (puta in Pascha) esset perplexus, audiendo, vel omitendo, propter præceptum, quo alligatur pœnitens, &c.

¶ AD EVIDENTIAM huius dubitationis, primò manducendus est intellectus ad conclusionem. Deinde intenta responsio ratione firmanda est. Et sic demum satisfiet obiectis.

¶ QVO AD Primum scito, ꝙ aliquid est dupliciter voluntarium. Primò in seipso: cum scilicet aliquis vult illud facere, puta dormire. Alio modo in sua causa, puta cum aliquis vult bene comedere & bibere, quæ sunt causa somni: quamuis nõ hoc velit vt dormiat. Voluntarium autem tantum in causa, non refert quo ad bonitatem vel malitiam moralem, an in somno, an in vigilia fiat: ex quo enim secundum causam tantum habet rationem voluntarij, in ea quoque tantum oportet habere rationem boni, vel mali moralis: & si in causa tantum consistit moralitas, cætera erunt per accidens, & consequenter per accidens erit, vtrum in somno, vel in vigilia effectus expleatur. Ex hoc autem sequitur ꝙ quando pollutio est voluntaria in sua causa tantum, non refert vtrum pollutio sequatur in vigilia, vel somno, ac per hoc, si talis pollutio in somno non esset peccatum mortale, nec auferret virginitatem: si etiã eueniat in vigilia non auferret virginitatem, nec erit mortale peccatum. Cùm autem in quæstione proposita seminatio non sit voluntaria secundum se ipsam, sed in sua tantum causa, idem est iudicium de tali pollutione, si cognoscitur quòd sequitur statim & vigilando, & si cognoscatur, quòd sequeretur nocte sequenti dormiendo. Ad hoc ergo quæstio omnis venit, quòd si talis pollutio in somno non esset peccatum mortale, nec in vigilia, & si in vigilia, quòd & in somno. Nec obstat hic si dicatur quòd hoc non sequitur, quia in somno homo nõ potest peccare, quia hoc non est verum nisi de peccato voluntario secundum seipsum, & quo ad actum electionis seu imperij: quia scilicet non potest tunc illud imperare vel eligere. Peccatum autem voluntarium in causa & in seipso, potest homo committere in somno vt exequens. Mulier enim quæ ideo obdormit, vt à consanguineo quasi nescia opprimatur, incestus rea est & virginitatem vtraque perdit, si ab eo dormiens cognoscitur: electus est enim tunc somnus, vt medium conueniens ad perpetrandum peccatum. Nec minus reus est vtens seipso dormiente ad peccandum, quàm vtens ministri alicuius opera ad explendum homicidium, quod contingit compleri dormiente eo qui præcepit. Pari igitur, imò eadem existente ratione boni, vel mali in somno vel vigilia in proposito cùm constet ex S. Tho. in 4. sent. di. 9. quòd pollutio in somnis accidens, cùm secundum se non est voluntaria, secundum causam consideranda iudicandáque est, & quòd pollutio prouenies in somno ex cogitatione dispũtatoris, vel prædicatoris de materia venerea non est peccatum, prouenies verò ex cogitatione tali & delectatione absque consensu est peccatum veniale: sequitur quòd si pollutio secundum se non voluntaria in vigilia ex eisdem contingat causis, eodem quoque modo, aut non sit peccatum, aut sit veniale. Nec obstat si dicatur, quòd sequela futura in somno, aut nesciturꝫ aut non consideratur: sequela autem, quæ tunc est, in vigilia, & scitur & consideratur. Quoniam sequela in somnis sciri potest tum quia naturalis causa est vt in pluribus, multiplicata enim imaginatio venereorum, naturalis est causa seminationis, vt experientia testatur: tum proprię naturę cognitione, tum quia si sciret aliquis sequelam futuram in somnis, non propterea peccaret. Et idem est iudicium de cõsideratione: potest enim quis cõsiderare hoc actualiter: & si cõsideraret, nõ propterea peccaret. Non enim causa quare talis prædicator, aut disputator nõ peccat aut nõ nisi venialiter peccat, assignatur: quia nescit talem sequelam, aut quia non aduertit, sed quia cogitatio talis nullũ peccatum est, delectatio verò sine consensu veniale. Et confirmatur hoc: quia aliter non redderetur ratio de disputatore & prædicatore absolutè: sed tali, scilicet ignorante aut inaduertente: cùm tamen de eis absolutè fit sermo. Ex his igitur patet iam hoc demonstratũ esse, ꝙ huiusmodi pollutiones, quæ secundũ se non sunt volitæ, sed displicent, siue in somno, siue in vigilia, tantũ habẽt boni vel mali, quatũ in sua causa sortiuntur. Si ergo auditio taliũ in cõfessione vel extrà sine peccato est, ipsa quoq; sequẽs pollutio sine peccato est: & similiter si cũ peccato veniali ipsa quoque venialis est: & si cum merito, ipsa quoq; cum merito est. Cùm igitur confessor non solùm qui tenetur, (vt curatus,) sed quilibet vacans animarũ saluti, sine peccato quandoque, & quandoque cum veniali tantum, & quandoque cum merito audiat falsi, interroget respondeatque: consequens est, vt patiendo talem pollutionem quandoque non solùm non peccet, sed mereatur, at per hoc non virginitatem perdit, si virgo est, nec Ecclesiam polluit, si in Ecclesia hoc accidit, quemadmodum nec personam suam sacram polluit: sicut nec si in somnis hoc pateretur. Hæc de primo.

¶ QVO AD Secundum: iam habetur ex dictis vna ex communibus ratio, scilicet quòd voluntarium in causa tantum, mensuratur in bonitate & malitia morali secundum bonitatem, vel malitiam causæ tantum: sed hæc pollutio, (de qua est quæstio,) est voluntaria in causa tantum, ergo, &c. Cum igitur causa quandoque non mala, quandoque bona sit moraliter, restat vt pollutio ipsa mala moraliter non sit. Ex propriis autem probatur dicta conclusio, &c. Voluntarium indirectè, id est quia est in potestate voluntatis, non imputatur voluntati ex eo quia potest facere & non facit, sed ex eo, ꝙ potest & debet facere, & non facit: vt patet in Prima secundæ Sancti Thomæ quæstione sexta articulo tertio in cor. art. vbi sic dicit in forma, Voluntarium dicitur quod est à voluntate. Ab aliquo autem dicitur esse aliquid dupliciter, vno modo directè, quod scilicet procedit ab aliquo, inquantum est agens, sicut calefactio à calore. Alio modo indirectè, ex hoc ipso quòd non agit, sicut submersio nauis dicitur esse à gubernatore, inquantum desistit à gubernando. Sed sciendum, quòd non semper, id quod sequitur ad defectum actionis, reducitur sic in causam in agens ex eo, ꝙ non agit, sed solum tunc cùm potest & debet agere & non agit. Si enim gubernator non posset nauem dirigere, vel non esset ei commissa gubernatio nauis, non imputaretur ei nauis submersio, quæ per absentiam gubernatoris contingeret, &c. Hæc ille in forma. Voluntarium igitur indirectè, id est quia est ei potestate voluntatis, non imputatur voluntati ex eo quia potest facere & non facit, sed ex eo ꝙ potest & debet facere, & non facit. Sed in proposito pollutio hæc non cadit sub voluntario nisi indirectè (quia scilicet voluntas non diuerrit ab auditione, quæ est eius causa) & voluntas quamuis possit, non tamen debet diuertere à tali actu auditionis, cogitationis, & similium: ergo hoc non imputatur voluntati. Declaratur minor, quia nullus artifex debet omittere inchoationem, aut prosecutionem operis propter defectus consequentes ex necessitate materiæ: stultè enim aliquis omitteret constructionem serræ aut gladij ex eo, quòd rubiginem contrahent: propterea quia ex ferro fiunt: & sic de aliis. Pollutiones autem & stimuli carnis in proposito contingunt ex necessitate materiæ: ex eo enim, quòd res venerea est materia purganda, lauanda, disputanda, prædicanda, cogitanda, exinde naturali sequela, sequitur commotio carnis, &c. Testatur autem hoc non solùm experientia, sed doctrina tertij de anima, vbi in cap. de motiuo principio vult Arist. quòd quandoque intellectu non præcipiente, ex imaginatione mouetur pars aliqua corporis, &c. Non igitur debet homo propter defectus contingentes ex necessitate materiæ venereæ, omittere non solùm necessaria, sed vtiles cogitationes, locutiones, auditiones, &c. nam alioquin oporteret aut Angelos, aut viros valde priuilegiatos tantum, de huiusmodi disputare, audire, &c. cuius oppositum ecclesiastica habet consuetudo, & ratio docet.

¶ Animaduerte tamẽ in re hac quatuor, primum in mente, secundum in imaginatione, tertium in ore, & quartum in corpore. In mente quidem, ne ex auditione huiusmodi multiplicetur tentatio in mente, aliud est enim tentare in mẽte, & aliud in carne tantum, hæc enim (vt dictum est) ex necessitate prouenit materiæ, & contra voluntatẽ sustineri præsupponitur: illa autem ad voluntatem currit, & ad consensum trahit. Si enim aliquis ex his periculo consensus proximus fit: omittere debet tam inchoationem, quàm prosecutionem: quoniam ad mortale peccatũ nulla ratione properandum est. In imaginatione verò, ne timeat commotiones carnis: quoniam sicut imaginatio lapsus pedum, facit labi (quia excitat motum circa partes imaginatas) ita imaginatio huiusmodi cõmotionum, quæ magna est in timẽtibus causæ illas, euenítque actualiter timentibus: vt vnde credunt obuiare commotionibus, inde excitẽt. Et hoc dico de timore habẽte pro obiecto huiusmodi commotiones: timor autem habens pro obiecto Dei offensam cum eleuatione ab imaginatione talium, vel iuuat contra huiusmodi commotiones. Vnde huiusmodi confessores saluti animarũ vacare sic debent, vt de huiusmodi cõmotionibus quas patiuntur quantum possunt non cogitent, quamuis sentiant: ipsa enim cogitatio in causa. In ore autem, ne superfluas faciant interrogationes in hac materia: & quantum possunt celeriter hæc pertranseant: agentia nanque naturalia magis videntur agere ex mora, quàm ex magnitudine virtutis. In corpore demum, ne putent omnem effluxum humoris esse seminationem: est enim præter vrinam & semen, tertius quidã humor, qui ex calefactione seu ex inflammatione carnis fluit: de quo nisi cum rebellione carnis veniret, non magis curãdum est quàm de sudore videtur. Nunc autem nõ ratione sui: sed tentationis caueda est, non tamen tãquam

Universidad de Deusto
Biblioteca

pollutio: vnde nõ excedit limites peccati venialis. Hæc de secũdo.

¶QVO AD Tertium. Pro solutione obiectorũ memor esto duarũ distinctionũ iam positarum, altera est de voluntario in seipso, & voluntario in sua causa tantum. Altera est de volũtario in sua causa tantum, aut quo ad conditionẽ electam in causa, aut ex necessitate materiæ eiusdem. Seminatio enim voluntaria in seipsa extra matrimonium est peccatum mortale: voluntaria autem secundum causam, & non quatenus est electa, sed ex necessitate materiæ, non est peccatum, imò meritoria quandoque.

¶ Et per hoc patet responsio ad primum & tertium. Idem enim est iudicium de causa & effectu & antecedente & consequente. Quamuis etiam possit ad vtrunque argumentum aliter diitingui de voluntario in causa, seu indirectè: quia quoddam est quod voluntas potest, & debet in sua causa vitare, quoddam est quod potest quidem, sed non debet, & quòd primum est peccatum, secundum non. Et quia pollutio in casu proposito est voluntaria in causa tantùm secundo modo, ideo quamuis sit quodammodo voluntaria, non tamen est voluntaria imputabilis.

¶Ad secundũ verò dicitur, ꝙ licet omnis cõcupiscentia carnis aduersus spiritũ sit cum peccato: nõ tamen habet rationẽ peccati ex hac parte, qua procedit ex cogitatione vtili, & quandoq; meritoria: vnde hæc causa excusat quãtũ est ex parte sui, & à mortali pollutione, & à veniali tentatione. Sed quia pollutio aliunde non habet rationem mortalis, ideo simpliciter restat sine mortali, concupiscentia autẽ carnis aliunde potest habere rationem venialis: & ideo non concluditur, quòd concupiscentia carnis interueniens simpliciter non sit veniale peccatum. Et hæc de quæstione hac dicta sufficiant. Florentiæ in sancto Marco, die 13. Octobris, 1519.

TRACTATVS VIGESIMVSTERtius, de Purgatorio in duas quæstiones diuisus.

1 *Num in purgatorio possit esse meritum.*
2 *Num omnes animæ in purgatorio existentes sint certæ de sua salute.*

QVÆSTIO I.

¶ An in purgatorio possit esse meritum, &c.

VTRVM In Purgatorio possit esse meritũ aut charitatis augmentum. Et videtur quòd sic. Primò, quia vna ex pœnis Purgatorij est timor ex imperfecta charitate procedens, qui desinere nõ potest nisi charitate perfecta, quæ foras mittit timorem, primæ Ioan. 4. Probatur assumptum: quia horror mortis, qui imperfectè annexus est charitati, peccatum est: quia qui voluntariè non moritur, non obedit Deo vocanti nisi inuitus: huiusmodi autem horror animam sequitur in Purgatorio proportionaliter.

¶Secũdò, quia animæ in Purgatorio sunt in via: impossibile autẽ est esse statum in via in qua nõ progredi reuerti est: vt Hier. dicit.

¶ Tertiò quia virtus in infirmitate perficitur, primæ ad Cor. 12. in Purgatorio autem est maxima infirmitas.

¶Quartò, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ad Rom. 8. igitur & his qui sunt in Purgatorio.

¶Quintò, quia impossibilis est vlla viatoris perseuerantia nisi acipiat magis atque magis: igitur non perseuerarent in charitate, qui sunt in Purgatorio, nisi magis ac magis acciperent.

¶AD EVIDENTIAM huius sciendum est, quòd quia status Purgatorij est à nobis remotus, & parum de eo in Scriptura sacra habetur, oportet non ex opinatis sed ex certis inuestigare quod quærimus. Certum autem est imprimis, quòd status ille medius est inter nostrum & beatorum statum, dum nos omnino in via, beati omnino in termino fœlici, illi verò, qui in Purgatorio sunt, non totaliter in via, aut extra viam, & similiter non totaliter in termino, aut extra terminum sunt. Et quidem quòd non totaliter in via sint, ex eo patet, quòd extra viam communem ad inferos, & superos, non possunt incurrere amplius supplicium æternum. Et similiter quòd non totaliter sint extra viam, ex eo patet, ꝙ adhuc non peruenerunt ad patriã cælestem, pro qua assequenda purgantur. Et hinc patet quoque, ꝙ non sunt totaliter in termino, ad quem continua purgatione appropinquant, nec sunt totaliter extra terminum, in quo sunt sic diuina confirmatione fixi, vt ab illo diuertere nequeant. Hæc de Purgatorij statu, vt certa communisque Ecclesiæ sensu confessa habemus: ex quibus clare patet an Purgatorium sit vt via, vel vt terminus quo ad meritum. Sed quoniam status Purgatorij nõ est per se, sed per accidens medius inter nostrũ & patriæ statum (vt patet ex hoc ꝙ mediũ per se est in quod oportet ex altero procedentem extremo, primo peruenire quam in extremũ: vt patet 5. Phy. & 10. Meta. cõstat autẽ, ꝙ ex hac peregrinatione multi in cælestẽ patriã peruenerũt absque transitu per Purgatorium (non igitur est purgatorij status per se medius inter nostrũ & beatorum) & propterea ex ratione mediꝰ si processerimus, facilè fallemur: contingit enim in his quæ sunt per accidens etiam sapiẽtes falli. Quocirca oportet videre penes quid est medium Purgatorium, vt sic veritatem quæsiti sciamus: inuenimus autem ab Ecclesia diffinitũ Purgatorium esse medium quo ad satisfactionem pro actualibus peccatis, tũc tantum qñ homo in charitate decedẽs non plenè satisfecit pro illis in hac vita, ita ꝙ si homo in charitate decedens satisfecit hic, non transit per Purgatorium, & si non satisfecit hic, transit per Purgatorium. Ex qua determinatione iuxta regulam non Topicorum, sed Posteriorum Analyticorum: si affirmatio est causa affirmationis, negatio negationis, & contra in causis propriis, habemus ꝙ purgatorium per se & propriè nõ est nisi ad satisfactionem debitam pro actualibus peccatis exoluendã. Nam affirmatio satisfactionis adhuc debitæ in decedente in charitate, est causa affirmari trãsitus per Purgatorium: & negatio debitæ satisfactionis in decedẽte in charitate est causa negati trãsitus in purgatoriũ. Habetur autẽ hæc determinatio in Cõcilio Flo. sub Eugenio 4. inter definita pro concordia Græcæ & Latinæ Ecclesiæ, vbi sic legitur, Si verò pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequã dignis pœnitẽtiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis: eorũ animas pœnis purgatoriis post mortẽ purgari. Vbi apparet affirmationem debitæ pro actualibus peccatis satisfactionis esse causam purgatoriæ pœnæ: & subditur, Illorumq; animas, qui post Baptismũ susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contracti peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eiusdem exutæ corporibus: prout superius dictũ est, sunt purgatæ, in cælum mox recipi & intueri clarè ipsum Deũ trinũ & vnum sicuti est. Vbi patet negationẽ debitæ satisfactionis poni causam negationis purgatoriæ pœnæ: dũ & baptizatos sine adiuncta decedẽtes culpa: & eos, qui in suis corporibus satisfecerunt mox in cælũ recipi & intueri clarè Deũ sicuti est diffinitur. Ex his siquidẽ patet, ꝙ nec profomite purgando: (qui etiam in baptizatis remanet,) nec pro reliquis quibuscunque, nisi satisfactione debita pro commissis vel omissis, pœnæ sunt purgatoriæ. Et similiter nec pro merito augẽdo: quoniam satisfacere pro peccatis, nec meritum, nec cum nouo merito oportet esse: quia nihil aliud est quàm exoluere pœnas debitas. Credendum est igitur & pro determinato habendũ, ꝙ animæ in Purgatorio non sunt in via quo ad meritum. Et cõfirmatur autoritate Aug in Enchi. cap. 110. de purgatorio loquendo dicentis, quòd illis prosunt Ecclesiæ suffragia, qui hic meruerunt, vt eis prodessent. Et rursus: hic omne meritum comparatur. Et rursus, nemo speret quod hic neglexerit, cum obierit à Domino se promereri, quo possit post hanc vitam releuari quispiam. Et quibus absque alia probatione patet: ꝙ ponere meritũ post hanc vitam, contradicit sententiæ beati Aug. apertissimè. Et in literis apostolicis: vbi datur indulgentia pro defunctis, dicitur de illis, Quò magis aliorum egent suffragiis, & quò minus sibiipsis proficere valent. Consonat autem hoc etiam rationi rectæ: quia ex eo quòd constat illos, qui in Purgatorio sunt, non posse demereri (alioquin possent damnari) consequens est, vt non possint mereri.

¶Quocirca consequenter ad determinationem Ecclesiæ loquendo, dicendum est ex similitudine in naturalibus, ꝙ quemadmodum naturalia corpora extra propria loca genita, (puta si lapis genitus sit in loco superiori) habent determinationem sui ad proprium locum, à quo impediuntur propter aliquod prohibens motum: ita decedentes in charitate habent determinationem sui ad cælestem patriam, ad quam statim irent, nisi prohibens pœna debita temporalis pro peccatis adesset. Et propterea sublata pœna, vel per propriã exolutionẽ, vel per aliorũ suffragia, statim cælum adit: sicut graue remoto prohibenti, rendit deorsum. Et sicut nihil acquirit graue ex remotione prohibẽtis (sed iuxta pristinã grauitatem tendit ad proprium locum) ita anima ex remotione prohibentis, iuxta sortitã prius charitatẽ, in cælestis patriæ mansionem sibi paratã intrat. Et hæc exẽplariter sint exposita: & vt nouitij intelligere possint, qualiter anima in morte sortitur diffinitionẽ sui status quo ad meritũ & demeritũ: & cũ hoc stat ꝙ impediturà cõsequutione regni cælestis propter debitã pœnã: quæ absque merito exoluitur, & auferturà suffragãtibus, velut à remouente prohibens. Cõsonare siquidẽ discursum hũc determinationi Ecclesiæ de purgatorio pro sola satisfactione necessarió, cuilibet exercitato facilè patere potest. Quod tantò magis approbandũ est, quantò illi omnia cõsonare videntur, quæ de purgatorio habẽtur: legitur enim 2. Mach. 12. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Solui emꝫ vinculi absolutionẽ importat: detinẽtur enim pœnalibus vinculis suorũ peccatorum. Nec obstat si in textu hoc non inuenitur: quia maior est Ecclesiæ autoritas, ex Hiero. hoc docẽtis. Purgatorij quoq; nomẽ ideo accidit, ꝙ à peccatorũ pœnalibus immunditiis animã purget: vt idonea sit eiuis cælestis patriæ. Et quia status augmenti charitatis ad statum meriti eiusdem spectat (nam augmẽtum charitatis terminat illius meritum) eadem ratione, qua charitas in Purgatorio extra statum est meriti, à statu quoque augmenti excluditur.

¶AD PRIMVM In oppositũ dicit, ꝙ cõcesso in purgatorio timore nõ dãnationis, sed duratiõis magnæ futuræ pœnæ (vtpote quia incerti sunt de assuturis suffragiis diminutiuis pœnarũ) non propterea sequitur ꝙ oporteat charitatẽ augeri ad excludendum timorem: quoniam potest aliunde timor auferri, scilicet ex certificatione temporis & quantitatis pœnæ. Sed argumentum falsum assumit, scilicet ꝙ timor omnis aut ille ex imperfecta procedat charitate: potest enim cum perfectissima charitate stare timor: vt patet de timore Christi. Nec obstat, ꝙ perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam non vniuersaliter, sed particulariter intelligitur secundum glos. de timore, scilicet seruili, vel initiali inquantum initiali. Falsum quoque est, ꝙ horror mortis sit peccatum: quoniam naturalis est: & si cum imperfecta charitate sit, non tamen ex illa, sed ex naturali fuga mortis. Et licitum est inuoluntarie voluntate naturali mori. Et similiter voluntariè voluntate rationali mori dicendo cum Christo: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Vbi monstrat se nelle mortem, & submittere tamen se voluntati Dei: talis autem est dispositionis quicunque in charitate decedit. Huiusmodi autem voluntas naturalis fugiens naturaliter pœnas, comitatur animam, si ad Purgatorium accedit & facit animam tristari de pœnis: quia tristitia est de his, quæ nobis nolentibus accidunt: secundum Aug. Nec vnquam separatur ab anima, nisi ipsa posset separari à seipsa: sed actus eius (puta tristari, timere) cessant, cessantibus eorum materiis seu causis, scilicet malis pœnæ. Et ideo non oportet erescere propterea charitatem: sed desinere obiecta tristitiæ & timoris, quæ stante æquali charitate, tolli posse constat. Quamuis etiam si anima secum aliquod timoris, vel alterius passionis peccatum deferret, non propterea oporteret nouum in illa meritum ponere ad delendum illud peccatum, vt patet Matth. 12. in glossa super illo verbo, Neque in futuro, dicente, Quædam culpæ paruæ, scilicet in futuro laxantur, quæ quidem post mortem grauant, sed & dimittuntur, si homo bonis actibus in vita, vt sibi dimittantur promeruit. Hæc ille.

¶Ad secundum dicitur, quòd animę in Purgatorio eo modo quo sunt in via, progrediũtur: sunt enim in via quo ad satisfaciendum, & continuè progrediuntur exoluendo per se vel per alium.

¶Ad tertium dicitur, quòd ad literam Apostolus loquitur in hac peregrinatione, in qua virtus in infirmitate perficitur, non directè (infirmitas enim non est virtus perfectiua) sed occasionaliter. Non est autem in purgatorio huiusmodi occasione opus, vbi non est status perficiendi.

¶Ad quartum dicitur, quòd diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum cælestis beatitudinis: & sic omnia in Purgatorio cooperantur animabus in bonum cælestis patriæ, quia in maiorem appropinquationem in illud.

¶Ad quintum dicitur, quòd ly Magis ac magis potest referri, vel ad rem acceptam, vt sit sensus, Nisi maiorem rem accipiat: & sic falsum assumitur: conseruatur enim res sine augmento sui. Vel ad acceptionem, vt sit sensus, Nisi maior extensiuè sit acceptio: & sic est verum: nam nisi conseruatio continuè extendatur, desineret res esse, omnia enim in nihilum redigerentur, nisi ea manus omnipotentis conseruaret, inquit Gregorius. Vnde ex hoc non habetur augmentum charitatis, sed conseruatio eius. Augustæ die 17. Octobris, 1518.

QVÆSTIO II.

¶ Num omnes animæ in Purgatorio sint certæ de suæ salute.

QVÆRITVR Vtrum animæ omnes in Purgatorio sint certæ de sua salute æterna. Et videtur quod non. Primò, quia pœnæ inferni, & Purgatorij sunt eædẽ, ac per hoc tantus est pauor, & horror aliquarũ animarum, vt impediat eas, vt nesciãt in quo statu sint.

¶Præterea, Quia multæ defunctorum animæ apparuerunt nescientes statum suum, tanquam Deus sic eas iudicauerit, suspenderit tamen promulgationem sententiæ respectu illarum.

¶Tertiò, Quia nulla ratione, aut autoritate Scripturæ, aut Ecclesiæ inuenitur, quòd omnes animæ in Purgatorio sint certæ de sua æterna salute, &c.

¶In oppositum est communis Ecclesiæ doctrina.

¶AD EVIDENTIAM huius quæstionis sciendum est, ꝙ quum quælibet anima à corpore separata videat seipsam, & omnes species seu nabitus in seipsa existentes (quoniam directè intuitus eius fertur in seipsam non impeditam à corpore, vt in hac vita contingit) consequens est, vt anima existens in Purgatorio videat charitatem, seu gratiæ habitum in seipsa existentem, ac per hoc sciat, quòd est in statu gratiæ, & consequenter est certa de sua salute æterna. Et confirmatur, quia in omni anima separata, quæ purgatur, remanet fides & certa cognitio, quam hic habuit, ꝙ omnes in Purgatorio sunt de numero electorum: & scit se esse in Purgatorio: ergo est certa de sua salute. Probatur ꝙ sciat se esse in purgatorio: quia retinet certam fidem, quam hic habuit, secundum quòd non datur quartus gradus animarum separatarum baptizatarum, sed aut beatæ, aut damnatæ, aut purgandæ sunt statim post mortem: & scit se esse baptizatam, & extra hanc vitam corpoream, & non beatam nec damnatam: ergo purgari ad æternam salutem. Et confirmari idem potest ex parte spei: remanet siquidem in omnibus animabus Purgatorij virtus non solùm charitatis & fidei, sed etiam spei, non otiosæ, sed tunc maximè accensæ ad suum obiectum, quod est beatitudo æterna. Et quum spes sit certa expectatio futuræ beatitudinis, quam in damnatis impossibile est esse, sequitur idem quod prius.

¶AD PRIMAM ergo obiectionem dicitur primò, ꝙ licet aliquæ pœnæ sint cõmunes inferno & Purgatorio, non tamẽ eodem modo ex parte patientiũ: quia patientes in inferno, diuersissimo modo sunt dispositi à patientibus purgatorię, vt patet. Quia qui purgãtur habent voluntatẽ rectã & conformẽ Dei voluntati, amantes iustitiam Dei & sperantes in Deo ac Iesu Christi salute: dãnati verò opposito modo se habent. Et propterea ignis communis inferis & purgandis non eodẽ modo suscipitur à dãnandis & purgandis, & ad modorũ diuersitatem spectat horror: in inferno enim horror est & diuinæ iustitiæ & pœnarũ propter peruersam voluntatẽ eorum, in Purgatorio verò dolor quidem pœnarũ, sed non horror est: quia amant diuinam iustitiã, & libenter sustinent pœnas propter diuinam iustitiã. Dicitur secundò, quòd sicut horror maximè in dãnatis non impedit eos à perceptione sui status, multò minus impediret purgandos à perceptione sui status: non enim horror maior in Purgatorio quàm in inferno est.

¶ Ad secundum dicendum, quòd doctrina Ecclesiæ non inhæret incertis visionibus, quales sunt istæ, quas Ecclesia non approbauit & fortè fuerũt somnia, aut extases, aut syncopę, aut illusiones dæmonum ad noua dogmata inducenda.

¶Ad tertium patet ex dictis, quòd certa ratione habetur omnes animas in Purgatorio certas esse de sua æterna salute. Augustæ, 25. Septembris, 1518.

TRACTATVS VIGESIMVS. quartus, De pœnarum timore, in duas quæstiones diuisus.

1 *¶ Num imperfecta charitas, necessariò deferat secum post mortem timorem pœnalem.*
2 *¶ Num iustus timendo pœnam peccet.*

QVÆSTIO I.

¶ An imperfecta charitas, necessariò deferat secum post mortem, timorem pœnalem.

VTRVM imperfecta charitas necessariò deferat secum post mortem, timorem pœnalem. Et videtur quòd sic: quia imperfecta charitas, quandiu homo est in hac vita, habet secum timorem, quoniam de sola perfecta charitate scriptum est primæ Ioan. 4. Perfecta charitas foras mittit timorem, sed ex sola morte non perficitur, ergo necessario fert secum timorem: sed timor pœnam habet, vt ibidem dicitur: ergo.

¶IN OPPOSITVM est: quia si sic esset, oporteret vt quilibet imperfectæ charitatis transiret per purgatorium: quoniam nullus ingreditur cælum cum timore pœnali, sicut nec cum quacunque alia pœna.

¶AD EVIDENTIAM huius sciendum est, ꝙ quia de statibus vitæ futuræ idtenere debemus, quod Scripturæ sacræ, aut Ecclesiæ autoritate didicimus, idcirco oportet hic supponere Ecclesiæ diffinitionem: scilicet, ꝙ si aliquis baptizatus moriatur, antequam culpam aliquam committat, ipsum in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum & vnum, sicuti est: vt sub Eugenio 4. in Concilio Flor. patet. Ex qua diffinitione sequitur, quòd charitas imperfecta nõ necessario fert secum post mortem, timorem pœnalem. quoniam constat baptizatum hodie Ioãnem adultum, & statim absque commisso peccato aliquo defunctum, non oportere habuisse charitatẽ perfectam. Imò cõmuniter baptizati sortiuntur charitatem imperfectam, quia incipiunt, & deinde proficiunt, & demũ sunt perfecti: charitas enim meretur augeri, & aucta meretur perfici secundum Aug. Non consonat igitur ecclesiasticæ doctrinæ charitatem imperfectã ferre secum necessariò post mortẽ timorem pœnalem: à ratione quoque dissonat huiusmodi necessaria cõnectio. Habes quoque ex dicta diffinitione Florent. Cõcilij, animas nõ retardari à visione Dei & beatitudine, ex hoc quòd quãdiu vixerunt in corpore fomitem cum imperfecta charitate habuerũt: nam si retardarentur, nõ statim baptizati, qui post non peccauerunt, beati migrantes essent. Nam quum timor seruilis, à quacũque minima charitate excluditur (quoniam per charitatẽ filij sumus Dei, & non per Spiritum seruitutis in timore: sed Spiritum adoptionis filiorum Dei accepimus, in quo clamamus Abba pater secundum Apostolum) timor quicunque alius compossibilis charitati non necessariò ponitur in actu ex sola imperfecta charitate: sed oportet aliam positiuam causam apponere: puta aliquod malum imminens. Sed stat ꝙ homini imperfectæ charitatis nihil imminentis mali occurrat post mortem: puta quia est in statu, in quo satisfecit plenè pro omnibus peccatis suis: ergo charitas illius nullum pœnalem secum ducit timorem:

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem: sed statim perficitur perfectione patriæ cælestis. Et sic licet in toto tempore præcedente charitas compassa fuerit aliquem timorem: ratione tamen status illius hominis (quia scilicet nulli culpæ nulliúsque pœnæ malo pro peccato subiacere tunc inuenitur) in primo instanti quo non viuit hic, sed ibi charitas illa perficitur perfectione patriæ: vt dictum est, & non nisi timorem illum secum retinet, qui permanet in seculum seculi.

¶AD OBIECTIONEM dicitur, quòd glos. ibidem exponit de timore seruili, qui nec cum perfecta, nec cum imperfecta charitate manet. In cuius signum textus dicit vtrunque, & ꝙ timor nõ est in charitate, & quod perfecta charitas foras mittit timorẽ. Aliter exponitur primũ de timore seruili, & secũdum de timore filiali. Aliter & altius posset exponi de timore simpliciter & charitate simpliciter: vt sit sensus, Timor non est in charitate: quia scilicet nõ necessariò comitatur charitatẽ. Et ratio redditur, quia perfecta charitas (quæ scilicet est perfectio & perfecta simpliciter) foras mittit timorẽ: quia timor pœnã habet. Charitas autem simpliciter sine omni etiam passibili malo & pœnæ & culpæ est: charitas enim quum sit vna ex perfectionibus simpliciter, cõmunis est Deo, & creaturis: & in solo Deo inuenitur perfecta, sicut & sapientia & bonitas: in quo nullum compati timorem siue naturalem, siue reuerentialem, manifestum est. Et hæc expositio licet sit quo ad textum illum noua: est tamen in se vera, & non aliena à textu illo incipiente ibi, Deus charitas est, &c. & ex charitate Dei perfectionẽ charitatis in nobis imitãdam proponente & docente. Sed ad propositũ sufficit expositio duplex inducta ex glos.

¶Ad id verò quod dicitur, quòd per solam mortem charitas non perficitur, respondetur ꝙ sola mors non perficit charitatem: sed solus Deus gloriosus inueniens hominem in morte liberum à culpa, & pœna peccatis commissis debita perficit charitatem, lumen gloriæ illi infundendo, & ad visionem fruitionémque suæ maiestatis illum admittendo. Augustæ die 14 Octobris, 1518.

QVÆSTIO II.

¶ An iustus timendo pœnam, peccet.

VTRVM Iustus timendo pœnam, peccet. Et videtur quòd sic. Primò, quia iustus, nihil timere debet nisi solum Deũ. Tum secundò, quia timor pœnæ est ex amore sui, qui est peccatum: charitas enim non quærit quæ sua sunt: primæ ad Corint.13. & ab Apostolo vituperãtur 2.ad Timot.3. Homines seipsos amantes: & infinitæ ad hoc sunt autoritates. Tum tertiò, quia ratio suffragatur: quia odio habens pœnam plus amat suam quietem, quàm Dei iustitiam & voluntatem: hoc autem constat esse iniquum. Quartò, quia timor omnis ex diffidentia est: iuxta illud, Confidite, nolite timere, & similia: diffidentia autem peccatum est: ergo, &c.

¶AD EVIDENTIAM huius quæstionis sciendum est, ꝙ timor & dolor conueniunt in materia hac, scilicet malo pœnæ, vt patet: & vtrunque est de his, quæ nobis nolentibus accidunt (vt Aug. dicit) quamuis differenter: quia dolor de præsenti, timor de futuro est malo. Vnde sicut contingit rectè & non rectè dolere de præsenti malo pœnæ, ita contingit rectè & non rectè timere futurum malum pœnæ: nam si dolor, quantumcunque magnus sit, voluntatem hominis à diuinis præceptis non auertit, rectè tristamur & dolemus de malo, quod patimur. Et vtrunque clarè videmus in Domino Iesu: qui ait, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et rursus, O vos omnes qui trãsitis per viam, videte si est dolor similis sicut meus. Et similiter timor futuri mali pœnæ quãtuscunque sit si non auertit hominem à diuinis præceptis, rectus est: & hoc etiam est videre in Domino Iesu: qui cœpit pauere & tædere, Mar. 14. Tunc autem tantũ tam dolor, quàm timor malus est, quando hominem abducit à Dei mandatis: vt patet in his, qui dolore & timore fidem negant, vel quicquam aliud mãdatorum omittunt. Ex quibus clarè patet, ꝙ nec dolor de præsenti malo pœnæ, nec timor de futuro, est secundũ se malus: alioquin nunquam esset rectus. Nec dissoluat ab homine mortali quantũcunque perfectissimo, alioquin non inuentus fuisset in Christo omnium perfectionum fonte. Et hinc prouenit ꝙ timor pœnæ quãdoque vituperatur, & quandoque non, sed naturæ testis est bonæ. Et propterea iustus timendo pœnã infrà limites naturæ ac rectæ rationis, nullo modo peccat, nisi Christus peccauerit, quod est blasphemia.

¶AD OBIECTIONEM Primam in oppositum dicitur, quòd naturalis timor mali pœnæ infra limites rationis rectę consistens, non est timor, alterius quàm Dei vt infligentis pœnam: quoniam non est malum pœnæ in ciuitate, quod non fecerit Dominus. Timor enim solius Dei, vt punitoris, non excludit timorem rectum pœnarum, vt patet.

¶Ad secundã dicitur, quòd amor sui duobus modis in sacris literis sumitur. Primò pro amore sui secũdum id quod est ex naturalibus, siue gratuitis Dei donis: & sic amor sui est de præcepto naturæ. Et ad huius sui amoris imitationẽ præcepit Deus, Diliges proximũ tuum sicut teipsum: & secundũ hoc Apostolus dicit, Nemo vnquam carnem suam odio habuit: & Dominus, Dedi dilectam animam meam in manus, &c. Alio modo sumitur pro amore sui secundum id quod ex peccato habet: puta pronitatem ad malum, auersionem à Deo, & huiusmodi: & sic amor sui non est rectus: debet enim homo odisse in se quicquid mali habet, inquantum est malum: amor enim non nisi boni est.

¶Quocirca si timor ex amore sui secundum Dei in se dona naturalia vel gratuita procedit, & infra rationis rectæ limites, sistit, nullum peccatum est: sed testis est bonæ naturæ, bonitatísque diuinorũ effectuum amabilium. Si autem prouenit ex amore sui secundo modo, sic est peccatum: sicut & ipse sui amor, qui est fundamentum ciuitatis diabolicæ. Vnde prudentis lectoris erit discernere quando Scriptura catholica vel doctorum loquitur de amore vel odio sui primo modo, & quando secundo modo, & sic non falletur. Quod enim dicitur, Erunt homines seipsos amantes, de amore sui, quantum ad id quod peccati est refertur, & sic de aliis vituperatis amoribus sui. Quod autem dicitur, Charitas non quærit quæ sua sunt, multipliciter à glos. exponitur. Primò referendo communiter ad ea quæ ipsius charitatis esse possunt materia: & exponit apponendo ly tantum: hoc est, charitas non tantum quærit quæ pro ipsa in habente ipsam sunt: sed etiam, quæ pro aliis sunt: secundò exponendo de temporalibus bonis, & sic vel non repetit ablata, vel non est amatrix pecuniarum. Augu. autem in regula exponit de eisdem temporalibus: quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Ex quibus omnibus patet, quod in nullo obstat hæc autoritas dictis.

¶Ad tertiã dicitur, ꝙ maior est vniuersaliter falsa: Christus enim testatur & se nolle mortis pœnam, & se tamen plus velle Dei voluntatem quàm suam, quum dixit, Veruntamen non sicut ego volo, quo ad primum: sed sicut tu vis, quo ad secundum. Et similiter accidit, in omnibus rectè tristibus & timentibus: habent enim simul nolle seu odium respectu malorum ex amore naturali quietis, à malis (& quo ad hoc August. dixit, quòd sunt de his quæ nobis nolentibus accidunt) & velle respectu diuinæ voluntatis, iustitiæ & præcepti: alioquin non sisteret tristitia aut timor infra limites rectæ rationis. Et propterea falsum esse liquet quòd odio habens pœnam & appetens non pati, plus amat se & suam quietem, quàm Dei iustitiam, præceptum aut voluntatem.

¶Ad quartam dicitur falsum esse, quòd omnis timor sit ex diffidentia: quamuis enim timor, quia spei opponitur, minuatur ex confidentia, & ex diffidentia augeatur: non semper tamen ex diffidentia oritur: vt patet de timore Christi, in quo nulla fuit diffidentia, Et de timore Hiero. ad Eustochium dicentis, Ego ille qui timore gehennæ tali me carceri damnaueram: & tamen tunc maximè confidebat de Diuina gratia. Vnde autem oriatur vniuersaliter timor, alterius est negotij: sat est quòd non est opus culpabilem semper esse. Augustæ die 12. Octob. 1518.

TRACTATVS VIGESIMVSQVINtus de Obligatione, & obseruatione præceptorum tàm in Religione, quàm extra, in duas quæstiones diuisus.

1 *Num quodlibet præceptum obliget ad mortale.*
2 *Num religiosus factus episcopus ad obseruantias regulares ex debito legali teneatur.*

QVÆSTIO I.

¶ Num quodlibet præceptum obliget ad mortale.

QVÆRITVR Vtrum omne præceptũ obliget ad peccatum mortale. Et videtur quòd sic, quia communis animi conceptio est, quicquid sub præcepto positum est, ad mortale peccatum obligare, intantum, quòd percunctantibus de aliquo actu an cadat sub præcepto, vbi responsum est affirmatiuè, statim intelligitur obligatio ad mortale peccatum.

¶IN OPPOSITVM Autem est: quia sequeretur omnem actum cuiuscunque vitij esse peccatum mortale: quod constat esse falsum. Et patet sequela: quia euitatio cuiuscunque vitij exdit sub præcepto.

¶AD Euidentiam huius dubij sciendum est, quòd præceptum contra consilium distinctum in hoc à consilio differt, quòd consilium est de bonis, quorum opposita non sunt mala: datur enim consilium de Virginitate, quàm si quis noluerit seruare, nec peccat: vt patet primæ ad Corinth.7. & simile est de aliis. Præceptum autem de his bonis, quorũ omissio mala est mortaliter: soli enim illi virtutum actus sub præcepto cadunt, quorum omissio peccatum est: vt patet discurrendo. Et propterea Apostolus ibidem dicit, de Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, & subdit, quod si nupserit virgo, non peccat. Habet ergo præceptum pro materia actum bonum, cuius propositum est peccatum: & econtrario omne peccatum opponitur alicui commissioni vel omissioni præcepti. Quod ex eo patet, ꝙ trifariam diuisis actibus (quia aut præcepti, aut cõsulti, aut indifferentes sunt) neque contra indifferentia, neque contra consulta agendo vel omittendo peccatum incurritur: restat igitur vt quod peccatum sit, opponatur commissioni vel præcepto. Quo fit, vt euidẽter hinc sequatur, non quicquid clauditur sub præcepto, vinculum habere mortale: nisi quis putet omne peccatum esse mortale. Si enim omne peccatum opponatur alicui præcepto, & non omne peccatum est mortale, clarè sequitur, ꝙ aliquod peccatum est contra præceptum quod nõ est mortale. Sed quo modo hoc sit, declarandum restat. Scito ergo ꝙ præceptorum moralium (de quibus solis est sermo) quædam habẽt pro materia bonos actus quorum contrarij contrariantur charitati: vt patet de præceptis fidei & iustitiæ. Sunt enim de credendo articulos fidei, & de tribuendo vnicuique quod suum est: quorum contraria (vt infidelitas & injustitia) contra charitatem sunt, illa contra dilectionem Dei, ista contra dilectionem proximi. Quædam verò habent pro materia actus bonos, quorum contraria non contrariantur charitati: vt patet de præceptis abstinentiæ, affabilitatis, vrbanitatis, & similium. Sunt enim de obseruandis modis debitis in sumendo cibum, aut conuersando, aut iocando: quorum contraria (vt species gulæ & rusticitatis) non sunt contra charitatem Dei & proximi, quamuis mala & peccata in genere moris sint. Spectandum est ergo ad charitatem, quum discernendum est præcepti vinculum ad mortale peccatum: quia solùm per mortale peccatũ charitas tollitur & omne peccatum mortale charitatẽ tollit. Si enim præcepti violatio charitatem tollit, ad mortale peccatum obligat: si autem non tollit charitatem, quamuis tollat quancunque aliam virtutem, ad mortale peccatum non obligat. Charitas enim est animæ vita: quæ quia per peccatum mortale tantùm tollitur, ideo peccatum tollens ipsam, mortale appellatur: tolli autem charitatem solummodo constat per id quod contrariatur dilectioni Dei, aut proximi. Et propterea duo sunt genera moralium præceptorum, quædam habentium vinculum peccati mortalis: & sunt illa sola, quæ præcipiunt aliquã cõmissionẽ vel omissionẽ necessariã ad dilectionem Dei vel proximi. Necessariam autẽ dico vel simpliciter: vt in quibusdam præceptis naturalis iuris: vt Deũ esse colendum, non esse adulterandum, & huiusmodi. Vel ex suppositione: vt in quibusdam præceptis diuini, vel humani iuris: vt, suscipiẽdũ esse Baptismum, obseruandos esse tales dies festiuos, & huiusmodi: sunt enim hæc necessaria ad salutẽ, quia sic instituit Deus, vel Ecclesia. Quædam habentium vinculum peccati venialis tantùm: & hæc sunt, quorum violatio stat cum charitate Dei & proximi. Siue sint de iure naturæ: vt, non esse mentiendum, esse affabilem & huiusmodi: siue sint de iure positiuo: vt, benedicendam esse mensam à clericis, & huiusmodi. Peccant enim violantes hæc præcepta, sed nõ mortaliter. Vnde patet, ꝙ non omne præceptum habet vinculum peccati mortalis. Et si ad hanc distinctionem aduertissent priores, nõ conclusissent aliquid esse de consilio, ex eo quòd non est in præcepto habente vinculũ peccati mortalis. Crediderim quoque ego multa nos habere hodie secundum animi cõmunem conceptionem pro præceptis habentibus vinculum peccati mortalis, quæ si à patribus cum hac distinctione fuissent interpretata, nõ haberemus hodie hæc sub præcepto vinculi mortalis: vt est præceptũ de ieiunio, &c. Multa enim sunt opinione mea, & infinita positiui iuris præcepta moralia absque vinculo peccati mortalis. Sub huiusmodi siquidem morali non mortali præcepto cadit tota regula beati August. ex eo quòd in principio dicitur: Hæc sunt quæ vt obseruetis, præcipimus in monasterio constituti: & quòd monachi carnes non comedant. de conse. dist. 5. carnem. &c.

¶AD obiectionem ergo in oppositum dicitur, ꝙ quia nominibus vtendum est, vt plures vtuntur: Præcepti nomen dupliciter inuenitur. Primò secundum proprietatem significationis suæ: & sic præceptum in Politicis seu Moralibus distinctum contra consilium in duo secatur genera: vt declaratum est. Alio modo per antonomasiam: & sic præceptum antonomastice dicitur solùm illud quod habet vinculum peccati mortalis. Et hinc orta videtur ista communis vox. Romæ, die 14. Februarij, 1518.

QVÆSTIO II.

¶ Num religiosus factus Episcopus ad obseruantias regulares ex debito legali teneatur.

QVÆRITVR an religiosus factus Episcopus teneatur debito legali ad obseruãtias regulares. Et videtur ꝙ non: quia in Decretis, 18. q. 1. c. vnico, dicitur, ꝙ monachus factus episcopus electione canonica, est absolutus à iugo regulæ professionis monasticæ: constat enim absolutum à iugo legis, non teneri debito legali ad legis obseruationem. Et confirmatur ex glo. ibidem dicente, quòd non tenetur ad ieiunia: similis enim ratio est de aliis.

¶IN Oppositum autem est autoritas & ratio S. Tho. in Secunda secundæ. q. 185. art. 8. dicentis, ꝙ tenetur ad omnia non repugnantia episcopo: quia dispositio non tollitur adueniente perfectione, sed magis perficitur. Et confirmatur hoc, quia aliter sequeretur, ꝙ monachus episcopus gauderet beneficio capituli explicati, extra de obser. ieiu. vbi conceditur in die natalis Domini eius carnium, etiam feria 6. eis, qui nec voto, nec regulari obseruantia sunt astricti ad abstinentiam à carnibus. Consequens autem videtur falsum: quia constat exceptionem illam comprehendere monachos, quibus regularis institutio carnes inhibet, absque tamen peccati mortalis nota.

¶AD EVIDENTIAM huius dubitationis sciendũ est, ꝙ dupliciter aliquis tenetur ad aliquid obseruandum, vel ex debito legali, vel ex debito morali tantùm. Dico autẽ tantũ: quia debitũ legale, claudit in se morale debitum, & addit supra illud legalitatem. Appellatur autem, & est debitum morale, vinculum ex rectaratione, debitum verò legale est vinculũ ex lege. Ita ꝙ vis obligatiua in debito morali, ex sola rectaratione, vt à coactiua virtute proficiscitur: siue habeat aliunde occasionem, siue non. Tenetur enim quilibet ex debito morali ad non mentiendũ: quia naturalis ratio sic dictat veritatẽ sectandã, vt contrariũ secundũ se prauum diffiniat. & simile est de vinculo ad vitãda quæ. l. et viria. Tenetur quoq; princeps ad obseruationem legis cõmunis ex debito morali (iuxta illud, Patere legem, quam ipse tuleris: extra de const. c. quum omnes. & Dominicã reprehensionem, Matth. 23. Dicunt & non faciunt) quãuis non teneatur ad legis obseruationẽ ex debito legali: quoniã lex non habet vim coactiuam supra principem. Verum huiusmodi debitum morale ex naturali ratione sola, vt à virtute coactiua vim habẽs, occasionaliter ortum habet à lege extãte: nam nisi lex maneret in suo robore, ratio naturalis non obligaret principẽ ad illius obseruationẽ, sicut nec subditos, quos lex primò, & rectà ratio secũdò obligat, vt vis coactiua ad legis eiusdem obseruationem. Debitum autem legale est, quod à lege vt à coactiua virtute est: lex enim nisi habeat coactiuam virtutem, lex non est, ac per hoc respectu illius supra quem non habet virtutem coactiuam, lex non est simpliciter & absolutè, sed secundũ quid, scilicet vt directiua. Et propterea dicitur & bene, ꝙ princeps solutus est legibus: quia scilicet lex simpliciter & absolutè non est supra eum: quia nõ ligatur coactiua virtute legis. Et quia vis coactiua legum per legis actum punitiuum exercetur, vt proprium actum: quia pœna est proprium legis mediũ: per quod ad sui obedientiã inducit: vt San. Tho. docuit in Prima secundæ, quæst. 92. art. 2. ideo illi soli subsunt virtuti coactiuæ legis, qui legum pœnas incurrunt contrafaciendo. Qui autem suapte naturã non ex priuilegio legum pœnã non incurrunt, quantumcunque cõtra præceptalegum agãt, virtuti coactiuæ legis non subiiciũtur. Quocirca quia religiosus factus episcopus nõ subiacet pœnis regulæ aut statutorũ regulariũ (quod ex eo patet, ꝙ si puniendus est, non punitur secundũ regularia instituta, sed secundũ sacros canones, sicut reliqui episcopi) cõsequens est, vt religiosus factus episcopus nõ teneatur ex debito legali ad obseruãtias regulares. Et quia cẽsurarũ & peccati mortalis pœna ad vim coactiuã legis spectant, ideo non incurrit cẽsuras aut mortale peccatum, si huiusmodi ex regula, aut constitutionibus tantùm prohibeantur, oppositum faciendo, quãuis peccet mortaliter aliquod trium essentialiũ votorum transgrediẽdo: quia ad illorũ obseruationẽ ex voti vinculo, cessante lege tenetur. Tenetur tamen ex debito morali religiosus factus episcopus ad suæ religionis regulares obseruãtias nõ contrarias, aut dissonas episcopo: quia ex assẽsu ad perfectionis statũ non debet deficere à fructu prioris vitæ: vt ratio sancti Th. monstrat. Perderet autẽ, si ea, quæ etiã non cõferunt ad perfectionem episcopalem, per quę ad illam peruenit, desereret: simile siquidem accidit istis regularibus bonis in episcopo, ꝙ accidit in naturalibus & disciplinabilibus dispositionibus. Videmus enim ad generationẽ ignis peruenire per calorem disponentem ad ignem: & propterea igne genito, calor non minor manet, aliter tamen: quia prius inerat per virtutem quasi coactiuam agentis: postea ineit vt consequens naturã geniti. Et similiter frequens meditationis studium ad doctoratum ducit: & propterea doctor nisi caueri more retrocedat amplius meditatur, licet aliter: quia prius quasi pædagogo cogente, postmodũ tanquam actum cõnaturalem exercẽs. Ita & religiosus profitendo per regulares obseruantias, ad episcopalem perfectionẽ deducitur: qua aduenĩente, regulares obseruantiæ episcopũ decentes magis adsunt: aliter tamen quia prius tenebatur ad illas ex virtute coactiua legis: modo verò ex recta ratione dictante laborem viæ non debere perire in termino, & quòd per eadem bona perfectio conseruari debet, per quæ acquisita est.

¶ Ex quibus patet, vtranque opinionem verum diuersimode dicere, & quòd tenetur ad regulares obseruantias, & quòd non tenetur: nam tenetur ex debito morali, & non tenetur ex debito legali. Et hinc patere potest, quòd monachus factus episcopus, licitè potest carnibus vesci in sexta feria, quando natiuitas Domini in illa euenit: quoniam à debito legali, quo sub iugo pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

hibentis regulæ astringebatur, absolutus est, & debitum morale tunc non haberet locum. Quia conuenientissimum est, inquit diuus Tho. in tertia parte q. 40. artic. 1. vt qui cum aliquibus conuersatur, se eis in conuersatione conformet: ita quòd in cibo & potu conformiter se sicut alij habeat: constat enim monachum episcopum ad conuersandum cum ecclesia sua, & specialiter clericis translatum. Et hoc præcipuè locum habet in tanta solennitate, in qua & sancti viri absentiæ detrahunt: decet enim tantam interneæ lætitiæ causam foris erumpere ad lætas mensas.

¶AD PRIMAM ergo obiectionem pro parte negatiua ex decretis, dicitur, q̃ monachus factus episcopus absoluitur à regulari iugo, quod cognitionem importat, sed nõ absoluitur à morali debito operis regularis. Et similiter glo. verificanda est, q̃ absolutur à iugo ieiunij, & nõ à ieiunij debito morali. Ad obiectionẽ primam pro parte affirmatiua ex autoritate S. Tho. dicitur, q̃ intelligendus est de debito morali, & non de legali. Quod patet tum ex ratione ibi reddita, quæ non nisi debitũ morale concludit: tum ex eo, q̃ iuxta illam doctrinam religiosus factus episcopus etiã Romanus, tenetur ad regulares obseruantias non dedecentes ipsum: & tamẽ cõstat ipsum non teneri debito legali, sed morali tantũ ad huiusmodi. Ratio enim literæ illius nõ magis militat pro aliis episcopis, quã pro Romano: quũ iste teneatur esse perfectior cæteris.

¶Ad secundã obiectionem dicitur, q̃ canon ille Honorij 3. explicando restringens esum carnis in die natalis Domini ad eos, qui nec voto nec regulari obseruãtia sunt astricti, intelligitur de astrictis ex debito legali ad regularem obseruantiam: & non de his, qui ex debito morali subsunt regulari obseruantiæ. Et ratio est: quia in qualibet scientia nomina sunt interpretanda secundum vsum illius scientiæ: constat autem solos astrictos debito legali appellari in iure astrictos lege, & non astrictos legali debito appellari solutos à lege, princeps enim solutus dicitur legibus, qui tamen secundum morale debitum subest legibus. Et quod magis viget ad propositum monachus episcopus à iugo regulæ monasticę professionis absolutus dicitur, cap. statutum 18. q. 1. non comprehenditur igitur monachus episcopus in iuris dispositione inter astrictos regulari obseruantia: sed inter absolutos à iugo regularis obseruantiæ, si iuris textum vnum secundum eiusdem iuris textum alium intelligere debemus. Et tu lector memento scripta nostra de huius quæstionis materia in commentariis super Secunda secundæ, ad hæc referre subtilius discussa. Romæ 13. Februarij. 518.

TRACTATVS VIGESIMVS-sextus de Sacri ordinis Collatione, vnica quæstione contentus.

QVÆSTIO.

¶ Vtrum in collatione sacri ordinis sufficiat tactus corporalis post completam prolationem verborum, in quibus consistit forma.

QVÆRITVR, an in collatione ordinis sufficiat tactus corporalis post completam prolationem verborum, in quibus consistit forma. Et videtur q̃ sic. Primò, quia de facto ritus hic seruatur alicubi absq; reprehensione, vt à fide dignis dicitur. Porrigitur siquidem ab episcopo dicente semel tantum formæ verba in numero plurali, Accipite potestatem, &c. calix præparatus: & quorquot sunt ordinandi in sacerdotes: sigillatim accedunt ad contactum calicis episcopo non repetente, neque continuante verba, sed deinceps silente: absurdum est autem damnare tantam multitudinem: ergo, &c.

¶Secundò, quia vbi est diuersitas opinionũ, non est diffinitiuè asserendum, nisi liquide manifestata sit veritas, ergo multò magis vbi nihil inuenitur etiam opinatum, non est damnanda altera pars, sed quilibet sensui suo relinquendus. Sed de simultate contactus corporalis in sacrorum ordinum susceptione, nihil apparet etiam opinatum, quin potius de contactu ipso corporali diuersæ sunt opiniones: vt S. Tho. in 4. sent. dist. 24. dicit. Non sunt igitur damnandi, qui retinent quidem calicẽ præparatum, &c. quamuis non simul cum prolatione verborum.

¶Tertiò, quia si contactus & verborum prolatio deberent esse simul tempore, hoc esset quia verba formæ aliter non verificarentur. Sed hoc non accidit in proposito, nam in verbis imperatiui modi satisfit, si incontinenti obeditur secundum intentionem imperantis. Episcopo autem porrigenti & dicenti, tot ordinandis, Accipite, obeditur incontinenti secundum eius intentionem: quoniam episcopus etiam explicite dicit, Ego intendo omnibus conferre ordinem sic successiue venientibus: ergo, &c.

¶RESPONDEO, In hac difficultate: primò declarabitur veritas de necessitate contactus: secundò, de simultate contactus & verborum, tertiò satisfiet oppositis.

¶QVO AD Primum scito, quòd nõ opinatiuè, sed assertiuè dicendum est, q̃ cõtactus corporalis necessarius est in sacramento ordinis, nõ solũ quia simile est in exteris sacramẽtis, in quibus adhibetur extranea materia (Baptismus enim sine cõtactu aquæ, confirmatio sine contactu manũ, vel chrismatis, & extrema vnctio sine cõtactu olei nõ fit, &c.) sed quia propria ratio formæ sacramenti ordinis hoc exigit, vt diuus Tho. in præallegato loco docuit. Oportet siquidẽ verba, in quibus consistit forma ordinis verificari sic, quòd actus significati impleantur: alioquin inefficacia vanaque sunt: sed in verbis formæ percipitur actus susceptionis corporalis: ergo oportet impleri tale imperium per corporalem acceptionem. Probatur minor: quia cum dicitur, Accipe, aut imperatur solus actus interior, aut cum exteriori acceptione. Non interior solus, quia de interioribus solis Ecclesia non se impedit: ergo iunctus exteriori acceptioni. Et confirmatur: quia cum sacramenta consistant in rebus & verbis sensibilibus (vt patet in principio 4. Sententiar.) demonstrationes iussionesque sacramentales ad sensum impleri oportet. Propter quod sicut cum in forma Eucharistiæ dicitur, Hoc est corpus meum, oportet fieri demonstrationem nõ ad intellectum tantum, sed ad sensum: ita cum in forma ordinis dicitur, Accipe, oportet fieri iussionem ad sensum. Et sicut ibi oportet monstrare contentum sub his sensibilibus speciebus panis, &c. ita hic imperari acceptionem sensibilem, quæ contactu corporali perficitur, &c. Et hæc ratio non solũm infert q̃ oportet corporalem susceptionem interuenire in illis traditionibus, quibus imperatur explicitè acceptio alicuius rei corporalis, (puta cum dicitur, Accipe librũ vel calicẽs, &c.) sed etiam cum dicitur, Accipe potestatem, vel accipe Spiritum sanctũ: idem enim est vtrobique iudicium, quia idẽ est in vtrisque imperatum. Meminisse enim oportet, quòd sicut in consecratione sanguinis Iesu Christi, non demonstratur ex vi verborum id quod continetur sub specie vini, quod tamen debetur demõstrari sicut in consecratione corporis: sed demonstratur calix cõtinens illas species dicendo, Hic est calix, &c. & iuxta tropum metonymiæ ponitur continens pro contento, adinsinuandum, quòd conuersio fit in sanguinem, vt potabilem: ita in sacramento ordinis iubetur ex vi verborum quandoque acceptio spiritualis rei (quia potestatis seu Spiritus sancti) & iuxta eundem tropum ponitur quod dicitur pro eo quòd fit, id est acceptio potestatis pro qua acceptio corporalis fit, loco ipsius acceptionis incorporalis, quæ in rei veritate imperatur. Oportet enim (vt dictum est) iussionem sicut & demonitrationem sacramentorum, ad sensum impleri, &c.

¶ Amplius, Non minus oportet impleri quod fit in sacramento, quam quod dicitur. Sed in sacramento ordinis si fit traditio calicis actiuè, & non accipitur, constat quòd non impletur quod fit, nulla enim actio impletur sine passione, vnde episcopus & verbo (vt dictum est) iuxta tropum prædictum, & facto, ipsa scilicet porrectione calicis, vel actiua manuum impositione, imperat corporalem susceptionem. Propter quod sicut non sufficit episcopum manus imponere actiuè tantum: sed oportet corporaliter tangi ordinandum, & obedire, contactum corporalem sustinendo: quamuis ex vi verborum Spiritus sanctus accipiẽdus iubeatur in illa impositione: ita non sufficit calicem cum verbis porrigere: sed oportet ordinandum obedire, ad corporalem tactum accedendo, quamuis ex vi verborum potestas accipienda dicatur imperatiuè, &c. Confirmatur quoque hoc autoritate decretalis de sa. non tre. cap. presbyter. Vbi expresse apostolica traditione tactum corporalem debere interuenire Gregor. 9. dicit, &c. Non deest quoque autoritas S. Thomæ, & Petri de Pa. & rubricarum librorum pontificalium, &c. Hæc de primo.

¶QVO AD Secundum scito, quòd oportet corporalem contactum fieri cum prolatione verborum, in quibus consistit forma simul tempore in toto, vel in parte, &c. quoniã nulla oratio verificatur, aut adimpletur, nisi significatum ponatur in tempore conceptum. Tempus autem consignificatum per orationem, quæ est forma sacramenti, non se extendit extra totum tempus prolationis eius: ergo intra tempus prolationis verborum, oportet acceptionem significatam impleri, &c. Maior est per se euidens: minor autem continet duo: vnum est quòd tempus consignificatum sit præsens: alterum verò quòd tale tempus præsens non extedatur extra tempus prolationis verborũ: his enim duobus euidenter habitis, tota ratio clara erit, ac efficaciter inferens intentũ. Primum autem horum euidens sit ex conditionibus verbi imperatiui: nam inter præsens indicatiui, & præsens imperatiui, & futurũ eiusdem (verbi gratia, accipis, accipe, & accipito) cõuenientia est in significatione: singula enim acceptationem significant. In modo autẽ significãdi differẽtia est, quoniã ly, accipis, significat acceptionẽ indicatiuè, ly verò, accipe, & accipite, significant acceptionẽ imperatiuè. In tepora vero differentia est, sed alter, quoniam tam ly accipis, quàm ly accipe, significant acceptionem in præsenti, ly verò accipito, significat acceptionem in futuro. Vnde inter ly accipis, & ly accipe, neque in significato, neque in tempore est differentia aliqua, sed in modo tantum: quoniam dicendo, accipis, acceptionem præsentẽ in te indico: dicendo verò, accipe, acceptionem præsentem tibi impero, &c. Et ex hoc sequitur, quod sicut verum non est dicere, accipis, te in præsenti non accipiente (indicatur siquidem esse in præsenti quod non est) ita efficax non est dicere, accipe, te non in præsenti accipiente, imperatur siquidem esse in præsenti quod non est. Ex proprietate igitur consignificati temporis in forma sacramenti ordinis consistente in verbo imperatiuo præsentis temporis, apparet q̃ oportet impleri quod iubetur in præsenti tempore. Quod autem tale præsens non extendatur vltra tempus prolationis verborum, probatur. Primò ex ipsa ratione temporis consignificati.

¶Ad cuius euidentiã aduerte tria. Primum est q̃ differentia temporis verborum non tenet se ex parte prolationis, neque ex parte proferentis, sed ex parte significati, nam si ad tempus prolationis inspicias, ita mensuratur tempore præsenti, accipiam, & accepi. sicut accipio, &c. similiter si ad intentionem huius, vel illius proferentis aduerteris, ita potest intẽdere præsens tempus vnius anni, mẽsis, vel diei, &c. sicut huius, nunc, &c. sed si significationẽ verbi perspexeris, & mensuram durationis eius consignificatam consideraueris, inuenies, quòd tempus consignificatũ vt mẽsura ipsius actus significati ex vi talis verbi intelligitur. Secundum est, quòd consignificatum tempus est, & dicitur præsens, præteritum, vel futurum in respectu ad tempus, quo verbum ipsum significãs profertur, quilibet enim fatetur se falsum dicere si dicendo, credo, nõ habeat in se credulitatem quando hoc dicit. Et similiter si dicendo credidi, scit se nunquam nisi tunc, quando dicit habuisse credulitatem, falsum dicit, &c. Et verba igitur præsentis temporis significãt actum coëxistentem ipsis verbis quãdo dicuntur, & præterita præteritum, & futura futurum. Tertium est, quòd licet secundum veritatem nihil de tempore sit vnquam præsens nisi instans, apud Grammaticos tamen tempus præsens dicitur & consignificatur, quod cuicunq; parti orationis coëxistit, propter quod in sacramẽtorũ actionibus apud Theologos effectus quidẽ, quia in instãti fit, in fine prolationis verborum fit. Actus autem sacramentalis tam actiuè, quàm passiuè in quacunq; parte mensurante prolationem verborũ coëxistat, sufficit. Ex proprietate igitur consignificati temporis euidenter patet, quòd tempus præsens consignificatum in forma sacramentorum nõ extenditur vltra mensuram prolationis eorum. Et confirmatur, quia sicut in Eucharistiæ consecratione cum dicitur, Hoc est corpus meũ, ly est non consignificat tempus extra prolationem verborũ, ita in sacramento ordinis, cum dicitur, accipe nõ consignificatur tẽpus extra mensuram prolationis verborum, vtrobique enim est verbum præsentis tẽporis, & non differunt nisi in modo indicatiuo, scilicet, & imperatiuo. Mensura autẽ non ex parte modi sed temporis se tenet, & propterea eadem est vtrobique ratio. Et ex hoc habes non solùm, q̃ ex proprietate verbi se tenet, sed q̃ talis rigorosa proprietas in sacramentis Ecclesiasticis seruatur, intenditur & exigitur, idem enim esse de omnibus iudicium debet. Et confirmatur, quia nisi tẽpus præsens consignificatũ, intelligatur præcisè terminari cum prolatione verborum, nulla esset certitudo quantum hoc præsens duraret, & sic posset aliquis semel dicẽdo decẽ millibus hominũ, Ego vos baptizo &c. & per totum diem effundere aquã super singulos, & essent baptizati, quod cõstat esse falsum. Hæc de secũdo.

¶QVO AD Tertium, ad primum in oppositum dicendum est, quòd non est mirum, si Spiritus sanctus permittit aliquos Episcopos errare in istis, quoniam manifesta apparet in eis demeritoria causa, quia scilicet non submittunt actus suos rubricis pontificalibus, sed sensum proprium sectantes, euanescunt in cogitationibus suis: & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Episcopi tamen mutantes numerum singularem in pluralem, & dicentes, pluribus simul tangentibus, accipite in nullo errant: sicut nec baptizans plures si cut aspergẽdo & dicẽdo, Ego vos baptizo, &c. illi quoque qui inter dicendũ semel verba formæ pluribus succẽsiuè tangentibus porrigunt, dicendo, accipite, satisfaciunt sacramẽto: quia etiam si vni tantũ tradant dicendo, accipe: non exigitur q̃ à principio formæ vsq; ad finem semper adsit cõactus: sicut etiam in Baptismo non oportet ablutionem vnius durare, quandiu durant verba formæ: sed sat est si in aliqua parte verborum durante fiat hic ablutio, fiat ibi contactus, &c. Illi autem qui ante vel post prolationem verborum tangunt, nihil suscipiunt: sicut nec essent baptizati, qui ante vel post prolationem verborum abluerentur.

¶Ad secundum verò dicitur, quod autoritas rubricarum pontificalium, expresse statuentium contactum & eius simultatem cum prolatione & rationes autoritatésque supradictæ, excludunt huiusmodi opiniones, & de erminant.

¶Ad tertium autem iam patet, q̃ non saluatur veritas seu efficacia orationis imperatiui præsentis temporis, nisi illo tempore præsenti fiat quod imperatur: & quòd sacramentorum efficacia certa exigit tempus præsens, non ad libitum ministri, sed secundum naturam ipsius sacramenti intelligi. Vnde intentio Episcopi etsi in his, quæ iurisdictionis sunt, possit præsens ampliare: in his tamen, quæ ordinis sunt non potest, sed oportet ipsum in captiuitatem reducere intentionem suam in obsequium Christi, & Ecclesiæ, &c. Nec obstant his dicta doctorum sentientium, quòd sacerdotes noui in sua ordinatione formam consecrationis Eucharistiæ proferunt, & omnes referunt intentionem suam ad illum ãs quo terminatur prolatio formæ consecrationis Eucharistiæ ab Episcopo. Hoc enim non est intelligendum, quòd fiat ex vi intentionis nouorum sacerdotum, quasi ipsi possint suspendere effectum verborum in aliud tempus. hoc enim non minus possent perfecti sacerdotes. Sed quia sic fit in Ecclesia à spiritu sancto gubernata, vt omnium consecratio efficax inueniri possit, humana ratio tentauit suadere, adhuc tamen non persuasit, sed in captiuitatem ducto intellectu actus fit. Et hæc sufficiant. Pisis, Die 26. Nouembris. 1519.

TRACTATVS VIGESIMVS-septimus de Dispensatione Matrimonij in Occidentali ecclesia, Quæstione vnica contentus.

QVÆSTIO.

¶ Vtrum summus Pontifex possit dispensare cum sacerdote occidentalis Ecclesiæ, vt accipiat vxorem.

QVÆRITVR Vtrum summus Pont. possit dispensare cum sacerdote Occidentalis Ecclesiæ, vt accipiat vxorem.

¶Videtur enim quòd non. Primò, quia traditum alteri non potest absque iniuria ab eo tolli: sed corpus sacerdotis occidentalis traditum est diuinis obsequiis in castitate: ergo, &c.

¶Præterea, Secundum Sanct. Thom. in Secunda secundæ q. 83. artic. 2. dicitur, quòd summus Pontif. non potest dispensare religiosum ad contractum matrimonij: ergo nec sacerdotem.

¶IN OPPOSITVM est, quia castitas annexa est ordini sacerdotali ex statuto ecclesiæ, ergo per eam potest tolli.

¶IN HAC quæstione iuxta tria, quæ apparent in sacerdote Occidentali, discutienda sunt tria, vt plenius satisfiat, & cuiusdam reuerendissimi domini Cardinalis votis, & Parisiis nuper exorta quæstio clarius appareat.

¶Videndum est igitur primò de sacerdotio absolutè, quomodo se habeat ad matrimonium: secundò de annexo voto continentiæ: tertiò de statuto ecclesiæ. Ex his enim, & non aliunde impediri contingit sacerdotem à matrimonio.

¶QVO AD primũ ergo duo dicũtur. Alterum affirmatiuum scilicet q̃ sacerdotium impedit matrimoniũ contrahendum: alterum negatiuum, scilicet q̃ non dirimit contractum. Et primũ quidem intelligendum est de congruo: quoniam nec ratione, nec autoritate probatur, q̃ absolutè loquendo, sacerdos peccet contrahendo matrimonium, quin potius & ratio ad oppositũ dicit: quoniam, vt patet in 37. dist. 4. sen. nec ordo inquãtum ordo, nec ordo facer inquantum sacer est impeditiuus matrimonij: & in Ecclesia occidẽtali olim diaconi poterant cõtrahere matrimonia, vt dicitur capi. diaconi. dist. 28. Manifestè quoque in 31. dist. in canone, alter. dicitur, quòd Orientales in sacramentis constituti copulantur matrimoniis. Nec admittenda est glosſa exponens, copulantur: id est, copulato vtuntur: quoniam manifestè series textus de contractu matrimonij loquitur, vt cõfirmat etiã aduersatiua subiuncta, scilicet quòd Occidentales non sortiuntur coniugia, & cætera. Secundum verò dictum intelligendum est, quòd non dirimit matrimonium contractum siue ante, siue post. Et hoc (vt dixi) seclusis omnibus legibus Ecclesiasticis, stando tantum in his, quæ à Christo & Apostolis habemus. Et confirmatur vltimò vtrunque horum ratione. Si ordo sacerdotalis ex natura sua impediret matrimonium contrahendum (ita quòd contrahere esset peccatum) aut dirimeret contractum, sequeretur quòd in nullo casu quantæcunque necessitatis, aut vtilitatis per Ecclesiam militãtem posset dispensari cum aliquo sacerdote, quòd contraheret matrimonium. Hoc consequens est & contra Theologos, & contra Canonium. Hoc consequens est & contra Theologos, & contra Canonium. Hoc consequens est & contra Theologos, & contra Can

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec reprehendi se à conscientiis propriis, quòd in actu ordinandi sint transgressores huius præcepti, ergo obseruant hoc præceptũ, ergo suscipientes ordines sacros intelliguntur vouere castitatem ipso facto, non verbo, sed facto suscipientes ordinem sacrum Occidentali ritu. Nec putes Scotum, Durandum, & Petrum de Pal. his aduersari, eo quòd dicunt, quòd non potest quacunque ecclesiastica autoritate annecti votũ ex facto extrinseco, quia votum est actus voluntatis intrinsecus & liber. Stant enim hæc simul cũ prædictis, quoniam ex antedictis habetur, quòd suscipientes ordines sacros absq; peccato fictionis vouent castitatẽ. Ex hoc autem habetur, ꝙ absolutè loquendo possunt suscipere ordinem sacrum absque voto castitatis, quia voluntas non compellitur, sed tamen (vt dictum est) cum peccato fictionis, mentiuntur enim facto profitentes se vouere, & interiori actu oppositũ intendentes.

¶De efficacia autem solẽnis voti, diuersa est Theologorum opinio. Seor. nanq; & Pet. de Pal. in 4. dist. q. 38. putãt eãdem vim habere simplex & solenne votum quo ad Deum, ac per hoc nullum, ex natura sua dirimit matrimoniũ contractũ. Potẽstque eorũ positio fundari super hoc ꝙ si solenne votũ ex natura sua dirimeret matrimonium post contractũ, nullo casu posset dispensari. S. Tho. autem & Ricar. vbi suprà tenent votũ solenne dirimere ex propria natura matrimoniũ ea ratione, quia ponit ipsum Deũ, seu Ecclesiam in possessionem proprij corporis. Addit tamẽ in secunda secundę S. Tho. 88. aliã rationem ex parte consecrationis, quia scilicet quod semel sanctificatũ est Deo non potest in alios vsus conuerti. Nec valet responsio Scoti ad primam rationẽ, soluentis eam per interemptionem, dicendo ꝙ non plus ponit in possessionem votũ solenne quam simplex, eo ꝙ nihil intrinsecum voto habet solenne, quo careat simplex, vt patet in actu interiori volũtatis, cuius est vouere. Hæc inquam derisio derisibilis est, quoniã manifestè patet, ꝙ vouens votũ solenne non solùm promittit, sed mutat de facto statũ, ac per hoc vouẽs soléniter vt sic, acceptat interiori actu mutationem status, promittens viuere de cætero in illo, &c.

¶Videtur autem mihi rationabilior via S. Tho. si tamen rectè intelligatur. Puto enim quòd ad mentẽ eius, & secundum veritatem distinguendũ sit cum ipso in Secunda secundæ, vbi suprà ꝙ solenne votum est duplex. Quoddam per se solenne, vt professio religiosorum, & quoddam per accidẽs solenne, vt votũ castitatis annexum ordini sacro. Est autẽ ratio huius differẽtiæ, quia solennitas siue cõsistat in exhibitione, siue in consecratione, per accidens cõiungitur voto suscipientis ordinem sacrũ. Quoniam talis exhibet seipsum, & consecratur non ad castitatẽ sed ad actus ordinis. Religiosus verò benedicitur, & exhibet se ad religionis statũ, qui importat per se negationẽ propriæ voluntatis, corporis & bonorum. Hac verò distinctione stante duas dico propositiones. Altera est, quòd votũ annexum ordini sacro, per se nõ dirimit matrimoniũ contractũ, & ratio est, quia est solenne per accidẽs. Nec etiam per accidẽs fit ibi exhibitio corporis proprij ad aliquid repugnãs matrimonio, sed promissio tãtum, vt patet in c. nullum. distin. 28.

Altera est, quòd votum religionis per se dirimit matrimoniũ contractũ, tum quia in eo fit exhibitio corporis ad statum repugnantem matrimonio, tum quia tanta vis est, vt soluat matrimonium prius legitimè contractũ & non consummatũ, non ex statuto Ecclesiæ, sed ex propria natura. Et hãc rationẽ bene notabis contra Doct. discrepantes à S. Tho. ipsimet enim vtuntur voto professionis quia morte ciuili, cum ad matrimoniũ prius contractum disputatio trahitur, cùm vero ad sequens matrimoniũ dirimendum sermo conuertitur, dicunt professionẽ non plus efficaciæ habere, quàm votum simplex, manifestè insinuãtes viris doctis doctrinæ suæ ruinosum fundamentũ. Eadem siquidem ratione & efficacia, qua professionis votum dirimit prius cõtractum, eadem dirimit post contractum, imò minor vis requiritur ad dirimendũ consequens matrimoniũ, quàm antecedens, vt patet in ordine sacro dirimente consequens matrimonium, & non antecedẽs. Non enim post contractũ matrimoniũ per verba de præsenti, si quis inuita vel consentiente sponsa Sacerdos fiat, propterea solutũ est matrimonium, sed illa nõ potest alteri nubere cum tamen constet, ꝙ si religiosus fuisset factus, soluta esset à vinculo coniugali. Nec obstat, quòd in libro 6. de voto & voti redempt. dicitur, ꝙ solennitas voti per solam Ecclesiæ constitutionem est adinuenta. Hoc enim verum est, quemadmodũ etiam consecratio calicis per solam Ecclesiæ constitutionẽ adinuenta est. Cum hoc nanque stat ꝙ quemadmodum nec cõsecratio calicis in solo Ecclesiæ statuto, cõsistit, sed in diuina benedictione, ita solẽnitas quoq; voti in diuina benedictione cõsistit, vt in Secunda secundæ. quæs. 88. dicitur iuxta illud Nume. 6. Inuocabit nomen meũ super filios Israël, & ego benedicam eis. Et rursus, sicut calix iam consecratus ex propria natura repugnat profanis vsibus, sic professus solenniter, ex propria natura repugnat proprietati rerũ, & actibus venereis, & cæteris. Cum his tamen teneo, quòd apud S. Tho. potest Ecclesia dispensare in vtroq; voto, scilicet religionis & ordinis pro aliqua maxima necessitate. Et quòd Ecclesia quidem possit, nolo aliter probare, quàm ex facto, quia scilicet summus Pont. Regem Aragonum (vt Per. de Palud. refert) dispensauit, imò cõpulit, vt religione dimissa vxorem duceret, &c. propter regni illius dispositionem. Quòd autem hoc sit de mente S. Tho. manifestè concipi potest ex initio & fundamento positionis suæ in contrarium in Secunda Secundæ, loco allegato. Ibi siquidem volens cõcludere, quòd Papa non possit dispensare cum religioso, pro radice positionis assumita atoritatem Decretalis, dicens, Sed quia Decretalis, cum ad meum ministerium manifestè dicit, &c. & deinde vt conformaret se Decretali adinuenit illam adaptationem de consecratione, vt ibi patet. Ex quibus omni passione semota, quilibet perspicacis ingenij elicere potest, quòd si tempore suo summus Pont. dixisset oppositũ verbo vel facto (vt postmodum fecit) quod ipse quoq; accommodasset rationem inobedientiæ sedis apostolicæ. Et propterea illa opinio non est sua, nisi pro quanto sustentabitur ab illa Decretali.

¶POTEST Igitur ad rationes suprà tactas, quæ videntur concludere indispensabilitatẽ voti solennis religionis respõderi. Et ad illam quidem de consecratione, potest cum aliis dici, quòd semel sanctificatum Deo, non potest in alios vsus passim conuerti, sed bene in magnæ necessitatis articulo. Liceret siquidem bibere in calice consecrato, vbi aliquis non posset aliter bibere, &c.

¶ Ad aliam verò de exhibitione, eodẽ modo dici potest, ꝙ quamuis res alteri tradita dono, non possit regulariter ab eo auferri, posset in casu necessitatis, quo ablatio esset magis vtilis, quam possessio propter cõmune bonũ, quod præminet bono particulari.

¶Ad aliam verò, quæ adducta est pro fundamẽto positionis aliorum doctorum, dici potest, quòd magna differentia est inter aliquid esse per se tale, & posse per se tale quid. Quod enim est per se tale, nullo casu, nullàque dispensatione potest non esse tale, sed quod potest per se in aliquid, contingit impediri, vt effectum intentum non producat, vt patet in agentibus naturalibus. Dico ergo in proposito, quòd votum religionis est potens per se in hunc effectum, id est dirimere matrimonium sequens, contingit tamen (& hoc rarissimè) vt intentum effectum non habeat propter concursum alterius causæ, scilicet ecclesiæ autoritatis, & publicæ vtilitatis non paruæ. Hæc de secundo.

¶QVO AD Tertium (scilicet de ecclesiæ statuto) cõstatiam, quòd hodie ex ecclesiastico statuto tam ordo Sacer, quàm votum professionis in aliqua approbata religione, impedit matrimoniũ contrahendum, atque dirimit contractum. Et quoniam ordo Sacer non dirimit post contractum ex natura sua, nec ex natura voti impliciti (quia non est solẽne nisi per accidẽs, vt patet ex dictis) sed ex statuto ecclesiastico, idcirco cum summus Pontif. possit ad libitum relaxare statuti vinculum, sequitur necessariò, quod si Sacerdos Occidentalis contrahat matrimonium de licentia summi Põtifi. absque vlla rationabili causa, quòd matrimoniũ ipsum est verè matrimonium, & contrahentes sunt verè coniuges, & proles est verè legitima. Quamuis contrahendo tale matrimonium sic peccet mortaliter vterque contrahens, contra votum castitatis agens absque rationabili, aut dubia saltem causa licẽtiatus, & cõsequenter nec ipse Ponti. à mortali excusaretur, sed si causa rationabilis dispensandi in voto castitatis absit, contrahens dispensatus tutè contrahit, ac contracto vtitur. Et hinc patet, quòd cum rationabilis causa dispensandi in voto castitatis possit esse non sola vtilitas publica ciuilis aut ecclesiastica, sed aliquod aliud maius bonum nunc & hic, & ab hoc, & cætera, quam seruata castitas, consequens est quòd summus Pont. non solùm potest, sed etiam saltem conscientia potest dispensare cum Sacerdote Occidentali, quòd contrahat etiam cessante causa publicæ vtilitatis. Et propterea præsumptuosa fuit quorundam determinatio dicens absolute, quòd absque tali causa Papa non potest. Cùm tamen, vt ostendimus, Papa absque causa vlla possit, peccando tamen, & cum causa rationabili quacunque absque peccato, & vtrobique matrimonium est validum. Romæ die 12. Aprilis, 1505.

TRACTATVS VIGESIMVS-octauus de Matrimonio, vnica quæstione contentus.

QVÆSTIO VNICA.

¶Num matrimonium legitimè contractum inter Christianos per verba de præsenti, possit ante carnalem copulam dirimi autoritate Papæ absque religionis ingressu.

QVÆRITVR vtrum matrimonium legitimè contractũ inter Christianos per verba de præsenti, possit ante carnalem copulam dirimi autoritate Papæ absque religionis ingressu. Et arguitur quòd nõ. Primò, ex ipsius natura, quandocunque est aliqua res tantens, ad cuius positionẽ per se ponitur aliquid concomitans, impossibile est poni remillam transeuntem, & non poni illud cõcomitãs, quia quod conuenit alicui per se, conuenit necessariò & inseparabiliter. Sed sacramento matrimonij cõiungitur indiuisibilitas & inseparabilitas personarum, quæ fiunt coniuges, quod probatur, quia hoc ponitur in diffinitiõe matrimonij. Ergo si matrimonium positum est actu, & transit, impossibile est quin restet inseparabilitas, sed nulla dispẽsatio potest super impossibile, ergo.

¶ Secundò ex parte institutionis, Matrimonium est de iure diuino, vtpotè institutum à Deo in paradiso (dicente, Crescite, & multiplicamini) secundum quod est officium naturæ, & à Christo, secundum quod est sacramentum Ecclesiæ sicut cætera sacramenta, vnde Mat. 20. dicitur. Quos Deus coniunxit, homo non separet, & ad Ephe. 5. Sacramentum magnum in Christo & Ecclesia. Papa autem non potest supra ius diuinum, ergo.

¶ Tertiò ex parte ipsius sacramenti, Non minoris efficaciæ est sanctificatio veri sacramenti sanctificatione consecrationis Ecclesiasticæ. Sed res consecrata, puta calix non potest dispẽsatione Papæ desinere esse consecratus, quandiu est calix, ergo vir & mulier sanctificati coniuges ipso sacramento matrimonij, non possunt quandiu viuunt desinere esse coniuges. Et confirmatur quia sicut Papa non potest facere, quòd hostia semel consecrata desinat esse consecrata, ita non potest facere, quòd vinculum matrimonij semel contractum desinat esse inter personas, inter quas est contractum.

¶Quartò ex parte talis sacramenti, Matrimonium inquantum sacramentum significat coniunctionem spiritualem Christi & Ecclesiæ, vt patet per magistrum sent. in 4. dist. 26. Sed cõiunctio spiritualis inter Christum & Ecclesiam est inseparabilis, quoniam scriptum est Mat. vlti. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Ergo matrimoniũ inquantum sacramentum, est inseparabile. Et confirmatur hæc ratio autoritate San. Tho. in 4. distin. 33. q. 2. articu. 1. ad tertium, dicentis, quòd matrimonium ex quo institutum est vt sit sacramentum est indispensabile, nisi fortè à Deo. Et confirmatur, quia tria sunt bona matrimonij fides, proles & sacramentum, id est indiuisibilitas.

¶Quintò ex autoritate. Quia ista videtur communis sententia Theologorum.

¶IN OPPOSITVM est autoritas Canonistarum vt patet in cap. ex publico. de conuersione coniugatorum.

¶IN HAC dubitatione intendo Theologaliter veritatem inquirere & concludere præcipuè secundum doctrinam S. Tho. vnde tria agenda sunt. Primò ostendetur in quo stat ratio ambiguitatis. Secundò ipsa ratio tractabitur. Tertiò satisfiet oppositis.

¶QVO AD primum, sciẽdum est, quòd cum matrimonium dupliciter consideretur, (scilicet vt est officium naturæ, & vt est sacramentum Ecclesiæ) si attendamus in omnibus & singulis conditionibus, quas habet, secundum quòd est naturæ officium, quæstio hæc clara est, quia constat matrimoniũ esse dissolubile etiam post consummationem, vt patet de coniugio infidelium. Vnde à præsenti disputatione resecanda sunt quæcunque spectant ad matrimonium, inquantum est naturæ officium. Et propterea rationes omnes ex institutione in paradiso, & ex traditione mutuæ potestatis in corpus proprium, & ex commixtione carnali, & ex inseparabilitate his annexa, non conuincunt intellectum ad consentiendum indispensabilitatem, hæc enim omnia ad matrimonium, secundum ꝙ est naturæ officium, spectant, & de naturæ iure sunt, recipere tamen dispensationem in aliquo casu patet, & 1. ad Cor. 2. & à S. Tho. in 3. dist. 33. quæst. 2. art. 1. & 2. Si verò consideremus matrimonium, secundum ꝙ est Ecclesiæ sacramentum, tunc distinguere oportet singulas eius conditiones. Sunt autem hæ quatuor: scilicet sacramentum tantum, res & sacramentum, res tantum significata & contenta, & res significata & non contenta: vt patet ex 4. sent. Sacramentum tantum, vocantur actus sensibiles, quibus contrahitur matrimonium, non absolutè (sic enim spectãt ad naturæ officium) sed vt ex diuina institutione signum & causa sunt inuisibilis gratiæ. Res & sacramentum vocatur ipsum vinculum coniugij, non absolutè, (quoniam sic spectat ad naturæ officium) sed vt ex institutione significat aliquid sanctum (pura coniunctionem spiritualem inter Deum & animam) & disponit ad gratiam. Res tantum significata ꝙ contenta, est gratia gratum faciens, quæ in hoc sacramẽto cõfertur ad sanctè posse vti cõiugio. Res autẽ significata & nõ contenta triplex assignatur, scilicet coniunctio spiritualis per charitatẽ inter Deum & animã, & coniunctio etiam per charitatem inter Christum & Ecclesiã, & coniunctio per vnionem personalem inter verbum & humanam naturam, quæ vocatur conformitas in natura Christi ad Ecclesiam. Si igitur ex nullo horum habetur indispensabilitas, dissolubile erit: si autem ex his habetur inseparabilitas, dispensari non potest. Si diligenter autem inspiciamus, nihil inuenitur in omnibus his supra ea, quæ ad naturæ officium spectant, nisi signum & signatum, & causa & causatum: hæc enim tantum addit sacramenti ratio supra naturæ officium. Et ex parte quidem causæ & causati, manifestè patet non haberi omnimodam inseparabilitatem matrimonij: quoniam nihil in hoc sacramento causatur indelebile, cùm non imprimat characterem, sed sit iterabile etiam viuentibus coniugibus: vt patet si alter religionem profiteatur: gratia quoque hic causata amitti potest, imò quandoque sit sacramentum hoc sine gratia, cum scilicet celebratur in peccato mortali in contrito. Ex ratione igitur signi & signati oportet inseparabilitatem hanc esse, si ex sacramenti vi sit. Et siquidem sacramentum hoc, primò significatum habet inseparabile, oportet inseparabilitatem sequi: si autem primarium eius significatum, non est inseparabile, ipsum quoque separari potest. Notanter autem dixi primò seu primarium eius significatum: quoniam dixi à S. Thom. vbi supra, quòd contra prima præcepta sacramenti, non admittitur dispensatio, nisi fortè à Deo. Prima autẽ præcepta signi circa primarium significatum constat attendi: sicut vniuersaliter prima præcepta cuiuscunq; gradus, vel officij circa principalem illius finẽ. Ad hoc igitur tota quæstio hæc reducitur, an sacramentũ matrimonij significat primò aliquid indissolubile. Et hæc de primò.

¶QVO AD SECVNDVM, Duos ergo in hanc rem inuenio dicẽdi modos, Magister siquidem senten. in 4. distin. 20. expressè tenet: quòd matrimonium contractum, est signum coniunctionis spiritualis inter Christum & Ecclesiam. Et quoniam coniunctionem hanc constat esse inseparabilem, oportet secundum ipsum, & eius sequaces, quòd matrimonium ratum eriã non consummatum, sit omnino indispensabile. Hanc opinionem videntur sequi omnes Theologi, qui partem negatiuam quæstionis tenent, ponentes tertium bonum matrimonij (quod sacramentum dicitur) indissolubilitatem coniugij, non absolutè, sed inquantum signum indissolubilitatis inter Christum & Ecclesiam ponit.

¶ Sed hæc opinio salua tantorum virorum reuerentia, falsa videtur: ꝙ dupliciter ostenditur. Primò, Si matrimonium contractum ac ratum, sacramentum esset cõiunctionis inter Christum & Ecclesiam, sequeretur ꝙ maritus relictæ ante cõsummationem matrimonij esset verè bigamus, hoc est falsum: ergo. Probatur sequela: quia ratio bigamiæ est defectus sacramentiquia scilicet nõ est vnicus vnius: sicut Christus vnus vni tantum vnitus est Ecclesiæ. Hic autẽ defectus manifestè adest secundo coniugio, si matrimonium ex solo cõtractu, sacramentum est coniunctionis Christi & Ecclesiæ. Falsitas consequentis patet ex determinatione Ecclesiæ, extra de bigamis, capitulo debitum. Et scito, quòd sumpta est hęc ratio ex illa decretali, & conuincit me, quoniam à destructione consequentis ad destructionem antecedentis est optimus & necessarius processus. Et attestatur eidẽ ipse Magister sent. quoniam sicut tenet antecedens, ita etiam affirmauit consequens in 27. distinct. 4. Vnde à nobis sicut non sustinetur in cõsequẽte, ita nec in antecedente tenendus est, quin potius Ecclesia determinando oppositum consequentis, determinauit oppositum antecedentis: connexa quippe sunt hæc. Vnde inaduertenter loqui videtur, qui in materia bigamiæ dicunt bigamiam non fieri ante consummationem plurium coniugiorum, & in materia matrimonij dicunt, matrimonium non consummatum sacramentum esse cõiunctionis Christi & Ecclesiæ: hæc enim (vt supra ostensum est) habent contradictionem implicitam. Secũdò, si matrimonium solo contractu significat coniunctionem inseparabilem inter Christum & Ecclesiam, sequeretur quòd nec etiam per ingressum religionis naturaliter solueretur, hoc est falsum, ergo. Consequentia probatur, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona. Violatio autem sacramenti coniunctionis inter Christũ & Ecclesiam malum non est paruum, cùm sacrilegium sit. Et fieret per huiusmodi ingressum: quoniam solueretur matrimonium, & consequenter sacrum signum, & consequenter daretur intelligi, quòd significatum esset solubile. Falsitas autem cõsequentis ex eo patet, quòd nõ dispensatiuè, sed regulariter licet cuilibet ante cõsummatum matrimonium ire ad religionem: imò secundum sanct. Thom. dantur coniugibus duos menses ante consummationem ad hoc: & (vt in c. ex publico de cõuer. coniug. patet) Papa non dispẽsando, sed sequẽdo Ecclesiæ morẽ determinat matrimonium solui per religionis ingressum. Sunt etiam cõtra hoc autoritates, quæ infra afferẽtur.

¶Alij igitur sequentes determinationẽ in prælegato c. de bigamis factam, dicunt, ꝙ matrimonij sacramẽtum, quo ad significationem, non est complerum vsque ad carnalẽ copulam inclusiuè: ita ꝙ matrimonium contractum significet cõiunctionem Dei ad animam per charitatem, consummatũ verò cõiunctionem Christi ad Ecclesiam. Et inquantum prima coniunctio est solubilis, secunda non: ideo matrimonium contractum tantum solui potest, consummatum autem minimè: vnde Dominus Mat. 19. non dixit, Quos Deus coniunxit homo non separet, nisi post illa verba, & erunt duo in carne vna. Et Apostolus ad Ephe. 5. nõ dixit, Hoc sacramentum magnum in Christo & Ecclesia, nisi post illa verba, Et erũt duo in carne vna. Et ideo Leo papa (vt referũt Magister in 2. dist. 1. & Gratianus 27. q. 2.) ait, Societas nuptialis ita est à principio instituta, vt præter cõmixtionem sexuum non habeat Christi, & Ecclesiæ sacramentũ. Hæc ille. Vbi clarè videas assertum à tãto doctore, quod probare laboramus nos 8. S. Tho. quoque in 4. di. 27.

q. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

q.1.arti.3.q.2.expresè dicit duo notanda ad propositum. Primum est in responsione ad primum, quòd quia matrimonium contractum significat coniunctionem spiritualem inter Christum & animã, & hæc est solubilis, ideo religionis ingressus aufert sacramentum. Secundum est in responsione ad tertium, q̃ quia matrimonium contractum tantum non est perfectum, ideo non habet omnimodam indissibilitatem. Ex his enim confirmãtur omnia dicta. Et colligere potes hanc rationem sic, Si matrimonij sacramentum non consummatum esset indissolubile autoritate Papæ, hoc esset, quia omnimoda indissolubilitas esset de ratione eius, sed hoc est falsum, ergo. Probatur falsitas consequentis, quia aut est de ratione eius, inquantum est officiũ naturæ, aut inquantum est sacramentum, sed neutrũ est, vt probauimus, ergo. Potest quoque idem probari sic, De sacramentis Ecclesiæ illud tenẽdum est, quod Rom. Ecclesia tenet, sed Rom. Ecclesia dispensat de facto Apostolicis literis super huiusmodi matrimonia contracta, ergo. Minor patet in Martino 5.& Eugenio 4.quorum bullas super hoc refert Archiepiscopus Florentinus se vidisse, & nostris temporibus pluries hoc factum videtur. Non deest etiam naturalis ratio, q̃ sit dispensabile. Videmus enim in vniuersotria genera rerum, quædã enim sunt necessariæ simpliciter, quas scilicet impossibile est aliter se habere, vt sunt motus cælestes, & quædã sunt contingentes simpliciter, vt res voluntariæ, & quædã necessariæ nõ simpliciter, sed vt in pluribus, vt naturalia istorum inferiorum. Et inter hæc manifesta est hæc differẽtia, q̃ necessaria non possunt impediri, cõtingentia possunt fieri, vt liber: necessaria verò vt in pluribus possunt quidem impediri, sed rarò. Cum autẽ indissolubilitas sacramenti matrimonij non sit de genere cõtingentiũ (vt patet, quia non potest ad libitum dissolui) nec sit de genere necessariorum simpliciter (quia potest quandoque impediri, vt patet si alter coniugum ingrediatur religionẽ) restat vt sit de genere necessariorũ vt in pluribus. Et verè sic est: essentia nanque matrimonij annexam habet indiuisibilitam possibilem impediri ex concursu alterius causæ. Et hoc dupliciter, vel causæ quasi eiusdẽ ordinis & hæc est professio regularis, vel superioris ordinis, & hæc est autoritas apostolica cum causa aliqua rationabili. Vtrũ autem discordia orta inter coniuges huiusmodi sine spe remedij, sit rationabilis causa dispensandi, crediderim q̃ sic, consensu cõiugum accedente. Tum in fauorem animarũ, ne scilicet in adulteria adolescentes ruant, aut permanere quasi cogantur, dum separati perpetuò manerent. Tum ad euitanda homicidia, quæ à desperatis coniugibus facilè procurari possunt, præsertim, cum hac de causa Moyses libellum repudij permiserit. Tum ad bonum pacis restituendum inter eos, sublato hoc vinculo, quod causa discordiæ est præsertim quia coniugij finis vnitas est. Et hæc de secundo.

¶QVO AD TERTIVM Respondetur ad primam obiectionem, & dicitur, quòd in diffinitione matrimonij non ponitur indiuisibilitas simpliciter, id est omnino, sed quantum est ex se, id est nisi impediatur. Et propterea posito matrimonio, ponitur indiuisibilitas personarum sic non omnino, indiuisibilitati autem sic non repugnat impediri.

¶Ad secundum verò iam patet ex dictis, quòd institutio refertur ad sacramentum perfectum in significando, & non inchoatum tantùm. Quamuis posset etiam dici & bene, quòd Deus non instituit matrimonium indissolubile omnino, sed quantum est ex se, vt dictum est. Et ideo Papa non dispensat contra institutionem diuinam, sed vtitur potestate sua, qua potest impedire aliam causam impedibilem institutam etiam à Deo.

¶Ad tertium dicitur, quòd coniuges nõ aliter sanctificantur hoc sacramento, quàm per gratiam gratum facientem, & repræsentationem Christi & animæ per charitatem vnitorum. Vnde cum vtrũque sit separabile, nulla est hic sanctificatio habens effectum perpetuum. Vnde quamuis non possit fieri quòd coniuges non fuerint sanctificati, potest tamen auferri vtraque sanctitas ab eis. Et propterea non est simile de eis & de calice consecrato, à quo non potest consecratio auferri. Nec est propterea minoris efficaciæ sacramentum quàm sacramentale, quoniam longè maius est facere sanctum formaliter, etsi amitti possit illa sanctitas, quàm facere sanctum ministerialiter, & secundum quascunque alias huiusmodi denominationes. Vnde sacramenta omnia, quia gratiam conferunt, magis sanctificant cæteris consecrationibus, licet non ita diuturnos habeant effectus propter variam dispositionem subiecti, effectus enim consecrationum & benedictionum non exigunt nisi constantiam subiecti, gratia autem & significatio vltra substantialem constantiam subiecti, exigunt immutationem voluntatis & status, & propterea mutatis his desinunt. Ad confirmationem autem dicitur, q̃ peccat supponendo id quod probare debet, & quod in dubium vertitur, hic enim nihil aliud dubitatur, nisi an vinculum ex sacramento matrimonij contractum semel, sit inseparabile à personis, quæ contraxerunt, & argumentum hoc supponit, quia supponit, q̃ se habeat ad personas sicut corpus Christi ad species panis semel consecrati, quod constat se habere inseparabiliter. Vnde neganda est similitudo, quia vinculum matrimonij non habet necessariam cõnexionem cum personis, sicut corpus Christi ad Hostiam, necessaria nanque connexio est, quæ impedit dispensationem.

¶Ad quartum patet responsio ex dictis, negamus, scilicet significari coniunctionem Christi ad Ecclesiam per contractum matrimonij. Posset quoque dici, quòd coniunctio spiritualis Christi ad Ecclesiam potest considerari dupliciter. Primo secũdum suam rationem, & sic est solubilis: quia est coiunctio per charitatem viæ. Secundò, secundum extrema, inter quæ est, scilicet Christũ & Ecclesiam & sic est insolubilis. Et quia primo modo vnio spiritualis consideratur per se, secundo per accidens, ideò potest dici, q̃ vnio illa est solubilis, vnio autem in conformitate naturæ est omnino insolubilis, quoniam est secũdum esse diuinum hypostaticũ. Hæc responsio licet quo ad solubilitatem sustineri possit, non tamen euadit inconuenientia de vnitate, & propterea non est totaliter ei innitendum. Ad confirmationẽ verò ex autoritate S. Tho. dicitur, q̃ loquitur de matrimonio cõsummato, vt manifestè patet, & ex articulo præcedente in responsione ad secundum conuincitur. Ad alteram autem confirmationem de bono sacramẽti dicitur, quòd propriè & formaliter loquendo, sacramẽtum quod est tertiũ bonum matrimonij, inuenitur quidem in matrimonio cõtracto, sed imperfectè, quia non nisi causaliter, inchoatiuè & impedibiliter, vt patet ex supradictis. In consummato autem inter fideles inuenitur formaliter, completè, & vt necessarium simpliciter, & propterea consummato repugnat dispensatio, vt San. Thom. docuit.

¶Ad autoritates tenentium oppositum nescio quid dicam, nisi quòd si diligentius hæc animaduertissent, fortè sententiam mutassent. Romæ, die 24. Ianuarij 1507.

TRACTATVS VIGESIMVSNONVS de reddendo debito inter coniuges, altero eorum existente adultero, vnica quæstione contentus.

QVÆSTIO.

¶ Num vxor teneatur sub peccato mortali abstinere à carnali commercio viri publici concubinarij.

QVÆRITVR An vxor teneatur sub peccato mortali abstinere à carnali cõmercio viri publici concubinarij. Et videtur q̃ sic. Vir tenetur ad abstinendum se ab vxore publicè adultera, ergo e contrario. Antecedens patet in Scriptura, quia patronus est turpitudinis, qui crimen celat vxoris, vt in ca. quemadmodum de iureiurãdo dicitur, & in sacris canonibus extra de adulte. ca. si vir. & 32. quæst. 1. c. 1. & c. si quis vxorem. & sacris doctoribus in 35. distinct. quarti sent. Consequentia autem probatur, quia vir & vxor ad paria iudicantur circa fidem, libertatem, & debitum matrimonij.

¶IN OPPOSITVM Autem est, quia vxor non tenetur ad correctionem viri, sicut e contrario, quia vir est caput mulieris, vt dicitur primæ ad Corinth. 1.

¶AD EVIDENTIAM huius sciendum est, quòd actus coniugij, quum secundum felicitus sit, ad hoc quòd reddatur illicitus ex alterius crimine, oportet vinculum aliquod nouum in innocentem deriuari ad hoc: vt teneatur abstinere. Crimen autem mariti publici adulteri, quadrupliciter potest considerari, primò inquantum offensiuum vxoris, secundò inquantum emendabile pro bono ipsius mariti, tertiò inquantum punibile pro bono communi, quartò inquantum quandam mali speciem in coniugem ducit. Si primo modo sumatur crimen propositum, ipsum quidem virum in lege coniugij errantem fidem violando priuatiure exigendi, non petendi actum coniugij. Iustum quippe est, vt iniuriam faciens matrimonio, & à fide recedens, ius cogendi alterum ad seruandum sibi promissum perdat, simplici tamen petitione actum coniugij postulare non prohibetur à volente sibi consentire, sicut in aliis debitis, quanuis extinctis iure potest creditor petere à voluntario debitore, qui non vult iuris rigore vti. Sed ex hac ratione vxorem offensam in nullo ligat, non est enim addenda afflictio afflictio, sat est q̃ quatenus offensiuum est, ipsam affligat. Si secundo modo, vxor innocens non tenetur ad abstinentiam actus coniugij, nisi vt habet rationem præcepti criminis viri, & hoc quia non tenetur ad hoc nisi ratione præcepti de correctione fraterna, ac iuxta mandatum Domini Mat. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. si monitio verbis facta per se, vel alios non sufficit, (quum ipsa non possit verbere virum adducere ad pœnitentiam, sicut ecõtrario) tenetur adhibere pœnalem medicinam, abstinendo ab eo, & denuntiare Ecclesiæ, si hoc non sufficit. Sed, quoniam præceptum de correctione fraterna non habet locũ, vbi nõ est spes pœnitentiæ, (quoniã finis eius est bonũ ipsius peccatoris,) ideo, si vxor non speret pœnitentiam per hoc remedium, non tenetur ad illud faciendum, & tantò minus si credit q̃ peior fiet. Si tertio modo, sic quum procurare bonum commune in huiusmodi fiat per viam accusationis, nõ tenetur vxor ex solo crimine adulterij viri, quum hoc non sit in corruptionem spiritualem vel corporalem boni cõmunis, nisi annexam haberet corruptelam fidei Christianæ, vel proditionem patriæ, & huiusmodi. Si quarto modo, tunc pro tanto habet speciem mali, (vt communiter affirmatur,) quòd innocens misceatur adultero publico, pro quanto videtur illius peccato consentire, correctionem debitam non apponendo. Constat autem, quòd si non est spes pœnitentiæ per huiusmodi abstinentiam, correctio hæc non est debita secundum veritatem, & quòd si notum est, quòd vxori hoc valde displiceat, & propterea ducit in amaritudine animam suam, (vt communiter accidere videtur) cessat ratio apparentis mali & scandali actiui in vxore. Ex omnibus igitur considerationibus opportunis concluditur, quòd vxor innocens, & in amaritudine animæ posita de viri adulterio publico, non sperans per abstinentiam actus coniugij emendationem viri, non tenetur ad abstinendum ab eo, sed licitè potest matrimonio vti tam petendo, quàm reddendo.

¶ET AD Obiectiones in oppositũ dicitur, quòd nec vir tenetur ad abstinẽdũ, nisi subsit spes correctionis futuræ & ratione scandali. Sed quia ad virum spectat corrigere vxorẽ etiam facto, ideo tenetur ad vtendum omnibus remediis vtilibus, sibi tamen conuenientibus, puta ad verberandũ eam, segregandúmq; à practica, & huiusmodi, inter quæ remedia computatur abstinentia à thoro illius, quando creditur expedire. Tenetur quoq; magis ad euacuandum à se scandalum actiuũ, quia nõ facile creditur vxorem publicè adulterati sine tacito consensu viri. Propter hæc nanque duo omnes autoritates allatæ damnant virũ non separantem se ab adultera, vt patronũ turpitudinis. Nec sacri canones intelligendi sunt condidisse nouum ius, sed applicasse doctrinam diuini iuris ad materiam matrimonij. vnde & patrociniũ peccati & patrocinatus turpitudinis, & huiusmodi quæ diuini iuris sunt, asserunt. Et hæc de quæstione hac sufficiãt. Romæ die 14. Martij, 1513.

TRACTATVS TRIGESIMVS De vsu sacrarum Scripturarum ab Ecclesia, vnica quæstione contentus.

QVÆSTIO VNICA.

¶An apostol. sedes in sacris canonibus abutatur verbis sacræ Scripturæ.

CHARITATE Iesu Christi cogente, quæritur an Apostolica sedes in sacris canonibus abutatur verbis sacræ Scripturæ. Et videtur q̃ sic. Primò, quia Clemens sextus in extrauaganti, vnigenitus, de pœn. & re. abutitur autoritate, Prouer. cap. 7. dum ad thesaurum, ex quo fiunt indulgentiæ, applicat eam dicens, quòd est thesaurus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Constat enim q̃ per indulgentiarum gratiam non fit homo particeps amicitiæ Dei, sed solummodo satisfacit pro pœna debita.

¶Secundò quia Pelagius Papa in Decre. dist. 21. ca. quamuis, probat sedem Apostolicam esse prælatam cunctis Ecclesiis Euangelica voce, Mat. 16. Tu es Petrus, & quodcunque solueris, &c. Et tamen constat per illam Domini sententiam non esse Petrum prælatum cæteris.

¶Tum quia verba illa dicta sunt Petro in persona omnium, sicut ipse Petrus respondit pro omnibus. Vnde & sacri doctores intelliguntibi nõ vni, sed vnitati æqualitatis omnium dictum. Quodcunque ligaueris, &c. Tum quia ipse Dominus replicauit in pluribus eandem sententiam, Quæcunque alligaueritis, Matth. 18. Tum quia Dominus dicit, Quod vni dico omnibus dico, Mar. 13.

¶Tertiò, quia extrà de consti. ca. translato. affertur autoritas Apostoli, Translato sacerdotio, necesse est vt trãslatio legis fiat. Et decretalis sentẽtia est, sacerdotium est translatum à Moyse in Christum, & à Christo in Petrum, sic interpretantur Iuristæ: & Ponti. permittit seu approbat. Constat autem impiũ esse dicere sacerdotium translatum à Christo in Petrũ: abusiuè ergo apostolica sedes in suis decretalibus sacram Scripturam affert, vimque illi infert.

¶IN Oppositum est ipsius Apostolicæ autoritatis dignitas.

¶QVÆSTIO Hæc mota est charitate vrgente, ne hi, qui minus eruditi sunt legẽtes vulgatas has iniuriæ Apostolicæ sedi illatas, putent veras esse. Et si forte hi, qui nouitatibus istis studẽt, discant sapere ad sobrietatem, aut saltẽ cohibeant linguas suas. Decet siquidem pastori & doctori omniũ Christianorum Ro. Pontifici iam si quandoq; trãsumptiuè vteretur aliqua autoritate Scripturæ, vt crebro doctores sacri faciunt, detrahere nõ modo contumeliã irrogare publicè scribendo, q̃ abutitur sacra Scriptura, quod vim infert sacro eloquio. Nunquam hoc ab Augustin. Hier. Ambr. aliísque sanctissimis doctoribus didicimus. Si quis, inquit Iacobus Apostolus, putat se religiosum esse nõ refrænas linguam suam, &c. huius vana est religio. Reducendus quippe est potius aut intellectus, aut sermo in captiuitatem in obsequium Christi in suo vicario, quando videntur nobis minus cõsona eius verba, modò fides salua sit: nec ponamus os in cælum, præsertim quòd humanum sæpe fallitur iudicium, & quòd vnus putas abusiuè dictum, alter intelligit propriè dictum. Et quia sic accidit in proposito, nulla siquidem inductarum autoritatum abutuntur sacri canones, sed in proprio sensu illarum qualibet vtuntur, vt sigillatim manifestabitur, ideo paruulum hunc laborem non subterfugi.

¶Clemens imprimis V. I. non abusiuè, sed propriè vtitur autoritate Scripturæ: quoniam thesaurus, de quo loquitur Scriptura, est thesaurus diuinæ sapientiæ: est enim thesaurus meritorum Christi, qui est ipsa diuina sapientia, & fons sapientiæ. Et quicunque thesauro hoc vero vsi sunt, efficaciter consequendo indulgentias, eum perseuerantia sine qua quocunq; thesauro vanè vtimur, verè participes fiunt amicitiæ Dei cõsummatæ. Cuius nullus potest esse particeps, quandiu obnoxius est pœnæ alicui pro quocũque peccato: quoniam Dei amicitia consummata non nisi in cælesti patria habetur, in quam nihil pœnæ subiectum ingredi potest. Quia igitur indulgentiæ tollunt ab homine impedimenta diuinæ amicitiæ consummatæ, verè & propriè dicitur thesaurus indulgentiarum esse, quo qui vtuntur, participes fiunt amicitiæ Dei. Nec valet argumentum, Thesaurus diuinæ sapientiæ fuit antè in dulgentias, & illo quis potest vti sine indulgentiis: ergo indulgentiæ non spectant ad illum: quoniam thesaurus diuinæ sapientiæ continet multa in se diuinæ sapientiæ opera: vt sunt actus sapiendi secundum Deum, & merita Christi vt meritoria, & eadem vt satisfactoria, & multa alia. Et vt thesaurus ipse prior indulgentiis, non dependet ab indulgentiis: sed econtra indulgẽtiæ dependent ab illo. Et potest aliquis vti thesauro illo diuersimode, propterea potest quis vti illo sine indulgentiis, & per indulgentias. Et similiter potest aliquis fieri particeps diuinæ amicitiæ consummatæ, & sine indulgentiis & per indulgentias. Non docet siquidem Romana Ecclesia indulgentias esse medium, sine quo non possit diuina amicitia consummata haberi: sed esse medium, per quod potest haberi, tanquam remouens prohibens: vt declaratum est.

¶Quod autem secundò obiicitur de autoritate euãgelica, perspiciter intentum Pelagio Pontifici absque abusu suffragatur: nam quòd illa Domini verba ad solum Petrum dirigantur, ex multis habetur. Primò ex hoc, quòd eidem facta est promissio, cui exhibita est promissa res: sed solum Petrum cõstat à Domino constitutum caput Ecclesiæ, vt patet Ioan. vlti. vbi Dominus post resurrectionem Petro, vt distincto ab aliis Apostolis, dixit, Pasce oues meas, fecit enim comparationem Petri ad alios, dicens, Diligis me plus his? & statim ipsius, non ipsius & aliorum martyrum: pastoralis officij fructum subdidit, Quum esses iunior, & cætera. Et hoc ibidem confirmat Chrisostom. Præteriens, inquit, Dominus alios Apostolos, ad Petrum dixit, Si amas me, &c. Secundò ex eo, quòd Dominus dixit, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis, &c. certũ est enim, quòd ex hoc Dominus non beatos dixit omnes Apostolos, nec quòd singulis Pater reuelauerit quod Petro reuelatum est. Et confirmatur, quia inter discipulos erant tunc Iudas, qui non erat beatus nec in re, nec in spe, quum esset fur: vt Ioan. Euãgelista testatur. Tertio patet ex hoc, quòd Dominus inchoauit sententiam à Petro: vt ab aliis distincto dicendo, Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc, &c. constat autem quod nec de Andræa, nec de Ioanne, nec de Iacobo, &c. verificatur, Tu es Petrus. Verba igitur textus Euangelij manifestant, quòd Petro singulariter dictum est, Tibi dabo claues regni cælorum: ac per hoc Pelagius Papa non abusiuè sed proprie vius est autoritate illa ad probandum Petri sedem à Domino voce & sensu cæteris esse prælatam. Nec fuit Pelagius primus, qui hac eadem autoritate vsus est ad idem probandum, qm̃ Anacletus martyr sub Traiano hoc idem dixerat, vt habes in decreta. distinct. cap. sacrosanct. Ad primam obiectionem respondetur, quòd Petrus dicitur respondisse pro omnibus, quia Dominus communiter interrogauit, Vos autem quem me esse dicitis? sed sicut reuelatio, teste Domino, soli Petro dicitur facta: ita responsio non ex consilio aliorũ, sed ex diuina reuelatione à solo Petro facta est. Sed quia omnibus placuit responsio pro omnibus respondisse dicitur: frequẽtissimè siquidẽ accidit q̃ multis collegis præsentib⁹ quod vnus optimè dixit, tanquã si ab omnibus fuerit dictum, habetur: laus tamẽ solius est illius qui sapiẽter respõdit. Sacri autẽ doctores accipiẽtes hęc verba nõ pro vno, sed pro vnitate nõ obstãt: quia vera sunt. Nec aduersanẽ dictis, quia de vnitate ecclesiastica loquũtur, quæ est vnitas ordinis, caput vnũ habẽs. Imò interpretatio hęc, Pelagij sensum confirmat, quoniã verba illa dum vnitatẽ Ecclesiæ respiciunt, caput vnum designant: per quod vnitas Ecclesiæ claues habeat regni cælorum, & ordine quodã à Petro ad alios in partem solicitudinis assumendos potestas absoluendi atque ligandi deriuetur. Et propterea non vnus Petrus in persona, sed in omnibus successorib⁹ suis, nec vnus Petrus cũ succedit solus susceperit claues, vt solus retineat, sed vnitas Ecclesiæ per vnũ susceperit, dum Petrus susceperit communicãdas in vnitate Ecclesiæ. Quod autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

affertur in argumento de vnitate æqualitatis, falsum est, nec est Sanctorum sententia de vnitate æqualitatis sed Ecclesiæ, quam constat esse vnitatem ordinis. Et aduerte, ꝙ non solùm glossa ordinaria, sed Cyrillus inter priscos Patres Orientales nullis secundus in libro Thesau. de Petro & successoribus in Rom. Eccl. hoc intelligit, vt in cath. au. Mat. 16. habes. Ad secundam verò obiectionem dicitur, ꝙ Dominus non replicauit de clauibus regni cælorum, quum omnibus communiter dixit, Quæcunque alligaueritis, in hoc discernendam relinquens excellentiam Petri super alios. Et rursus ordo ipse, dum primo soli Petro, & deinde communiter aliis loquitur, insinuat quod prius Petro, deinde aliis Episcopis autoritas conuenire debebat absoluendi atque ligandi. Ad tertiam autem, Quod vni dico, omnibus dico, respondetur, quòd Dominus non dixit, Quod vni do, omnibus do. (non enim omnibus discipulis dedit apostolatus dignitatem, nec etiam omnibus dedit dignitatem Septuaginta duorum) in proposito autem non est quæstio de Dicere, sed de Dare, Tibi, inquit Dominus, Dabo claues, &c. Vnde patet extra propositum esse, quod vni dico, omnibus dico, quòd de doctrinali dicere ad literam voluit cælestis Magister intelligi, vt instructio quam vni impendebat omnibus impensa nuncupetur.

¶Ad tertium argumentum principale de autoritate Pauli Apostoli dicitur, ꝙ decretalis illa nec somniauit vnquam quod sacerdotium sit translatum à Christo in Petrum, quum Petrus non nisi Christi sacerdotij minister sit, & Christi vicarium esse decretales clament. Vnde nulla culpa est Pontificis si iuristæ malè eam intellexerunt, nisi quis adeo desipiat, vt Pontifici imputet omnes errores doctorum, quia non reprobat eos. Admiratione profectò dignum esset, ꝙ in Papam, in decretalem, sensum alienum retorquent arguentes isti, nisi manifestior lapsus, testimonium eorum studio perhiberet, subdunt enim plusquam octingentorum annorum, Christianos totius Orientis, & Africæ nunquam sub Romano Pont. fuisse. Nam si Chalcedonensem synodum (vnam ex quatuor quas sicut sanctum Euangelium Greg. excipit) perlegissent, Patrumque decreta ac gesta librassent, vidissent contigua omniũ ætatum testimonia, primatum Rom. Ecclesiæ præferentia, falsissimúmque esse Africæ Orientísque Christianos Ro. Eccl. subditos non fuisse. Ad quod pro nunc sufficiant duos testes ante annos mille ferè. Alter est ex Græcis Cyrillus, scilicet in libro Thesau. vt habes in cathena au. Mat. 16. dicens, Secũdum hanc Domini promissionem Ecclesia apostolica Petri, ab omni seductione hæreticáque conuentione manet immaculata, super propositos Episcopos, & super omnes primates Ecclesiarum & populorum in suis pontificibus in fide plenissima & autoritate Petri. Alter ex Latinis, Gregorius scilicet ad Ioannem Episcopum Syracusanum scribens, Constantinopolitanam Ecclesiam, quis eam dubitet sedi apostolicæ esse subiectam, vt habes in Decre. distin. 22. ca. de Constantinopolita. Maguntiæ die 22. Martij, 1519.

TRACTATVS TRIGESIMVS PRIMVS, Ad Leonem decimum Pontificem maximum, de septemdecim Responsionibus ad diuersa præcipua obiecta, quæ pro Martini Lutheri assertionibus facere videbantur.

IN XVII. RESPONSIONES TRACTATVS trigesimiprimi, Summaria.

1 *De expositione quinque articulorum Lutheri reprobatorum. Primus articulus est, Verum est prouerbium, & omnium hominum doctrina de contritione adhuc traditis præstantius, quod summa pœnitentia est non amplius peccare, & quod optima pœnitentia est noua vita. Secundus, Nemini remittuntur peccata, nisi credat sibi remissa esse, quando Presbyter remittit, &c. Tertius, Error illorum magnus est qui vadunt ad communionis sacramentum sub hac confidentia quod sint confessi, & quod cognoscunt esse se sine peccato mortali propter preces & præparatoria præmissa, &c. Quartus, Thesaurus Ecclesiæ vnde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi & Sanctorum. Quintus, Si Papa cum magna parte Ecclesiæ haberet hanc vel illam opinionem & non erraret, tamen nec peccatum est, nec hæresis contra sentire (præsente in re nihil pertinente ad animæ salutem) donec alterum per generale Concilium reprobetur vel approbetur.*

2 *Quid sentiendum de sex propositionibus, in laudem beati Ioseph à quodam Theologo prædicatis. Prima, quod Ioseph fuit magni meriti, & pater putatiuus Christi, qui Christum ipsum palpauit, & eo familiariter vsus est. Secunda, quod Ioseph sanctus fuit verus vir virginis Mariæ, iuxta illud, Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ. Tertia, quod fuit verum matrimonium inter Virginem gloriosam, & sanctum Ioseph, quod non potuit esse nisi per mutuam corporis donationem, quæ fuit inter Ioseph & Virginem. Quarta, quod istud matrimonium fuit priuilegiatum, quoniam in isto matrimonio Virgo non dedit vsum corporis, licet per matrimonium dederit corpus, edocta a Spiritu sancto, vbi regulariter per contractum matrimonij datur corpus & vsus copulæ carnalis. Quinta, quod Virgo Maria dando corpus suum Ioseph dedit & sanguinem totius corporis, ex quo sanguine fuit completum corpus Christi. Sexta, quod hæc propositio est vera: Ex sanguinibus Ioseph fuit formatum corpus Christi, id est ex sanguinibus propriis Virginis Mariæ à Ioseph sancto datis per contractum matrimonij fuit formatum corpus Christi.*

3 *An matrimonium contractum à iuuene, postquam religionem post discretionis annos ingressus est animo mutandi omnino vitam, & intra nouitiatus tamen annum egressus est ad secularem vitam & habitum sit validum.*

4 *An adulter ipso facto sit priuatus iure exigendi debitum à coniuge innocente.*

5 *Ad quatuor dubia. Primum, An iuridice inquisitus de aliquo crimine, teneatur, & debeat nom nare complices, si non sunt infamati, & ante correptionem fraternam. Secundum, An si ipse tales nominauerit, possit iudex contra tales procedere ad inquisitionem. Tertium. An iudex sciens defectum alicuius à tribus, vel quatuor non per modum iudicij, possit ipsum cogere ad discendum veritatem. Quartum, An infamatus de aliquo, possit de omnibus inquiri.*

6 *An ijs, qui ex Iudæis originem ducunt, si in nullo culpabiles inuenti, nec aliter suspecti, nisi ratione originis sunt, possit negari ingressus religionis, & si fuerint nouitij, negari possit professio absque peccato mortali: an sit hoc contra præceptum charitatis.*

7 *An. N ingressus religionem quandam mendicantium, in quodam illius conuentu regularis vitæ, cum animo deliberato perseuerandi vsque ad mortem in illa particulari religione, & in illo particulari conuentu in seruitium Beatæ Virginis, cui Ecclesia illa dicata est, post quam multos menses ibidem degit, possit ob scelera ibidem impunita ad seculum intra probationis annum redire.*

8 *An is qui in choro sic diuinum officium persoluit, quod sui chori versus submisse sibi ipse soli dicit, alterius vero chori versus audit tantummodo satisfaciat præcepto Ecclesiæ de persoluendis canonicis horis.*

9 *Ad tres quæstiunculas primum, An vsera soluta ab accipiente sine necessitate pecunia mutuo, sit reddenda illi, qui soluit. Secundum, An pertinaci etiam vsque ad mortem in aliquo veniali, non ex contemptu, sed quia est veniale, sit deneganda absolutio de cæteris peccatis. Tertium, Quomodo intelligatur delictum publicum, vt sine peccato possit reuelari, an quia potest probari, an quia fuit de eo conuictus coram iudice, aut quouis alio modo.*

10 *An possit annua pensio ex beneficio ecclesiastico debita, pro certa summa pecuniæ simel persoluenda, vendi.*

11 *An Petrus consignans centum florenos apud Paulum mercatorem, vt eis pro parte lucri capitalis saluo, assignet v. sto. residuo lucri sibi seruato, licite contrahat, & restitutionem illorum in foro animæ non teneatur.*

12 *Ad v. dubia primum, An sit simpliciter de necessitate salutis pœnitentem confiteri de singulis peccatis numeraliter in eadem specie, quando potest ea sigillatim ad memoriam reducere. Secundum, Quando circunstantia loci facit necessario confitenda. Tertium, An si tam venditor, quàm emptor sciat naturam rei & valorem nullum sub sit peccatum si res vendatur pro maiori vel minori pretio. Quartum, An principes terrarum per consuetudinem possint sibi licite appropriare feras. Quintum, An dicti principes possint ita districte prohibere dictarum ferarum captionem, vt nullus subditus possit eas capere quin grauissime puniatur, etiamsi capiat eas, vt se à damno præseruet, quod inferunt in blados, vel huiusmodi.*

13 *Ad vij. dubia, primum, Quomodo stent hæc simul, licet vendere Iudæis res quibus ipsi vtuntur in suis sacrifijs, & non licet cooperari ad recollectionem synagogæ Iudæorum. Secundum Quomodo stent hæc simul, occultissima per accidens subiacent Ecclesiæ censuris, & autor homicidij occulti non est sub iudicio humano, quia persona est occultissima. Tertium, An hæc sibi inuicem repugnent, nullo modo licet inducere ad minus malum etiam parates, & licet inducere, vt peccent minus. Quartum, Quomodo hæc se compatiantur, Excusantur qui omnino cœnaturi tempore ieiunij exhibent cœnam, & non licet exhibere vinum volenti omnino se inebriare. Quintum, Quomodo hæc, Sicut in alijs iniurijs sufficit restituere, & non oportet petere veniam, ita nec in contumelia, & quando translatio non est omnino voluntaria, oportet non solum reddere pretium agri, sed aliquid correspondens illi conditioni inuoluntarij, sicut semper in restitutionibus faciendum est. Sextum, Cur neque in textu, neque in Commento totius Secundæ secundæ, tractatur de famoso murmurationis vitio. Septimum, Quid importet scrupulus conscientiæ, quo stante licite operamur oppositum.*

14 *Ad quinque dubia. Primum, Cur permittitur simul stare bonitatem substantialem & veniale peccatum. Secundum, Quomodo verificetur, quod non oportet restituere cum damno in re superioris ordinis, quum ex hoc videatur sequi mulierem, quæ ex adulterio suscepit prolem, non teneri ad se prodendum, quantumcunque veri hæredes inde damnificentur. Tertium, An hoc sit solidum fundamentum vtentem malicia alterius semper petere debere aliquid absque peccato præstabile. Quartum, An sicut votum abstinentiæ vxoris, sic & votum continentiæ viri irritari possit, sic vt vxor secura sit atque tuta. Quintum, An sit mens diui Thomæ in 4. sentent. distin 18. quæst. 2. artic. 1. quæst. 4. quod excommunicatio iniusta priuat suffragij Ecclesiæ*

15 *Ad duo dubia. Primum quomodo sustinetur, quod votum est de meliori bono, id est bono supererogationis, & quod religiosæ personæ venereis vacantes agant contra votum. Secundum, An is qui ad occidendum hominem pertentauit inuiniretur, piè esset interpretanda, & ad bonum sensum reducenda.*

16 *Ad duo dubia primum, Quomodo sit vnus conceptus mentalis entis. Secundum, Quomodo hæc stent simul, analogum non absoluitur ab his, quibus analogum diuitur, & ens habet conceptum vnum simplicem, ad quem omnia prædicamenta & transcendentia addunt in quem resoluuntur, qui est primo notus.*

17 *Ad quinque articulos circa emptionem rerum raptarum in bello iniusto. Primus est, An huiusmodi rapta etiam difficillimè reparabilia, sint iudicanda tanquam habita pro derelicto.*

Secundus est, An capta à priuatis, possint licite emi post diem seu certum tempus, vt nonnullæ leges admittunt.

Tertius est, An in huiusmodi casibus, in cæteris scienter tota resolutio sumenda sit ex intentione vtilitatis propriæ, vel Domini, &c.

Quartus est, An dictum cuiusdam doctoris dicentis sic probabiliter credo, quod totaliter emens paratus reddere vero Domino, si comparuerit, credens tamen quod non comparebit, & consequenter sperans pro se habiturum, non peccat, quia verisimiliter potest de veri Domini voluntate præsumere, sit in conscientia tutum & aliis diuulgandum. Quintus est, An emat rectè quis ex pietate calices, & huiusmodi sacra dedignatus, quod manent apud infideles, daturus propria autoritate ea occurrenti Ecclesiæ habito pretio, & an Dominus talium sit censendus omnino ignotus stante notitia regionis, puta Hungariæ.

PETRI Apostoli vestigiis inhærentes, parati sumus rationem reddere omni poscenti nos de ea, quæ in nobis est fide. Quibusdam proinde Christi fidelibus viris probis, piè trepidantibus circa quinque articulos in apostolicis literis contra Martinum Lutherum inter reprobatos contentos, opem luminis ferre volentes, aperire intendimus, quare reprobati meritò fuerint, subnectendo sigillatim dictos articulos cum dubitantiũ obiectionibus, prout ad nos delati sunt, & cuiusque rationem reddendo.

RESPONSIO I.

¶ Super quinque Martini Lutheri articulos. Primus Lutheri articulus, Vera pœnitentia est, non amplius peccare, & nouam prorsus ducere vitam.

PRIMVS Igitur articulus est. Verum est prouerbium, & omnium hominum doctrinis de contritione adhuc traditis præstantius, quòd summa pœnitentia est, non amplius peccare, & quòd optima pœnitentia est noua vita.

¶Obiicitur, in hoc articulo, omnes sancti Patres videtur consentire cum Luthero, & ideo nec error potest esse hic, nec hæresis.

¶RESPONDEMVS Hunc articulum meritò reprobatum tam secundum illius articuli sensum, quàm secundum quòd à Luthero prolatus est. Et quidem si ad proprium sensum verborum spectetur, falsus comprobatur, nam nec summa, nec optima pœnitentia est, qua non fit remissio peccatorum, promulgauit enim Saluator pœnitentiam Christianam esse remissionem peccatorum, Luc. vlti. Oportet, inquit, prædicari pœnitentiam in remissionem peccatorum. Hæc autem duo in articulo posita (videlicet, Non amplius peccare, & Noua vita) constat non sufficere ad pœnitentiam in remissionem peccatorum, quandoquidem exigitur præter hæc & dolor de præterito peccato (Petrus enim post peccatum commissum fleuit amarè) & recursus ad diuinam misericordiam cum publicano, Deus propitius esto mihi peccatori. Vnde Ecc. 21. dicitur, Fili peccasti, ne adiicias iterum, sed pro pristinis deprecare vt dimittantur tibi. Vbi & etiam Augustin. notauit, non sufficit dicere, Ne adiicias iterum, sed adiuncta est deprecatio pro pristinis remittendis. Non est igitur summa pœnitentia, non amplius peccare, nec est optima pœnitentia, noua vita, quæ dolorem pro peccatis & deprecationem pro pristinis in se non claudit. Et videtur quòd præcipitem daret pœnitentem hic articulus, nam secundum eundem summè & optimè pœniteret quarum, si ab quarirtæ actibus cessaret, & liberalem deinceps vitam ageret. Et similiter accideret intemperato, si à passionibus intemperatis cessaret, & deinceps continenter viueret, & sic de aliis, hoc enim significat non amplius peccare, & noua vita. Et si hæc summam, optimámque pœnitentiam constituunt, inanis fides nostra tam de necessario fletu peccatorum, quàm de recursu ad Deum pro remissione eorundem inuenitur. Meritò igitur secundum ipsius sensum articuli reprobatus est.

¶Si autem idè spectetur articulus vt à Luthero manauit, reprobatus quoque rationaliter inuenitur, nam huiusmodi prouerbiũ allatum cõprobatur à viro negante duas partes pœnitentiæ, scilicet cõtritionem & satisfactionem, & ad hoc per huiusmodi proceet cõtritionem & satisfactionem, & ad hoc per huiusmodi prouerbiũ tendit vt tam necessitatã contritionis, quæ præcipuè consistit in dolore pro peccatis, quã satisfactionis tollat, vt patet in libris suis & aliis eius articulis damnatis. Non cõsonat ergo dictus articulus sanctis Patribus tam secundum seipsum, quàm vt à Martino manauit, quamuis si in sanctis Patribus huiusmodi sententia inueniretur, piè esset interpretanda, & ad bonum sensum reducenda.

ARTICVLVS II.

¶ His proculdubio remitti peccata certum est qui sibi remissa esse credunt presbytero illis remittente.

SECVNDVS Articulus est, nemini remittuntur peccata, nisi credat sibi remissa esse, quando presbyter remittit.

¶Obiicitur, Hic articulus synceram videtur continere veritatem, vtpotè quæ stabiliméto fidei innitatur.

¶RESPONDEMVS Credere sibi esse remissa peccata absoluente sacerdote, contingit dupliciter, vel quantum est ex parte sacramẽti, vel quantum est ex parte ipsius, qui absoluitur. Credere primo modo necessarium est ad remissionem peccatorũ, nam hoc credere est actus fidei infusæ, sine qua impossibile est placere Deo. Credere autẽ secundo modo, non est necessarium ad remissionem peccatorum, quoniam potest pœnitẽs, qui absoluitur, piè dubitare de propria dispositione, an scilicet dignè suscipiat illud sacramentũ. Verebar, inquit Iob, omnia opera mea, & Isaiæ 14. dicitur, Vniuersæ iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ. Et cum hac pia dubitatione, stat quod dignè suscipiat sacramentum absolutionis, & consequatur remissionem peccatorum, quoniã huiusmodi pia dubitatio non cõtrariatur stabilimento fidei infusæ, sed firmitati fidei acquisitæ, ad quam cõstat, quòd spectat credere de seipso an sit, vel non sit sufficienter dispositus. Sequitur igitur articulum comprobari falsum ex hoc, quòd aliqui remittuntur peccata, qui non credit, sed piè dubitat ex parte propriæ dispositionis remissa sibi esse peccata absque præiudicio stabiliméti fidei Christianæ, quæ nõ est de hoc obiecto, scilicet mihi esse remissa peccata, sed de hoc, quod est, remissa esse peccata mihi dignè suscipiẽti sacramentum pœnitentiæ. Sicut nõ est fides Christiana, quod sub hac Hostia est corpus Christi, sed quòd sub hac Hostia cõcurrentibus vndique omnibus requisitis necessariò ad sacramentũ Eucharistiæ, est corpus Christi. Non cõtinet igitur hic articulus synceram veritatem, sed meritò reprobandus fuit, vtpotè falsus.

ARTICVLVS III.

¶ Vana est illorum fiducia, qui ad communionis sacramentum accedunt, putantes se sine peccato mortali accedere cum sint confessi, & cæteris externis actibus dispositi.

TERTIVS est, Error illorũ magnus est, qui vadunt ad communionis sacramenta sub hac confidentia, ꝙ sunt confessi, & quòd agnoscunt esse se sine peccato mortali ꝓpter preces & præparatoria præmissa, &c.

¶Obiicitur, Et hic articulus nititur firma fide, & ob id non videtur erroneus, nedum hæreticus.

¶RESPONDEMVS, Etsi ad sacramentum communionis accedere cum dicta fiducia tanquam iustificatrice magnus error est, contra apostolicam doctrinam dicentem, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, accedere tamen cum eadem confidentia tanquam præseruatrice à peccato indigne accessus ad sacramentum Eucharistiæ nullus est error, sed consilium apostolicũ. Docens siquidem idem Apostolus, quo pacto quis ad dictum sacramentũ non indignè accedat, nec ad iudicium sibi manducet & bibat, inquit, Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Vbi manifestat eũ qui ꝓbauit seipsum, securè ad sacramentum accedere, ita ꝙ non eit reus & corporis & sanguinis Domini, nec ad iudiciũ sibi manducat & bibit. Et quoniam populus Christianus frequenter vtranq; Apostoli doctrinã audit, & vt vnusquisq; potest de seipso testari, quilibet ante communionis sacramentũ probans seipsum contritione, confessione, oratione, &c. vtitur hac fiducia tanquam præseruatrice à peccato indigni accessus, & non tanquam iustificatrice, ideo articulus iste Lutheranus tanquam pernicios⁹ sanctæ fiduciæ Christianæ plebis, & scãdalosus, & inimicus apostolicæ doctrinæ reprobatus est, habetur

ARTICVLVS IIII.

¶ Indulgentiarum Thesaurus, non sunt merita Christi.

VARTVS Articulus est, Thesaurus Ecclesiæ vnde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi, &c.

¶Obiicitur, In hoc articulo nulla autoritate Lutherus potest conuinci, hoc tamen facere decretum est, & bullam confirmare.

¶RESPONDEMVS Prænotando non vno atque eodem modo, nec æqualiter conuinci autoritate posse Christianũ hominem de ecclesiasticis mysteriis, sed licet quædam plus, quædã minus explicata inueniãtur in sacra Scriptura, cõuinci tamen omnia autoritate affirmamus. Exempli gratia. Sacramentũ Baptismi autoritate conuincitur, quia tam materia, quàm forma eius in sacra explicatur Scriptura, sacramentũ verò confirmationis, quamuis nec materia, nec forma, nec institutio illius in sacra explicet Scriptura, conuincitur tamen ex autoritate, qua Apostoli imponebãt manus, & Ecclesia vtitur, & simile est in multis aliis. Proinde si in articulo de thesauro indulgẽtiarũ, Lutherum non posse conuinci autoritate dicitur, quia non ita explicite sicut Baptismus in sacra

Universidad de Deusto
Biblioteca

haberur Scriptura, verum dicitur, sed deliratur, quærendo æqualem certitudinem in omnibus Ecclesiæ mysteriis. Si autem piè quæritur autoritas, qua Lutherus potest de Thesauro indulgentiarum conuinci, non est difficile respondere, dicendo conuinci posse Lutherum autoritate sacræ quidem Scripturæ radicaliter, vniuersalis verò Ecclesiæ implicitè, Romanæ autem Ecclesiæ, & multorum sanctorum Doctorum explicitè. Ex sacra quidem Scriptura haberur thesaurus super effluentium passionum Christi & Sanctorum, quatenus satisfactoriæ sunt. Et quòd Christus quidem plus patiendo satisfecerit, quàm exigat satisfactio omnium illorum, quibus quandoque applicatur passio Christi, & secundum se liquidum est, & ex sententia Ioannis Euangelistę habetur, Ipse est, inquit, propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum, sed pro peccatis totius mundi. Constat enim ex eo, ꝙ passio Christi quo ad effectum non satisfacit pro peccatis totius mundi, ꝙ tota illa satisfactionum multitudo, quæ posset satisfacere pro his, qui pereunt superabundat. De passionibus verò Sanctorum ꝙ scilicet plus passi sunt multi eorum, quàm satisfacere pro propriis debuerint peccatis, testatur Beatus Iob dicens, Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret. Simile est autem iudiciũ de Iob & multis aliis Sanctis, præcipuè martyribus, qui tot superauerũt torméta, & Beatissima Virgine, quæ quũ pro nullo proprio satisfactura esset peccato, sustinuit tamen, iuxta Simeonis verbum, vt suam Christi gladius pertransiret animã, vnde plusquam martyr iure dicitur. Nec inueniri tantũ thesaurum istũ ex sacra habemus Scriptura, sed ex eadem quoque habemus thesaurũ istum ea intentione à Christo & Sanctis conditũ, vt Ecclesiæ vtilirati prodesset, testante hoc Apostolo ad Colossenses, quum ait, Adimpleo ea, quæ desunt passionũ Christi: in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia. Simile est autẽ iudiciũ de Paulo & aliis sanctis plus patientibus, quàm satisfacere debeant pro propriis peccatis. Nec huic tam sanctæ sententiæ obuiat alia eiusdẽ Apostoli sentẽtia, qua ait, Non sunt cõdignæ passiones huius tẽporis ad superuenturam gloriam. Nam passiones Sanctorum, quatenus meritoriæ sunt, & ad præmium respiciunt, sunt proculdubio non condignæ, & remunerantur à Deo supra condignum, & hoc explicatur quum dicitur, ꝙ non sunt condignæ ad gloriam superuenturam. Eædem tamen passiones Sanctorum quatenus satisfactoriæ sunt, hæpè superabundant, quotiescunque scilicet plus patiũtur pro Christo sancti, quàm sit pœna debita pro propriis peccatis actualibus. Ex hoc enim ipso, quòd ipsimet incapaces sunt huiusmodi superabũdantium satisfactionũ, vt satisfactoriæ sunt (quia carent peccato, pro quo satisfaciãt) relinquuntur superabundantes, ac per hoc, vt Apostolus promulgauit, pro corpore Christi, quod est Ecclesia, relinquuntur.

¶ Conuinci igitur potest Lutherus ex autoritate sacræ Scripturæ, & ꝙ in Ecclesia Dei est thesaurus meritorũ Christi & sanctorum, quatenus superabunduter satisfactoria fuerũt, & quod hic thesaurus est pro corpore Christi, quod est Ecclesia. Etsi his adiunxeris, ꝙ vniuersalis Ecclesia probat indulgentias, vt pia matris Ecclesiæ dona succedentia loco satisfactionis pœnitentialis, quæ est tertia pars sacramẽti pœnitentiæ, perspicuũ fiet, quòd indulgentiæ inueniuntur apud diuinam iustitiam satisfactrices pro pœna actualibus peccatis debita, quam exoluisset apud eandem diuinam iustitiam pœnitentialis satisfactio. Ex hac autem vniuersalis Ecclesiæ approbatione oportet alterum horum fateri, aut ꝙ indulgentiæ ex sola autoritate huiusmodi vim satisfactiuam habẽt, aut quòd ex dicto thesauro fiant. Et primum quidem horum, quoniam tanquam absurdũ non admittitur, restat vt ex dicto thesauro indulgentiæ vim satisfactiuam habeãt, quòd autoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum magistræ, expressum est pluries. Nec desunt autoritates Sanctorum, Thomæ, Bonaventuræ, &c. Intelligat ergo eruditus quisq;, falsum esse quòd nulla potest Lutherus autoritate conuinci de thesauro indulgentiarum.

ARTICVLVS V.

¶ Papam posse errare, hanc vel illam opinionem habendo, vel ipsum vel cum maiori parte Ecclesiæ, non est hæresis.

VINTVS Articulus est, Si Papa cum magna parte Ecclesiæ haberet hanc, vel illam opinionem, & erraret, tamen nec peccatum est, nec hæresis contra sentire (præsertim in re nihil pertinente ad animæ salutem) donec alterum per generale Concilium reprobetur vel approbetur.

¶ Obiicitur, Qui hunc damnarũt articulum, sentiunt Papam esse super Concilio generale, quòd nunquã vlla bona autoritate Scripturæ probari potest, vt aperte declarat Patriacha Antiochenus in libello de cõparatione Pont. maximi ad sacrosanctũ Cõcilium.

¶ RESPONDEMVS, Falsò creditum ab obiicientibus esse damnationem huius articuli procedere ex opinione superioritatis Papæ ad Concilio, nulla siquidem cura huius quæstionis habita, damnatio huius articuli procedit aliunde ex hoc scilicet, quòd summus Põtifex habet autoritatẽ determinãdi quæstiones fidei. Quam autoritatẽ in summo residere Pontifice sacri canones clamant, Hiero. ad Damasum testatur dicẽs, Quòd si hæc nostra cõfessio apostolatus tui iudicio cõprobatur, quicunque me culpare voluerit, se imperitum vel maleuolum, vel etiam nõ catholicum, non me hæreticum cõprobauit. Et Dominus aperuit dicẽs Petro, Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquãdo conuersus confirma fratres tuos. Articulus siquidẽ iste propter latens venenum inly, donec alterũ per generale Concilio, &c. reprobatus fuit, vtpotè dogmatizans, summi Pontificis diffinitiuã in quæstionibus fidei sententiã non ligare sed contra sentire nec peccatum, nec hæresim esse. hoc enim refertly, donec approbetur, vel reprobetur per Concilio generale. Et quoniã magistra rerum experientia testatur, multas hæreses damnatas à sede esse apostolica sine generali Concilio, iccirco articulus iste meritò reprobatus est.

¶ Hæc sunt pater beatissime, quæ inter tot aduersas corporis valetudines obedientiæ tuæ gratia ex prõpto animo sub apostolat' tui censura protuli. Tacitis obiicientibus, vt nemine accusato, cuiusq; in pectus liberũ habeat veritas aditum. Romæ die 6. Iunij, 1521.

RESPONSIO II.

SVPER QVÆDAM DICTA IN LAVdem S. Ioseph, ad reuerendissimum Dominum Nicolaum de Fiisco S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem.

¶ Quidam Magister in Theologia in cõmendationem sanctissimi Ioseph & in laudẽ eius, dixit dum sermonẽ haberet ad populũ Latino sermone, quæ sequũtur.

¶ Primo quòd Ioseph fuit magni meriti, & pater putatiuus Christi, qui Christum ipsum pulpauit, & eo familiariter vsus est.

¶ Secundo, quod Ioseph sanctus fuit verus vir Virginis Mariæ, iuxta illud, Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ.

¶ Tertiò, quod fuit verum matrimonium inter virginem gloriosam & sanctum Ioseph, quod non potuit esse nisi per mutuam corporis donationem, quæ donatio fuit inter Ioseph & Virginem.

¶ Quarto, quod istud matrimonium fuit priuilegiatum: quoniam in isto matrimonio Virgo non dedit vsum corporis, licet per contractum matrimonij dederit corpus, edocta à Spiritu sancto, vbi regulariter per contractum matrimonij datur corpus & vsus copulæ carnalis.

¶ Quinto, quòd Virgo Maria dando corpus suum Ioseph, dedit & sanguinem totius corporis, ex quo sanguine fuit completum corpus Christi.

¶ Sexto dixit, quod hæc propositio est vera, Ex sanguinibus Ioseph fuit formatum corpus Christi: quam propositionem ita exposuit, Ex sanguinibus propriis Virginis Mariæ, Ioseph sancto datis per contractum matrimonij, fuit formatum corpus Christi.

REVERENDISSIME Domine protector, vidi schedulam à dominatione vestra reuerendissima mihi transmissam, sex dictorum à quodam magistro in theologia in commendationem sancti Ioseph. Et respõdeo quòd in tertio, quarto, quinto, & sexto vnum est non perspicacissimè dictum, quia non plenè discussa est differẽtia inter copulam coniugalem & copulam carnalem. Si enim hęc nota fuisset, non dictum esset hic, quòd verum matrimonium esse non potuit sine mutua donatione corporis, nam per copulam coniugalem non donatur corpus coniungi, sed potestas vtendi corpore coniugis, iuxta illud Apostoli primæ ad Corinth. 7. Vir non habet potestatẽ sui corporis, &c. Vbi nota, ꝙ dicitur corporis sui nõ alterius, dicitur & potestas in alio. Non datur ergo corpus quo ad vsum per coniugalẽ copulam, sed potestas vtendi tãtum, sed per copulam carnalem datur corpus quo ad vsum. Et ex hoc fundamento patet, quòd minus perspicaciter in quarto dicitur, ꝙ regulariter per contractum matrimonij datur coniugi corpus, & vsus, & cætera. Constat enim falsum esse, quia non per cõtractum absolutè, sed adiuncta consummatione datur corpus & vsus, imò si puella contrahat verè matrimonium animo ingrediendi religionem, si Deus dederit sibi Spiritum bonum, verum contrahit matrimonium nec perdit ex hoc virginitatem mentalẽ: quia consentire in copulam coniugalem, non est consentire in copulam carnalem, nisi in potentia, quæ est conditio diminuens, vt patet. Et propterea Beata Virgo non perdidit virginitatem mentalem ex consensu in copulam coniugalem, nec exposuit se periculo perdendi propter priuilegium diuinæ reuelationis, sicut modo propter statutum Ecclesiæ concedentis duos menses sponsis ad consummandum matrimonium: vel ingrediendum religionem, contrahentes matrimonium nisi intendant cõsummare, nec se exponunt periculo perdendi virginitatem, nec perdunt virginitatem mentalẽ. Ex eodẽ fundamento patet minus perspicaciter in quinto dicto dictũ esse, quòd sanguis Beatæ Virginis datus est Ioseph, & absurdè dictum in sexto, quòd corpus Christi fuit formatum ex sanguinibus Ioseph, quoniam sanguis Beatę Virginis non fuit datus Ioseph, ac per hoc non fuit Ioseph etiam vt datus, vt patet ex dictis. Quamuis habeat & aliam dissonantiam ex hoc, quòd sanguis non dicitur alicuius simpliciter, nisi sit ipsius vt pars, quæ scilicet est, aut fuit pars eius (eo modo, quo sanguis dicitur pars animalis) & nõ ex eo qđ est alicuius possessiuè, vt ager, aut seruus, aut quia potest vti eo, sicut equus conductus. Videtur ergo mihi, quod vltimum dictum sit simpliciter falsum: reliqua verò quo ad supra dicta minus perspicacia, & breuiter quòd sententiam teneat, linguam cohibeat, qui hæc dixit. Nihil tamen contra aut præter fidem hic apparet.

RESPONSIO III.

Quantum valeat matrimonium contractum à iuuene post religionis ingressum & egressum.

MAGNIFICE Domine salutem, & commendationem. Ad casum mihi propositum, An scilicet matrimonium contractum à iuuene, postquàm religionẽ post discretionis annos ingressus est, animo mutandi omnino vitam, & intra nouitiatus tamen annum egressus est ad secularem vitam & habitum, sit validum. Breuiter respondeo, quòd absque dubio matrimonium illud est validum, quia vt expresè dicitur in 6. de voto, cap. 1. solum votum, vel sacri ordinis, vel professionis tacitæ vel expressæ, dirimit post contractum matrimonium. Constat autem ex capitulo non solùm. de regularibus, libro sexto, quòd iste casus distinguitur contra casum professionis tacitæ, vel expressæ per notam disiunctionis Vel, ergo iste casus non habet vim professionis tacitæ vel expressæ, quo ad matrimonium dirimendum. Textus autem in oppositum soluuntur facilè ad literam, quia capitulum non loquitur, & in fauorem animæ nouitij, & propter ius religionis nolum, fuit prohibere fratres ab impeditione istius, ne redeat ad seculum: cùm etiam si votum simplex in seculo de ingressu religionis fecisset, religio contra ipsum agere posset. Capitulum verò beneficium. ibidem (quod tantum ponderatis) non obstat: quia renuntiatio beneficij, quam iste nouitius ex facto suo præsumitur facere dum manifestat omnino vitam velle mutare, tunc sufficit ad hoc vt beneficium possit alteri conferri: quæ tamen non sufficit ad professionem tacitam, vel expressam. ista ergo duo non pariscantur, nec æquiparantur in textu. Sed nec quo ad vacationem beneficij hi casus æquiparantur: quia in professione tacita, vel expressa, est vera renuntiatio: hic autem est præsumpta, quare, &c. Bene vale Caietanæ, die 22. Octob. 1505.

RESPONSIO IIII.

De iure petendi debitum matrimonij ab adultero. Ad R. Patrem Fratrem Cherubinum de Florentia diuini verbi concionatorem.

QVÆSTIO Proposita est, an adulter ipso facto sit priuatus iure exigendi debitum à coniuge innocente.

Et est ratio dubij diuersa, vt videtur, sententia doctorum.

IN Hac dubitatione præaduertenda sunt tria. Primum est, quòd non est ambiguitas aliqua nisi in foro conscientiæ: nam in foro iudiciali constat non statim esse priuatum adulterãtem coniugem. Secundum est, quòd etiam in foro conscientiæ tam quando adulterium vnius publicum est, quàm quando occultum est, notum tamen est certitudinaliter innocenti, absolutus est, si vult innocens, à vinculo reddendi debitum: ac per hoc adulter non potest exigere actum matrimonij, quamuis possit petere illum. Exigere siquidem importat coactionem, & est in proposito petere actum matrimonij vt debitum, petere autem nudam petitionem actus significat: petimus enim etiam quæ gratiosè concedenda putamus. Tertium est, quòd tota hęc difficultas consistit, quando adulterium commissum latet innocentem coniugem. Et est ratio pro parte affirmatiua: quia statim quòd alter coniugum in adulterium declinat, reliquus innocens secundum rem est absolutus à debito reddendo, & solum deficit sibi notitia facti perpetrati, scilicet adulterij. Si nanque sciret factum, constat quòd esset absolutus: notitia enim non absoluit, sed factum ipsum ex notitia sua, disponente sic iure naturali & diuino. Naturali quidem propter violatam fidem: diuino autem propter autoritatem Domini, Matth. 5. vbi excipitur fornicationis causa in præcepto de non dimittendo vxorem. Pro parte verò negatiua est communis (vt videtur) animi conceptio, scilicet quòd adulter occultus post pœnitentiam potest exigere debitum ab innocente, ex hoc nanque arguitur, quòd non statim innocens coniux fuerat absolutus à debito, ac per hoc nec adulter priuatus iure exigendi. Manifestatur autem hoc sic: Post pœnitentiam occulti adulterij, innocens in eodem statu est, in quo erat ante pœnitentiam adulterij: quoniam pœnitentia alterius non fecit ipsum de absoluto ligatum. Si ergo post pœnitentiam alterius tenetur secundum rem reddere debitum, etiam ante tenebatur secundum rem: & sic ante pœnitentiam non tenebatur secundum rem, sequitur quòd etiam post pœnitentiam illius, non tenetur secundum rem.

HIS Præmissis narrandum est primò, quid appareat veritatis pro altera parte, deinde inuestiganda est causa. Quum coniugium ergo societas quædam sit, ex aliis natura vel voluntate contractis fœderibus, sumere possumus negatiuam partem esse, scilicet, quòd non sit statim priuatus, sed priuandus iure exigendi. Inter patrem siquidem, & filium naturale ius est, sic vt si filius patrem etiam occultè offendat, non teneatur pater hæredem illum habere: similiter inter patrem & filium adoptiuum simile ius est; inter socios quoque negotiatores violata ab altero fide reliquus non tenetur. In his tamen omnibus, & similibus apparet, quòd licet cuilibet, qui fidem violauit, vti iuribus societatis illius: filius siquidem tam naturali, quàm adoptiuo iure post crimen in patrem grauissimum latens, Patris potest etiam in foro conscientiæ hæreditatem adire, & similiter connegotiator, modo damnum non intulerit: quia obligaretur ad restitutionem. Quo sit vt adulter occultus, quamuis violati fœderis reus sit, non prohibeatur à matrimonij iure: sed prohibendus: sicut in supradictis similibus priuandus est violator fidei iure illo.

¶ Et quoniam hæc ita esse mihi videntur, ratio reddenda est. Occurrit autem mihi vna communis horum ratio, & est quòd pœnæ illæ, quæ in potestate patris, vel iudicis sunt ita constitutæ, quod iudice vel parte sciente & eodem modo se habente, vt prius aliquis non punitur, non incurruntur ipso facto: constat autem tales esse pœnas priuationum iurium, de quibus est sermo: ergo. Maiorem propositionem differentia pœnarum clarificat: pœnæ nãque ecclesiasticarum cẽsurarum non sunt ita in potestate iudicis, aut patris, vt iudicis, vel patris, vt prius perseuerantia excuset contra facientem ab incursu censuræ, pœnæ autem aliæ, siue conuentionales, siue à iure: nisi parte, aut iudex sciens velit non ligant. Minor autem clara est, quia si innocens coniux sciat adulterium alterius, & pater offensam filij, &c. eodem modo se habeat cum eis, vt prius non sunt priuati. Consonat autem hæc ratio specialitati pœnæ consequentis incestum cum consanguineis coniugis: ad huiusmodi enim inceitũ comitatur ipso facto priuatio iuris exigendi: nec est in potestate patris non imputare crimen hoc ad hãc pœnam, nec etiam in potestate iudicis, quamuis possit dispẽsare. Ad adulterium autem simplex priuatio consequens est in potestate patris, scilicet offensi coniugis, vt patet. Differentia igitur inter vtrũque adulterum est: quòd ille sic incestuosus est priuatus ipso facto, iste autem adulter est non priuatus, sed priuadus: alioquin nihil speciale de adulterio sic incestuoso diceretur. Et hæc posttio non dissonat fortè ab aliquo doctorum: nam illi qui videntur pro parte affirmatiua, ad hoc tendunt, vt, scilicet adulter priuandus sit ab altero innocente in foro conscientiæ, quum dicunt, dignus est vt non seruetur fides ei, vel aliquid huiusmodi, alij autem pro parte negatiua volunt, quòd non ipso facto sit priuatus & vtrunque est verum.

¶ Ad rationem autem pro parte affirmatiua, negatur quòd secundum rem innocens ipso facto sit absolutus: est enim ipso facto habens ius, quo seipsum posset absoluere in foro conscientiæ, si sibi constaret de facto. Romæ, die 20. Decembris, 1513.

RESPONSIO V.

Ad eundem.

De Nominandis Complicibus à Reo in aliquo iudicio & de eorum sententia.

LITERIS Tuis frater charissime perlectis, in quibus quædam dubia soluenda mihi proposuisti, respondere distuli aliquot diebus, occupatus in aliis: verum ne omnino charitati tuæ deessem, in hodiernum diem censui eximendum ab aliis.

AD Primum itaque dubium, an iuridicè inquisitus de aliquo crimine, teneatur & debeat nominare complices, si non sunt infamati, & ante correptionem fraternam: & similiter ad secundum, an si ipse tales nominauerit, possit iudex contra tales procedere ad inquisitionem: & eorum rationem (quia consuetudo secularium iudicum habet, quòd tormentis complices requirunt, & quòd contra nominatos procedunt: in oppositum tamen est ordo fraternæ correptionis) & occultum cõplicis peccatum. Responderi vnico verbo potest, quòd hæ quæstiones decisæ videtur extra de confessis, cap. cum monasterium. Vbi dicitur, quòd secundum vtriusque iuris statuta de se confessis, super aliorum conscientiis interrogari non debent, crimine læsæ maiestatis excepto: & quòd si contingat aliquos nominari, tales nominati nulli sunt pœnæ subdendi, si tamen infamia huiusmodi nominati laborant, inducenda est purgatio tribus sui ordinis adiunctis sociis. Quia tamen multæ sunt exceptiones ab ista regula, & multi multa dicũt: vt diffuse habes à Panor. super dicto capitulo, videtur mihi in primo dubio, quòd triplici distinctione vtendum sit in proposito, prima est, si nomen complicis est, vel non est circunstantia actus

Universidad de Deusto
Biblioteca

proprij illius, qui inquiritur. Secunda, si crimen de quo inquiritur, pendet in perniciem publici boni, seu aliorum. Tertia est, si iudex ex solius illius causæ ritu, & meritis procedit, aut ex zelo proprij officij. Nam si nomen complicis esset circunstantia proprij actus, quam quilibet iudex cognoscens de aliquo actu habeat ex meritis illius causæ etiam iudicare de illius circunstantiis, tunc iudex potest inquirere, & tenetur inquisitus confiteri complicem, sicut quando in foro pœnitentiali pœnitens non potest aliter exprimere peccatum suum nisi nominãdo complicem, debet reuelare complicem, puta cum quis cognouit propriam matrem. Constat autem inter circunstantias annumerari, quibus auxilijs aliquis fecit. Difficile tamen apparet accidere casum, in quo nomen complicis sit circunstantia proprij actus in foro iudiciali, nisi per accidens: puta quia probabiliter aliunde iudex dubitet, quòd reus fateatur id quod non commisit, vt euadat fortè tormenta, quoniam tunc ex nominatis complicibus cognoscere potest, an verum dicat: sicut ex aliis circunstantiis, puta loci, vel temporis. Sed hoc ex parte iudicis licitum videtur: sed ex parte rei, qui scit se verum dicere, non debet infamia alterius occulti testari culpam suã, ex quo complicis nomen non est actus sui circunstantia, quantum est ex parte ipsius actus perpetrati. Similiter si crimen pendet adhuc in perniciem Reipub. Ecclesiæ, aut aliorum priuatorum: puta, quia sunt multi corruptores fidei, aut conspiratores, aut latrones, aut subuersores aliorum, debet iudex ex officio inquirere, & reus huiusmodi perseuerantes in malo pernitioso omnino occultos (de his sermo est) debet reuelare, nisi forte probabiliter crederet correptione fraterna eos amplius non peccaturos, quòd non facilè credendum est de religiosis, præsertim huiusmodi sceleribus irretitis: sed dubitandum potius videtur, quòd fingent se emendare. Et propterea tutius in huiusmodi casibus prælato potenti per se vel alium, & volenti saluare, non perdere oues suas, & curam famæ proximorum solito habere, vt pastorem decet, complices siue non complices tales reo notos reuelare. Si autem crimen in detrimentum aliorum non pendet, non tenetur reus occultos alios reuelare, sed ordinem fraternæ correctionis præponere. Illud præ oculis est semper habendum, quòd quemadmodum in communi præcepto inquisitionis, si quis scit, &c. subintelligitur seruato iuris ordine: ita cum quis inquiritur in genere de complicibus, subintelligitur secundum iura reuelandis, quia non potest plus prælatus, seu iudex præcipere. Et propterea non peccant prælati, seu iudices de complicibus inquirendo, si intentio infrà iuris limites consistit. Et similiter non peccant inquisiti si omnino occultos tacent, aut dicunt se non habere complices aliquos, habendo occultos tantum: quia responsionum verba intelligenda iuxta sensum interrogationum sunt: intentio tamen oportet, quod sit infrà iuris limites.

IN Secundo autem dubio, si aliunde omnino occulti sunt, qui nominati sunt, non est procedendum contra eos: quoniam talis reuelatio non sufficit ad accusandum, nec ad denuntiandum, nec ad infamandum, seu clamorosè insimulandum: propterea omnis via procedendi, quæ in tribus dictis inchoat, aufertur.

¶ Ad id verò, quod de consuetudine opponis seruari: quia consuetudines patriarum consistunt in facto, ipsi viderint si ita est. Non tamen credo ita esse, nisi in quibusdam criminibus exceptis: & hoc propter sequaces Bartoli: & quòd nihilominus aliqua interueniant indicia contra sic nominatos.

AD Tertium autem dubium vtrum iudex sciens defectum alicuius à tribus vel quatuor non per modum iudicij, possit ipsum cogere ad dicendum veritatem, respondeo quòd quæstio hęc decisa est extrà de accus. cap. inquisitionis. Vbi expresè dicitur, quòd si non extat infamia, vel clamorosa insinuatio, non debet fieri inquisitio, etiam si duo vel tres iurati dicant se vidisse delinquentem, aut alicui libellum secreto tradant. Vnde patet quòd non potest prælatus cogere talem ad dicendum veritatem.

AD quartum dubium, vtrum infamatus de aliquo possit de omnibus inquiri: vt tenet Petrus de Palud. in quarto sentent. respondeo quòd non potest inquiri de illis de quibus non laborat aliqua infamia: iuxta dictam decretalem dicentem, Super illis solummodo fieri inquisitio debet, de quibus clamores aliqui præcesserunt. Dictum autem Petri de Palud. (cum bona reuerentia dictum sit) tantum valet, quantum sua ratio, scilicet quia iudicare de occultis non propter peccatum, sed propter peccatorem prohibetur. Hæc enim ratio falsum assumit quia occulta ex ipsa ratione, qua occulta sunt, ab humano iudicio exempta sunt: & proportionaliter occulta in tali iudicio, seu processu ab illo exempta sunt suapte natura.

¶ Hæc sunt pater venerande, quæ mihi occurrerunt scribenda ad tua dubia: non plus autoritatis habitura sunt nec cætera mea, quam ratio eorum mereatur. Bene vale, & Deum pro me ora, Romæ, die 5. Nouembris, 1518.

TRACT. XXXI.

RESPONSIO VI.

De Negando religionis ingressu, & professione Iudæis aliàs idoneis adhæc.
Ad R. Patrem F. Matthæum de pace sacræ Theologiæ Salmaticensem Regentem.

REVERENDE Pater salue: Humillimis paternitatis vestræ literis perlectis, quibus petit an illis, qui ex Iudæis originem ducunt, si in nullo culpabiles inuenti: nec aliter suspecti nisi ratione origimis sint, possit negari ingressus religionis: & si fuerint nouitij, negari possit professio absque peccato mortali, an sit hoc contra præceptum charitatis. Respondere, vt par est, volens paucis me absoluam: eò quòd cum sapiente sit sermo. Actus recipiendi ad religionis statum, vt à prælatis ipsarum religionum egreditur, & terminatur ad aliquem indeterminatæ, licet habeat rationem debiti (quoniam religiones institutæ sunt non solum propter præsentes, sed etiam futuros) vt tamen terminatur ad hanc vel illam conditionem personarum, vel hanc aut illam personam: caret debiti ratione, nisi necessitas aliqua debiti rationem inducat. Et de persona quidem determinata, patet ex hoc, quòd charitas non artat ad diligendum seu benefaciendum alicui particulari non alias coniuncto, nisi in articulo necessitatis, vt testantur præcepta charitatis tam in corporalibus de eleemosyna, quàm in spiritualibus de correptione fraterna. Vnde & diuus Thom. in quoliberis dicit, quòd habens de superfluo, non tenetur obuiantipauperi, ac petenti eleemosynam dare: quia licet teneatur superfluum elargiri, non tamen dare huic. Et in Secunda Secundæ de correctione fraterna dicit, quòd cadit sub præcepto, secundum quòd est necessaria ad fratris emendationem. Constat autem quemlibet idoneum ad religionis statum communiter inuenire alibi gratiam, si ab vna religione refutatur. De conditione verò personarum patet ex hoc, quòd religionis prælati statuto possunt cauere, vt genus aliquod hominum fine eorum culpa ad religionem non admittantur: vt testatur statutum de non recipiendis illegitimè natis. Nec multum refert inter recipere huiusmodi ad habitum, & receptos ignoranter reiicere ante professionem, quoniam non minus libera est religio intra annum probationis: quàm nouitius: quum annus probationis in fauorem vtriusque datus sit, nec vlla pollicitatio implicitè fiat magis hinc: quam inde. Constat autem ex sacris canonibus, vt patet extrà de regul. cap. statuimus. nouitium posse liberè intra annum probationis redire ad priorem statum: igitur religio potest nouitium liberè à se excludere. Et confirmatur, quia quemadmodum nouitius si perfectis nouiter censuris in iure latis contra religiosos, & inhabilitatibus mendicantium, quas tamen in seculo præsens potuisset, relicta religione potest ad priorem statum redire: ita religio cognita origine nouitij prius indiscussa potest illum refutare. Quum igitur natio eorum, qui ex Iudæorum genere sunt, conditionem habeat quibusdam minus gratam propter tot eiusmodi publicam apostasiam, in Hispania si religionis alicuius prælati statuto, vel opere eos recusent recipere ad habitum, vel ignorantes receptos nolint ad professionem admittere, nullum ex hoc mortale peccatum ex suo genere incurrunt.

¶ Et quamuis ita esse mihi videatur: irrationabile tamen mihi videtur, perpetuum statutum aut opus huiusmodi refutationis respectu illorum, qui nulla alia suspicionis nota sunt affecti, nisi quòd originem ex Iudæis traxerunt. Tum quia salus nostra ex Iudæis est, ex quibus natus est Christus secundum carnem, & Apostoli & plurimi patres fidei: & ingrati inuenimur, sui generis filios repellendo. Tum quia occasio daretur Iudæis, vt ad fidem non conuertantur, dum intelligunt conuersorum filios in generatione & generationum repulsos à religione. Tum quia religionis status est talis, vbi ipsi potius si in aliquo dubitant solidari in fide, quàm alios inficere possunt. Hæc sunt Pater reuerende, quæ mihi occurrunt respondenda, in die sancti Matthæi Apostoli, Senis. 1514.

RESPONSIO VII.

De Vinculo perseuerandi in religione, cum quis hoc proposuerit.

CHARISSIME Fili, quæstioni tuæ ob occurrentis de facto casus necessitatem interpositis aliis respondendum duxi. In casu ergo proposito, cum scilicet N. ingressus est religionem quandam mendicatium, in quodam illius conuentu regularis vitæ, cũ animo deliberato perseuerandi vsque ad mortem in illa particulari religione, & in illo particulari cõuentu in seruitium beatæ Virginis, cui Ecclesia illa dicata est: & postquàm multos mẽses ibidem egit, ob quorũdam scelera ibidem impunita, ad seculum intra annum probationes rediit. Scito ex duobus capitibus procedi posse: primo, ex assumpto habitu cum deliberatione perseuerandi vsque ad mortem: secundò, ex intentione particulari ad hunc conuentum, frustrata ob inopinatum successum malæ vitæ inuentæ in conuentu illo. Et vt à primo incipiamus, quæstio ista petita fuit ab Innocentio III. vt patet extrà de regul. & transl. ad relig. in c. consult. & ab ipso distincta, & postmodum à Gregor. 9. in cap. statuimus, magis explicata.

Est autem eorum sententia, quòd suscipiens religionis habitum volens absolutè vitam mutare, ad religionem tenetur. Quod potest benè & malè intelligi. Si enim per voluntatem absolutè mutandi vitam intelligatur deliberatum propositum perseuerandi vsque ad mortem, & nihil aliud, malè intelligitur: si autem per voluntatem absolutè mutandi vitam, intelligatur deliberatum propositum perseuerandi vsque ad mortem cum promissione implicita huiusmodi perseuerantiæ benè intelligitur. Quod patet dupliciter. Primò ex eò, quòd votum requirit tria: propositum, deliberationem, & submissionem: ita quòd absque promissione nullum est votum. Secundò ex eo, quòd ratio quare talis volens absolutè mutare vitam, tenetur etiam ad religionem, expresse assignatur in dicto capitulo: quia ipse renuntiat anno probationis in fauorem suum, sic suscipiendo habitum. Ex hoc enim habetur, quòd voluntas illa est voluntas renuntiantis probationi, & facientis hodie quod post probationem erat actursus, quod nihil aliud est quam promittere perseuerantiam vsque ad mortem, quod est vouere religionem. Et si hanc distinctionem vis plenius intelligere, finge in religione duos modos distinctos sensibiliter & notorie omnibus esse regulariter institutos ad ingressum religionis: alterum cum anno probationis, & alterum sine vlla probatione: & finge rursus duos iuuenes ambos cum proposito deliberato perseuerandi vsque ad mortem, ingredi religionem illam, sed alterum per illum modum, cui adiungitur annus probationis, & alterum per reliquum modum, cui nulla adiungitur probatio. Et discernes voluntatem vnius à voluntate alterius in hoc, quòd iste secundus cum deliberatione promissionem imò exhibitionem sui habuit, ille non: & videbis, quòd de primo non verificatur, quòd vult absolutè mutare vitam, sed de secundo tantùm. Suscipere igitur habitum nouitiorum (siue sola benedictione distinguatur ab habitu professorum, siue aliter) cum deliberato proposito perseuerandi vsque ad mortẽ, ita etiam quod vellet hodie esse finem anni, vt posset tunc profiteri, non obligat hominem ad religionem in particulari, aut in communi: sed liberum relinquit, vt redeat ad seculum. Dixi autem nouitiorum propter suscipientem voluntarie habitum professorum, sciendo quid hoc importat: talis enim facto exhibet seipsum religiosum professum: & quia voluntas conformis est facto suo voluntario, in voluntate non solum est deliberatio, sed promissio ac exhibitio cum renuntiatione probationis. Nihil tamen seruili in re hac accidit, si nouitius continuè gestet habitum veterem benedictum pro altero, etiam si libentius deuotionis causa: quia benedictus creditur, gestetur: quoniam habitus professorum vbi sola benedictio distinguit, penes benedictionem quæ fit proprie professionis tempore, attenditur: vt eo dicto cap. statuimus, sumitur.

ET Licet hæc ad propositi casus claritatem sufficiant: vt tamen desiderio tuo, an etiam si intercessisset promissio, teneretur: respondebo iuxta secundum caput, Scito quòd si simplicis voti promissio comes fuisset, duo consideranda essent. Primò ex parte intentionis, distinguendo inter intentum & attractiuum: quia stat quòd attractiuum alicuius ad particularem religionem & Ecclesiam, sit deuotio ad aliquam figuram beatæ Virginis conuersatio cum quibusdam religiosis, grata amœnitas loci, & huiusmodi, intentum autem non sit ad hoc limitatum: quum scilicet intendit esse sicut sunt illi religiosi, qui possunt ad arbitrium prælati secundum regularia statuta inde mitti ad alios conuentus: hoc enim testatur intentionem non esse limitatam ad hunc conuentum solùm. Et si intentio alicuius fuisset limitata ad vnum solum conuentum, euentus ille inuentorum scelerum considerandus est, an sint crimina communia, an paucorum, an cum spe prouisionis, an sine spe prouisionis. Si enim impunè scelera communiter licet committere, nec spes humano more sit superuenturæ prouisionis, non obligatur iste ad obseruandam voti sui legem, quam constat in tali euentu non esse inuentam. Votum enim religionis quasi ad tutum portum tendens non debet esse vinculum detentiuum hominis in tali perenni periculo: scriptum est enim, Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris, &c.

¶ Hæc sunt fili charissime, quæ mihi videntur ad quæstionis tuæ solutionem dicenda: tuum erit applicare ad particulare factum, & meliori, vbi opus est, iudicio vtendo, de N. casu iudicare. Bene vale, & Deum pro me ora, Romæ die 12. Nouembris, 1512.

RESPONSIO VIII.

De modo exoluendi & dicendi horas Canonicas in choro.
Ad eundem.

QVÆSTIONI Tuæ frater charissime, an is qui in choro sic diuinum officium persoluit, quòd sui chori versus submissè sibi ipsi soli dicit, alterius verò chori versus audit tantummodo, satisfaciat præcepto Ecclesiæ de persoluendis canonicis horis, respondeo eo pacto proposui, vt quia diuersi diuersa dicere videntur, vtriusque partis rationes pensentur, & sic veritas eluceſcat.

¶ Opinio igitur dicentium, quòd in casu proposito satisfit Ecclesiæ, fundatur super hoc, quòd nullus in choro, vel comitatus soluens diuinum officium tenetur dicere totum: sed sufficit medietatem dicere & medietatem audire, secundum alternationem versuum hinc, & inde: vt consuetudo Ecclesiæ testatur: sic autem fit in proposito, quia iste vnius partis versus dicit, & alterius audit: ergo satisfacit. Sed contra istam rationem militat: quia vtitur eo, quòd est per accidens loco eius, quod est per se.

AD CVIVS Euidentiam claram scito, quòd præceptum Ecclesiæ est, vt quilibet dicat totum officium, vt patet extrà de celebratione missarum, cap. presbyter. Sed quoniam aliquem dicere totum officium contingit dupliciter, scilicet communicando cum alio in officio, & sine communione cum altero: ideo duobus modis satisfit diuino officio: scilicet persoluendo sine alterius communione, & tunc, quia cum alio non communicat, totum solus dicit, & communicando cum altero: & tunc alternando, totum quilibet communicans dicere censetur, dum quilibet communicans in persona communicantis secum dicit id quod dicit. Vnde in hoc modo dicendi officium, scilicet alternatim, aliquid concurrit per se, scilicet communio dicentium, quo fit, vt quodlibet ab altero dictum sit commune alteri: & aliquid per accidens, scilicet, quod iste partem dicat, & partem audiat. Constat autem, quòd quum aliquis sic partem suam dicit, non vt communem, sed vt propriam, non communicat in ea cum altero: talis autem est dicens partem sui chori sic submissè, quòd sibi soli dicit. Non communicat igitur iste in proposito casu cum altera parte chori: ac per hoc non satisfacit. Et confirmatur: quia etiam in choro dicere partem suam non qualitercunque, sed vt communem, est pars chori. Dato ergo, quòd Ecclesia non præcepisset dicentibus officium cum aliquo, nisi dicere partem suam, adhuc sequitur, quòd iste non satisfacit in proposito: quia non dicit id officij, quod dicit, vt partem ex quo, id quòd dicit vt partem communis officij sibi & alij, sed vt propriam sibi: quia non communicatur alij per audibilitatem. Et confirmatur: quia si sufficit medium dicere & medium audire, possem medium matutinale officium solus in camera dicere, & deinde audire alium legentem reliquum: quod est ridiculum. Concludendum ergo mihi videtur absque ambiguitate, quod in casu proposito iste non satisfacit officio. Et hæc intelligenda sunt de toto officio: nam in aliquo particulari versu deficere, non est contra præceptum, Romæ die 3. Nouembris, 1514.

RESPONSIO IX.

De vsura, & in veniali pertinacia, & publico delicto.

RECEPTIS Literis vestris reuerende pater, inueni tria in illis dubia à me requisita. Primum est, an vsura soluta ab accipiente sine necessitate pecunias mutuò, sit restituenda illi, qui soluit. Et est ratio dubij, quia videtur hic iniustitia esse etiam ex parte dantis. Secundum est, an pertinaci etiam vsque ad mortem in aliquo veniali, non ex contemptu, sed quia est veniale, sit denegãda absolutio de cæteris peccatis. Tertium est, quomodo intelligatur delictum publicum, vt sine peccato possit reuelari, an quia potest probari, an quia fuit de eo conuictus coram iudice, an quouis alio modo.

AD Quæ prout paternitas vestra exposcit, breuiter respondendo, dicitur, quòd vsura sic soluta proculdubio restituenda est ei, qui soluit: quoniam ex parte dantis non est iniustitia secundum ipsam dationem, sed secundum causam tantùm, puta si produm ipsam dationem, sed secundum causam tantùm, puta si propter pompas faciendas accepit mutuum sub vsuris, datio enim ipsa secundum se non habet vnde sit illicita. Liquidum quoque est, quòd pertinaci proposito, cùm venialium ordinem non transcédat, nec venialia remissionem mortalium impediant, nec vnum veniale connexionem cum aliis venialibus habeat, impendenda est absolutio cæterorum peccatorum.

¶ Ad id verò, q. tertiò quæritur, dicitur q. per se publicum (quod per accidens verò infinitis modis inueniri potest) est, quod ex se habet, vnde in communem notitiam perueniat. Vnde non censendum est publicum aliquid ex hoc, q. probari potest, cùm hoc non adhuc habeat, vnde ex se in communem notitiam veniat, quauis hoc habere possit: sed bene constituitur in esse publico ex hoc, q. confessus est iudicialiter, nisi per accidens à iudice inhibeatur

executio publicationis. Contingit enim non solum prædicto, sed multis modis humana delicta deuenire ad prædictam publicationem, vt puta si delinquatur in communi hominum præsentia, loco, scriptura, & aljis huiusmodi: quibus contingentibus sine detractionis vitio possunt delicta hæc tanquam publica dici.

¶ Hæc sunt doctissimè pater, quæ pro responsione occurrunt: quæ tu ipse optimè inuenire potuisses, si voluisses. Bene vale, & ora Deum pro me. Florentiæ in S. Marco, 16. Octob. 1509.

RESPONSIO X.

De annua pensionis venditione ex beneficio ecclesiastico debito.

AMANTISSIME Frater, quæstioni tuæ an possis annuam pensionem tibi ex quodam beneficio ecclesiastico debitam absque Simoniæ vitio pro certa summa pecuniæ semel persoluenda vendere, respõdendo dico nullam interuenire in hoc contractu Simoniæ labem: quia annuæ pensionis ius purè temporale est, nihil spiritualitatis habens. Quod ex duobus patet, eo q̃ solos fructus beneficij ecclesiastici respicit: nam annua pensio nõ est beneficium ecclesiasticum, proprièque loquendo: sed beneficium ex quo tibi annua debetur pensio, illius est qui tibi debet annuam pensionem de fructibus: propter q̃ solus ipse beneficium hoc habens, tenetur ad diuinum officium horarum canonicarum: tu enim ex pensione hac non teneris ad diuinum officium, vtpotè non propterea habens aliquod ecclesiasticum beneficium. Ex eo q̃ potest etiam laicis concedi: sicut & conceduntur eis decimæ Ecclesiis debitæ. Vt enim D. Thom. in Secunda Secundæ q. 100. artic. 4. ad tertium dicit, cum concedit Papa decimas Ecclesiarum laicis, non intelligitur concedere ius spirituale decimarum, sed temporalem actionem circa fructus decimarum. Et similiter est dicendum in proposito, q̃ concessio annuæ pensionis non est nisi purè temporalis rei donatio, ac per hoc potest licitè pro certa summa pecuniæ beneficium ab onere pensionis liberari. Nec obstat, q̃ in bullis pensionis apposituũ est, q̃ si non annuam soluerit pẽsionem beneficium sit tuum ipso facto: quoniam hæc & similia non ad ipsius pensionis naturam, sed ad pœnam non soluentis spectant: iudiciũ autem de cõtractibus non secũdum adiunctas accidentes pœnas, sed secũdum eorũ naturas artẽditur. Et hæc accipe cessante fraude, quã scio in te nõ habere locum. Nam si quis in fraudem Simoniæ, vnico contextu renuntiat beneficio, reseruat sibi pensionem & extinguit pẽsionem pro tanta summa, non solùm apud Deum (qui venditionem beneficij palliatam inspicit in corde) sed etiam in foro humani iuris ab æquo iudice damnaretur: sicut in similibus damnantur cõtractus in fraudem vsurarum. Bene vale, Romæ die 16. Februarij, 1518.

RESPONSIO XI.

De recipientium & solventium pro locatis pecuniis quinque pro centum saluo capitali ad magistrum Conradum Koelim.

SOLICITVDINI Tuæ pater reuerende deesse nequaquam possum, cùm ex fonte pietatis illam procedere video. Quæstionis igitur in qua meum poscis iudicium, propterea quòd nuper in partibus Germaniæ est exorta causa, de verbo ad verbũ est ille: Vtrum Petrus cõsignans centum florenos apud Paulum mercatorem, vt ei pro parte lucri capitali saluo assignet per annum quinque florenos, residuo lucri sibi reseruato, licitò contrahat, & ad restitutionem illorum in foro animæ non teneatur.

¶ Et est ratio dubij: quia iste contractus, vt proponitur: est manifestè illicitus, sed vt exponitur, dicitur licitus. Exponitur autem, q̃ contractus iste includit virtualiter tres cõtractus: primò contractũ societatis negotiatiuæ inter Petrũ ponẽtem cẽtum florenos, & Paulum ponẽtem industriam: secũdo cõtractum assecurationis capitalis inter eosdẽ Paulo assecuratẽ Petrum de suo capitali: non enim licet minus Paulo, quàm cuicunq; alteri assecurare Petrum: & propterea ponitur hic capitale saluum, tertiò contractum venditionis & emptionis lucri sperati inter eosdem, Petro vendente lucrũ speratũ Paulo pro certo pretio, scilicet quinque pro cẽtum. Et iste similiter contractus non est minus licitus Petro cum Paulo, quàm inter Petrum, & quemcunque tertium: & propterea determinatur hic certum lucrum, scilicet quinque pro centum.

¶ Hic est casus vt proponitur & exponitur. In quo tria dicẽda occurrũt: primò q̃ cõtractus iste falsò exponitur: ita q̃ nõ est capax istius expositionis: secũdò qualiter deberent adiũgi alij duo contractus primo: tertiò quid absolutè respõdendum est quæstioni.

QVO Ad primum declaratur, q̃ contractus iste falsò exponitur: quia iste contractus secundum suam formam manifestè est contractus societatis: & si includit alios duos, aut includit eos ex natura sua, aut ex conditionibus appositis. Non ex natura sua: quia contractus societatis est contractus disparatus ab illis aliis: sunt nanque omnes isti contractus velut singulares quædam species non ordinatæ sicut numeri aut figuræ, nec sicut causa & effectus virtualiter inclusi in causa, vt patet ex hoc quòd singuli seorsum sine alio inueniri possunt, nõ includit ergo iste societatis contractus alios duos ex natura sua. Nec ex conditionibus appositis, quia ista conditio, Saluo capitali non infert contractum assecurationis. Probatur, quia cõtractus assecurationis capitalis est contractus commutationis: ac per hoc debet fieri dato aliquo honesto pretio pro assecuratione: alioquin commutatio non esset: in proposito autem casu nihil omnino datur, aut promittitur à Petro pro assecuratione: non igitur ex illa conditione apposita, scilicet saluo capitali, haberur, cõtractus assecurationis capitalis, vt expositor fingit. Similiter altera cõditio, scilicet assignet quinque florenos pro parte lucri, residuo lucri sibi reseruato, non infert contractum venditionis & emptionis lucri, sperati incerti: quoniam contractus vẽditionis & emptionis lucri sperati incerti est etiam contractus commutationis, & debet ita fieri cum Paulo sicut fieret cum tertia persona. Cõstat autẽ, q̃ tertia persona non emeret à Petro lucrum speratum ex cẽtum hoc modo, scilicet vt ipsa tertia persona nihil in præsenti acciperet. sed solam spem habendi lucrum vltra quinque pro centum: & ex ista sola spe obligaret se ad dandum Petro singulis annis quinque pro centum ex lucro illorum centum. Et circa hoc non oportet aliam probationem afferre: quoniam mercatores ipsi locupletissimi testes sunt, quòd quilibet initurus hunc contractum, pretium aliquod vltra illam spem exigit pro sua obligatione & periculo. Et quia in casu proposito ista certificatio sperati lucri absque pretio aliquo imponitur Paulo, manifestè patet quod non interuenit hic contractus emptionis & venditionis sperati lucri, sed solus contractus societatis cum illis cõditionibus, falsò ergo exponitur contractus iste, hæc de primo.

¶ Quo ad secundum, licet dicti tres contractus in veritate in casu posito nec formaliter, nec virtualiter sint: quia tamen fieri possent distinctè & seorsum dicti contractus cum appositis pretiis dicendum occurrit quomodolicitè, vel illicitè fieri possunt.

¶ Dupliciter autem contractui societatis possunt dicti duo contractus coniungi, scilicet ex pacto, & sine pacto. Et si quidem contractus societatis habeat hæc pacta annexa, scilicet vt Paulus teneatur assecurare capitale, & certificare lucrum sine aliquo pretio, manifesta est iniquitas, nec eget declaratione aliqua: quoniam ex dictis satis patet, quòd esset societas hæc leonina. Si verò contractus societatis habeat hæc pacta annexa, scilicet vt Paulus teneatur assecurare capitale, & certificare lucrum pro eodẽ pretio, quo tertia persona assecuraret, & certificaret, adhuc Paulus iniuste aliquantulum grauaretur, quantum est ex ratione iustitiæ: quoniam contractu societate habente suam æqualitatem non debet secundum iustitiæ rationem super adiungi Paulo hoc grauamen, scilicet quòd teneatur assecurare capitale & certificare lucrum illo pretio, quo alius faceret: quoniam constat, quòd ex æqualitate societatis ad hoc non tenetur, licet gratiosè posset hoc facere, sicut non est licitum ex pacto obligare accipientem mutuò, vt teneatur remutuare: quamuis hoc gratiosè possit & debeat facere. Dixi autem secundum iustitiæ rationem: quia si ex quasi condicto communi pacto hæc in consuetudinem deducta, vt licita essent (sicut pactum de retrouẽdendo introductum communiter est in detestationem fraudis vsurarum) tolerari possent ista pacta ratione huiusmodi consuetudinis, quæ tamen non esset introducenda: quia in fauorem est fraudis vsurarum. Aperitur enim per hæc pacta via palliandi vsuras cum damno virorum industriorum, quia hæc pacta subeunt, quia egent pecuniis, vt possint de suis industriis viuere: & minus malum est eis hæc pacta subire, quàm cum manifesto interesse inuenire pecuniam eis opportunam.

¶ Sine pacto autem si dicti contractus superueniant contractui societatis, ita vt contractus societatis fiat libere ex omni parte cum debitis conditionibus societatis & sociorum, sed seorsum ac disparate superaddantur isti contractus, vt Petrus à cura sollicitudinéque se exoneret, & à timore fraudis sciliberet, dicendum occurrit, quòd contractus assecurationis capitalis, & contractus certificationis lueri ita possunt licite fieri inter Petrum & Paulum socios sicut inter Petrum & tertiam personam possent licite fieri: adhibitis scilicet honestis pretiis secundum iudicium sapientum in illa arte, illo tempore, in illo loco, cum tali persona, & breuiter consideratis indiuidualibus conditionibus, quæ scientifice determinationi non subsunt. Constat nanque quod tali tempore, vel propter talem personam, vel propter talem artem in tali loco vix inueniretur assecurator, aut certificator lucri non solùm quinque pro centum, sed nec in minimo. Et propterea non videtur absque vsurarum fraude fieri, si promiscue præsupponatur cum qualibet persona, aut in quolibet artificio lucrum certificandum quinque pro centum, aut capitale saluum. Experientia siquidem testis est multos ex vitio personæ, multos ex temporis euentu, &c. deficere. Hæc de secundo.

QVO

QVO Ad tertium, satis patet ex dictis, quòd absolutè loquendo in quæstione casus propositi, tam vt proponitur quàm vt exponitur, iniustum est societatem hanc inire, & Petrum teneri in foro animæ, ad restitutionem, si huiusmodi societatem cum Paulo de facto contraxit: quoniam eum iniquè grauauit, de facto conditiones vsurarias apponendo capitalis saluo, & lucri certi: vt manifestum esse puto ex dictis.

¶ Hæc sunt pater amãtissime, quæ mihi occurrunt pro solutione quæstionis propositæ. Rogo vt oretis Deum pro me. Romæ, die prima Aprilis, 1515.

RESPONSIO XII.

In quinque dubiorum solutiones distributas, ad eundem.

ACCEPI reuerende pater schedulam quinque dubiorum: nescio cuius viri notabilis scrupulosæ conscientiæ petentis à me satisfieri: quum tamen P. V. doctissima optimè illi satisfacere potuisset, si mihi hanc sarcinam imponere noluisset. Vt ergo charitati vestræ & illius conscientiæ non desim, quamuis conualescens, respondere curabo repetente reuerẽdo patre, responsionem breuem.

EST igitur primum dubium, an sit simpliciter de necessitate salutis pœnitentem conteri de singulis peccatis numeraliter in eadem specie, quando potest ea sigillatim ad memoriam reducere. Et est ratio dubij: quia hoc videntur communiter doctores in 4. sentent. sentire. Ad hoc dubium breuiter dicitur, quòd licet quidam videantur hoc sentire quantum ad integritatem satisfactionis (ita quòd sicut sigillatim in singulis peccatis mortalibus adimpleuit voluntatem suam contra Deum, ita si integrè satisfacere debet oportet quòd sigillatim toties deresteretur criminа sua) si quis tamen diligenter consideret, nec ad contritionem, nec ad confessionem, nec ad satisfactionem exigitur huiusmodi numeralis dearticulatio peccatorum. Et de contritione quidem patet ex veteri testamento (quia in quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor) & ex nouo: quia dimissa sunt mulieri peccatrici peccata multa, quoniam dilexit multum. Impossibile siquidem est, in quacunque hora ingemiscimus, relinquendo peccatorum multitudinem copiosam, omnia dinumerare: & ratio dimissionis peccatorum non detestatio multiplex, sed multa dilectio redditur. Et vtriusque ratio est: quia momẽtanea contritio virtualiter extendens se ad omnia crimina commissa, sufficit ad salutem, & tanta posset esse quòd sufficeret ad omnimodam satisfactionem: vt de Latrone creditur. Non minus quidem satisfacit debitor centum quadrantum, si dat vnum aureum valentem centum quadrantes, quàm si daret centum quadrantes numeraliter. De cõfessione verò clarum est, quòd vnico verbo potest cõfiteri centum millia peccatorum: nec oportet sigillatim singula numeraliter dicere. De satisfactione autem eadem est ratio, quæ de cõtritione dicta est: vnum siquidem opus pœnale magnum multis paruis æquiualet, & tanto melius est, quanto maioris est virtutis vnum magnum opus quam multa Parua facere: vt patet in Ethicis. Sententia igitur doctorum in quarto verificatur in hoc, quod oportet de singulis, aut formaliter, aut virtualiter, conteri.

Secundum dubium, quando circunstantia loci sacri est necessariò confitenda secundum doctrinam S. Thom. & secundum veritatem. Ad hoc breuiter dicitur, quòd tunc tantum quãdo actus Peccati commissus directè contrariatur sanctitati loci, id est, ei ad quod sanctificatus est locus, verbi gratia: Locus consecratus est ad sepulturam, vel ad cultum diuinum, & ex consequenti ad libertatem confugientium & depositarum rerum, & huiusmodi: quando sit ergo contraista, tunc & non aliter venit confitenda circunstantia loci sacri necessariò.

Tertium dubium est, si tam venditor, quam emptor sciat naturam rei & valorem, an nullum subsit peccatum si res vendatur pro maiori vel minori pretio. Et est ratio dubij, quia scientia & volenti non fit iniuria, & si in casu subsit peccatum, declaretur vnde oriatur peccatum illud. Ad hoc breuiter dicitur, quòd si res venditur pretio, quod est extra totam latitudinem iustipretij, nec aliqua hic interuenit donatio (vt præsupponendum est) sine dubio peccatum est. Nec oportet quærere aliam originem huius peccati, quàm inæqualitatem rei ad rem, scilicet pretij ad rem emptam: in hoc enim consistit ipsa iniustitia opposita commutatiuæ iustitiæ. Occasiones autem peccandi, cum possint esse diuersæ & sint per accidens, extra artem relinquantur. Communiter tamen necessitate compellente id fieri videtur, quæ causat inuoluntarium mixtum. Nec est simile, quòd pro simili adducitur de puella pauperrima, quæ nubit viro seni diuiti non nisi necessitate paupertatis cogente ducta: matrimonium enim non est contractus in æqualitate rei ad rem consistens, sed socialis coniunctio: ad quam per accidens se habent diuitiæ, & paupertas, & consequenter metus, seu fuga paupertatis, & cætera spectantia ad id. Fit ergo satis iniuria casu positiuo scienti, & volenti voluntario mixto.

Quartum dubium est, an princeps terrarum per consuetudinem possint sibi licitè appropriare feras. Et est ratio dubij: quia autoritate legis naturæ, feræ durante earum naturali libertate appropriantur cuilibet occupanti: vt patet institut. de re. diui. §. feræ. Et consuetudo contra naturæ ius videtur irrationabilis: & similiter præscriptio ab huiusmodi introducta, non videtur iuuare principes.

¶ Ad hoc dicitur, quòd quum proprietas rerum ex iure sit positiuo, & consuetudo ad ea se extendat, quæ iuri subsunt positiuo, consequens est, quòd sicut lege positiua appropriari possunt alicui feræ, & ita consuetudine potest huiusmodi appropriatio fieri. Et hoc manifestum est in piscibus, dum venduntur iura piscandi. Et constat quòd populus habens dominium alicuius syluæ, posset legem ferre, quòd solus rector possit ibidem venari. Nec in hoc præiudicium fit iuri naturæ: quoniam de iure naturæ non sunt feræ communes, nisi negatiuè: hoc est quia nullus eas appropriauit. Cum quo clarè stat, quòd à superueniente iure legis, vel consuetudinis potest appropriatio fieri, sicut de reliquis. Nec est contra allatam legem, quæ loquitur de feris, quæ in nullius bonis aliquo iure sunt: dictas enim feras consuetudo in bonis principis posuit.

Quintum dubium, an dicti principes possint ita districtè prohibere dictarum ferarum captionem, vt nullus subditus possit eas capere, quin grauissimè puniatur, etiam si capiat eas, vt se à damno præseruet, quod inferunt in bladis vel huiusmodi. Et huic annectitur aliud, an confessores principum possint eos absoluere si nolunt huiusmodi statuta reuocare.

¶ Ad hoc dicitur, quòd licet principes possint huiusmodi venationes prohibere, non tamen possunt prohibere in damnum aliorum: imò tenentur ad restitutionem principes de damnis illatis à suis feris ex hoc, quòd non permittunt alios venari: sicut habens bouem cornupetam sibi notum, & non prouidens, tenetur de damnis subsequutis. Et ex hoc patet quid debeant facere confessores talium principũ: cùm enim iniustitia sit peccatum mortale de genere suo, & statutum hoc sit iniquum, non debent ipsos absoluere. nisi desistant à peccato. Bene valete, & pro me orate. Romæ, die 2. Maij, 1514.

RESPONSIO XIII.

In quorundam locorum contradictoriorum super commentarium Secunda Secundæ explanationes distributæ. Ad eundem.

LITERIS tuis, pater venerande, petentibus quædam in commentariis nostris super Secunda Secundæ tãquam dubia, seu obscura declarari distuli hucusque responsionem ob impedimenta imbecillitatis, & occupationum aliarum. Nactus verò nunc aliquid otij, satisfaciendum charitati tuæ duxi, vt nouitiis quibus hæc obscura videntur, magis eluceseant: Breuiter tamen, quia res claræ sunt.

Primum igitur dubium propositum est: quia in quæstione 10. articul. 4. dictum est, quòd licet vendere Iudæis res, quibus ipsi vtuntur in suis sacrificiis: in quæstione autem 169. articul. 2. ad quartum dictum est non licere cooperari ad reædificationem synagogæ Iudæorum.

¶ Facilè respondetur, in primo loco sermonem fuisse de his rebus, quæ non per se ordinantur ad superstitionem Iudaicam: sed de rebus indifferentibus, quibus tamen ipsi Iudæi abutuntur ad superstitionem suam. In secundo autem loco sermo est de synagoga, quæ præsupponitur per se ordinata ad superstitionem Iudaicam. Et propterea eadem vtrobique seruata est sententia, vt patet legenti vtrunque.

Secundum est, In quæstione vndecima, articulo quarto, dicitur quòd occultissima per accidens subiacent Ecclesiæ censuris: in quæstione verò sexagesimanona, articulo primo, dicitur, quod autor homicidij occultus, non est sub iudicio humano: quia persona est occultissima.

¶ Soluitur & hoc facillimè, remittendo ad locum secundò allegatum, vbi expressè dicitur, quòd occultissimus autor notorij incendij non subest humano iudicio, quo ad hoc, vt teneatur se prodere: subest tamen humano iudicio, quia potest excommunicari: humano iudicio.

Tertium est: In quæstione septuagesimaoctaua articulo 4. dicitur, Nullo modo licet inducere ad minus malum etiam pa-

rator: in quæstione autem 85. articul. 8. in 5. causa duelli, videtur dici, quod licet inducere, vt peccent minus.

¶ Soluitur hoc dubium declarando differentiam, quam non penetrarunt mouentes hoc dubium. Aliud est enim inducere ad totum hoc, scilicet minus peccandum: & aliud est inducere solummodo ad ly, minus. Primum nunquam est licitum, & hoc in primo loco dicitur. Secundum est non solùm licitum, sed sanctum, imo Angelorum officium, & hoc in secundo loco dictum est. Et hinc fit vt adulterum cum aliter non valemus retrahere, ad simplicem fornicationem licitè prouocemus, non hortando, vt fornicetur, sed si suæ vult satisfacere voluptati, alieno non iniurietur toto. Nec tamen oportet huiusmodi conditionales semper exprimere, sed sufficit quandoque eas mente retinere, pro loco & tempore vt sapiens iudicabit: hoc enim non est inducere ad malum maius vel minus, sed est secundum rem retrahere à malo maiori. Fitque frequentissima exercitatione hoc à redimentibus vexationem suam: vt fecerunt illi decem viri apud Hieremiam.

Quartum est: In q. 147. dicitur, Excusatur qui omnino cœnaturis tempore ieiunij exhibet cœnam: & doctor sanctus dicit non licere exhibere vinum volenti omnino se inebriare.

¶ Soluitur hoc, dicendo, quòd exhibens cœnam, ministrat homini, non vitio: exhibens autem vinum, manifestè ministrat vitio. Quod patet ex differentia inter vacantem cœnæ & vacantem ebrietati: nam vacans cœnæ, vacat actui humano: & deformatis vitij, solummodo se tenet ex parte circunstantiæ cœnantis: puta quia quando non debet, cœnat: Vacans autem ebrietati, vacat actui per se deformi: ebrietas enim præsupponitur per se praua.

Quintum est: In q. 72. art. 3. dicitur, Sicut in aliis iniuriis sufficit restituere, & non oportet petere veniam, ita nec in contumelia in quoli. autem, q. illa, an in vsura transferatur dominium, contrarium videtur dici. Vbi habetur, quando translatio non est omnino voluntaria: oportet non solùm reddere pretium agri, sed aliquid correspondens illi conditioni inuoluntarij: sicut semper in restitutionibus faciendum est.

¶ Soluitur hoc, dicendo quòd petere veniam dupliciter concurrere potest: vno modo, vt pars restitutionis. Et sic si contingat ad restitutionem honoris oportere veniam petere, ita necessaria est veniæ petitio, sicut necessarium est quodlibet aliquid requisitum ad integritatem satisfactionis. Et hoc nunquam negatum est: quoniam semper affirmata est integra satisfactio, quæ procul dubio intelligèda est cum omnibus requisitis ad eius integritatem: ac per hoc cum petitione veniæ si ex parte restitutionis honoris exigitur. Aliò modo petitio veniæ concurrit, vt res contra restitutionem distincta. Et sic dictum est, quod non est necessaria: quoniam sicut in cæteris iniuriis sufficit integram exhibere satisfactionem, & non oportet petere veniam, ita & in contumelia: quia enim petitio veniæ vltra restitutionẽ honoris annexam habet submissionem petentis veniam, ad quam submissionem non facilè quilibet flecti potest, ideo prudentis viri consilio relinquitur si casus accidat, in quo integritas restitutionis honoris debiti contumeliam passo exigat petitionem veniæ.

Sextum dubium est: cur neque in textu, neque in commento totius Secundæ Secundæ Tractatur de famoso murmurationis vitio.

¶ Ad quod dicitur, quòd murmuratio non est genus aut species alicuius vitij, sed circuit multa vitia, vt imperfectum quid in multis speciebus vitiorum: & propterea non debuit specialis de murmuratione fieri tractatus, cum de generibus & speciebus vitiorum tractatum est. Neque tamen silentio inuoluta est, quoniam murmuratio vt imperfectum quid sonat in vitiis verborum (puta contumelia, detractione & susurratione) tractata intelligitur inter imperfectas contumelias, susurrationes, & detractiones: & similiter quatenus sonat imperfectum quid in vitiis actionum vel passionum, intus vel extra (vt inobedientiæ, impatientiæ vel præsumptionis) tractata quoque intelligitur cum imperfecta inobedientia, impatientia, &c.

Septimum dubium est, quid importat scrupulus conscientiæ, quo stante licitè operamur oppositum.

¶ Ad hoc quæsitum dupliciter videtur ab aliis responderi. Quidam enim distinguendam putant quantitatem ambiguitatis: ita quòd quum quis scrupulum habet de aliquo actu exercendo (puta an liceat pulsare in die festo, si sic fluctuat, quòd plus aut æquè credit esse illicitum) scrupulus est, quo stante non licet sibi pulsare in die festo: si verò plus credit licitum esse, cum hæsitatione tamen liciti, scrupulus (inquiunt) est quo stante licitum est illi pulsare in die festo. Quibusdam autem videtur ad rationem licitæ operationis exigi fidem certam excludentem omnem hæsitationem: alioquin periculo peccandi contra conscientiam exponeret se operans cum formidine alterius partis. Et apud istos scrupulus, contra quem licet agere, non est hæsitatio aliqua de oppositio: sed consistit potius in quadam apparentia.

¶ Mihi autem occurrit dicendum, quòd siue scrupulus occurrat ex parte appetitus (vt contingit timẽtibus peccare in aliquo actu, & nesciunt quare) siue ex parte rationis, vt contingit iis, qui ex aliqua ratione magna mediocri vel leui fluctuant, distinguere oportet de modo, an huiusmodi hæsitatio seu vacillatio sit modo speculatiuo, vel modo practico: hoc est, an dubitet de licito, vel illicito secundum se, vel vt est ratio operis sui hic & nunc. Nam si quis dubitaret, an pulsare in die festo sit licitum vel illicitum, & tamen non dubitaret sibi tunc esse licitum pulsare, iste non peccaret pulsando, quantumcũque magna esset dubitatio apud eundem de actu pulsandi secundum se, an sit licitus vel illicitus, & similiter quantumcunque esset maximus timor de eodem. Et per oppositum si quis esset certissimus de actu pulsandi secundum se, quòd est licitus in die festo, & tamen fluctuaret de exercenda nunc à se pulsatione, ita quòd ratio applicandi se ad pulsandum cum ambiguitate applicat, illicitè quis pulsaret: intellectus siquidem speculatiuus nihil dicit de operando. Et si certitudo speculatiua exigeretur non solum rudes, qui sola certitudine adhęsionis alienæ doctrinæ sunt contenti, sed doctores aliorum passim periculo se exponerent: eo quòd innumera sunt dubia, quorum alteram partem sic amplectuntur, vt absque scrupulo operentur, & tamen an veritatem speculatiuè euidenter habeant, non pertinaciter asserunt. Difficilè enim, inquit Aristotel. est nosse se scire: quia difficilè est discernere ac scire an ex propriis, &c. sciatur. Et diuersitas ipsa opinionum circa aliquod vnum nata est reddere intellectum speculatiuum nutantem. Non est ergo in hoc quæsito spectandum ad hæsitationem magnam vel paruam, ad fidem certam vel incertam, de licito vel illicito absolutè, sed ad rationem operandi in singulari. Si enim applicatio ad operandum certa est, quicquid tam in ratione, quàm in appetitu fluctuet, scrupulus est, quo stante licitè oppositum operamur: si autem applicatio ipsa ad opus fluctuat circa rectum vel obliquum moris, scrupulus est conscientiæ, contra quem illicitè agitur, & obliquitas mortalis incurritur. Ratio autem horum est, quia in proposito conscientia non significat scientiam, sed applicationem cognitionis ad opus exercendum: & propterea scrupulus conscientiæ, qui per se opponitur conscientiæ in ipsa applicatione consistit, & eadem ratione scrupulus omnis ad ipsam applicationem non se extendens, conscientiæ non opponitur. Hinc enim fit, vt vacillatio conscientiæ in applicatione consistens deformẽ reddat actionem, quoniam fit applicatio modo, quo non debet, debet enim potentia rationalis determinari ad vnum, si rectè exire debet in actum, alioquin discrimini exponitur vtriusque oppositi, si fluctuante illa quis vtitur. Fluctuans enim quantum sapit fluctuationis, tãtum sapit indeterminationis, ac per hoc indebiti modi operãdi. Et hoc amb æ supradictæ opiniones forte intendebant. Prima enim ad hæsitationem intellectus in se videtur respexisse: secunda autem de fidei certitudine, vt est ratio operis, intelligenda est. Bene vale, & ora pro me. Romæ, die 9. Februarij, anno salutis 1521.

RESPONSIO XIIII.

In quorundam lectorum in Commento, Secundæ Secundæ, sibi inuicem oppugnantium conciliationes distributa ad eandem.

PVLSAS, venerande Pater, frequenter me piis dubitationibus, non vt discas, qui alios gloriose doces & verbo & scripto, sed vt explicem potius sensum meum. Vnde charitati tuæ satisfacere cupiens, propositis quæstionibus breuiter respondere curaui.

QVÆRIS Ergo primò, cur in commentariis nostris super Secunda Secundæ, quæstione trigesimatertia, articulo secundo, responsione ad tertium, & quæstione octuagesimatertia, articulo quinto, in finem permittitur simul stare bonitatem substantialem atque veniale peccatum. Inde nanque consurgere videtur, vt iustus in bono quolibet opere ob aliquam accidentem imperfectionem simul mereatur, & peccet venialiter: vt Lutherani nouiter dogmatizant.

¶ Huic quæsito respõdetur primùm, non esse in cõmentariis nostris scriptum, vnum atque eũdem actum numero esse simul bonum bonitate essentiali & malũ venialiter, vt patet intuenti. Nam in primo loco allegato peccatum veniale dicitur omissio: bonitas autẽ essentialis saluatur in animo seu in virtutis habitu, in secundo quoq; loco bonitas ponitur in actu orationis, peccatũ autem veniale in omissione. Deinde dicitur, ad rem potius spectãdo qua ad verba, q magna est differentia inter has duas cõbinationes, scilicet bonitatem substãtialem cum peccato veniali, & meritum cum peccato veniali. Nam prima combinatio frequẽter simul concurrit in eodem numero actu, dum sæpe facimus actus moraliter bonos ex suo genere, cum aliqua circunstantia moraliter mala: vt cum quis reddit mutuum, non tamen ex hilaritate qua debet, & sic de aliis. Secunda autem combinatio nunquam simul inuenitur in eodem actu: quoniam nullus peccãdo meretur vitam æternam. Est enim tantæ vis peccatum veniale, vt tollat ab actu quem afficit meritum æternæ vitæ: quamuis non tollat æternæ vitæ meritum à persona: multi enim sancti viri absque hoc quòd perdunt æternæ vitæ meritum, peccant venialiter: verùm per illos actus qui peccata sunt venialia, non merentur vitam æternam. Hinc clarè patet, ex hac & sana doctrina non sequi, q iustus in quolibet suo bono opere peccet. Nam etsi posset in opere aliquo bono ex genere peccare, in nullo tamen opere meritorio potest peccare.

SECVNDO Quæris ex eisdem commentariis quæstione 62. articulo sexto, circa responsionem ad tertium, vbi dicitur, Non oportet restituere cum damno in re superioris ordinis, &c. quod videtur ex hoc sequi mulierem, quæ ex adulterio susceptum prolem, non teneri ad se prodendum, quantumcunque veri hæredes inde damnificentur: quod tamen sententiæ notabilium virorum refragatur.

¶ Huic obiectioni respondetur, mulierem quæ ex adulterio genuit, & propterea veri hæredes damnificantur, non teneri ad damnificandam seipsam in fama, vt quantum in se est, veros hæredes à damno hæreditatis præseruet. Quoniam quemadmodum cessante iudiciaria coactione non tenetur homo perdere vitam aut libertatem, vt satisfaciat debito pecuniario, ita nec tenetur mulier huiusmodi perdere famam, aut vitam pro euitando damno alieno in re pecuniaria. Et si hoc aliquibus (vt dicis) viris notabilibus graue videtur, mirandum potius mihi videtur de ipsis: cum decretalis de pœniten. & remiss. cap. officiis. expressè dicat, mulieri, quæ timet viro suo hoc indicare, non esse denegandam pœnitentiam. Constat enim quòd certitudo de perdenda fama pensanda est, sicut timor, &c. cùm non solùm melius sit nomen bonum, quam diuitiæ multæ: sed tolerabilior sit mulieris seruitus, aut mors, quàm eius infamia, si communi consanguineorum voto creditur.

TERTIO quæris ex eisdem comm. quæst. 78. circa artic. 4. & nescio quo opusculo nostro: vbi dicitur, vtentem malitia alterius semper petere debere aliquid absque peccato præstabile, si solidum est hoc fundamẽtum. Nam videtur quibusdam hoc non oportere, ob id quòd apud Augustin. licitè petitur iuramentum ab eo, qui per falsos Deos iurat: ita quòd, si per verum Deum iurare vellet, non admitteretur iuramentum: vt proinde petitur inquantum per falsos Deos iurat: ergo petitur, quòd sine peccato fieri nequit: ergo potest etiam peccatum licitè peti, dummodo nullum agatur præiudicium salutis.

¶ Ad huiusmodi obiecta respondetur, solidissimum esse iactum fundamentum, scilicet nunquàm licitum esse petere peccatum, & implicare contradictoria: petere peccatum, & non agere in præiudicium salutis: quoniam ipsum petere peccatum, est peccatum. Quod ex eo patet, quòd quidquid licet petere, licet etiam appetere: cum petere actus humanus sit appetitu rationali, qui voluntas est, procedens. Sed constat quòd non licet appetere peccatum alterius quantumcunque parati: scriptum est enim de charitate, quòd non gaudet super iniquitate: ergo non licet petere peccatum alterius quantumcunque parati. August. autem, vt patet in epist. ad Publicolam, non dicit Barbari iuramentum, si vellet iurare per vnum Deum, non esse admittendum: sed vtentem fide Barbari firmata iuramento per falsos Deos non communicare peccato illius, quo per falsos Deos iurat, sed fidei, id est fidelitati, qua dicta fiunt. Vnde petens iuramentum ab idololatra, petit opus sanctum quòd ille potest si vult, absque peccato præstare: quia nihil aliud petit nisi fidem iuramento firmatam: quod ille præstare potest, si vult credendo in vnum solum verum Deum & iurando per illum, sed ex sua infidelitate apponit ipse iniquitatem iurando per falsos Deos. Falsum ergo opponitur, dicendo quòd si vellet iurare per verum Deum, iuramentum non admitteretur, nisi fortè obiicientes referant hoc ad irrisoriam iurationem, quasi idololatra non vt iuramento, sed vt vana & superstitiosa iurandi adinuentione, illo vteretur iuramẽto per Iesum Christum. Iuxta hunc enim sensum, fateor quòd non admitteretur. Iuxta hunc enim sensum, fateor quòd non admitteretur, non ex defectu Christianorum, sed ex defectu idololatrarum exhibentium hoc non vt iuramentum. Sed ex ista refutatione si accideret, non sequitur, ergo petendum esset, vt iurarent per falsos Deos, sed ergo petendum esset, vt iurarent, & non irridenter veram ũdem. q tunc, vt prius dicebatur, non petitur nisi iuramentum: quamuis sciatur, quòd iurans iniquitatem apponet iurando per falsos Deos.

QVARTO quæris ex eisdem commen. q. 88. circa articul. 8. An sicut votum abstinentiæ vxoris, sic & votum continentiæ viri irritare possit, sic vt vxor secura atque tuta.

¶ Huic quæstioni respondetur, non esse eandem rationem de vxoris voto circa abstinentiam: & circa continentiam quo ad irritationem à viro: quoniam potestas irritãdi vota vxoris, spectat ad virum, quatenus gubernator est, & vxor est illi subdita. Circa actus autem continentiæ, vir & vxor ad paria censentur: & præterea non spectat ad potestatem viri irritare votum continentiæ vxoris, quod non potuit facere, nisi quantum ad petitionem debiti, secundum quam libera est, nec viro subditur.

QVINTO queris, an sit mens S. Thom. in 4. sentẽn. dist. 18. q. 2. artic. 1. q. 4. prout quidam sibi imponunt, quòd excommunicatio iniusta priuet suffragiis Ecclesiæ, cuius contrarium in quadam q. speciali nostra legisse dicis.

¶ Ad hanc ambiguitatem respondetur, duos esse modos, quibus communia Ecclesiæ suffragia participantur à Christi fidelibus. Primus est per communem Ecclesiæ intentionem qua communia suffragia pro Ecclesiæ membris communiter fiunt. Secundus est per specialem alicuius fidelis, & præcipuè ministri ecclesiastici intentionem, qua communia suffragia diriguntur pro isto particulari, vt cum aliquis dicit, vel facit dici Missam pro ista singulari persona. Excommunicatio autem iniusta habet suum effectum in priuando suffragiis Ecclesiæ, hoc secundo modo: quia timenda est, non solùm ab excommunicato, sed ab aliis: ac per hoc alij prohibentur celebrare speciali intentione pro illo, & pari ratione alia communia suffragia pro illo specialiter agere. Et iuxta hunc sensum intellige diuum Thomam dicentem excommunicationem iniustam habere effectum. Primo autem modo excommunicatio iniusta non priuat excommunicatum suffragiis Ecclesiæ, quia rationabiliter interpretamur communem Ecclesiæ intentionem in suffragiis communibus esse cõformem diuinæ dispensationi secundum veritatem, & non secundum apparentiam, aut errorem humanum (descendit enim imitatiuè militans Ecclesia à cælo) constat autem quòd excommunicatio iniusta ex errore humano procedit, ac per hoc sub communi intentione Ecclesiæ, qua excõmunicati priuantur cõmunibus suffragiis apud Deum, non comprehenditur priuatio excommunicatorum iniuste: non enim intendit addere afflictionem afflicto: & quos cogitur ex humano iudicio, excommunicando priuare vno modo, non propterea intendit priuare vtroque modo. Et sic intelligenda sunt quæ alibi scripsimus, quòd excommunicatio iniusta non priuat communibus Ecclesiæ suffragiis.

¶ Hæc mihi occurrerunt amantissime pater, ad quæsita tua scribẽda: quæ si satisfecerint, gratiæ referãtur Deo: finaliter, suppleat perspicacia tua. Bene vale, & ora pro me. Romæ die 2. Iunij 1522.

RESPONSIO XV.

De natura voti, & vnitate numerali peccati, actu exteriores. Ad priorem Sancti Mimatis.

CHARISSIME frater, acceptis literis tuis consulentibus me de duobus, considerans solutionem huiusmodi dubiorum multis profuturam, statim respondere inter tot occupationes curaui.

¶ Primum igitur dubium natum ex ratione voti est: Quomodo sustinetur, quòd votum est de meliori bono, id est bono supererogationis, & quòd religiosæ personæ venereis vacantes agant contra votum: quandoquidem cognoscere non suam, seu alienam secundum se malum est: & abstinere ab huiusmodi, bonum est non supererogationis, sed necessitatis.

¶ Alterum dubium est: An is qui ad occidendum hominem pergit, quoties interrupta cogitatione inter eundum renouat voluntatem affectumque occidendi, toties nouum peccatum committat, an totum sit vnum numero peccatum, an aliquanta mora, & quanta distinguat hæc peccata? Per quid enim, inquis, indiuiduantur voluntatis actus.

AD primam dubitationem facilè dici posset, quòd propria quidem voti materia est bonum supererogationis: communis tamen voti materia est etiam bonum necessitatis, non quatenus necessarium, sed quatenus voluntarium est, vnde & Iacob Gen. 28. legitur vouisse habiturum se dominum in Deum. Et multi vouerunt se suscepturos Baptisma, seu Christi fidem: vt Gallicanus, & Clodoueus. Et si quis voueret se non commissurum adulterium, si contrafaceret, non solùm adulterij, sed fracti voti reus esset. Vnde religiosæ personæ non solùm abstinentiam à coniugio, sed ab actu venereo vouisse dici possunt: testante hoc animi sermonisque conceptu ac vsu: credimus nanque, & fatemur omnes castitatis votum in omni esse religione. Constat autem quòd castitas continentiam non solùm à coniugio, sed à cæteris venereis significat: & sic votum castitatis non solùm castitatem supererogationis, sed omnem respicere potest & respicit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Perspicacius autem dici potest, quòd quia per votum religionis persona diuino cultui dicatur, ac per hoc sit alterius Dei, scilicet specialiter quo ab abdicationem etiam licitorum venereorum à se, vt cogitet quæ domini sunt. ideo non solùm si cõiugem de facto accipiat, sed etiam si ad alterius vxorem accedat, vel quomodolibet aliter venereis operam det, sacrilegium committitur: dum persona diuina violatur. Et hoc in suo simili patet. Mulier cum nubit, nihil aliud sibi illicitum coniugali fide reddit, nisi libertatem alterius coniugij, Cognosci enim à quocunque non suo, omnino ei illicitum erat: nupta tamen non solùm alternum de facto coniugium contrahit, sed si cuicunque alteri consenserit, adulterij rea est, propter dictam rationem, quia scilicet persona sua iam est alterius. Sicut igitur stat, quòd fides coniugij non respiciat ad propriam materiam nisi debitum coniugale huic & non alteri coniugi (alteri enim personæ coniugi omnino illicitum ex se est) & tamen cum quacunque persona alter coniunx coëat, adulterium committit: ita stat quòd votum religiosi, vt propriam materiam respiciat, abstinentiam à coniugio, & tamen quomodolibet religiosus coeat, sacrilegium committit. Et vtrobique (vt dictum est) eadem est ratio: quia vtrobique persona sit alterius quo ad partem generatiuam, ac iniuria semper sit illi alteri, scilicet Deo, vel cõiugi. & sic quemadmodum fides coniugalis redundat in omnes actus venereos extra coniugium: sic votum religionis in omnes actus venereos simpliciter.

AD SECVNDAM verò dubitationem dicitur, quòd ibi est vnum tantum numero peccatum, tanto grauius, quanto pluries firmatum.

¶ Ad cuius euidentiam non oportet inspicere per quid voluntatis actus indiuiduetur, sed per quid peccatum sit vnum vel plura. Multi enim actus voluntatis sunt vnum numero peccatum: vt patet, cùm quis actum intentionis, fruitionis, electionis, &c. & ad delectabile vnum habet. Peccatum autem formaliter, cum deordinationem actus voluntarij importet, vbi est vna numero deordinatio, ibi est vnum numero peccatum. Cùm autem aliquis actualiter pergit ad occidendum, constat quòd in eo est actualiter voluntarium deordinatum in spem homicidij, ita quòd & verum est, quod hic actualiter peccat in spem homicidij, & quòd voluntas eius est actualiter peccans tali peccato: alioquin non voluntariè iret ad occidendum. Interrumpendo autem interiores actus circa idem non fit noua deformitas: sed multiplicantur actus voluntarij: ita quòd quod prius erat voluntarium imperatum, modò est imperatum & elicitum: sed quotquot multiplicantur, in eandem incidunt deordinationem voluntarij, quam inueniunt augẽdo illam. Ita quod quemadmodum lumen adueniens diaphano iam illuminato, non constituit aliud lumen, sed cedit in identitatem cum eo quod inuenit, quamuis secundum se constitueret lumen nouum: ita quilibet actus elicitus circa homicidium in pergente ad illud, cedit in identitatem actualiter inuenti voluntarij homicidij, quamuis secundum se constitueret nouum peccatum homicidij: regulare quippe est, quod accidens eiusdem speciei in eodem identificatur inuento.

¶ Hæc sunt, amantissime frater, quæ mihi circa vestra dubia occurrunt. Superest, vt vna cum fratribus tibi creditis ores pro me, & bene valeas. Florentiæ, die 27. Augusti, 1508.

RESPONSIO XVI.

De conceptu entis ad M. Franciscum Ferrariensem.

AMANTISSIME Pater ex acceptis vestræ solicitudinis literis percepi libellum nostrum de analogia nominum vos perlegisse, duóque dubia de conceptu entis mentem vestram tenere, soluíque à me familiariter flagitatis. Ego autem quamprimum compleui expositionem librorum de Anima (cuius fini incumbebam, cum vestras recepi) respondere curaui: ne præclaro ingenio tuo deessem. Primum igitur dubium fuit ad hominem, meipsum scilicet, quia in commentariis de ente & essentia, sustineo vnum cõceptum mentalem repræsentatiuum entis: & in tract. de Analogia nominum videor hoc negare. Secundum autem est ad diuum Thomam: quoniam ego in præfato libello sustineo Analogum non absolui ab his de quibus Analogum dicitur, & diuus Thom. in q. de veri. q. 1. art. 1. docet ens habere conceptum vnum simplicem, ad quem omnia prædicamenta & transcendentia addunt, in quem resoluuntur, qui est primò notus. Hæc enim inuicem sibi aduersari videntur: quandoquidem si ens absolui non potest à naturis rerum, non erit simplicissimus, nec primò notus, nec in quem vltimo resolutio fiat, & ad quem omnes addunt.

AD Euidentiam horum, & specialiter primi, recolito, quòd quidquid est imago alicuius simitis alteri, est etiam imago illius alterius, quatenus primo assimilatur: ac per hoc omnis conceptus creaturæ est conceptus Dei, sicut omnis creatura aliqua est similitudo Dei. Hinc ergo fit, quòd cùm vnum proportionabilitate vt sic, habeat singula membra similia proportionabiliter, oportet quòd habeat etiam vnum conceptum mentalem repræsentatiuum illius vnius proportionabiliter. Nec huius oppositum teneo in tract. de Analogia nominum, sed conceptus ille vnus numero in mente secundum esse subiectiuum, est vnus Analogia secundum esse repræsentatiuum; nec repræsentat vnam solam naturam, sed vltra vnam, quam determinatè repræsentant (à qua est impressus) repræsentant implicitè cæteras similes illi primo repræsentatæ secũdum id, in quo proportionabiliter eis similis est: idem enim est iudicium de similitudine rerum inter se & conceptus mentalis & rerum. Quemadmodum enim ossis natura similis est naturæ spinæ in sustinendo carnes animalium (in quo analogantur) ita conceptus mentalis ossis, vt sustinens carnes, est similis ossi & spinæ: sed ossi determinatè, spinæ autem implicitè, sicut etiam ipsum os non est simile spinæ determinatè, sed quatenus spina sustinet carnes, sicut ipsum os. Hic est primus modus quo Analogum habet vnum conceptum mentalem: ac per hoc ens, cùm Analogum sit, vnum hoc pacto habet conceptum in mente à rebus impressum. Alter autem modus super ipsius intellectus opere, quo natus est adunata diuidere, fundatur: & est tunc conceptus similis vnus numero in mente repræsentans Analogum quidem determinatè, nullum autem eorum quæ fundant Analogiam explicitè. Contingit autem hoc, cum intelligens mentalem conceptum quem paulò ante diximus, expoliat ab illa determinata natura, quàm repræsentabat, & loco illius naturæ concipit pronomen aliquod referens, naturas fundantes Analogia indeterminatè, verbi gratia: Si conceptus ossis, est os sustinens carnes: intelligens loco ossis ponat quid, & dicat quòd sustinet carnes: tunc enim manifestè repræsentatur Analogum explicitè, implicitè autem tantum natura fundantes Analogiam. Est autem inter hos duos conceptus: non solùm dicta ex radicibus differentia: sed etiam quia primus ad quid rei spectat Analogi: secundus autem ad id nominis neuter tamen perfectè repræsentat Analogum. De quo scilicet perfecto, seu adæquato explicitè conceptu Analogi interpretandum est, cum à me vel ab alio scriptum inuenitur, quòd non potest Analogum, vnum numero mentalem cõceptum habere, sed vnum Analogia tantùm. Et quòniam conceptus mentales sunt imagines rerũ repræsentatarũ (nisi sint fictitij,) quemadmodum in mente conceptus adæquatus Analogi non est vnus, sed exigit repræsentationem omnium fundantium Analogiam: ita significatum Analogi adæquatum & perfectum non potest sic abstrahi, vt obiiciatur, repræsentetur aut concipiatur absque fundantibus rebus. Et sicut in mente duplex conceptus imperfectus reperitur, ità res significata, extrà potest obiici dupliciter, imperfectè scilicet, vel in vno explicitè, in quo cætera obiiciuntur indeterminatè: vel in nullo explicite, sed omnia implicite, in solo formalissimo significato explicite. Nec prædicta corrariantur doctrinæ S. Thom. ens enim primò notum ordine generationis est secundum conceptum imperfectum: ordine autem distinctæ cognitionis est secundum conceptum perfectum. Ens quoque habere conceptum simplicissimum, consonat dictis, quoniam cùm simplicitas compositioni opponatur, & vnum Analogia non sit vnum compositione aliqua, non habet ens ex hoc, quòd Analogum, compositionem admixtam. Et vt exercitatione resolutio monstretur, si substantiam in ens vis resoluere, si in conceptum distinctum entis resolutio quæritur, resoluetur in ipsam naturam substantiæ, quatenus esse fundat: quod est simplicissimum, cui & addit ipsa substantia, & addunt transcendentia. Et si in conceptum confusum, quod est, resolues: quòd etiam est simplicissimum, cui etiam prædicta addunt. Sed occasio errandi multis est, quia in resolutione distincta quærunt resoluere in vnum Analogia, sicut consueuit resolui in vnum vniuocatione. Ita quòd quærunt in Analogia, quasi vnum numero terminum, sicut in vniuocis: cùm tamen terminus in Analogia sit vnus proportionabiliter tantùm. Ita quòd & singula resolubilia resoluuntur in conceptus simplices obiectiuos & mentales, & omnia in conceptum obiectiuum & mentalem, simplicem, & vnum proportionabiliter. Ita quòd (vt vnico verbo rem absoluam) ens esse primò notum, in quod fit omnis resolutio, in quod omnia addunt, per modum Analogi interpretandum est: cum quo stare potest, quòd ens secundum perfectum adæquatúmque conceptum non abstrahit à naturis prædicamentalibus: sicut nec aliquod Analogum à fundantibus Analogiam. In hoc pendet tota vis claritatis rei huius: vt semper animaduertatur secũdum Analogorum morem hæc dici.

¶ Plura nunc non mihi occurrunt ad propositum dicẽda: sed prolixior fui accutissimo ingenio tuo: quo ex vnico verbo concepisses cuncta. Bene vale, & pro me orare digneris. Romæ, die 27. Februarij, 1509.

RESPONSIO XVII.

De rebus in bello in infesto raptis, ad Fratrem Thomam Ragusinum ordinis prædicatorum.

DILECT

DILECTE fili piis precibus tuis satisfacere volens, cõsideraui in literis tuis quæstionẽ distinctã in quinque articulos circa emptionẽ raptarũ rerũ in bello iniusto. Primus est, an huiusmodi rapta etiam difficillimè reparabilia, sint iudicãda tanquã habita pro derelicto. Ad quẽ respondetur negatiuè: quia nec veri domini (quamuis non possint recuperare res suas) abdicauerũt à se dominiũ illarũ: nec ex cõditione rei, loci aut temporis derelicto huiusmodi cõsurgit, vt in thesauris, & similibus. Distinguendũ tamẽ esse inter rem & rẽ, videmus Romæ quoniam seræ, vectes, & id genus reliqua publicè exposita, Romæ nullum inuenientia dominũ, quia nullus scit discernere eras suas ab alienis (quum etiã vendẽtes lateat cuius fuerint) nec derelicta habentur per accidens & licitè emuntur publicè. Dixi per accidens: quia discernere nemo potest cuius fuerint: & publicè ac promiscue quilibet emit, quamuis nõ dubitetur, quòd pars direptionis Romanæ fuerint: hæc enim signa derelictionis sunt. ¶ Secũdus est, an rapta à prælatis, possint licitè emi post diem seu certum tẽpus: vr nonnullæ leges admittunt. Ad quẽ respondetur negatiuè in foro conscientiæ, quamuis ciuiles leges impunitatem concedant ad euitandas lites. Et ratio illicitæ emptionis in vtroq; articulo est, quia emitur res aliena sine consensu veri domini.

¶ Tertius est, an in huiusmodi casibus in emẽtibus sciẽter tota resolutio sumẽda sit ex intentione vtilitatis propriæ, vel dominii: ita q̃ emẽres pro sua totaliter vel principaliter vtilitate, sint malæ fidei possessores: emẽtes autẽ pro domini principaliter emolumẽto rectè faciãt pretiũmq; repetere possint. Ad quem respondetur, q̃ per se loquendo nulli licet emere rem alienam sine consensu veri domini: & si quis emit, etiã bona fide, tenetur ad restituẽdum rem empram, quã habet, vero domino, nec potest pretium solutũ petere à vero domino: quia tenetur ad restitutionem nõ ratione iniustæ adeptionis, sed ratione rei alienæ, quæ apud ipsum est. Nec hoc est vertendũ in dubiũ loquendo per se, & proprie. Dico autẽ proprie: quia magni refert emere vel redimere: nam emere huiusmodi aliena nõ licet: redimere autẽ licet: sed redimit is solus, qui vice veri domini redimit occupatã ab aliis rẽ illius: vnde non redimit, nisi qui personam veri domini indueps, significatus est vero domino, vt rem suam recuperet redemptionis pretio soluto. Nec solum licet, sed pium est redimere viliori pretio huiusmodi res. Emere autem proprie & per se non licet. Dico autem per se: quia per se accidens potest esse licitum: vt si cognoscam res raptas fuisse cõsanguinei mei, impotentis redimere & destituti omni spe recuperandi res suas, & præsumens gratum esse consanguineo meo, quòd ego fruar rebus sic irreparabilibus, emam illas. Sed eorum, quæ contingunt per accidens, non est certa regula.

¶ Quartus est, an dictũ cuiusdã doctoris dicentis sic, probabiliter credo, q̃ totaliter emens paratus reddere vero domino, si comparuerit, credẽs tamen q̃ nõ comparebit: & cõsequẽter sperans pro se rem habiturum, nõ peccat: quia verisimiliter potest de veri domini voluntate præsumere, sit in cõscientia tutum, & aliis diuulgandum. Ad quẽm patet ex dictis responsio, scilicet quòd nec per se explicitum (quoniã ratione rei alienæ tenetur ad restituendum vero domino sine pretio, quandiu res est apud eum; nec ipsa adeptio caret iniuria, ex eo quòd notum emẽti est, quòd res est aliena) nec per accidens apparet aliquid speciale excusans adeptionem: quoniam communia tantùm proponuntur in articulo.

¶ Quintus est, an emat rectè quis ex pietate calices & huiusmodi sacra, dedignatus, quòd manent apud infideles, daturus propria autoritate ea occurrenti Ecclesiæ, habito pretio. Et huic adiungitur, an dominus talium sit censendus omnino ignotus, stante notitia regionis puta Vngariæ. Ad quam respondetur, quòd hoc est vnum per accidens reddens licitam emptionem. Zelus enim Dei humanis omnibus præferẽdus efficit, vt licitè quis hæc redimat de manibus infidelium redditurus, etsi nõ illi ecclesiæ calicis dominæ: quæ nescitur, attamen Ecclesiæ Christi significãdo Ecclesiæ cui datur, vt quantum in se est, & publicet & teneat pro Ecclesia cuius erat, & est restituto pretio redemptionis. Et quamuis non censenda sit Ecclesia omnino ignota, cuius regio scitur: est tamen maior præsumptionis locus ex hac religiosa causa vni Ecclesiæ de alia quam mihi de consanguineo meo: quoniam vnica domus est vniuersa per orbem sparia, Christi Ecclesia. Hæc sunt fili charissime, quæ mihi occurrerunt respondenda. Bene vale, & ora pro me. Romæ die 27. Nouembris, 1529.

Primi Tomi opusculorum Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Xysti finis.

TOMVS SECVNDVS

OPVSCVLORVM THOMAE DE VIO CAIETANI, CARDINALIS SANCTI XYSTI, CVIVS

sunt tredecim vtilissimi Tractatus.

1 *De conceptione beatæ virginis.*
2 *De Eucharistiæ sacramento.*
3 *De celebratione missæ.*
4 *De valore orationum dictarum ab audientibus missam in die festo.*
5 *De præcepto eleemosinæ.*
6 *De monte pietatis.*
7 *De cambiis.*
8 *De vsura.*
9 *De simonia.*
10 *De vsu spiritui alium rerum in peccato mortali.*
11 *De voto.*
12 *De solutione maleficij opera malefici ad hoc parati.*
13 *De spasmo beatæ Virginis.*

TRACTATVS PRIMVS DE conceptione beatæ Mariæ virginis, ad Leonem decimum pontif. maximum, in quinque capita diuisus.

1 *De duplici via discernendi ea quæ fidei sunt, vel ei aduersantur.*
2 *Quæstio de conceptione, quomodo non sit de necessario credendis.*
3 *Quæ de conceptione sententia fidei aduersetur.*
4 *Sententia tenens beatam Virginem fuisse in originali peccato conceptam, quantum probabilis existat.*
5 *Quantum valeant argumenta quæ tenent oppositum.*

CAPVT I.

De duplici via discernendi ea quæ fidei sunt, vel ei aduersantur.

AVSTVM felixq; sit, Leo 10. Pon. Maxime quòd de supremo potestatis tuę opere prima offerendę tuę beatitudini lucubratiuncułę causa fese obtulit. Definitio secretorum Christianę fidei, quę nosse soli Deo natura conuenit, in medium venit, propositum est, vt decernas in Lateranensi synodo, vtrum Deus beatissimam virginem Mariam à peccato originali preseruauerit, an mundauerit. Quocirca duo occurunt scribenda. Primò, vię decernendi ea quę sunt fidei, modique quibus aliquid huiusmodi credendum decernitur, explicabuntur, deinde iuxta singulos modos per vias ipsas sermonis egressus dirigentur.

¶ Duę sunt vię, quibus decerni potest, religioni Christianę quid credendũ sit, altera ordinaria, altera extraordinaria. Ordinaria est diuina reuelatio facta in primis autoribus sacrę Scripturę contenta in canonicis libris Biblię, traditionibusq; Apostolorũ in symbolo & aliis, quę constat ecclesiã per Apostolos suscepisse: vt sacramẽta. Reuelatio deinde facta apostolicę sedi, siue cũ synodo, siue sine synodo. Hęc enim differẽtia ad solẽnitatẽ & congruitatem spectat iudicij apostolici de his quę sunt fidei, & non ad necessitatem: vt vniuersa testatur Ecclesia, Hęreticos indubiẽ tenẽs, qui ab apostolica sede damnatã hęresim sectantur. Reuelatio demum facta sacris doctoribus, his precipuè, quorum & vita & doctrina approbata est ab Ecclesia. Sed est inter hęc distãtia multa: quoniam reuelationi contentæ in sacra Scriptura, & decretalibus fidei inhęremus tãquã necessariis: ita quòd se hæreticum cõprobat quicunque pertinaciter alicui horũ aduersatur. Reuelationi autem factæ sanctis quorum doctrinam Ecclesia suscipit, tanquam probabilibus inhæremus: vt diui Augu. Thomásque scripserunt, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

magistrarerum experientia continua testatur. Nec refert in sacra Scriptura & aliis, an aliquid sit reuelatū explicitè (vt creatio mundi, incarnatio Verbi Dei, & alia eiusmodi) an implicitè vt sunt omnia illa quorum oppositā non possunt sustineri cum veritate sacræ Scripturæ & aliorum quæ certa fide scimus: nisi ꝙ ingenio, labore, tōne, & intellectu opus est, vt manifestētur hæc quæ implicitè dicuntur cōtineri esse necessariò cōnexa illis in quibus cōtinentur. Quò fit, vt in istiusmodi rebus antequā cōstet quid necessariò connexū sit certis & indubitatis fidei traditionibus, vnicuiq; liceat quod rationabilius sibi videtur amplecti, sine pertinacia tamē. Et hinc rōnibus locus dat̄ ad ea, quæ sunt fidei: vt. s. afferantur rationes ostendentes cōsona, aut dissona esse fidei, quæ in dubiū veruntur. Propter ꝙ oportet oēs rationes ad ea, quæ sunt fidei non ex solo naturali lumine, sed ex lumine diuinæ reuelationis in prædictis contentæ procedere, & in diuinam reuelationem in prædictis contentā resoluere. Et ideo nō ratio, sed diuina reuelatio, nō cuicūq;, sed prædictis facta est, cui fides nostra innititur: & secundum eā oportet decernere quicquid in fide decernēdum est. Extraordinaria verò via, qua potest aliquid decerni in fide, esse, si miraculo, quod vere miraculum esset, Deus attestaretur aliquid ad fidem spectans. Sed hic esset opus cautela magna: cum ex parte operū mirorum: quoniā Angelus Satanæ transfert se in Angelum lucis: & signa & prodigia facere multa potest, quæ nos vere miracula à solo Deo factibilia putaremus: vt opera sanitatis, & & elementorū, & similiū. Vnde & Antichristus facturus dicitur tot miracula in oculis hominū, vt si fieri posset, etiā electi fallerentur. Tum ex parte illusionum, vt contingit in præstigiis, tum quia signa teste Apostolo 1. ad Corint. 14. & beato Gregorio in homilia 10. data sunt infidelibus, non fidelibus, Ecclesiæ verò tanquā fideli, non infideli data est reuelatio prophetica & apostolica. Vnde via signorū etsi est à Domino data Marci vlt. propter infideles & ab Ecclesia approbata quo ad fidem personalem, scilicet dicentis se missum à Deo: vt in cap. ex iniuncto. extrà de hære. tamen nisi coram Rom. Ecclesia euidentissimè fieret, verum & indubitatum non mirū, sed miraculū, expresè ad testificandū hoc esse verum, non deberet Romanus Pōtifex determinare aliquam fidei ambiguitatem ex hac via. Et ratio est, quia habemus à Deo ordinariam viam decretorum fidei: in tantū vt si Angelus de cælo oppositum huius ordinatiæ viæ diceret, non esset ei credendum: vt Apostolus dicit ad Gal. 1. Accedit ad hæc, ꝙ miracula quæ ab Ecclesia suscipiuntur in canonizationibus Sanctorum, quæ tamen maximè autentica sunt, quum humano testimonio innitantur (eorum scilicet qui testātur) non omnino certa sunt: quoniam scriptum est: Omnis homo mendax: licet sint certa more humano, fidei autem Christianæ certitudo non humano more certa esse debet, sed infallibile omnino debet habere testimoniū: quale nullus homo, sed solus Deus præstare potest. Vnde & Petrus Apostolus cælestis vocis in transfiguratione Domini à se auditæ proprio testimonio tanquam humano vtens, subiungit. Et habemus firmiorem propheticum sermonem subiungendo quod non voluntate humana prophetia allata est. diuino ergo testimonio, non humano certitudo haberi debet in decernendo iudicialiter res fidei.

¶ Ex dictis autē patet, nō solum decernendi via duplex: sed & modus duplex, quo credendum esse decerni potest. Nā quædā decernuntur credenda tanquā necessariò credēda, ita ꝙ contrariū sentiens est hæreticus, quædā verò tanquam probabiliter & piè credenda, ita ꝙ contrarium sentiens non est hæreticus: vt de assumptione beatæ Virginis cum corpore, & sanctificatione eius in vtero matris, & aliis huiusmodi communis Ecclesiæ pietas probabiliter credit. Ratio autē quare omnis via tam ordinaria, quàm extraordinaria decernēdi ea, quę sunt fidei, sola reuelatio diuina est, in proptu est: quia scilicet ea, quæ sunt fidei, lumen humanæ mentis excedunt, & ex solo diuinę voluntatis beneplacito dependent istiusmodi singularia. scriptum est autem, quòd quæ sunt hominis nemo nouit nisi spiritus hominis, & quæ sunt Dei, nemo nouit nisi spiritus Dei, & cui voluerit Spiritus reuelare. Hæc de primo.

CAPVT II.

Quæstio de conuertione quomodo non sit de necessario credenda.

DICTIS autem viis, incedendo, vt propositū deinde fuit, manifestatur primò, ꝙ neutra pars quæsiti vt in dubium vertitur, est necessariò credenda. Et ratio est, quia neutra in sacra Scriptura certisque fidei dogmatibus necessariis explicite habetur, & vtraque Pars substineri potest cum veritate sacræ Scripturę reliquisque necessario creditis a Christi fidelibus. Et de parte quidem illa, quæ tenet beatam Virginē à peccato originali mundatā, certum est ꝙ fidei consonat, tum: quoniam vniuersales propositiones de peccato originali in omnibus pure hominibus, in sacra Scriptura habentur: vt patet ad Ro. 3. & 5. & 2. ad Cor. 5. tum quoniam vniuersali redemptioni Christi in sacra Scriptura traditæ consonat, tum quoniam innumera sacrorum doctorum & sanctorū multitudo hanc parte explicite tenuit, vt infrà patebit. De parte autem alte-

ra credente scilicet beatam Virginem præseruatā à peccato originali, licet quidam scripserint, quod cōtrariatur sacræ scripturæ & determinationi Ecclesiæ, quidā autem quod nō: mihi tamē theologorū minimo distinguendum videtur circa sensum huius opinionis. Nam potest dupliciter intelligi. Primò, vt beata Virgo sit præseruata totaliter à peccato originali, ita ꝙ fuit exempta ab omnibus ad dictum peccatū spectantibus. Secūdò, vt beata Virgo sit præseruata à sola macula peccati originalis per infusionem gratię personalis. Est autem inter istos duos sensus maior distantia, quā inter cœlum & terrā. Nam cùm anima alicuius hominis qui generatur, incurrit originale peccatum, non solùm macula originalis peccati contrahitur, sed in primo instāti, in quo anima rationalis creādo infunditur, & infundendo creatur, prius secundū naturæ ordinē caro seu materia, cui anima infunditur, est infecta, vt pote genita ex commixtione vtriusque parentis, & propterea anima, quę infunditur illi carni, contrahit maculā in seipsa originalis peccati: quia infunditur carni infectæ: neque solam maculā ex carnis infectione cōtrahit persona in vtero genita, sed multa alia, scilicet reatum clausæ cæli ianuæ, fomitē peccati, & pœnā mortis temporalis: ita ꝙ infecta caro, cui infunditur anima est, in qua fundatur ratio non potentiæ contrahendi originale peccatū, sed ratio contracti in propria persona debitis, ꝙ contrahatur in anima rationali sua peccatum originale, & secūdum maculam, & secundum reatum pœnarum spiritualis & temporalis, imò est talis carnis infectio peccati originalis initium inexistēs in persona, quæ tunc simul concipitur, & concepta est. Quocirca positio dicens beatam Virginē præseruatā totaliter à peccato originali dicit ipsam non cōtraxisse carnē suā infectā: ac per hoc nō solū sine macula peccati conceptā & reatibus & fomite: sed etiam sine debito in propria persona habendi hæc. Positio verò dicēs beatā Virginē præseruatam solum à macula peccati originalis, & iis quæ à macula sunt inseparabilia (vt est reatus æternæ pœnæ damni) non negat beatam virginē carnem habuisse infectam: ac per hoc in propria persona debitum cōtrahendi maculam originalis peccati, & quo ad maculā, & quo ad reatus omnes, & fomitem: sed præseruante Dei gratia, non redundauit in animam illius macula peccati originalis, licet redūdauerit & fomes, ligatus tamen per gratiam & reatus clausæ ianuæ vitæ æternæ, & mortis temporalis: quia hæc pœna. s. mortis, erat naturæ ex parte carnis: illa. s. clausæ ianuæ erat natura ex parte temporis: quia scilicet Christus adhuc non aperuerat per suam mortem ianuas paradisi clausas per originale peccatum: & similiter fomes ex parte carnis se tenet.

CAPVT III.

Quænam de conceptione sententia fidei aduersetur.

INTER has igitur opiniones hæc mihi videtur quo ad fidē differentia, quod positio dicens beatam Virginem esse præseruatā à peccato originali & reatibus &c. est contraria fidei catholicæ: quoniam repugnat his, quæ in sacra Scriptura & aliis documentis fidei certis & necessariis continentur. Oportet namque de beata Virgine firmiter credere, ꝙ Christus est mortuus pro ipsa, & ꝙ ipsa est mortua morte peccati: quoniā in sacra Scriptura habetur ista conditionalis, Si Christus est mortuus pro omnibus, omnes mortui sunt, vt patet secundæ ad Cor. 5. c. Constat enim ꝙ omnis conditionalis vera est necessaria: & quòd à destructione consequentis ad destructionem antecedentis valet argumentum. Formata ergo ratione clarè apparebit, Scripturam esse falsam, & fidem nostrā procedendo sic: Si Christus mortuus est pro omnibus, omnes mortui sunt, sed per istam positionem, Non omnes mortui sunt, quia beata Virgo nō est mortua morte peccati: ergo Christus non est mortuus pro omnibus: quod est manifesta hæresis. Non potest hic locus glossari, quod Omnes, distribuat generaliter, & quòd patitur exceptionem, & similia: quoniam constat quod in hanc propositionem illud signum, Omnes distribuit pro omnibus sine vlla exceptione: quoniā hæreticum constat esse, dicentem Christū non esse mortuum pro omnibus sine vlla exceptione. Nec etiam potest negari, quin de morte peccati sit sermo in consequēti: vnde Aug. in 6. contra Iulianum, tractans hæc verba Apostoli, concludendo dicit hæc verba. Consequens ergo esse voluit vt omnes intelligantur mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo nō in corpore, restat vt in peccato mortuos esse omnes, pro quibus mortuus est Christus, nemo neget, nemo dubitet, nisi qui se negat, aut dubitat esse Christianū. Hæc ille. Vnde cum opinio illa neget beatam Virginem moriuam morte peccati, ac per hoc Christum non mortuū esse pro ipsa, sustineri iudicio meo non potest. Et ne longius protrahatur hoc, oportet summariè ante oculos habere, quod istæ quinque propositiones sunt omnino conferendæ, scilicet, Christus mortuus est pro beata Virgine: beata Virgo est aliquo modo mortua morte peccati: beata Virgo est recōcta Deo per Christum: beata virgo est redempta per mortē Christi, beata virgo esset post sanctificationem sui non nisi per Christi mortem aditum habuit paradisi apertū. Quibus adduntur aliæ aut

per se notæ (scilicet ꝙ omnis reconciliatus fuit inimicus, & quòd beata Virgo mortua est morte tēporali) aut determinatè per Ecclesiā, scilicet omnis homo redēptus à Christo fuit verè captiuus, & mors est pœna peccati originalis. Primam enim harum refert Aug. ad optatā de origine animæ à Papa Zozimo decretā, dicens, In epistola Zozimi sic legitur: Nullus, nisi qui peccati seruus est, liber efficitur: nec redēptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuit ante captiuus, sicut scriptum est, Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Et subdit, In his verbis Apostolicæ sedis tam antiqua atque fundata certa & clara est fides catholica, vt nefas sit de illa dubitare Christiano. Hæc ille. Secundam verò, scilicet ꝙ mors est pœna peccati originalis, constat decretam esse à Concilio Mileuitano: vt patet de conf. dist. 4. cap. placuit. Vnde patet ꝙ distinctio illa de redemptione præseruatiua, vel liberatiua, quo ad homines reprobata est, per Rom. Ecclesiæ determinationē: quamuis sanctus Bern. super canticis sermone 22. illam vsurpauerit quo ad Angelos. Sunt & aliæ vniuersales propositiones certæ & indubitatæ, s. per vnū hominē peccatū transiit in omnes, & per peccatū mors, ad Ro. 5. & omnes in Adā peccauerunt, ad Ro. 3. Et quisquis hominē aliquē esse putat cui necessaria non fuerit remissio peccatorum, excepto vno Mediatore, contrarius est sacræ Scripturæ, inquit Aug. in lib. de perfectione iustitiæ. Et solus Christus habuit similitudinem carnis peccati. Et aliæ huiusmodi, quæ aut nullo modo, aut vix possunt saluari ab huiusmodi opinione, si tamē opinio nominanda est, quum videatur manifestus error in fide. vnde Sixtus 4. in extrauaganti, graue nimis. de hac positione nō se impediuit, sed solùm de præseruatione beatę Virginis à macula peccati originalis: vt expresè patet legenti illam. Damnanda ergo videtur specialiter positio, quæ assereret beatam Virginem totaliter præseruatam à peccato originali, vt scilicet nihil eius incurrerit: quamuis neminem adhuc sciam hoc tenuisse.

¶ Iuxta autem sensū intellecta opinio de præseruatione beatæ Virginis, scilicet quod præseruata est à macula peccati originalis, & nō ab infectione carnis, ac per hoc nec à debito in propria persona illius maculæ, nec à fomite & pœnis, nō est contraria sacræ Scripturæ, nec determinationi Ecclesiæ, nec aliquibus necessariò creditis, quoniam beata Virgo præseruata ex speciali præuētione gratiæ à macula originalis peccati, & habēs cætera quæ diximus, non est extra latitudinē mortuorū inimicorū, indigētium remissioni peccatorū, captiuorū, habentiū carnem peccati, obnoxiorū morti & clausuræ cœli. Et consequēter non est extra latitudinē eorū pro quibus Christus mortuus est, recōciliatorum, liberatorū, redemptorū, mundatorum, introductorū denique per Christi mortē in vitam æternam animæ & corporis. Et in proptu ratio est: quia ex eo ꝙ habuit carnē infectam cum fomite ligato & reatibus, egebat futuro remedio per incarnationem & mortem Iesu Christi exhibendo. Et ex eo quòd in propria persona habuit debitum cōtrahendi maculā originalis peccati imo initiū, vnde redundare in animā suam debebat originalis peccati macula, gratia illa quæ præueniendo sanctificauit eam, ligando etiam fomitem habuit rationē gratiæ mundatiuæ, reconciliatiuæ, redēptiuæ, &c. Liberans nanq; animā à macula nō actualiter habita, sed ex propria carne tunc debita, & in eadem carne tunc initiata, non extra latitudinē liberantiū à peccato, mundantiū à sorde, redimentium à captiuitate. Neq; enim vno modo tantum quodliber horum dicitur: sed latitudinē habet. Dicitur nanq; captiuus non solùm qui totaliter in captiuitatem est redactus, sed qui cœpit in sui aliqua parte duci in captiuitatem & obnoxius est captiuitati. Et similiter dicitur mors peccati, non solùm ipsa actualis mors, sed debitum & initiū in propria persona habendi illā. Et similiter dicitur à peccato originali mūdatus, nō solū qui à contracta actuali macula mundatus est: sed qui à macula quidem in debito & initio in propria persona fundato, & reliquis tot quasi partibus peccati originalis actualiter cōtractis mundatus est: & sic de aliis. Nec putet quisquā de mea hanc phantasia me proferre: sed videat diuum Tho. in Prima secundæ, quæst. 81. art. 3. (vbi inter alia tractat etiam illud ad Rom. 5. Per vnum hominem peccatum transiit in omnes, & per peccatū mors) sustinentē ꝙ per mortem sufficit intelligere debitum, seu reatum in propria persona mortis, quāuis nunquam actualiter aliquis moreretur. Ex quo habetur, ꝙ cùm Apostolus duo fimul dicat, scilicet ꝙ in omnes peruenit peccatum & mors, sicut secundū scilicet mors sufficienter saluatur, exponendo mortem vel in actu vel in debito in propria persona, ita & primum scilicet peccatum, saluatur exponendo peccatū in actu, vel in debito in propria persona. Dixi autem toties in propria persona: quoniam si debitum aut initiū peccatum originalis nō ponitur propriū illius, qui concipitur, sed cōmune, iam non saluaretur: ꝙ illa persona esset mortua, redempta, reconciliata, &c. Nec esset formalis differentia inter errorē Iuliani contra quē scribit August. ponentis per gratiam redēptionis Christi filios Christianorum præ-
uatos à peccato originali, quod habebant in debito communi: sed esset materialis differentia, quia ille gratiam præseruationis communem Christianorum filiis potuisset, hic autem poneretur propria vni. Saluatur quoq; manifestè in hac positione singularis prærogatiua Iesu Christi, ꝙ solus conceptus est sanctus, & non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati: nō solū ea ratione, quia ipse ex vi, seu natura suæ conceptionis, quæ natiuitas in vtero vocatur, sanctus nasceabatur (iuxta verbū Gabrielis ad beatā Virginem, Quod ex te nascetur, sanctū) sed etiā quia beata Virgo concepta est cum carne infecta, sed cum anima sancti ex gratia impediente redundantiam infectæ carnis in maculam animæ. Saluantur & omnes vniuersales propositiones in Scriptura & Ecclesię determinationibus vt facilè puto apparere excercitatis ingeniis ex dictis. Nec obstat dictis si obiiciatur quòd reatus & fomes dicti consequuntur infectā carnem mediate maculā in anima: ac per hoc si maculanō est subsecuta, nec ista sunt secuta, imo videtur ꝙ sine maculæ incursu, iniustè anima rea remaneat, quum pœnæ iste propriæ culpæ originalis tamen sint pœnæ. Hoc inquam non obstat: quia mediatio maculæ, licet sit ordinaria, non tamen est sic necessaria, vt impedita macula oporteat impeditā esse consecutionem aliorum: sufficit enim, ꝙ omnium horum communis radix, scilicet infecta caro, sit in instantillo, quo anima infunditur infectæ carni. Nec est iniustum quòd habenti culpam in proprio debito & initio, actualis culpæ incursus impediatur & reatus pœnarum naturæ remaneant: quoniam extra propriam culpam originalē omnino non est qui in proprio debito & initio illam habet.

¶ Et quoniā in hoc sensu prædicatur hodie beata virgo præseruata à peccato originali ab his qui dicunt ipsam sine originali peccato conceptā (ita quòd per peccatum originale intelliguut maculam peccati originalis: vt patet ex prædicta bulla, seu extrauaganti Xysti quarti edita in fauorē huius opinionis de præseruatione à macula originalis peccati: & ex studio Scoti in 3. sen. di. 3. q. 1. ad hoc tendentis, vt à culpa, offensa inimicitiáque animam beatæ Virginis in cōceptione præseruaret: à qua pueri nunc per Baptismū, & olim per circūcisionem liberi sunt effecti. Et ex defensionibus Francisci de Maironis in 3 sen. dist. 3. q. 2. in quibus conat̄ saluare sanctitatē formaliter, cuius sola est anima susceptiua in beatę Virginis cōceptione præoccupantē peccatū originale) ideirco, quum de duabus opinionibus de conceptione beatæ Virginis erit reliquus sermo, an mundata, an præseruata fuerit ab originali peccato, de ipsa macula originalis peccati intelligendus est. Quocirca coērcendæ sunt prædicatorum linguæ, scriptorūq; manus in hac quæstione: & neutrā debēt damnare partē vt erroneam, vt fidei, vt sacræ scripturæ, aut Ecclesiæ determinationi cōtrariam: sed obsequi scribere & loqui debent, & nō plus sapere, quàm oportet, iuxta apostolicæ sedis præceptum à Xysto quarto editum.

CAPVT IIII.

Sententia tenens beatam Virginem fuisse in originali peccato conceptam, quam probabilis existat.

QVVM igitur neutra pars sit necessariò credenda oportet videre, an altera an vtraque sit probabilis. Quòd enim pars illa, quæ tenet beatam Virginem esse à peccato originali mundatam, probabilis sit, ex eo patet quòd tot sancti doctores, & tot illustres doctores in Theologia, & iure canonico, qui scripserunt, hanc partem non in cōmuni, sed in singulari nominatim de beatissima Virgine Maria loquentes docuerunt. Et ne fingere videar, nominatim sanctos in suis locis afferre censui, ita vt eorum non solum nomina & loca, in quibus hæc scripserunt, sed verba afferantur. Occurrunt ergo quindecim sancti.

Sanctus August. super Psalm. 34. dicit, Adam est mortuus propter peccatum, Maria ex Adam mortua est propter peccatum, caro autem Domini ex Maria mortua est propter delendā peccata. Et in libro secundo de Baptismo paruulorum dicit, Solus ille homo factus manens Deus peccatum nullum vnquam habuit, nec sumpsit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati. Et in li. 10. super Genesim ad literam dicit, Corpus Christi quamuis ex carne fœminæ assumptum sit, quæ de illa carnis peccati propagatione concepta fuerat: tamen quia non sic in ea conceptum fuit, quo modo fuerat illa concepta, ideo ipsum non fuit caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Sanctus Ambrosius super, Beati immaculati. dicit, Venit Dominus Iesus, & in carne, quæ peccato in matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit.

Sanctus Ioannes Chrysostomus super Matthæum dicit, Quāuis Christus non esset peccator, naturam tamen humanam de peccatrice suscepit.

Sanctus Eusebius Emissenus Episcopus in secundo sermone de Natiuitatis Domini, qui incipit, Nostis charissimi, ait: A peccati originalis nexu nullus immunis extitit, nec etiā ipsa genitrix Red.

Sanctus Remigius super Psalmum, Deus Deus meus respice, dicit, Beata Virgo Maria fuit ab omni macula peccati mundata, ita vt ex ea conciperetur sine peccato homo Christus Iesus.

Sanctus Maximus in sermone de Assumptione beatæ Virginis dicit, Beata Virgo gloriosa fuit in vtero matris sanctificata ab omni contagione originalis culpæ antequam nasceretur, & per

Spiri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Spiritum sanctum mundata.

Sanctus Beda in homilia super Missus est, (& habetur in glossa ordinaria) dicit, Spiritus sanctus superueniens in Virginem mentem eius ab omni vitiorum sorde castificauit, & ab omni æstu concupiscentiæ carnalis cor eius temperauit atque mundauit.

Sanctus Anselmus in libro, Cur Deus homo, cap. 16. dicit, Licet ipsa Christi conceptio munda sit, Virgo tamen ipsa vnde assumptus est, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater eius.

Sanctus Bernar. in Epistola ad Lugd. dicit, Beata virgo post conceptum in vtero iam existens sanctificationē accepisse creditur, quæ excluso peccato sanctā fecerit natiuitatē, nō conceptionem.

Sanctus Erardus Episcopus & martyr in sermone natiuitatis beatæ Virginis dicit, O fœlix puella, quæ concepta in peccato purificatur ab omni peccato, & filium concipit sine peccato.

Sanctus Antonius de Padua ordinis Minorum in sermone de natiuitate beatæ Virginis dicit, Beata virgo fuit in vtero matris à peccato per gratiam sanctificata, & sine peccato nata.

Sanctus Thomas de Aquino in tertia parte, quæstione 27. articulo 2. dicit, Beata virgo Maria, quia fuit concepta ex commixtione parentum, originale peccatum contraxit.

Sanctus Bonauentura ordinis Minorum in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. arg. 2. dicit, Dicendum est ꝙ beata Virgo fuit concepta in peccato originali, & quod eius sanctificatio subsecuta est peccati originalis contractionem. Hic modus dicendi est communior, & rationabilior & securior. Communior, quia ferè omnes id tenent. Rationabilior quia esse naturæ præcedit esse gratiæ, &c. Securior quia magis consonat fidei pietati, & sanctorum autoritati, &c.

Sanctus Bernardinus ordinis Minorū in sermonum suorum opere tertio incipiēte, Ignis à facie eius exarsit, in tractatu de beata Virgine, sermone quarto, incipiente, Sicut sol oriens mundo, dicit, Tertia fuit sanctificatio maternalis, & ista remouet culpam originalem, confert gratiam, & remouet pronitatem ad peccandū tam mortaliter, quam venialiter, & hæc fuit in Virgine matre.

Sanctus Vincentius confessor in sermone de conceptione Virginis dicit, Beata virgo Maria fuit in originali peccato concepta, sed, eadem die & hora statim post animationem fuit per sanctificationem à peccato contracto mundata.

¶Præter dictos autem Sanctos multitudo magna antiquorum doctorum conuenit dicens in indiuiduo beatam Virginem conceptam in peccato originali, quorum dicta aut in fonte, aut in libris domini Ioannis de Turre Cremata, & magistri Vincentij de Castro nouo, de conceptione Beatæ Virginis compillatis, vnde sumpta sunt inuenire quilibet potest.

¶Hi sancti atque doctores probabilem valde reddunt fidem credentium, beatam Virginem in originali peccato conceptam.

ET Quia autoritates istæ, nō de humano genere, aut Christianis in communi, sed de beata Virgine in indiuiduo expressa loquuntur, ideo glossa illa, qua Sanctorum autoritates intelligendę, dicuntur de lege communi, & non de priuilegio singulari, locum hic nullum habere, tū quia glossa huiusmodi de lege cōmuni, aut priuilegio locum habere potest, quando est sermo in cōmuni, seu vniuersali (propter quod non attuli vniuersales propositiones Sanctorum solum Christum à peccato originali excipientiū) sed quando est sermo de aliquo singulari indiuiduo nominato, locum non habet glossa, quòd intelligatur de lege communi: nisi hoc (scilicet sermonem esse, quantum est ex lege communi) specificetur, vel ex ignorantia, aut maleuolentia, aut dissimulatione hoc procedat, quæ omnia longe à Sanctis, & eorum autoritatibus allatis esse cōstat. Tum quia ex eo ꝙ sancti doctores beatā Virginem in particulari explicant, subiacere legi cōmuni in conceptione cum peccato originali, & excipiūt ipsam beatam Virginē à communi lege aliorum in duratione peccati originalis (quia dicunt ipsam ex priuilegio sanctificatam in vtero) constat ꝙ sancti & doctores antiqui beatę Virginis priuilegia serutati nullum de præseruatione eius à macula originalis peccati priuilegium admiserunt.

¶Excludunt quoque dictæ autoritates glossam aliam, s. de facto, vel ex debitis, vel (& in idem redit) quantum est ex se, vel ex causa extrinseca. Quasi Sancti intenderint quòd beata Virgo incurrerit peccatum originale nō de facto, sed de debito: hoc est quia debuit cōtrahere originalem maculam, sed non contraxit de facto, similiter ꝙ quantū est ex se, beata Virgo contraxisset peccatū originale: sed de facto nō contraxit ex causa extrinseca, Deo, s. præseruante per suam gratiam. Hanc, inquam, glossam excludunt, tū quia ly de debito, & ly quantū est ex se, est conditio secundū quid aut diminuens: quoniam habens aliquid quantū est ex se, vel de debito non habet illud simpliciter & absolutè, sed si solum ex debito habet, secundū quid habet: & si solum quantū est ex se habet, non habet illud, sed oppositum illius. Sancti autem & doctores dicunt quòd beata Virgo habuit peccatum originale sine vlla conditione secundum quid, aut diminutione, ac per hoc simpliciter & absolutè. Tum quia non deerant vocabula sanctis & doctoribus, quibus debitum originalis peccati in beata Virgine, & non peccatum ipsum explicarent. Tum quia petendum est ab iis, si verba ista, beata Virgo fuit concepta in peccato originali, & similia, non explicant quod ipsa de facto contraxit originale peccatum, quibus verbis vti debebant sancti & doctores ad hoc explicandum. In his nanque explicatur persona beatæ Virginis nominatim, vt subiectum originalis peccati: explicatur tempus conceptionis, explicatur originale peccatum, explicatur factum per ly concepta est, contraxit & similia: quid vltra debuit apponi? Et si ista hic non significant, consequens est, vt dicentes oppositum, scilicet beatam Virginem non esse conceptam in peccato originali, non significant hoc quod dicunt. Fatuæ ergo atque temerariæ sunt huiusmodi non extorsiones, sed corruptiones autoritatum, locutionúmque Latinarum.

¶Repellunt etiam dictę autoritates glossam de conceptione ante infusionem animæ, vel in ipso instanti infusionis animæ, quasi Sancti & doctores intendant, ꝙ beata Virgo fuit concepta in peccato originali, quo ad conceptionē ante infusionē animę, & nō quo ad conceptionē in infusione animæ. Tum quoniam sancti & doctores ita loquuntur de conceptione beatæ Virginis in peccato originali, sicut de cōceptione aliorum hominum per cōmixtionę seminum genitorum: constat autē quòd fermo semper est de conceptu in infusione animæ: ergo. Tum quoniā ante infusionē animæ non habet locum peccatū originale: quoniā sine anima rationali nō inuenitur Culpa originalis Tum quoniam loquuntur de beata Virgine, constat autem quòd ante infusionem animæ non erat beata Virgo. Restat ergo, vt sola illa stultitia pro glossa Sācto rum & antiquorū doctorum admissione digna sit, scilicet si Sancti & prisci doctores nunc essent, dicerent oppositum. Hanc ergo glossam ita veram putauerim, quemadmodum verum puto, quod si Christus nunc in terris conuersaretur, mutaret doctrinā fidei suæ vt conformaret se populis, &c. Stant igitur solidæ allatæ Sanctorum & doctorum autoritates ad sustinendum beatam Virginem conceptam esse in peccato originali: & propterea rationabilem probabilémque esse partem illam constat.

CAPVT V.

Quantum valeant argumenta tenentium Beatam virginem ab originali peccato fuisse præseruatam.

ALTERIVS autem partis (scilicet ꝙ beata Virgo præseruata est de specialissima gratia à macula peccati originalis) probabilitas affertur ex nouem: ex autoritate doctorum multorum, ex determinatione synodi, ex cultu ecclesiastico, ex indulgentia concessa, ex communitate sequacium, ex scandalo piarum aurium, ex pietate opinionis, ex reuelationibus nouis, ex miraculis. Quæ sigillatim examinanda sunt pro veritatis honore.

DOCTORES tenentes beatā Virginem esse præseruatam sunt numero infiniti, si ad modernos spectemus. Paulo ante tamen aliqui, licet pauci fuerunt: vt Scotus, Franciscus de Maironis. Et beatæ Brigidæ reuelatum dicitur beatam Virginem præseruatam esse ab originali peccato.

¶Sed hæc probabilitas valde exigua est: tum quia est contra tot Sanctos, & nullus est inter istos Sanctus. Sanctæ autem Brigidę è regione ponitur sancta Catharina de Senis, quæ dixit sibi reuelatum esse oppositum: vt refert Archiepiscopus Florentinus in prima parte Summæ suæ titulo 7. cap. secundo, circa finem.

Et maiori fide digna videtur sancta Catharina: quia canonizata est sicut cæteri sancti: sancta vero Brigida canonizata est tempore schismatis, quo nullus habebatur certus & indubitatus Papa, à Bonifacio in sua obedientia nono. Tū quia in iis, quæ sunt fidei, magis sentiendū est cum antiquis, quàm cū modernis. Tum quia ipse Scotus, qui primus doctor, aut inter primos introducit hanc opinionem timet hanc opinionē sequi. Nam in 3. sent. dist. 3. quæstione 1. post tractatas de conceptione Virginis cum peccato aut sine peccato originali opiniones dicit, Quod autem horum factum sit, Deus nouit: si autoritati Ecclesiæ, vel autoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile quod excellentius est attribuere Mariæ.

¶Quod autē nouisſint omnes doctores, hanc opinionem tenentes patet ex eo, ꝙ Magister senten. de Sāctorum testimonio in re hac dicit in 3. dist. 3. Sanè dici potest, & credi oportet iuxta Sanctorum attestationis conuenientiam, ipsam (scilicet carnem Christi) prius peccato fuisse obnoxiam sicut & reliqua virginis caro: sed sancti Spiritus operatione ita mundatā, vt ab omni peccati contagione immunis vniretur verbo, Hęc ille. Et sanctus Bonauētura in 3. sen. dist. 1. q. 1. loquēs de autoritate sanctorum dicit, Nullus autem inuenitur dixisse de iis, quos vidimus & audiuimus auribus nostris beatam virginem fuisse ab originali peccato immunē in sui conceptione. Et Adam angelicus in 3. sent. d. 3. dicit, Si credendum est dictis Sanctorū, tenendū est beatam Virginē fuisse conceptam in peccato originali: & nullus Sanctorum inuenitur dixisse contrarium.

rium. Hæc ille. Et ipse Franciscus de Maironis, in 3. dist. 3. q. 2. ar. 4. dicit, ꝙ non obstante ꝙ B. Virgo fuerit præseruata à peccato originali, propter dicta tamen Sanctorum possumus dicere ꝙ aliquo modo peccatum originale contraxit. In quibus verbis ipsemet ostendit, ꝙ dicta Sanctorū cogunt ad confitendum peccatū originale in beata Virgine. ipse enim labor istorū ad glossandum dicta Sanctorū testatur, ꝙ sancti cōtraria suæ opinionis sonāt. Quamuis vanus sit eorū labor, nisi ad autoritates Sanctorū, quæ in cōmuni de humani generis originali peccato loquuntur, referatur. Illæ nanque quæ de originali peccato in beata Virgine in indiuiduo contracto loquuntur, glossari nequeunt: vt patet ex dictis. Propterea non est mirū, si nullus Sanctus, nullus illustris doctor antiquus pro hac parte afferatur nisi fortè à falsariis. Vnde autoritates quorundā Sanctorū (s. Augustquū de peccatis agitur de Maria propter honorē domini, nolo habere quæstionem. Et Anselmi, decuit, vt mater Domini ea puritate niteret: &c. Et S. Tho. in primo sent. Immunis fuit ab omni peccato, &c. & si quæ sunt similes quæ pro hac opinione afferūtur) licet scholastica dispūtatione nō sint indignæ: à iudicio tamē veritatis procul esse debent: quoniam nō dictis facilè veras glossas & expositiones rationabiles habentibus extorqueri debet hæc singularis veritas: sed debēt afferri autoritates Sanctorū & antiquorū non in genere, sed in specie peccati originalis maculā negātes à beata Virgine, non tempore conceptionis Iesu Christi, sed tempore conceptionis propriæ: vt nos fecimus pro opposita opinione. prætermittendo communia. Constat nihilominus allatos tres Sanctos expresse docuisse beatam Virginem cum peccato originali conceptā: vt patet ex allegatis.

DETERMINASSE quoq; dicitur Basiliē. synodū in sessione 36. pro hac opinione in hæc verba, Nos diligenter inspectis autoritatibus & rationibus, &c. doctrinam illam asserentem gloriosam Virginem præuenière & operante diuini numinis gratia, singulari nunquam actualiter subiacuisse originali peccato tanquam piam & consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæ rationi & sacræ Scripturæ ab omnibus catholicis approbandam fore tenendam & amplexandam diffinimus & declaramus, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare seu docere. Hæc ibi. Anno Domini, 1439. 15. Cal. Octobris.

¶Sed isthæc determinatio multo minus prodest quam prima: tum quoniam congregatio illa Basiliē. tunc tēporis non erat synodus, nec Cōcilium, sed erat schismatica. vtpote scissa à capite Ecclesiæ Eugenio quarto: vt patet ex ordine sessionum: nam in 34. sessione, 7. Cal. Iulij deposuerunt de facto Eugenium, Et post in sessione 36. 15. Cal. Octobris sequentis determinarunt de conceptione. Vnde hinc nō nisi synagogæ Satanæ autoritas afferri potest: quòd licet etiam ipsa verba allata contraria dictis Sanctorū, vt in suprà allegatis patet manifestent, vniuersalis tamē Ecclesiæ adorāstunc & post continuè vsq; hodie dictum Eugenium: & Nicolaum quintum eligens ac suscipiens superstite antipapa Basilien. conciliabuli Amadeo locupletior testis est. Quocirca allegare Basilienſem synodum pro tempore illo, quo fuit schismatica, perinde est ac si allegaretur Pisanū nuperrimè contra Iulium secūdum celebratū cōciliabulum: quod vidimus omnes, & manibus terigimus fuisse schismaticum. Tum quoniam dicto conciliabulo è regione opponitur verum ac venerandum Concilium ex Ferraria in Florentiā trāslatū Græcorum & Latinorum sub prædicto Eugenio quarto: vbi inter dogmata fidei tradūtur hæc verba, Firmiter credit, profitetur, & docet sacro sancta Romana Ecclesia, neminem vnquam ex viro fœmináq; conceptum à diaboli dominatu fuisse liberatū, nisi per fidem Mediatoris Dei & hominum Iesu Christi domini nostri: qui sine peccato conceptus, natus, & mortuus, humani generis peccata delendo, solus sua morte prostrauit, & regni cœlestis introitum, quod primus homo peccato proprio cum omni sua successione perdiderat, reseruauit. Hæc ibi. Quæ pro tanto inducta sunt, vt appareat, quòd illo tempore, quo res in quæst. erat, vniuersalis Ecclesia solum Christum excepit ab originali peccato: quod non erat dicendum, si beata quoque Virgo excipienda esset.

ECCLESIASTICVS Deinde cultus affertur, ꝙ iam per omnes ferè Ecclesias Latinas festū conceptionis nō sanctificationis celebratur: insinuando per hoc, quòd nō sanctificata est à peccato originali: sed concepta est sine illo beatissima Virgo.

¶Sed hæc probabilitas dupliciter deficit. Primò quia, multæ Ecclesiæ sunt per orbem diffusæ celebrantes in illo die sanctificationem non conceptionē. Et in hoc Ecclesia vnūquenque in suo sensu abundare permittit. Secūdò, quia constat ꝙ quibuscunque catholicis celebratur hoc festū, celebratur ratione sanctificationis beatę Virginis in vtero matris: siue illa sanctificatio fuerit pręueniens, & quasi præoccupans peccati originalis actualē incursum, vt opinio ista dicit: siue fuerit mundans ab originali peccato iam contracto, vt altera dicit opinio. Quocirca omnes conueniunt in sanctificatione beatæ Virginis: & quòd fuit in vtero & quòd est ratio celebritatis iuxta illud, Tu solus sanctus, Mariā sanctificans. Licet differant in effectu sanctificationis an scilicet præseruauerit, an mūdauerit à macula. Et propterea rationabiliter ab omnibus deberet celebrari dies conceptionis sub nomine sanctificationis, vt nomen consonaret rei.

INDVLGENTIA verò cōcessa nihil cōfert huic opinioni, sicut nec festi celebritas: quia ad honorē beatæ Virginis ob gratiā proprię sanctificationis in vtero fertur, relinquēdo ambiguum an præseruās à macula, an mundans fuerit gratia illa vt dictū est.

¶Quod autem iam communis facta sit hodie ista opinio (ita vt omnes ferè catholici Latinæ Ecclesiæ arbitrentē obseqūū se præstare Deo in huiusmodi sequela opinionis) ex eo reddit opinionem probabilē: quia probabile est quod multis videtur. Sed probabilitas hæc vulgarē autoritatem non excedit: & eisdem contraponitur, quòd probabile in veritate est, quod videtur sapientibus: qui vt patet ex supradictis, contrariam secuti sunt opinionem. Vulgus autem probabile in apparentia non in veritate cōstituit.

¶Quia scandalosa deinde dicitur opposita opinio & piarum aurium offensiua à multis etiā vniuersitatibus Theologorum, probabilis redditur ista opinio. Sed quoniam vniuersitates cōtra tot Sanctorum & communem priscorum doctrinam in his, quæ sunt fidei, præsumptuosæ sunt, & scandalum hoc nō actiuum, sed passiuum inspicientium est potius quam piarum aurium imò Phariſæorum conuinceretur esse, declarata eis veritate, ideo nihil ex hoc probabilitatis fortitur opinio hæc nisi apudignorantes.

¶Pietas denique huius opinionis magna esse dicitur: quoniam pium valde est credere ꝙ beatæ Virgini quicquid gratiæ conferri potuit sub Christo tamē, totū collatum est: quoniam illi dixit Angelus, ꝙ erat plena gratia, &c. Sed hæc radix zelo quidē innititur, sed non secundū scientiā: propter quod à fide ad deuia multa abducere: iuxta hanc siquidem vocatā pietatis regulam liceret cras credere, ꝙ beata Virgo fuit concepta de Spiritu sancto, & tamen sub Christo: quia propterea non esset Deus & homo. Possemus quoque dicere, quòd beata Virgo erat in hac vita simul viatrix & comprehendens: & tamen sub Christo, quia non intam alto beatitudinis gradu. Possemus etiam adhuc dicere, quòd ipsa fuit Deus & homo: & tamen sub Christo, quia Christus masculus, & ipsa mulier: Christus vniuersalis redemptor per suam mortē, ipsa non. Et multa fortè alia erronea aliquis ex tali pietate deduceret. De solo nanque vnigenito Dei credimus, quòd non ad mensuram datus est Spiritus: beatæ autem Virgini, & reliquis sanctis secundum mēſuram donationis Christi plus & minus, prout voluit, datū credimus. Si tamen rēstringatur ad actualem munditiā à peccati macula dicta propositio, & dicatur ꝙ pium est credere, quòd beatæ Virgini quicquid gratiæ, sub Christo tamen conferri potuit ad actualem munditiam à peccati macula collatum est, fateor, quòd pia esset credulitas ista, nisi Sanctorum autoritates obstarēt. Quod Scotus timuit: sed minus docti non timent: propterea fortassis, quia ad pauca respicientes, de facili enuntiant.

¶Nouæ autem reuelationes contra tot sanctos, & antiquos doctores, Angelum satanæ in Angelum lucis transformatum, aut phantasias, vel etiam figmenta sapientibus ingerere videntur. Hæ siquidem cum vocatis miraculis, quæ in hac causa afferuntur pro mulierculis non pro sacra sunt synodo: vnde nec eenseo digna de quibus verba fiant.

EX OMNIBVS autem dictis facilè est colligere ꝙ neutra pars propositæ quæstionis in sensu quo vertitur in dubium, est necessariò credenda: & quòd altera (scilicet dicens, beatam Virginem esse mundatam ab originali peccato) est probabilis: altera verò (scilicet dicens, beatam virginem esse præseruatam à macula originalis peccati) est tolerabilis: & apud hic affectos vel assuetos, aut verè Theologiæ sanctorum patrum, aut nihil habentes probabilis.

¶Hæc iam, beatissime pater, quæ sanctitati tuæ, cuius correctioni atque iudicio hæc, & reliqua à me tam scripta, quam scribenda submitto, offerenda occurrunt. Vnde euidenter cernitur pars credens, beatissimam Virginem ab originali peccato mundata in sinu Sanctorum & sacrorum doctorum priscorum quiescens, nihilque sibi timens à sacro sancta synodo (quandoquidem à Spiritu sancto, quo inspirati locuti sunt sancti Dei homines contrariè in fide sententiæ prodire nequeūt) quin potius sperat, si decernēdum aliquid est, seipsam tanquam probabiliorem, & sanctorū ac doctorū dictis consonā approbandam: exemplo Viennen. synodi sub Clemente quinto, quæ de Baptismi effectu decreuit partem probabiliorem, dictis sanctorū & doctorum consonam. Pars verò reliqua credens, beatā Virginem à macula originalis peccati præsu abundare permittit. Secūdò, quia constat ꝙ quibuscunque catholicis celebratur hoc festū, celebratur ratione sanctificationis beatę Virginis in vtero matris: siue illa sanctificatio fuerit pręueniens, & quasi præoccupans peccati originalis actualē incursum, vt opinio ista dicit: siue fuerit mundans ab originali peccato iam contracto, vt altera dicit opinio. Quocirca omnes conueniunt in sanctificatione beatæ Virginis: & quòd fuit in vtero & quòd est ratio celebritatis iuxta illud, Tu solus sanctus, Mariā sanctificans. Licet differant in effectu sanctificationis an scilicet præseruauerit, an mūdauerit à macula. Et propterea rationabiliter ab omnibus deberet celebrari dies conceptionis sub nomine sanctificationis, vt nomen consonaret rei.

INDVLGENTIA verò cōcessa nihil cōfert huic opinioni, sicut nec festi celebritas: quia ad honorē beatæ Virginis ob gratiā proprię sanctificationis in vtero fertur, relinquēdo ambiguum an præseruās à macula, an mundans fuerit gratia illa vt dictū est.

¶Quod autem iam communis facta sit hodie ista opinio (ita vt omnes ferè catholici Latinæ Ecclesiæ arbitrentē obseqūū se præstare Deo in huiusmodi sequela opinionis) ex eo reddit opinionem probabilē: quia probabile est quod multis videtur. Sed probabilitas hæc vulgarē autoritatem non excedit: & eisdem contraponitur, quòd probabile in veritate est, quod videtur sapientibus: qui vt patet ex supradictis, contrariam secuti sunt opinionem. Vulgus autem probabile in apparentia non in veritate cōstituit.

¶Quia scandalosa deinde dicitur opposita opinio & piarum aurium offensiua à multis etiā vniuersitatibus Theologorum, probabilis redditur ista opinio. Sed quoniam vniuersitates cōtra tot Sanctorum & communem priscorum doctrinam in his, quæ sunt fidei, præsumptuosæ sunt, & scandalum hoc nō actiuum, sed passiuum inspicientium est potius quam piarum aurium imò Phariſæorum conuinceretur esse, declarata eis veritate, ideo nihil ex hoc probabilitatis fortitur opinio hæc nisi apudignorantes.

¶Pietas denique huius opinionis magna esse dicitur: quoniam pium valde est credere ꝙ beatæ Virgini quicquid gratiæ conferri potuit sub Christo tamē, totū collatum est: quoniam illi dixit Angelus, ꝙ erat plena gratia, &c. Sed hæc radix zelo quidē innititur, sed non secundū scientiā: propter quod à fide ad deuia multa abducere: iuxta hanc siquidem vocatā pietatis regulam liceret cras credere, ꝙ beata Virgo fuit concepta de Spiritu sancto, & tamen sub Christo: quia propterea non esset Deus & homo. Possemus quoque dicere, quòd beata Virgo erat in hac vita simul viatrix & comprehendens: & tamen sub Christo, quia non intam alto beatitudinis gradu. Possemus etiam adhuc dicere, quòd ipsa fuit Deus & homo: & tamen sub Christo, quia Christus masculus, & ipsa mulier: Christus vniuersalis redemptor per suam mortē, ipsa non. Et multa fortè alia erronea aliquis ex tali pietate deduceret. De solo nanque vnigenito Dei credimus, quòd non ad mensuram datus est Spiritus: beatæ autem Virgini, & reliquis sanctis secundum mēſuram donationis Christi plus & minus, prout voluit, datū credimus. Si tamen rēstringatur ad actualem munditiā à peccati macula dicta propositio, & dicatur ꝙ pium est credere, quòd beatæ Virgini quicquid gratiæ, sub Christo tamen conferri potuit ad actualem munditiam à peccati macula collatum est, fateor, quòd pia esset credulitas ista, nisi Sanctorum autoritates obstarēt. Quod Scotus timuit: sed minus docti non timent: propterea fortassis, quia ad pauca respicientes, de facili enuntiant.

¶Nouæ autem reuelationes contra tot sanctos, & antiquos doctores, Angelum satanæ in Angelum lucis transformatum, aut phantasias, vel etiam figmenta sapientibus ingerere videntur. Hæ siquidem cum vocatis miraculis, quæ in hac causa afferuntur pro mulierculis non pro sacra sunt synodo: vnde nec eenseo digna de quibus verba fiant.

EX OMNIBVS autem dictis facilè est colligere ꝙ neutra pars propositæ quæstionis in sensu quo vertitur in dubium, est necessariò credenda: & quòd altera (scilicet dicens, beatam Virginem esse mundatam ab originali peccato) est probabilis: altera verò (scilicet dicens, beatam virginem esse præseruatam à macula originalis peccati) est tolerabilis: & apud hic affectos vel assuetos, aut verè Theologiæ sanctorum patrum, aut nihil habentes probabilis.

¶Hæc iam, beatissime pater, quæ sanctitati tuæ, cuius correctioni atque iudicio hæc, & reliqua à me tam scripta, quam scribenda submitto, offerenda occurrunt. Vnde euidenter cernitur pars credens, beatissimam Virginem ab originali peccato mundata in sinu Sanctorum & sacrorum doctorum priscorum quiescens, nihilque sibi timens à sacro sancta synodo (quandoquidem à Spiritu sancto, quo inspirati locuti sunt sancti Dei homines contrariè in fide sententiæ prodire nequeūt) quin potius sperat, si decernēdum aliquid est, seipsam tanquam probabiliorem, & sanctorū ac doctorū dictis consonā approbandam: exemplo Viennen. synodi sub Clemente quinto, quæ de Baptismi effectu decreuit partem probabiliorem, dictis sanctorū & doctorum consonam. Pars verò reliqua credens, beatā Virginem à macula originalis peccati præ

tradere, vel à publicis locutionibus & scandalis consulere digneris: memor illius oraculi, non in multitudine, nec in commotione Dominus. Vale felix semper Auguste, Romæ anno salutis 1515.
¶ Tractatus de conceptione beatę Mariæ virginis, editi per Thomam de Vio Caietanum Cardinalem Sancti Xysti: finis.

TRACTATVS SECVNDVS THOMÆ de Vio Caietani Card. S. Xysti De Erroribus contingentibus in Eucharist. Sacramento, in duodecim capita diuisus.

1 *Quomodo Ioannis 6. Dominus non modo de fide formata in ipsum habenda, sed de ipsius spirituali manducatione in Eucharistiæ sacramento, locutus fuerit.*
2 *Quod Dominus Ioannis sexto dicens, Caro non prodest quicquam, non excluſit ab Eucharistiæ sacramento carnem suam, nec veram corporis sui spiritualem manducationem.*
3 *Quod falsum sit Theologos opinari in Eucharistiæ sacramento corporaliter & perceptibiliter sumi corpus Christi.*
4 *Quomodo non falso, sed vere existimant Theologi fidem venire hominis iudicio & electione, & extendi vsque ad sensibilia.*
5 *Quod sibi inuicem minime aduersantur hæc, in Eucharistiæ sacramento verum Christi corpus esse, & spiritualiter tantum manducari.*
6 *Quomodo non docuerit Theologi nõ esse cogitandum de mysterio Eucharistiæ.*
7 *Quomodo catholicè sint exponenda verba ipsa formæ Eucharistiæ.*
8 *Quomodo non falsum, sed verum sit deleri peccata per hoc sacramentum Eucharistiæ.*
9 *Quomodo Eucharistiæ sacramentum sit sacrificium & in missa offerri sit institutum à Christo, vel Apostolis.*
10 *Quomodo non sit idolatria adorare sanctum Eucharistiæ sacramentum.*
11 *Quod nullus vnquam sanctorum doctorum verbis suis fouerit Christi corpus esse in Eucharistiæ sacramento vt in signo.*
12 *Quod non duæ, sed vna tantum sit salutis via his, qui fidem habent de Eucharistiæ sacramento.*

PRIMVM caput est quòd Dominus Ioann. 6. non loquitur de Eucharistia, Tum quia loquitur de fide & fiducia hominum in Christo, Tum quia ibidem dicitur, Qui manducat carnam meam & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Constat autem multos sumere Eucharistiæ sacramentum, & non manere in Christo per fidem charitate formatam.

CIRCA hoc aduerte erudite lector, aliquid dici verum, & aliquid falsum. Verum quidem est, quòd in cap. 6. Ioan. Dominus loquit de fide formata charitate in ipsum habenda: vnde & prius loquitur de credenda diuinitate sua, & deinde de credenda morte sua pro vita mundi. Falsum autem dicitur: pro quanto excluditur à sermone illo fides sacramenti Eucharistiæ.

¶ Ad cuius euidentiam memento, ꝙ tria inueniuntur in Eucharistia: scilicet ipsum sacramentum, quod adoramus, & manducatio sacramentalis, quæ est communis bonis & malis, dicente Apostolo 1. ad Corint. 11. Qui manducat & bibit indigne, Vbi clare patet indignos manducare & bibere sacramentali manducatione & potu: hoc est, sumunt hostiam sacram vt sacramentum, non vt panem, sumunt enim credendo illud esse sacramentum corporis Christi. Tertiò interuenit manducatio spiritualis, quæ est propria bonis, quæ fit per fidem formatam charitate: quæ est refectio animæ secundum vitam spiritualem, secùdum vitam, de qua dicitur, Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus. ad Gal. 2. His autem tribus inuentis circa sacramentum Eucharistiæ, ex eo ꝙ in hoc capite Dominus non loquitur de vno eorum (scilicet de sacramentali manducatione) non verè infertur, quod excludantur reliqua duo, stat enim quòd de reliquis duobus loquatur, de sacramento ipso, & de manducatione spirituali sacramenti. Et quidem quòd loquatur de maducatione spirituali, verba ipsa sonant dicendo, Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguiné, in me manet, & ego in illo, Maducare enim spiritualiter Eucharistiæ sacramentũ, est per fidem formatam charitate in Christo manere, & econuerso Christũ in ipso manere. Quòd de sacramento quoq; ipso loquatur, apparet, tum quia in futuro loquitur, dicens, Panis, quẽ ego dabo: nondum siquidẽ instituerat sacramentum Eucharistiæ, quum hæc diceret in synagoga Capernaũ: constat enim ꝙ sacramentum Eucharistiæ institutu est Hierosolymis in nocte, qua tradebatur, Tum quia distinguit maducare & bibere, dicens, Nisi mãducaueritis carnem filij hominis, & bibentis eius sanguinem, nõ habebitis vitã in vobis. Si nanq; de fide solius mortis suæ pro vita mundi loqueretur, sat fuisset explicare mortem suam pro vita mundi per separationẽ carnis à sanguine, quæ in cruce facta est: sed vbi non solum carnis & sanguinis separationem pro vita mundi, sed carnem præcepit manducanda, & sanguiné bibendũ, si vitam vellemus habere in nobis ipsis insinuauit, ꝙ sacramentũ erat instituturus corporis & sanguinis sui per modũ cibi & potus: ita quòd nisi spiritualiter manducaverimus & biberimus carnem, & sanguinem in cruce immolanda & in sacramento continendam: nõ haberemus vitam in nobis. Significatur siquidem per hoc, ꝙ de necessitate salutis tenemur credere etiã Eucharistiæ sacramẽtum.
¶ Accedit ad hæc quòd Ioan. Euangelista (cuius studium fuit scribere altissima Christi mysteria, minus ab aliis Euangelistis explicata) tractans cœnam Domini, nihil de sacramento Eucharistiæ scripsit: quia sacramentalem vsum alii Euangelistæ expresserant, spiritualem autem cum illius effectu, ipse hic descripserat: dicens, Qui manducat meam carnẽ, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternã, &c. Nisi enim tantis sacramentirationem Ioannes habuisset, non tanta fuisset vsus diligentia ad distinguendum actus manducandi & bibendi, ad declarandum vtrunq; coire in vnam in præsenti (scilicet manere in Christo, & econuerso) ad declarandum effectum perpetuum vtriusq; vitam æternam, ad declarandam vtriusque necessitatem, Nisi manducaueritis, &c. Hæc enim omnia collecta præ se ferunt, quòd de manducatione & potatione spirituali non solùm mortis Christi, sed sacramẽti mortis Christi sub specie cibi & potus, Euangelista scribebat.
¶ Ex his omnibus collatis cum textu euangelico, videre facilè potes, erudite lector, quòd licet verum sit & quòd de fide formata Christi filij Dei ac mortis eius pro vita mundi, & quod non de manducatione sacramentali est sermo in cap. 6. Ioan. non tamen verum est excludi à capite illo fidem formatam seu manducationem spiritualem sacramenti Eucharistiæ. Hæc de primo.

CAPVT II.

Quod Dominus Ioannis 6. dicens, Caro non prodest quicquam, nullo modo excluſit ab Eucharistiæ sacramento corporis sui veram ac spiritualem manducationem.

SECVNDVM caput est, quòd Dominus Ioan. quoque 6. dicens, Caro non prodest quicquam, excluſit à sacramento Eucharistiæ veram suam carnem: quia sensus proprius est, Caro comesta non prodest quicquam. Et hunc esse naturalem sensum, patet ex eo ꝙ Iudæis quærentibus, quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Dominus dixit, Caro non potest quicquam. Ex hoc enim, ꝙ quæstio & sermo de manducatione erat, consequens est vt de carne relata ad manducationem dictum sit, Caro non prodest quicquam: quod est dicere, Caro comesta non prodest quicquam. Hinc enim sequitur, quòd caro in hoc sacramento non comedatur, quòd nulla sit in hoc sacramento caro (vt pote quæ nihil prodest) nulla debet in hoc sacramento de carne quæstio esse: quia caro non prodest quicquam.
CIRCA Hoc caput, quia pro fundamento firmissimo totius erroris assumitur, & millies repetitur, aduerte primò non esse naturalem sensum literæ Caro non prodest quicquam, glossare, Caro comesta non prodest quicquam: quoniam expresse contradicit euangelico contextui. Nam ibidem, eodemque contextu Dominus dicit, carnem suam comestam dare vitam æternam: ait enim, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Non solum ergo contra sensum, sed contra verba Domini est glossa ista, Caro comesta non prodest quicquam. At si quispiam excuset glossam dicendo, quòd mens glossatoris est de non comestione spirituali, sed de comestione carnali glossare, habes tunc intentum: quia verba Domini sic glossata non excludunt carnem Christi ab hoc sacramento, quoniam Ecclesia non docet carnem Christi carnaliter manducari in hoc sacramento. Si enim caro carnaliter comesta excluditur à sacramento, optimè excluditur: sed non potest propterea inferri, Ergo vera Christi caro excluditur à sacramento: quia caro Christi vera spiritualiter concludenda est in hoc sacramento: & comesta spiritualiter in hoc sacramento, dat vitam æternam. Et vsque adeò spirituali comestioni hoc tribuimus, vt fateamur, quòd quantumcunque caro Christi sumatur in sacramento, nisi spiritualiter manducetur, non prodest quicquam.
¶ Aduerte secundo, quòd germanus sensus dupliciter potest explicari: & vtroque modo in vnam & eandem veritatis sententiam redit. Vbi nota, quod Christus non loquitur in istis verbis plus de carne sua, quam de aliena, sed simpliciter absolutè de carne, non enim dicit, Caro mea non prodest quicquam. sed, Caro non prodest quicquam. Rursus Christus loquitur de carne, è regione distinguendo carnem à spiritu: vt contextus testatur euangelicus, dicens, Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam, proculdubio ad viuificandum.
¶ Alter itaq; modus intelligendi est, Caro sola non ꝓdest quicquã: ita ꝙ ly sola excludat spiritu. Ac si dictũ sit, Caro sine spiritu non prodest quicquam ad vitã æternã, quia spiritus est qui viuificat. Et hæc glo. fundatur, tũ super verbũ, Caro, absolutè ꝓlatũ: constat enim carnẽ simpliciter & absolutè sine spiritu, nihil conferre ad vitam æternam, Tum super distinctionem carnis contra spiritũ à Domino inductã. Firmatur, quoque hæc glossa: quia applicata ad propositum inuenitur quadrare. Tum quia de carne Christi, quæ descripta est dans vitã æternam manducata, modo aperitur, quòd sine spiritu nihil prodest ad vitã æternam. Et verè sic est, quia caro Christi quãtumeunq; crucifixa pro nobis, nihil prodest sine spiritu adoptionis filiorũ Dei. Tum quia Iudæis quærentibus, Quomodo potest hic nobis dare carnẽ suam ad maducandũ, directè respondetur, ꝙ nõ de sola carne fuit sermo, quum dictum est, caro mea verè est cibus: & Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. quia caro sola non prodest quicquam ad vitam æternam: sed de carne comitata spiritu: quia Spiritus est qui viuificat: vt sic intelligere possent, quòd eius caro quidem esset manducanda, sed spiritu interueniente, sed Spiritu faciente manducationem: nam efficiente Spiritu manducationem carnis meę erit quod dixi, Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.
¶ Alter modus est, ꝙ caro non est nomen substantiale, sed carnalis officij hoc in loco, & significat cibũ carnalem. Ita ꝙ sensus est, Cibus carnalis nõ prodest quicquã. Et sic sensus ex eodem procedit fonte: quia. s. de carne absolutè, nõ de carne sua specialiter dicit, Caro nõ prodest quicquã, & caro distinguitur cõtra spiritum: & vbi de mãducatione est sermo, & dicitur, spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam: sensus est, quod carnalis cibus nõ prodest quicquã, spiritualis autem cibus est qui viuificat. Et hoc directè respondet quæstioni Iudæorum, qui non de substãtia, sed de modo quærebant, Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Præsupponebant carnem, & quærebant modum. respondet Dominus ꝙ modus non est carnalis, sed spiritualis: quia caro, id est cibus carnalis, non prodest quicquam ad vitam æternam, spiritualis autem cibus est, qui viuificat animam.
¶ Quòd enim in scriptura sacra caro sumatur quandoq; non pro substantia carnis, sed pro officiis carnalibus, patet in Apostolo prima ad Cor. 15. dicente, Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Cõstat enim ꝙ non excluditur à regno Dei substãtia carnis & sanguinis (Quoniam resurgemus, sicut Christus, carnem & ossa habentes) sed carnalia officia. Quòd autem in hoc loco caro non sumatur pro substantia carnis, ex ipsomet euãgelico cõtextu patet. Nam ibidem Dominus dixit de substantia carnis suæ, Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinẽ, habet vitã æternã. Hinc enim clarè patet, ꝙ substãtia carnis eius spiritualiter manducata prodest multum, & viuificat: vt pote dans vitam æternam. Non ergo de ipsa substantia carnis dictum est, Caro non prodest quicquã. Quòd autẽ de carnali officio adlitera sit intelligendum, patet tum ex eo, ꝙ Iudæis carnaliter quærentibus, quomodo potest hic nobis dare carnẽ suã ad manducandũ, directè respondetur, ꝙ caro, id est carnalis cibus nõ prodest quicquã, sed spiritualis cibus facit vitam æternam, vt per hoc intelligere non possent ꝙ quum dictum est, Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & Caro mea verè est cibus, &c. nõ de carnali cibo, sed de spirituali fuit sermo. Tum quia sicut Nicodemum alloquens Dominus de generatione spirituali, postquam dixerat, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest introire in regnum Dei, statim subiunxit ad excludendã generationem carnalẽ, Quod natum est ex carne caro est: & quòd natũ est ex Spiritu, spiritus est: ita Iudæis quærẽtibus, Quomodo potest hic nobis dare carnẽ suã ad manducandũ: dixit, spiritus est qui viuificat, caro nõ prodest quicquã: significans quòd cibus carnalis nõ prodest nisi carni, cibus autem spiritualis est qui viuificat. Et si vnico verbo vtrunque modum exponendi placet complecti, dic, Caro carnaliter non prodest quicquam ad vitam animæ, spiritu autem prædita viuificat.
¶ Ex his omnibus habes erudite lector, quòd licet verũ sit, ꝙ de carne relata ad manducationem Dominus loquatur, dicens, caro non prodest quicquã: falsum tamen est, quòd loquatur de carne comesta: sed loquitur de carne vt cibo carnali. Falsum quoq; est, quòd hæc verba excludantur ab eucharistia vera Christi caro. Et ꝙ proteruos ex euangelicis verbis vis conuincere, petito, an caro Christi manducata spiritualiter, prosit ad vitam æternam. si prodest, ergo vera Christi caro comesta prodest: ergo ex hoc, quòd Dominus dicit, Caro non prosit quicquam, non excluditur quin caro Christi spiritualiter manducata prosit. si non prodest, quia caro non prodest quicquam, ergo falsum est quod Dominus ibidem dicit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Hæc de secundo.

CAPVT III.

Quod falsum sit Theologos opinari in Eucharistiæ sacramento corporaliter & perceptibiliter sumi corpus Christi.

TERTIVM caput est, quòd Theologi prætendunt corporaliter & perceptibiliter in Eucharistia sumi corpus Christi: iuxta coactã cõfessionem Berengarij, de cõsecratione, distinctione 2. cap. Ego Berengarius.
CIRCA hoc caput constat falsissimũ esse, quòd Theologi dicunt corpus Christi corporaliter & perceptibiliter sumi: quoniam & spiritualiter & non percipiendo (siue sensu, siue intellectu) sed credendo dicunt corpus Christi sumi in Eucharistia: sacramentales autem species corporaliter & perceptibiliter sumuntur.
Verba autẽ confessionis Berẽgarij ex ratione dicendi interpretãda sunt. Quia enim Berẽgarius erroré, quẽ iste suscitare conatur, secutus est: (s. ꝙ in sacramẽto Caro Christi erat sicut in signo tantum, & Ecclesia catholica fatetur carnem Christi non solum significari, sed contineri in hoc sacramento) ideo Patres in concilio decreuerunt in detestationem talis erroris, ꝙ confiteretur Berengarius, corpus Christi sensibiliter sumi manibus sacerdotum, tractari, & dentibus conteri: vt intelligerent Christiani per hæc verba, ꝙ fideles sumendo Eucharistiam, sumunt non solum sacramentum (hoc est sacrum signum carnis Christi) sed sumunt etiam speciem continentem carnem Christi, quod hæretici isti negant, & impugnant. Et non intelligebant Patres, nec volebant intelligi, ꝙ caro Christi in seipsa sentitur, tangitur, cõteritur dentibus, hoc enim nec somniant Christi fideles. Tota itaq; differẽtia in hoc cõsistit, ꝙ qui prius cõfitebatur Christum manducariin signo tantũ, coactus est à fide catholica cõfiteri carnem Christi manducari nõ solũ in signo, sed in cõtinẽte sacramẽto Eucharistię. Hęc de tertio.

CAPVT IIII.

Quomodo non falsum, sed verè existimant Theologi Fidem venire ex hominis iudicio & electione, & vsque ad sensibilia extendi.

QVARTVM caput est, quasi Theologi errent in duobus. Primo quòd putant fidem ex hominis venire iudicio atque electione. Secundo, quòd fidem ad res sensibiles extendunt: quum nullus credat quod sentit, aut videt.
CIRCA hoc caput scis erudite lector, falsum esse, ꝙ Theologi dicant primũ: quoniã cum Paulo Apostolo ad Ephe. 2. fatentur fidem donum Dei esse, ꝙ quia non confertur inuitos: sed volentì, sed dispositò ad illud voluntaria electione Christi ranitatis, ideo dispositiuè verificatur fidem pendere ex hominis electione.
¶ Secundum autẽ dictũ nosti posse bene & malè intelligi. Nam si intelligeretur fidẽ extendi ad res sensatas tanquã ad res creditas, falsum esset: constat enim, quòd quæ creditur, non sentiũtur. Sed in hoc sensu non dicũt Theologi fidem extendi ad sensibilia, nam fatentur cum Paulo ad Heb. c. 11. ꝙ fides est eorũ quæ nõ apparẽt. Si autẽ intelligitur, ꝙ fides extenditur ad res sensibiles tanquam ad extrema rerũ creditarũ, optime dicitur, & pessimè reprehenditur, nam multæ res creditæ consistunt in coniunctione rerũ sensibiliũ cum rebus insensibilibus: nam per hoc quum oporteat credere coniunctionẽ rei sensibilis cum re insensibili, necesse est tuc fidem extendi ad rem sensibilẽ tanquã ad alterum extremũ coniunctionis creditæ. Et patet quod dicimus in mysterio incarnationis: Fide credimus, ꝙ Verbũ caro factum est, & consistit mysterium hoc in coniunctione Verbi ad carnem sensibilẽ: nec potest credi ista coniunctio, nisi credulitas extendatur ad carnem. Ita ꝙ si videremus Christum hic præsentem, non crederemus carnem, quam videremus, sed crederemus cõiunctionem diuinitatis cum carne: ac per hoc extenderetur fides nostra ad carnem visam, non quatenus videtur, sed quatenus est extremum inuisibilis coniunctionis cum Deitate. Vnde habes clarè, ꝙ qui negat fidem sic extendi ad sensibilia, negat fidem Christianam esse de mysterio Verbi incarnati. Sic autẽ est in proposito: quoniam non credimus, sed videmus species sacramenti Eucharistiæ, credimus autem præsentiam corporis Christi sub illis speciebus, ita quòd coniunctio inter-
effabilis illarum specierum ad corpus Christi, sub fide cadit: & non species ipsa, quæ paipatur, & videtur. Hæc de quarto.

CAPVT V.

Quod sibi inuicem minime aduersantur hæc, in Eucharistiæ sacramento verum Christi corpus esse, & spiritualiter tantùm manducari.

QVINTVM Caput est, ꝙ simul stare non possunt hæc duo, in sacramento Eucharistię esse verũ Christi corpus, & spiritualiter mãducari, ꝙa spiritus & corpus adeò à se distant, vt neutrum possit alterum esse: & dicere corporalem carnem spiritualiter manducari, nihil aliud est quam dicere spiritum esse corpus, & econuerso.
CIRCA Hoc caput, ꝙa ridiculũ est argumentum, manifestè videre potes, prudẽs lector, ꝙ digreditur à re ad modũ rei. Nullus ita insanit, vt dicat spiritũ esse corpus: sed dicim⁹ corp⁹ Christi habere modũ essendi spirituale in hoc sacramẽto: ꝙa est ꝙdem in sacramẽto verũ corpus, sed nõ ꝑ modũ corporis in sacramento existit, ꝑ modũ ꝙdem corporis existit in cœlo, in sacramẽto aũt non sũt, ꝑ modũ ꝙdem corporis: nõ em existit occupando locum: sed spiritualiter existit ꝑ modũ corporis: nõ em existit occupando locum: sed spiritualiter mo incõprehẽso ab intellectu humano: sicut etiã inco-
prehẽsus est mod⁹ vnius verbi Dei ad humanitatẽ assumptam: sicut etiã incõprehensus est mod⁹, quo vnus Deus est trinus in personis. Credim⁹ enim hæc oĩa, quãuis nõ cognoscamus illa. Et similiter mãducat verũ Christi corpus in sacramẽto, sed non corporaliter, sed spiritualiter. Et hoc est dictũ, ꝙ mãducatio corporalis nõ

mask

Universidad de Deusto
Biblioteca

masticat Christi corpus, quamuis conterat sacramentales species corporis Christi, sub quibus continetur vera caro Christi: sed spiritualis manducatio, quæ, per animam fit, ad Christi carnem, in sacramento existentem pertingit. Hæc de quinto.

CAPVT VI.

Quomodo non docuerunt Theologi non esse cogitandū de mysterio Eucharistiæ.

SEXTVM caput est quòd Theologi docuerunt, vt non cogitent Christiani in mysteriis Eucharistiæ, vt eo pacto veritas non prodiret in lucem.

CIRCA hoc caput, ridiculum ferè est respondere. Quia constat Theologos iuxta qualitatem personarum consilia dare: & idiotas ac simplices hortari, vt sufficiat eis credere tam ea quæ sunt Trinitatis, quàm ea quæ sunt huius sacramenti & prædestinationis & similia: iuxta illud, Altiora te ne quæsieris: viros autem idoneos ad capiendum mysteria fidei hortari ad meditandum & sciendum ex sacris literis mysteria fidei & sacramenti Eucharistiæ. Hæc de sexto.

CAPVT VII.

Quomodo catholicè sint exponenda verba in ipsa forma Eucharistiæ.

SEPTIMVM caput est, quòd in verbis consecrationis, Hoc est corpus meū: verbū, est, nō est intelligendum secundum propriā significationē: sed vsurpatur extra propriā significationē, ita vt sumatur Est, pro, Significat: & est sensus, Hoc significat corpus meū, Vnde corpus Christi non est in hoc sacramēto nisi sicut in signo. Vbi quatuor dicuntur. Primum q̄ in sacra Scriptura pluries vsurpatur Est, pro, significat: vt patet Gen. 41. & Matth. 13. & Luc. 8. Secundo redditur ratio, quare cogimur intelligere in verbis consecrationis Est, pro, Significat, quia oportet alterum duorū dicere: aut q̄ Christus falsum dixit, dicēdo, Caro non prodest quicquam, q̄ est impium: aut q̄ est, sumitur pro Significat. Et patet sequela: quia si Est sumitur propriè, esset in hoc sacramento vera Christi caro vtilis ad vitam æternā, & sic falsum dixisset Christus, caro nō prodest quicquā. Tertiò assignatur alia ratio ad idem ex fide: quia quicquid corpus est, vel quòd percipi aut tangi potest, nullo pacto ad fidē pertinet. Quartò assignatur ratio ad idem, quia omnia quadrant, intelligendo Est, pro, Significat, Quadrat enim quod dominus dixit, Hoc facite in mei cōmemorationē. Quadrat quod Paulus dixit, Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, Quadrat & quòd in primitiua Ecclesia describitur fieri, primæ ad Corinth. 11. de conuētu Christianorum in Ecclesia ad cœnam Domini, &c.

CIRCA hoc caput, singula sigillatim notāda sunt. Quod igitur imprimis dicitur, in Scriptura sacra vsurpari quandoque Est, pro, significat, verū dicitur: sed in hoc erratur, q̄ non discernitur diuersus loquēdi modus. Scriptura siquidē quādoq; loquitur metaphoricè, & quandoque propriè. Et quum sermones sunt metaphorici, tunc Est æquialet ad significat: puta: Petra autem erat Christus, Ego sum vitis vera, Ego sum ostium, & similia. In his enim vis sermonis similitudinaria) cogit ad intelligēdum esse, Est, erat, sum, fui, non secundum proprietatem, sed secundum similitudinem. Et in hoc genere constat contineri omnes textus scripturæ, quos iste allegat: vt patet intuenti. Quū autem non secundum similitudinem, sed secundum proprietatem Scriptura loquitur, nunquam Est, esse, erat, fuit, trahitur extra propriam significationem, sed secundum proprietatem suæ significationis intelligitur. In proposito autem constat, Christum non loqui de corpore suo similitudinarie, sed de verō & proprio corpore suo, dicendo, Hoc est corpus meum: vt etiam ipsi aduersarij confitentur. Erratur ergo vsurpando hic est, pro Significat, ex eo quod in loquutionibus metaphoricis & parabolicis Est vsurpatur, pro significat.

¶ Quum autē secundo affertur ratio, quia caro non prodest quicquam, amplior instructione non eget. Mōstratum siquidē est in secundo cap. q̄ per illa verba. Caro non prodest quicquā. Dominus nihil aliud significat, nisi q̄ caro sola, seu carnalis cibus, non prodest quicquam ad vitam æternam. Cum qua veritate optimè quadrat hæc etiā veritas, quod hoc, id est substantia sub his accidentibus est corpus meum: quoniā corpus Christi in hoc sacramento contentum, nec est cibus carnalis, nec prodest sine spiritu.

¶ Quum verò tertio loco affertur ratio ex parte fidei, dicendo, q̄ quicquid est corpus, nullo pacto spectat ad fidem: mirum est tam manifestam falsitatem ingeri. Plenum est symbolum fidei, quòd credimus Christum crucifixum, mortuum & sepultum, quòd ascendit in cœlum, credimus carnis resurrectionem: hæc omnia corpora sunt, Quomodo ergo dicitur, quòd ad fidem nullo pacto spectat quicquid corpus est?

¶ Quum demū quarto affertur, quòd omnia quadrant scripta de hoc sacramento, &c. aduerte venenū. Verū siquidem est, quòd sacramentum hoc est memoria recordatióque mortis Christi: imò quòd plus est, q̄ est signū corporis Christi. Scis enim plenis buccis Theologos in quarto sent. sonare, quòd species sacramentalis est signum geminæ rei. s. corporis Christi naturalis, vt rei contentæ & significatæ, & corporis Christi mystici, vt rei non contentæ, sed significatæ. Hæc enim omnia vera esse affirmamus, sed iste homo ab affirmatiōe signi, memoriæ & huiusmodi, inffert negationem carnis Christi cōtentæ. Quasi non stent simul, quod in sacramento hoc sint ambo, signū. & signatum: quæ tamen constat verissimè stare simul: sed iste homo ex veritate non integra excludit aliam veritatē. Et per hoc patet, q̄ conuentus Corinthiorum ad cœnam Domini & annuntiatio mortis Christi, & id genus reliqua, vera sunt, affirmant q̄ verum est: sed non negant alterum veritatem de existentia corporis Christi in eodem sacramento.

¶ Vbi etiam libet intueri, q̄ conuentus Corinthiorum ad cœnam Domini, ab Apostolo Paulo monstratur, q̄ non erat conuentus ad gratiarum actionem tantū, ad panē significatiuū tātum, sed ad verum corpus Christi sacramentaliter sumendum: alioquin non dixisset, Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. Et quare subdit, Nō diiudicas corpus domini, si ad signum tantum corporis Domini conueniret sumendum, non esset reus corporis & sanguinis Domini indignè sumens: quia constat non est reū corporis & sanguinis Dñi qui indignè panem in Ecclesia sumit, qui panē benedictū (vt in multis Ecclesiis fit) comedit, qui diuinis interest officiis, vt Christianus. Et tamen ad hæc omnia conuenientes in Ecclesia, profitemur nos esse Christianos, nos pertinere ad corpus Christi mysticum: vtpote Christianos: sicut apud illos hæreticos cōuenientes ad cœnā Domini, profitētur se esse de corpore Christi mystico. Vnde ex ipsa Apostoli doctrina circa illū cōuentum, docemur conuentū ad cœnā Domini plus importare, quā ad panē significatiuū: dum instruimur, q̄ reus erit corporis & sanguinis Dñi, qui indignè sumit. Quæraē ab illis, quibus verbis debuisset vti Apostolus ad significandū verū Christi corpus, si hæc nō sufficiūt: q̄bus verbis Christus vti debuit, si illa non sufficiūt, Hoc est corpus meū? Cōfunde demū istos quærendo ab eis, Si hæc Christi & Pauli verba non sat sunt ad docendū verū Christi corpus esse in sacramento Eucharistię, dicite, quęso vos, quibus verbis vtendum erat, vt exprimeret verum Christi corpus esse in hoc sacramento? Si hæc Christi verba (Hoc est corpus meū) proprię, imò propriissimè significantia substantia demōstrata sub accidētibus panis esse corpus Christi, nō sufficiūt, si locutio secundū proprietatem sermonis nō sufficit, nullus sermo sufficiet. Si metaphoricus fuisset sermo, varius esset sensus: si circūlocutione vsus fuisset, minor inueniretur certitudo, minor inueniretur veritatis explicatio: omnis enim sermo alius à proprio, minor est proprio. Dicite, quæso, quibus verbis Paulus manducationem sacramentalē veri Christi corporis debebat explicare sic dicendo, Qui manducat, & bibit indignè, iudiciū sibi manducat, & bibit, non iudicans corpus Domini, explicando, Reus erit corporis & sanguinis Domini, non explicauit: Hæc enim tam clarè significant, vt clarius explicari nequeat. Reus, inquit, erit corporis & sanguinis: non signi corporis, aut sanguinis, Erubescant ergo.

CIRCA clara intelligētia verborū consecrationis, Hoc est corpus meū, recolito primò, q̄ verba hæc sortiūtur veritatē suam in fine, plationis, & nō ante. Et hoc non est propriū huic locutioni, sed est cōmune ei & omnibus locutionibus enūtiatiuis. Et ratio est, quia veritas locutionis enūciatiuæ comitat' significationē eius: constat enim q̄ non prius locutio enūtiatiua est vera, quam significet: ac per hoc antequā habeat completam significationem, nec est vera, nec falsa. Constat quoque, q̄ vsq; ad nne prolationis non completur significatio orationis: & consequenter nō est vera nec falsa ante finē prolationis. Et hinc est, quòd si sacerdos no hinc ret verba hæc non conficeretur sacramentum. Recolito secundo quod verba hæc non solū significat verū, sed etiā efficiunt veritatem, quam significant. Significant enim hoc esse corpus Christi (quod est verissimum prolatis his verbis in persona Christi: in cuius persona constat sacerdotē affirmare, hoc est corpus meum) efficiunt q; hoc esse corpus Christi. Et significatione quidem verba ipsa sonant (efficientiam autē exercere hdes Christiana constatetur: credimus enim verba hæc esse conuersiua panis in corpus Christi. Et ad hoc sola fides sufficit.) Collige consequenter verificari in fine prolationis horum verborum duo simul. esse & fieri, id est hoc fieri, & esse corpus Christi: Nam significationi vere respondet esse, id est hoc esse corpus Christi, vel autem efficaciæ respondet fieri, id est hoc fieri corpus Christi, ita quòd simul & semel in eodem instanti verificatur hoc fieri, & esse corpus Christi. Quod si quis philosophiæ naturalis expers mirabile reputet aliquid simul in eodem instanti fieri, & esse, habes in propriis canonē philosophicū de efficientiis instantaneis: quibus idem simul in eodē instanti fit & est tale: vt patet de aëre, qui instantanea illuminatione simul in vno instanti & fit, & est diaphanus actu.

HIS præmissis patet primò, q̄ in istis verbis, Hoc est corp' meū, pronomen Hoc, neq; demonstrat panem, neque demonstrat corpus Christi: quia demonstrationi panis repugnat veritas essendi: nā sensus esse, hoc, id est, ille panis, est corpus meū: q̄ constat esse falsissimum. nam nec in fine sermonis, nec postea, nec antea iste panis est corpus Christi: quoniā nunquā panis est corpus Christi. Quiuis enim sacramento cōfecto, & ipso durante, verū fit, q̄ id q̄ fuit panis est corpus Christi, nunquam tamen verū est q̄ panis est corpus Christi. Demōstrationi autē corporis Christi repugnat verū fieri, seu veritas efficiētiæ: quoniā corpus Christi non fit corpus Christi. Si enim pronomen hoc demonstraret corpus Christi, esset sensus, Hoc, id est corpus meum, est corpus meū: quod cōstat non fieri per hæc verba, sed esse verissimè ante ista verba prolata. Verè ergo significationi verborū repugnat, q̄ pronomen, Hoc, demonstret panem: quia panis nunquam est corpus Christi. Et verè efficientiæ eorūdem verborum repugnat, q̄ pronomen, hoc, demonstret corpus Christi: quia corpus Christi nō fit corpus Christi, non cōuertitur in corpus Christi. Oportet igitur per pronomen, hoc, demonstrari id quod congruit vtriq;, scilicet & esse & fieri: vt illud demonstratum simul & semel fiat & fit corpus Christi. Quod (vt prisci Patres docuerunt) est individuum subsistantiæ absque determinatione naturæ tam panis quam corporis Christi. Nec hoc vōlutarie asserunt: sed quia pronomen, hoc, est demonstratiuum substātiæ, proculdubio singularis, ideo affirmāt demōstrari substātiā individuā. Et quia nō plus exigit vis pronominis (quum etiā apud grāmaticos significet substantiam sine qualitate: id est, sine determinatione naturæ) & huiusmodi demonstratio quadrat tā respectu fieri, quam respectu esse: ideo cōcluduntur q̄ pronomen, hoc, in his verbis demōstrat substātiam, quæ sub illis est accidētibus, non explicando naturā panis aut corpus Christi. Quadrare autem hāc demonstrationem tam ad fieri, quam ad esse, clarissimè patet. nam per hæc verba in fine prolationis substantia cōtenta sub his accidētibus fit corpus Christi: & rursus verissimū est in fine prolationis, q̄ substātia cōtenta sub his accidētibus est corpus Christi. Vbi manifestè videre potes iuxta hunc sensum verificari & verā significationem verborum, & eorundem veram efficientiam: quia per hæc verba in persona Christi prolata (scilicet hoc, id est hęc substantia, est corpus meum) hæc substantia fit, & est corpus Christi.

¶ Ampliatio & magnificatio hæc, eo q̄ nulla in hoc sensu interuenit extorsio, nulla improprietas, nulla mēdicitas, sed sistitur infra proprietatē verborū & fidei Christianæ cōfessionē. Hęc de septimo.

CAPVT VIII.

Quomodo falsum non sit, sed verum, deleri & remitti peccata per hoc sacramentum Eucharistiæ.

OCTAVVM caput est, quod falsa est fides sacramentum hoc delere peccata: quia sola mors Christi nostra delet peccata.

CIRCA hoc caput errorem facilè deprehendes si vim rationis inspicias. Ex hoc enim, q̄ sola mors Christi nostra delet peccata, nō sequitur, Ergo applicatio mortis Christi ad nos non delet peccata. Sicut nāque ex hoc, q̄ solus artifex facit sphæram, non excluduntur instrumenta artificis, quibus sphæram operatur: ita ex hoc q̄ sola mors Christi delet nostra peccata non excluduntur sacramenta Ecclesiæ, quæ sunt instrumenta, quibus mors Christi applicatur ad nos, alioquin delere oportet ex symbolo, Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Si enim ex hoc, q̄ sola mors Christi delet nostra peccata, excludentur sacramēta, Baptismus quoque excluditur à deletione peccatorum. Et sicut secundum veritatem non excluditur Baptismus, ita nec alia sacramenta excluduntur à deletione peccatorū. Nihil ergo valet inducta ratio. Hæc de octauo.

CAPVT IX.

Quomodo Eucharistiæ sacramentum sit sacrificium, & in Missa offerri sit institutum à Christo, vel ab Apostolis.

NONVM caput est. Falsa est fides tenēs, q̄ Eucharistia sit sacrificium. Tum quia sacrificium Christi semel in cruce oblatum sufficit in æternum: vt patet ex doctrina Pauli Apostoli ad Hebr. 10. Vna enim sanctificatione consummauit in æternum sanctificatos. Et cap. 9. Per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta æterna redemptione inuenta. Tum quia falsum est Christum offerri in Eucharistia, nam Christus non offertur in sacrificium nisi moriatur, nisi sanguine intercedente: vt patet ex doctrina Pauli Apostoli etiam ad Heb. 9. dicentis, neque vt sæpè offerat semetipsum, alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, &c. Constat autem Christum in hoc sacramento non mori, nec posse mori. Tum quia nec à Christo, nec ab Apostolis instituta est missa.

CIRCA hoc caput, aduerte errari in hoc, q̄ existimatur sacrificium altaris esse diuersum sacrificium à sacrificio q̄ obtulit Christus in cruce: quum tamen in veritate sit illudmet: sicut est illudmet corpus Christi, & illemet sanguis Christi, in altari, & in cruce, & in cælo modo. Differentia autem est in modo offerendi: quia tunc oblatum est corporaliter, modò offertur spiritualiter: tunc est oblatum in re mortis, nunc offertur in mysterio mortis. Et hoc intelligę referendo oblationem tam ad rem contentam quàm significatam in sacrificio hoc, Quod dico: quia si ad species sacramentales refertur, oblatio corporalis & sensibilis manifestè est. Nec propterea spiritualis hæc oblatio fit, q̄ insufficiens fuerit sacrificium Christi, sed vt in sacris mysteriis Christus eiusq; sacrificium iugiter recolatur, iuxta Christi mandatum. Hoc facite in mei commemorationem. Vnde patet rationes allatas ex doctrina Pauli ad Hebr. ad æquiuocum afferri, quoniā Paulus Apostolus loquitur de corporali oblatione Christi, quā fatemur esse vnam & sufficientissimā in æternum, quum autem de Eucharistiæ sacrificio est sermo ad spiritualem oblationem Christi transitur. Et bene nota, quod non dicimus spirituale corpus Christi offerri in sacrificio altaris: sed dicimus spirituali oblatione offerri naturale Christi corpus in sacrificio altaris.

¶ Et hæc erudite lector intellige spectando ad rem contentam in hoc sacrificio, corpus, s. & sanguinē Christi: nā si ad mortē Christi sacrificium altaris referatur, signum tantum, & non res inuenitur: nam neque mors Christi, neque status mortis Christi est secundum se: sed Christus viuit, & regnat in cælo, & consequenter in sacrificio hoc non cōtinetur, sed significatur mors Christi. Intellige sanè iterū duo Christus in hoc sacrificio significatur, & continetur: mors verò eius significatur quidem, sed non continetur. Vnde non oportet, & quoties hoc sacrificiū offertur, verificare, q̄ Christus moritur, sicut oportet verificare q̄ Christus in eo continetur, in eo offertur, in eo tanquam res existens contenta & oblata. Significatur autem Christi mors hoc sacrificio nō solùm quia verba consecrationis illam explicant, (dicendo, Qui pro vobis, & pro multis effundetur, sed etiam quia sanguis seorsum à corpore consecratur: ipsa enim separatio sacramentalis significat separationem realem sanguinis à corpore Christi in morte ipsius.

¶ Quum autem obiicitur, sacrificium altaris nō esse institutum à Christo neque ab Apostolis, aduerte, q̄ ex verbis Pauli Apostoli in epist. ad Corinth. 1. colligitur, Christum instituisse hoc sacrificium, & tempore Apostolorum fuisse in vsu non solum vt sacramentum, sed vt sacrificium. Inquit siquidem Apostolus: Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam dominus Iesus in qua nocte tradebatur, &c. Ex hoc enim Paulus dicit se tradidisse Corinthiis, antequam scriberet eis primam Epistolam, quod accepit à Domino de Eucharistia, duo dicimus. Alterum est, quod multa Apostoli tradiderunt Ecclesiis seruanda, quæ tradita fuisse ab Apostolis nō est scriptum in sacræ Scripturæ libris. Ecce vides hic quòd nisi subsecuta fuisset hæc epistola, nesciremus Paulum tradidisse Corinthiis id, quod accepit à Domino de Eucharistia, & tamen in rei veritate ipse tradiderat Corinthiis ante Epistolam doctrinam Eucharistiæ, quam acceperat à Domino: vt ipse testatur. Alterum est, quòd id quod acceperat à Domino, tradiderat Corinthiis de Eucharistia, est illud, cuius in præcedenti capitulo meminerat tanquàm ritus iam in Ecclesia Corinthiorum vsitati dicendo, Fugite ab idolorum cultura: calix benedictionis cui benedicimus: nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quē frangimus, nōne participatio corporis Domini est? quoniam vnus panis & vnū corpus multi sumus: omnes qui de vno pane & vno calice participamus. videre Israel secundum carnem, nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? Quid ergo, dico quòd idolis immolatum sit aliquid, aut q̄ idolum sit aliquid? sed q̄ quæ immolant Gētes, dæmoniis immolāt, & non Deo, nolo autem vos socios fieri dæmoniorum, nō potestis calicem Domini bibere, & calicē dæmoniorum, non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. In quibus verbis, in quo textu & cōtextu clarissimè patet, quòd Apostolus supponit ritum Ecclesię, qui tūc & non seruatur: scilicet quòd sumentes Eucharistiam, sumunt de sacrificio altaris, & ex hoc ipso quòd sumunt de sacrificio, de immolatis Deo, monet Corinthios vt fugiant culturam idolorum, afferens ex veteris ritu legis, quòd edentes hostias, erant altaris participes, & similiter Gentiles dæmoniis immolantes, mensæ dæmoniorum sunt participes, &c. Habes ergo ex hoc singulari textu, q̄ calix & panis Domini tempore Apostolorum in sacrificij vsu erant: nisi quis adeo desipiat, vt impertinenter hæc omnia ab Apostolo tam accuratè allata putet. Et hic textus iunctus ei, quod dixit Apostolus, Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, sufficit ad testimonium prohibendum quod Christus instituit non solùm hoc sacramentum, sed etiam hoc sacrificium, & quòd Apostoli docti à Christo tradiderunt Ecclesiæ hoc sacrificium.

¶ Si extra sacram scripturam aliis scriptoribus credendum est, inuenimus Iac. fratrem Domini Missæ celebrationem addidisse, vt sexta synodus refert de consec. d. 1. c. Iacobus. Inuenitur tempore Telesphori Papæ (qui VIII. computatur Papa à B. Petro) Missas celebrandas esse nocte natiuitatis Domini: vt patet de consec. d. 1. c. nocte. Nota hic, non institutionem sed testimonium sextæ synodi de additione facta à Iacobo fratre Domini circa Missam: quia non Romanus Pontif. non Latina Ecclesia, seu Græca, sed Orientalis tempore Agathonis Papæ, & constantini Iunioris Imp. Constantinopoli congregata centum quinquaginta Patrū, testatur Missam à Iacobo Apost. ordinatam: si vnius historici scriptoris

testimonio creditur, certe indubia debetur fides cētum quinquaginta Patrum testimonio. Taceo ꝙ etiam vt dictum est tempore Telesphori Papæ qui octauus à B. Petro Papa recensetur (quando Ecclesia Romana nullo temporali gloriabatur imperio, sed triumpho martyrum) inuenitur sacrificium missæ in nocte natalis Domini offerendum: vt patet de consec. d. 1. c. nocte. Et si gestis martyrum authenticis apud Ecclesiam fides ab istis datur, habes ante Constantini tempora (quum Ecclesia Romana non gloria temporali, sed martyrio floreret) sacrificium Eucharistiæ viguisse: vt patet ex verbis Laurentij ad Xystum: Quo sacerdos sancte sine diacono properas? tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueueras. Ecce quod Xystus sacrificium offerre consueuerat, proculdubio Eucharistiæ. Vnde de se diacono subdit: Experire vtrum idoneum ministrum elegeris: cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.

¶ Aduerte hic demum quòd etiam si nihil esset scriptum, ipsa successiua traditio non vnius partis mundi, sed vniuersalis Ecclesiæ toto orbe diffusæ sufficiens testimonium præberet, sacrificium hoc institutum esse à Christo, & traditum ab Apostolis, vt patet ex eo, quòd autoritas Ecclesiæ sufficit ad maiora. Ex autoritate siquidem Ecclesiæ habemus omnes libros sacræ Scripturæ: nam Euangelium Ioannis nescirem magis, quam Bartholomei nisi me autoritas Ecclesiæ admoneret: & sic de aliis. Si sacrificium hoc Latina tantum Ecclesia haberet, aut de nouo in Ecclesia Dei esset introductum, esset fortè locus suspicioni, quòd adinuentio fuit Romana: sed vbi Græci, Latini, Barbari, &c. hoc semper habuerunt sine initio alicuius medij temporis: etiam si Scripturæ testimonium deesset, sufficere deberet: quantò ergo magis, cùm tot scriptis testimoniis. Hæc de nouo.

CAPVT X.

Quomodo non sit idololatria, adorare sanctum Eucharistiæ sacramentum.

DEcimum caput est, ꝙ idololatria est adorare Eucharistiæ sacramentum, Tum quia pura Christi humanitas non est adoranda. Tum quia solus Deus, quem nemo vidit vnquam, adorandus est, adorantes autem Eucharistiam, adorant quod vident. Tum quia non legitur Apostolos adorasse Eucharistiam in cœna.

CIRCA Hoc caput, facilè patet error ptimæ rationis: quia in sacramento hoc non adoratur humanitas Christi pura, sed adoratur Christus verus Deus, & verā habens carnem assumptam. Et per hoc idem patet error secundæ rationis, quia non adoramus accidentia illa panis & vini, quæ videmus, sed Christum contentum sub accidentibus illis.

¶ Circa id verò quod tertio affertur: quia non legitur, Apostolos adorasse Eucharistiam in cœna, duo dicito. Primū, ꝙ non legitur eos adorasse Christum præsentem in cœna, quid mirum si non legitur, adorasse sacramentum ipsius Christi? Si propterea ꝙ non legitur, Apostolos Christum adorasse in cœna argumentum valet, ergo nec à nobis Christus est adorādus. Deinde dicito, non valere argumentum vniuersaliter: non legitur hoc factum ab Apostolis, ergo nō est faciēdum. Nusquam enim in sacra Scriptura legimus, eos condidisse symbolum fidei, & tamen fecerunt illud: nusquam enim legitur in sacra Scriptura approbasse eos Euangelium Lucæ & Marci, & tamen ab illis credimus approbatum. Hæc de decimo.

CAPVT XI.

Quòd nullus vnquam Doctorum ac sanctorum verbis suis sonet Christi corpus esse in Eucharistiæ sacramento vt in signo.

VNdecimum caput est, quòd Tertullianus, Augustinus, Origenes, Hilariúsque fouent, quòd in Eucharistia corpus Christi est, vt in signo, &c.

CIRCA Hoc caput (in quo iste homo multa affert, quæ facilè ab erudito quoque ex supradictis comprobantur inutilia ad errorem istius) aduerte, quòd autores isti vbi quādoque affirmant sacramētum esse figuram, aut signum corporis Christi, aut aliquid huiusmodi, vera dicunt: non tamen propterea negant cum hoc signo inueniri etiam rem signatam figuratam & contentam Christi carnem. Ratione siquidem specierum sacramentalium appellauerunt, & appellant doctores sacramentum hoc signum, figuram, & id genus reliqua: non tamen propterea negant rem contentam sub tali signo.

Vbi etiam aduerte, quòd sapienter sacri doctores frequentiam sacramentorum postponunt virtutibus: quia virtutes sunt bona propria bonis hominibus, sacramenta verò communia sunt bonis & malis. Hæc de vndecimo.

CAPVT XII.

Quòd non duæ, sed vna tantùm sit salutis via his, qui fidem habent de Eucharistiæ sacramento.

DVodecimum caput est, quòd si fides esset de Eucharistia, essent duæ viæ salutis: vna fidei in Christum, altera fidei in sacramentum.

CIRCA Hoc caput scis erudite lector, ridiculum esse. Non enim duæ sunt artes in aurifice, altera operandi aurea, altera vtendi instrumentis ad faciendum aurea opera. Non sunt duæ fides: altera ad Christum, altera ad instrumenta Christi, quibus mediantibus nobis suam virtutem salutiferam applicat. Sacramenta siquidem Ecclesiæ instrumenta sunt Christi ad nostram salutem ab ipso instituta, Et qui fidem sacramentorum negat, deleat ex Euangelio, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Hæc de 11. anno. 1525.

TRACTATVS TERTIVS DE MISSÆ celebratione, in duas quæstiones diuisus.

QVÆSTIO I.

Vtrum sacerdos sumpta ablutione, licitè possit sumere reliquias Eucharistiæ in calice vel extra remanentes.

QVÆRITVR Vtrum sacerdos sumpta ablutione, licitè possit sumere reliquias Eucharistiæ, in calice vel extra remanētes. Et videtur quod non. Primò quia verè non est ieiunus ieiunio naturæ: quoniam sumpta ablutio vinum vel aqua est, quorum vtrunque soluit ieiunium naturæ.

¶ Secundò, Quia si hoc liceret, cum ita sit perfectè corpus Christi in qualibet particula relicta, sicut in tota hostia, pari ratione posset vnā aliā hostiā cōsecratā sumere: quod cōstat esse illicitū. Et rursus pari ratione posset aliā missam celebrare, ꝙ non esse licitū, patet ex ritu Ecclesiæ in nocte natalis Domini, &c.

¶ Tertiò, Si liceret sacerdoti post ablutionem sumere reliquias Eucharistiæ, liceret quoque communicantibus: sed hoc non licet, vt patet: ergo, &c.

IN Hac dubitatione scito primò diuersas esse opiniones. Quidam enim (de quorum numero est Scotus, in 4. senten. d. 8.) putant non licere post sumptā ablutionem reliquias Eucharistiæ sumere propter primam rationem: quidam autem sentiunt oppositum.

¶ Et qm hæc opinio rationabilior atq; Ecclesiæ ritui conformior est, ideo declarāda firmādāque est. Scito ergo, ꝙ vnum (vt patet 5. Met.) cum multipliciter dicatur, quārum ad propositum spectat, dicitur dupliciter. 5. simplicitate & perfectione. Quod non solū est verū in rebus, sed in actibus: nā non solùm aliqua res est vna simplicitate (vt albedo) & aliqua perfectione (vt calceus constans ex omnibus ad ipsū requisitis) sed aliqua operatio est vna simplicitate, vt visio: & aliqua perfectione, vt prādere cōstās ex multis operationibus requisitis ad prādiū: vt sumere panē, carnē vinū, &c. Qui igitur examinant actus sacerdotis sacrificium offerētis & sumētis, secūdū naturā actuū simpliciū, cogūtur cōsequēter dicere, ꝙ sumpta ablutione nō possunt sacerdotes sumere reliquias. Qui autē actus sacerdotis secūdū naturā actuū perfectorū cōstātium ex pluribus ad sui perfectionē, discutiunt, dicunt ꝙ sicut oblatio corporis & sanguinis est vnū perfectū sacrificium, & sumptio eorundem sub speciebus panis & vini est vna perfecta refectio constans ex cibo & potu: ita tota sumptio Eucharistiæ, reliquiarum, & ablutionis est vnus cōsummatus actus: ac per hoc reliquiæ tunc sumptæ ad eūdem numero actum perfectum spectant, non vt necessariò requisitæ ad integritatem illius, sed vt partes materiæ.

¶ Quòd autē actus sumptionis Eucharistiæ, & actus ablutionis, cōputari debeāt, nō tanquā diuersi simplices actus, sed pro vnico actu: ritus Ecclesiæ cogit omnes confiteri, ex hoc, ꝙ non saluari rectè aliter possunt difficultates accidētes in huiusmodi sumptionib', & sic optimè saluātur. In primis nō potest aliter saluari, quomodo reliquiæ Eucharistiæ adhærētes palato, vel dētibus possint licitè post ablutionem deglutiri. Et patet ratio, quia sumptio cibi vel potus, quo ad ieiuniū naturę, & quo ad veram comestionem & potationem, nō est absq; deglutione. Cū igitur in casu hoc non sit ieiunus, quomodo hoc saluabis, nisi dicēdo ꝙ totū pro vnico actu computatur? Nec officit intento, si quis dicat, ꝙ non est similē de reliquiis in calice, patena, & in ore: quia istæ sunt semel sumptæ, illæ nō. Nā satis est in proposito, ꝙ oportet acceptari ab omnibus hoc, ꝙ actus isti non iudicātur vt diuersi secūdū se, sed cōputātur pro vnico, adhuc enim Eucharistia etiam tota remanente in ore, etiam ablutione sumpta, licitè sumitur absque dispēsatione ieiunij non alia ratione, nisi quia totum pro vnico actu computatur. Nam si singuli actus seorsum acciperentur, non posset ille ieiunus Eucharistiam verè sumere, id est deglutire: sumptio enim in ore solū, non est sumptio, sed inchoatio eius: quia non est cōmestio, neq; potatio. Nō potest quoque deinde aliter saluari quomodo in parasceue, quādo hostiæ pars in vino posita remaneret in calice, sumpto vino, sumi à ieiuno rectè potest, nisi totum pro vnico actu cōputādo: secūdū enim simplices actus is à nō ieiunus sumeret. Nō potest quoq; saluari, quomodo distinctis hauſtibus sumpta etiam prima ablutione, licitè sumitur à nō ieiuno (quod tamen oportet) nisi totū pro vnico actu cōputando. Quòd autē oporteat primam ablutionē, si statim sumitur, sumi à non ieiuno, ex eo patet, quòd statim adhuc est ibi verus sanguis Christi. Cū enim semper in calice maneat aliquid humiditatis post sumptū sanguinem: & illud non

non sit sine subiecto si vinum fuisset, proculdubio retinet adhuc vini speciem: & cùm non tam cito corrumpatur, restat vt in secūdo hausto sanguis Christi adhuc sumatur mixtus vino: qui non nisi à ieiuno sumendus est, sicut nec pars hostiæ mixta vino, &c. Non potest quoque aliter reddi ratio, quare liceat ablutionem sanguini mixtam statim duobus hauſtibus sumere, & particulam hostiæ post primum hausū in calice remanentem oporteat relinquere; quare enim magis licet sanguinis reliquias vino mixtas, quàm hostiæ post primū ablutionis hauſtum sumere? Non potest aliter saluari differentia in præfatis casibus inter hominē sumpta ablutione, & hominē, qui prius tantundem bibisset. Et tamen qui bibisset, ab omnibus iudicatur inhabilis ad sumendas etiam reliquias: hic autem, qui ablutionē sumpsit, in omnibus prædictis casibus absque dispensatione excusatur. Nec hoc est aliunde, quàm ex hoc, quòd absolutio non computatur contra reliquias.

¶ Quòd verò reliquiæ Eucharistiæ vt partes materiæ se habeant, ex ritu Ecclesiæ, & ratione apparet. Ex ritu quidem: quia non dicitur bis cōmunicare, qui post sumptam hostiam sacrā particulas reliquas sumit, etiā si credens se nihil amplius accepturum, adoratum fuit antè ablutionem: vt in religione fit. Et tamen si aliam hostiam sumeret, quantūcunq; ieiunus, iterum cōmunicaret, nisi fortè vt reliquias communionis susciperet: quod confirmaret intentum: quia scilicet ratio reliquiarum haberetur. Ex ratione autem: quia sicut in aliis rebus duplices assignantur partes, scilicet speciei & materiæ, ita in Eucharistia vt partes speciei sunt species sacramentales panis & vini: hæc enim in diffinitione cadunt: vt partes verò materiæ sunt particulæ specierum panis & vini: quæ etsi in diffinitione non ponerentur, sicut nec semicirculus in diffinitione circuli, ad integritatem tamen materiæ spectant. Vnde quamuis Eucharistiæ sacrificium sumpta hostia & sanguine, perfectum sit essentialiter, adhuc tamen perficiendum restat quo ad partes materiæ: quæ reliquæ sunt. Et quoniam ablutio necessariò immiscetur his partibus, ideo sumptio ablutionis & partium huiusmodi pro vnico actu rationabiliter computantur.

¶ Ex prædictis igitur, tu studiosè collige quid est in hac difficultate, super quod rationes fundari & difficultates solui possint: & est ꝙ sumptio reliquiarū Eucharistiæ & ablutionis earum pro vnico actu computatur. Oportet enim hæc duo simul cōcurrere: scilicet rationem reliquiarum, & rationē ablutionis earum ad hoc, vt ad vnum spectēt actum: propter quod non est idem iudicium de alia hostia, & de reliquiis, nec de potatione præcedente & de ablutione; nec de ablutione quā pro reuerentia sumunt communicantes sub specie panis, & ablutione sacerdotali: quoniā ista est ablutio reliquiarum extra manentium, illa non, sed aut pro intus tantùm manentibus, aut pro reuerentia. Et quoniam ablutio sacerdotalis non est ablutio specierum sanguinis tantùm, sed corporis: idcirco reliquiæ corporis & sanguinis post sumi possunt. Et quoniam particulæ hostiæ remanentes in patena vel corporali de numero reliquiarum sunt, quamuis non ablutæ, sumi sicut ablutæ possunt aliòquin particula hostiæ ex rigore frigoris fortè parietibus interioribus calicis inhærens non abluta sumi non posset cum ablutis: quod est ridiculum. Ex quo enim saluatur ratio tam reliquiarum quàm ablutionis reliquiarum, quamuis non omnes sint actu ablutæ, omnium sumptio pro eodem actu computatur, &c.

EX His patet responsio ad obiecta. Nam ad primum dicitur, quòd ieiunium naturæ debet præcedere totum actum sumptionis sacramenti, & non singulas eius partes, &c. reputatur enim ieiunus totum sumere, qui ieiunus cœpit: vt dictum est.

¶ Ad secundum patet responsio: quia licet quo ad rem sacramenti, scilicet corpus & sanguinem Christi, idem sit de toto & partibus iudicium: non tamen quo ad species ipsas: quæ sunt sacramentum tantum, vt ritus Ecclesiæ conuincit.

¶ Ad tertium autem dicitur, ꝙ cōmunicans statim vt ablutionem reuerentialem acceperit, refectionem suam compleuit. Nec est amplius de numero discumbentium: vnde est mirum, si non potest sumere reliquias. Sacerdos autem qui ablutionis reliquiarum sumendis vacat, adhuc est in actu refectionis: propter quod non est mirum si licet sibi reliquias sumere. Et simile est iudicium de sumentibus particulas hostiarum sacrarum in vino calicis: potest enim post primum hausum remanentes reliquias secundo & tertio hausu assumere, & hærentem sacerdotis digitis particulam sugere: quandiu sumendis vacat reliquiis & ablutioni earum. Et hæc dicta sufficiant. Pisis, die 20. Nouembris, 1509.

CAPVT II.

Vtrum sacerdos celebrans pro pluribus, satisfaciat pro singulis.

QVÆRITVR, Vtrum sacerdos obligatus ad celebrandum pro aliquo, & accipiens eleemosynam ab altero vt celebret pro eo, satisfaciat dicendo vnam tantum Missam pro vtroque.

¶ Et videtur ꝙ non. Primò, quia effectus Missæ, pro quo habēdo Missa petitur & promittitur, est finis. Finitum autem certum, minus habetur à singulis, quàm totū haberetur ab vno. Quicquid igitur datur secundo, adimitur à primo, & sic neutri satisfit. Assumptum: scilicet quòd effectus Missæ sit finitus, Probatur ex eo, quòd pro eodem dicuntur plures Missæ.

¶ Præterea, Cùm idem sit iudicium de duobus & de valde multis, imò de omnibus, si potest Missa promissa vni satisfacere pro altero, satisfactiua ergo est pro omnibus: & sic Ecclesia non bene instituisset Missas pro aliquibus determinatè, sed debuit omnes pro omnibus offerre: vt bonum commune sine detrimento particularium procuraret, communis mater omnium.

¶ Præterea, Si satisfacit hic sacerdos vnica Missa pro pluribus, pari ratione satisfacit etiā vnica missa pro quatuor missis promissis eidē, accepta ab illo eleemosyna pro quatuor missis. Hæc autē cōstat esse falsa: dānaretur enim ab Ecclesia, q vnica missa dixisset se satisfecisse pro missis B. Gregorij, quæ sunt triginta: ergo, &c.

IN Oppositum est: quia virtus missæ est infinita: quia est virtus Iesu Christi in seipso. Infinitū autē potest quibuscūque applicari, & ab eis participari absque vllo singulorum damno: ergo, &c.

IN Hac quæstione, quia missa continet duo: scilicet orationem & sacrificium Eucharistiæ, primò de sacrificio (quod est præcipuum in missa) deinde de oratione dicendum est. Rursus, quia effectus vtriusque est multiplex: scilicet meritum, impetratio & satisfactio sigillatim definiendum est. Rursus, quia effectus duplicitet oritur, scilicet ex opere operato, & ex opere operante: vt perfecta habeatur de quæsito notitia, singularis examinatis decernetur quid simpliciter respondendum sit quæsito.

¶ Sacrificium igitur missæ dicit duo. Est nanque sacramentum & sacrificium: & inquantum sacramentum, non est ad propositum: quia effectus eius est respectu sumentis tantùm. Inquantum verò sacrificium est ad propositum, & distinguitur ex parte operis operantis, & ex parte operis operati. Et sumptum hoc sacrificium secundum opus operatum consideratur dupliciter, scilicet secūdum seipsum absolutè: & secundum seipsum applicatum huic: si enim consideratur hoc sacrificium secūdum opus operatum absolute, sic est immolatio Iesu Christi, ita quòd eos oblata est Iesus Christus. Et quantitas huius sacrificij est infinita, ita quòd est impetratiuum, meritorium, & satisfactiuum infinitè: vnde effectus eius infinitus est sicut & passionis Christi: est enim Deo acceptius, quàm sint exosi omnes peccatores, &c. Verūtamen sicut infinitas effectus Christi crucifixi est secundum sufficientiam, & non secundum efficientiam, & secundum naturam causæ vniuersalis, indeterminatæ, scilicet & non determinatæ ad hunc aut illum: ita hoc sacrificium est ex suiipsius natura infinitæ sufficientiæ, & indeterminatæ efficaciæ. Et sicut efficacia passionis Christi determinatur ad hunc per hoc vel illud sacramentum: ita efficacia huius sacrificij per hanc vel illam deuotionem. Et quoniā deuotio pertinet ad applicationem sacrificij, ideo loquendo de effectu huius sacrificij ex solo opere operato secundum se patet nullum habere particularem effectum in quocunque homine, sed tantùm in ordine ad Deum habet acceptibilitatem, gratiarum actiones, commemorationem, & si quid est huiusmodi. Vnde in hoc videtur communis multorum error, quòd putant hoc sacrificium ex solo opere operato habere certum meritum, vel certam satisfactionem. quæ applicatur huic vel illi: hoc enim non esse verum, iam patet. Et confirmatur: quia eum ex opere operato sit infinitæ virtutis, etiam in satisfaciendo non esset maior ratio ex se, quare magis tantam & non maiorem satisfactionem daret.

¶ Si autem sumatur hoc sacrificium vt applicatum isti vel illi, sic effectus eius est finitus iuxta quātitatem deuotionis offerētium, vel eorum, pro quibus offertur: ita ꝙ quia in applicatione huius sacrificij duo sunt: scilicet applicatio ipsa ad hunc vel illum, & effectus particularis in hoc vel in illo, duo quoque actus concurrunt ad hanc determinationem: intentio, scilicet & deuotio: intentio enim applicat hoc sacrificiū huic vel illi, deuotioni autem effectus respondet: vnde intentio propria est sacerdoti, deuotio autem communis est ei & aliis. Vnde & in canone Missæ sacerdos actum intētionis applicatiuè huius sacrificij exercens, dicit, Tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Papa nostro, &c. &, Memento Domine famulorum famularúmque, &c. & omnium circunstantium. Deinde actum deuotionis subiungit, Quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio. Hoc enim non solum ad circunstantes, sed alios refertur: ex his insinuans applicationē huius sacrificij nō solū intētione, sed deuotione adiūcta perficiūta quòd quata est horū deuotio, tanta applicatur eis ex illa infinitate satisfactio.

¶ Et ratio est: quia in sacrificiis & oblationibus quātitas deuotionis magis pensatur, quam quātitas rei oblatæ. Vt patet de vetulæ oblatione Luc. 21. & ex autoritate Greg. in hom. Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ dicentis, Non perpendit Deus quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Et quoniam ex parte rei oblatæ, est infinitas in hoc sacrificio, & per vnicam deuotionem non exhauritur, nec minuitur, cōsequens est vt non solū pluribus, sed infinitis deuotionibus vnicum sacrificiū sufficiēter respōdeat, cuilibet certā pariēdo satisfactionē. Nihil igitur adimitur alicui

Universidad de Deusto
Biblioteca

facientis se offerri hoc sacrificiū, ex quātitate effectus huius sacrificij secundum se & applicari ad ipsum, ex hoc, quòd aliter procurat eandem pro se dici, nec econuerso: sed vnicuique respondet tantundem, quantum si pro se solo diceretur: quia vnicuique sufficienter, & efficienter iuxta quantitatem deuotionis suæ.

¶ Et cōfirmatur hoc ex ipso canone Missæ, in quo non solū generaliter pro Ecclesia, pro principibus & omnibus Christianis: sed specialiter pro his qui in Memēto cogitātur, & omnibus circunstātibus offerri dicitur hoc sacrificiū. Cōstat nanq; ꝙ non est determinatus numerus cogitādorum in Memento: & multò minus determinatus est numerus circunstantium: & ꝙ nullus ex alterius eōsortio minus habet de effectu Missæ: & ꝙ hæc non referūtur ad orationē, sed sacrificium: quoniā ibi expresse dicitur, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificiū laudis. Et ꝙ non solū pro impetratione, sed pro satisfactione offertur, quoniā expresse dicitur, pro redēptione animarū suarum: redēptio enim à malis est, & vt ipsum nomen testatur, satisfactio per modum solutionis est: sicut Christus redemit nos soluendo pretium Deo patri. Potest igitur sine cuiusquam detrimento pro infinitis sacrificium hoc offerri, & satisfacere iuxta singulorum deuotiones.

Caue tamē hic ne fallaris: putās ex hoc sequi, ꝙ vna Missa tantum satisfacit si dicatur pro vno quātum pro pluribus. Hoc enim nō sequitur ex dictis: qm nō diximus, ꝙ effectus huius sacramēti respōdet intētioni, sed deuotioni. Nō enim quantū intēdo ex hoc sacrificio satisfacere tātū satisfacio, sed quātā deuotionē habeo, tātū, ex illo haurio. Vnde si ego offerēs hoc sacrificiū, habeo deuotionē tātā, ꝙ ei respōdet in hoc sacrificio satisfactio vnius anni & intēdo celebrare pro satisfactione vnius, ille releuabitur satisfactione vnius anni. Si autē intēdo satisfacere pro duobus æqualiter quilibet releuabitur pro medio anno tātū, si pro tribus, pro tertia parte anni: & sic de singulis. Et similiter etiā dico de satisfactione respōdente deuotioni Martini, qui facit celebrari eādē Missam, ꝙ si pro vno fit, totā sortitur ille: si pro pluribus, diuiditur inter eos. Et similiter dico de quotcūq; aliis faciētibus eandē Missam celebrari. Sēper enim satisfactio cuilibet deuotioni respōdēs est finita, & si ad plures per intētionē applicetur, diuiditur, & minus à singulis participatur. Et sic verificatur Theologorū sententia, dicētiū effectū huius sacrificij finitum & diuisum minorari in eis quibus applicatur. Intelligitur enim (vt patet ex dictis) non in ordine ad pluriū deuotiones: sed vti participatum ab hac vel illa deuotione.

¶ Ex his ergo patet, ꝙ Missa rogata à pluribus, plus satisfacit, cæteris paribus, quā rogata à paucioribus: quia ex plurib⁹ deuotionibus offertur: & similiter Missa rogata, pro aliquibus, plus valet illis, quam si ex sola deuotione sacerdotis pro illis diceretur: quia ibi effectus est iuxta deuotionē etiam rogātium, hic nō. Et ex hac doctrina (quā accepi ex tertia parte diui Th. q. 79. ar. 5.) soluuntur omnes difficultates accidentes in hac materia, quo ad valorem sacrificij. Hinc saluatur infinitas sacrificij secūdum se, & finitas effectus in vnoquoque, & autoritas doctorū & ritus Ecclesiæ in celebrādo pro particulari, & maior fructus in vno, quā in pluribus & cōsuetudo tam offerēdi pro vna Missa (vt in parochiis accidit) quam celebrantium pro pluribus petentibus eādem sine fraude, vt in solēnitatibus accidit. Si autem considereтur hoc sacrificium ex parte operis operantis, sic etiam quātitas effectus eius attenditur secundum quātitatem deuotionis offerentiū. Sed quoniam ex hac parte non est quæstio, nec ex ista parte petita, aut promissa intelligitur Missa (sola enim intentio sacerdotis applicatiua sacrificij ad hunc petitur & promittitur communiter) ideò pertranseo.

ET Ad secundam partem Missæ, quæ est oratio, descendendo, dicēdum occurrit, ꝙ oratio cū sit actus religionis, cuius est cultū Deo exhibere (vt ex Secunda Secundæ, q. 83. patet: per orationem enim mens ipsa Deo offertur: vt Dionys. Greg. & S. Th. dicunt ex proprio genere infrā latitudinem sacrificij continetur: iuxta illud Oseæ vlt. Reddemus vitulos labiorum nostrorum. & ad Hebr. vlt. Per ipsum ergo offeramus hostiā laudis semper Deo, id est fructū labiorum cōtentium nomini eius. Addit tamen aliquid speciale ex propria ratione, inquātū est petitio: propter quod distinguitur de oratione, inquantum est meritoria, vel satisfactoria, vel impetratoria, vel consolatoria. Et quia nullus meretur de condigno nisi sibi, & similiter, quia cōsolatio spiritualis est effectus in ipso orante, ex attentione & meditatione propria procedens, nulla est hic difficultas de oratione, inquantum meritoria & consolatoria, vbi de oratione secundum eius cōmunicabilem effectum est quæstio. Imperatoria autem vis, fidei principaliter innuitur ex parte nostri: iuxta illud Marc. 11. Quicquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis, ex parte verò Dei innititur suæ misericordię. Et quoniā nec fides de vno petito minuit fidem de alio obtinendo, nec liberalitas diuina circa vnū minuitur ex alterius largitione: ideo oratio, inquātum imperatoria, non minus, si pro pluribus, quām pro vno fiat, valet: sed magis pro quāto ex maiori inducia diuinæ largitatis: & ampliori charitate procedit. Inquantum autem satisfactoria, vim habet ex duobus, s. ex deuotione (sicut & alia sacrificia) & ex pœnalitate orantis sicut cætera opera pœnalia. Et quoniā de omni sacrificio verū est, ꝙ satisfacit iuxta quātitatem deuotionis offerētium (vt patet ex autoritatibus adductis) vel eorum, pro quibus offertur (vt patet ex responsione ad secūdum, in q. supradicta tertiæ par.) ideo idem est proportionabiliter iudiciū de satisfactione orationis & sacrificij Eucharistiæ, nō quo ad quātitatem oblati, sed quo ad quātitatem deuotionis & satisfactionis illi respōdentis, & propterea sicut dictū est, istud posse pro pluribus offerri, ita & orationē. Quo ad pœnalitatē autē resultantē in orāte, cum sit personalis, & oratio de genere suo non sit opus pœnale, nulla etiam apparet difficultas in proposito: quia nō petitur propriè à sacerdote afflictio (vt in ieiunio) sed intentio applicādi orationes ad impetrādū pro se primò, & ad satisfaciendū: quoniā dū petitur oratio, tale sacrificiū, s. peritoriū postulatur. Ex his autē patet quid dicendum sit etiā de ipso sacrificio Missæ, inquātum impetratoriū vel meritoriū. Nec restes dubius propter meritū cōgrui, quoniā cū cōsistat in quadā cōdecentia (vt scilicet nobis facientibus ꝙ in nobis est, Deus faciat ꝙ ipsum decet) vis meritorio de congruo in sacrificiis & postulationibus attenditur secūdū deuotionē & fidē offerētiū, vel eorū, pro quibus offertur. Et ideo multitudo nihil nocet singulis ex hac parte: sicut de aliis dictū est. Et per hæc patet ꝙ affirmatiuè respōdendum est quæsito.

Vnū tamē dubiū restat in prędictis, an appellatione deuotionis eorū, pro quibus offertur, veniant defuncti & remoti, nihil scientes de hac Missa, quæ offertur pro omnibus secundum eorum deuotionem: quoniam si omnes intelliguntur, par erit conditio procurantis, & non procurantis Missam: omnino enim secundum suam deuotionem erit eius particeps. Si verò non omnes intelliguntur, non erit vniuersaliter verum, quòd hoc sacrificium valeat secundum deuotionem eorum pro quibus offertur: pro omnibus enim offertur. Sed hęc ambiguitas ex ipso concursu deuotionis ad sacrificia, soluitur. Concurrit nanque deuotio, vt causa quædam determinativa sacrificij ad hunc effectum: vnde Greg. in autoritate allegata, affectus deuotionem ponit vt causam, dicens quòd perpendit Deus ex quanto profertur. Vnde deuotio quantificans effectū sacrificij non se tenet ex parte accipientium effectum, quamuis indisposito talium ad impediendam receptionem talis effectus sufficiat: sacrificium enim non operatur per modum agentis vt sacramenta, sed per modū oblationis: sed tener se ex parte cōcurrentium ad tale sacrificiū causaliter, quomodolibet sit causalitas ista, puta petendo, ministrando, consulendo, adiuuando, fauendo, &c. Quo fit, vt defunctis secundum præcedentem eorum deuotionem in communibus vel in specialibus, & secundum deuotionem viuentium pro eis offerentium, viuentibus verò circunstantibus tanquam seruitoribus ad minus: vniuersis autem tanquam communicantibus in tali oblatione iuxta eorum deuotionem prosit. Quum enim sacerdos oret, & offerat in persona Ecclesiæ, & quilibet fidelis sit membrum Ecclesiæ, consequens est, vt quilibet per sacerdotis actus oret, & offerat: & sic causaliter concurrat ad sacrificiū ac per hoc quęlibet Missa singulis fidelibus prodest etiam satisfactorie iuxta eorum deuotionem, quam habent in communibus Ecclesiæ orationibus & sacrificiis: sicut habentes deuotionem in orationibus & Missis alicuius personæ particeps fiunt illarum iuxta suam deuotionem ex generali communione Sanctorum. Nec propterea æqua est rogantis & non rogantis conditio: sicut non est magis & minus deuoti æqua conditio: sicut non est æqua vno tantum & vno & altero modo facientis sibi aliquid debitum conditio. Rogare enim & eleemosynam pro hoc tribuere, corporaliter venerari, & huiusmodi, &c. maioris sunt deuotionis, & faciunt vt non ex communione sanctorum tantùm, sed ex tali actu etiam hoc assequatur.

AD Primum argumentum in oppositum iam patet responsio ex dictis, quòd effectus, scilicet Missæ est finitus cuilibet secundum suam fidem, quo ad impetrationem, & secundum suam deuotionem, quo ad satisfactionem propterea vtrunque dicitur in canone, Quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio. Est tamen infinitus in multitudine: quia infinitis potest respondere, singulis suas satisfactiones finitas, & impetrationes patiendo.

¶ Ad secundum dicitur, quòd canon Missæ testatur Missas ita ab Ecclesia ordinatas pro particularibus, vt tamen semper pro omnibus viuis & defunctis explicitè celebrentur: vt patet intuenti. Vnde prouida simul & pia Mater voluit, vt ex deuotione sua omnibus sacrificium prodesset, & specialiter capitibus: & ex deuotionibus priuatis his vel illis prodesset, & sic sine fraude, & sine cuiusunque damno excitat priuatas deuotiones pro se vel aliis, vt iuxta eorum deuotiones fructus referant speciales. Est etiā alius fructus ex specialibus Missis, quoniam enim naturaliter vnicuique amabile est proprium bonum, & quòd commune est negligitur, excitamur magis. Adiungitur quoque non paruipendendus effectus in sacerdote: qui & de propria deuotione offert pro particularibus à quibus suscepit eleemosynas, vel quibus afficitur.

¶ Ad tertium dicitur, quòd si offerētes & pro quibus offertur haberent

berent tantam deuotionem in vna Missa quantam habent in triginta, vna Missa satisfaceret pro triginta, Sed quia non est sic (manifestè enim patet petentem habere maiorem deuotionem in triginta & meritò, quia maior honor exhibetur Deo in pluribus quām in vna cæteris paribus) ideò qui promittit dicere triginta, tenetur dicere triginta. Et hæc de hac quæstione dicta sufficiant. Romæ, 1510. die primo Decembris.

TRACTATVS QVARTVS DE VALORE orationum dictarum ab audientibus Missam in die festo, vnica quæstione contentus.

Num ad Canonicas horas obligatus, aliquam earum, infrà Missam exoluens ad quam ex die festo obligatur, satisfaciat vtrique.

QVÆRITVR an obligatus ad canonicas horas exoluens earum aliquam infrà Missam ad quam in die festo obligatur, satisfaciat vtrique. Videtur nanque quod non. Primò ex numero cultus: quia cultus Missæ distinguitur cōtra cultum horarum canonicarum. Nam sicut tenetur quis ad Primam & Tertiam, vt duos cultus, ita tenetur ad Missam & horas vt diuersos cultus, ac per hoc sicut non potest simul duas horas exolucre, ita nec Missam & horam. Et confirmatur, quia homo tenetur interesse Missæ attentè, sicut tenetur exoluere horas attentè. Cuius signum est, quòd si quis ex proposito per notabilem partem Missæ non curaret attendere secundum suum modum, sed mentem ad alia diuerteret, non satisfaceret præcepto de Missa: quia non diceretur interesse Missæ plusquàm dormiens.

¶ Secundò extempore, quia sicut Ecclesia totum diem festum determinauit ad cultum Dei per cessationem à seruilibus, ita partem temporis, scilicet qua Missa celebratur: determinasse videtur ad cultum Dei positiuum, ac per hoc non licet occupare hoc Missæ tempus ad quemcunque alium cultum proprium exigentem tempus, vt est quælibet canonica hora.

IN Oppositum autem est, quia obligationes iſtæ sunt de compossibilibus simul; quia Missa exigit solam præsentiam, & hora exigit quòd attentè dicatur: constat autem quòd vtrunque potest simul fieri. Quod autem ad Missam sufficiat præsentia, patet ex eo quòd aliter tam surdus & cæcus, quàm multitudo maxima vni præsens Missæ, & vbi sacerdos submisse dicit (vt in Germania) non satisfaceret præsens Missæ: quod falsum reputatur.

¶ Præterea in huiusmodi Missa, præsentibus licitum est orationes vocales priuatas dicere, saltem quum sacerdos non auditur, iuncta pœnitentia est, quam quis non possit dicere, vt priuatam orationem: ergo pari ratione vtrunque licet. Et confirmatur, quia duobus dicentibus in Missam Terciam, aut Psalmos pœnitentiales, altero pro debito horæ, seu pœnitentiæ, altero ex sua deuotione, & vtroque pari attentione dicente, aut neuter minuit debitum Missæ, & habetur intentum, aut vterque violauit debitum Missæ, quod omnes negant: aut alter tantùm, qui debitor erat horæ, aut pœnitentiæ: & tunc nisi voluntariè hoc dicatur, oportet reddere rationem differentiæ, quum conueniant ambo in oratione dicta, & illius quantitate, & in attentione: Si dicatur, quòd quia differunt in ratione debiti, quia alter debet, alter non ideo ille non satisfacit, & iste sic: hæc differentia nihil facit ad propositum, quia ratio debiti per accidens se habet ad impediendum, vel non impediendum cultum Missæ. Si enim huiusmodi oratio impedit cultum Missæ, ita impendit, si sponte, quàm si ex debito dicatur: & si non impedit ita, potest solui ex debito sicut sponte: tota enim ratio illiciti si est, pendet ex hoc, quòd vnum impedit seu tollit aliud tanquam sibi incompossibile.

¶ Præterea, Quum de hoc sint contrariæ opiniones, & contingit aliquem de facto exoluisse infra Missam in festo horam, aut pœnitentiam, si non licet, erit iste reus omissionis aut Missæ (& sic errauit irreparabiliter) aut tot horarum: & sic commisit tot peccata mortalia omissionis: quod est durum. Et propterea quæ est maior ratio, quòd sit reus amissionis horarum, quàm Missarum aut econuerso, quum alterum impedierit.

AD Euidentiam huius quæstionis primo præmittendum est, quid sub præcepto cultus Missæ comprehenditur quantum ad populum. Secundò declarandum est in quo stat difficultas. Tertiò respondendum quæsito.

¶ Quo ad primum, quia Missa principaliter importat sacrificium & secundariò doctrinam (vnde pars doctrinalis vocatur Missa catechumenorum, puta ad eruditionem ordinatur: sacrificium verò vocatur Missa sine additione aliqua) ideo sicut ministris præcipitur vt sacrificium offerant: ita populo præcipitur, vt interſit corpore & mente. Si enim sola corporalis præsentia sufficeret, posset quis se præsentem sacrificio facere & voluntariè dormire: & rursus posset mentem ad quæcunque volūtatie diuertere: quorum vtrunque est absurdum. Præceptum enim Ecclesiæ hominibus factum de interessendo sacrificio, intelligēdum est more humano, vt scilicet interſint vt rationales. Ita quòd sicut clericos præceptum de horis canonicis dicendis obligat vt dicant ore & mente. hoc est proposito, seu anima vacandi Deo, quia præcipitur cultus diuinus homini, vt homo, hoc est vt rationali: non colit autem ratione vtens, qui animum ad alia sponte diuertit, quia ratio ipsa dictat oppositum: ita populus ex hoc, quòd obligatur ad Missæ cultui interessendum tenetur corpore & mente interesse: hoc est cum animo vacandi Deo: quantum Deus dederit.

¶ Est autem in Missæ cultu inter sacerdotem & populum conuenientia & differentia. Conueniunt siquidem in duobus, scilicet in attentione & materia, scilicet Missa: nam vterque tenetur attendere Missæ, & de sacerdote quidem clarum est. De populo autem vltra dicta, declaratur ex quatuor. Primò ex eo, quòd ipsi dicitur, Orate fratres, &c. vbi mandatur petitio: vt pateat, scilicet sacrificij acceptationem. Secundò ex eo quòd eidem dicitur, Sursum corda: vbi indicitur oratio: hoc est mentis eleuatio ad instans sacrificium. Tertiò, ex eo quòd idem dicitur, Gratias agamus, &c. vbi inuitatur ad gratiarum actionem. Quartò, ex eo quòd institutio Missæ habet, vt populus & audiat quæ doctrinæ sunt, & dicat quæ laudis sunt: ad populum enim (iuxta Patrum instituta) spectat hymnum cantare, Sanctus, Sanctus, &c. dum sacerdos agit sacra mysteria. Communis est igitur vtrique attentio ad Missam. Sed differunt in exteriori occupatione: quia sacerdos est exteriori operatione occupatus circa Missam tam dicendo quam faciendo: populus autem seclusò auditu eorum, quæ altè dicuntur, cum intelliguntur, ab exteriori occupatione vacat, & in sola attentione ad Missam relinquitur. Et quoniā imperfectorum, (qui sola mente circa Missam occupari non sufficiunt,) magna est multitudo, inde fit vt licitè populus aliquam vocalem orationem, dum sacerdos diuina facit, aut secretò dicit, & pari ratione dū altè dicit, si nō intelligūtur quę dicūtur, assumat ad excitādam, aut cōseruandam mētem attētam seu vacātem Deo durāte sacrificij tempore. Hęc enim in admiculum humanæ imperfectionis ad vacandum mente tanto sacrificio, fieri pie intelligūtur: melius enim, imò recta via esset vt sola mente aut quasi sola mente circa tantum sacrificiū occuparentur præsentes, petendo vt sacrificium gratum sit pro Ecclesia, pro se, pro defunctis, &c. gratias agendo Deo de tanto beneficio passionis Christi & præsentiæ ibi, &c. Nec propterea laqueum iniicimus animabus: quoniam sicut clericus obligatus ad horas & sacerdos celebrans, si præter intentionem euagatur, excusatur ab intentione: ita & populus: satisfit enim huic præcepto ex proposito, quo quilibet vadit ad Missam, vt faciat quod Ecclesia ordinauit, dummodo voluntariè postea non ponat obiicem, diuertendo aduertenter mentem ad alia notabiliter: quia modicum pro nihilo reputatur. Hæc de primo.

QVO Ad secundum difficultas consurgit ex eo, quòd hinc licitum est populo assumere quancunque orationem ad habēdam mentem Deo vacantem tempore sacrificij: ac per hoc non prohibetur ad hoc assumere orationem votiuam, aut pœnitentialem, aut etiam horam canonicam: quum nihil horum habeat aliquid in se repugnans ad finem, ad quem assumitur: imò quodlibet horum ad sacrificium Missæ optimè ordinatur. Inde autem obstat, quoniam si sic fieret, ex duobus cultibus debitis non solueretur nisi vnus tam quo ad attentionem, quàm quo ad tempus: nam, quum in Missa dicantur Psalmi pœnitentiales, licet dicatur Missa & dicantur Psalmi: vnica tamen attentio est, qua quis attendit Missæ & Psalmis: & similiter vnicum tempus est, quo persoluitur vtrunque: quum tamen duo disparati cultus (quales sunt propositi) exposcant suas duas attentiones (sicut quælibet duæ disparatæ materiæ exigunt suas duas disparatas formas) & similiter exigant duo sua tempora. Vnde fraus committi videtur quo ad numerum cultus, secundum attentionem & tempus, ex duabus debitis attentionibus persoluendo vnam, & ex duobus temporibus soluendo vnum. Hæc de secundo.

QVO Ad tertium duo occurrunt pro responsione ad quæsitum dicenda. Primum est. Non licet in Missa præcepta dicere orationes aliàs præceptas. Probatur, tum quia disparati cultus debiti sunt in sua disparatione exoluēdi, alioquin nō suauiter exoluuntur. Tum quia oppositum faciēdo interuenit cōfusio attētionum & temporum dum duæ attentiones cōfunduntur in vnam, & duo tempora in vnum. Tum quia minus soluitur, quoniā pro duabus attentionibus soluitur vna, & pro duobus tēporibus dicatur Deo vnum. Tum quo ad horas, quia priuata autoritate nō licet vnum publicum cultum subordinare alteri publico cultui disparato, ꝙ tamen fieret, si vna hora canonica diceretur infrà Missam: quia assumeretur ad habendam mentem vacātem Deo tempore sacrificij. Et sic verificatur opinio tenens, quòd non possunt hæc infra Missam præceptam dici. Non tamen per hæc intelligas, quin dum cantatur Kyrie, possit licite sacerdos lectis legendis dicere horas canonicas: quoniā tunc non tam Missæ quàm Missæ solēnitas agi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur: & ipse nihil omittit Missæ, sed est tempus, & per accidens vacans, & idem est iudicium de ministris & aliis in choro, qui graduali lecto, dum cantatur, horam persoluunt residuam.
¶ Secúdum est. Si infrà præceptã Missam aliqua oratio aliàs præcepta dicitur, vtriq; satisfit: quãuis minus bene, vt dictũ est. Et loquor quãdo secreta dicũtur, vel quãdo sacerdos non auditur, aut nõ intelligitur. Et similiter loquor de satisfacere, quãtum ad vitãdum peccatũ mortale omissionis vtriusq; nõ autem quãtum ad meritũ: quia nullus peccãdo venialiter, meretur vitã æternam. Et propterea si peccatũ est dicere hæc infrà præceptã Missam, tollitur meritũ, quod haberetur per talẽ actũ, si rectè fieret. Hãc itaq; cõclusionẽ nõ pono, eo q̃ illius rationẽ affirmatiuã videã, sed q̃a non video vnde sit falsa: vt patet discurrẽdo per singula. Rationes enim quæ inferunt præcedẽtem cõclusionem, quãuis sufficere videãtur ad cõcludendũ esse illicitũ exoluere vtrũque debitũ simul, nõ tamẽ sufficiunt ad cõcludendũ, non valere solutionẽ vtriusq; si de facto fiat. Quod enim multa debita ex diuersis ꝑceptis possint simul & vnico actu Deo exolui, nõ est dubiũ: nam si quis vouisset exponere se martyrio, & antequã implẽdi votum tẽpus trãseat, occurrit casus, in quo quis ex præcepto confitendæ fidei tenetur exponere se martyrio, nõ est dubiũ, q̃ exponẽs se satisfacit & præcepto voti reddẽdi, & præcepto Christi de martyrio, & præcepto de satisfactione pro peccatis cõmissis. Potissima igitur ratio in oppositũ est, quia disparati debiti cultus non exoluuntur vt sunt (vt, s. diuersi & disparati sunt) si simul exoluũtur. Sed hæc recipit distinctionẽ: quomã disparati cultus sunt duplices. Quidã, quorũ materiæ sunt simul incompossibiles, vt duæ horæ canonicæ, & similes, quorũ. s. vterq; exigit occupationẽ exteriorẽ, & hos oportet disparatos solui vt sunt, Quidã verò quorũ materiæ sunt simul cõpossibiles: q̃a alter nõ requirit occupationẽ exteriorẽ: & posũt vtroq; modo exolui: & disparatè, & simul subordinãdo vnũ alteri. Et tũc licet nõ exoluantur, vt sunt totaliter disparati, exoluitur tamẽ disparata materia: quia vtraque materia, Missa. s. & pœnitentialis oratio, exoluitur. Et hoc sufficit: quia nullibi hoc præceptũ inuenitur vt non valeant, nisi exoluantur, vt totaliter disparati. Et sic quãdo populus non occupatur exterius circa Missam, potest oratiõẽ pœnitẽtialem vel votiuã assumere ad mẽtem Deo vacãtem habẽdam tẽpore sacrificij: sicut potest quãcunque aliã assumere: & sic cultui vtriq; faciet satis. Quòd verò de duabus attẽtionibus & temporibus obstare apparet, cuaditur ex eo q̃ licet præceptum sit, q̃ quilibet cultus exoluatur attentè: non tamen inuenitur præceptũ, q̃ omnes duo cultus duabus attentionibus exoluantur. Et propterea si duo cultus possunt sub vnica attentione exolui, nulla cõuincitur ꝓcepti transgressio, sat enim est, q̃ quilibet exoluitur attentè. Et idem dicitur de duobus temporibus, nullum enim inuenitur præceptum de duobus tẽporibus: propterea si multi possunt sub eodẽ exolui tẽpore nullũ præceptũ violatur. Et similiter dicitur, quòd licet minus quantum ad numerum attentionum & tẽporum exoluatur, nõ ramen huiusmodi minoratio destruit valorẽ cultuum debitorũ. Et similiter licet male faciat aliquis subordinando priuata autoritate horã canonicam Missæ, non tamen propterea euacuat alterũ cultum. Et sic verificatur altera opinio,

Vnde patet responsio ad primum argumentum. Conceditur enim, quod peccatum est simul hæc exoluere: si tamen fiat, valet.
¶ Et idẽ dicitur ad secũdum, addendo q̃ nõ est simile præceptum de festo præcepto de Missa: quia illud datur directè de tempore: & ideo tempus oportet in illo præcipuè cõsiderare: in quo tamen licet dicere votiuas & pœnitentiales orationes: quia tempus festiuum habet indeterminatam materiam positiuã, in qua homo occupari debet: & libertati Christianæ relinquitur, in quo sancto opere, siue alias debito, siue non, quis se in festo occupet. Istud vero datur directè de cultu Missæ, & tempus Missam mensurans per accidens respicitur, Si enim tẽpus Missæ per se præciperetur, quum habeat materiam determinatam, scilicet Missam, non satisfieret vtrique cultui: quia nõ satisfieret vtrique tẽpori, vt patet.
¶ Rationes autem ad alteram partem allatæ non concludunt, q̃ liceat vtrunque simul exoluere. Prima enim soluitur, quia suauis exolutio exigit duas disparatas attentiones in duobus disparatis cultibus. Missa enim exigit solam præsentiam, sed non solius corporis, sed etiam mentis: vt declaratum est.
¶ Ad secũdã dicitur, q̃ non est par ratio: quia hic sunt duo cultus disparati debiti, vt sunt: nõ sic autẽ est in spotaneis orationibus, Et per hoc respõdetur ad cõfirmationẽ. Et quum instatur, quia ratio debiti est per accidens ad impediẽdum, respõdetur, q̃ nõ ideo illicitum interuenit in hoc casu, quia vnus impedit alium, sed quia vnus occupat attentionem & tempus & suauitatem alterius: quod per se oritur ex hoc, quòd vterque est debitus seorsum suauiter.
¶ Ad vltimam dicitur, quòd non interuenit mortale peccatum: & si reatus omissionis esset, omissa esset oratio assumpta: quia principale, quod est Missa, intelligeretur non violari per adiunctam orationem aliàs debitam: quia ad vacandum Deo sacrificij tempore assumpta intelligitur.

TRACT. V.

TRACTATVS QVINTVS DE Præcepto eleemosynæ ad mentem S. Thomæ, in sex capita diuisus.

1 *Operis ratio ac intentio, atque falsæ querundam opinionis super mentem diui Thomæ circa necessitatem largitionis eleemosynarum relatio, & possibilis origo.*
2 *Quam falsa fuerit æstimatio eorum qui imponunt D. Thom. quod negauerit necessitatem eleemosynæ.*
3 *Verborum D. Thomæ. ex quibus reprobata opinio pullulauit explanatio.*
4 *Quarundam obiectionum solutio ponitur, quæ falsam sententiam D. Thomæ impositam confirmare videbantur.*
5 *Solutio obiectionum in primo capite positarum pro fundamento illius falsæ opinionis.*
6 *Expositæ opinionis S. Thomæ ex Sanctorum, & illustrium virorum autoritate confirmatio.*

CAPVT I.

Operis ratio ac intentio: atque falsæ querundam opinionis super mentem D. Thom. circa eleemosynarum largitionis necessitatem relatio & possibilis origo.

CHARITAS Christi vrget me, vt propter fratres meos & proximos meos loquar pacem: hoc est, ordinis tranquillitatem in eleemosynarũ largitione necessario seruandam: intuitus siquidem sum ob quorundam scripta minus bene doctrinam S. Thom. intelligentium, multos facilè periclitari. Et quãuis omnis quæstio de peccato mortali, periculosam habeat à vero deuiationem, & ea maximè timenda aç cauenda sit à veritate declinatio, qua latiori quis se credit viæ: tum quia proni sunt sensus hominis ad assensum prębendum his, quæ libenter sequuntur: tum quia facile est viam latam ingredi quum multorum sit, & peccati expers vix esse possit: in hac specialiter quæstione tanto maius imminet periculum, quãto vltra prædictas causas viri celebres, quorum consilio confessores reguntur, S. Thom, docuisse id quod in re hac falsum esse ostenditur, asserunt. Sane Abbas Siculus in iure Canonico doctor famosus super secundo Decretalium de iureiurando cap. si verò. & frater Antonius Archiepiscopus Florentinus veteribus Christiani gregis pastoribus non minor, in secunda parte suæ Summæ titulo primo, cap. 14. de inhumanitate, scilicet: & quidam frater ordinis Minorum qui Summulam fecit Rosellam nomine, in de eleemosyna & mutuo: non malitia: sed minus perspicaci intellectu in hac re ducti imponunt sancto doctori ex Secunda Secundæ. quæst. 32. erroneam & procul ab humanis finibus opinionem circa eleemosynarum largitionis necessitatem. Aiunt, quod secũdum S. Th. ibidem homo non tenetur de necessitate salutis facere eleemosynam, nisi concurrentibus his duabus conditionibus simul, scilicet quòd dans habeat aliquid superfluum, nedum naturæ, id est vitæ, sed personæ, id est decentiæ status, tam sibi, quàm suis (quorum scilicet ei cura incumbit) & quòd appareat pauper patiens extremam necessitatem, aliàs licet bene faciat quis eleemosynam faciendo, non tamen tenetur.

Concipere autẽ poterunt hunc sensum ex sancto doctore propter duo. Primò ex eo, quòd art. 5. 32. q. vbi disputat, an dare eleemosynam sit sub præcepto, in corpore articuli determinans hanc quæstionem, dicit hæc verba. Quia præcepta dantur de actibus virtutum, necesse est, quòd hoc modo donum eleemosynæ cadat sub præcepto, secundum quòd actus est de necessitate virtutis: scilicet secundum quòd recta ratio requirit: secundum quam est aliquid considerandum ex parte dantis, & aliquid ex parte eius, cui est eleemosyna danda. Deinde subdit, quæ sunt ista considerանda: & dicit, quòd sunt superfluitas, non solùm naturæ, sed personæ ex parte dantis, & extrema necessitas ex parte pauperis, & subdit deinde: alias autem eleemosynas dare est in consilio. Ex his enim videtur haberi, quòd ad hoc quòd eleemosyna cadat sub præcepto, oportet simul concurrere aliquid ex parte dantis, scilicet superfluitatem, & aliquid ex parte recipientis, scilicet extremam necessitatem.

Secundò, ex eo q̃ in sequenti articulo determinando dicit, q̃ quando occurrit extrema necessitas alicuius priuatæ personæ, vel etiã aliqua magna necessitas reipublicæ, laudabiliter aliquis prætermitteret id, quod ad decẽtiam sui status pertinere videtur, vt maiori necessitati subueniret. In his enim verbis expresse dicit, q̃ concurrente altero prædictorum tantum, scilicet extrema necessitate alicuius, non habens de superfluo personæ, id est decentiæ status sui laudabiliter eleemosynam facit. Quod si laudabiliter, igitur non de præcepto, sed de cõsilio est eleemosynam dare: nisi vtraque supradicta conditio concurrat, Confirmatur hoc: quia

quia ante hæc verba loquens de necessario personę præmittit hęc verba: De huiusmodi ergo dare eleemosynam est bonum, & non cadit sub præcepto, sed sub consilio. Hæc ille.

CAPVT II.

Quam falsa fuerit æstimatio, qui imponunt D. Thom. quod negauerit Largitionem eleemosynarum necessitatem.

QVOD autem prędicta expositio non sit secũdum mentem & doctrinã S. Th. liquet primò ex eo, q̃ S. Th. in 4. ten. d. 15. q. 2. ar. 1. q. 4. expresse determinat oppositũ. Tenet enim has duas conclusiones. Prima est, Habens superfluum naturæ & personæ tenetur de præcepto erogare pauperibus illud superfluum, etiam si non patiatur extremam necessitatem. Secunda est, Patienti extremam necessitatem tenetur de præcepto habens superfluũ naturæ, licet non personæ, subuenire. Superfluum naturæ & personæ dicitur, q̃ secundum statum præsentem nõ est necessarium sibi, vel his, quorum sibi cura incũbit crassa pensatione: attẽtis tamen futuris casibus, qui probabiliter futuri æstimabuntur, & non omnibus, qui possunt cõtingere: hoc enim ad cõsilium non pertinet, vt dicitur 3. Ethic. Extrema autem necessitas vocatur, non quando aliquis iam spiritum efflare cernitur, & subsidium recipere non potest: sed cùm apparent signa probabilia futuræ necessitatis extremæ, nisi subueniatur, nec apparet, nec in promptu est qui ei subueniat. Determinat autem has conclusiones adeò clarè, vt inficiari impossibile sit. Sunt siquidem verba eius ibidem ista, Quum eleemosyna sit actus virtutis, oportet quod aliquo modo cadat sub præcepto: quia præcepta legislatoris ad virtutẽ inducere intendunt; vt dicitur 2. Ethic. reducitur autem ad hoc præceptum, Honora parentes, Honor autem ille secundum Aug. ad reuerentiam & subuentionem in necessariis pertinet, & nomine parentum omnis proximus intelligitur: sed præcepta affirmatiua nõ obligant ad semper quãuis semper obligent, sed obligant pro loco & tempore & secũdum aliàs determinatas conditiones. Quum autem vlus diuitiarum sit ordinatus ad subueniendũ necessitatibus præsentis vitæ quæ quidem subuẽtio debet esse ordinata, patet q̃ qui diuitiis non vtitur ad subueniendum necessitatibus præsentis vitæ, vel inordinatè vtitur, à virtute recedit. Ordo autem subuentionis talis debet attendi, quãtum ad duo. Primò ex parte eorũ, quibus subuenitur, vt primò sibi postea sibi coniunctis subueniat, deinde extraneis. Secundò, ex parte necessitatis talis debet esse ordo: vt prius absolutis necessitatibus subueniatur, quàm alicui necessitati conditionatæ, quæ est quum quis indigeat aliquo ad sui status decentem conseruationẽ. Et ideo præceptum legis ad hoc obligat, vt illud quod superest alicui post subuentionem perfecta, sibi & sibi cõiunctis, puta familię, quam gubernare debet, respectu vtriusque necessitatis in eleemosynas expendat ad subueniendum aliis respectu vtriusque istarum necessitatum: sicut etiam natura id quod sibi de alimento superfluit ab actu nutritiuæ, in quo attenditur necessitas absoluta & actu augmentatiuæ in quo attenditur quasi necessitas cõditionata paratur ad conseruationem speciei, generatiuæ virtuti subministrans. Et similiter præceptum legis obligat, q̃ etiã necessitati extraneorum absolutæ, primò subueniatur, quã proprię vel propinquorum conditionatæ: & ideo dicitur cõiter, q̃ dare eleemosynã de superfluo cadit in præcepto, & similiter dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate. Dare autem de eo quòd est necessariũ necessitate secunda, non autem de eo quòd est necessarium necessitate primã: quia hoc esset contra ordinem charitatis. Hęc ille. Vbi apparet, quàm apertè supradictas conclusiones asserat atque confirmet: & consequenter manifestè cuique liquet potest, q̃ doctrinæ suæ cõsona non est opinio illa sibi imposita ex Secũda Secũdę. Quod si aliquis dixerit hoc, q̃ dixi in 4. sent. retractata ab ipso. S. Thom. in Secunda Secũdæ, aduertat se in errorem lapsum propter septem. Primò, quia non est consuetudinis suæ, vt opinionem quam alibi non solum sequutus est, sed probauit retractet absque memoria, vel iuę olim opinionis, vel illorum, qui sequuntur eam, vel ipsius opinionis. Secundò, ex eo, q̃ illa sententia nõ solùm sua, sed cõis antiquorũ fuit: vt ipse refert in supradictis verbis. Quis autem vnquã inuenit S. doc. reprobare suã olim, & cõem aliorum opinionẽ, si non illius opinionis meminerit, ac aliqua ea ratione refellerit. In hac siquidem Secũda Secũdæ, q. 88 ar. 2. opinionem, quam in 4. sen. d. 38. q. 1. ar. 4. secutus fuerat circa dispensationem voti per professionem solẽnizati reprehendens, expresse eius minuit. In tertia quoque parte, q. 9. ar. 4. opinionem, quam tenuit, in 4. sen. d. 14. ar. 3. circa scientiam animæ Christi retractans, explicitè seipsum reprehendit. In tertia similiter parte q. 70. ar. 4. opinionem, quam in 4. sen. d. 1. q. 2. ar. 4. circa gratiam circumcisionis secutus est, reprehendens, expresse etiam seipsum mutasse opinionem asserit. Alibi quoque similiter facit: sed sufficiat hæc tria adduxisse, vt ostendatur mos eius. Si ergo hæc est eius cõsuetudo, quomodo hoc in loco suam & cõem ipso teste sententiam reuocat, nullam penitus innuens illius memoriam. Tertiò, patet hoc idem ex eo, q̃ non sine suæ glorię macula potuit intendere retractationem suę olim & cõis opinionis verbis adeò obscuris & extortè exponendis, absque, vt dictum est, suę intẽtionis populatione. Hoc siquidem & est contra promissionem à se factam in proœmio totius Sũmæ: vbi dilucide secundum q̃ materia patietur, se prosequi cuncta velle sponder. Et est contra tanti doctoris prouidẽtiam: quis enim (nisi desiperet) in re tam ardua verbis oppositum prę se ferentibus vtere tur, potens claris vti: Nũquid timebat hic seipsum ac alios reprehendere & alibi æquanimior factus est? An forte diuites odio habebat, vt veritatem eos celare vellet? Quartò, ostenditur hoc idem ex verbis S. Th. in Secunda Secũdæ ibidem concludendo enim ait, Si ergo dare eleemosynam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosynã ei qui est in extrema necessitate, aliàs autem eleemosynas dare est in concilio. Quum enim S. Th. Latina scripserit lingua, & dilucidè, is sensus ex iis est sumẽdus verbis, quem verba ipsa significant. Accersito autem quemcunque optimum grãmaticum, & proponas sibi quid intelligendum sit ex iis verbis, Præceptum est, vt fiat hoc, & fiat illud, respondebit certè, q̃ duo præcipiuntur: & q̃ scilicet hoc fiat, & q̃ illud fiat. Quum autem verba S. Th. talia sint, quare non talis sumendus est sensus. Dixit enim, In præcepto est dare eleemosynam de superfluo, & dare eleemosynã ei qui est in extrema necessitate. Duo ergo grammaticaliter intelligendo præcipit, cum dicit, & q̃ detur eleemosyna de superfluo, & q̃ detur eleemosyna patiẽti extremam necessitatem. Quintò, cõfirmatur hoc idẽ ex verbis S. Th. in eadem Secunda Secundæ, q. 66. ar. 7. in cor. vbi ait, Res, quas aliqui superabundanter habent, ex naturali iure debẽtur pauperum subsistẽtationi: vnde dicit Ambr. & habetur in Decretis d. 47. Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum est, q̃ tu reeludis: miserorum redemptio & absolutio, est pecunia, quã tu in terra effodis. Sed quia multi sunt necessitatem patiẽtes, & non potest ex eadem re omnibus subueniri, cõmittitur arbitrio vniuscuiusque dispensatio propriarum rerum, vt ex eis subueniat necessitatem patiẽtibus. Hæc ille. Vbi cernere potes primam conclusionem. Secunda autem ex his, quæ addit ibi in corpore, & in responsione argumentorum, elici potest. Sextò cõfirmat hoc idem ex verbis S. Th. in eadem Secũda Secundæ, q. 87. ar. 1. ad quartum: vbi ait, Tertię verò decimę, quas cũ pauperibus comedere debebant, s. in veteri testamento, in noua lege augentur, per hoc, quòd Dominus non solùm decimam partem, sed omnia superflua pauperibus iubet exhiberi, secũdum illud Luc. 11. Quod superest date eleemosynam. Hęc ille. Vbi apertè cernis iussisse, non consuluisse Dominu Iesum superflua erogari pauperibus secundũ doctrinam S. Tho. Septimò confirmatur hoc idem ex verbis S. Tho. in eadem Secunda Secundę, q. 118. ar. 4. ad secundum: inquirens enim ibi an auaritia semper sit peccatum mortale, arguit secundo loco ad partem affirmatiuam sic, Minimum in auaritia est, q̃ aliquis retineat sua inordinatè: sed hoc videtur esse peccatum mortale, dicit enim Basilius, Est panis famelici, quẽ tu tenes, nudi tunica, quam tu conseruas, indigentis argentum, quod tu possides: quo circa tot iniuriaris, quot exhibere valeres: sed iniuriari alteri est peccatum mortale, quia cõtrariatur dilectioni proximi: ergo multo magis omnis alia auaritia est peccatũ mortale. Deinde respõdendo huic argumẽto ait. Ad secũdũ dicendũ, q̃ Basilius loquitur in illo casu, in quo aliquis tenetur ex debito legali bona sua pauperibus erogare, vel propter periculũ necessitatis, vel propter superfluitatem habitorũ. Hęc ille. In quibus verbis clarissimè vtrãq; cõclusionem posuit, quòd ergo in Secunda Secundæ retractauit quod dixit, in 4. sen. ſ. in tot locis in Secũda Secũdę expresse cõfirmat quod determinauit in 4. Cauę ergo ne de cętero talia S. doctori imponas.

CAPVT III.

Verborum D. Thomæ ex quibus reprobata opinio pullulauit, explanatio.

VERVM Quia nõ sat est falsam expositionẽ destruere, nisi vera apponatur, ideo declaranda sunt verba eius, quæ illi minus bene intellexerunt. Verba eius in loco allegato (scilicet in Secunda Secundæ, q. 32. art. 5. vbi inquirit, an dare eleemosynam sit in præcepto) sunt ista: Quum dilectio proximi sit in præcepto, necesse est omnia cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non cõseruatur. Ad dilectionem autem proximi pertinet: vt proximo non solùm velimus bonum, sed etiam operemur: secũdum illud, 1. Ioan. 3. Nõ diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Ad hoc autem vt velimus & operemur bonũ alicuius, requiritur q̃ eius necessitati subueniamus: q̃ fit per largitionem eleemosynarum: & ideo eleemosynarum largitio est in præcepto. Sed quia præcepta dantur de actibus virtutum: necesse est q̃ modo donũ eleemosynæ cadat sub præcepto, secũdum q̃ actus est de necessitate virtutis, s. q̃ recta ratio requirit, secundum quam est aliquid considerandum ex parte dantis, & aliquid ex parte eius, cui est eleemosyna danda. Ex parte quidem dantis considerandum est, vt id quod in eleemosynas est erogandum, sit superfluum: secundum illud Luc. 11. Quod superest, eleemosynam date. Et dico superfluum non solùm respectu sumptus (quod est supra id, quod est necessarium individuo) sed etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

respectu aliorum, quorum cura sibi incumbit, quia prius oportet ꝙ vnusquisque sibi prouideat, & his quorum cura sibi incumbit, & postea de residuo aliorum necessitatibus subueniatur: respectu quorum dicitur necessarium personæ, secundum ꝙ persona dignitatẽ importat: sicut & natura primò accipit tibi, ꝙ est necessarium ministerio nutritiuæ: superfluum autem erogat ad generationem alterius per virtutem generatiuam. Ex parte autem recipiẽtis requiritur, ꝙ necessitatẽ habeat: alioquin non esset ratio, quare ei eleemosyna daretur. Sed cum non possit ab aliquo vno omnibus necessitatem habẽtibus subueniri, non omnis necessitas obligat ad præceptum, sed illa sola, sine qua is, qui necessitatem patitur sustentari non potest: in illo enim casu locũ habet ꝙ Amb. dicit Pasce fame morientem si non paueris, occidisti. Sic ergo dare eleemosynam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate: aliàs autem eleemosynas dare in consilio est sicut & de quolibet meliori bono dantur consilia. Hęc ille. Ex quibus talis est accipienda sententia. Eleemosynarum largitio est in præcepto: quia dilectio proximi non solùm secundum affectum: sed effectum, est in præcepto. Tunc autem est in præcepto, quãdo est necessaria virtute charitatis, ita ꝙ sine tali eleemosynæ donatione charitas manere non potest: quia est actus eius. Tunc autem de necessitate charitatis, quãndo recta ratio ad hoc necessitat. Necessitantia autem secũdum rectam rationẽ ad eleemosynæ actum sunt duo: aliquid, s. ex parte dantis & aliquid ex parte eius cui eleemosyna est danda. Ex parte quidem dantis necessitans ad eleemosynæ actum est superfluitas bonorum non solùm naturæ, sed personæ, iuxta Christi præceptum, & naturæ processum. Ex parte autem eius: cui eleemosyna est dãda necessitans ad eleemosynæ actum, est necessitas, seu indigẽtia, non quæcunq; (quia ab vno etiã habente superflua non potest omnibus necessitatib' apparẽtibus subueniri) sed extrema, iuxta verba Ambrosij. Vnde & dare eleemosynã de superfluo est in præcepto ratione superfluitatis: & dare eleemosynã ei, qui est in extrema necessitate, est in præcepto ratione necessitatis extremæ: aliàs autem est in consilio. Quòd autem iste sit verus sensus, patet ex eo, ꝙ secũdum istum sensum nulla extorsio est literæ, nullum sequitur inconueniens, nulla discordia inter principia & conclusiones, nulla cõtradictio inter dicta eius hic & in aliis locis suprà allegatis: sed omnia inueniuntur cõsona, non solùm supradictis, sed etiã aliis dictis S. Th. In quæstionibus quidẽ de malo, q. 13. ar. 2. ad quartũ, exponens supradictam autoritatem Basilij ait, Basilius loquitur in casu illo, quando aliquis tenetur bona sua pauperibus erogare: puta si sit ei superfluum secundum illud Luc. 11. Quod superest, date eleemosynam. In quolibet is quoque, quolibet 7. vel 8. apud aliquos codices, q. 6. ar. 2. vbi quærit vtrũ ille, qui nõ dat pauperi perenti, si habeat de superfluo, peccet, ponit eandem primã cõclusionem in hæc verba: Circa hoc distinguẽdum est: suppositio enim, ꝙ aliquis habeat de superfluo & respectu individui, & respectu personæ, ꝙ tenetur pauperibus erogare, aut videt in paupere perẽre euidẽtia signa extremæ necessitatis, aut non: si videt, certum est, ꝙ tenetur dare, & peccat non dando: in hoc enim casu loquitur Amb. Pasce fame morientem: si non paueris, occidisti. Si verò nõ apparent, tunc non tenetur dare pauperi perẽti: quia quãuis teneatur dare superfluum pauperibus, nõ tamen tenetur omnibus dare, nec huic dare, sed tenetur distribuere, secundum quòd sibi visum fuerit opportunum. Hæc ille. Ex quibus prima cõclusio euidenter apparet.

¶ Fundãtur autẽ hæ conclusiones super rationes multas. Quum enim bonum consurgat ex causa integra, malũ autem ex particularibus defectibus (vt Dion. dicit 4. c. de Diui. nomi.) charitas ipsa erga proximum indigentem conseruari non potest, nisi ex parte vtriusque omne corruptiuum tollatur: contrariatur autem dilectioni proximi (vt ex dictis & dicendis patet) ex parte dantis superfluum personæ indigẽtibus negare, ex parte verò pauperis extrema necessitas non adiuta: & ideò quodcunque illorum inueniatur, charitas non saluatur, & cõsequenter malũ culpæ mortalis cõsurgit: & hæc est ratio quã tetigit S. Th. in q. 32. loco prælegato: cum dixit, ꝙ actus eleemosynæ est de necessitate virtutis, secundum ꝙ recta ratio requirit, secundum quã aliquid est cõsiderandum ex parte dãtis, & aliquid ex parte eius, cui danda est eleemosyna. Amplius: Quũ ordo charitatis sit in præcepto (vt testatur S. Th. in Secunda Secundæ, q. 44. ar. vltimo,) & ex charitate diligenda sit vita corporalis proximi: secũdum omnes plus tenemur diligere vitã proximi, quã bona nostra exteriora, sicut plus animã proximi, quã corpus nostrũ. Sed decentia status est quoddam bonum exterius: igitur tenemur de necessariis ad decẽtiam status nostri subuenire vitæ corporali illius qui est in extrema necessitate. Et similiter eum charitatis ordo exigat, vt decentiam status proximi superfluitatibus nostris præponamus (quoniã tale bonũ charitas proximo vult) hoc autem malum abiicit, tenemur ex superfluo naturæ & personæ aliorũ necessitatibus subuenire. Et hæc est ratio, quã adduxit S. Th. in 4. sen. vbi suprà. Amplius: Cũ virtuti duo sint extrema contraria, s. superabundantia & defectus, (vt dicitur 2. Ethic.) charitas autem licet secundum se extremo superabundãti careat (quia, vt inquit Bern. Charitatis modus est absque modo esse: ex eo ꝙ obiectum non potest tãtum amari, quantum est amabile) vtrumque tamen extremum habet secundum exteriores operationes: vt ex Secunda Secundæ, q. 26. art. 7. habetur: vnde ex superabũdantia & defectu exteriorum operum corrumpitur. Ad excessum autem in proposito pertinet plus de corporalibus bonis, quã oportẽat attribuere tã sibi, quã aliis: quia amicabilia quæ sunt ad alios, sunt ex amicabilibus, quæ sunt ad se, vt dicitur 8. Ethic. Defectus verò est minus corporalibus bonis vti quàm oportẽat, & ad sui, & aliorum sustentationẽm. Quum autem superflua naturæ & personę habeus, nèc indigentibus dispensans, plus sibi, quàm oporteat hmõi bonorum applicet (aliter superflua non sunt) manifestum est, ꝙ in charitatis extremum cõtrarium secundum superabundãriam incidit: sicut & ille, qui in superfluis & voluptuosis conuiuiis plus aliis, quàm deceat, tribuit, & consequenter vterque peccat mortaliter. Similiter quum negãs necessarium personę patiẽti extremam necessitatem, minus aliis, quàm oporteat, cõicet hmõi bona (quia debẽtur exteriora bona ordine naturali sustentationi vitæ humanæ primò, deinde exteris commoditatibus) patet ꝙ in extremum secundum defectum declinat, sicut & ille, qui sui ipsius ob suã miseriã corporali saluti subuenire negligit: vnde & vterque à charitate recedit: & consequenter mortaliter peccat. Et hæc est ratio, quàm tetigit S. Th. in quolibeto 6. q. 7. Amplius: Quum de iure naturali omnia sint cõia, & iure gentium res appropriauerit quò ad vsum, procurationem & dispensationem (vt dicit S. Th. in Secunda Secundæ, q. 66. ar. 2.) consequoque ꝙ à iure gentium nihil inordinatum vim sumit (quoniam à natura vt rationalis est, oritur) impossibile est ea, quæ huic superfluunt quo ad naturam & personam, eius esse quo ad vsum (vsus enim superfluorum in ordinatus est, aliter superflua nõ sunt) licet istius sint quo ad procurationem & dispositionem. Si autem ex iure gentium eius non sunt quo ad vsum, indigentibus ex iure naturali debentur: dispensanda tamen secundum arbitrium prudẽtis, cui (vt dictum est) dispensationem iuxta gẽtium appropriat. Contra ius ergo naturale est superflua naturæ & personę indigentibus non largiri. Similiter licet necessarium personæ sit habẽtis, etiam quo ad vsum, simpliciter loquendo: in casu tamen, quo extrema necessitas alterius appropriat, vt superfluum cẽsetur eius vsus respectu istius patientis extremã necessitatem, & iuris naturalis vis exigit, vt tãquàm superfluũ patienti debeatur. Non enim ratio, à qua iuxta gentium derivatur, ita necessarium personę appropriat huic quo ad vsum, quin iudicet in casu necessitatis alteri deberi ob iuris naturalis vim. Cuius signum est: quia si ab isto possidente necessarium personæ in tali casu non dispenseretur patienti extremam necessitatem, laudabiliter ab eo auferri potest, vt extremis necessitatibus subueniatur. Est igitur & cõtra ius naturale, non subuenire extremæ necessitati de necessario personę. Et hæc est ratio, quã tetigit S. Th. in Secunda Secundæ, q. 32. in hoc ar. in responsione ad secundum: & est sumpta ex verbis Basilij & Ambr. Ille enim exponens verba Diuitis, Luc. 12. dicentis, Congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, ait, Dic mihi quæ tua, vnde ea sumens in vitam tulisti? sicut qui prœuenientes spectacula, prohiberet aduenientes sibi, appropriando, ꝙ ad cõem vsum ordinarut, similes sunt diuites ꝙ cõia, quæ prœoccupauerũt, æstimant sua esse. Si enim quilibet suæ necessitatis sufficientia recipiens, relinqueret superfluum indigenti, non esset diues, nec pauper. Cæterum si fateris ea tibi diuinitus prouenire, an iniustus est Deus, inæqualiter res nobis distribuens? cur tu abundas, ille verò mendicat, nisi vt eu bonæ dispensationis merita cõsequaris, ille verò patientiæ brauiis decoretur? Nonne spoliator es, qui dispensanda suscepisti, propria reputando? Est panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quàm in conclaui cõseruas: discalceatis calceus, qui penes te marcescit: indigentis argentum, quòd tu possides inhumatum: quo circa tot iniuriaris, quot dare valeres. Amb. autem eandem parabolam tractans: vt in Decretis habetur d. 47. sicut Hie. ait, Proprium nemo dicat quòd est commune: quòd plus quàm sufficeret sumptui, etiam violenter obtentum est, & subdit, Quis enim tam iniustus, quàm qui tam multorum alimenta non suum vsum, sed abundantiam & delitias facit? neque enim minus est criminis habẽti tollere, quàm quum possis & abũdas indigẽtibus denegare, Cõcludendo igitur secũdum veritatem & S. Th. doctrinam, duas diuisim radices necessitatis ad eleemosynæ opus producendum dicimus, superfluitatem scilicet naturæ & personę ex parte dantis, & extremam necessitatem ex parte indigentis.

CAPVT IIII.

Quærendam obiectionum solutio ponitur, quæ falsam D. Thom. impositam sententiam confirmare videbantur.

ANTEQVAM Autem satisfiat moriuis vnde orta creditur illa falsa expositio, alias quasdã obiectiones contra determinatam veritatem ad illius falsæ expositionis robur afferenda censui.

¶ Quadrupliciter igitur instat, primò sic: Quum eleemosyna sit ad alterum oportet coniunctim vtriusq; conditiones considerare, & non diuisim: sicut & de iustitia dicitur 5. Ethico. vnde & S. Tho. in hoc art. ait, ꝙ nulla est ratio, quare eleemosyna alicui detur, quantũcunque alias habeat superflua, nisi iste egeat: ergo copulatim oportet intelligere, ꝙ duo sunt cõsideranda ad præceptũ eleemosynæ. s. superfluitas: & extrema necessitas. Secundo, quia si non coniunctim intelligatur, sequitur deficiens doctrina, & quodammodo impossibilis adimpleri. Deficiens quidem: quia dicit, quod habens superflua, tenetur largiri eleemosynaliter, & non dicit cui, & similiter ꝙ patienti extremã necessitatem sub præcepto subueniendũ est, & non dicit à quo, Impossibilis verò quandoque, quia in aliqua patria nullus est pauper, & tamẽ aliquis habebit de superfluo. Tertio, quia post art. istum quærit S. Thom. vtrum corporalis eleemosyna sit danda de necessario: ex hoc enim arguitur sic: Si præcẽdenti art. iam determinatum est, quòd patienti extremam necessitatem tenemur dare de necessario: personæ, quid opus erat dubitare vtrum sit danda eleemosyna de necessario? Quarto, quia S. Thom. in quolib. 6. q. 7. seu art. 12. in responsione ad primum, dicit hæc verba, Non semper peccat mortaliter quotiescunque non dat pauperi qui superfluum habet, sed quando necessitas imminet. Quando autem sit talis necessitas, quòd obliget ad mortale, non potest ratione determinari: sed committitur prudentię. Erin responsione ad secundum dicit, Dare omnia sua pauperibus, cadit sub præcepto secundum animi præparationem: vt. f. homo sit paratus hoc facere, si necessitas immineat. Minor tamen necessitas requiritur ad superflua eroganda, quàm ad omnia exhibenda tũ, hoc totũ ratione vniuersali determinari non potest, sed committitur prudentiæ vt dictum est. Ex his enim verbis videtur ꝙ superflua erogare secundum S. Thom. non sit in præcepto nisi tempore necessitatis.

AD HAEC Respondetur. Et ad primũ dicitur, ꝙ aliud est loqui de exequutione præcepti eleemosynæ, & aliud de obligatione eius. Licet enim ad exequendum eleemosynæ præceptum exigantur duo, scilicet superfluitas naturæ & personæ ex parte dantis, & indigentia naturæ vel personæ ex parte eius cui est eleemosyna danda: sed superfluitas naturæ ex parte dantis, & indigentiæ naturæ, id est extrema necessitas ex parte patientis (quia aliter nõ est talis, quare danda sit eleemosyna) obligatur tamen quis per se loquendo, ex hoc solo ꝙ superfluum naturæ & personæ habet illud distribuere. Solo autem dico, excludendo non omnẽ sed extremam alterius necessitatem, quã hic S. Tho. superfluitati combinat, oportet enim ꝙ si vni superest, alteri deficiat: vt Basilius dixit. Et similiter ipsa extrema necessitas alicuius quantum est ex se, obligatiua est ad hoc vt sibi subueniatur. Per accidẽs autem est, quòd hic, vel nunc quis non teneatur, puta quia latent eum indigentes. Vnde quia S. Tho. radices præcepti inuestigabat, & non exequutionem, ideo disiunctim intelligendus est (vt probatum fuit) aliter in maximos incideretur errores. Et subtiliter aspiciat quis, videbit quod & ad ipsam obligationem præcepto duo concurrunt, scilicet superfluitas naturæ, vel personæ ex parte dantis, & necessitas naturæ vel personæ ex parte patientis: quoniam præcepta moralia dantur de his, quæ vt plurimum eueniunt: vt pluries Arist. in Ethic dicit, Communiter autem imò potius semper, superfluitas vnius, est indigentia alterius: sed quia non ex parte indigentiæ est obligatio ad mortale, nisi sit extremã, neque ex parte superfluitatis est præceptum, nisi sit vltra personæ dignitatem ideo summatiẽ loquens S. Thò. ea quæ complent rationes præceptorum assumens, ad aliàque loca tãquam ad commentaria, quæ se scripsisse nouerat remittendo, assumpsit, & concluſit dicens duo præcipi, & dare de superfluo, & dare extremam necessitatem patienti.

¶ Ad secundum dicitur, ꝙ doctrina sufficiens est, & quia summatiẽ tradita, & quia alibi explicata est, & quia facilè subintelligi potest, cui danda sunt superflua (indigenti scilicet & patienti extremam necessitatem) & à quo subueniendum est, ab eo. f. qui nouit & potest. Posse autem quemlibet superfluum naturæ habentem, clarum est. Nec est verum, ꝙ quandoque impossibile sit hoc obseruare, quoniã secundum Euangelicam doctrinã pauperes semper habebimus nobiscum, & dato ꝙ non appareret aliquis indigens obseruaretur præceptum, futuris pauperibus thesaurizando. Dicitur secundò ꝙ quia (vt dictum est) sermones morales sunt secundum subiectam materiam, quæ vt in pluribus hoc habet, ideo si in aliquo particulari casu aliquid occurrat quod impedire videtur obseruationem præcepti, nihil vigoris ipsi præcepto adimitur.

¶ Ad tertium sufficienter respondetur quantũ ad propositum spectat, quærendo ab obiicientibus ad quid sanctus doctor in 4. sent. distin. 15. post articulum adductũ, in quo expresse has cõclusiones determinauit, mouit illam met dubitationẽ (an scilicet eleemosyna danda sit de necessario) in eadẽ q. art. 4. Causa enim quã reddituri sunt, quare hoc fecit in 4. est illa quare hoc fecit in Secunda Secundæ, & quum in 4. videant, ꝙ talis articuli quæstio non repugnet veritati huius prioris determinationis, nec superflue addita sit, fateãtur fallax assumpsisse signum in Secunda Secundæ ad suam expositionem probãdam. Est autem in promptu causa, quare vtrobique talem articulum adiecerit, quia specialem scilicet præ se fert difficultatem necessariorum distributio, quam enim audis necessarij, distribuendum non videtur. Vnde licet ex præcedenti articulo facilè deduci potuisset conclusio ista, ꝙ necessarium personæ erogandum est patienti extremam necessitatem, tamẽ tota quæstio, an scilicet liceat necessarium erogare, nota non erat, quare, &c.

¶ Ad quartum dicitur, ꝙ oportet intelligere responsionum terminos secũdum ꝙ in argumentis oppositis assumpti sunt. In illis autem argumentis non est sermo nisi de necessario naturæ & superfluo naturæ, vt patet in primo ex præcepto Ioannis Baptistæ Luc. 3. quod inducitur scilicet, Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti, duæ enim tunicæ sunt superfluum naturæ, non personæ: vt glossa ibid. dicit, & Petrus de Palude in 4. dist. 15. & ratio conuincit, tum propter temporum variationem naturalem secundum calidum & frigidum, serenitatem & intemperiem, tum propter communem humani generis morem. Vnde verba illa, quæ in solutione primi dicit, confirmant secundam conclusionem supra determinatam, quia necessarium personæ quod est naturæ superfluum, in articulo necessitatis extremæ erogandũ dicit sub peccato mortali.

¶ Secundum autem argumentum replica est contra hanc responsionem hoc modo. Dare omnia etiam necessaria naturæ, est in præcepto in articulo necessitatis, quod tamen simpliciter est in consilio, ergò dare superflua naturæ quod est in præcepto, obligat extra articulum necessitatis. Tenet consequentia, quia præceptum obligat plus quam concilium, ergo male responsum est, ꝙ præceptum illud de duabus tunicis, & similia intelliguntur in articulo necessitatis. Et ad hoc respondet, quod vtrunque est in præcepto secundum præparationem animi pro articulo necessitatis: sed articulus necessitatis habet latitudinem. Necessitas enim obligans ad necessaria naturæ communicanda, est non quæcũque extrema necessitas pauperis, sed illa, quæ quis etiam vitam propria tenetur discrimini exponere propter illum. si enim pro fratribus mori aliquãdo est in præcepto, consequens est ꝙ priuare se necessariis vitæ admiculis, committendo se diuinæ prouidentiæ in aliquo casu præceptum sit. Necessitas autem ad superflua obligans naturæ communicanda, est minor: sufficit enim ad hoc, ꝙ pauper nõ habeat vnde sustentari queat. Vnde ex hac responsione secunda conclusio iterum confirmatur, sicut & per corpus illius articuli.

CAPVT V.

Solutio obiectionum pro fundamento illius opinionis in primo cap. adductarum

AD ea verò, quę in principio pro fundamento illius expositionis adducta sunt respondetur. Et ad primũ quidẽ respõsio ex dictis aperta est. Iam enim declarauimus & probauimus, quomodo dub cõsideranda sunt secundũ rectam rationem ad necessitatem virtutis eleemosynarię.

¶ Ad fm verò dr, ꝙ ly laudabiliter, põt dupliciter sumi. Vno modo, vt distinguitur cõtra, Necessariò, & sic idẽ sonat laudabiliter quid bene, sed non de præcepto, sed de concilio. Alio modo vt distinguitur contra, vituperabiliter: & sic idem sonat quod virtuosè. in proposito S. Tho. accepit laudabiliter secundo modo, & non primo. Et nihil aliud voluit dicere, nisi ꝙ in illis casibus tribus quos enumerat non inordinatè, sed virtuose quis necessarię personę largiretur. Ex hoc aũt ꝙ virtuosè hoc fieri dicitur non sequitur, ergo non de præcepto: quoniã actus virtutis cõmunis est præceptis & consiliis. Et quia hoc verbũ arbitror fuisse occasionẽ errandi aliis & falsam fouisse expositionẽ, propterea ꝙ creditũ est ꝙ S. Tho. vtereťiy Laudabiliter, prio mõ: ideo ostẽdo ꝙ secũdo mõ accepit Laudabiliter ex quatuor. Primo ex arti. ae S. Th. more. Quũ enĩ cõsueuerit diuinũ eius ingeniũ qstionibus rndere sermone formali: ꝓpter quod vniuersaliter profundę sunt eius sentẽtię, & occultę minus perspicacib⁹: & tit. artic. nõ sit, an de necessario fieri eleemosyna debeat sub præcepto vel consilio, sed an de necessario dare liceat eleemosynam, sua nõ intererat rndendo differere, ꝙ hoc sit in consilio vel ꝓcepto. sed ꝙ hoc sit contra virtutẽ vel fm virtutem, licet ad pfectiorẽ doctrinã potuisset post subiungere: & hoc non solũ est secũdũ virtutem, sed etiam in præcepto. Quod dixit. Ergo laudabiliter virtuosè exponendũ est, si difficultati motæ formaliter responsum esse fateri volumus. Secundo, ex prima parte corporis illius articuli, ait emĩ ibi, quod nõ licet dare de necessario naturæ, nisi ad sustentationem reipublicæ, vel Ecclesiæ in aliquo casu necessitatis. Tũc enim laudabiliter, inquit, seipsum, & suos mortis exponere periculo: quia bonũ cõe præponendũ est ꝓprio. Ex hoc arguit sic. Certũ est, ꝙ in aliquo casu tenet quis de ꝓcepto, non solũ mortis periculo se exponere, sed etiam mori pro fratribus: ergo quum S. Tho. dixit laudabiliter hoc fieri in aliquo casu, non accepit, Laudabiliter, vt distinguit contra necessario, seu de præcepto, quia fal sum dixisset, quũ in ꝓcepto hoc esset, non sit dubiũ in aliquo casu. accepit igitur, Laudabiliter. i. virtuosè. Quod si hic hanc acceptas glossam, quare non infra in proposito nostro? nulla siquidem est quæstionis aut styli disparitas. Tertio, ex regula generali, ex qua

Universidad de Deusto
Biblioteca

excipiens profert hæc verba, Quum enim distinxisset necessarium in necessariũ naturæ & personæ, & de necessario naturæ regulam tradidisset, q̃ non licet dare ex eo eleemosynam, & exceptionem fecisset ad necessarium personæ transiens, ipsum absolutè considerans (vt quæst. exigebat) duas regulas tradidit. Prima est, q̃ dare de necessario personæ, simpliciter scilicet & absolutè cõsiderando ipsum, est bonũ sub consilio tantũ, non præcepto. Secunda autem quasi aduersatiuè addita est, q̃ inordinatum est dare tantum de necessario personæ, q̃ de residuo non possit conuenienter vita peragi. Et ab hac secunda regula excipit tres casus, ingressum religionis, facilem reparationem, & extremam necessitatem priuatę personæ, vel magnam reip. quia in his laudabiliter necessaria personę erogantur. Ex his verbis videre quispiam potest clara luce, q̃ laudabiliter posuit contra inordinatum. Regula enim erat, q̃ necessarium personę nimis à seipso subtrahere est inordinatum. Exceptio autem est, q̃ in tribus casibus hoc fit laudabiliter, id autem est dictum laudabiliter, vt distinguitur contra inordinatè & contra vituperabiliter. Quartò patet hoc idem ex 4. sent. dist. 15. q. 2. art. 4. q. 1. ibi enim tractans hunc articulum, eádem regulam tradit, & eosdem tres casus excipit ab illicitis. Constat autem q̃ ibi iam determinauerat, quod non solũ licitum, sed præceptum erat dare de necessario personæ vltimam necessitatem patienti, nihil ergo obstat prædeterminatæ sententiæ, q̃ id quod præceptũ dixerat post laudabile autlicitum dicat, exigente hoc noua difficultate, quia formaliter sibi vult responderi. Laudabiliter igitur, id est virtuosè dixit dari eleemosynam de necessario in articulo necessitatis.

¶Et per hæc patet, qualiter intelligenda sint verba illa, quæ ad confirmationem dicebantur, scilicet dare eleemosynam de necessario personæ, est bonum, & non cadit sub præcepto, sed consilio. Quum enim hæc verba in eodem sint articulo, accipienda sunt, vt quæsitum formaliter determinat. Quæritur autem ibi, an non liceat de necessario dare eleemosynam in tali vel tali casu, sed vt dictum est, quia ipsum Necessarij nomen erogationem excludere videtur, quæritur an considerando id quod necessarium est alicui absolutè & simpliciter, liceat eleemosynam de eo dare. Ad hoc autem quæstum facta distinctione de necessario naturæ & personæ, subtiliter & optimè quo ad necessarium personę dictum est, quòd licet seu bonũ est de consilio, tamen nõ de præcepto. Ex hac tamen responsione non sequitur, ergo in nullo casu vel in casu extremæ necessitatis hoc non cadit sub præcepto, quæsita enim aliter à sapientibus determinantur solitariè sumpta, & aliter coniuncta alicui casui, siue fini. Si enim quæras, an occidere hominẽ sit bonum, optimè respondebitur quòd non si addas in casu, quo iustitia exigit, respondebitur quod hoc est in præcepto. Similiter si quæras an exponere se mortis periculo, sit bonum, optimè respondebitur quòd non, quòd si addas propter actum virtutis, dicetur quòd hoc quandoque cadit sub præcepto, & similiter de aliis euidenter apparet, quòd aliam responsionem sibi vendicant solitariè quæsita, & alia coniuncta cum aliquo alio. Vnde ad insinuandum S. Thom. quòd dare de necessario personæ solitarie sumptum bonæ affectionis est, dixit q̃ sub consilio non præcepto cadit. Ad insinuandum autem, quod hoc in aliquo casu sub præcepto cadit supra dixerat, & infra dicit, & alibi, vt est allegatum, q̃ de necessario personæ extremæ necessitatis sub præcepto tenetur quis subuenire. Patet igitur ex dictis, quòd S. Tho. sententia est, quòd duo sunt præcepta circa eleemosynam faciendam, scilicet dare de superfluo naturæ & personæ indigentibus quibusuis, & dare de necessario personæ patienti extremam necessitatem.

CAP. VI.

Expositæ opinionis S. Thomæ ex multis illustribus doctoribus antiquis & modernis, confirmatio.

ET Quia hoc videtur multis forte nimis graue, & S. Tho. quem prius imitabantur sequendum, non putabunt, & coacernabunt sibi magistros prurientes auribus, vt omnino inexcusabiles reddantur, apponendos censui multos illustres doctores eandem tenentes sententiam, licet non paruipendendum sit verbum illud Sanct. Thom. in 4. quando ait esse hanc communem sententiam. ¶Primam ergo conclusionem, scilicet q̃ habens superfluũ naturæ & personæ, tenetur aliis subuenire ratione superfluitatis, licet pauper non appareat in extrema necessitate, tenent imprimis Ba. & Ambr. in verbis supra adductis. August. quoque ad Macedonium vt habetur 14. q̃. 4. c. quid dicam, idem sentit in his verbis, Nonne omnes qui sibi videntur gaudere conquisitis, eisq; vti nesciũt alienum possidere conuincimus? hoc enim certe alienum non est, q̃ iure possidetur, hoc autem iure quod iustè, & hoc iustè, q̃ bene, omne igitur quod male possidetur, alienum est, male autem possidet, qui malè vtitur. Hæc ille. Vbi apparet superfluum naturæ & personæ alienum esse quo ad vsum, & consequenter dispensandũ, aliter iniustè possidetur, quia habens non rectè vtitur illo. Eandem confirmat sententiam Hier. dist. 42. c. hospitalitatẽ, dicens Aliena rapere conuincitur, qui sibi vltra necessaria retinere probatur. Hęc ille Theophilus quoq; super illa verba Luc. 18. Facilius est camelũ, tractãs an hæc dñi sententia impossibilitatẽ ostẽdat circa diuitũ salutẽ: affirmánsq; impossibilitatẽ, ait, Reuera ita est, aliud enim est diues, & aliud œconomus, nam diues est, qui sibi reseruat diuitias, œconomus verò siue dispensator, qui ad opus aliorũ has tenet. Porrò attendatur, q̃ diuitem quidem impossibile dicit saluari, possidentem verò diuitias difficile, quasi dicat, Diues, qui captus est à diuitiis, & famulatur eis, nõ saluabitur, habens verò illas qui scilicet eis dominatur, vix saluabitur, causa humanæ fragilitatis. Hæc ille. Vbi manifestè dánantur omnes reseruantes sibi diuitias, id est superflua, & qui eis famulantur. Quod autem talis famulatus excludens vita æterna, sit ipsa custodia superfluorum, apparet ex verbis Chry. ibidem dicentis, Non prohibet ditari, sed opibus famulari, vult vt in necessariis vtamur eis, nõ vt custodiamus, nam famuli est custodire, sed domini dispensare. Si cõseruari eas vellet non tradidisset eas hominibus, sed fineret eas in terra iacere. Apparet etiam ex verbis Domini, Matt. 6. Non potestis Deo seruire & Mammonæ, vbi Hieron. exponens quid sit seruitus diuitiarum, ait, Audiat hic auarus, audiat hoc qui censetur vocabulo Christianus, non posse simul diuitiis, Christóque seruiri, & tamen non dicit, Qui habet diuitias, sed, Qui seruit diuitiis, qui enim diuitiarũ seruus est, diuitias custodit, vt seruus, qui autem seruituris excussit iugum, distribuit eas vt dominus. Hæc ille. Vbi expresè apparet, quòd est impossibile superflua custodire, non dispensando, & Christum amare, diuitiis enim amatis, se odio haberi necessarium esse, ibidem dicit Dominus. Beda quoque super illud Luc. 11. Quod superest, date eleemosynam, ait, Neque enim ita facienda iubetur eleemosyna, vt reipsum consumas inopia, sed vt tui cura corporis expleta, inopem quantum vales, sustentes. Hæc ille. Vbi iuberi exposuit sustentationem inopum post necessaria nobis.

¶Inter posteriores verò doctores Petrus de Palude in 4. distin. 15. q̃. 3. expresè ponit hoc cadere sub præcepto. Richardus quoque in 4. dist. 15. quæst. 2. hoc idem confirmat. Durandus autem & Romanus ibidem, quasi mortale pauiditiment.

¶Secundam autem conclusionẽ (quòd scilicet dare eleemosynam existenti in extrema necessitate de necessario personæ sit in præcepto) Ambr. dist. 86. cap. pasce. confirmat dicẽs, Pasce fame morientem, si nõ pauisti, occidisti. Grego. quoq; in homiliis suis ait, Quia enim in lege scriptum est, Diliges proximum tuum sicut teipsum, minus proximũ amare conuincitur, qui non cum eo in necessitate illius etiam ea quæ sunt sibi necessaria, partitur, idcirco de diuidẽdis cũ proximo duabus tunicis datur præceptũ. Hæc ille. Vbi euidenter apparet, q̃ necessaria, non cõmunicata necessitatibus absq; dubio extremis, minorem debito dilectionem Christi conuincũt, & consequenter charitatis extinctionem, quæ diminutionem non patitur. Basilius etiam super illud Luc. 3. Qui habet duas tunicas, ait, Hic autem docemur, q̃ ex omni eo quod affluit supra proprij victus necessitatem, tenemur erogare illi, qui non habet, propter Deum, qui quæcunque possidemus, largitus est. Hæc ille. Vbi clare sonat intenta sententia. Iuniores quoque, scilicet Petrus de Palude, Richardus, Duran. & Romanus in 4. sen. dist. 15. intrepidè asserunt teneri quemlibet de necessario personæ subuenire extremæ necessitati pauperis. Non absque temeritate ergo à tot doctoribus ac rationibus subtrahet se quispiam, volens magis hominibus placere, quàm veritatem sequi. Quòd si mihi illud Rosellæ obiecceris, q̃ scilicet diuitum confessiones audiri non possent, & confessores damnationẽ incurrerẽt, audi Dominum Iesum Christum in Euangelio, diuitibus dicentem, Facilius est camelum transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Confessoribus autẽ, Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueã cadunt.

¶Et sic patet regula generalis, circa eleemosynarum necessariam largitionem, applicatio autẽ eius ad particularia scientificæ determinationi non subest, sed prudentiæ committitur, quæ circa particularia versatur. Est autẽ magna opus circũspectione, vt concludatur hunc habere superflua, oportet siquidẽ cõsiderare statũ, filios, filias, seruos, alumnos, hospites, conuiuas, diuisionem, munificentiam, magnificentiam, & si qua sunt huiusmodi, & habere semper præ oculis, quòd necessarium personę non consistit in indiuisibili, multis enim adiunctis, non apparebit superfluum, & multis subtractis, non censebitur quis indigens. Et hęc de eleemosynę præcepto dicta sufficiant. Anno Domini, 1496. Finis.

TRACTATVS SEXTVS.

De monte pietatis in quindecim capita diuisus.

1 *Quid sit Mons pietatis, quæ eius capitula, & quid discutiendum.*
2 *Ex quibus & quomodo procedendum est ad huius veritatis inuestigationem.*
3 *In quo genere, & in qua specie virtutis, vel vitij operationes istæ locentur.*
4 *Conditiones iusti commutatiui & distributiui.*
5 *Prima opinio dicentium, nihil vsuræ aut iniustitiæ inueniri in contractibus Montis pietatis stando infra limites iustitiæ commutatiuæ.*
6 *Examinatio prædictæ opinionis cum determinatione quòd in his contractibus committatur multiplex iniustitia.*

7 *Secunda opinio examinatur, soluendo duo dubia concernentia dicta in præcedenti capitulo.*
8 *Solutio rationum arguentium, quod contractus prædicti secundum commutatiuam iustitiam sint iusti.*
9 *Determinatio, quod in prædictis contractibus committitur vsura.*
10 *Opinio dicentium iusta esse capitula Montu pietatis secundum formam iustitiæ distributiuæ.*
11 *Examen prædictæ opinionis determinans, quomodo hic fit distributio.*
12 *Determinatio quod secundum iustitiæ distributiuæ formam multiplex in hoc Monte iniustitia committatur.*
13 *Opinio dicens in Monte hoc nullum esse proprie mutuum, sed societatem potius quandam piissimis capitulo ad commune bonum vnitam.*
14 *Examen prædictæ opinionis determinans iniustitiam nihil minus inueniri in capitulo Montis secundum hanc viam, quam secundum alias supradictas.*
15 *Exclusio quorundam extraneorum dictorum concludens vltimo in tantam sententiam.*

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Mons pietatis, quæ eius Capitula, & quid discutiendum.

MONS Pietatis in multis iam Italiæ populis erectus, & tunc discutiendus, vocatur summa quædam pecuniæ ad perpetuum vsum pauperum deputata, hoc modo. Cõpatientes diuini verbi prædicatores aliqui inopiæ multorum pauperum quorũ facultates (quia non semper in promptu habere contingit, vnde suis prouideat necessitatibus) ab Hebræorũ vsũris vocantur, induxerunt populum, vt pietatis intuitu oblatione voluntaria quispiam quod sibi placeret, offerret quatenus ex multis oblatis vna quędã fieret nummorum summa, conseruanda integrè ad hoc, vt pauperi cuique mutuari possit, vnde sibi prouideat. Et quoniam charitate plena res est hæc, fructuosa fuit prædicatio, adunataque est pecunia multa sub communibus custodibus reposita, quæ Mons pietatis dicitur, Quumque modum conuenientem & perpetuum humano more rectores ciuitatis statuere vellẽt, quo pauperibus prædicta pecunia distributione perpetua & æquali mutuari possit, statuerunt bonos ciues ad hoc exequendum cum his capitulis.

¶Primò, quòd custodiant dictam pecuniam, & stent parati ad mutuandum egentibus tot aureos (puta tres ad summum) & intra tantum non plus temporis (puta annum) restituendos, & hoc vt bonum possit esse communius.

¶Secundò, q̃ pignora ab accipientibus mutuum sumant, & suo periculo custodiat in domo ad hoc conducta, & restituentibus intra annum reddant, non restituentium verò publicè vendant, & ex venditione pecuniam exigerent reddendã domino venditi pignoris, deducto prius eo, quod Monti debet, & horũ omniũ & totalis suæ administrationis rationes scriberent, & redderent. Et hoc totum sit, vt perpetuari possit Mons, & futuris pauperibus prodesse.

¶Tertiò, q̃ vltra pecuniã mutuatã exigant secundum numerũ librarũ singulis mensibus tot denarios à prædictis debitoribus, ita quotquot libras aliquis mutuò susceperit à Monte, tot denarios singulis mensibus, quibus illas retinet, dare teneatur. Et hoc non vt aliquid vltra sortẽ monti accedat, sed pro recompensatione operarum custodũ & ministrorum, qui publico pauperum bono in supradictis cum suo periculo & labore deseruiunt, & expensarum quæ pro pensione domus, & emptione librorum, & cæteris ab eisdem fiunt. Hæc sunt capitula Montis pietatis. Quorum duo prima, quoniam per se notum est esse sancta, tertium examinandum restat, an sit licitum aut illicitum: & sic illicitum, an vsuram sapiat.

CAPVT II.

Ex quibus & quomodo procedendum est ad huius veritatis inuestigationem.

OPORTET Autem huius dubitationis, sicut & cuiusque alterius veram solutionẽ ex eius propriis principiis indagare. Quum autẽ quæstio hæc moralis sit, & ab homine naturaliter scibilis, non est ex autoritate diuina aut humana, sed moralis philosophiæ principiis tantum procedendũ. Ex autoritate siquidem diuina in canonicis sacræ Scripturæ libris contenta quædã per se ponũtur credenda: & hæc sunt quæ humani excedãt vires ingenij (quoniam fides est argumentũ rerũ non apparentiũ) vt puta q̃ Deus sit trinus, & alia huiusmodi. Quædã quasi per accidẽs: & hæc sunt multa rõne naturali cognoscibilia tam credenda, quã operanda, vt citius, cõis, & tutius veritas humano generi innotescat, vt puta q̃ Deus sit & q̃ sit vnus, q̃ adulteriũ est malum, &c. In neutro autem horum genere præsens continetur quæstio, scibilis siquidem naturaliter est, & nullibi in sacra Scriptura decisa inuenitur. Ex traditis autem in ea si solui debet, oportet ad morales venire propositiones: nisi inquantũ creditas sed lumine naturali notas. Hoc autem est ex principijs moralibus nõ ex diuina procedere autoritate. Autoritas verò humana tam canonica, quam ciuilis duo similiter tradit operum genera. Quædã ideo bona, quia mandata: vel mala, quia prohibita, & quædã ideo præcepta, quia bona, vel prohibita, quia mala. In horũ primo ordine constat hos, de quibus agimus, actus nõ contineri: in secundo autem claudi, nullibi explicitè haberi: implicitè autem probari non potest ex iuris principiis, inquantum humana sunt autoritate firmata: sed oportet recurrere ad philosophiam moralem, vt ex eius rationibus naturali lumine fulcis ostẽdatur, an hoc sit secundum se malum, aut bonum.

¶Ex hoc autem, quòd nulla autoritas quæstionẽ hanc propriam sibi vendicat, euidenter quatuor patere possunt, Primò, quòd præsenti quæstionis decisio, nec canonici, nec ciuilis iuris doctores, nec purum Theologum secundum quòd Theologia vltra philosophicas disciplinas est simpliciter necessaria, exposcit, sed moralem philosophum. Secundò, quòd sapientes in hac parte nec habendi nec vocandi sunt doctores prædicti: sed ponentes potius fal cem in messem alienam. Gratiæ tamen sunt eis habendæ, qui secũdum iura, quantum licuit, quæstionem hanc ventilarunt. Tertiò, quòd non est mirum, si tot huiusmodi homines in re hac minus, bene dixerint: quoniam tractant fabrilia fibri. Quartò, quòd ex eo quod tot & tales dixerint vel dicturi sint in re hac suas opiniones, aut decisiones, nemo hæc intelligens debet, aut potest conscie tiam suam eis credere: sicut nec corporeæ infirmitatis periculum aromatariis, nisi stulte committeret.

¶Nec obstat quòd agere de contractibus & vsura, ad iura spectet, & ad Papam & principem decernere: hoc enim verum est quo ad contentiosa fori exercitia & humana iudicia, Inter homines siquidem summi Pontificis est vsurarũ ambiguitates determinare, & non simpliciter. Dupliciter enim aliquid ad ecclesiasticum iudicium spectat. s. per se, & simpliciter. Et sic summi Pontificis iudicio subsunt ea tantũ, quæ sunt fidei: eo quòd ipse est constitutus à Christo doctor & rector fidelium, inquantum fideles sunt, & nõ hominum, inquantum homines sunt, & sibi promissa est omnis veritas de necessariis ad salutem fidelium: & non omnis veritas naturaliter scibilis, aut moralis. Aliquid verò subditur Ecclesiæ iudicio per accidens, & f m quid: si scilicet illud necessarium certa ratione nescitur, aut si ratio verè scita ab aliquibus, non capitur ab aliis, &c. & de horum numero constat ex dictis quæstionem hanc esse. Et proprerea sicut in his, quæ sunt fidei summi Pontificis autoritas omnibus præest rationibus: ita in his scibilibus suprà ram ipsum, quam quemcunque aliam iudicem, ratio naturali lumine roborata locum obtinet: contra quam sola autoris naturæ autoritas statuere, aut decidere aliquid potest. Et quoniam solius veritatis amore opus hoc agitur, & materia moralis, est vt omnibus amabilis veritas reddatur, nemo opinans nominabitur, aut mordebitur quouis modo: sed opiniones discutiemus, benedicta suscipientes, minus autem bene, ordinantes, & secundum vires fraternitate & charitate emendantes.

CAP. III.

In quo genere, & in qua specie virtutis, aut vitij operationes istæ locentur.

HVMANA Opera virtutis, aut vitij susceptiua, in duo secantur genera. Quædam enim sunt, quorum bonitas vel malitia in ordine ad operantẽ consistit, vt concupiscere, irasci, timere, audere & vniuersaliter humanę passiones. Talium siquidẽ rectitudo sufficienter habetur, si ipse operans in se ipso aliqualiter se habet, puta si passio secundum rationem refrenetur, &c. Alia autem sunt, quorum propria & per se primo bonitas aut malitia consistit in ordine ad alterum, licet ad completam virtutis bonitatem etiam in ordine ad operãtem bona esse oporteat: vt reddere depositum, restituere accommodatum, & vniuersaliter operationes, quæ iustitiæ subiacent. Ad horum siquidem rectitudinem propriam, id est ad hoc vt iusta opera sint, sufficit quòd alteri æqualiter commensurata sint, puta quòd restitutio acceptioni æquetur. Non enim refert qua quis intentione depositum reddat, aut debitum persoluat, si operis iustitiam inspicimus: licet plurimum intersit, si iustitiæ virtutem operanti attribuere volumus, Propter quod hoc est singulare in iustitiæ operibus, quòd iusta operari possunt carentes iustitiæ virtute, cæterarum autem virtutum opera nemo absque virtute illa explere sufficit. Quod ideo (vt ex dictis patet) accidit, quia cæteræ virtutes perficiunt hominem in his, quæ sunt ad se, Iustitia vero in his, quæ sunt ad alterum, vt in quinto dicitur Ethic.

¶Quum autem clara luce liqueat opera hæc, de quibus præsens agitur quæstio, in numero eorum, quæ ad alterũ sunt cum æqualitatis ciuili debito contineri, eorum bonitatem, vel malitiam ex ipsa ratione iusti, quo ad alterum est, secundum æqualitatem ciuiliter debitam, considerare oportet. Et ob hoc omnes rationes quę in re ac adducuntur, ex rectitudine voluntatis & pietate intentionis communitatis & ministrorum defectiuæ sunt, nõ enim attingunt ad opus f m se, an iustũ vel iniustũ sit. Et quoniã iustum nõ humana lege positum (quoniam illud non est ad propositum, eo q̃ non habet locum nisi in differentibus) sed naturale, id est ex ipsa rei natura æqualitate aliqua alteri commensuratum in duas secatur species scilicet f m iustitiam commutatiuam & secundum

iusti

iustitiam distributiuam, oportet non latere, secundum quam iusti speciem opera hæc examinare oporter, non enim eodem modo iusti ratio in vtraque inuenitur. Quamuis autem primo aspectu ad commutatiuam iustitiam omnia huiusmodi opera spectare videantur (quia vel restitutionis, vel recompensationis, vel locationis actus sunt) quia tamen secundum multos distributiua admiscetur iustitia, idcirco primo secundum formam iustitiæ commutatiuæ, deinde secundum admixtam distributiuam, & demum quandam singularem opinionem examinando procedemus.

CAPVT IIII.

Conditiones iusti commutatiui & distributiui.

QVIA verò ignoratis rationibus terminorū, impossibile est intelligere cætera, prælibandū est quid ratio iusti in cōmutationibus exigat, & similiter quid ratio iusti in distributionibus requirat, ad hæc enim aspiciētes, oporter reliqua examinare. In ciuitate, quū totū quoddam sit triplex debiti ratio, sine qua iustū nō inuenitur, considerari potest. s. partis ad partem, totius ad partes & partium ad totum. Primus ordo dirigitur à iustitia commutatiua, secundus à distributiua, tertius à generali, quæ legalis alio nomine dicitur, de qua in quinto Ethicorum dicitur, ꝙ neque Hesperus neque Lucifer est ita fulgens, aut admirabilis. Partes siquidem ciuitatis sunt singulares personæ, quarum & res & opera & personas commutare adinuicem oportet, vt quod vni deest, absque dantis damno ab altera habeatur. Bonum similiter vel malum commune necesse est singulis proportionaliter distribuere, singulorumque bona ad commune bonum ordinanda esse nemo dubitat.

¶Sed omissa pro nunc tertia hac iustitia (quoniam vt post patebit, non est ad propositū) sciendum est, ꝙ iustum secundum iustitiam commutatiuam requirit tres conditiones. Prima est, ꝙ ibi sit datio & accepio ex parte vtriusque extremi, aliter commutatio non esset, & cōmutatiuæ iustitiæ (qui directiua cōmutationum est) propria deesset materia. Secunda est, ꝙ sit inter partem, & partē, id est singulares personas, aliter à distributiua, aut generali iustitia non distingueretur, vnde seruitium communitati exhibitum, recompensatur ab ea, vt singularem personam induit, sicut & vendit & emit, vt persona singularis. Tertia est, quòd seruetur æqualitas arithmetica, id est quantitatiua, vt scilicet quantū fuit seruitium, tanta sit merces, & quanta læsio, tanta vindicta, &c. aliter commutationes iustæ non essent. Mutuanti enim quatuor, nisi quatuor restitueretur, iniustitia esset, & simile est in aliis.

¶Iustum autem secundum iustitiam distributiuam, tria similiter exigit. Primò, ꝙ ibi fit distributio, quæ propria iustitiæ distributiuæ materia, vt ex eius nomine patet. Secundò, ꝙ sit inter eorum & partes, ita quòd à toto ad partes terminetur, aliter debita ratio & distributio in vnum non coirent. Distributio namque petitionem sonat alicuius, ꝙ nisi totius esset, partibus debitum, vt distribueretur, non esset. Vocamus autem eorum communitatem vel principem vt sic, partes autem ipsos ciues. Tertiò, ꝙ seruetur æqualitas geometrica id est, proportionalis, vt scilicet talis sit proportio eius quod datur de communibus bonis vni personæ ad id quod datur alteri, qualis est inter personas ipsas, id est, vt quantum vna persona præcedit alteram in illa repub. tantum quod vni datur excedatid, quod datur alteri. Aliter æqua non esset distributio, quia boni totius partibus debiti, tanto plus alicui parti debetur, quanto pars illa principalior est in illo toto, quæ principalitas in diuersis politiis secundum diuersa attenditur, scilicet secudum virtutem aut diuitias, aut aliquid huiusmodi.

CAPVT V.

Prima opinio dicentium nihil vsuræ aut iniustitiæ inueniri in contractibus Montiu pietatis, stando infra limites iustitiæ commutatiuæ.

HIS Igitur præmissis illorum occurrit opinio, quit erminos commutatiuæ iustitiæ non egrediendo, contractus omnes huius Montis, nec vlurā nec iniustitiæ aliquid sapere credunt. Et quoniam hi duabus incedunt viis, illa primò adducenda est, quæ hos contractus adeo non secundum se iustos dicit, vt si de cuiusque priuatæ personæ intentione recta constaret, sicut de pia communitatis & Montis intentione modò constat, cuilibet liceret pecunias suas cum supradictis contractibus pauperibus mutuare.

¶Vt autem huius ambiguitatis veritas clarius eluceſcat, ex quo non refert secundum hanc viam, quis mutuet, publica scilicet an priuata persona, nec refert cuius sit quod mutuo datur, an. s. mutuantis sit analterius, ponamus in terminis casum discutiendum, præsupposita recta intentione mutuantis, quam tamen præsupponere non est opus, quia contractus secundum se iustitiam quærimus, quæ in æqualitate commutationis consistit, quacunque id intentione fiat. Sit ergo Petrus mutuās indigentiū exponēs 10000 ducatos, conducātq; ministros scriptores, & custodes pignorum, sine quibus mutuum nulli dare vult, exigārque vnum denarium pro qualibet libra singulis mensibus, à singulis accipientibus, & retinentibus mutuum, supposito ꝙ tanta quantitas pecuniæ requiratur ad mercedem reddendam debitum ministris, & custodibus, &c. Dicit itaque his stantibus hæc prima opinio tria. Primò, quod hic sunt tres contractus, secundò quod in his nulla interuenit vsura, tertiò quod in his nulla inuenitur iniustitia.

¶Primum horum declaratur distinguendo contractus. Est siquidem hic primò contractus mutui inter Petrum mutuantē & Ioannem pauperem. Est deinde cōtractus pignoris inter Ioannem pauperem & ipsum Petrum, seu ministros eius quod idem est, quia in mutuantis persona pigaus suscipiunt. Est & tertio contractus locationis, quo ministri operas suas locant ad scribendum, custodiendum & excutiendum pignora, &c. & pauperes mercedem eis debitam retribuunt, vnum denarium pro libra soluendo.

¶Secundum verò, scilicet ꝙ hic nulla sit vsura, probant ex ipsius vsuræ ratione dupliciter. Primò quia vsura est quando aliquid vltra sortem ex mutuo quæritur, ira quod mutuum sit non occasio aut causa sine qua non, sed ratio & causa propter quam aliquid pecunia æstimabile vltra sortem percipitur. Constat autem ex distinctione contractuum, quod hic nihil propter mutuum vltra sortem quæritur, sed tantum propter locatas operas ministrorum, cuius euidens signum est, ꝙ si ministri gratis hæc facere volunt donantes singulis illos denarios, nemo turbabitur. Secundò, Quia si ista ministrorum merces esset vsuraria, à quocunque redderetur, esset vsuraria, non enim refert, an fœneratori vsuræ dentur ab accipiente mutuum, vel à principe vel à quocunque alio. Sed constat quòd prædictis ministris absque vllo scrupulo potest tanta merces pro iis laboribus à communitate vel principe reddi, vt Mediolani, & Brixiæ, & Veronæ fit, ergo non est vsura.

¶Tertium autem, s. quod hic nulla sit iniustitia, declaratur sic, Si hic esset iniustitia, aut esset iniustitia ista ex parte ministrorum, vt ideo iniusta sit exactio ista, quia ipsis gratis tenentur operas suas impēdere & hoc non, quia nō sumus in casu extremæ necessitatis, aut superfluitatis tantę ꝙ teneantur ad hoc. Aut ex parte modi accipiendi, vt ideo iniusta sit acceptio, quia taxatur vnus denarius pro libra singulo mense, & hoc non, tum quia multorū sapientium & bonorum virorum sententia consideratis particularibus circumstantiis via hæc æquissima iudicata est: particularium autem iudicium prudentibus viris committendū est fm̄ moralē philosophiā. Tum quia huic modo ratio suffragat, cōmensurat enim hoc modo soluto periculo & labori ministrorum. Quantò maioris pretij pignus, aut maiore tēpore retinētur, tantò pius periculi custodes subeunt & curæ & laboris, si excutienda (vt sæpe accidit) pignora sunt. Aut ex parte pauperum, vt iniusta sit hæc exactio quia à non debente soluere exigit, & hoc non, propter duo. Primò, quia si pauper non tenetur ad hoc cū aliquis ad hoc teneatur, debet affignari quis est, qui ad hoc obligetur. Ipse Petrus mutuans non tenetur, quoniā damnū in cu rete nō tenetur ex hoc, ꝙ beneficium mutui impendit, quinimò si aliquod damnum ex hoc incurreret, posset à paupere accipiente mutuum illius recompensatione exigere, vt ab omnibus doctoribus concorditer dicit. Princeps quoq; aut communitas ad hoc non tenetur, tum quia sumus extra casus extremæ necessitatis & superfluitatis, extra quos eleemosyna non est in præcepto: tum quia principes, etsi teneantur pauperū curam habere, & eis subuenire, non tamē tenentur hoc modo subuenire, vt de se patet. Si ergo nullus inuenitur, qui ad hoc teneatur, restat ꝙ pauper ipse teneatur. Secundò, quia morale principium est ꝙ ille debet onera rei sustinere, in cuius fauorem res agitur, cum autem constet, ꝙ ministrorum opera propter pauperes fiant, vt habeant vnde suis prouideant necessitatibus, consequens est, quòd ipsi pauperes debeant ministrorum operas recompensare.

CAP. VI.

Examinatio præpositæ opinionis cum determinatione, quod in his contractibus committatur multiplex iniustitia.

VOD autem prædicta opinio in multis à veritate deficiat, non ex opinabilibus, sed ex per se notis principiis moralibus deducendum est. Assumamus itaq; duo principia in commutationis contractibus per se euidentia. Alterum affirmatiuum, s. ille tenetur mercedem reddere, in cuius fauorem opus agitur. Alterum negatiuū, scilicet, nullus tenetur mercedem reddere pro opere facto in alterius fauorem. Hæc principia standa infra limites iustitiæ commutatiuæ per se nota sunt, quoniam ex seipsis æqualitatem iustitiæ clare continet, & ideo indiscipliniati esset quærere eorum probationem. Sub his autem principiis oportet subsumere propositiones minores, quas difficilè esset intellectu penetrare nisi prius operationes ministrorum interuenientes in contractibus istis distingueretur, & sigillatim discuteretur quæ in cuius fauorem fiat, hac enim decisione habita, statim tota ratio integrè patebit. Sed ad hanc decisionem absque errore habendam, oportet ex his, quæ per se inueniuntur in operatione qualibet, & non ex his, quæ per accidens insunt, & ex propriis & immediatis cuiusque conditionibus, & non ex communibus & remotis sententiam proferre. Propter quod non est, in hac consideratione immiscendum, ꝙ hoc, vel illud opus in fauorem boni communis, aut aliud huiusmodi, finis siquidem communis & remotus est vniuersitatis bonum in particularibus cōmutationibus. Iam enim stabilitum superius est, ꝙ iustū secundū iustitiæ cōmutatiuæ formam attenditur secundū æqualitatē commutationis huius personæ ad illam personam, & non secundum ordinem ad communitatem.

¶Ex per se ergo & proximis consideraturi, distinguamus in primis operas has ministrorū, dicentes ꝙ harū operarū quędam sunt quasi per se cōmuniter intentæ: & hæ sunt illæ, quæ vsque ad vendi tionem pignorū interueniunt. Quædā vero sunt specialiter, & per accidēs intentæ: & hæ sunt subhastatio & venditio pignorū, & his annexa, quæ ex mora quorundā debitorū accidunt. Distinguendo aūt sigillatim prima opera, dicimus ea esse hæc, scilicet custodiam pecuniæ, præparationē ad mutuandum actū mutuandi, sumere pignus, scribere hæc, cui annectuntur expensæ pro libris, &c. custodiam pignorū: cui cōiungitur cōductio domus pro eorū conseruatione, & tandē restituere pignora. Horum autem pars maior & periculosior in fauorē sit Petri mutuantis, aut vniuersitatis pauperū: custodia enim pecuniæ, acceptio pignorū, eorū custodia, scribere hæc expensæ pro libris conductióq; domus (in quibus totū periculum est) ad alterius vel vtriusq; ordinātur securitatē. Reliqua autem paucula, s. præparatio ad mutuandum, & ipse actus mutuandi & restitutio pignoris ad huius pauperis ordinantur se vtilitatem.

ET Vt clārius eluceſcant hæc, videamus singula. Custodia imprimis pecuniæ, in illius fauorem proximè sit, cui custodienda reponitur: pecunia autem hæc custoditur duobus, scilicet Petro mutuanti, cuius est directum dominium huius pecuniæ: & vniuersitati pauperum, cuius est quasi dominium vtile eiusdem. Nulla enim alia ratione hanc pecuniam oportet conseruari, nisi vt Petrus sit securus, si quando vellet rehabere pecuniam suam, & vniuersitas pauperum sit certa, ꝙ communis sit etiam futuris pauperibus vtilitas ista. Acceptio similiter pignorum, quum ad conseruationem & securitatē capitalis proximè ordinetur, constat ꝙ in fauorem ipsius Petri & vniuersitatis pauperum sit. Et simile omnino est de ipso actu scribendi, & expensis pro libris. Hæc enim omnia nulla alia ratio fieri cogit, nisi ob integritatem & securitatem pecuniæ. Ioannes enim pauper mutuum accipiens, non curat quòd hæc rescribantur, aut quòd pignus ab eo exigatur: sed hæc omnia pecuniæ dominus securitati suæ consulens fieri vult.

¶In custodia autem pignorū considerandū est, ꝙ sicut pignus habet in se duo: s. ꝙ sit pignus, & ꝙ sit talis res, (puta vestis) ita in ipsa pignorum custodia distinguendum est, ꝙ ipsa est custodia pignotis, & ꝙ est cura talis rei. Si consideretur formaliter pignorum custodia, manifestè patet ꝙ in fauorem Petri mutuantis, & vniuersitatis pauperum sit, quia proximè ordinatur in securitatē pecuniæ rehabendæ. Vnde quia contractus pignoris secundum veritatem est in fauorem accipientis, ideo accipiens ipsum tenetur ad restitutionem eius, si etiam perdidit illud, vt conuincitur ex illo morali principio restitutionum posito à S. Thoma in Secunda Secundæ q. 62. ꝙ aliquis tenetur ad restitutionem non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione acceptionis tenetur restituere, etiam perdita re. Et in hoc differt accipiēs depositum ab accipiente pignus, ꝙ ille deposito perdito, non tenetur ad restitutionem, quia obligatur ad reddendū depositū ratione rei acceptæ, & non ratione acceptionis, quia depositum datur in fauorem deponentis: iste autē scilicet accipiens pignus, quia tenetur & ratione pignoris accepti, & ratione acceptionis (quia pignus datur in securitatem petentis ipsum) obligatur ad restitutionem non solum quandiu pignus habet, sed etiam si non habet, suo enim periculo tenetur naturali iure illud custodire, sicut qui accommodatum accipit eadē ratione, &c. Si autem consideretur cura talis rei, quæ est pignus (puta excussio vestium & huiusmodi solicitudo) sic quia hoc accidit pignori, de sui ratione non exigitur, ꝙ sit in tali materia, sed sufficit sibi ꝙ sit tanti pretij, vt secura sit pecunia rehabenda, ideo non est eadem ratio de solicitudine exercenda, & de ipsa custodia. Hæc nanq; cura quamuis in fauorem vtriusque, dantis scilicet & accipiētis cedat (dum pignoris domino res sua illæsa seruatur, & huic creditori pignoris prętium conseruatur, vnde possit mutuatam rehabere pecuniā) simpliciter tamē & per se fit in fauorem domini pignoris, quia mutuans licet exigat pignus, non tamē exigit quali tatem pignoris, imo hanc onerosam conditionē refugit naturaliter. Vnde paciscī posset cum domino pignoris talis, ꝙ ipse non vult solicitudinem hanc, sed ꝙ Dominus ipse mittat tēpore curæ rehabendæ ad excutiendas vestes suas, & alia huiusmodi. Nec obstant, ꝙ si nullo interueniente pacto vestes in pignus acceptas cōtingit lædi, retinens ipsas tenetur ad satisfaciendum domino pignoris. Hoc enim non prouenit ex eo ꝙ retinens tale pignus tenēatur per se ad curam eius, sed ex eo ꝙ per accidens iste tenebatur ad hoc, quia scilicet non fuit protestatus, manifestando domino pignoris, ꝙ talis pignoris curam refutaret. Implicitè enim obligatur quilibet sumens pignus qualecunq; ad eius curā, (expensis tamen domini) nisi aliud protestetur. Domus autem conductio inquantum deseruit custodiæ pecuniæ & pignorum, & in fauorem est Petri mutuantis, & vniuersitatis pauperum. Inquantum autē pignorum expensioni & curæ vtilis est, in horum pauperum fauorem fit. Reliqua autem tria opera, scilicet actus mutuandi, & pignora restituendi, & paratum esse ad mutuandum, in fauorē manifestè fiunt Ioannis pauperis. Sed prima horum, scilicet actus mutuandi, & restituendi pignus, sub mercede non cadunt, quoniā actui mutuādi respondet actus restituendi acceptū mutuum, & actus restituendi pignus respondet actui dandi ipsum pignus, sic que par pari refertur. Tertium autem sub mercede esse per se patet, pecunia siquidem æstimabilis est obligatio ad paratum esse mutuandum. Opera verò in altero diuisionis membro posita. s. quæ specialiter respectu quorundam accidunt, (vt venditio pignoris, & cætera annexa,) non opus est discutere, in cuius fiant fauorem, quoniam propter moram debitoris ab ipso soluenda sicut & expensæ, quæ post eius moram fierent incitatione coram iudice & litibus, &c.

EX OMNIBVS Igitur his colligendo, cum pateat vnū tantum actum mercenarium propriè, & per se ordinari vniuersaliter in fauorem cuiusque singularis pauperis, scilicet obligatam præparationem ad mutuandum, ex supradictis principiis facile veritas intenta deduci potest, consistens in quinque conclusionibus, Prima est negatiua, scilicet, Nullus pauper tenetur ad reddendam mercedem debitam ministris huiusmodi pro custodia pecuniæ vel pignoris, pro opere scribendi libros ratiocinij, aut pro domo ad hæc conducta. Patet ista ex illo principio negatiuo, quo dicitur, ꝙ nullus tenetur mercedem reddere pro opere facto in alterius fauorem. Ex dictis enim iam cōstat ista opera nō esse facta in fauorem Ioannis pauperis, sed alterius, puta, Petri mutuantis, vel vniuersitatis pauperum, vel vtriusque, Secunda est etiam negatiua, s. Non omnis pauper accipiens mutuum, tenetur ad reddēdam mercedem ministris pro cura pignorum, aut domo ad hæc vtili. Patet ista ex eodem principio: quia non omnis pauper offert pignus tale, id est, onerosum, & consequenter non omni pauperi exhibetur hoc seruitium, ac per hoc nec à quolibet reddendam esse mercedem iustitia exigit commutatiua. Nec obstat, si quis fingat omnes teneri ad hoc: quia licet hic non det mihi pignus excutiendum: ego tamen qui ignorabam quale pignus esset allaturus, iam conduxi excussorem in seruitium eius & aliorum paratum. Ignorantia siquidem hæc non suffragatur, quoniam probabilem cognitionem (quæ in huiusmodi certitudini par est) Mons habet, quòd pauperum indigentium mutuò alij afferent pignora excutienda, & alij non: vt quotidiana experientia testatur. Et consequenter conducendus est sibi excussor pro quibusdam, ab illis merced rm recepturus, si iustitiæ commutatiuæ æqualitas seruari debet. Tertia est affirmatiua. s. Petrus mutuans, siue vniuersitas pauperum tenetur ad satisfaciendum ministris pro operibus in prima conclusione positis. s. custodia pecuniæ & pignoris &c. Patet ista ex affirmatiuo principio, quo dicitur, quòd ille tenetur mercedem reddere, in cuius fauorem opus agitur. Patet equidem ex dictis, quòd opera ista in vtriusque vel alterius horum fauorem per se fiunt, non Ioannis pauperis. Quarta etiam est affirmatiua, scilicet. Quilibet pauper mutuum sumens tenetur satisfacere pro obligata præparatione ministri ad mutuandum, & illi pauperes tenētur ad satisfaciendum pro cura pignorum onerosorum & particula pensionis domus inquantum deseruit ad hoc. qui pignora talia afferunt. Patet ista ex eodem principia: patet enim ex dictis obligatam præparationem ad mutuandum in fauorem singulorum pauperum esse, & excussionem pignorum in fauorem Dominorum. Quinta conclusio principaliter intenta, (quæ ex prædictis aperte sequitur) est ista: Iniustè exigitur à quolibet paupere vnus denarius pro libra singulis mensibus, pro mercede reddenda supradictis ministris, & cætera. Clarissima est ista: quia cum iniustè exigatur ab aliquo id, ad quod non tenetur, & ex dictis constet, quod pauper quilibet non tenetur ad omnia soluenda (sed ad vnum, scilicet obligatam præparationem ad mutuandum) consequens est, quòd iniustè exigatur à quolibet merces pro omnibus ministrorum operibus reddenda.

CAP. VII.

Secunda opinio examinatur, soluendo duo dubia concernentia dicta in præcedenti capite.

ANTEQVAM Soluantur obiectiōes ad oppositū factæ & examinetur, an vsura hic inueniatur, duo circa supra dicta relicta soluēda sunt: inferendā; horum solutioni est secunda opinio, quia eius decisio simul apparet. Restat igitur dubiū primò, an Petrus mutuans an vniuersitas pauperū, an vterque simul teneatur ad satisfaciendum ministris pro illis operibus pro quibus Ioannes pauper non obligatur. Sed si prædicta diligenter inspiciant, patere pōt, ꝙ non Petrus mutuans, sed vniuersitas pauperū tenet ad hoc. Adductum enim iam est principiū, dicēs ꝙ ille, in cuius fauorē res agitur, tenet ad mercedē reddendā: cōstat aūt, ꝙ custodia seu cōseruatio pecuniæ integræ (ad quā cætera hæc opera ordinātur) nō in Petri fauorem, sed pauper

Universidad de Deusto
Biblioteca

pauperũ vniuersitaris sit, quia Petrus nõ propter se custodiendam pecuniã deponit, ipse enim per seipsum custodiret pecuniam propriã nisi pauperum vtilitas exponẽdam pecuniã suam custodibus exposceret. Patet etiã hoc idẽ ex eo, quòd pecunia hęc nõ custoditur periculo Petri offerentis, quoniã restituenda est sibi nõ solùm ratione rei acceptæ, sed ratione acceptionis, & iam dictum est, quòd quãdo aliquis tenetur ad restituẽdum ratione acceptionis, etiam re perdita tenetur, Petrus igitur gratis offerens pecuniam mutuis, licet non donet, non tenetur, sed pauperum vniuersitas.

ET Tunc surgit secundum dubium, cur iniustè dicatur exigi à Ioãne paupere particula quędã eius, ad quod vniuersitas pauperum tenetur, cum Ioannes sit pars totius pauperum vniuersitatis: sicut autem vniuersitas tenetur ad integram satisfactionem, sic pars eius ad partẽ. Quinimo impossibile est, quòd aliter vniuersitas pauperũ satisfaciat, quoniam præter pauperũ res nihil habet.

¶ Sed ad hoc quoque dubiũ ex dictis responsio facilè haberi potest. iniustã siquidẽ esse huiusmodi exactionẽ ratio indicat cõmutatiuę iustitiæ, infra cuius latitudinẽ stãdo à parte exigi non potest id, ad quod totũ tenetur, eo quòd totũ vt extremũ est cõmutatiui iusti partis rationem habet, idémque est à parte exigere secũdum iustitiã cõmutatiuam id, ad quod totũ secũdum eam tenetur, ac si exigeretur ab vna parte id, ad quod pars alia tenetur, quod iniustissimum esse cõstat. Ex prædictis autẽ sufficienter habetur, quòd omnes huiusmodi operationes secundum iustitiæ commutatiuæ formã modo examinãtur. Quid autem dicẽdum si secũdum iustitiam distributiuã, si locum in hac re habet, proprio loco dicetur. Sat sit tunc scire, quòd iniustè exiguntur hæc à Ioanne paupere, si infrà iustitię cõmutatiuę limites res agatur, vt opinio prima dixit.

EX Præmissis autem patere potest defectus alterius opinionis defendẽtis cõtractus secũdum iustitiã cõmutatiuam, licet non ita ample sicut prior. Propius siquidẽ accedens secũda hæc opinio ad casum Montis pietatis, & non curans an singulari personæ liceret pecuniam propriam tali mutuo exponere, casum interminis ponens, licet in cæteris cõcordet cum præcedenti, in hoc tamen differt, quòd Petrum ponit abdicãrem à se proprietatẽ & dominium pecuniæ mutuãdæ, sicut & illi qui Mõti pietatis pecunias offerũt, donant. Et sic casu omnino idem cum Montepietatis est iste. Petrus vocato populo cum eius rectoribus offert donatione libera & irreuocabili 10000. ducatos, ad hoc vt inde perpetuo pauperibus mutuetur, hac donatione facta statuuntur postmodum à populo & rectoribus ministri, &c. vt suprà in isto dicit casu, cùm dominiũ pecuniæ nec Petri, nec alicuius alterius sit (cuius signum est, quòd absolutè loquẽdo, quicũque eam distraheret, iniuste hoc faceret, vtpotè cõtra expressam intẽtionem piam donãtis, qui non nisi ad hoc donauit) consequens est, quòd obligatio ad mercedem reddendam ministris, ad singulos deriuetur pauperes. Cõmunitas enim ad hoc non tenetur, cùm extra casum necessitatis extremæ & superfluitatis res hęc agatur, & vt dictum est, non tenetur ad habẽdum determinatum modum subueniẽdi. Patet siquidem huius opinionis defectus ex cõsideratione principiorũ supradictorum, nihil enim minus iustitię in hoc accidit casu, quàm in præcedenti. Tum quia Ioannes pauper etiam hic non tenetur ad mercedem reddendam, quia non fit opus in suum fauorem, & nihil refert, an hoc opus fiat in fauorem Petri mutuãtis, an cõmunitatis, an vniuersitatis pauperum, an etiã ipsius Dei. Sufficit nanque Ioãni pauperi ad hoc, quòd ipse non teneatur, ista negatio, scilicet, quòd opus hoc nõ fiat in suũ fauorẽ, quia in hoc casu inueni probatum fuit. Principium enim negatiuum adductũ est, quòd nullus secundum iustitiã cõmutatiuam tenetur ad mercedem reddendam pro seruitio alteri impenso. Alterum autem esse etiam ipsum pauperum collegium à singulis pauperum, in primo Politicorum patet, & infrà iustitiam cõmutatiuam stando, probatum est prius.

¶ Tum quoniam vniuersitas, siue collegium pauperum ad hoc tenetur etiam in isto casu, & consequenter iniuste à singulis pauperibus mutuum accipiẽtibus hoc exigitur. Eadem siquidem ratio, qua vniuersitatem pauperum ad hoc teneri prius dicebatur, hic locum habet, quoniã non ratione dominij ipsius pecuniæ ad hoc tenebatur, sed ratione quasi vtilis dominij, id est quia pecuniæ securitas, & integritas in suum per se & proxime fiebat fauorem quòd in hoc casu manifestius fieri apparet. Et ideo vniuersitas ipsa pauperum ad satisfaciendum ministris pro operibus illis, quæ non sunt in fauorem Ioannis pauperis, tenetur. Est igitur multiplex secundum istam viam in contractibus his iustitia.

CAPVT VIII.

Solutio rationum arguentium quod contractus prædicti secundum commutatiuam iustitiam sint iusti.

OBIECTIONVM autem in oppositum adductarum prius conuenit illas soluere, quæ iniustitiam ab his contractibus auferre conabantur, & postmodum illos examinare, quæ de vsura eorum agebant. Dupliciter igitur hic inueniri iniustitiam ex dictis patere potest, scilicet ex parte modi exigendi, & ex parte pauperum à quibus exigitur. Ex parte siquidem pauperum, quia ipsi non tenentur ad satisfaciendum ministris, nisi quo ad aliquid tantùm. Nec est inter modica deputandum id, in quo aggrauantur, quoniam vt ex dictis liquet, non tenetur forte quilibet pauper ad tertiam partem soluendam eorum, quæ ab ipso modo exigũtur, vniuersaliter enim non tenetur nisi ad satisfaciendum pro obligata præparatione ad mutuãdum, quod cum omnibus suis appendiiis si mercedis nunc exactè tertiam partem sibi vendicat, sufficientem recompensationem habet, vnde cum grauetur Ioannes pauper in duabus partibus, non in modico grauatur. Imo si immediatè, vel tertia, vel quarta, vel decima parte grauari eum necesse esset, iniustitia esset non inter modica reputanda, tum quia decima pars aliquid notabile esse potest, incerta siquidem est eius quantitas, quoniam secundum Montis diuitias plus & minus poterit mutuari, &c. tamen quia iniustitia modica non reputatur, nisi quando per accidens incurritur: in proposito autem ex intentione committitur, vnde iniustitiæ mortale peccatum non euitatur.

AD Id autem quòd obiiciendo quæritur, quis teneatur ad hoc si Ioannes pauper non tenetur, dico duo. Primò quòd de iuris rigore tenetur vniuersitas pauperum, cui pecunia conseruatur per pignora, &c. Et teneretur ipse Petrus mutuans si non in fauorem vniuersitatis pauperum pecuniam custodiendam exponeret, aut donaret. Et ad id, quod in contrarium adducitur, s. quòd nullus mutuans tenetur aliquod damnum incurrere ex hoc, quod beneficium mutui impendit, quinimò potest si quod damnum ex hoc incurrit, secundum omnes doctores exigere, dico ꝙ hoc cõmune dictum est summè verum, sed male applicatur ad propositum, quoniã expensæ istæ nõ causantur ex beneficio mutui, licet occasionãtur & remotè ex mutuo proueniant, sed causantur ex cõtractu pignorũ, quod formaliter est in fauorẽ mutuantis. Dixi notabiliter, ꝙ occasionantur, & remotè proueniunt expensæ istæ ex contractu mutui, & non dixi, ex beneficio mutui causantur, quia mutuum non est causa, sed occasio harũ expensarũ, non proximè sed remotè, nec habet rationẽ occasionis huiusmodi, inquantum est in fauorem accipientis mutuum. Propter quod ratio ista concludit oppositũ sui intenti, eo quòd sicut iniquum est mutuãtem ex hoc, ꝙ mutuat damnificari, ita iniquum est dantem pignus ex hoc lædi, æqua enim est vtriusque conditio per se loquendo. Vnde exẽplum quod adducunt, quod opinionem hãc plurimum fouisse videtur, ad propositum non est. Dicunt enim, Si Petrus Mediolani existens Ioanni perenti ibidem pecuniam mutuo, frater dicat, Pecuniam quã petis Genuæ habeo, mi tamus tuis expensis pro illa, & sic mutuum gratis accipito, constat ꝙ Petrus non exigit iniusta à petente mutuum expẽsas illas, quia non tenetur incurrere damnum hoc ex hoc quod mutuat: ergo à simili, neque in his contractibus iniustum est expẽsas exigere. Ad propositum, inquam, non est exemplum hoc, quia clarè patet quòd expẽsæ istæ fiunt ad hoc vt pecunia ad mutuum petentem perueniat, & consequenter in eius fauorem per se & proximè ordinantur, in proposito autem nostro expensas istas non ordinari per se in fauorem Ioannis pauperis mutuum accipientis, ex dictis clarissimè constat.

¶ Propter quod aduertant cuiusque ordinis viri, vt exemplis non fallãtur, quoniã multa in eis dissimilia inueniũtur, quorum quodlibet, quia non facilè est cuilibet discernere, duo subiungenda duximus ex quibus cætera facilius diiudicari possint. Creditur enim primò, quòd sicut Martinus qui mutuat Bernardo indigenti, accepit pecunias à fœnatore, & expensas fecit, vt pignora per famulos tutè deuehãtur, licitè potest à Bernardo paupere exigere nomine interesse huiusmodi expensas, & vsuram, quam soluit, sic in proposito fieri possit à Petro, seu communitate qui ad has expensas cogitur ex alio opere facto in fauorem Ioannis pauperis, scilicet mutuo. Creditur quoque secundò, quòd sicut à petente mutuum licitè potest mutuans exigere securitatẽ, & si accipiens mutuum, chirographo eum facere tutum eligat, notariõque mercedẽ reddat, non iniustè grauatur, & tamen chirographum fit in fauorem mutuantis, ita in proposito petens pignus non iniustè grauat Ioannem pauperem circa expensas, ex quibus nihil sibi vtilitatis accrescit, sed sola indemnitas Montis seruatur.

¶ Sed in his & hmõi plurima est dissimilitudo. Et primum quidem exẽplum à Montis natura differt, ꝙ expẽsas illas Martinus facit, & Bernardi personã induit indigẽtis subsidio tali, quasi sibi pignora accõmodans, vt mutuum inueniat, & ideò nõ est mirũ, si expẽsas tales Bern. tenetur subire: nihil enim minus tenetur quàm si ipse per seipsum à fœneratore mutuũ sumẽs, expẽsas illas fecisset propter hæc accidẽtia. In casu verò Mõtis, nec Petrus, nec cõmunitas in persona Ioã. pauperis expẽsas has fecit, sed collegij pauperũ, vt ex dictis patet, & ideò Ioã. pauper. iniustè grauatur in hmõi expẽsis. Circa secũdũ verò exẽplũ sciẽdũ est, ꝙ vt dicitur, in 4. Met. nisi cuiq; quæsito respõdeatur formaliter omnis certitudo destrueretur eo, ꝙ extra rõnẽ formalẽ vagãtibus infinita occurrũt circa quodlibet. Vnde in proposito solicitè semper attendẽdũ est ꝙ formaliter ꝗratur, aut rõcinãdo adducatur. Aliud enim est petere securitatẽ rehabẽ-

rehabẽ iæ pecuniæ, & aliud est petere talem securitatem, scilicet habentem expensas annexas, puta Chirographum: quemadmodũ etiã superius distinctum est, ꝙ aliud est loqui de pignore, & aliud de tali pignore. Petens autem securitatem nihil petit in sui fauorem, habens annexum damnũ eius, à quo petit illam: sicut nec petens pignus. Vnde si accidat, ꝙ petitam securitatẽ aut pignus ego date non possim, nisi cum aliqua expensa, quam qualitas securitatis, aut pignoris à me electa parit, ego ipse dãnum mihi hoc infero: sicut in exemplo adducto contingit. Non enim ex securitate petita, sed ex qualitate securitatis à me oblata expensæ istæ per se proueniunt. Et ideo teneor ego notario mercedẽ reddere: sicut & expẽsas illas subire, quæ ex pignoris emanãt accidentibus. Petens verò securitatẽ talẽ (puta chirographũ) cũ in fauorẽ sui petat rem habentẽ expẽsas annexas, & iniquũ sit ex eo, ꝙ in fauorẽ sui agit, alterũ dãnificari iniustè grauat eum à quo illã petit, ad reddendã mercedẽ notario debitã. Vnde euidenter patet, ꝙ Montis natura ab hoc exemplo distat in hoc, ꝙ hic petens securitatẽ, nihil petit, ex quo ipse oriatur expẽsa aliqua: in Mõte autẽ volẽs pignus, vult sibi à Ioann. paupere solui pro custodia aliis, ad quæ ipse tenetur naturali iure, aut quæ ipse fieri vult non in Ioannis pauperis fauorem, vt ex dictis patet. Omnes ergo iterum atq; iterũ monitos esse rogo, quatenus caueant ne exẽplis inhæreant: quoniam multa latent in eis accidentia, ex quibus etiam sapientes contingit falli.

¶ Secundò dico, ꝙ non sufficienter arguendo probatur, communitatem aut principẽ non teneri ad soluendam ministris mercedẽ. Licet enim rectè cõcludatur, ꝙ nõ teneãtur simpliciter: nõ tamen ex hoc concluditur, quin teneantur ex suppositione, id est supposito ꝙ hunc modum mutuandi statuant. Et licet, vt dictum est, vniuersitas pauperũ de iuris rigore, non communitas aut princeps ad hoc teneatur, quia hæc omnia ad cõmutatiuam iustitiã spectant, & absque publica autoritate facta iniusta non essent: æquitas tamen à iustitia non multum remota exigit, ꝙ princeps aut communitas ex publico ærario pauperibus etiã hoc modo subueniat.

¶ Modus autẽ accipiendi, ꝙ etiam iniustitiam contineat, manifestatur. Cùm duo genera operum sint, pro quibus hæc à paupere exiguntur (scilicet illa, pro quibus nõ tenetur) vel quia nullus pauper ad hoc tenetur (puta pro custodia pignorum) vel quia hic non tenetur, puta pro excussione pignorum (quia ferreas virgas in pignus dedit,) de modo exigẽdi mercedẽ, pro istis non oportet probare, ꝙ sit iniustus: quia si exactio est iniusta, modus eius iustus esse non potest. Sed & modus exigẽdi pro his, ad quæ Ioan. pauper tenetur, scilicet pro obligata præparatione ad mutuandũ, iniustus ostenditur: ex eo ꝙ obligatæ præparationi ministri ad mutuandũ, nec ratione periculi, nec ratione laboris, aut cuiusuis occupationis, aut damni commensuratur diuturnitas tẽporis, quo mutuum acceptũ tenetur, aut quãtitas acceptæ mutuo ipsius pecuniæ. Nisi quis diceret damnum incerti ex eo, ꝙ non potest tam frequenter mutuum iterare: ac pro hoc cessat ministri merces à pluribus suscipienda, Sed subtiliter consideranti apparebit, ꝙ ex hoc non habetur ꝙ oportet mercedem istam quantitati mutui & tẽpori quo retinetur, cõmensurare: sed quod oporter consideratis omnibus, certum salarium sibi statuere, & illud summariè ac verisimiliter, calculatis prudentium arbitrio pauperibus venturis ad suscipiendum mutuũ, soluendũ æqualiter taxare, eo ꝙ æqualiter ad omnes huiusmodi se obligat: sic enim merces ministris debita redderur absque ambiguitate & iniustitia aliqua. Nec inconuenit contingere pauperem plures indigẽtem plus soluere minus paupere, quoniam merces hæc redditur non mutuo, aut quãritati pecunię mutuatæ sed obligatæ præparationi ad mutuandum, quæ æqualiter omnes respicit, & pauper pluries sumens, duorum rationẽ habet. Nec est opus prudentiũ virorũ iudicio ista tantũ submittere, quia scientiæ subiacẽt, sed eorũ arbitrio, vt dictũ est, relinquitur quantitas stipendij ministris debiti, & taxatio quantitatis pecuniæ à singulis soluendæ æqualitate supposita, & alia huiusmodi singularia.

CAPVT IX.

Determinatio, quod in prædictis contractibus committitur vsura.

RELIQVVM quo ad hanc partem est, vt videatur, an iniustitia, quæ in his inuenitur contractibus, vsurerat onẽ habeat, quod ex duobus considerandũ est.

¶ Primò ex eo, ꝙ vsuram duobus modis cõmittitur, scilicet augendo ex mutuo capitale, & exigendo recõpensationem damni, quod non propter mutui beneficium incurritur. Neque enim minus vsuram sapit velle ab accipiente mutuum recompensationem damni, quod ab hostibus vel latronibus passus est, quam velle ad augendas opes aliquid vltra sortem. In proposito autem, cum iam pateat, Montem pietatis, siue vniuersitatis pauperum, & breuiter volentem sibi pecuniam Montis integrè & secure saluari quicũque sit ille, exigere à Ioanne paupere mutuum petente expensas, quæ non in illius fauorem fiunt consequens est ꝙ exigat recompensationem damni, quod nõ ex mutui beneficio incurritur, sed propter pecuniæ rehabendæ securitatem. Nec obstat aliqualiter, quod damnum ex hoc mutuo emergit, saltem occasionaliter, nihil siquidem refert, vnde damnum hoc proueniat, aut à quo inferatur, dummodo ex eo, quòd fit in fauorem Ioann. pauperis vt sic, non causetur, ista enim negatio sufficit ad quòd iniustè exigatur ab eo, & consequenter quòd vsurarie, ex quo vt dictum est, non refert ad vsuram, damnum indebitum à pendente mutuum exigere aut lucrum quærere.

¶ Secundò ex eo, quòd non minus vsurarium est, mercedem alteri debitam non ex seruitio impenso ad mutui beneficium vt sic, ab accipiente mutuum exigere, quàm quodcunque aliud lucrum vltra sortem petere, neque enim ab vsura remotius est grauare minùs accipientem mutuum ad soluendum aliquid vltra sortem alteri, quacunque ex causa quam sibiipsi mutuanti. Constat autem, quòd hic grauatur iniustè Ioannes pauper, dum accipit mutuum ad soluendum ministris pro operibus, pro quibus non tenetur, quanquam nihil ad Montis mutuantis augmentum exigatur. Non igitur subterfugi potest, quin vsuraria sit exactio ista, secundum iustitiæ commutatiuæ formam loquendo.

AD Euidentiam verò solutionis obiectionum in oppositum diligenter attendendum est, quòd hic sunt duo, scilicet reddere mercedem ministris, seu (quod idem est) ipsos ministros accipere mercedem pro locatis operibus, & hoc est iustissimum & omni æquitate plenum, quia eius causa est locatio operum suorum. Alterum est exigere huiusmodi mercedem à Ioanne paupere, & hoc iniustum & vsurarium est, quia eius nulla causa alia est, nisi mutuum, quoniam operæ illæ collatę non sunt Ioanni pauperi, vt propter illas ab eo exigi merces possit.

¶ Vnde prima ratio peccat, assumendo ꝙ hic nihil vltra sortẽ quæritur propter mutuum, sed tantum propter locatas operas, quoniã secundum veritatem ex mutuo, exactio ista causatur, vt ex dictis patet. Vel (& in idem redit) verbaliter respondendo dicatur, quòd exigere propter locatas operas potest contingere dupliciter.

Vno modo propter locatas operas in fauorẽ accipientis mutuum: & tunc bene sequitur, ergo non propter mutuum: quia locatio operarum in huius accipientis mutuum fauorẽ facta, causa proxima est, ꝙ ab eo iustè merces hæc exigatur. Alio modo propter locatas operas non in fauorem huius accipientis mutuum, sed alterius quicunque sit ille, & tunc malè infertur: ergo non propter mutuum: quoniam causa proxima huius exactionis est vel mutuum, vel locatio operarum: sed locatio operarũ causa secundum iustitiam esse non potest, eo quòd operæ nõ sint in fauorem huius accipientis mutuum locatæ, igitur mutuum huius exactionis causa proxima est, ac per hoc vsura committitur. Nec obstat id quod cõfirmando subdebatur, scilicet ꝙ si ministri donare hoc volunt, Mons non turbabitur. Ex hoc enim nihil aliud haberi potest, nisi ꝙ Mons lucrum ex hoc non quærit, sed non habetur quin Ioannes pauper grauetur ex accepto mutuo ad mercedem reddendam ministris, ad quam nõ tenetur, sicut si pauper ab aliquo mutuum sumat, cum onere, ꝙ rustico cultori vineæ mutuantis mercedem reddat, vsura non deficit ex eò quòd rusticus potest illi pauperi absque mutuantis turbatione donare mercedem propriam.

¶ Secunda autem ratio concludit, mercedẽm ministrorum non esse vsurariam, & hoc proculdubio verum est: quoniam iusta & sancta est, sed non probat quin mercedis exactio à Ioan. paupere, qui non tenetur, fit vsura: debet enim merces illa exigi ab eo, qui tenetur, dare illam & non ab hoc paupere. Et ideo si reddatur mercedes talis ab eo qui tenetur iustitia est, vel charitas si pietatis intuitu ab aliquo, qui non tenetur. Si autem exigetur ab eo, qui non tenetur clarè constat, quòd quamuis merces sibi debeatur, iniusta tamen exactio est, quia hic non tenetur. Et si adiunxeris, quod exactio non nisi propter mutuum mandatur, vsuraria manifestè apparebit: quod in casu isto corrigere iam patet. Est igitur infra iustitiæ commutatiuæ terminos loquendo, multiplex iniustitia & vsura in capitulis Montis pietatis.

CAPVT X.

Opinio dicentium, ista esse capitula Montis pietatis secundum formam iustitiæ distributiuæ.

SVNT Igitur alij subtilius naturã Mõtis huius speculãtes, qui infra iustitiæ cõmutatiuæ limites stãdũ non credunt, sed iustitiã distributiuã inserrã dicentes secũdum eius formã iustitiã in his capitulis saluari defendunt. Hi casum Montis pietatis illũ esse approbantes, qui in ca. 7. positus est: in quo scilicet Petrus vocato populo donat 1000. ducatos nõ cõsumendos, sed mutuãdos, perpetuo tpe pauperibus, &c. vt supra. nõ inferũt iustitiã distributiuam ipsis cõtractibus mutui, vel, pignoris, vel locationis operarum, sed inuentioni mercedis reddẽdæ operariis. Sinamq; superius dicta adnuent, ad hoc deuentũ est ꝙ pauperũ vniuersitas tenetur reddere mercedẽ ministris Montis: & ideo ipsa vniuersitas pauperum ex quo in cõi nihil possidet, inuenire volens, vnde soluere possit mercedem hanc ministris sibi deseruiẽtibus, onus hoc distribuẽdũ esse in suas partes pauperes. s. statuit. Vnde ipsa mercedis redditio in iustitiæ cõmutatiuæ terminis relinquitur: sed in tertio mercedis reddendæ secun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

secundum iustitiæ distributiuæ formam fieri secundum hanc opinionem potest,& de facto in Monte hoc fit.

¶Dicit igitur duo hæc opinio. Primò, quòd secundum distributiuam iustitiæ formam in vniuersitate pauperum inuenienda est merces reddenda ministris: Secundò, quòd inuentio ista iuste secundū iustitiæ distributiuæ æqualitatem in capitulis huius Montis ordinatur,ita quòd nullus pauper iniustè grauetur.

¶Primum probatur dupliciter. Primò, quia cùm vniuersitas pauperum teneatur de suo satisfacere his ministris, suū autem nō fit nisi altero modo, vel quia in communi aliquid habetur, vel quia suarū est partiū,& in proposito vniuersitas non possideat aliquid in cōmuni,restat vt de his, quæ partium sunt, satisfacere debeat, partes autem pauperum esse patet. inter eos igitur oportet pecuniam hanc inueniri. Et cum cōstet, ꝙ communia onera iustè distribuenda sunt, consequens est ꝙ secundum iustitiā distributiuā inuentio hæc fieri debet. Secundò, quia sicut bonum totius partibus est debitum,& ideo proportionaliter eis distribuēdum, ita & malum totius partes quoque proportionaliter sustinere tenētur onera autem omnia inter mala computantur, onus igitur huius mercedis soluēdæ partes vniuersitatis pauperū proportionaliter sufferre tenentur. Hoc autem est inueniri pecuniam istā in vniuersitate pauperum secundū iustitiæ distributiuę formam, quod erat probandum. Secundum autem, scilicet ꝙ de facto nulla iustitia in modo distribuendi hæc onera inueniatur, probatur etiam dupliciter. Primò, quia in hac vniuersitate bonum est ipsa subuentio & reuelatio pauperum, malum verò est onus soluendi mercedem, æquum autem est, vt qui plus boni percipit, plus etiam mali sentiat: cui igitur maior sit subuentio, is magis onus solutionis subire debet. Et sic statutum est in hoc Monte, vt scilicet cui plus & maiori tempore mutuatur, plus onus soluendi ministris sentiat. Secundò, quia æquum est, vt communium onerum illis plus impo natur, qui maiorem occasionem subeundi talia onera vniuersitati præbent. Illi autem quorum pignora maiori tempore & periculo custodiuntur, sunt huiusmodi, quoniam maiorem mercedem tenetur reddere vniuersitas ministris pro custodia illorum, quam aliorum, ergo illi, qui diutius pignora ibi tenent, & similiter illi, qui pretiosiora offerunt pignora, ex hoc quod maius mutuū sumunt, debent amplius grauari, quòd in capitulis Montis pietatis continetur. Non est ergo iustitiæ distributiuę violatio in capitulis istis.

CAPVT XI.

Examen prædictæ opinionis determinans quomodo hic fit distributio.

ET Eodem autem ordine ostēdatur opinionem hanc deficere, Primū dictum examinādo oportet ex communibus animi conceptionibus incipere,& ostendere quomodo ratio distributionis hic saluatur, Quia ergo vt dicitur in 5. Ethi. iustum in distributionibus consistentur omnes secundū dignitatem quādam oportere esse, ita ꝙ sicut iustitia commutatiua dignitatem personæ non considerat nisi inquantum in quantitatem rei redundat, vt puta cum considerat dignitatem principis percussi, quia percussio ex hoc criminosior est, sta iustitia distributiua quantitatem rei non ponderat, nisi inquantum redundat in dignitatem personæ, vt puta cum magnificit virtutis egregium actum, ex hoc ꝙ dignior persona illa ex tali opere redditur, ex hoc inquā consequens est ꝙ distributionis ratio absque dignitate non inueniatur. Dignitatem autē dicimus non quodcunq; bonū hominis, sed illud, ex quo homines sortiuntur, ꝙ partes sint totius vniuersitati, siue illud sit virtus, vt politia aristocratia, siue rerum abundantia, aut nobilitas, vt in oligarchia siue libertas, vt in democratia, siue quodcunque aliud. Et cùm talis partium dignitas ad commune aliquod opus, quod totius prium est, ordinetur, oportet si hanc pauperum vniuersitatem in communitatem quandam erigere velimus, inuenire & quid sit totius opus,& secundū quid partium dignitas attendatur: est autem hic opus totius perpetua commoditas mutui inueniendi, propter hoc enim omnia fiunt, & hoc sequitur mediatè pecuniæ mutuandæ (quæ Mons dicitur) integra conseruatione. Dignitas verò indigentia est: id enim in qualibet communicatione dignitas dicitur, propter quod aliquis debet admitti, & iniustè repelli putatur, vt discurrendo per omnes supradictas politias apparet. Sola autem indigentia existente, meretur quis de hoc esse collegio, & iniustè expelleretur, suppositis semper his quæ secundū legē ordinata essent, putà ꝙ tantum pauperes ciuitatis admittantur, igitur indigētia pro dignitate in hac vniuersitate habetur. Indigentiam autem dicimus non quancunq;, sed talē quæst. 2. de pignoribus possit securū facere Montē. Hic est modus, quo vniuersitas pauperū velut cōmunitas quædā distributionis est auctrix & capax. Quilicet sit sustentabilis, clarius tamē & verius distributionis forma in ea saluatur, dicendo ꝙ sicut si militibus vltra debita stipendia propter res bene gestas pro republica distribuenda statuatur quædam pecuniæ summa, distributionis iustus modus erit, vt quanto melius hic illo egit, tanto maius sit quod huic, eo quod illi datur, & sic modus & forma distributiuæ iustitiæ seruatur absque tot difficultatibus. Ita si pauperibus multis onera distribuenda sunt, vt hic accidit, sufficit ꝙ distributionis iustæ forma seruetur, quæ exigit æqualitatem proportionis, vt dictum est, quæ nunc tantū seruatur cum æqualibus æqualia, & inæqualibus inæqualia imponuntur.

¶ Et quoniam siue hoc, siue primo modo ponatur distributio in pauperū vniuersitate, nō refert quo ad præsentē quæst. idcirco cōcedatur distributionem inueniri in inuentione mercedis reddendæ operariis Montis, à quocunque distributio ista mandetur, siue à principe, siue à cōmunitate, siue ab ipsa pauperum vniuersitate.

CAPVT XII.

Determinatio, quod secundum iustitiæ distributiuæ formam multiplex in hoc Monte iniustitia committatur.

RESTAT ergo considerandū secundum, scilicet, an distributio isto modo facta iusta sit. Vbi præmittendum est, quòd licet in distributionibus communiter minus seruetur iustum etiam absque conscientiæ periculo, quam in commutationibus, eo quod comparationes personarum sunt odiosæ,& pacis bonum tollunt quod cæteris bonis communibus præstat, statuta tamen distributionum dispositiua tanto iustiora esse oportet, quanto facilius ab eis declinare quodammodo cogimur. Si enim ipsa statuta à iusto declinare inciperent nimia postmodum in distribuendo elongatio à medio fieret, sicque iustitia corrumperetur. Et ideo diligenter oportet distributionis huius statuta examinare, ne lex iniusta sub obseruatores ad iniustitiam deducat.

¶Sciendū est igitur, ꝙ aliter bonum, aliter malum distribuendum est inæqualibus partibus alicuius totius. Bonum siquidem distribuendum est sic, vt digniori maius bonum detur. Et ratio est, quia bonum totius quod est debitū alicui parti, tantò maius est, quantò pars illa maiorem principalitatem habet in toto, & tanto minus quātò pars minorē habet dignitatem in toto. Malum autem econuerso distribuendum est vt scilicet digniori parti minus malum, & minus dignè maius malum imponatur. Et huius ratio est, quia ex quo minus malum habet rationem boni, vt dicitur in 5. Ethico. quia eligibilius est quàm maius malum, eiusdem ratio est, quòd alicui debeatur plus boni & minus mali, & consequenter parti principaliori, cui debetur maius bonum, debetur etiam minus malum & proportionaliter parti viliōri, cui minus bonorum debetur, plus malorum imponendum est. Et loquimur semper de bono & malo totius quod partibus distribuendum est.

¶Suadet quoque hanc distributionis esse æqualitatē naturæ operatio, quæ alimentū distributura mēbris ad principalia mēbra digniores partes,& ad viliora viliores transmittit: infirmitatem autē si potest à principalibus membris ad viliora propelli, experientia continuè docet. Vnde si in pauperum vniuersitate, quæ super indigentia fundatur, bona distribuenda essent, quantò aliquis esset magis indigens, tanto maius bonū sibi deberetur, eo ꝙ maiorē principalitatem habet in tali toto, sicut magis dines maiorem principalitatem habet in politia, quæ fundatur supra diuitias, quæ oligarchia vocatur. Et cōsequenter quantò aliquis est magis indigens tantò minus mali communis sustinere debet. Et quia onus hoc mercedis soluendæ inter mala connumeratur, oportet ꝙ secundū iustitiæ distributiuæ formam magis indigens minus soluat. Magis autem indigentem inter pauperes esse constat, qui maiori egetmutuo, & minus cito potest soluere. Non ergo iustè statutum est, ꝙ plus mutui sumentes & maiori tēpore retinentes, plus teneantur soluere. Nec impeditur conclusio huius processus, si quis cauillationibus fortè adinuentis non suscipiat, id quod tamē probatū est, scilicet vniuersitatē hanc super indigentia fundari, aut ꝙ ista non sit vere cōmunitas quædam. Stat enim vis rationis in hoc ꝙ distributio onerosa non debet commensurari indigentiæ, ita ꝙ quantò quis plus eget, tantò plus cōmunis oneris sustineat, hoc enim probatione non eget. Sub hoc autem principio, siue vera distributio, siue modus distributionis hic saluetur, subsumitur ꝙ ista distributio est onerosa, ꝙ manifestè patet, ergo nō debet quanto quis magis eget, tantò plus grauari. Sed secundum capitula huius Montis quātò pauper magis eget magis grauatur, ꝙ manifestè patet, quia magis grauatur diutius plus mutui retinens, hic autem est magis egens. ergo. Committitur etiam vltra hæc iniustitia hic duplicitер & ea scilicet, ad quæ aliqui tantum secundum iustitiam commutatiuam tenentur, omnibus imponendo, scilicet mercedem pro excussione pignorum,& ea, ad quæ omnes æqualiter tenentur, scilicet mercedem pro obligata præparatione ad mutuandum, imponendo inęqualiter, quoniam omnia in vnum adunando, ad formā seu modum distributionis,& quæ commutatiuæ iustitiæ sunt confunduntur, & quæ distributiuæ sunt violantur.

EX his autem facile est soluere rationes in oppositū. Prima siquidem peccat, primo in medio termino, in quo nota vis rationis consistit. Assumit enim æquum esse, vt qui plus boni totius percipit, plus etiā eius mali sentiat, hoc autē falsum esse monstratū est. Iniquum quippe secundum iustitiæ distributiuæ formam est, vt is plus communis mali sustineat, qui plus boni suscipere debet, quia vt dictum est, minus malū quoddam bonum est. Sed aduerte diligenter, ꝙ dicentes plus, aut minus boni, vel mali, de quantitate absoluta ipsius boni, vel mali loquuntur, & nō de quantitate proportionali. De hac enim loquendo æquale malū, & æquale bonū omnibus partibus de cōmunibus dandum est: quia iustum in distributionibus in æqualitate proportionali cōsistit: vt superius ex 5. Ethi. diximus. Et quia paruum malum magis lædit nobilem partem, quam magnū vilem, vt patet in membris corporis: & in proposito plus pauperculus læditur ex solutione duorū solidorū, quā artifex minus egens ex solutione quatuor: ideo non vsque quaq; falsum est illud assumptum, s. æquū est, vt qui plus percipit boni, plus sentiat mali: sed vt iam patet, etiam sic non est pro opinione illa. Secundò peccat in eo, quod subsūmit, scilicet subuentio mutui est bonum commune huius vniuersitatis pauperū. Releuatio namq; pauperis ex accepto mutuo ex ipso mutui beneficio causat. Mutuum autem ad iustitiā commutatiuam adeo spectat, vt id iustitiæ distributiuæ attribuere ridiculum sit, nisi forte distributio mutui statueretur: quod hic non fit. Iniusta deinde lex esset, si quā statueret, ꝙ ex subuentione, quam ex mutui beneficio quis percipit, aliquid pecuniæ æstimabile mutuandi daret, & similiter cuicunq; alteri, cui ex vlla causa nō tenetur. Ex hac siquidē causa nulli ciuiliter obligatur, quamuis amicabiliter debeat. Si mutaretur quoq; argumentū, & esset sermo nō de subuentione per mutuum, sed de cōmoditate perpetua mutui inueniendi, quā totius cōmune bonū esse dictū est, non posset adhuc concludi iustitiā seruari: qm̄ si penes commoditatem illā, distributio oneris agēda est, cum cōmoditas illa omnibus mutuū sumētibus æqualiter respondeat, inæqualiter distribuī solutionis onus nequaquam deberet: licet, vt ex dictis patet, iniquum sit, malum distribui, sicut & bonum.

¶Secunda verò ratio, quæ metitur onus soluendi iuxta datam soluendi occasionem, facilè soluitur, dicendo, ꝙ aut occasionis vocabulo propriè vitur, aut cōmuniter, vt etiam causam occasionem vulgariter dicimus. Si propriè loquatur falsum est, ꝙ huiusmodi occasionibus commensurandæ sint distributiones boni aut mali communis, quod deberetur partibus, vt patet in omni politia: secus autē de gratuitis dicendū esset remunerationibus. Si autē occasionem pro causa ponit, tunc falsum subsumitur: causa enim harū expensarum est vniuersitas ipsa, quæ pignoribus tutè vult pecuniæ Montē saluari. Et ex hoc clarius patet veritas primi membris: quia pauper ipse occasio valde remota est, & non nisi ipsa mediante, & causante vniuersitate quæ soluere tenetur, vtpote nō concurrens ad hoc nisi propter mutui petitionē, ex qua occasionē sumit mutuans, ꝙ pignus vult, ex quo deinde prouenit, quòd vniuersitas teneatur soluere. Patet igitur quòd occasionibus huiusmodi nūlla iustitia distributiones æquari debent. Ex his autem formari alia potest ratio ad principale intentum talis. In hac pauperum vniuersitate quatuor sunt, commoditas perpetui mutui habendi, releuatio ex mutuo suscepto, remota occasio non data, sed sumpta, alicuius expensæ & indigentia: nulli horum distributio oneris huius iustè commensuratur in hoc Monte: vt patet ex dictis: ergo in capitulis Montis iustitia distributiua non saluatur.

CAP. XIII.

Opinio dicens, in Monte hoc nullum esse propriè mutuum, sed societatem potius, cui ad. iiij. primi capitulis ad commune bonum vnitam.

SVrrexit propter has fortè rationū angustias opinio alia, nedum hæc capitula: sed alia quæ ab omnibus repulsa videntur communitatibus pietate plena defendere volens. Hæc quantū ad propositum spectat, tria dicit. Primò, quòd hic est contractus societatis positiuæ & perpetuò cōseruatiuæ. Secundò, quòd non est hic contractus mutui propriè, sed tēporalis vsus cōmunis depositi. Tertiò, quòd hic est cōtractus locationis operarū ad custodia pignorum, &c. cui à pauperibus merces reddenda iustè exigitur, &c. Primum declaratur explanādo naturā huius Montis sic: Pauperes ciues cōuenientes media intercessione prædicatorum, &c. à diuitibus & à feipsis quandam pecuniæ summā dono obtinēt, nō distribuendam, sed perpetuo vsui eorū per modū mutui conseruādam, eiusq; custodiæ ac prædicti vsus dispensationi, & pignorum custodiæ, curæ & exteris, vt suprà, pro securitate communis pecuniæ ministris quidam à pauperū partibus præponuntur, reddendāque statuitur eorū operibus merces à singulis pauperibus, vt suprà scilicet vnus denarius pro libra singulis mēsibus, &c. Hæc est pauperum ciuiū societas, deponens summā illam sub cōmunibus custodibus per modū mutui eius pauperibus dispensandam,& reddens mercedē custodibus debitā &c. Et quia in societate ista nunquam intenditur diuisio capitalis communis, scilicet depositi, nec ſm totum, nec secundū partem, sed potius procurare augmentū, & pro conseruatione illius tuta quilibet aliquid soluit puta duos denarios pro libra, &c. ideo his est cōtractus societatis nō diuisiuè, sed positiuè, & perpetuo conseruatiuè. Secundum verò, scilicet ꝙ non fit hic cōtractus mutui: probatur ex parte rei: quæ mutuari dicit, & ex parte extremorū, inter quæ mutuum dicitur. Vbicunq; nanque est proprie mutuū, ibi & res mutuata aliena est à iure petentis mutuū: & mutuans omnino à petente mutuū distinguitur. Sed hic neutrū istorū inuenitur: quia pecunia quę mutuatur, cōmunis est eis quibus mutuatur, & mutuās est ipsum cōmune depositum, seu ipsa societas, quæ à pauperibus societatis mēbris non omnino distinguitur: ergo nō est hic propriè mutuū. Maior propositio assumpta, quo ad vtranque suā partē ex ratione iustitię cōmutatiuæ in mutuis patet: quia iustitia commutatiua non est inter totum, & partes: & mutuū nō est, nisi de eo ꝙ alterius partis, id est singularis personæ est, & consequēter omnino alienū ab hoc petente mutuum: vnde quando pauper à Monte mutuum propter penuriam vocabulorum petit, tēporalem vsum communis depositi secundū veritatem petit nō mutuū. Et ex hoc vlterius manifestè sequitur, ꝙ vsura hic non est, quæ mutuum explicitè vel implicitè cōmitatur. Tertium autem, ꝙ, scilicet hic fit, contractus mercenarius inter ministros & pauperes, & consequenter, ꝙ pauperes iustè teneantur reddere eis mercedem, &c. vt per se notum relinquitur.

CAP. XIIII.

Examen prædictæ opinionis determinans iniustitiam nihil minus inueniri in capitulis Montis secundum hanc viam, quam secundum alias supradictas.

QVoniam autem opinio hæc tāquam singularis communiter derelicta videtur, duo in eius examine facienda occurrunt, vt, scilicet primò ostendamus male formatū esse ab ea casum Montis pietatis: & præterea communiter minus eius dicta recipi. Deinde admisso casu, ꝙ iniustitiam non euitet, manifestandum est, quòd contractus iste non sit socialis: vt ex Pauli secundi Pontificis Maximi literis ad Perusinum legatū habetur: vbi monet ne vltra stipendia ministris debita aliquid accrescens habeatur, ne forte vsuræ labes aliqua incurratur. In contractu enim socialiter hoc, ꝙ socij ad communis boni augmentum tendunt, ridiculum est, in dubium apud sedem maximę apostolicā verti, an sit vsura. Quòd etiam sit contractus mutui, ex literis pluribus plurium Romanorum Pontificum patet. Semper enim mutuari dicunt pecuniam pauperibus à ministris Montis: & distributionem mutuo sic annectunt, vt vere mutuum reſtet: quoniam mutuari secundum quandam distributionem dicunt, vt, scilicet plus egentibus, si constat, plus mutuetur, infra tamē statuti latitudinem. Nec sufficit fugiendo dicere, quòd penuria vocabulorum huius causa est. Tum quia in promptu vocabulorum temporalis vsus, cōmunis depositi vel boni erat. Tum quia expresse in literis huiusmodi pecuniam collectam Montem pietatis vocari dicitur: & depositā pecuniā apud eos, qui mutuaturi pauperibus sunt, appellatur. Si enim mutuum vere non interueniret, mutui nomen quandoque mutatum quoque esset, & saltem circunlocutione aliqua non esse mutuum insinuatum esset: præsertim quia omnes forte huiusmodi literæ emanarunt ad instantiam eorum, qui vsuram in hoc Monte non esse contendunt. Qua enim faciliore & magis apparente via excludi vsura potuisset, quam mutuum non interuenire declarando? Sed quid in probabilibus moror? probatur ratione, non esse huiusmodi contractum facilem absque mutuo, vt dicitur. Vbicunq; iustum est fm̄ æqualitatem simpliciter ſei acceptæ ad datam, ibi vere est iustitia cōmutatiua: sed contractus ille, qui mutuī vocatur, inter Montem & Ioannē paupere est iustus secundū æqualitatem simpliciter pecuniæ redditę ad acceptam: ergo est contractus iustitiæ commutatiuæ. Sed iustitia commutatiua non versatur inter totum, seu totius bonū vt sic, & partem, sed inter partē & partem, ita ꝙ etiam totum, vt extremum cōmutatiuæ iustitiæ partis ratione habet: vt ex dictis patet, quæ ex 5. Ethi. expresse habentur: ergo contractus iste non est inter Montem inquantū est totum, sed inter cōmune bonum, & Ioannem pauperem inquātum totius partem: sed est inter totū, inquantum partis rationem habet, & Ioannem pauperem vnum de populo, &c. & cōsequenter est vere contractus mutui. Admisso autē talis societatis contractu, quæ si non est, posset tamen fieri: iniustitiam omnino ibi cōmitti sic declaratur. In contractibus istis, de quibus est sermo, aut standū est infra limites cōmutatiuæ iustitiæ, aut infra limites iustitiæ distributiuæ, aut vtriusq;, aut neutrius. Si secundum iustitiæ commutatiuæ puræ formam agimus, cùm cōstet, quòd totum apud eam, vt pars reputatur, id ad quod totum tenetur, à parte exigi non potest: & consequenter quāuis societas pauperum teneatur soluere mercedem ministris, iniuste tamen ab hoc paupere exigitur: quia nō in eius fauorē fit. Et breuiter eodem modo hic cōmittur iniustitia & vsura, quo superius infra iustitiæ cōmutatiuæ terminos probauimus inueniri. Si secundum iustitiam distributiuā puram procedendū esse creditur: quoniā contractus locationis operarum non est inter ministros & singulos pauperes, sed inter ministros & societatē paupertū, vt superius dicebat: manifestus error statim patet: quoniā locatio operarum & eius merces, & similiter acceptio pecuniæ, quæ mutuata dicitur, & eius restitutio, fingi nō pōt, quin æqualitatem commutatiuæ iustitiæ requirant. Si autem vtriusque

Universidad de Deusto
Biblioteca

iustitiæ forma miscetur, secundū veritatē idem est casus iste cum eo, quem superius fm distribuiuæ iustitiæ modū disputauimus, & conclusimus iniustum esse. In hac siquidē societate distributio non alter, q̄ ibi miscetur: nisi q̄ ista opinio ponit ipsam pecuniam per modū mutui etiam distribui in vsum, &c. Sed hoc nihil pertinet ad variat casum quo ad rationē iusti vel iniusti: quia in societate ista aut omnes habentur æquales, aut non: si omnes æquales, ergo iniustē vnus plus alio grauatur onere solutionis, ad quam societas tenetur: quoniam secundū dignitatē iustū in distributionibus attenditur. Si inæqualitas inter eos pōnitur, cum non nisi ratione indigētiæ ponatur, quia plus egenti plus mutuandū statuitur, infra latitudinē tamen aliquam, puta 10. ducatorum: tunc manifestē redit iniquitas illa in distributionibus, qua plus accipiens cōmunis boni, plus cogitur sentire cōis mali: & distributio communis oneris cōmensuratur singulorum indigētiæ. Et manifestius accidit hic iniustitia, quæ in gabellis pro rebus quæ deferuntur ad vsum, inuenitur. Vtrobiq; enim iniustū ex natura rei inuenitur ex eadem causa: quia. s. supportatio cōmunis oneris commensuratur necessario vsui, vsus autem necessarius commensuratur indigentiæ, & sic de primo ad vltimū æqualitare seruata oneris cōmunis distributio indigentiæ ciuiū & pauperum cōmensuratur, quod est iniquum. Refugit enim omnis auaris, q̄ tantò quisque communibus grauetur, quantū magis propriis indiget. In hac enim societate quantò quis magis eget, vt propriis possit prouidere necessitatibus, tantò maius mutuum sumit, & diutius retinere cogitur, & tantò plus exigitur ab eo pecuniæ debitæ à societate pro seruitiis sibi impēsis: vt patet. Et ne iterum dicta repetantur, eodē est modo hic iniustitia distributiua, sicut superius eisdē rationibus. Si autē neutrius iustitiæ formā introduci oportere quis puret, sed iustitia legalē tantūm, quæ commune bonum per se respicit, & ad illud omnia dirigit, cum fraterna quadā societate erat in primis, ad fraternam societatem confugiens: qm̄ operationes hic interuenientes secundum genus suum ad iustitiam non ad amicitiam, &c. spectant, quoniam sunt operationes ad alterum cum ciuili debito æqualitatis, in quibus ratio iusti consistit. Nec fraterna voluntas omnia communia volens, hic apparet, nisi apud mentis propriæ parum compotes: qui omne voluntariū iudicant simpliciter volūtarium. Errat deinde, quia sub iustitia legali seu generali nō cadit nisi indifferentia, & quæ aliarū sunt virtutum & vitiorum. Expresse nanque in 5. Eth. habetur, q̄ omnis particularis bonitas aut malitia sub iustitia legali cadens, sua aliqua alia virtute aut vitio necesse est cōtineatur. cùm ergo constet, q̄ actus hi indifferētes non sint, & non sint omne bonum aut omne malum oportet q̄ sub alia virtute aut vitio comprehendantur. Et si huic iunxerimus supradicta, quòd scilicet spectant ad iustitiam, oportet ad commutatiuam vel distributiuam descendere, vt fecimus: secundum quas iam patet, iniustitiam euitarin capitulis huius Montis nō posse.

AD Rationes ergo, quibus probatur q̄ hic non interuenit mutuum, dicendū est, q̄ inter assumpta & casum est implicatio contradictionis, repugnat enim, q̄ sit contractus rei inter totū vt sic, & eius partem, & q̄ sit secundū æqualitatem rei ad rem. Si nanq; est secundū æqualitatem rei ad rem, ergo est iustitia cōmutatiua: ergo inter partem & partē: ergo non inter totum vt sic, & partem. Et similiter si est inter totum vt sic, & partem: ergo est secundum dignitatē partiū in toto: ergo non secundū æqualitatem rei accēptæ aut datæ, constat autem, q̄ hic seruatur æqualitas rei ad rem, dum à paupere mutuū restituitur, & tamen secundum istam opinionem inter totū vt sic, & partem tractus est implicatio igitur accidit. Est autem causa defectus in huiusmodi ratione, quia non discernitur ānter per se & per accidens. Accidit enim Monti, in quantum pecuniam reddendam tribuit pauperi, vt suis prouideat necessitatibus, quòd totum sit: hoc enim sub partis ratione facit. & ideo mutuans hic est omnino alius à mutuum sumente, si formaliter consideretur: quoniā singularium personarū quo ad hoc locū tenent. Et similiter accidit pecuniæ inquantū sic Ioanni pauperi mutuatur, q̄ communitatis, aut cōmunis societatis, aut cuiusque alterius aut nullius sit: sufficit enim, q̄ Ioannis pauperis non sit, q̄ ad eius restitutionem integrè teneatur. Accidit quoque defectus: quia inter totū & partes necessaria diuersio omittitur: huiusmodi enim totum specie à parte differt: & q̄ toti debetur, parti non debetur. Et similiter ad quod totum tenetur, pars non tenetur, loquendo semper secundum æqualitatem rei ad rem, quæ hic est: quoniam pro seruitiis societati impensis, non in fauorem huius, qui accepit mutuum vt sic: sed totius perpetuæ societatis tenetur ipsa ad mercedem reddendam miaistrēs (vt supra patuit) & restituit sic ac conseruari pecuniam vult.

¶ Accidit & tertiò defectus in hac via: quia non distinguit inter aliquid fieri in fauorem pauperi mutuum sumenti, proximè & remotè. Quod enim in fauorem communis perpetuæque societatis fit, non nisi remote fit in huius pauperis fauorem: vt ex dictis patet. Nullo igitur modo capitula huius Montis pietatis iniustitiam subterfugere possunt.

TRACT. VII.

CAP. XV.

Exclusio quorundam extraneorum dictorum concludens vltimè intentam sententiam.

PEr agratis omnibus his opinionibus, quæ aliquid ad propositū ex moralibus rationibus adduxerunt, restat primò nomināda tūtūm opinio dicens. Mōrem hunc pietatis cum suis capitulis non mutuū facere, sed merū quandam diuinam esse, & hominibus inestabilē, & propterea rationibus huiusmodi, quę humanos scrutantur actus, non omnino cōmittendum esse iudicium huius Mōtis, &c. Nos enim cum sua diuinitate veluti loquentes, in aēre relinquere oportet. Remanet deinde eis satisfaciendū, qui contractus huius Montis ab apostolica sede approbatos dicūt, aut audiūt: ac per hoc rationes sophisticas putant, etiā si soluere nesciant. Sciāt igitur hi Montē quidē pietatis ab apostolica sede approbatū, sed non illius capitula: vt exemplo literarum approbationis eōiicere potui. Appellatur autē Mons pietatis (vt in eisdem dicitur) summa illa pecuniæ piè collecta, & sub custodibus deposita, ad perpetuā releuationem pauperū, mutuo mediante. Vbi nota q̄ Mōs ipse est simpliciter approbatus & erectus ab ipso summo Pontifice. Eius autē capitula supradicta sunt approbata cum hoc adiunctio, si sacris canonibus non contraria: vnde si qua capitula sunt sacris canonibus cōtraria, approbata non sunt. Hæc autem esse ea, quæ iniustitiā cōtinent, nullus dubitat. Non sunt igitur approbata capitula illa, quæ iniusta esse superius monstratū est: propter quod si ita est, nō parui peccatū fuit, facere imprimi summi Pōt. bullas truncatas absque illa particula. si sacris canonibus non contraria. Laqueus siquidem est animarū: in quē ego incidissem, vel saltē absque suspēsione nō fuissem, nisi viua voce audissē sic haberi in originalibus, & calamo scripta particulam illam in bullæ Mantuanæ copia vidissem. Ex hac quoque eadem radice satisfit illis, qui ex priuilegiis & indulgentiis concessis à Romano Pontifice illis, qui ad Mōtis cōseruationem, aut augmētum manus porrigūt adiutrices arguūt. Iam enim patet, quod Mōs ipse sanctus est, & in ordine ad illum hæc omnia conceduntur. Annexa tamen mala ex hoc non approbantur: sed potius tolerantur ad euitationem maioris mali, quo per publicos vsurarios res pauperum vorantur.

EX Rationibus ergo propriis iustitiæ commutatiuæ, & iustitiæ distributiuæ, clarum iam esse cuilibet patet. non solum q̄ nullo prædictorum modorū iniustitiæ macula abest à capitulis Montis huius, sed etiam quod quocūq; alio modo casus formetur, iustitiæ æqualitas non seruatur. Nec oportet omnem sigillatim obiectionem excludere: quoniam ex supradictis (quæ ex Ethicis Aristotelis & doctrina S. Tho. adeò sumpta sunt, vt si sigillatim allegatio fieret, omnia plena allegationibus essent) cuilibet in moralibus exercitato facilè est omnibus satisfacere, vt omnes veritatem agnoscant, quæ à primā est veritate. Cui honor & gloria sit ex hoc opusculo. Papiæ in sancto Apollinare completo hodie, id est die 13. Iulij 1498. per infinita secula seculorum, Amen.

Tractatus Thomæ de vio Caietani sancti Xysti de Monte Pietatis finis.

TRACTATVS SEPTIMVS DE Cambiis in octo capita diuisus: ad Dominum Andream Brixiensem Brixiæ priorem.

1 *De tribus generibus cambiorum.*
2 *De opinionibus dicentium, in cambijs realibus esse mutuum.*
3 *De opinionibus dicentium, in cābijs realibus esse contractum permutationis.*
4 *De opinione singulari circa cambia.*
5 *De natura arriu campsoriæ.*
6 *Quomodo oporteat numismatum commutationes fieri ad hoc, vt rectitudo seruetur.*
7 *An talia cambia proposita sint verè cambia, & iustificata.*
8 *De alijs cambijs propositis ex parte accipientium cambia.*

CONCESSVM Mihi his diebus otium, venerande amantissimēque pater, ad edendum promissum paternitati tuæ tractatum de cambiis, inuitans post auditos campsores, pleraſque diuersorum de his opiniones, ac diutinam meditationem, ad scribēdum tandem impulit. Tanta siquidem est rei huius obscuritas & involutio, vt hinc consuetudine non absque fautoribus, & indoctoribus plurimis, modernis tamen sustentibus (antiquis siquidē proposita difficultas hæc non fuit) tacendum potius videretur. Verūm vbi plures dies lectioni meditationiq; iam dedissem, & infidelis promissionis reatus occurreret, diuina fretus ope, tria de cambiis tractanda censui. Discernenda sunt primò dubia à certis. Adducendæ sunt deinde opiniones aliorum de dubiis. Firmandū est demum quid mihi videtur de his sentiendum.

CAP

CAP. I.

De tribus generibus Cambiorum.

CAMBIORVM modi quamuis multi sint, quo ad differentiam tamen certi vel dubij, trifariam ea diuidere sufficit. Quædam siquidem sunt quorum iustitia clara est. Quædam verò, quorum iniustitia similiter aperta est. Et quædam: quæ an sint iusta, vel iniusta in dubium inter doctores vertitur.

¶ Iustificata siquidem sunt, quæ fiūt his tribus modis. Primò, quū in cambio minuto campsor moderatè lucratur secundum patriæ consuetudinem. Vocatur aūt cambium minutum, cum campsor pro aureo ducato monetam dat consuetam in patria illa expēdi, vel econuerso, aliquid minus dando, quā recipiat. Hoc enim continet naturalem æquitatem, ex eo q̄ industriæ & operæ campsoris ratio habenda est, Quum enim cæterarum artium ministros licet in commutationibus proprij laboris industriæq; mercedē componere, campsoribus, qui commutationibus numismatū deseruiunt, id quoque licere non est dubium. Propter quod non irrationabiliter id dicunt opinantes, tale lucrum campsoribus tātum licitum: ita q̄ priuatus homo si cambire debet ducatum aureum, nihil debet lucrari. Cōmutatio nanque numismatum patriæ non vagatur quo ad valorem (quemadmodam cæteræ cōmutationes) sed determinata est: puta q̄ ducatus aureus valet duodecim marcellos. Et sicut in cæteris commutationibus æqualitatem violare iniustum est, ita in commutatione numismatū. Vnde nisi vel propter mercedem seruitij, non in numerando pecuniam, vt quidam putant (quoniam cōtingit sæpe minus numerare campsorē, quàm accipientem, & actus numerandi nō est propriè mercenarius, sed solitus gratis concedi, vt vsus libri, & numerationi campsoris respondet numeratio dantis alia moneta) sed in arte cāpsoria Reipublicæ ministrando, vel propter incōmodum, quod quis incurrer et ex ablatione talis generis pecuniæ à se, vel qualitatē numisma tum (vt infra declarabitur) non licet plus in cambio minuto accipere, quam detur. Quorū nullum locum habet vniuersaliter in singularibus hominibus non campsoribus. Secundò quum campsor moderatè lucratur, ex eo q̄ Petrus habens certā summā pecuniæ Mediolani, dat eam cāpsori, qui faciat æqualem summam Romæ dari sibi vel alteri. Si enim ex hoc campsor mercedē exigit, iusta est exactio: campsor enim translatoris in hac parte locum tenet, nec est æquum, vt merces suo seruitio subtrahatur. Tertiò, quando campsor lucratur, ex eo q̄ monetam alicubi minus valentem congregatam transfert in locum, vbi plus valet. Hæc enim est negatio numismatum: ex qua primo ortum habuisse videtur ars cāpsoria, vt videtur in primo Politicorum. Et est licita, sicut cæteræ negotiationes ad augendas opes licent.

Iniusta verò absque dubio cābia illa sunt, quæ his duobus modis fiunt. Primò, cum campsor lucratur, aut lucrari intendit, ex eo q̄ Petro egenti Mediolani dat certam summam pecuniæ sub nomine cambij de Lugduno vel Londris: & tamen secundum veritatem ibidem restitutio facienda vtrinque scitur, siue fiant literæ cambij, & non præsententur, siue non fiant literæ. Interuenit siquidem hic manifestè solo nomine cambium, & secundum rem mutuum cum lucro, aut spe lucri, secundum quod diuersimodè fit.

¶ Secundò (& in idem redit) cum campsor, vt lucretur, dat Mediolani Petro egenti centum ducatos, recepturus ab ipso Petro ibidem hinc ad mensem tantum, quantum valebunt, tunc Venetiis: secundum cursum cambiorum decem libræ grossorū, quæ æquivalent cētum ducatis regulariter, sed in cursu cambiorum Venetiis quandoque excedunt, & quandoque excedūtur. Hic enim secundum veritatem est contractus mutui, Cambij nomine palliatus: & fit cum spe lucri contra illud Luc. 6. Mutuū date nihil inde sperantes. Et celebrantur communiter cum probabili cōiectura, q̄ eritibi lucrum: qui communiter solēt tunc valere plus decem libræ grossorum, quamuis quandoque, sed rarò minus valeant: & propterea est hic vsura. Nec potest excusari, nisi in casu in quo Petrus egeret illis centum ducatis, & campsor haberet in promptu verum cambiū agendum cum illis centum pro Venetiis illo modo, & ad instantiam Petri illos sibi eo pacto daret. Et hoc si contractus talis veri cambij est licitus, de quo infra erit sermo.

Dubia autem cambia, quædam sunt ex parte campsorum, quædam ex parte accipientium cambia. Ex parte quidem campsorum sunt, quæ dupliciter fiunt, aut scilicet appretiādo numisma extraneum, de quo restitutio fienda est, minus quàm valeat communiter in loco vbi debet fieri restitutio: aut appretiādo numisma proprium quod datur, magis quàm valeat cōmuniter in loco, vbi restitutio debet fieri: ad hos enim duos modos, qui valde propinqui sunt: & in idem redeunt: omnia cambia sicca reducuntur pro quibuscunque locis fiāt. Ad primū enim modū spectat cambium Lugduni, in quo Petro indigenti marca auri, quæ communiter valet ibi 60. scutos, campsor Mediolani dat 60. scutos, non secundū valorem scuti Lugduni, sed ibi communiter valeat scutus 30. grossos, appretiatur hic 28. & sic dat sibi tātam summam pecuniæ, quæ ascendat ad 60. scutos ad rationem 28. grossorum pro scuto.

¶ Ad secundū verò modū spectat cambium tam Lōdrense, quàm Burgense, in quo Petro egenti Ianuæ dat campsor Ianuæ 1000. ducatos, non secundū valorem ducati currentē Brugis aut Londres, sed cùm ibi valeat ducatus 50. grossos, appretiatur Ianuę 52. ita q̄ pro quolibet ducato tenetur accipiens cambium restituere Brugis, vel Londres 52. grossos. Cætera autem cābia ex parte cāpsorum similia sunt. Nec fiat vis si in istis exemplis vera quātitas monetarum non recitatur: quoniam exempla ponimus, vt addi-scentes intelligant. Auger autem cambiorū prædictorū ambiguitatem in certa temporis ratio: fatentur enim campsores, q̄ quantò tempus restitutionis est distantius, tantò minus appretiatur moneta in primo modo, & tantò magis in secundo modo.

¶ Ex parte autē accipientiū cambia, sex modis variantur cābia secundū differentiam eiusdem, vel diuersæ monetæ, & differentiam certi vel dubij, aut accidentis lucri: hæc enim videntur aliquā per se differentiā in cābiis facere, Contingit primo modo, q̄ Petrus dat Mediolani cāpsori centū ducatos Florentinos aureos, & vult totidē florētinos Florētiæ. Cōtingit secundò, q̄ Petrus pro dictis ducatis vult Florētiæ monetā argenteā: puta grossos Florētinos, sed tot quod æquiualeant Florentiæ ducatis 100. florētinis aureis. Contingit tertiò, q̄ Petrus pro dictis ducatis vult bonam monetā auream, vel argenteam Florentiæ, secundum q̄ tēpore solutionis (puta in nundinis) cambia valebunt Florentiæ. Et quolibet horū contingit dupliciter fieri, scilicet simpliciter, vel propositum est: & cum adiuncto aliquo certo lucro, ita, s. q̄ Petrus vult non solum prædictos 100. ducatos Florentiæ modo dicto, sed vltra hoc vult sibi dari quatuor alios ducatos. Et quoniam de his non principalis est quæstio, sed de illis quæ se tenēt ex parte cāpsoris communiter ideo de illis erit sermo diffusus, de istis autem in fine tract. dicetur. Et ne nugatio, aut æquiuocatio accidat legentibus, vocētur in sequentibus cambia nunc discutienda, cambia realia: quāuis à multis cambia sicca, aut per literas nuncupentur.

CAP. II.

De opinionibus dicentium in cambijs realibus esse mutuum.

QVONIAM Autem secundum diuersa præsupposita diuersimodè inueniuntur doctores locuti de huiusmodi cambiis, & ex aliis principiis procedunt suppo nentes huiusmodi cambia mutui contractū, sapere, & ex aliis procedunt negantes hic mutuum interue nire: ideo sigillatim discutiendæ sunt singulorum rationes.

¶ Vnde eorū occurrit primò opiniones, qui asserūt aut suscipiūt contractus cambiorū realiū secundum veritatem esse contractus mutui, licet cābia vocētur. Sunt aūt contrariæ horum opiniones: dum quidā dicūt talia cābia esse iniusta & vsuraria, quidam verò q̄ sunt licita. Et illi quidem, qui asserunt vsuraria, licet multis rationibus moueantur, hoc tamē habent pro fundamēto: quia vsurariū est mutuare sub spe & pacto verisimilis lucri, vt patet: constat autem omnes cāpsores spe lucrandi hæc cambia exercere: & ideo pacta supradicta adiicere, vt verisimiliter lucrū euenire possit, quamuis non semper eueniat, vt ipsimet fatentur. Vsurariū est igitur hæc cambia facere. Quòd aūt verè supponatur hic esse mutuum, probāt ex eo, q̄ contractus iste dat pecuniam, quæ est inuē dibilis cum translatione Dominij, & recipit pecuniam: has autem esse constat conditiones ad mutui contractum sufficientes: munitúrque opinio hæc authoritate Gof. & Host. in summa de vsuris: & Archiepiscopi Floren. in 2. & 3. parte Summæ, vbi etiā dicit multos viros doctos & timoratos fuisse huius opinionis.

¶ Acceptantes aūt mutuum hic esse, & tamen absque vsura cābia fieri, fundātur super ratione interesse, & operarum locatarum. Et quo ad interesse quidē: quia etiā in contractu mutui licet seruare se indēnem: constat aūt, q̄ mutuans Ianuæ 100. ducatos aureos, damnū incurreret si Brugis restituūtur sibi totidem aurei, vel eis æquiualēs ibi præcisè. Tū quia plus daret, quā reciperet: ex eo q̄ ducatus aureus plus valet Ianuæ, quàm Brugis. Tū quia oportet ipsum subire expensas delatorū pecuniæ, vt Ianuæ rehabeat, vbi cōtractus mutui celebratus est: ergo licitū est æstimare ducatum aliquid plus, vt mutuās nullū damnū incurrat: & hoc, in istis cambiis accidit. Quo ad locatas verò operas: quia quū nullus debeat propriis stipendiis militare, & campsor & ministri publicæ vtilitati deseruiant in opere licito in mutuis faciendis prædictis, consequens est q̄ propriam mercedem reportare debent: quemadmodum ministri Montis pietatis. Et quia industriæ accedentis operi licito, ratio est habēdæ, aliquid etiam mercedis ei dari debet: quo fit, vt omnibus pensatis talis exercescentia sit licita.

SED reuera neutra harum opinionum veritatem assequitur. Prima enim fundamentū ruit: quoniam (vt infrà patebit) hic non est contractus mutui. Secunda autem & falsum assumit, & consequenter non loquitur. Falsum quidem assumit, dum dicit in his cambiis illud plus sumi, vt videtur interesse: hoc enim campsores testantur esse falsum, & dicunt q̄ non vt damnum euitent, sed vt lucrētur huiusmodi cambiis insistūt: & quòd si accipientes cambia

Bia obligárent se ad restituendū precisè quantū accipiunt in loco vbi accipiūt, ipsi nō mutuarent, quia lucri causa artem hanc exercent. Et ex hoc patet, ꝙ nec pro interesse stipēdij ministrorū plus sumitur. Si enim cāpsores ex cābiis nihil aliud quærerent, quàm se seruare indēnes, cambia non aggrederentur, sed pecunias suas secū tenerent, aut aliter exponeret, vt ipsimet testātur. Consequēter aūt non loqūtur: quoniā nō est licitum artē mutuatiuā in ciuitatibus exigere & ministros statuere, & laborū industriarū; ratione habita, inde etiam sustentatoriumluerum quærere: quoniam hoc esset vsurariā artē facere moderatā, vt patet. Ministris autem Montis pietatis quomodo & qualiter liceat mercedē reddi, & à quibus oporteat reddi in tractatu speciali de hoc diffusè diximus. Hic autem satis sit nosse, & ꝙ nō est simile: quia in cambiis intenditur lucrum, & ꝙ experientia teste non licet artē facere mutuātiuam, vt operarum periculorum, & industriæ rationē habendo, plus forte recipiatur, vnde ipse cū familia sustentetur: sicut in artibus & negotiationibus licet. Est igitur vsura in his cābiis, si cōtractum mutui implicant. Propter ꝙ Goff. & Host. sub mutui nomine casum tractantes (cum scilicet mutuatur, vt restituatur alterius generis moneta cum spe lucri) vsuram esse dixerunt.

CAPVT III.

De opinionibus dicentium in cābijs realibus esse contractum permutationis.

EMERSIT ergò propter prædicta fortè aliorū opinio, dicentiū in his cābiis non esse contractū mutui, sed innominatum, scilicet do vt des: vel si nominari debet esse cōtractum permutationis. Et horū contrariæ quoque sunt opiniones, aliis asserentibus hæc cābia licita, & aliis illicita. Et illi quidē, qui dicunt esse licita, studiū suum adhibent, nō tam ad probandā eorū iustificationem, quam eorū naturā extra mutui rationē esse. Et quamuis multiplicēt rationes, ex tribus tamen conditionibus separant cambia hæc à mutuis. Primò ex periculo. Mutui enim natura periculū mutuatæ sortis in accipientem mutuū transfert: cambium verò reale, damni periculum campsori relinquit, si minus fortè contingat accipere: vt qñque (licet rarò) cōtingit. Secūdò, ex diuersitate rei restitudę & loci: nā mutui ratio exigit, vt ejusdē generis & bonitatis res restituatur, & ibidem. Nec sufficit reddere æquivalens: aurum enim pro auro & triticum pro tritico restituendum est, & adducitur ad hoc textus iuris ciuilis. ff. de sol. l. Paulus. In cambiis autem realibus fit permutatio monetarum diuersorum generum & in diuersis locis. Tertiò ex modo contractus: quia in cambiis realibus est venditio vel contractus similis venditioni, dum ducatus venditur 52. grossis Flandrensibus: & æstimatur vna moneta cum alia ꝙ licere patet extra, de censi. cap. olim causam. & cap. cum canonicis, in mutuo autem nihil horum fit. Quum igitur contractus mutui non sit, sed permutationis & negotiatiuus, pro licito relinquitur, spes enim lucri in his non damnatur, & industriæ laborum, & periculorum, expensarúmque ratio habenda est.

¶ Dicentes verò cambia hæc nullo modo licere, & tamē mutuum non implicare, quāuis non inuenerim: ex dictis tamen ab his, qui absolutè cambia hæc damnāt: aut dubitant illicita esse, triplex ratio colligitur. Prima ex eo, ꝙ cambia hæc in fraudem vsurarū introducta videntur, cum permutationem monetarū campsor non intendat, sed necessitatibus indigentis nolens gratis mutuare, nomine permutationis monetæ mutuum palliat, vt lucretur: præsertim cū plerunque contingat in eadem fieri moneta restitutiones, & hoc in cambiis infra Italiam: & periculum, quod rarò accidit, ponderandum non sit in commutationibus, quæ regulandæ sunt secundum communiter euenientia. Secundò, ex eo, ꝙ ratio temporis in contractu emptionis & venditionis haberi non potest, in huiusmodi autem cambiis, vt patet in casu posito, quanto distantius est solutionis tēpus, tanto plus sibi solui pacisci tur campsor. Tertiò, quia etiam in contractu venditionis, vendere plus quàm nunc aut hic valet, non est licitum, nisi vendens intendebat vsque ad tempus illud seruare, vt in cap. nauiganti. extrà, de vsuris. aut intendebat ad illum locum deferre: vt dicit Rayn. Inuo. & Ioan. And. & Ioan. Calder. campsores autem non intendunt seruare, aut transferre pecuniam: sed paratam ad huiusmodi cambia tenent. Quid autem de his sentiendum sit, in decisione manifestum erit. Nunc autem ad aliam properandum est opinionem.

CAPVT IIII.

De opinione singulari circa cambia.

POST prædictas opiniones egregij cuiusdā doctoris in Theologia opinio singularis occurrit: tenens huiusmodi cambia esse licita, & tria singulariter dicēs.

Primum est, ꝙ contractus ille, quem innominatū vocant, nomen habet: quoniam vt S. Thom. dicit in Secunda secundæ, q. 77. negotiatio tripliciter fit, aut commutando res pro rebus, vt vinum pro tritico, aut res pro pecunia, aut pecunia pro pecunia. Et quum primus contractus vocetur vulgo baratto, secundus vocetur venditio, &c. & tertius cambium, ita quòd cambium est permutatio pecuniæ pro pecunia.

¶ Secundum est, quòdin cambiis non consideratur pecunia, vt pecunia, seu vt mensura est, sed vt res quædā est. Constat enim secundū oēs vtroque modo posse accipi pecuniam, vt patet de locātibus pecuniam ad ostentationem. Et ꝙ campsores pecuniam vt rem consideret, ex S. Tho. autoritate probatur in secundo de regi. prin. dicentis, ꝙ numisma potest accipi, & vt mensura, & vt quædā res est: & hoc modo vtūtur eo campsores. Fabricátque super hoc fundamento doctor ille vendibilem esse pecuniā à campsoribus, vt pote rem quandam, & eius pretia variari sicut aliarum rerum, iuxta temporum locorúmque diuersitates, &c.

¶ Tertium est singularissimū, ꝙ licitum est campsoribus plus accipere, quando tempus solutionis distantius est. Distinguit siquidem accipere plus ratione temporis dilati dupliciter vno modo, ꝙ sola temporis dilatio excessum pretij operetur, & hoc dicit esse vsurariū. Alio modo, ꝙ res in dilato tempore considerata pretiū augeat in cōmutationibus: & hoc dicit esse licitum. Et dat exemplum in emptionibus rerum in futuro assignandarū. Si quis enim hyeme emit lanas assignandas sibi in vere, minus quā valeant in hyeme, eo quòd lanæ tempore veris creduntur minus valituræ, iste emit: eo ꝙ res in tempore illo summum pretium minuit. Si autē minus emeret, quia nunc anticipat solutionē, vsuram committeret: quia propter solam tēporis morā pretiū variātur. Subdítque, campsores non plus accipere ratione dilati temporis, sed ratione rei in dilato tempore cōsideratæ. Quoniam verbi gratia, marcha auri soluēda in nundinis Ianuarij, nō ideo minus emitur à campsoribus Mediolani mēse Octobri, quā Nouembri, quia longius distat secundū tempus: sed quia marcha illa cōsiderata in tali tēpore, minus æstimatur communiter à negotiatoribus & magis in tēpore proximiori. Et meritò, vt dicit: quia cum negotiatoris finis sit cōmutando lucrari, nec ideo emat, vt empta habeat, sed vt iterum cōmutet cum lucro: licitū est sibi considerare quanto tēpore pecuniam occupatā in re empta tenere oporteat, cariusenim emitur quod citò distrahitur, quàm quod longo oportet tempore retinere, ne pecuniæ mortuæ teneantur. Signum autem, quod cāpso res nō rationem temporis dilati, sed rei in tempore habeant, est ꝙ non semper secundum tēporis approximationē pretium crescit: sed quandoque instantibus nundinis contingit pretium minui, adeo vt minus vendatur tunc marcha auri in proximo assignanda quàm fuerit vendita tribus mensibus antè.

Sed hæc opinio (cum bona venia) multipliciter à veritate deficit, quāuis bono zelo ad veritatem accedere conetur. Primum in primis dictum secundo non consonat: quoniam nomina formaliter sumpta intelligi oportet, vt 4. Met. tradit Arist. alioquin periret certitudo à locutione: quoniam extra formale significatū infinita sunt, vt ibidem dicitur. Vnde si in cambiis pecunia cōsideratur vt res, non vt pecunia, vt dicit contractus iste, non debet permutatiuus pecuniarum vocari: nec debet in tertio loco contractuum à S. Tho. dictorum reponi, sed primo.

¶ Secundum deinde dictū verū non sonat, & S. Tho. verba malè interpretari videtur. Verba siquidē eius in secūdo de Reg. prin. c. 14. sunt ista: Numisma quāuis sit mēsura & instrumentū in permutationibus, tamē per se aliquid esse potest: puta si confletur, erit aliquid. videlicet aurum vel argentum: ergo semper nō ordinatur ad permutationes. Et hoc etiam habet veritatē in aliis speciebus pecuniarum: imò amplius, vt in campsoria, quæ nō propriè ordinatur, vt sit mensura rerum venalium: sed magis ad permutationem numismatis. Ex quibus verbis non habetur, quod pecunia consideretur à campsoribus, nō vt mēsura, sed vt res: sed habetur, quòd pecunia non vtuntur campsores vsu primario propter quem est inuenta, scilicet vt mensura seu pretium sit rerum venalium: sed vsu secundario, ad quem est transłata, inquantum tamen pecunia, scilicet vt permutetur cum alia pecunia: vterque siquidem vsus conuenit pecuniæ per se: & secundus campsoribus conuenit: vt infrà patebit ex primo Politicorum.

¶ Quid autem de tertio dicto sentiēdum sit, in decisione dicetur. Hæc igitur sunt quæ hactenus de cambiis dicta sunt.

CAPVT V.

De natura artis campsoriæ.

VT Autem natura cambiorum vniuersaliter & faciliter percipi possit, tali ordine procedēdum credimus, vt scilicet primò de ipsa arte campsoria dicatur, & quid sit, & quàm licita sit: deinde de cōditionibus requisitis ad eius actus rectitudinē tractetur: & demū ad cambia prædicta descendēdo videatur, an artis sint cāpsoriæ, & quid in eis licitum, aut illicitum est, ꝓbiectiones factas soluendo. Sic enim de huiusmodi cābiis sermone cōpleto, ad alia propositā procedi libere poterit. Principium aūt ad declarandam cāpsoriam, oportet sumere ex primo Politicorū, eius vestigia sequēdo.

¶ Sciendū igitur inde est, quòd rei vsus per se est duplex: scilicet proprius & communis: seu primarius & secundarius. Est autem proprius cuiusq;, siue naturalis siue artificialis rei vsus ille, ad quē ex ipsa rei natura primò ordinatur, vt vestis ad vestitum, panis ad esum, vinum ad potum, &c. Communis autem siue secundarius est, quo res in quantum talis, alteri tamen à primo fine applicatur, vt commutatio respectu calcei aut tritici, & aliorum huiusmodi. Calceus enim cùm venditur, inquantū calceus consideratur: non enim pro simplici pelle venditur: non tamen propter venditionem est calceus, sed propter calceationē: & sic de aliis. Quemadmodū ergo cæterorum, sic & numismatis duplex est vsus: vt ibidem dicitur. Primus est cōmutatio pro rebus venalibus necessariis, scilicet ad vitā humanam, scilicet tritico, panno, aromatibus: &c. propter huiusmodi enim cōmutationes numisma inuentū esse constat, dum ea quæ vni patriæ desunt, aliunde haberi non possent, nisi datis pro eis æquiualentibus: & multū incommodi esset, res semper trāsferre æquales (ob hoc enim aurū, argentū, æs, & quicquid huiusmodi est facilè portatile & vtile statuerunt cōmutādis rebus adæquatum iri) & propterea numisma dicitur mensura rerum venalium. Refertur enim ad naturalia, ad vsum necessaria, vt mensura ad mensurata: propter quod charactere insignitū est, in testimonium qualitatis & ponderis: sicut & cæteris mensuris publicis consueuit signū imprimi, testans earum iustificationem. Secundus autem numismatis vsus est cōmutatio pro alio numisma te, vt ducati aurei pro carlinis. Non enim propter hoc factum est: & tamen hāc cōmutationem subit, non inquantum aurū aut æs absolutè, sed inquantum numisma, vt cōtinua experientia docet. Orta autem videtur hæc cōmutatio ex ina qualitate numismatū, dum vel ad supplendam rei naturalis æqualitatem, ad numisma maius paruula numismata addebantur, vel habenti maius minora erant commodiora, aut econuerso. Lucrum autē ex numismatum cōmutatione primo quidem, vt Philosophus quidem dicit: casu euenisse videtur, dum acidit aliquid puta aureum numima, plus alicubi æstimari, sicq; pro illo plura æra dari ibi, quàm dētur ibi, vnde ductum fuit. Humana deinde industria artificiosè circa huiusmodi numismatum commutationes lucri vias cōposuit: sicq; ars campsoria contexta est. Vnde nihil campsoria est, quàm negotiatio in commutatione numismatum: materia siquidem & actus & finis eius sufficienter in hoc explicantur, vt patet.

¶ Quamuis autē à Philosopho campsoria vituperetur, & ratione materiæ: quia tantū numismata tractat, à proprio numismatis vsu diuertens, & ratione finis: quia lucri gratia, quod fine caret, & virtiusque simul: quia pecunię, vt instrumenta œconomicę & politicæ, habendæ quærendæque sunt non propter se, sicut nec quodcunq; aliud organū per se appetitur. Si tñ ex hominis campsoris fine honesterur (vt pote ad familię, & status sui decentem sustentationem ordinata) licita est, quēadmodum & alię, negotiationes. Potest enim id quod solitarię consideratū, cōsonum non videtur ex adiūcto fine honestū reddi: vt patet de hominis occisione, quę absolutè repellenda est: si tamen addatur propter iustitiā, &c. prę cipienda est: sicut è cōuerso ars ex se honestissimum finē habens, vt medicina sanitatē vituperabilis ex fine medicantiū reddi pōt, dum lucri causa medentur. Quū ergo experientia teste pateat, ꝙ multa necessaria ciuitatibus plurimis deessent, nisi mercatores essent: & ipsi non cōmodè possint absque cambiis negotia sua exercere, necessariū & honestū est cāpsoriam in ciuitatibus esse: non quatenus purè cāpsoria est, sed quatenus œconomicæ politicęq; ministra est, vt ex dictis patet. Et hic cāpsores nedum possunt seruare sē indemnes, sed etiam lucrari, & industrię rationem habere, quum negotiationi licitæ & vtili Reipublicæ illam aponant.

CAPVT VI.

Quomodo ꝙ creat nom sinatum commutationes fiēri, vt rectitudo seruetur.

NON solùm autem oportet declarare quidrectitudo cambiorū in communi exigit, sed in speciali quomodo in hoc, vel illo modo rectitudo seruāda sit, dicēdum est: omissis tamē singularibus, quæ scientificatæ determinationi nō subsunt. Quū ergo cāpsoria circa cōmutationem numismatū versetur, necesse est iustitiæ commutatiuæ canones in ea seruari, sicut & in cæteris cōmutationibus.

¶ Ex quinto verò Ethi. patet ꝙ vniuersalis regula commutationū est, vt seruetur æqualitas rei ad rem: vt, scilicet æquale sit datū accepto & econuerso: vnde si cōmutatio numismatum iusta esse debet, æqualis valoris oportet esse cōmutanda numismata. Et quoniam hoc pluribus modis cōtingit seruari, secundū differentiam numismatū, & locorum & temporū, ideo potest æqualitate salua lucrum prouenire cāpsoribus. Quod quomodo contingat, videri potest, si prædictas differētias seruatas fuerimus. Numisma igitur cùm ibique duplex esse cōsueuerit, scilicet in expendibile ibidem, & non expendibile ibidem, contingit dupliciter cambium fieri. Aut dando numisma expēdibile, pro non expendibili, aut pro expendibili. Et vtrunq; horum contingit dupliciter, aut dando numisma melius cōmodius, & magis amatum communiter, pro minus bono, cōmodo & amato, vt aureum pro argenteo vili, vel æreo, &c. aut econuerso. Et quodliber rursus horum potest fieri pro eodem vel alio loco, & similiter pro eodem vel alio tempore.

¶ Et quia simplicia priora, & certiora cōpositis sunt, à primis incheandum est, nulla locorū aut temporum diuersitate admixta: sed in sola talium numismatum commutatione sistendo. Si igitur cōmutandum est vnum numisma expendibile cum alio expendibili, quantū est ex parte cōmutationis oportet numismata commutanda æqualis valoris esse: quoniā vtrunq; lege aut consuetudine certū habet pretium. Nec saluaretur in cōmutatione æqualitas, si ex aliqua parte excessus esset. Cōtingit tñ ex parte æqualitatis numismatum in se vel in ordine ad campsorem, ꝙ sit hæc cōmutatio iusta, numisma minoris pretij absolutè dando. Ex hoc est quando cāpsor dat bonam monetam pro mala non falsa, aut defectiua: vt ducatos aureos pro argenteis, quę vix argenti nomē merentur. Tunc enim licet campsor det minus in aurea pecunia quàm accipiens det in illa moneta: æqualitas tamen seruatur ex eo, ꝙ centum ducati in moneta sic bona & portatili, æquiualent cētū & duobus. Verbi gratia, in moneta tā vili, vt patet, si constanda essent numismata, & ex vtilitate, quę pōt ex illis percipi in faciēdo ex eis vasa, & ex vtilitate expensionis secundū locum & tempus: bona enim numismata quāuis antiqua aut extranea, libēter acceptantur: & ex periculo quoniam malæ monetæ, vt pote exosę facilè possunt à principibus inexpendibiles reddi, & de facto in prouinciis benè ordinatis & non orbatis redduntur. Nec obstat determinatio valoris monetarū per legē: quoniā illa respicit numisma, quòd ad per se primū vsum eius, qui est cōmutatio pro venalibus. Lege siquidē vel consuetudine statuitur, ꝙ aureus ducatus & nonaginta solidi in cōmutationibus œconomicis & politicis æquipaleant: in quibus pecunię pro rebus cōmutantur. Cōmutatio autem numismatum, arbitrio sapientum iuxta corū qualitatem, aut abundantiam, &c. dimittitur: vt experientia testatur. Similiter quoque seruatur æqualitas, si quis cōmutans numismata minus dat pro eo ꝙ dāda à se numismata cōmodiora fibi erāt: sicut etiam licet vendere rem carius, quàm absolutè valeat, ex eo ꝙ vendenti cōmodior est. Vnde habens ducatum aureum, si à volēte cōmutare paruam monetam pro illo, solidum vnum exigat, quia ille sibi cōmodior, non peccat. Quitamē non vult absque lucro cōmutare ducatos Ianuenses pro aliis ducatis æquè pretiosis, & sibi commodis, quia petenti cōmutationem cōmodiores sunt Ianuenses ad deaurāda sua vasa, peccare videtur, eo ꝙ vendit alterius commodum. Et quia in istis non ex campsorum expensis aliquid plus accipitur, sed aliūde (vt patet) ideo cuilibet ex istis cautis licet in huiusmodi cambiis minus pecuniæ dare, quàm accipere. Campsori autem vltra hæc, licitum est in cambio minuto (etiā si meliorem & cōmodiorem, quàm det accipiat) aliquid plus accipere propter expensas, &c. vt superius dictum est.

¶ Si autem fiat cōmutatio numismatis expēdibilis pro non expendibili, notabile potest inde lucrum prouenire: ex eo quod non solum haberi pōt ratio materiæ & cōmodi, sed etiam extraneitatis: qua fit, vt tales pecuniæ in tali cōmutatione multum à numismatis rōne declinātes, quasi vt res quædā cōmutentur. Duplici enim existente pretio numismatis (scilicet inquantum est talis res, puta aurū, & inquantum numisma) & secundo excedente primum, ex hoc ꝙ aliqua pecunia alicubi inexpēdibilis est numismatis ptiū ibi perdit, magisque vt res quædam commutanda venit: quam tāmen campsor in locis, vbi numismatis pretium obtinet, procurās habere ipsam commutando, multum lucrari potest. Et quoniam pretia rerum prudentis arbitrio relinquuntur, erit in hac cōmutatione æqualitas seruanda, pensata quantitate extraneitatis, & aliis conditionibus vt sapiens determinabit.

Loci autē differentia tripliciter potest omnibus prędictis commutationibus admisceri. Campsore enim existente & dante suas pecunias Mediolani, & recipiente alias alibi, aut contractus commutationis fit pro Mediolano aut pro alio loco, vbi accipiens cambium habet pecunias (pura Lugduno) aut pro vtroque simul.

¶ Si cōtractus sit primo modo, i. Mediolani & pro Mediolano, tūc cum accipiens cambium ex vi talis cōtractus teneatur Mediolani dare pecunias, quas cōmutat, nulla diuersitatis locorum rō habēda est, sed tanqua cābium manuale agendū est, eorum, quæ supra dicta sunt, rōnem habendo. Ex eo tñ ꝙ accipiens cambium vult se liberare ab obligatione, & onere & periculo deuehendæ pecuniæ ex loco vbi habet, Mediolanū, & cāpsor vult hæc subire, licitū est mercedē exigere. Sed hoc potius ad cōtractus locationis, & cōductionis spectat, quā cābij, & ideo iuxta eorū canones reguletur, si accidat. Quod tamen raro credo euenire. Si verò contractus sit secundo modo, i. Mediolani quidem, sed pro Lugduno, tunc nulla Mediolani ratio habenda est: sicut nec in cōtractu emptionis, quo absentes merces pro loco, in quo sunt emuntur. Oportet enim loci sicut & temporis pro quo contractus fit, rationem habere, non in quo fit, si pro alio loco aut tempore tantū contractus sit, vt nūc proponitur. Et hoc siue certificetur Mediolani commutatio coniectando verisimile pretium loci, pro quo fit. Et quāuis talis modus cābij nunquā forte fiat: fieri tñ posset hoc modo, ꝙ Petro habenti Venetiis Venetam monetā, & egenti Mediolani centū ducatis, campsor Mediol. det 100. ducatos aureos recepturus de illa

Universidad de Deusto
Biblioteca

moneta Venetiis rantum, quantum Venetiis pro illis cõmutatur in cambio manuali, & non in cursu cambiorum quæ fiunt pro locis distantibus: Sicut etiam triticum existens in villa emitur ab his qui sunt in ciuitate tanti, quanti venditur in villa, vbi assignatur, & non quanti venditur assignandum Mediolani.

¶ Si autẽ cõtractus fiat tertio modo (vt cõmuniter accidit, s. Mediolani pro Mediolano & Lugduno simul) tũc vtriusq; loci simul, ac per hoc distãtię eorũ periculorũ expensarũmq; intercedẽtium adhibẽda est ratio: sicut & in cõtractu emptionis. Cõstat enim ꝙ aromata Alexãdriæ, assignãda Ianuæ empta atq; soluta vt Ianuã deuehãtur, lõgè minus valẽt, q̃ si manualiter Ianuę assignarẽtur: quia res ẽoducenda à tãta distãtia, cũm tot periculis & expensis, &c. lõgè minor est Ianuẽsibus seipsa cõducta, & tot periculis expẽsis q; libera. Et hoc modo in cõtractu cõmutationis numismatũ ꝓ locis diuersis celebrato, numismata ipsa sic expẽdit & oportet adæquare: vt loci conditiones in ordine ad aliũ locum ex vna parte cõputentur. Sicq; fiet, vt si centũ ducatis aureis Mediolani, trecẽti argẽtei Lugdunẽses ad æquarẽtur, Lugduni assignati ducẽti & nonaginta fortè adæquãtur, cõcurrẽtibus etiã aliis supradictis rationibus: & fortè pauciores. Viliora siquidẽ sunt cõducẽda cũ periculis & expẽsis, q̃ manualiter habita. Nec obstat ꝙ cãpsor Mediolanẽsis habet fratrẽ, aut factorẽ Lugduni, aut omnino erat Lugduni tãtã summã pecunię expẽsurus pro aliis suis negotiis, hęc emẽ oia ꝙ accidẽs se habẽt ad cõtractus naturã, in cuius æqualitate iustitia cõsistit. Quid enim ad cõtractus cõmutatiuos in quibus æqualitatẽ rei ad rem fieri oportet, si ex industria mea, aut casu ego affines habeo in diuersis locis, aut ministros ferẽ gratis inuenio, & exinde viarũ ministrorũq; expẽsas lucrãs dies 8o, dum modo rerum cõditionibus pensatis æqua fiat commutatio?

DE Temporis autẽ differentia, bimẽbris tantũ distinctio cõsideranda est, s. præsentis tantũ, aut futuri tantũ, vtriusque enim simul ratio habita nullã iustam diuersitatẽ pretij in cõmutationibus facit, vt infra patebit. Potest ergo in cõmutatione numismatũ iuxta tẽpus cõtractus æqualitas sumi. Et hoc siue fiat manualẽ cãbium, siue nõ, & siue in eodẽ loco sit æquivalẽs reddendũ siue alibi, locorũ tñ ratione habita. Vñ ꝓt cãpsor dãs aureos & recepturus aliã monetã vel econuerso, certificare quantitatẽ reddendæ pecuniæ, ae si tunc manualis cõmutatio fieret. Potest & futuri tẽporis: quo scilicet assignatio reddẽdæ pecuniæ erit, rationẽ habere. Et hoc dupliciter: aut incertè commutationẽ relinquendo: fit. s. ꝓ cẽtum aureis nunc datis teneat accipiens post duos mẽses dare tot argenteos, quot post illos duos menses æquialebũt centum aureis, aut certificãdo commutationẽ, vt scilicet habito respectu ad futuras cõmutationes post duos mẽses stabiliatur nũc cõmutatio cõmensurata illis, ita ꝙ parũ plus aut parũ minus verisimiliter credatur cõmutanda esse talia numismata. Vt si creditur ꝙ hinc ad duos mẽses, cũ assignãda erit pecunia ab accipiente cãbium 100. aureis æquivalebũt 1000. argẽtei. vel 1000. & 20. potest ex nũc certificari cõmutatio ꝙ ꝓ centũ aureis datis teneatur accipiẽs assignare tunc 1000. & 10. argenteos, siue plus siue minus, tunc cõtingat cõiter assignari. Patẽt aũt hæc ex aliis cõmutationibus, vt in cõtractu emptionis rei assignãdæ futuro tempore manifestũ est: & habetur expressè extrã, de vsuris. cap. nauigãti. in secundo casu: in ista enim cõmutatione numismatum tempus assignandi numismatis attenditur. Nec aliquid plus aut minus sumi diximus, ex eo quòd prius campsor sua numismata dat.

¶ Vtriusq; aũt tẽporis simul differentia nullã diuersitatẽ videt in quibuscunq; cõmutationibus facere, sicut vtriusq; loci, q̃m res in tẽpore futuro dãda nõ est deterioris cõditionis ex hoc, ꝙ absens à præsenti, & reducẽda ad præsens, sicut res in loco distãti ex hoc ꝙ reducenda ad locũ præsentẽ. Nec subiacet periculis, ꝙ expensis, industriæ aut ministris, vt ad præsens secundũ tempus fiat, sicut secundum locũ. Nisi quis dicat, ꝙ subiacet periculo pditionis, quia põt mori debitor, aut interim pauper effici, &c. Sed hæc pericula, ꝓ nihilo in cõmutabilibus reputari patet tum ex eo ꝙ aut tam rara sunt, ꝙ cõsilio non subsunt (vt de statu sanitatis deici dione dicitur intra tã breue tẽpus) aut talia sunt ꝙ etiam si acciderent adhuc tuti essent creditores: vt de morte, & huiusmodi patet. Tũ quia ex mutuis & aliis cõmutationibus expersẽtia teste patet, hmõi pericula nõ cõsiderãda esse: nõ enim qui mutuat, aut vẽdit licitè aliquid, plus exigit ꝓpter hmõi pericula quæ in tẽporis dilatione possunt accidere vẽdendo ad tẽpus, aut mutuando. Et quia breuitas & prolixitas tẽporis differẽtiæ sunt temporalis distãtiæ, cõsequẽs est ꝙ nec in cãbiis nec in aliis cõmutationibus ex quãtitate temporis aliqua cõditio rei cõmutãdæ accedat ꝓ se ex qua possit vilior aut pretiosior iustè æstimari. Notãter aũt dico per se qm̃ per accidens cõtingit res æqualis bonitatis eodẽ tẽpore assignãda diuersa notabiliter habere ptia & iustè, vt si triticũ assignandũ forte mẽse Julij, Ianuario pcedẽte emaꝛ iuxta æstimationẽ cõem pretij assignationis tẽporis futuri, & deinde mẽse Martij subitis exortis bellis credaꝛ multò plus vẽdendũ, fiet aliud pretiũ ꝓ eodẽ tẽpore ab aliis emẽtibus: & si in mẽse Maij cõtingat bella augeri, aut spicas grãdinibus perẽuri. &c. augebitur pretiũ pro illo met tẽpore. Sed hoc nõ operatur tẽporis prolixitas aut breuitas: sed euẽtus incidẽtes, ex quibus res æstimaꝛ vilior aut ptiosior, vt de se patet. Vnde singularis illa opinio, dicẽs in cõmutationibus ꝓlixitatis tpis rationẽ haberi posse nõ rõne tẽporis: sed quia res in tpe prolixore cõsiderata minus valet, &c. à veritate deuiat in hoc q̃m res nec ex eo ꝙ in tpe nec ex eo ꝙ in tãto tẽpore sumptã cõmutatur, æstimatur vilior aut pretiosior, sed ex tali euẽtu in tẽpore, puta bello, penuria aut abũdantia, &c. Ex hoc verò ꝙ pecuniæ diutius occupatæ sunt tenendæ in hac cõmutatione, res commutãda nec pretiosior nec vilior cõmuni pretiò redditur: vt S. Tho. expresse dicit in Secũda secundæ. q. 78. ar. 2. ad primũ, asserẽs ꝙ mercator vendens rẽ aliquã ad tempus, nõ potest vendere plus cõi pretio ex hoc, ꝙ pecunias suas mortuas tãto tẽpore tenebit. Et si hoc licitũ diceretur iam vsura nõ esset dãnata in venditione ad tẽpus. &c. Quod aũt merces carius emantur quã citius cõmutandę sunt, proposito nõ obstat: q̃n celerior venalitas æstimata, à maiori vsu aut necessitate illius rei ꝓcedit. Res autem quãto magis necessaria aut vsitata alicubi, tantò ibi est pretiosior, & ideo merito ibi carius à primo vẽditor, & à me mercatore emitur reuendenda. in rem igit cõmutãdam redundantẽ cõditionem aliquã sub tẽpore, ex quares cõmuniter pretiosiot aut vilior æstimetur, & nõ quãto tpe pecunia occupetur, cõmutationũ natura pẽnsat: q̃ æqualitatẽ rei ad rẽ exigit sic lõgissimo adiuncto tẽpore, ac si manualiter cõmutatio perficeretur. Propter ꝙ cãpsoribus nõ licet mẽsurare tẽpus medium inter dationẽ & acceptionẽ, aut rem seu pecuniã prolixiori tẽpore dandã vilius æstimare, quãuis liceat in dando æqualitatem commutationi statuere, iuxta præsentem æstimationem de futuri tẽporis cõmutationibus, quæ secundum diuersos euentus temporibus diuersis varia est sicut & in cæteris commutationibus.

CAP. VII.

An cambia proposita sint verè cambia & iustificatæ.

EAcile autem est ex prædictis videre, an prædicti contractus à cãpsoribus nuper inuenti, de quibus quæstio pẽns est, sint verè cãbia, & iustè fiãt. Quum enim cãbij contractus consistat in commutatione numismatum, & in propositis casibus nulla alia cõmutatio nisi numismatum fiat, cõsequens est ꝙ prædicti cõtractus ex sua forma verè cãbia sint, diuersorum tamẽ graduum. Quadrifariam nanq; numismatum cõmutatio in huiusmodi cambiis fit. Aut totaliter, vt fit in cãbio Burgensi, & Londrensi, in quo totaliter alia est moneta data ab accipienda. Aut partialiter, vt fieri contingit, quãuis non semper in cambio Lugdunẽsi, in quo marcha auri accipitur in tribus monetis, scilicet scutis, aureis & argenteis, &c. & contingit ꝙ dans dat etiã scuta. Aut quasi nihil: vt fieri contingit in cãbiis infrà Italiam, in quibus numisma datum ab accipiendo parum, aut nihil quandoque differt propter proximitatẽ locorũ & cõmunicationem in nummis. Aut omnino nihil: vt fieri contingit & in Italia, & fortè extra, quãdo nulla ratione habita qualitatis numismatum, sed sola quantitate datæ & accipiendæ pecuniæ in alio loco pẽsata cãbium dicitur fieri, vt cũ Petro habẽti Romæ pecunias suas, & egenti Mediolani 1000. ducatis, campsor dat Mediol. milie ducat. ꝓ 1000. & 10. verbi gratia, assignãdis sibi Romæ.

¶ Et in primis quidẽ tribus modis, cum cõmutatio numismatum semper interueniat, licet plus & minus contractus cãbij saluentur. In quarto autem modo cambij nomen non nisi æquiuocè saluari videtur: nulla siquidem ibi numismatum commutatio in pactum ducitur, & manifestè patet, quòd contractus commutationis numismatum non est, qui si manualiter fieret, nullam numismatum cõmutationem requireret, sicut nec cõtractus venditionis est rerum distantiũ ille, qui si manualis cõmutatio fieret, venditio non esset: vt patet. Constat autem ꝙ si campsori Mediolani pro datis 1000. ducatis darentur 1000. & 10. ducati, nulla esset commutatio numismatum, nisi quia alij numero essent dati ab acceptis: quod est extra propositum. Propter quod videtur quòd contractus iste mutui sit, sed cambij nomine palliatus: ac per hoc non licet lucrari campsori ex eo: sed se tantùm seruare indemnem, vt superius de mutuantibus pro locis remotis declaratum est.

¶ Si quis tamen diligẽter contractũ consideret, videbit nec mutui nec cãbij propriè contractũ esse: sed contractũ quasi emptionis & vẽditionis ꝓ quandã analogiã ad cãbia pertinentẽ. Quãuis enim in cõtractu hoc numisma pro numismate non cõmutetur: cõmutatur tamen numisma præsens cum numismate distante localiter. Et numisma in hac cõmutatione materialiter, & vt res quædã accipitur: cõmutatur enim vt res tanti pretij præsens cum re æquali distante, habita vtriusque ratione loci. Constat aũt ꝙ res distans à Mediolano vilior est Mediolanẽsibus seipsa Mediolani sita, ꝓpter expensas & pericula, & cætera ad vendendũ ipsam requisita. Vnde quemadmodũ emitur pecunia in naui fluctuare cõstituta minus, quàm absolutè valeat, quia nõ emitur in quantum pecunia, sed in quantum res tãti pretij sub tali periculo constituta: & sicut pecunia debita Ioanni à malo debitore, emitur à Petro minus quã valeat, quia est res sub tali labore possidendi constituta: sic pecunia absens in quantũ res subiacens periculo, & expẽsis declarationi semitur minus, q̃ absolutè in se valeat. Et propterea nec mutui, nec cambij contractus iste est propriè: sed ad cambium quodammodo reducitur, pro quanto res præsens, & res absens quæ commutantur, numismata sunt. Et quia contractus per modum conditionis omnibus supradictis adest, ideo pensandus est in cæteris.

¶ Iustitia verò in his cãbiis tunc erit qm̃ nec excessus fiet in æstimando, sed pensatis cõditionibus numismatũ ex qualitate & distantia & aliis ad rem facientibus & industriæ ratione habita, æqua fiet cõmutatio. Seruabitur aũt hoc, quando sm̃ communem æstimationem commutatio regulabitur, aut sapientum in hoc arbitrium imitatũ fuerit: nec temporis prolixitas aut breuitas pensabitur: sed semper in veri æstmatione pretij stabitur, siue citò siue tardè pecunia assignanda sit. Si enim hoc defuerit, vsura est ratione impliciti mutui: sicut in venditione plus iusto pretio ad tempus. Si autem primum deesse contigerit, vsura quidem non est, sed iniustum lucrum, & restitutioni obnoxium: sicut quando res plus iusto pretio venditur. Vnde proposita cambia, si seruatis his duabus conditionibus necessariis ad iustificationem etiam cæterarum commutationum celebrantur, iustè fieri possunt.

¶ Ex his autem patet nõ licere campsoribus, aduenientibus nundinis Brugensibus, vel Londrensibus, debitori tunc ex accepto prius cambio dilationem solutionis concedere vsq; ad sequentes nundinas, & ex hoc plus recipere, q̃ prius deberet, aut pacisci sibi deberi sicut in sequentibus nundinis cambia current: hic enim est contractus mutui cum spe lucri solo cambij nomine fulcus: & prolixitatis temporis ratio manifestè habetur. Campsoribus quoque pro Lugduno, vel alio loco: iuxta prolixitatem, aut breuitatem temporis medij inter dationem, & acceptionem marcham auri, aut reddendam quamcunque monetam plus & minus æstimantibus, æterna ex hoc paratur damnatio: vtpote vsurariis.

¶ Nota tũ diligenter hoc in loco, ꝙ sufficiens signum iniusti contractus, nõ est minus dare pro cãbio multo interiacente tempore vsque ad nundinas, & plus dare q̃n proximæ sunt nundinæ, q̃n consuetudo hæc quãuis prima facie introducta videatur pro habenda ratione temporis medij, quo accipiẽs pecunias Mediolani redditurus in nundinis Lugduni vtiq; illis pecuniis acceptis: perspicacius tñ scrutantibus occurit, ꝙ consuetudo hæc introducti poruit propter inuentionem, aut nõ inuentionem cãpsorum tenentiũ loca, quasi venditorũ vel propter multitudinem, aut paucitatem eorũ. Propter quod sciendum est, ꝙ in huiusmodi cambiis accipientes Mediolani pecunias pro assignanda marcha auri Lugduni in nundinis, qui sunt quasi venditores marchæ auri absentis, loco & tẽpore cõmuniter cum suo damno cãbium hoc faciunt: scientes semper quantũ dãni ex tali venditione incurrẽt. Ex hoc aũt ꝓuenit cõsequenter, ꝙ nullus, simpliciter loquẽdo, inuenitur quasi venditor in hmõi cambiis: sicut nec in quacunq; alia cõmutatione, in qua certũ est & venditorem dãnificari. Nec propterea cẽsenda est illicita cõmutatio: quia, s. venditor nocumentũ incurrit: quia dummodo res absens, vel præsens vendaꝛ iusto pretio, cõtractus est licit⁹, quæcunq; pars inde nocumentũ incurrat. Ex hac quoq; eadẽ radice ꝓuenit, ꝙ tunc tantũ inueniũtur quasi venditores in istis cãbiis, q̃n mercatores egent pecuniis, & volũt potius tales inire venditionis contractus cum aliquali dãno, quã à maiori lucro vel cõmodo abstinere, ꝙ ex accepta pecunia paratum, vel acquirendũ sperãt. Vnde nisi esset huiusmodi indigentia pecuniarũ cum intermedio tempore, quo negotiationibus suis ꝓsidere ex acceptis pecuniis possent illi qui sunt quasi venditores, nullus vnquã inueniretur quasi vẽditor in istis cãbiis. Quemadmodũ ergo tẽpus intermediũ est occasio, ꝙ inuentiantur quasi venditores, ita multũ tẽpus intermediũ est occasio multorũ venditorum cõmuniter, & paucum tempus multorũ emptorum. Ac per hoc multo interiacẽte tẽpore, propter abũdantiam venditorum rõnabiliter minus datur à soluentibus, qui sunt quasi ementes marchas absentes: & modico interiacente tpe, propter abundãtia emptorũ plus ab eisdẽ quasi ementibus soluit. Adeóq; dicuntur abundare quãdoq; emptores propter nũdinas, vt nihil lucrent, imò cũ dãno suo cãbium faciant, quia nõ inueniuntur venditores: & hoc cõtingit q̃n friget negotiatoria ars. Vnde cum cõtractus cãbiorum hmõi abstractaꝛ ipla temporum differẽtia liciti sint (vt ex dictis & dicẽdis patere potest) & hæc tẽporis differentia dãnari nõ possit: quia prædicto modo saluari, potest, restat ꝙ si pensata loci absentia, &c. aliàs iustè fiat talis nimismatũ cõmutatio iniusti iudicari nõ debent contractus tales. Quòd si plenius vis conspicere, finge lanas vel quãlibet alia rem absentẽ loco vendi, & emi in huiusmodi contractibus. videbis enim clarius veritatem: q̃n cum numismatum cõmutatio tractatur inter nos hinc & inde mens, posita, semper ad mutui contractus declinare consueuit. Vtrum autem de facto moderatum sit lucrum, ex huiusmodi cãbiis reportaꝛ, scitificè non subest decisioni, quæ ad singularia nõ descendit. Illud tñ rationi consentaneũ videtur, quòd moderatum censendũ sit lucrum, ꝙ communis consuetudo approbat: vt scilicet cambia fiant, secundum quia tunc currunt pro locis illis communiter. Pensanda autem diligenter & applicanda subtiliter hæc sunt pro cambiis Bruges, & Londres, &c.

Nec obstãt prædictis rationes ad propositũ in tertio cap. adductæ. Falsũ siquidẽ supponit prima, ꝙ cãbia hæc fiant in fraudẽ vsurarũ: imò pro cõi bono mercatorũ sunt introducta. Nec ex eo ꝙ Petrus nõ mutuaret pecuniã qui cõmutare, ꝓpter spẽ lucri est paratus, peccat: quoniam nec opus, nec intẽtio deformitatẽ continet: quia non tenetur ad mutuũ, & iustis commutabilibus vacat.

¶ Secunda verò ratio concludit: non illicitos contractus, sed illam temporis conditionem non posse apponi sine vsuræ vitio, sicut etiam in venditione ad tempus.

¶ Tertia aũt cãbia hæc non subtiliter scrutatur: qa cãpsor emẽtis rẽ in futuro assignadã magis, q̃ vẽdentis rẽ cõseruandã, aut trãferendã locũ tenet in vtroq; mõ cãbij: q̃n etsi in secũdo mõ videatur vẽdere ducatũ ex hoc, ꝙ æstimat ipsũ 52. grossis, fm tñ veritatẽ emit tot grossos Flãdrenses Brugis assignãdos vno ducato. Illa siquidẽ æstimatio ducati cõcurrit ibi, vt modus cõputãdi facilius quantitatẽ ducatorũ, & grossorũ cõmutando, & non vt ducati venalis pretiũ. Est autẽ interpretatio hæc meritò admittenda, ex eo ꝙ ipsi contractum realis, seu veri cambij dicũt se facere, qui tali modo inter pretãdus est, vt iustitiã contineat: cãbij siquidẽ nomen sensum hinc admittit. Quid ergo de cambiis his & decitatis opinionibus sentiendũ sit, ex dictis manifestũ est. Nunc ad reliqua cambia ex parte accipientium proposita transeamus.

CAPVT VIII.

De aliis cambiis propositis ex parte accipientium cambia.

RELIQVA Igitur in fine primi capituli proposita cambia examinando, distinguendum videtur: & dicendum quid de facto sit, & quid possit fieri. Aliter siquidem hæc cambia fieri ex eorum verbis percipitur, aliter fieri posse.

¶ Cõsiderando ergo ꝙ sic, omnia illa cãbia ex parte non cãpsorũ, sed Petri dãtis pecuniam cãpsori alibi sibi assignãdam, iniusta esse videtur, per ea quę dicta sunt: cum enim campsor non accipiat pecuniam à Petro in fauorẽ sui, sed Petri cui assignanda est alibi, nulla æquitas censet campsorem ex hoc damnum aliquod pati. Patereꝛ tur autem in his cambiis damnum ad minus duplex. Primum est, ꝙ seruitium suum, quo pecunias Mediolani acceptas Florentiæ, perinde ac tutò delatas assignaꝛ, irremeratũ remanet, & tamen seruitiũ mercenariũ est. Secundum est, ꝙ plus dat aut dabit campsor, vt sperat Petrus, q̃ acceperit: quoniã ducati Florẽtini minus valẽt Mediolani, vbi dãtur cãpsori, quàm Florẽtiæ, vbi assignantur. Vnde cãpsor, si se indẽnem quo ad hoc seruare debet, deberet mittere eos Florẽtiã, & sic expensarũ dãnũ maius incurreꝛe: aliòquin expẽdendo eos extra Florentiã, cõstat ꝙ plus dat q̃ acceperit. Et hæc duo in tribus primis modis locũ habẽt: in aliis autem tribus, in quib⁹ vltra prædicta Petrus vult quatuor ducatos vltra illos centũ. Tertiũ damnum campsori adiungitur. Dixi autẽ hæc esse illicita secundum ꝙ fiunt; quia huiusmodi homines exigunt hæc à cãpsoribus, vt dicitur, propter vsum pecuniæ, cum dant, in tempore medio à datione vsque ad assignationem. Dicunt enim cãpsori, Tu lucrãberis cum his pecuniis interim, & negotiis tuis eas accõmodabis, & ꝓptereà volo, & ego aliquid cõmodi. Sicq; lucrum ex industria campsoris non ex pecuniis prouenięs iniustè pensando lucrari volũt nõ absq; vsura. Dixi autẽ, per se loquendo: quoniam per accidẽs cõtingit, absq; culpa hæc fieri: vt in tertio casu quibusdam videtur, si Petrus ex absẽsione mercatorum & cãpsorum nescire põt quantũ ducati sui Florentiæ valent, & sic egẽs pecuniis suis ibi, cõiectaꝛ iustum prout cãbia valebunt tunc, non ex spe lucri: & fic, cũ cõsueuerint ad primã petentium vocẽ campsores seruitiũ suum gratis impẽdere, ne fortè volentes tres transferre pecunias cãbij contractũ secum velle inire deposcant, & sic æqualem promittunt Florentiæ summam pecuniæ videtur posse transire. Quamuis enim hoc faciant campsores propter vsum pecuniæ: quia tamen eorum seruitium in his onerosum non est, quia omnino mittunt pro aliis negotiis, & cambiis, & minister⁹ soluunt, parum & consuetum pro nihil haberi videtur, sicut de vsu libri in pignus dati, sanctus Tomas dicit.

SI Autem de cambiis his loquamur, vt fieri possunt, quia scilicet Petrus posset emere Mediolani à cãpsore 100. ducatos Florẽtinos assignandos Florentiæ, vel commutare numismata, attenta qualitate numismatum, & distantia locorum (vt de contractibus campsorum dicimus) tũc omnia cambia prædicta iustificari possent: quoniam contingit interdum 100. & duos emi alibi 100. vt ex dictis patet. Nec obstat, ꝙ Petrus non intendat pecuniam absentem præsentem facere: sed potius præsentem absentare, quoniam ex industria Petri hoc prouenit, ꝙ absentaturus pecuniam suam, exponit eam tali commutationi numismatũ, aut contractus emptionis rei assignandæ in illo loco, vt sic vbi cũ dãno suo transtulisset eã simpliciter, per talem negotiationem transferendum

lucro. Nec est hæc industria dánabilis tanquá in fraudem inuẽta, sed laudabilis, tanquã adinuẽtiua viarũ iusta rũ & vtilium simul, vnde Prouer. c. 11. dicit. Simulator decipit amicũ suum, iusti aũt liberabunt scientia. Et qm̃ multos contingit esse volentes trásferre pecunias suas de loco ad locũ, & audientes alios ex hmõi translatione lucrari sltem propter varietatẽ monetarũ, & nescientes distinguere contractum simplicis translationis ab hmõi contractibus cõmutationum: & cõsusè intendentes licitè lucrari nõ ex vsu pecuniæ quã dant cãpsori, sed ex cãbio, ex quo credunt alios lucrari, non videtur, qꝙ isti sint dánandi, sed in meliorem partẽ eorũ potius contractus sint interpretandi. Ex hoc enim qꝙ ex cãbio dicunt velle lucrũ, iam contractũ, quem nesciunt se velle inire, insinuare videntur: præsertim si arguant, ideo se hoc lucrũ velle: quia si ipsi cãpsores econuerso cõtractum talẽ eum eis facerent, maius lucrum exigerent. Ex hoc enim iam manifestè patet, qꝙ cõtractus cãpsorios supradictos inire intendunt: & tanto iustius, quãto mitius q̃ campsores. Accedit ad hæc, qꝙ nõ videtur verum, qꝙ de facto communiter volentes suas pecunias transferre cum lucro, dicant se hoc pro vsu pecuniæ velle: sed fortè aliqui mali sunt hoc dicentes vel (qꝙ verius puto) verba illa ignoranter à quibusdam dicuntur, credentibus se rationabilẽ causam assignare. Et siquidẽ ignoranter assignantes huiusmodi rationem, intendant contractum cambij inire & propter hoc lucrũ referre, quamuis in ratione assignanda errent: iniustum tamen non faciunt. Sicut si quis credat se in contractu venditionis & emptionis licitè lucrari propter tempus, quo pecunias suas occupatas tenet: & tamen non vendit, aut emit, nisi iusto pretio. Signum autem ad cognoscendum, qui sunt qui hoc intendant potest accipi duplex. Primum est, si in animo habent, nullo pacto vsurariis contractibus se immiscere: secundum verò est, si assignant aliam rationem tangentem contractum licitum, puta quòd ita eis licere credunt, sicut campsoribus. Et hæc de cambiis dicta sint. Mediolani in conuentu sanctæ Mariæ Gratiarum, Anno Salutis 1499. die 9. Decembris.

¶Hæc sunt pater venerande quæ mihi de cambiis sentienda videntur, saluo semper omnium melius sentientium iudicio, Tu ergo perspicaci ingenio, quo polles, dicta scrutando perlege, & si votis rem parem feci, omnipotenti Deo, diuóque Thomæ gratiæ referantur: Sinautem, da veniam: ego enim secundum ingenioli mihi præstiti vires, quod potui, feci, Bene vale. Finis.

TRACTATVS OCTAVVS DE De Vsura, in sex quæstiones diuisus.

1 *Num in vsura transferatur dominium.*
2 *Num mutuans sub spe aliquid vltra sortem habendi, non aliter mutuaturus, absque omni tamen conuentione, sit vsurarius mentalis.*
3 *Num vsurarius mentalis teneatur ad restitutionem.*
4 *Num omnia bona vsurarij, sint obligata eis à quibus vsuræ extortæ sunt.*
5 *Num altero hærede vsurarij non potente restituere, alter teneatur in solidũ.*
6 *Nũ quando licet petere damnũ lucri cessantis, possit peti totũ lucrum cessans.*

QVÆSTIO I. *Vtrum in vsura transferatur dominium.*

QVÆRITVR Vtrũ in vsura transferatur dominiũ. Et videtur qꝙ sic. Primò, quia cum homo sit dominus rerũ exteriorũ per volũtatem, ex volũtaria trãslatione rei suæ in alterũ trãsfertur dominiũ, sed accipiẽs mutuũ sub vsuris, volũtariè trãsfert plus sorte in alterũ, ergo. Si dicatur qꝙ vsuræ solutio non est simpliciter voluntaria, & ideo nõ transfert dominiũ. Contrà, Voluntarium mixtum: quale est in vsura, est voluntarium simpliciter, quamuis non sit omnino voluntariũ: quia habet aliquid inuolũtarij admixtum: vt patet ex tertio Ethic. & ex eo qꝙ si quis taliter voluntariè consentiret actui peccati (puta stupro) non excusaretur à peccato mortali, quod non potest nisi voluntariè committi: quamuis enim malè libenter, omnibus tamen consideratis voluntariè hoc eligit. ¶Præterea, In his quæ tradũtur metu mortis, trãsfertur dominiũ. ergo & in vsura. Cõsequentia ꝓbatur: quia ibi tantò minus est de voluntaria, quãtò metus mortis maior omissione, vel defectu rerũ exteriorũ inducente ad accipiendũ mutuũ sub vsuris. Ticulus quoque habendi & possidendi iniustior est in extorquente aliquid metu mortis, quam in extorquẽte per vsurariũ mutuum. Si ergo ibi transfertur dominium, necesse est hic quoque trãsferri.

IN Oppositum est S. Thom. in Secunda secundæ q. 77.

RESPONDEO, In hac dubitatione sunt tres opiniones. Prima est tenẽtium in vsura transferri dominiũ: & hi mouentur rationibus adductis. Habẽtq; opinio hæc antiquos sectatores: vt S. Th. in 4. dist. 15. dicit. Sequiq; eam videnť. Sco. in 4. dist. 15. q. 2. ar. 3. & Pet. de Palu. ibidem & glo. 14. q. 4. si quis vsuram. Secunda est tenentium in vsura transferri dominium aliquorum, scilicet eorum quorum vsus non est eorum consumptio. Sed quia hæc distinctio nulla ratione fulcitur, ideo dimittenda est nouitas hæc. Non enim ex qualitate rei per vsuram extortæ, oriri potest ratio transferendi vel nõ transferendi dominiũ cũ res data, materialiter concurrat in huiusmodi cõtractibus, & translatio dominij ex voluntate & iustitia dependeat. Tertia autem opinio est dicentiũ in vsura non transferri dominium: & hæc habet omnis generis sectatores. Tenent autem eam S. Tho. & Bonauentura, hic quidem in 4. dist. 15. ille verò in Secunda secundæ, q. 77. art. 3. vbi in calce corporis articuli dicit hęc verba. Si quis domum vel agrum alterius per vsuram extorsisset, non solùm tenetur restituere domum vel agrum, sed etiam fructus inde perceptos: quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus: & ideo ei debentur.

ET Quia hæc opinio iudicio meo rationabilior est, ideo intendo probare eius veritatem tripliciter. Prænotando primò, qꝙ traditio rei & trãslatio dominij illius rei non sunt inseparabiliter connexæ. Contingit enim rem puta vestem alteri tradere absque translatione dominij: quia põt multis rationibus tradi in depositum, s. vel in pignus, &c. Contingit & dominiũ rei, puta vestis alteri tradere absque ipsius vestis traditione: vt patet cum donatur alteri res à tertio occupata. Ex hac autẽ separabilitate manifestè habetur, qꝙ ad voluntariam traditionem rei non sequitur necessariò voluntaria translatio dominij illius rei. Ad qꝙ enim non sequitur translatio dominij, fieri nõ potest, vt sequatur translatio dominij voluntaria. Constat autẽ qꝙ voluntariam traditionẽ rei, dominij translatio non sequitur: vt patet cũ traditur in depositũ. Non comitatur igitur necessariò voluntaria trãslatio dominij volũtariam traditonẽ rei. Hoc ergo stãte arguitur sic: In vsura aut trãsfertur dominiũ ex ipsa voluntaria vsurę exhibitione, aut ex adiuncta voluntaria trãslatione dominij, aut ex vtroque simul: sed nihil horũ hoc efficit: ergo. Diuisio est sufficiens, quoniã homo est dominus rerum exteriorum per voluntatem: & in proposito necesse est si dominiũ transfertur, volũtate soluẽtis vsuras hoc fieri. quoniã constat lege, aut quacunq; aliena voluntate hoc non causari. Volũtate autem soluentis hoc fieri, duplici tantum via potest: aut per exhibitionẽ rei, aut per ipsam translationem dominij. Aut eñ transfertur dominium eo qꝙ soluens vsuras voluntariè dat vsurario plus sorte, aut quia intendit transferre dominium illius excrescentiæ à se in vsurariũ, vel propter vtrunq;. Sed quòd dominiũ non transferatur ex vi volũtariæ traditionis illius excrescentiæ, ex dictis patere potest: iam enim patet, qꝙ ad hoc non sequitur necessariò translatio dominij. Ex hoc enim quòd vsurario do vnũ ducatũ pro vsura, nihil aliud necessariò conuinci potest, nisi qꝙ voluntariè illum ei assigno: nec potest ex hoc conuinci, quòd trado illũ ad hoc, vt sit suus. Et si quæratur. Ad quid ergo das ducatum illi? in promptu responsio est: ego quidem do, quia mutuare aliter non vult. Et cõfirmatur: quia sicut soluens vsuras, cõsentit in solutionem ducati: & tamen nõ cõsentit in eam, inquãtum iniusta est, quia nullus patitur iniustũ volẽs: (vt dicitur in 5. Ethi.) ita cõsentit in nudam traditionem ducati absque hoc qꝙ consentiat in translationem dominij illius. Quòd verò in soluente vsuras nõ sit intentio transferendi dominiũ, patet ex eo, qꝙ in huiusmodi partim inuolũtariis traditionibus quantò minor abdicatio iuris propri saluari potest, tanta censenda est & non maior: vt patet de proiicientẽ merces proprias in mare, orta tempestate. Quamuis enim proiectio talis sit volũtaria, non tamẽ habẽtur res proiectæ pro derelictis: sed intẽdit proiiciẽs, si res casu saluãtur, vt suas habere. Vnde & delatas à maris impetu in terram si quis acciperet, teneretur domino petenti & ostendenti suas esse, liberè trad ere. Constat aũt qꝙ minus abdicat à se ius quod habet in re: dans eam retinendo sibi dominiũ, quàm transferendo dominium, & reseruando sibi tantùm ius repetendi: quoniam primum claudit secũdum, & non econuerso. Constat quoq; ex dictis, qꝙ vsuræ solutio voluntaria saluari potest absq; intenta abdicatione dominij: quia aliud est volũtariè dare, & aliud est voluntariè dare ad hoc, vt sit suum. Non igitur est intentio, aut volũtas transferendi dominium in soluẽte vsurã. Et cõfirmatur: quia cùm contra vsurarios omnia iura clamẽt, interpretanda sunt omnia, quantum veritas permittit in odiũ eorũ: & si res hęc pẽderet sub dubio, contra vsurarios declinandum esset. Liquet autem quòd translatio dominij multum fauet vsurariis: ergo non est censenda, nisi ratio ad hoc cogat, ex supradictis autem apparet rationem ad oppositũ esse: ergo. Et per hæc sufficiẽter patet tertium mẽbrum, qꝙ scilicet in vsura non transfertur dominiũ propter vtrunq; simul, scilicet voluntariam assignationem rei, & intentionem transferendi dominium.

¶ Secũdo principaliter probatur idẽ sic: Si in vsura transferretur dominiũ extorquẽs agrũ vsurariè non teneretur ad restitutionẽ omniũ fructuũ, sed satisfaceret restituẽdo agrum vel eius pretiũ: sed hoc est falsum, & cõtra omnes: ergo in vsura non transfertur dominiũ. Cõsequentia (in qua sola consistit tota difficultas) declaratur ex differẽtia, quæ est inter æqualitatẽ seruandam in recompẽsatione rei fructificatis, quando trãslatũ est dominiũ, & æqualitatem seruandam in recompensatione eiusdem, quando non est trãslatum dominium. Cùm enim ager trãsit de domino in dominum, quocunque titulo id fiat, sufficienter satisfit primo domino, si datur sibi tantum, quantum valet substantia agri, pensata virtute fructificatiua, & aliis conditionibus quæ in cõtractu venditionis eius pensandæ fuissent: nec plus exigit iustitia commutatiua, qm̃ seruata æqualitate rei ad rem cõpleta est ratio iustitiæ. Quando verò ager mutat quidem possessorem, sed non dominũ secundum veritatem, nõ sufficienter satisfit domino eius, dando pretiũ agri, sed oportet omnes fructus perceptos, & qui potuissent à diligenti cultore percipi, restituere, quia sunt fructus agri, cuius alter est dominus. Si ergo in vsura trãslatum est dãm agri per vsuram extorti, sufficienter fieret restitutio dando agrum tantum, vel pretium æquale, pensata substãtia agri & eius virtute fructificatiua, non aũt fructibus perceptis, qm̃ vsurarius percepit fructus de re sua. Et confirmatur hoc ex ratione, qua cõstat, quod fructus perceptos ex agro empto ex pecunia vsuraria nõ tenetur quis restituere: quia sunt fructus agri sui. Hæc enim eadem ratio cũ efficax sit, in vi istius vniuersalis tenet, nullus tenetur restituere alteri fructũ agri sui proprij, nisi enim vel is hæc verificaretur, ratio ex particularibus cõficeretur, & consequenter rueret. Si ergo agri per vsuram extorti transfertur dominium in vsurarium, sequitur qꝙ non tenebitur ad restitutionem fructuũ, quos per viginti forte annos percepit, qꝙ erat deducendum. Si dicatur qꝙ in trãslatione dominij omnino voluntaria (qualis est vẽditio, &c.) verũ est, quod sufficit reddere æquiualens agro: sed in trãslatione inuoluntaria aliqualiter (qualis est vsuræ solutio) non sufficit reddere pretiũ agri, sed oportet fructus quoq; perceptos restituere. Hoc non euadit: qm̃ tota differentia ex hac ratione assignatur propter omnino volũtariũ & voluntariũ mixtum. Ex hac aũt differẽtia nihil aliud oritur nisi quod vbi trans latio non fuit omnino voluntaria, oportet non solũ reddere pretiũ agri, sed aliquid correspondens illi conditioni inuoluntarij: sicut semper in restitutionibus faciendũ est. Nec habetur ex ea, qꝙ teneatur restituere fructus: qua enim rõne potest vnquã conuinci, qꝙ teneatur aliquis restituere alteri fructus agri proprij? Si dicatur, qꝙ restitutio fructuum facienda est nõ ratione dominij, sed ratione damni, quod patitur ille, à quo ager extortus est per vsurã, dánificatus siquidem est non solũ in agro, sed in fructibus percipiendis, & ideò quamuis vtrorumq; trãslatum sit dominiũ à se, cõpetit tã repetitio. Hæc responsio falso innititur fundamento. s. qꝙ dánificatus in agro sit damnificatus in omnibus fructibus percipiẽdis: sic qꝙ restitutio debet adæquare & agrũ, & fructus. Tum quia hoc non habet locum, qm̃ transfertur rei fructificantis dominium: quia statim translato dominio rei, omne damnum aut emolumentum futurũ dominio rei cedit. Tum quia etiã quando non transfertur dominium vniuersaliter verum non est. ¶Ad cuius euidentiam, subtiliter & breuiter, tangendum est, quare & qñ aliquis teneatur ad restitutionem fructuum, & qñ & quare nõ. Hoc autem ex duobus principiis regulãtibus restitutiones haberi põt. Primũ est, qꝙ sufficit restituere simpliciter: fm est qꝙ aliter restituendũ est dánificato in his quæ erãt eius in actu, & aliter in his, quæ erant eius in potentia. Ex his enim habetur, qꝙ si ponatur qꝙ Petrus rapuerit agrum Martini, quem subitò cõbusserit ac inutilem totaliter reddiderit, & idem Petrus rapuerit similem & æqualem agrum Ioannis, quem conseruauerit fertilem: & elapsis 10. annis Petrus vtrique satisfacere velit, nõ tenetur tantum dare Martino, quantũ Ioanni: sed Martino sufficit reddere tantũ quantum valebat ager tẽpore rapinæ & cõbustionis (subintellecta semper satisfactione iniuriæ & interesse) Ioanni verò oportet reddere & agrum & fructus per decennium perceptos. Quia quum sufficiat reddere simplum qꝙ simplũ ablatum est, & à Martino sit ablatus tantũ ager cum fructibus in potentia, qui in potẽtia fructificatiua agri pẽsaretur, qñ venderetur ager, sat est reddere tantum valebat ager fructificatiuus. Quia verò à Ioanne nõ tantum ablatus est ager, sed fructus actu producti per decennium occupati sunt, quoniam fructus agri nascuntur domino agri, non satisheret Ioanni, si æquale agro & potẽtiæ fructificatiuæ restitueretur: sed oportet æquale fructibus actu perceptis reddere. Statim enim vt producuntur fructus, sunt actualiter sub dominio eius qui est agri dominus, quamuis non possideat: & ideo oportet tanquàm res, quæ fuerunt actu alterius restituendo recompensare.

¶ Ex his autem omnibus id quod intendimus euidenter habetur: qꝙ. s. fructus restitutioni obnoxij nõ sunt, nisi quia sunt fructus rerum quarum alius est dominus: ita quod dominium fructuũ non quodcunq;, sed actuale exigitur ad hoc, qꝙ fructus agri sint sibi restituendi. Sed si in vsura transfertur dominiũ, nec actuale nec potentiale proximè dominiũ fructuũ remanet apud eum, à quo extortus est ager: quia nõ remanet actu dñs agri, qui est dominus in potentia proxima fructuum, ꝓducendorum. Nulla igitur ratione vsurarius tenebitur ei de omnibus fructib' perceptis: sed sat erit, si vel pretium agri tantum reddet, vel secundũ hæc vltimo tractata si satisfaciet quo ad tractatus perceptos ad arbitrium boni viri: sicut damnificans aliquem in his quæ habet in potentia. Vtrũque autem horum est contra omnes doctores & veritatem. Fatẽ-

dum est ergo absolutè, quòd in vsura non transfertur dominium.

ET PER hæc patet responsio ad obiecta. Ex dictis siquidẽ in prima rõne patet solutio vtriusq; primi quidẽ, quia plus requirit ad translationẽ dominij, quã volũtaria traditio illius rei: exigitur enim quod voluntariè tradat eã alteri ad hoc vt sit sua: quod soluẽs vsuras non facit. Et per hoc idem negatur assumptum secũdi: meticulosus enim quãuis voluntariè det pecuniã propriam inuasori: non tamẽ ad hoc, vt sit sua, sed ipse viderit. Et ideo non transfert dominium illius à se. Mediolani, die ij. Aprilis. 1500.

QVÆSTIO II. *Vtrum mutuans sub spe aliquid vltra sortem habendi, non aliter mutuaturus absque omni tamen conuentione, sit vsurarius mentalis.*

QVÆRITVR vtrum mutuãs sub spe aliquid vltra sortem habendi, non aliter mutuaturus absq; omni tamen conuentione, sit vsurarius mentalis.

¶Et videtur qꝙ sic. Primò, quia spes principalis alicuius muneris habẽdi ex mutuo vsuram parit: iuxta illud Luc. 6. Mutuũ date, nihil inde sperantes. & cõmunem sententiam doctorum: sed in casu proposito inuenitur talis spes: ergo.

¶Præterea, Taliter mutuans, malè agit: vt patet extra de vsuris, c. consuluit: & vt ibi dicitur, tenetur ad restitutionem. Cõstat autem quod nulla alia prauitas hic interuenit nisi propter aliquid vltra sortem speratum ex mutuo, quod pertinet ad vsurariam prauitatem: ergo talis mutuans est vsurarius mentalis.

IN OPPOSITVM est commune hominũ iudicium. causans eum, qui non vult amplius mutuare amico, qui noluit sibi remutuare, sed vult mutuare alteri amico, à quo sperat, qꝙ accidente casu remutuabit sibi. Talis eñ manifestè sperat obsequiũ à manu mutuando: & nisi crederet illud futurum non mutuaret: vt patet ex eo qꝙ non vult priori amico amplius mutuare, quia noluit sibi remutuare, & tamen secundum communem sententiam non peccat. Non est ergo vsurarium mutuare sub spe aliquid vltra sortem consequendi.

RESPONDEO, Ista quæstio mota fuit corã Vrbano 3. (vt in decretali allegata patet) nec fuit aperte decisa: sed gl. ibidẽ distinguit de duplici spe (principali scilicet, & secundaria) & dicit, quod spes principalis constituit vsuram, non autem secundaria.

¶Subtilius aũt dicẽdo, occurrit ex dictis S. Tho. in q. de malo. q. 13. ar. vl. ad decimũ tertiũ, notandũ, qꝙ dupliciter aliquid potest à mutuante sperari. Vno mõ, quasi debitũ ex aliqua obligatione tacita vel expressa, & sic quodcunq; munus speret, illicitè speratur. Alio modo, vt gratuitũ & absq; aliqua obligatione præstandum: & sic quodcunq; munꝰ speretur, licitè speratur. Licite aũt sperari à mutuante dico, quodlibet munus gratuite & amicabiliter retribuendum sibi ab eo, cui mutuat, etiam si alias nollet mutuare. Et hoc probatur dupliciter: rõne, s. & autoritate. Ratio siquidẽ huius est: quia licitũ est ex mutuo affectu beneuolentiæ spe etiam principali intendere. Ex vero autem amore, & solo ipso sufficienter emanat gratuita, & amicabilis recompensatio: & propterea eiusdem rationis est sperare amicitiam, & sperare gratuitam remunerationem. Vnde si mutuans spe principali affectus beneuolentiæ, nihil illicitè sperat, cõsequens est, quod mutuans spe gratuitę remunerationis nihil illicite speret. Et confirmatur: quia quum gratuita remuneratio sit mutuanti debita secundum naturale ius, & ipsa sola speretur in proposito, nec in ciuile dẽducatur, consequens est, quod nihil vltra sortem & debitum speretur: & quod ficut rationabiliter à mutuando desistit desperans de restitutione mutuãdæ sortis, ita rationabiliter quoque desistit desperans de amicabili affectu. Vtrunque horũ mutuanti naturali iure debetur, quãuis difformiter: quia primum ciuili etiam obligatione reddendũ est, secundum naturali gratitudine tantum.

Autoritas aũt ad hoc habetur, differẽtia affignata ibidẽ à S. Th. inter spẽ in vsura & simonia, s. quòd ga in simonia id quod datur, est Christi, & non dantis: ideo nullum munus debet sperari. In vsura vero mutuans dat id quod suum est, ideo potest sperare aliquã amicabilem recõpensationem. Ex hac siquidem differentia patet, quod de se principali loquitur, sine qua, scilicet res non fieret taliter differentia nulla esset: nam constat quod etiam in traditione spiritualium, oculus siniſter seu spes secundaria potest dirigi circa aliquam remunerationem temporalem.

¶Quũ ergo quærit an mutuans sub spe aliquid vltra sortẽ habẽdi aliter nõ mutuatur', omnitñ cõuẽtione & petitione cessante fit coram Deo vsurarius. Absolute quidẽ respondeti põt qꝙ vsurarius est: quia q. talis sic præsuppositus, ionat spẽ mutuãti inesse, vt ex mutuo aliquid habeat vltra sortẽ qꝙ est illicitũ. Sed si addaťit. quæstionis ly amicabiliter, aut gratuite (vt scilicet qua ratur, an mutuans sub spe alicuius muneris amicabiliter conteqẽdi, alias non mutuaturus, &c. sit vsurarius) dicẽdũ est qꝙ nõ, quia nihil speratur ex mutuo vltra sortẽ, sed ex affectu amicabili. Vnde breuiter posset cum distinctione ad quæstionẽ motã dici, quod, aut talis mutuãs sperat

aliquid vltra sortem ex mutuo: & sic vsuram committit, aut ex affectu amicabili eius cui mutat: & sic non peccat.

ET PER HÆC patet responsio ad obiecta: quoniam mutuum dantes iubētur nihil inde, id est ex mutuo sperare. Et in decretali illa dicūtur malè agere: quia nisi ex mutuo ad quid sperarent emolumenti, non mutuarent. Ex dictis autem patet hoc esse verū, nec obstare determinationi, qua dictum est licitum esse sperare aliquid gratuitè cōsequendū. Mediolani, die 6. Aprilis. 1500.

QVÆSTIO III.

Vtrum vsurarius mentalis teneatur ad restitutionem.

VÆRITVR vtrum vsurarius mentalis teneatur ad restitutionem.

¶ Et videtur quod sic. Omne alienum restitutioni est obnoxium, sed omne lucrum vsurarium est alienū, vel quia non est translatum dominū, vel saltem quia competit repetitio: ergo.

¶ Præterea, Extra, de vsuris cap. consuluit. dicitur ꝙ vsurarij mentales ad ea, quæ taliter sunt accepta restituendum in animarum iudicio efficaciter sunt inducendi: ergo ad restitutionē tenentur.

IN OPPOSITVM autem est, quia nullus tenetur ad restitutionem eius, quod nullo modo occultè aut manifestè extorsit per se vel alium, quamuis inteндat extorquere sed vsurarius purè mentalis nihil directe, vel indirectè extorquet, quamuis hoc intendat: ergo nō tenetur ad restitutionem eius, quod sibi vltra sortem datum est secundum spem suam.

RESPONDEO, in hac dubitatione prēmittendum est, quis & quotuplex sit vsurarius mentalis: deinde respondendū est quæsito. Ad vsurarium mentalem tria requiruntur. primò ꝙ intendat præter mutuatam sortem aliquid lucri: aliter vsuræ ratio non saluaretur. Secundò, ꝙ talis intentio sit talis quod sine ipsa non mutuaret: spes enim secundaria vsurarium non facit.

Tertiò, ꝙ illud lucrum non intendatur quasi gratuitè & amicabiliter habendum, sed vt ex obligatione propter mutuo præstitū dandum: vt enim in alia quæst. ex doctrina S. Tho. diffinitum est, spes habendi aliquid vltra sortem gratuitè & amicabiliter vsuram non facit, sed licita est. Et sic vsurarius mentalis est qui intendit ex mutuo aliquid vltra sortem non gratuitè dandum aliter non mutuaturus.

¶ Quamuis autem propriè loquendo duplex tantum sit vsurarius mentalis (de quo est quæstio) extensō tñ vocabulo triplex inuenitur. Primus est, cui lucrum speratum succedit modo sperato: id est non gratuitè, sicut & ipse sperabat non gratuitè sibi dandū. Secundus est, cui lucrū speratū succedit non modo sperato, sed meliori: quia. f. lucrum quod sperabat ex obligatione dandū, gratuitè sibi datum est. Tertius est, cui lucrum speratū datur propter aliquā tacitam eius petitionē. Et quia vsurarius tertio modo, est nō pure mentalis, ꝓpter exteriora signa, quibus tacitè petit aliquid vltra sortem ex mutuo, & hoc parum differt à perfecta vsuræ rōne quo pacto aliquid plus exigitur: & ideo de hoc non est præsens quæstio, cōstat enim talem teneri ad restitutionē. Quia etiam vsurario mentali primo modo lucrū, ꝙ datur, non datur omnino voluntarie, & prauа intentione ab eo speratur, cōmuniter & bene dicitur etiam talē teneri ad restitutionem. Sed de vsurario secundo modo (cui. f. gratuitè donatur quod prāua intentione sperātur) diuersa doctorum videtur esse opinio Ioan. And. in Mercurialibus, regula, pactum. Inno. Host. & Panor. in c. cōsuluit de vsuris. & glo. in c. mandato. de simonia. dicentibus talem obnoxium restitutioni. Richardo verò & Scoto in 4. d. 15. cū sequacibus hoc negantibus. Et illorum quidem ratio duplex est. Prima, quia omne lucrū vsurarium est lege vtriusq; testamenti prohibitum, & restituendū indistinctè à Theologis dicitur. Constat autem tale lucrum, quāuis dono datum, esse vsurarium ex eo quod mutuum fuit vsurariū ex prauitate intētionis. Secunda: quia contractus à principio vitiosus effectum sortitur vitiosum, cōtractus autem talis mutui est vitiosa vsuræ depraуatus ex intentione lucri cōsequēdi: ergo effectum inde secutum, scilicet lucrū dono datū, vitiosum necesse est esse, & consequenter restitutioni obnoxium. Istorum autem ratio super donatione libera illius lucri fundatur, adstruūntq; hoc exēplo furti mentalis, dicentes, Si aliqui intendenti furari aliquid, illud à dño donetur, licitè accipitur absque obligatione ad restituēdum. Simile enim quid patet accidere in vsurario mentali: intēdit nanq; iniustè habere lucrum, melius tñ sibi succedit quia donatur. Dicentium quoq; vsurarium mentalem teneri ad restitutionem, alij asserunt restituendum esse ei, qui donauit: quia regulare est, ꝙ lucrum vsurarium reddendum est ei à quo habitum est. Alij autem affirmant dandum esse tale lucrum pauperibus, non illi qui dedit: quoniam ex quo sponte dedit, reperitionis ius à se abdicauit: ex quo verò vsurarius iniustè accepit retinere illud non potest, ac per hoc pauperes Christi succedunt.

¶ Et quoniā (vt ex inferius dicendis patet) opinio dicēs talem vsurarium non teneri ad restitutionem, veritatē assequitur: ideo declarāda sunt tria. Primò quod nō tenetur restituere illi, qui dedit: secundò, quod tenetur restituere pauperibus: tertiò quod absolutè non tenetur restituere. Primū declaratur sic: Restitutio secundū communem Theologorum doctrinam nō ideo est necessaria: vt ab illo qui lucratus est, lucrum auferatur: sed in commutationib⁹ inuoluntariis, vt damnum passo satisfiat, & in commutationibus voluntarijs, vt illi qui minus habet, quam debet habere, reddatur quod est sibi debitum. Sed in casu proposito ille qui dedit nec est damnum passus, quia nullus patitur iniustū volens, nec minus habet quam sibi debeatur, quia libere donauit: donum autem, est dare tio irredibilis: ergo sibi nō est restitutio facienda. Secundū declaratur dupliciter. Primo, quia (vt patet ex Theologis in 4. sen. d. 15.) duo sunt genera lucri illiciti, pauperibus erogandi, Alterū prohibitū secundū se vt simoniacū, &c. Alterū ꝓhibitum secundū suā ēausam tantū, vt meretricum. Constat autē lucrum propositum nec esse prohibitum secundum se (quia datio nō est iniusta quum sit libera donatio) nec secundum suam causam: quia supponitur liberè & sponte hoc donari & non ex obligatione mutui accepti, ergo nulla ratione pauperibus est erogandum. Secūdo si pauperibus erogandum esset, hoc non esset ob aliud, nisi propter iniustā accipientis intentionem: sed ex hoc non sequitur obligatio ad restituendum: ergo. Declaratur minor: quia suscipiendo illud lucrū secundum veritatem dono datum, aut credit illud donari & tunc patet etiam receptionem esse iustā, quamuis prima mutuātis intentio fuerit praua, & adhuc perseueret, sicut quod etiam si nō donaretur vellet aliquid lucri. Aut credit illud non donari, sed male libenter sibi dari: & tunc cum secundū veritatem illud donetur, & donum licitè accipi possit, iste iniustè accipit non ideo, quia agat contra aliquod ius, sed quia agit contra conscientiam dictantem sibi quod receptio hæc sit iniusta: quum (vt dictum est) secundum veritatem sit iusta secundum se, & in promptu sit, vnde possit discerni, quod iusta sit: ex eo nāque quòd nec directè, nec indirectè ipse aliquid petiit, & ille sponte offert, coniicere poterat quod libera donatio erat. Ex hoc autē solo, quod acceptio est contra conscientiam, nulla ratio suadet nasci obligationē ad non retinēdum illud acceptū, nisi durante tali cōscientia: potest nāque postmodū conscientia erronea deponi & incipere iuste possideri, quod cum peccato retinebatur. Si autem talis conscientia deponi non posset ab aliquo, reddendum esset nō pauperibus, sed illi qui dedit: quia non est acceptata donatio, quā non credit esse. Aut neutrum credit, vel quia nō cogitat, vel dubius est, & tunc quicquid sit de peccato, eis de rationibus habetur, quod ad restitutionē non tenetur: quum non sit deterioris cōditionis in hoc tertio casu, quam in secundo. Tertiò autem declaratur soluendo simul ratione alterius opinionis. Vbi scito, quòd aliquod esse lucrum vsurario dupliciter cōtingit, scilicet per se, & per accidens. Vsurariū per se, integratur ex duobus: quorum secūdum sequitur ex primo, scilicet ex eo ꝙ est pretiū rei iam solutæ, vel non extantis, & quod est aliquo modo inuoluntariū, hæc enim est natura vsuræ, vt patet exercitatis. Vsurarium autem per accidēs est, quod secundū se has non habet conditiones, sed secundum quòd stat sub intentione, vel opinione alicuius, & propterea contingit esse voluntarium ac per hoc non esset vsurarium, secundum quod vsurariū lucrum species est lucri inuoluntarij. Quum autem restitutio ex natura lucri nascatur, quod secundum se alteri debitum est, vt reddatur (quia est actus iustitiæ cōmutatiuæ, cuius terminus & obiectum est id quod secundum se est iustum, quod opponitur iniusto secundum se, non secundum accidens) consequens est, quod lucrum vsurarium per accidens non est restitutioni obnoxium, sed tantum lucrum secūdum se vsurarium. Et quia in casu proposito lucrum perceptū non est vsurarium per se (quia nec datur pro mutuo nec inuoluntario, sed ex affectu gratuito sponte donatur) sed est vsurarium per accidens propter intentionem scilicet corruptam suscipientis: consequens est quod tale lucrum non sit restitutioni obnoxium. Et quoniam scientia est de his, quæ sunt per se: ideo sermo Theologorum dicens indistinctè vsuram esse restituendam intelligitur de vsura per se, non per accidens, qualis est in proposito, Lucrum siquidem vsurarium per se est effectus ipsius prauæ intentionis adiunctæ mutuo, & datur non omnino voluntariè. Quod autem sponte donato datur, quamuis ex praua intentione suscipientis vsurarium per accidens sit, non illius prauæ intentionis effectus est, sed ex gratuito effectu donantis procedit, & ideo restitui non oportet.

ET per hoc idem fundamentum patet responsio ad obiecta in principio, quia licet vsurarium per se sit alienum, non tamen vsurarium per accidens, quale est istud. Decretalis quoque illa de lucro vsurario per se intelligenda est, non de eo quod est per accidens. Mediolani, die 8. Aprilis, 1500.

QVÆSTIO IIII.

Vtrum omnia bona vsurarij sint obligata eis à quibus vsuræ extortæ sunt.

VÆRITVR vtrum omnia bona vsurarij sint obligata eis à quibus vsuræ extortæ sunt.

¶ Et videtur qđ nō. Quia obligatio realis tráhit cū re: sed multæ res vsurariorū possunt alienari absq; aliqua obligatione

ligatione eas concomitante: vt patet de bonis patrimonialibus: non ergo omnia bona vsurarij sunt obnoxia vsuris reddendis.

¶ Præterea, si omnia vsurarij bona essent obligata, nec gener vsurarij posset accipere dotem ab eo qui habet alias, vnde posset restituere, nec aliquis posset aliquid ab eo emere simpliciter: & creditoribus competeret actio super illis rebus: & sic multi illaqueantur etiam bona fide indecentes. Hæc autē omnia absurda sunt: ergo, &c.

IN OPPOSITVM Est glossa, extra de vsuris in cap. tuas. & in 6. in cap. quanquam.

RESPONDEO In hac quæstione sunt duæ opiniones: vt refert Panormita. extra de vsuris in cap. quum tu. & in c. tua nos. Communis siquidem antiquorū canonistarum opinio fuit, quod omnia bona vsurarij sunt tacitè obligata eis, à quibus vsuræ extortæ sunt. Ioannes autem And. & Host. & ipse Panorm. & moderni tenent oppositum: quia nullo iure probatur talis obligatio, & quia aliter multi illaquearentur.

¶ Sed si diligenter considerauerimus, inueniemus vtranque opinionem aliquo modo verum dicere. Sciendum est ergo triplicia bona posse habere vsurarium, s. extorta per vsuram, & empta ex pecunia vsuraria, & alia quæ omnia munda sunt ab vsuris, puta patrimonialia. Obligatio quoque alicuius rei est duplex, realis & personalis. Obligatio realis est, quæ conuenit rei ex iure, quòd habetur super re illa particulari. Obligatio verò personalis in proposito est quæ conuenit rei, non ratione sui, sed ratione personæ cuius est. Differunt autem hæ obligationes tripliciter. Primò in radice iam tacta: quia, scilicet realis oritur ex ipsa re, quæ alteri obnoxia est, vt patet de re furto ablata. Personalis verò redundat in rem ex persona domini obligati ad satisfaciendum, puta ad reddendum creditoribus 1000. ducatos, quos accepit. Secundò: quia realis semper comitatur rem ad quemcunque & quodcunque res transeat: vt patet de re rapta: personalis verò non semper comes est rei, sed quandoque res liberatur ab illa obligatione, perseuerante tamen obligatione in domo eius. Quum enim dicimus, verbi gratia, non est obligata creditori, inquantum hæc res, sed inquantum est debitoris, statim vt desinit esse debitoris, desinit esse obligata: cessat enim obligationis ratio. Ex hoc autem differunt tertiò, quia res obligationem realem habens annexam, nec vendi, nec emi aut quocunque alio modo alienari liberè potest, obligata autem ratione personæ, alienari liberè potest, quandiu apud personam illam remanet vnde creditori satisfacere possit. Patet hæc in bonis furis, non tamen furto ablatis, & in cæteris debitis.

¶ His igitur stantibus deduco duo. Primò, quòd bona per vsuram extorta sunt obligata eis, à quibus extorta sunt obligatione realis. Secundò, ꝙ bona cætera siue empta ex pecunia vsuraria, siue non, sunt obligata vsuraria obligatione personali, non realis. Primum patet ex eo, ꝙ vnaquæque res occupata ab altero habet realem obligationem ad dominum suum: sed res per vsuram extortæ occupantur ab vsurario absque translatione dominij: vt aliàs diffinitum est: ergo sunt reali obligatione obnoxiæ eis, à quibus extortæ sunt. Confirmatur quoque hoc ex iure fructuum. Res enim ex sui natura non fructificans possessori, sed alteri, illius alterius actioni reali subiecta est: alioquin enim ex sui natura non fructificaret illi: sed res per vsuram extortæ si fructificant non vsurariis, sed illis, à quibus extortæ sunt, fructificant, non ex aliquo pacto aut contractu superaddito, sed ex natura rerum: vt patet: ergo. Secundum verò quo ad omnes partes à S. Tho. quoque in Secunda secundæ, quæstio. 97. artic. 3. ad secundum, habetur, & ratio probatur. Quod enim non sit in eis obligatio realis patet ex eisdem mediis negatiuè sumptis: quia. s. talium bonorum vsurarij sunt veré domini, & eis fructificant. Quòd verò personalem habeant obligationem annexam, patet & ex eo quod passi vsuram habent actionem super omnibus bonis vsurarij, si vsurarius soluere renuit, sicut quilibet alius creditor: non enim deterioris est conditionis is, cui vsura restituenda est aliis creditoribus. Et ex eo quod secundum Theologorum sententiam, filius illius, cuius bona nō excedunt vsuras reddendas, nullus potest tuta cōscientia vxorem accipere cum dote: hoc autem nulla alia ratione dicitur, nisi quia supponitur omnia bona illius obligata esse eis à quibus vsuræ extortæ sunt. Et sic tam antiquorum: quam modernorum opinio saluari potest, vt illorum sermo de personali, horum verò de reali obligatione accipiatur.

AD OBIECTA verò, quamuis ex dictis possit patere responsio: quidam tamen vnicam distinctionem addendam censentur, scilicet de titulo lucratiuo & oneroso, dicentes quòd si bona vsurarij transeunt ad alterum titulo oneroso (puta emptione vel dote, &c.) quod transeunt absque obligatione aliqua: si verò transeunt titulo lucratiuo quòd remanent obligata. Alij verò huic distinctioni aliam superaddunt de bonis emptis ex pecunia vsuraria, & bonis alter habitis: & credunt distinctionē illam de duplici titulo locū habere in bonis emptis ex pecunia vsuraria: & hoc ex officio iudicis, & non in alijs bonis.

¶ Et quoniā nulla necessaria ratione hæc firmare videntur, dicendum est secundo Theologos (quorum est de vsura determinare) quod loquendo de bonis non per vsuram extortis, sola temporis distinctio consideranda est. s. quod aut tempore, quo res vsurarij ad me deuenit, quocunque titulo, vsurarius remanebat potens, ad restituendum aut non. Si remanebat potens, res transit absq; aliqua obligatione: si remanebat impotens, trāsit cum obligatione. Et sic ego teneor ad satisfactionem pro illa parte, quocunque titulo ad me res deuenerit: & mihi imputandum est, si ab illo emi, vel dotem accepi, cuius erant tot debita, quod adæquabat vel excedebant bona propria. Nec distinguo inter empta ex pecunia vsuraria & alia bona, quoniā idem esse iudicium de eis & de aliis ratio suadet, ex quo vere habet eorum dominium & fructus: & S. Thom. vbi supra dicit hæc sicut alia bona obligata esse. Et ideo in decre. cum tu, extra de vsuris. Alex. 3. non mandat ipsa restitui, sed vendi vt pretium habeatur, ex quo possint vsuræ reddi. Mediolani die 41. Aprilis, 1500.

QVÆSTIO. V.

Vtrum altero hærede vsurarij nō potente restituere, alter teneatur insolidum.

QVÆRITVR vtrum altero hærede vsurarij nō potente restituere, alter teneatur insolidum.

¶ Et videtur quod sic. Primò quia hoc sentit glossa in cap. tua nos. de vsu. & eam communiter sequuntur doct. vt Panor. ibidem dicit.

¶ Secundò, quia filij tenentur ad restitutionem sicut parentes sui si viuerent: vt in prædicta decre. dicitur: sed parentes tenentur secundum totam facultatem suam: ergo filij tenentur secundum totam hæreditatem: sed absque consumptione mediæ hæreditatis quandoque restitutio integra fieri potest: vt patet in magna hæreditate, & paucis paruisque vsuris, ergo altero hærede non soluendo alter tenetur insolidum.

IN oppositū est generalis regula soluendorum debitorum. s. q. hæredes tenentur secundum hæreditarias portiones tantum.

RESPONDEO quod canonistæ (vt allegatum est) tenent partem affirmatiuam: aut quia credūt omnia bona vsurarij esse tacitè obligata eis, à quibus vsuræ extortæ sunt, ac pei hoc quilibet hæres tenetur ratione hæreditatis obligatæ: aut quia putant hoc esse practicandum in fauorem defuncti, vt eius anima citius libereтur, quamuis non credant de iuris rigore esse necessarium. Mihi autem secundū Theologalia principia videtur oppositum: & ratio est, quia sufficit restituere simplum, quod simplum ablatū est. Cōstat autem, quod in diuisione hæreditatis admixtæ vsuris diuiditur simul & æs alienum: ac per hoc secundū portiones hæreditarias fiunt, & vsurarū, vt scilicet succedēs in duabus partib⁹ fiat hæreditas, suscipiat esset duas partes lucri vsurarij, &c. Si igitur vn⁹ restituere vult, sat est quod tantum reddat quantum hæreditauit: vel vt melius loquar quantū hæreditasset secundum propriā portionem hæreditariam. Dico autem hoc, quia etiā si nihil vsurarum ad hęredem peruenit, nihilominus tenetur secundum portionem hæreditariam, quia personam patris induit secundum suam portionem, & consequenter eius obligationem participat. Et confirmatur quia nullus tenetur ad restituendum plusquam obligetur: sed obligatio paterna diuiditur in hæredibus proportionaliter, sicut hæreditas: quemadmodum & ius exigendorum: non ergo tota obligatio ad alterum transit hæredem, & consequenter non tenetur insolidum.

Nec obstat si dicatur ꝙ regulariter hæredes vsurarij tenentur secundum hæreditarias portiones: sed in casu, quod alter efficitur impotens ad soluendum, & vires hæreditariæ in altero sufficiunt, alter tenetur insolidum. Hoc enim esse voluntarium ex eo patet, quod quum ex iure successionis, & hæreditatis perceptæ manifestum sit, non teneri nisi secundum portionem hęreditariā, ex hoc quod alter in mora restituendi fuit, non debet alter grauari: aliquin sequeretur, ꝙ si alter hæres in principio successionis, secundum portionē suam restituisset, altero nolente satisfacere, & postmodum impotente reddito, ꝙ ille innocens tunc teneretur satisfacere etiam pro portione cohæredis: quod est manifestè absurdum & contra rationem: quia quum hæreditas secūdum iustitiam adeunda sit, deducto à re alieno, consequens est ꝙ ille, qui portionē hæreditatis sibi debitæ percipit, proportionaliter satisfacturus quo ad æs alienum, etiam secundum iuris rigorem nullo reatu astrictus remaneat. Non ergo tenetur alter insolidū cohærede imporēte effecto: & hoc per id loquendo: posset enim ꝙ accidens cōtingere, quod teneretur insolidum, si in diuisione, aut successione hæreditatis induxisset cohæredem ad retentionem vsurarum.

¶ Rationes autem alterius opinionis facilè soluuntur: quum enim obligatio omnium bonorum vsurarij, ad vsuras restituendas nō sit res

sit realis, sed ratione personæ (vt superius dictum est) consequens est quod diuisa persona vsurarij in hæredes, diuisa quoque proportionaliter transeat ad hæredes obligatio illa, ac per hoc nullus hæres tenetur ex hoc, nisi secundum suam portionem. Et nota quod obligatio illa bonorum quodammodo augetur, & quodammodo minuitur in diuisione hæreditatis. Minuitur quidem pro quanto diuiditur sicut hæreditas. Augetur verò pro quanto singulæ partes illius obligationis singulos hæredes sic afficiunt, vt transeant in omnia eorum bona etiam aliunde habita: ita quod omnia bona cuiusque hæredis vndecunque illa aduenerint, sunt obligata ratione personæ ad satisfaciendum pro illa parte obligationis, ex quo illam obligationem in se semel hic hæres susceperit, hæreditatem adeundo. Hæc enim est natura taciturnæ obligationis bonorum ratione personæ, vt omnia bona illius inquantum illius sunt, non absolutè afficiat. Practica autem quæ in fauorem animæ creditur exercenda, nullum fundamentum iustitiæ habet: sed eleemosynariæ largitatis tantùm: non enim debet cogi aliquis ad id, ad quod non tenetur.

AD PRIMVM ergo horum, quæ in principio obiecta sunt, dicitur quod quum glo. funderur super obligatione totius hæreditatis ad restitutionē vsurarum, & ex hoc non sequitur conclusio sua, s. quod alter teneatur insolidum, admittenda non est glossæ autoritas, nulla sufficienti ratione fulta, sed sola turba sequacium. De qua non est curandum: quia voluntariè sequuntur glossam, negando eius fundamentum (vt moderni) vel errant in fundamento, vt antiquiores: quemadmodum in præcedenti quæst. dictum est.

¶Ad secundum verò dicitur, q̄ filij tenentur, sicut & pater, obligatione. s. personali omniū bonorum suorum. Sed in hoc est differētia, q̄ pater est tota illa persona, ac per hoc habet totam obligationem: quilibet autem hæres est pars illius personæ & consequēter partem tantum obligationis subit: & ideo quemadmodum viuente parte omnia sua bona erant tacitè obnoxia ratione personę eis à quibus extortæ sunt vsuræ, quo ad omnes vsuras extortas: sic diuisa hæreditate cuiusque hæredis bona omnia sunt tacitè obligata ratione personæ eisdem quo ad partem vsurarum iuxta portionem hæreditariam. Nec aliud potest concludi ex decretali illa. Mediolani die 18. Aprilis. 1500.

DE PETITIONE lucri cessantis.

QVÆSTIO VI.

Vtrum quando licet petere damnum lucri cessantis, possit peti totum lucrum cessans.

QVÆRITVR vtrum quando licet petere damnum lucri cessantis, possit peti totum lucrum cessans.

¶Et videtur quod sic. Primò, quia hoc videtur decisum in ca. nauiganti, de vsuris in fine, vbi excusatur vendens rem seruandam tanti, quanti vendēda creditur tempore statuto: hoc enim nihil aliud est, quàm totum lucrum speratum in futuro ex nunc percipere.

¶Præterea, Secundum doct. creditor propter morā debitoris potest petere interesse lucri cessantis: sic quod potest petere tantum quantum verisimiliter ille lucratus fuisset cum illa pecunia, si est mercator industrius. Hoc autem est totum lucrum cessans petere, ergo.

IN OPPOSITVM est differentia inter interesse damni emergentis, & lucri cessantis: quia illud est æqualiter compensandum, hoc autem non.

RESPONDEO, Quòd quia cōtingit scire in vniuersali, & ignorare in particulari. i. posse. ideò quum cōmunis animi conceptio & Theologorū & Canonistarum sit, q̄ inter habere aliquid in actu & habere illud in potētia multum refert, sic magna debet esse differētia inter recōpensationē eius, quod habetur in actu, & illius quod possidetur in potentia. Cōtingit tū, quosdam nō aduertentes, quod lucrum cessans sit de numero eorum, quæ habentur in potētia, & veritati, & sibiipsis cōtradicere, dum asserūt posse peti totum lucrum cessans, q̄n damnum lucri cessantis recompensandum venit. Manifestè siquidem pateret lucrum cessans nondum actu haberi, sed in potentia tantum esse, vel fuisse, ac per hoc multipliciter possibile impediri, vnde absque dubio quamuis licitum sit q̄nque petere damnum lucri cessantis, non tamen est licitū petere totum lucrum cessans, sed secundum propinquitatem & elongationem potentiæ ab actu, & alias particulares circunstātias ad arbitrium boni viri recompensatio facienda est.

AD PRIMVM ergo in oppositum dicendum, q̄ decretalis illa non habet rationem lucri cessantis, sed temporis, pro quo res venditur. Quū enim regulare sit, quod pretium rei venalis statuatur secundum tempus, pro quo fit venditio, nō in quo ille, qui erat seruaturus suas merces: & tamen nunc vendit, supponitur quod vendat pro tempore, pro quo intendebat vendere tunc: nunc verò contractum celebrare cum rei exhibitione: & ideo potest vendere quanti creditur tunc vēdenda. Quamuis autem etiam Decretalis hoc non dicat: sed solum quòd potest vendere amplius quàm tempore contractus valeat.

¶Ad secundum dicitur, q̄ doctores illi imitandi in hoc non sunt, quia sibiipsis etiam contradicunt. Vnde in multis particularibus casibus (quos hic non oportet enumerari) quando doctores dicūt, q̄ licet plus forte accipere ratione interesse, quia negationib⁹ licitis aut agris emendis pecunia exposita esset, non intelligas, quod liceat petere tantùm, sed aliquid ad arbitrium sapientum. Mediolani die 24 Aprilis. 1500.

TRACTATVS NONVS DE SIMONIA in tres quæstiones diuisus.

1 *Num emptio ecclesiasticorum beneficiorum sit simoniaca, quia prohibita: vel prohibita, quia simoniaca: hoc est, vtrum sit in eorum emptione simonia de iure diuino aut positiuo.*

2 *Num emens & acquirens episcopatum, non intendendo soluere promissam pecuniam, sit simoniacus.*

3 *Num vacante sede, & quærentibus omnibus pontificatum per fas & nefas propter ambitionem & auaritiam & Ecclesiæ ruinam, liceat viro probo & digno quærere pontificatum adhibendo promissiones, & exhibendo tēporalia & beneficia, &c. pro suffragijs propter hunc finem vt in sede positus Ecclesiā prosit, & illam reformet.*

QVÆSTIO I.

Vtrum emptio beneficiorum ecclesiasticorum sit simoniaca, quia prohibita: vel prohibita, quia simoniaca, hoc est, vtrum sit in eorum emptione simonia de iure diuino, aut positiuo.

QVÆRITVR vtrum emptio beneficiorum ecclesiasticorū sit simoniaca, quia prohibita: vel prohibita, quia simoniaca: hoc est, vtrum sit in eorum emptione simonia de iure diuino, aut positiuo.

¶Videtur enim q̄ sit iuris positiui. Primo: quia tale ius præbendæ annexus est ecclesiasticis ordinibus à iure positiuo, vt patet ex eo quod in primitiua ecclesia erant pastores & ordines absque præbendis: imo vsque ad Vrbanum primum Ecclesia Romana dicitur absque reditibus vixisse.

¶Secundò: quia quādocunque sunt duo coniuncta alterum spirituale & alterū temporale: emere illud totum ratione temporalis non est illicitum secūdum se, vt patet de vasis sacris, & decimis, &c. sed in beneficiis est vnum spirituale (puta ordo aut cura animarum) & alterum temporale, scilicet præbenda: ergo licet hæc emere ratione præbendæ: sed omnes, qui emunt, non nisi ratione præbendæ emunt: ergo nullus committit simoniam, nisi forte agat contra ius positiuum.

IN OPPOSITVM videtur communis Theologorum sententia.

IN HAC QVÆSTIONE tria agenda sunt. Primò ponentur opiniones. Secundò, examinabuntur. Tertiò, respondebitur obiectis.

QVO AD PRIMVM tres sunt hic opiniones, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema est, quod simonia in beneficiis vniuersis est tantum prohibita iure positiuo. Et consequēter quū Papa sit supra ius positiuum, ipse non solum cēsuras, sed peccata euadit simoniæ vendendo ecclesiastica beneficia: quamuis non euitet peccatum scandali & acceptionis personarum in huiusmodi. Et hanc opinionem sequuntur gloss. in cap. ex parte de officio deleg. & ibidem Anto. de But. Imo & Cardinalis in cap. primo de simonia. Secunda opinio extrema est, quod simonia in omnibus beneficiis ecclesiasticis est prohibita iure diuino, ac per hoc quū Papa diuino subdatur iuri, peccatum simoniæ incurrit hæc vendendo, quamuis iuris positiui pœnas euadat. Et hanc videntur communiter Theol. sequi. Ratio huius opinionis ponitur à S. Thom. in secunda secundæ. quæstio. 100. articu. 4. quia scilicet beneficia ecclesiastica non possunt esse sine spiritualibus antecedentibus & causantibus ipsa. Ex hoc enim sequitur, quod venditis præbendis etiam spiritualia venditioni subiiciantur. Tertia autem opinio media est, quod simonia in beneficiis quibusdam est prohibita iure diuino, & in quibusdam iure humano. In habentibus siquidem administrationem ordinis, vel executionem clauium, simonia prohibetur diuino iure: in non habentibus autem horum (vt sunt administrationes hospitalium, &c.) simonia iure tātum humano committitur. Et cōsequenter in illis Papa inuoluitur vitio simoniæ si vēdit, & in istis non. Et hæc est opinio Panormitani in ca. primo de simonia. & in repetitio: quia vero in cap. extirpandæ. de præb. Et fundatur hæc opinio super duobus. Vnum est quod ordo est de iure diuino: quod probat, qui erat in veteri testamento. Alterum est, quod in connexis vendito vno, vēditur re-

liquum. quosi probatur infra, q. 3. si quis obiecerit. Ex his enim arguit, quod in horum venditione vēditur executio ordinis: ac per hoc quodammodo ordo ipse, quod est in se simoniacum. Nec potest dici, quod annexum temporale tantùm vendatur: quia neutrū inuenditum relinquitur. Hæc de primo.

QVO AD SECVNDVM, Quia omnium opinionum rationes ex duobus pendent, scilicet distinctione eius, quod est ex iure positiuo ab eo, quod est ex iure diuino, & connexione eorū: ideo tria sunt perserutāda. Primò, quod in his ecclesiasticis beneficiis sit ex iure diuino, & quid ex iure positiuo. Secundò, an id quod est in eis ex iure positiuo, sit venale. Tertio, an connexio talis efficiat, vt vno vendito, vtrunque necessariò vendatur. Iis enim elucidatis, opiniones omnes radicitus examinatæ erunt, & veritas simul totius quæstionis apparebit.

¶In ecclesiastico beneficio duo sunt: clericatus ad minus, & præbendæ titulus. Clericatū esse ex iure diuino cōstat, tū ex eo q̄ clericatus nihil aliud est, quā addictio ad ministrandū sacrificiis diuinis: vnde & à sacerdote nomē accepit: quia in sortem Domini, qui clerici sunt, electi sunt. Fuerūt enim omni tēpore clerici. Ante legem quidē primo geniti clerici erant: vnde & primogenituræ ius sacrum erat. Sub lege autem tota tribus Leui sanctificata est ad diuina officia. Tum ex eo q̄ spirituale quoddā est. omnis enim clerici officium in spiritualibus actibus cōsistit: vt patet discurrenti. Vnde in prima tonsura ex vtraque parte præcisio corporalis in capite fit, s. secundum partem superiorē, in qua fit tonsura: & secundum partē inferiorē, per quatuor angulos, in qua incidūtur capilli, ad significandū, quod à rēporalibus vndique præcisi, ad superna, quæ spiritualia sunt, ministri deputantur. Tum autoritate S. Tho. in secunda secundæ. q. 100. ar. 4. qui officium clericale non spirituali annexum, sed spirituale esse à Deo dicit, vt ideo beneficium ecclesiasticum spirituali annexum, censeatur, quia clericali officio coniunctū est. Spiritualiū aūt autor Deus est, quāuis ex institutione ecclesiæ sit modus faciendi clericos. Et ex hoc patet q̄ opinio Panormitani diminuta est, enumerādo executionē ordinis clauium, & prætermittēdo officiū clericale. Quāuis enim in spiritualibus sint grad⁹, & ordo sit spiritualior clericatu: & claues sint magis spūales multis ordinibus, omnia tamē in spiritualiū genere sunt: & omnia inuendibilia sunt: quia totū genus spiritualiū est materia repugnās venalitati. vt pulchrè in eadē quæst. ar. 4. ostendit S. Thom. Est ergo in omnibus ecclesiasticis beneficiis vnū spirituale & omnino inuendibile, scilicet officium clericale.

¶Alterum verò, scilicet præbendæ titulus multa in se cōtinet. Præbenda enim duo dicit, s. stipendiū clericale, & certā determinationem talis stipendij secundum quantitatem (puta 1000. ducatorū) secundum tēpus (puta annum) secundum locū: puta ex fructibus talis territorij, &c. Et consequenter in præbendæ titulo possunt considerari quatuor: primò ius stipendij: secundò stipendium: tertiò ius talis & tanti stipendij in tali loco, &c. & quartò ipsum tale & tātum stipendiū ibi, &c. De quibus sigillatim est dicendum. Ius stipendij proculdubio ex diuino est iure & spirituale, quia eo ipso est, quo officium clericale. Et hoc enim q̄ aliquis diuinis est addictus ministeriis, ius habet vt sustētetur à populo, pro quo Deo ministrat. Vnde si sacerdotibus Ægypti ex publico prouideatur vt dicitur Gen. 47. & tribus Leui, quia ius hoc habebat, partem inter fratres suos non accepit, & vt dicitur. 1. Cor. 9. Qui altari deseruiunt de altari participant: & rursus, Quis militat suis stipendiis vnquam? Stipendium vero ipsum tēporalis res est, sed diuino iure debitum, vt probatū est: iniquū quippe esset, vt assistentibus Deo pro nobis, & oportuna nō daremus. Ius aut talis aut tāti stipēdij, ex iure prouenit positiuo, si tale ius à primo iure aliud est: si enim idē est cum primo, quum primum sit ex diuino iure & spirituale, hoc quoque erit ex diuino iure & spirituale. Quod autem non sint duo iura (vnū scilicet respectu stipendij, & alterum respectu quantitatis & qualitatis stipendij) sed vnum tantū, probatur dupliciter: ratione scilicet, & autoritate. Ratio est: quia ita se habet ius clericale ad beneficium ecclesiasticum, quemadmodū ius sacerdotis ad curam habendā animarum: imò magis & arctius cum iūgitur ius clericale cū præbēda, quā ius sacerdotis, cum animarum cura: quia ibi est ratio debiti: hic non. clerico enim debetur stipendiū, sacerdoti autē nō debetur cura animarum. Sed sic est, quòd per hoc quòd sacerdoti ex iure positiuo datur cura talis Ecclesiæ, aut autoritas audiendi confessiones, nō cōfertur ei nouum ius, sed iuri, q̄ habet à Deo, determinatur ab Ecclesia materia, circa quā operatur. Nō enim sacerdos parochialis habet duas autoritates (alterā à Christo, & alterā ab Ecclesia) sed vnā tantū à Christo, qua sacerdos potest absoluere & ligare indeterminatē. Et quū ab Ecclesia determinatur, q̄ personę talis loci, aut volūtarie subiiciantur ei, potestas illa determinatā iam habēs materiam potest exerceri, quæ prius ex defectu propriæ materiæ exerceri non poterat: ergo à fortiori per hoc, quod clericoconfertur certa præbenda, non confertur ei nouum ius, sed determinatur iuri, q̄ à Deo habet certa possessio. Ita quòd ius clerici à Deo est indeterminatum, nec magis exigit hoc quā illud stipendium: sed Ecclesia dando certos reditus, determinat illud, assignando illi propriam materiam. Vnde non sunt duo iura in clerico respectu beneficij: sed vnum tantū, & à Deo indeterminatē datū quo ad materiam, & ab Ecclesia postmodū determinatū. Et cōfirmatur hæc ratio ex multis similibus: scilicet præcepto de sanctificatione festorum & de cōcessione facienda, & decimis soluendis, &c. Hæc enim omnia ex iure diuino sunt indeterminatè, & ab ecclesia sunt quo ad determinationem temporis, quantitatis, modi, &c. Et tamen nō sunt duo præcepta de custodiendis festis (vnum ex iure diuino & alterum ex iure positiuo) sed vnum tantum de iure diuino indeterminate, & ab Ecclesia determinatum, & similiter est de aliis. Quēadmodum ergo in præceptis indeterminate datis à Deo & determinatis ab Ecclesia, non multiplicamus præcepta: ita in iure indeterminate à Deo, & determinato ad Ecclesia, non multiplicēatur ius, sed vnū restat in seipso. Autoritas est S. Tho. in quæst. præfata ad tertiū: vbi dicit, quod ius accipiendi decimas est spirituale. Constat enim idem esse iudicium quo ad propositum de iure decimarum & præbendarum: quia vtrobiq; est aliquid ex iure diuino, scilicet quod aliquid indeterminatè detur, & aliquid ex iure positiuo: scilicet quod illud aliquid sit decima pars aut quod sit tale vel tantū, hic vel ibi, &c. Si ergo ius decimarum est spirituale, & tamen decima est de iure positiuo, quo ad determinationem (vt patet, & S. Thom. expresse dicit in secunda secundæ, quæstio. 87. articul. 1.) consequens est, quod ius præbendæ est spirituale, & de iure positiuo non sit, nisi quo ad determinationem temporis quantitatis, &c. Eorum igitur, quæ in clerico beneficiato sunt, omnia de iure diuino sunt, nisi quartum, scilicet determinatio stipendij. Ex iure siquidem positiuo à prælatis Ecclesiæ actum est, vt annua stipendia, & tantæ quantitatis, &c. in illa aut sint Ecclesia, & tali ministro applicata sint, &c. Et sic patet primum quod discutiendum erat.

¶Secundum autem (quid, s. sit hic veniale, & quid non) ex his facile haberi potest. Quum enim spirituale venditionis materia esse non possit, & ius omne clericale tam respectu stipendij indeterminatè, quam respectu talis & tanti stipendij spirituale sit, sequitur necessariò quod ius præbendæ venale non sit: & si venditur, simoniacum est, non quia prohibitum, sed quia in se est simoniacum: Ipsum autem stipendium, seu ipsa præbenda, quum sit purè rēporalis, res vendi potest. Vnde sanctus Thomas in præfata quæ. 100. dicit, quòd quum Papa concedit decimas militibus, non concedit eis ius spirituale accipiendi decimas: sed tantummodo res temporales, quæ decimæ appellantur.

¶Ex his autē patet tertiū propositorum, an, scilicet connexio ista excludat venalitatem. Est enim hic duplex connexio, s. iuris præbendæ ad clericatū: & ipsius præbendæ ad hunc clericū. Et prima quidem connexio venalitatem omnino excludit: tamen ex natura cōnexorum, quia vtrunque est spirituale, vt patet ex dictis: tum ex natura connexionis: iam enim patet, quòd ius præbendæ non est connexū, quasi aliena res cōiuncta, sed est connexum per identitatem aut quasi identitatem cum ipso clericali officio. Notanter autem dixi, aut quasi identitatem: quoniā forte ius præbēdæ se habet ad clericatum, vt passio ad subiectum, & non vt omnino idem. Vnde S. Tho. in quæst. præfata beneficium ecclesiasticum annexū clericatui, & pendere ab eo dixit. Sed in proposito nihil refert: eiusdem enim rationis est, obiectum & passionem vendere, vt Iaspidem & proprietatem eius. Secunda autem est connexio venalitatem & compatitur, & excludit diuersimode. Compatitur quidē respectu ipsius clerici actiue: quia potest ipse vendere, & locare fructus beneficij sui. Excludit autē respectu eiusdē passiue: quia, scilicet non potest sibi vendi propter duo. Primò, quia vēdi non potest res à non domino: nullus autē prælatus, nec summus Pontifex est dominus fructuum percipiendorum: reditus enim omniū ecclesiarū quamuis sint Papę, vt principalis dispensatoris: non tamen sunt eius, vt domini & possessoris: inquit S. Tho. vbi supra art. 1. ad septimum. Secundò, quia conferendo alicui clerico beneficium & vendendo sibi fructus percipiendos, nihil aliud est quam vendere illi executionem propriį, & spiritualis iuris: paria autem sunt vendere ius & illius executionem. Vnde & duo peccata hic concurrunt, iniustitiæ, quia venditur clerico quod est suum: prius enim intelligitur habere titulum, qui dicitur gratis dari: & deinde executionem, quæ habentis iam titulum ipso iure est. Et simoniæ, quia vendi conuinctur executio temporalis iuris.

¶Ex prædictis autē patet solutio quæstionis. Liquet siquidem ex rationibus adductis, quod emptio ecclesiasticorum beneficiorum quæ clericatui sunt annexa, & non solum illorum, quæ habent administrationem clauiū, aut executionem ordinis, est prohibita, quia simoniaca, & non simoniaca: quia prohibita: quia emptionis materia est res spiritualis, quæ venalitati omnino repugnat, quod quia non aduerterunt alij Canonistæ, errauerunt.

Et confirmatur hæc conclusio, quia emens beneficium proculdubio intendit emere ius talis præbendæ. Vnde, si Papa vellet sibi vendere

Universidad de Deusto
Biblioteca

vendere fructus absque iure præbendæ, aut non emeret, multò minus solueret. Sed ius talis præbendæ est spirituale, sicut & ius decimarum. ergo veliat nolint res spiritualis est, quæ venditur & emitur. Et consequenter simonia, non quia prohibita, sed in se committitur. Hæc de secundo.

QVO AD tertium satisfaciendum est obiectis. Et ad primum (quod est fundamentum totius erroris) dicitur primò, quod peccat secundum non causam vt causam. Dependentia nāque ex iure positiuo non est causa venalitatis, sed negatio spiritualitatis, vnde spiritualia, quæ ex iure positiuo pendent, venalia non sunt, vt patet de consecratione sacrorum vasorum & vestiū, & de benedictione nuptiarum, &c. Oportet ergo pro fundamento assumere, q̄ titulus præbendæ est res tēporalis, & nō quia est de iure positiuo vt posit secundū se materia venditionis esse. Secundò dicitur, quod aliquid esse de iure positiuo contingit dupliciter. Vno modo quo ad substantiam rei: vt sunt officia temporalia, & alia huiusmodi. Alio modo quo ad determinationem tantum. Prima quia sunt totaliter ab homine, venalia sunt: alia verò, quia secundum spiritualem eorum substantiam sunt, & ab Ecclesia tantū modificationē & determinationem recipiunt, venalitati repugnant. Rursus, prima Ecclesia potest annullare, vtpote totaliter sua opera: secunda verò potest mutare, & aliter determinare. Vnde quamuis in potestate Ecclesiæ sit separare à iure clericali determinationem præbendæ, quam acceptauit & statuit: si tamen sustinet, ex quo spiritualis iuris determinatio est, vendi non potest. Quemadmodum in potestate Ecclesiæ est, subtrahere consecrationem virginum quam determinauit: si tamen sustinet, vendi non potest nisi simoniacè.

¶ Ad secundum etiam dico duo. Primò, q̄ loquendo de iure præbendæ, falsum supponitur, quod sit res tēporalis. Secundò, quodlo quendo de ipsa prębenda tēporali, distinguendū est de cōnexione, quia cōnexio reitēporalis cum spirituali (vt sanctus Tho. ibidem dicit) contingit dupliciter. Vno modo, quod temporale se habeat ad spirituale vt ad consequens, ita quod temporale ordinatur ad spirituale aliquod exercitium, & in his connexum potest vendi ratione temporalis: vt patet de calice. Alio modo vt temporale se habeat ad spirituale, vt ad præcedēs, ita quod temporale oritur & conseruatur ex spirituali, & in his connexum non potest vendi ratione temporalis. Tale autem est beneficium ecclesiasticum: quoniam ex clericatus gradu, quo addictus quis est ministeriis diuinis, ius innascitur præbendæ: & stante illo, præbendæ stipendium debetur diuino naturalíque iure. Ratio autem diuersitatis huius inter hæc duo connexorum genera assignatur ibidem: quia in istis in quibus temporale dependet ex spirituali, intelligitur vendi spirituale, in illis non. Et ratio est: quia paria sunt vendere effectum, & vendere causam eius in fieri & conseruari (quum ex tali causa omnino pendeat effectus) sed non est par vendere rem & ordinem ad vsum illius, modo præbenda (vt dictum est) pendet ex spirituali in fieri & esse: calix autem & similia non pendent ex spirituali vsu, ad quem sunt sacrata. Romæ die 28. Decembris 1504. inchoante.

QVÆSTIO II.

¶ Vtrum emens & acquirens episcopatum non intendendo soluere promissam pecuniam, sit simoniacus.

VÆRITVR Vtrum emens & acquirens episcopatum, non intendendo soluere promissam pecuniam, sit simoniacus.

¶ Et videtur quòd non. Tum quia peccatum principaliter consistit in voluntate: voluntas autem istius non fertur ad simoniam. Tum quia non sequitur actus completus, traditio scilicet temporalis pro spirituali.

IN OPPOSITVM autem est: quia hic interuenit acceptio spiritualis, scilicet episcopatus ex pactione procedens, & consequenter simonia: vt patet ex diffinitione simoniæ assignata per Host. in titulo de simonia.

AD EVIDENTIAM huius dubitationis duo sunt videnda. Primò, an secundum rem sit hic simonia. Secundò, an secundum Ecclesiæ iudicium sit hic simonia, sacris canonibus punita & excommunicata.

QVO AD PRIMVM, quum actus exterior ad genus moris non nisi propter actum interiorem spectet, quum simonia vitium morale sit, oportet primò ipsam intus inuenire. Et quum nō circa passiones, sed actiones liberas versetur, in voluntate oportet eam primo inquirere. Vnde & in eius diffinitione dicitur, quòd est emptosa voluntas, &c. vbi igitur deest omnino emendi voluntas, ibi emptio secūdum veritatem non est. Sed in proposito casu, hic non intendit emere: nulla ergo est secundum rem emptio, sed emptionis tantummodo simulatio. Et quia emptio & venditio correlatiua sunt nec claudicare possunt, consequens est quod nulla sit hic venditio secundum rei veritatem, quamuis sit venditionis affectus, cum opere subsequuto, iis quantum est ex parte vendentis. Neque enim intelligi potest, vt vendat quis nulli ementi: quamuis fieri possit, vt velit & credat quis se vendere emere simulanti. Vbi autem nec emptio nec venditio secundum veritatem est, & secundum apparentiam, ibi nec simonia secundum veritatem est, sed secundum apparentiam tantum, si de spiritualibus agitur, vt in proposito. Et quoniam pœnæ iuris institutæ sunt contra ipsa vitia secundum veritatem, non secundum apparentiam tantum (non enim apparentes simoniaci, sed simoniaci suspenduntur & excommunicantur: apparentia enim est conditio diminuens, sicut pictura: non autem homo pictus est homo, & ita nec apparēs simoniacus) dicireo in hoc casu nulla incurritur censura. Nisi quis dicat propter affectum intentionis cum opere subsequuto, vēditorem tanquā simoniacum punitum censuris iuris: iuxta dicta extra de biga. nuper, &c. à nobis. Sed illud videtur singulare ius: non enim qui facit alicui quod credit prohibitum censuris excommunicationis & irregularitatis, &c. contemnens illas, incurrit eas lem: & tamen in eo est affectus intentionis cum opere subsequuto. Quamuis autem simulator hic à propria simonia & pœnis illius excusetur: non excusatur tamē à peccato mortali multiplici. Primò participationis cum simonia mentali vendentis, dando ad hoc operam efficacem. Secundò infamiæ proximi: sufficienter siquidem mentitur se simoniacum: quòd si contra proximum ageret, detractionis vitio non careret: quanto magis contra seipsum, quem plus proximo diligere tenetur? Tertiò scandali manifestè si quidem dat occasionem scandali aliis: vt patet. Quartò mendacij, dum fingit quod non habet in corde: quod secundum se prauum (vt dicitur Ethi.) nec vlla potest intentione rectè fieri. Quod quamuis veritati perniciosè opponatur, ac per hoc officiosum videatur: secundum tamen veritatem propter prædicti pernicioſum est. Hæc de primo.

QVO AD SECVNDVM, Sciendū est, quod non vertitur hic in dubium, an in iudicio Ecclesiæ staretur testibus & non excusationi istius simulatoris, qua diceret se finxisse, quoniam liquidum est quod secundū ea quæ exterius acta sunt, Ecclesia iudicaret. Sed quod multis ingerit dubitationē, est quia non est consummate perfectus actus exterior. Interuenit siquidem hic vltra pactionem datio & acceptio spiritualis, sed deficit datio & acceptio temporalis, s. pecuniæ præmissæ pro spirituali. Videntur enim Canonistæ omnes dicere, quòd ad hoc vt incurratur simonia punita ab Ecclesia, requiritur actus exterior, non tantum interior aut pactio, sed cum intentione & pactione executio: an autem cōpleta vel incompleta: non dicūt quantum vidisse me memini. Sciendum est igitur, quod tria numerata. (s. intentio, pactio, & executio) ita se habent ad simoniā punita ab Ecclesia, quòd quodcunque horū defecerit, non incurritur verè simonia punita. Si enim intentio deficit, vera simonia non est. Et si intentio est absque aliis, mentalis tantùm est. Et si intentio cū pactione absque executione est secundum Tancre. (vt refert glo. in c. tua nos. de simonia) videtur ista simonia punita: quia sola pactio apud ipsum facit simoniam. Et saris rationabiliter videtur hoc dici: quia vbi est intentio cum pactione, ibi est vera vēditio & vera emptio spiritualis, &c. & consequenter vera simonia: & est exterius subiacens iudicio Ecclesiæ. Vnde nulla apparet ratio, quare pœnas iuris statim pactione facta simoniaci incurrere non debeant. Et cōsimatur, quia simonia in contractu emptionis & venditionis consistit in rei veritate: executio enim nihil aliud est, quā ponere in possessionē rei iam emptæ & promissi precij. Vnde nulla ratione cogente: sed sola auctoritate veterū, creditur requiri tertium, scilicet executionē. Quod ex Host. diffinitione apparet: inquit enim quod simonia est acceptio vel datio spiritualis ex pacto temporalis, &c. prouenies. Vbi manifestè patet, quòd in simonia punita ab Ecclesia pactum locatur, vt causa: ipsa vero executio locatur vt substantia simoniæ. Fatendo ergo quod hæc tria requirantur, restat videre, an executio incompleta & claudicans ex altera parte. s. temporalium sufficiat. Et breuiter ex tribus colligo quod sic. Primò ex prædicta diffinitione Host. quæ communiter acceptatur: in ea enim dicitur, quod acceptio siue datio spiritualis ex pactione rei tēporalis, est simonia punita ab Ecclesia: ergo. Secundò ex cōmuni dictorum, scilicet quod quando concurrit ex pacto, collatio spiritualis, est simonia punita: nec vllus vnquam addit, quod requiratur acceptio etiam temporalis. Tertiò ex c. si quis. de simonia, vbi expresse iudicatur simoniacus conferens ordinem ex pacto rei futuræ.

¶ Sed tunc insurgit dubitatio, an sit etiā simonia punita, si claudicat executio ex pte spiritualis: puta ille dedit ex pacto temporale (puta pecuniā) & hic accepit: sed non dedit adhuc spirituale, puta episcopatū. In hoc siquidem casu nulla interuenit datio aut acceptio spūalis: sed intētio & pactio vtriusque, executio autē solius tēporalis. Audirem libenter decisionē. Crediderim tamen ego, q̄ nō incurratur cēsura ex defectu executionis. Nec est eadem ratio de claudicatione ex hac parte & ex illa: quia spirituale tenet principalem locum, & est ratio & radix totius repugnantiæ ad venalitatem: & ideo penes illius executionem videntur attendi executio simoniaca. Quia ergo in casu nostro Ecclesia præsupponit simoniacam intentionem, & cōstat de pactione & de acquisitione spiri

rituālis & deficit tantùm executio temporalis pro spirituali iudicabit Ecclesia simoniam esse sacris canonibus vetitam & punitam: & vtranque partem excommunicatam. Hæc de secundo.

¶ Nec oportet aliter respondere ad in principio obiecta: quia satis patent ex dictis. Romæ die 4. Ianuarij. 1504.

QVÆSTIO III.

Vtrum vacante sede, & quærentibus omnibus pontificatum, per fas & nefas propter ambitionem & auaritiam ac Ecclesiæ ruinam, liceat viro probo & digno quærere pontificatum, adhibendo promissiones & exhibendo temporalia & beneficia, & cætera pro suffragiis, propter hunc finem, vt in sede positus Ecclesiæ prosit & illam reformet.

VÆRITVR Vtrum vacante sede, & quærentibus omnibus pontificatum per fas & nefas propter ambitionem & auaritiam ac Ecclesiæ ruinam: liceat viro probo & digno quærere pontificatum, adhibēdo promissiones, & exhibendo temporalia & beneficia, &c. pro suffragiis, propter hunc finem, vt in sede positus Ecclesiæ prosit, & illam reformet. Est autem ratio dubitandi: quia vtrinque rationes sunt.

¶ Quòd enim hoc sit licitum, quadruplici ratione videtur. Primò: quia cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum: constat autem finem huius operis sanctum esse: ergo.

¶ Secundò: quia non magis obligant iura prohibentia huiusmodi promissiones & emptiones, quàm votum & iuramentum: sed constat quod quando votum & iuramentum seruata in publicæ vtilitatis damnum redundant, seruanda non sunt quamuis iusta & sancta essent, ergo nec huiusmodi leges seruari debent in tali casu in quo ecclesiasticæ reipu. ruina imminet manifestè.

¶ Tertiò. Quia si hic interueniret aliquod peccatum hoc nō esset nisi simonia: sed simonia hic non est, probatur quia in beneficiis ecclesiasticis simonia est de iure positiuo: vt multi canonistæ asserunt. Constat autem quòd nullum ius positiuum contra communem Ecclesiæ vtilitatem ad eiusque ruinam seruandum est: quoniam omnia (vt Bernardus inquit) statuta tandiu seruanda sunt, quandiu contra charitatem non militant: ergo, &c.

¶ Quartò. Quia vnicuiq; licet redimere vexationem suam & proximi & præcipuè publicā: sed in hoc casu nihil aliud fit, nisi quòd redimitur vexatio propria & publica totius ecclesiæ: ergo licet.

PRO OPPOSITA autem parte est, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona: sed emere spirituale est malum: ergo non est faciendum propter quodcunque bonum.

AD EVIDENTIAM huius quæstionis quatuor agam. Primò ostendam distinctè in quo stat difficultas. Secundò, quia difficultas stat in duobus, respondebitur quo ad vnū illorum. Tertiò, quo ad alterum. Et quartò satisfiet rationibus in contrarium.

QVO AD PRIMVM, Sciendum est, quod operationum humanarum quinque sunt genera. Nam prima diuisione distinguuntur in bonas, malas & differētes. Et rursus bonæ distinguuntur in omnino bonas & in bonas non omnino: & malæ quoque distinguuntur in secundum se prauas, & in solitariè malas. Vnde sunt quinque genera: duo bonarum, & duo malarum, & vnum indifferentium. Omnino bona opera sunt, quæ non solum bona sunt, sed non possunt malè fieri, vt interior charitatis actus prius: non enim potest quis Deum amare ex charitate, & tamen malè: vt patet. Bona autem non totaliter sunt, quæ licet in seipsis bona sint, possunt tamen mala intentione fieri: vt dare eleemosynam, colere Deum exterioribus sacrificiis, &c. possunt enim hæc propter inanem gloriam fieri, Mala verò secundum se praua sunt, quæ nulla possunt intentione bene fieri: vt mentiri, adulterari: & alia huiusmodi. Mala autem solitariè vocantur illa opera, quæ si sola nudāque considerantur, nocumentum aliquod important: quæ tamen possunt tot circunstantiis vestiri, vt bona & sancta sint: vt occidere, mutilare aut priuare hominem rebus suis. Hæc enim si sola considerantur, cum vnde bona sint non habeant, mali rationem prætendunt, pro quanto mala proximorum afferunt: & tamen si hæc fiant propter bonum publicum ab habente auctoritatem, seruato iuris ordine, &c. iusta & sancta redduntur. Indifferentia demum opera sunt, quæ secundum suam speciem nec boni nec mali rationem habent: leuare festucam de terra. His autem stantibus liquet, quod actus iste, de quo disputauimus, scilicet dare aliquid temporale pro episcopali sede habenda, secundum se non est in genere bonorum nec indifferentium quum sit prohibitus. Sed dubium est, an contineantur in genere malorum quæ sunt secundum se praua, an inter ea, quæ sunt mala solitariè. Si enim est secundum se prauus: nulla intentione, nullāque circunstantia poterit fieri licitus, de talibus enim malis intelligitur illud Apostoli, Non sunt facienda mala, vt veniant bona. Si autem nudè sumptus, speciem habet mali honestabilem per adiunctas circunstantias, poterit aliqua intentione & ratione rectus reddi: quamuis sit prohibitus, quia vt plurimum malè sit. Vt autem manifestetur, in quo genere cōtineatur, prius distinguere oportet in quot speciebus locari potest operatio proposita. Potest siquidem reponi in specie dupliciscilicet emptionis, vel quasi emptionis, & in specie redemptionis. In specie quidem emptionis, aut quasi, inquantum datur vel promittitur pecunia pro suffragiis habendis. In specie verò redemptionis, inquantum promittitur vel datur pecunia pro redimenda vexatione Ecclesiæ aut propria. Vnde ad hæc duo vniuersa quæstio ducit: an scilicet emptio talium suffragiorum aliquo casu sit licita vel an hic habeat locum redemptio vexationum: altero enim horum modorum oportet saluare actum istum, si licitus est. Vnde si emptio est illicita, redemptio non haberet locum, non video tertium modum quo quis fingeret actum istum bonificari posse. Hæc de primo.

QVO AD Secundum dico, quòd actus iste est simoniacus, Quod probo sic: In episcopatu sunt multa appetibilia: vt habes à S. Thom. in secunda secundæ. quæstio. 185. puta cura animarum, excellentia gradus, sufficientia temporalium, &c. quæ quantum ad propositum spectat, ad duo reducuntur, s. ad titulum pastoralem, & titulum præbendæ computando cum præbenda omnia temporalia, honorem, gloriam, &c. Aut iste vir probus & dignus pontificatu, intendit directè ad acquisitionem autoritatis pastoralis, aut ad titulum præbendæ. Si intendit directè emere suffragia pro titulo præbendæ, tunc insurgunt diuersæ Canonistarum opiniones: credentibus quibusdam hoc esse simoniacum, quia prohibitum: aliis verò prohibitum quia simoniacum. De qua difficultate erit quæstio specialis post: quia in proposito constat, quod non refert, quæ harum opinionum sit vera. Ex casu nanque proposito patet, q̄ iste non directè intendit ad acquisitionem temporaliū: sed directa & principalis intentio eius est acquirere episcopalem potestatem, quæ possit reformare Ecclesiam. Si ergo intendit directè ad pastoralem autoritatem, manifestè & starim liquet, quòd intendit directè emere suffragia pro spirituali autoritate habenda: & consequenter secundum omnes committit simoniam, non iuris positiui sed diuini. Autoritas nanque qua cura habetur animarum, qua præsul populo prodest, quáve conseruari, ac reformari ecclesiasticum corpus potest, est spiritualis, & à Christo data Petro: quum dixit, Pasce oues meas. Et confirmatur, quia ista duo obiecta. s. pastorale officium, & titulus præbendæ opposito modo se habeat respectu intentionis, & respectu emptionis. Respectu nanque intentionis vituperatur titulus præbendæ quia auaritiæ, aut ambitionis esse videtur affectus episcopatus propter annexa temporalia. Commendatur autē pastorale officiū: quia charitatis est velle aliorum incumbere saluti. Sed respectu emptionis magis vituperatur pastorale officium, quam præbenda: quoniā illud est materia nullo modo vēdibilis, hæc autē aut est aliquo modo vēdibilis, aut magis appropinquat ad naturam rerū venialium. Vnde emptio in casu proposito, quāuis videatur habere in se quandam pietatis speciē ex intentione bene vtendi pastorali autoritate, est tamen secundum genus suum grauius simoniæ peccatum, quam intēdētis emere suffragia propter annexa temporalia: quia actus emptionis eadit super materia magis repugnante. Et quia omnis actus moralis transiens super materia sibi repugnante, est secundum se prauus, consequens est, vt actus iste sit secundum se prauus: ac per hoc nulla possit rectitudine intentionis bene fieri. Hæc de secundo.

QVO ad tertiū, an, scilicet redēptio vexationis hic habeat locū, distinguo: q̄ a aut est sermo de redēptione vexationis propriæ. Et de hac dico, quòd non habet locum: quoniam secundū S. Tho. & communiter doctores, in consequutione beneficiorum redemptio vexationis propriè non habet locū, ante ius acquisitum: constat autē quòd hic non est acquisitum pontificatus ius. Aut est sermo de redemptione vexationis Ecclesiæ. Et de hac dico, q̄ esset habere locum in proposito, si vna circunstantia amoueretur: quia Ecclesiæ debetur bonus & dignus pastor: nec est dubium q̄ sit illi ius quæsitum de hoc, & q̄ electores tenentur sibi prouidere de tali capite, & excellentis esset charitas: si volentibus electoribus caput pernicioſum eligere, pecuniā quis eis daret, ne tam immane sacrilegium committerent, sicut volentibus materiale tēplum spoliare, pecunia laudabiliter datur, ne hoc faciant, & incidentes in latrones: licitè offerunt pro vita aut libertate redimenda pecunias, & si iuramēto se obligent ad aliquid eis dandū, tenentur seruare promissum. Tantò aut magis in casu nostro licitū & laudabile est pecuniā dare & promittere, quanto vita omiū Christi omnibus rebus tēporalibus præponenda est: quū pro his dominus animā posuerit, cæterisq; ponēdam mādauerit non solū exteriorem substantiā, sed vitā quum oportuerit. Circunstantia autem auferenda est velle sedem episcopalem pro seipso, siue pro quocunque alio in particulari, cui ius quæsitum non est. Hæc nanque circunstantia reliqua polluit. Et ratio est, quia redemptio vexationis (vt eius nomen sonat) non importat acquisitionē boni, nisi iure debiti, & exclusionem mali iniustè illati, aut inferendi. Ecclesiæ autem vexatio satis redimitur, si malum non eligunt, si bonus, & dignus, non autem hic, vel ille eligetur. Quocirca quamuis liceat & sanctum sit, auaris electoribus aliquid dare, & bonum & dignum in com-

in communi eligant(quia eiusdem rationis est dare, ne malus eligatur,& vt bonus eligatur, propterea ꝙ minus bonum quã opus sit, mali rationem habet) non tamen dare licet, vt iste vel ille bonus & dignus eligatur. Et propterea quum in casu proposito quæratur pontificatus à viro digno pro seipso, consequens est quòd hic non quærit redimere vexationem Ecclesiæ,sed suam: & quia hoc non licet,igitur casus iste nunquam est licitus.

¶Sed insurgit tunc dubium:quia dicere quispiam potest, quòd in tali casu sunt duo actus disparati:scilicet datio pecuniæ,& petitio pontificatus pro se: & quòd pecunia datur pro redimenda vexatione Ecclesiæ non propria, & seorsum petitur pontificatus pro se digno propter vtilitatem Ecclesiæ & pastum ouium Christi. Fateor ingenuè, quòd si sic fieret, quòd liceret, & ab excellentissima hoc charitate procederet.

¶Aduertenda tamen sunt hic tria. Primò ꝙ in casu proposito non est sic: quia acquisitio pontificatus pro se proponitur cadere sub conuentione pecuniæ datæ aut dandæ, quando autem actus isti sunt diuisi,oportet ꝙ seorsum fiat redemptio vexationis Ecclesiæ & seorsum petitio pontificatus fiat rogando absque omni conuentione. Vinculum tamen iuramenti addere liceret, si tamen in æquè bonum & dignum, aut meliorem non mutaretur sententia: non enim licet ponere obicem Spiritui sancto & Ecclesiæ libertati adæque bonum, aut saltem ad meliorem. Secundò, ꝙ quia sæpe mens sibiipsi mentitur (vt Grego.dicit in pastorali) & fingit sibiipsi de bono opere amare ꝙ non amat, solertissime, solicitissimè & cautissimè scrutandum est, quo quis animo mouetur: & vt idem Greg. (in homi.Pentecostes dicit) de dilectione Conditoris & proximorum propter eum non mens tantum,sed manus requiratur. Si enim quis in minoribus constitutus coaceruauit diuitias, nec proximis egentibus distribuit, quomodo nunc tam repente tanta affluit charitate, vt pro sola Ecclesiæ vexatione redimenda omnia dare velit? Signum autem infallibile ad sciendum quid ipsum moueat,est,si in veritate daret omnia illa quæ dat pro redimenda Ecclesiæ vexatione, etiã si alius fieret Pontifex æquè bonus aut melior. Nam si non daret, conuincitur ꝙ pro seipso aut illo sublimando soluit, & non tantum pro Ecclesiæ redemptione. Tertiò quòd in casu proposito sit mentio non solùm de pecunia, sed de beneficiis ecclesiasticis. Non enim etiam pro sola redemptione vexationis Ecclesiæ licet dare beneficia ecclesiastica indignis: quales supponuntur esse auari electores. Dare enim ecclesiasticum beneficium indigno, est actus secundum se prauus: & nulla potest excusatione, aut intẽtione rectè fieri. Vnde sicut non licet dicere mendacium pro saluanda Ecclesia, ita non licet dare ecclesiasticum beneficium indigno. Quare concludendo casus iste, vt proponitur, omnino est illicitus: potest tamen, diuidendo actum redemptionis ab actu petitionis,licitè fieri, pecuniam non ecclesiastica beneficia dando. Hæc de tertio.

QVO AD quartum respondendum est obiectis. Et ad primum dicitur, ꝙ illa maxima tenet in non malis: ita quod cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est, si non sit de genere secundum se prauorum. Non enim furari est bonum, si fiat propter eleemosynam largiendam: quia est secundum se prauum. Sic autem est in proposito quia talis emptio est secundum se praua: vt patet ex dictis.

¶Ad secundum dicitur, quòd ratio illa deficit in duobus. Primò quia hic loquimur de actu secundum se malo: iuramentum autem & votum tunc non sunt implenda, quando sunt respectu minus boni: aliud est enim prætermittere minus bonum & aliud est committere se malum. Secundo quia simonia ista (vt patet ex dictis) est directè respectu spiritualium,ac per hoc totaliter sub iure diuino tantùm. Vota autem & iuramenta partim ex iure diuino, partim humano pendent: & ideo maius est vinculum huius prohibitionis,quàm voti & iuramenti.

¶Ad tertium dicitur,quòd hic non est sermo de simonia respectu tituli præbendæ, de qua est dubium inter Canonistas: sed respectu spiritualis potestatis directæ, quæ non vertitur in dubium.

¶Ad quartum iam ex dictis patet, quomodo liceat Ecclesiæ vexationem redimere: quomodo potest hic interuenire, & quomodo non. Romæ die 26.Decembris, 1504. inchoante.

TRACTATVS DECIMVS DE Vsu spiritualium, cuius est vnica quæstio.

QVÆSTIO.

¶Num quilibet vtens spirituali in peccato mortali, peccet mortaliter.

VÆRITVR Vtrum quilibet vtens spirituali in peccato mortali peccet mortaliter.

¶Videtur quod sic. Primò, quia indigne exequens officium prælationis, peccet, ergo par est de aliis spiritualibus officiis ratio.

¶Secundò, quia minister debet conformis esse principali agenti, Deus autem & Ecclesia, cuius sunt ministri Officiales spirituales,sancti sunt.ergo,&c.

¶Tertiò, quia docere sacram Scripturam ex officio, siue prædicando,siue legendo,siue corrigendo, siue, &c. peccatum mortale dicitur,ergo,&c.

IN OPPOSITVM est, quia sequeretur quòd qui tenentur ad horas canonicas, & cantores in choro, & prælati dando licentiam vni fratri eunti ad emendum panem, si essent in peccato mortali,peccarent mortaliter: quod non solùm durum, sed dissonum satis est.

IN HAC QVÆSTIONE quæ propter verba diui Thomæ mota est, primo rem tractabo: Secundo ad verba sancti Thomæ descendam.

QVO AD primum sciendum est, quòd ex duplici capite pendere potest, quod peccator exercens spiritualem actum secũdum se licitum,propter finem debitum,&c peccet. Primò ex parte sanctitatis ipsius actus. Secundo ex parte sanctitatis officij, seu potestatis qua vtitur. Et siquidem actus sanctitatem attendamus, cum constet quod non quilibet sanctus actus male agitur à peccatore (vt patet de oratione, voto, iuramento, eleemosyna,&c.) distinguere oportet. Similiter cum constat,ꝙ non quodlibet sacrum officium malè exercetur à peccatore(vt patet de officio clericali officiando ecclesiam, & in exactione decimarum: ius decimarum spirituale esse constat à S.Tho.in secunda secundæ.q.87.ar.3.) distinguere quoque hic oportet. Et enim quoniam potentia est propter actum distinguatur cum S. Tho. ex 3. parte qu. 61. art.3. actus sanctus in duo genera. Quidam enim sancti sunt,quia consecratione aliqua sanctificati: & hi propriè sunt actus sacramentorum. Quidam vero sunt sancti:quia sunt secundum se mundi, & ad Deum ordinati: & hi sunt omnes actus virtutum. Et proportionabiliter officia,seu potestates duplicis generis sunt: nam quædam in consecratione consistunt, vt patet de potestate ordinis: & quædam non,vt patet de potestate iurisdictionis Ecclesiæ.

¶His præmissis pono duas conclusiones. Prima est. Quilibet existens in peccato mortali vtens sacro officio secundum actum sanctum id est consecratione aliqua sanctificatum,peccat mortaliter peccato sacrilegij. Et ratio est:quia quantũ est in se,polluit sancta, quamuis incontaminabilia secundum se sint sacramenta. Et hæc conclusio communiter conceditur, habetur quæ in 4.sen.dist.5.& in Tertia parte.quæst.64.art.6. Secunda est. Exercens in peccato mortali actus sanctos, id est iustos, quouscunque, non consecratos tamen, non peccat mortaliter, per se loquendo. Et probatur hæc cõclusio:primò, quia si hoc esset peccatum esset sacrilegium: sed hic sacrilegium esse non potest, cum sacrum proprie nullum sit. Et si dicatur quod licet non sit sacrum aliquod ex parte actus, est tamen hic sacrum aliquod ex parte officij:puta prælationis,vel ministerij Christi & Ecclesiæ. Nihil obitat: quia cum potentia sit propter actum,nullus potentia,vt sacra,vtitur: qui sacrum actum non exercet,sacrilegium autem tunc tantum committitur, quando contra sacrum,vt sacrum est,agitur. Secundò, quia si in huiusmodi exequutionibus peccatoris esset per se peccatum mortale, non esset in quibusdam sic & in quibusdam non: sed aliquod vniuersale oportet inuenire,cui hoc per se conueniat.

¶Et si diligenter attendamus distinctionibus factis,ad hæc oportet venire: oportet namque aut ex sanctitate actus tantum (puta tangere corpus Christi) aut ex sanctitate officij tantum (vt exigere suas decimas) aut ex sanctitate vtriusque peccatum mortale oriri. Sed ex sanctitate actus tantum hoc non est etiam si consistat in sanctitate consecrata quia licet peccatori tangere corpus Christi, leuando ipsum de luto: & baptizare in casu necessitatis sine solemnitate. Nec ex sanctitate officij tantum quia oportet actum ipsum esse sanctum alioquin Episcopus aut Curatus exigendo debita subsidia, si esset in peccato mortali, de nouo peccaret: quia officij sui actum exequitur: hoc autem est ridiculum. Ergo est sanctitate vtriusque. Et cum non ex sanctitate large sumpta (quoniam sic non liceret peccatorem clericum orare: quoniam officij sancti opus est sanctum) relinquitur, quòd ex sanctitate stricte in consecratione consistente ratio peccati sumatur. Dixit autem,per se loquendo,quoniam etiam orare in peccato mortali, est peccatum mortale per accidens vt patet in celebrando Missam in peccato mortali. Hæc de primo.

QVO AD secundum verba diui Tho. in 4.di.5.& di.19.art. 1.quæst.2.& in secunda secundæ.quæst.33. artic.5. & quæst.60.art. 2.ad tertium:& in Tertia part.q.64.ar.6.& specialiter ad primum consona non videntur. Nam in sententiis duriè nimis loqui videtur,& prælatum expresse dicit peccare corripiendo,& omne aliud proprij officij exequendo, si est in peccato mortali. In summa expresse dicit peccatorem corrigere absque nouo peccato, si humiliter hoc facit: & similiter iudicem non peccare arguendo & iudicando: & vtrunque super eadem Aug. autoritate fundat. Si enim peccatoré prælatum ista facere esse secundum se peccatũ mortale nulla humilitas stãs cum peccato mortali, faceret, vt esset licitum vt

vt hic docemur. Et in tertia parte vbi suprà docuit nos illã distinctionẽ de duplici sanctitate,tã actus, quã ministri. Et per illã ostẽdit,ꝙ pctores ministrates Deo in operibus charitatis nõ peccãt:& tãti eã facit,vt vtatur ipsa iuxta illã regulã: Si affirmatio est causa affirmationis,negatio est causa negationis, & ecõuerso: dũ ex negatione sanctitatis cõsecratę,infert negationẽ peccati in ministro peccatore:& ex affirmatione cõsecratæ sanctitatis,infert affirmationem peccati in ministro peccatore. Et quia super hoc tota hæc decisio fundatur,optima cẽsenda est:procedit enim ex ꝙ se causa.

¶Ex quibus credo ego quòd dicta in sententiis ad doctrinam in summa traditam tanquam resolutionem sint reducenda, & non econuerso. Vnde cùm omnes actus in arguendo allati sint sancti: quia sunt actus virtutum, & non consecrati (vt patet discurrendo in singulis)eos in peccato mortali exercens: per se loquendo,non mortaliter peccat,nisi prędicatio excipiatur: quia est actus Sacerdotis,aut Diaconi:quãuis hæc exceptio non necessaria videatur: quia prædicatio non est actus ordinis, per se loquendo: & consequẽter cum non sit nisi secũdo modo actus sanctus: idem videtur de ipso & aliis iudicium: non tamen ex æquo: quia præcipuus est pastoris actus:dicente Christo in institutione pontificatus Petro: Pasce oues meas. Et confirmatur hoc de prædicationis ministro, quia in synagogis Iudęorum & templo etiam non Sacerdotes, aut Leuitæ prædicabant:alioquin non fuisset Christo permissum prædicare:& Act. 13. nõ fuisset à principibus Synagogæ requisitum,& concessum, ꝙ Paulus prædicasset in synagoga. Cùm hoc tamen stat quòd fortè prædicare ex officio(sicut episcopus prędicat)cum solennitate,sit mortale:sicut baptizare ex officio,vt S.Th.dixit.

¶Ad rationem ergo primã (quæ in 4.sen.mouit autorem) dicitur ꝙ indignè pro nunc sumitur dupliciter:s.priuatiuè,& contrariè & ꝙ indignè priuatiuè exequens non semper peccat:sed nõ meretur id ꝙ priuata dignitas adimit. Indignè autem cõtrariè faciens aliquid peccat: sed tunc hoc restat probandum, quòd prælatus exequens officium suum quo ad actus charitatis & iustitiæ,s. corrigere, docere, &c. indignè agat contrariè. Quid enim contra sanctitatem horum actuum facit persona macula non dico manifesta aut scandalosa, sed absolutè ipsa macula peccati? Certè nihil video,nisi quòd priuat illos actus bonitate meritoria:quod nõ est de nouo peccare mortaliter. Nec autor ibidem ex hac ratione cõcludit peccatum mortale, sed peccatum tãtùm,vt patet intuẽti. Hanc autem rationem ipse modificauit, in tertia parte quasi addens,quòd tunc est indignus contrariè,quando est respectu actus sancti: id est consecrationæ mysticæ sanctificati. Et in Secunda Secundæ ad propositum idem, scilicet de correctione fraterna, explanauit quòd reddit ipsum correctore indignum,sic quòd quoddam impedimentum correctioni proximi cofert, non tamen tale, ꝙ per humilitatem peccatoris non possit suppleri seu honestari. Vnde actus iurisdictionis quorumcunque prælatorum & superiorum,& actus per accidẽs ministrorum ordinis & vniuersaliter non consistentes in consecratione aliqua à peccatoribus exercitati non pariunt per se nouum peccatum mortale. Ministratio autem sacramentorum,& eorum susceptio puritatem à mortali crimine exigit. Verùm scito quòd nec vere contritus nec credens se contritum, quia diligenter & si non sufficienter discussit seipsum censetur in peccato mortali quo ad hæc existere: alioquin quilibet qui peccauit mortaliter, exponeret se periculo peccãdi mortaliter, cum ad ministrandum, aut ad suscipiendum sacramenta accedit: cum nemo sciat, vtrum odio vel amore dignus sit: & hoc expresse sentit S.Thomas,in 4. distinctione 9. &c.

¶Et per hæc patet responsio ad obiecta. Rom. die 24. Aug. 1506.

TRACTATVS VNDECIMVS DE voto non nubendi,& de nouitiis, in tres quæstiones diuisus.

1 *Num votum non nubendi æquiualeat voto castitatis.*
2 *Num emissurus professionis votum possit absolutè renuntiare propinquis hæreditatem,quam probabiliter dubitat malè adepto ære infectam.*
3 *Num per votum, quo quis promittit offerre aliquid alicui particulari imagini B.Virginis sit acquisitum ius illi Ecclesiæ.*

QVÆSTIO I.

Num votum non nubendi æquiualeat voto castitatis.

VÆRITVR vtrum votum non nubendi æquiualeat voto castitatis.

¶Et videtur quòd non. Primò, Quia minus non æquiualet maiori. Sed votum castitatis maius est, quàm non nubendi: sicut seruare castitatem plus est quam non nubere, ergo.

¶Præterea, duorum conuertibilium quicunque destruit vnum, destruit & reliquum: sed committens fornicationem, agit contra votum castitatis, & non contra votum nubendi: ergo hæc duo non conuertuntur.

RESPONDEO, Quòd hæc quæstio duplicem sensum habere potest. Primò, vtrum hæc duo vota simpliciter æquiualeant. Secundò vtrum æquiualeant quo ad dispensabilitatem aut incommutabilitatem: ita quòd nulla autoritas possit in alterum, quæ non potest in reliquum.

¶Et in primo quidem sensu licet prima frõte propter argumenta adducta videatur quòd non æquiualeant: attentius tamen considerãtibus apparet, quòd distinguendum est de voto. Potest enim dupliciter sumi: vt placet Theologis,in 38. dist.1. Vno modo proprie: alio modo communiter. Voti siquidem propriè sumpti materia tantummodo est bonum supererogationis, eo quòd de ratione voti est, quòd sit de meliori bono. Voti verò communiter materia: est etiam bonum, ad quod quis aliàs tenetur. non inquantum huiusmodi, sed inquantum voluntarium vt patet de voto in Baptismo emisso. Si ergo loquamur de voto castitatis propriè, cum sub tali voto non cadat, nisi castitas supererogationis, quæ nihil aliud excludit nisi coitum matrimonialem (quia ad seruandam extra matrimonium castitatem quilibet ex præcepto tenetur) consequens est tale votum & votum non nubendi æquiualent. Si verò loquamur de voto castitatis cõmuniter, cùm sub tali voto claudatur omnis castitas, consequens est quòd tale votum,& votum non nubendi non æquiualent: sed longè maius est votum castitatis.

¶In secundo verò sensu quid tenendum sit, ex modò dictis concludendum est. Quidam enim, quia sedi apostolicæ vltra illa tria vota peregrinationis, duo tantùm inueniuntur reseruata, scilicet religionis & castitatis, & reseruationes non sunt ampliandæ, sed potius restringendæ (quasi odiosa prælatis, quorum autoritas restringitur) & votum castitatis omnem coitum secundum communem loquentium vsum excludere intelligitur, credunt hæc vota non esse æquè incommutabilia; sed in voto non nubendi Episcopum, in voto verò castitatis, solùm Papam dispensare posse.

¶Sed opinio hæc à veritate longè est: quòd tripliciter probatur. Primò: quia hæc duo vota æquiualent quo ad id quod per se & simpliciter in voto castitatis, absolutè loquendo, inuenitur. sub voto enim castitatis, absolutè loquendo, cadit castitas supererogationis per se & simpliciter: vtpote tanquàm ad quod institutum est: castitas autem ad quàm omnes necessariò tenentur, non cadit, nisi fortè secundum quid: constat autem quòd in voto non nubendi clauditur tota castitas supererogationis. Relinquitur igitur, quòd eiusdem rationis est dispensare vtrunque. Secundò: quia votum castitatis intantum est reseruatum Papæ, inquantum est ab eo dispensabile. Non est autem dispensabile, nisi quo ad castitatem supererogationis:in qua eiusdem rationis est cum voto non nubendi. Ergo hęc duo vota inquantum dispensabilia non solùm æquiualens, sed sunt idem: nihil enim aliud dispensando in voto castitatis concedit Papa, nisi nubere, & pro nullo alio obtinendo vult se adiri sedes apostolica ab habentibus votum castitatis nisi pro coniugio. Vnde dicere, votum non nubendi non esse reseruatum, vt votum castitatis, est propriam ignorare vocem. Tertiò, quia nisi aliunde ad oppositum quandoque cogamur, verba iuris propriè interpretanda sunt. Alioquin nulla posset expositio certa haberi: sed omnia ambigua essent, dum propriè vel impropriè intelligi dubitaretur. Voti autem nomen (vt ex dictis, & ex suo proprio fine, ad quem inuentum est, patet) obligationẽ ad ea, quæ supererogationis sunt, proprie importat: nulla enim est necessitas votiuæ obligationis ad ea, ad quæ ex præcepto tenemur. Vnde applicatum ad materiam veneream, dicendo votum castitatis, obligationem ad abstinẽdum à venereis, quæ licuissent, propria significatione insinuat, Quum ergo reseruatum apostolicæ sedi dicitur, proprie sumitur. Sic autem æquialere, imò idem esse quòd votum non nubendi, ostensum est. Relinquitur ergo quod vtrumque apostolicæ sedi eadem ratione & reseruatione reseruatum est. Nec fit hic aliqua reseruationis ampliatio: nec vocabula extra communem vsum doctorum trahuntur, quamuis vulgares largius loquantur.

AD Vtranque autem rationem in oppositum simul dicitur, quòd nihil aliud cõcludunt, nisi quod votum castitatis large sumptum, & votum non nubendi, non æquialent simpliciter: quod (vt ex dictis patet) non contrariatur determinationi nostræ: qua diximus, quòd votum castitatis propriæ, & votum non nubendi, simpliciter æquialent: & quod votum castitatis, absolutè loquendo, & votum non nubendi, quo ad dispensabilitatem vel indispensabilitatem æquialent. Mediolani, die 18. Decemb. 1500. In sancta Maria Gratiarum.

DE NOVITIIS.

QVÆSTIO II.

Num emissurus professionis votum possit absolutè renuntiare propinquis hæreditatem, quam probabiliter dubitat malè adepto ære infectam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆRITVR vtrum emissurus professionis votum, possit absolutè renuntiare propinquis hæreditatem, quam probabiliter dubitat male deto ære infectam.

¶ Et videtur quòd sic. Primò, quia vnusquisq; potest liberè vti iure suo, etiam si inde alterius damnum sequatur. Ius autem renũtiandi competere constat tali nouitio, qui nondum adiit hæreditatem: potest igitur iure huiusmodi vti.

¶ Præterea, Nullus tenetur constituere se debitorem alteri, nisi propter aliquam acceptionem, aut rem acceptam. Constat autem quod in hoc casu nouitius adhuc nullo modo concurrit ad aliquem acceptionis modum, nec res peruenit ad eum, quamuis sit in potentia proxima ad perueniendum ad ipsum. Et adeundo hæreditatem infectam, constitueret se debitorem his, à quibus res iniustæ extortæ sunt: ergo non tenetur ipsam acceptare.

¶ Et confirmatur, quia hæreditati grauatę debitis nouitius indubiè posset renuntiare, & non se constituere debitorem: ergo hæreditate noxia, multis restitutionibus idem potuit: neque enim magis ad hæc, quàm ad illa tenetur: imò secundum quosdam solutio debitorum ex mutuo vel emptione, &c. præcedit restitutionem malè ablatorum.

¶ Præterea, In professione religionis homo moritur mundo, ac per hoc debet abdicatis omnibus solicitudinibus seculi huius in nouitatem se vitæ transferre. Constat autem quòd restituendi in se onus suscipit, contingeret multa opus esse solicitudine, rebus præsertim dubiis extantibus: tum videndo, & examinando ratiocinia multa antiqua & difformia: tum in rerum venditione, vt possit ex pretio singulis satisfieri: tum in creditorum infinitorum inuestigatione, & aliis quamplurimis, quæ cum religiosi animi quiete non stant.

¶ Oporter ergo, si renuntiare non potest aut professum solicitari circa ea, quæ mundi huius sunt, multo tempore, aut paternam obligationem obicem sibi esse ad professionis holocaustum offerendum. Quorum vtrunque videtur inconueniens: quum beatus Matthæus qui rapere solebat aliena, teste Beda, relictis omnibus secutus legitur Dominum, Luc. 5. sic quòd vt gloss. dicit, etiam rationes incompositas dereliquit: ergo.

IN OPPOSITVM est, quòd ius naturæ expressum à Domino, Matth. 7. Quæcunque vultis vt faciant vobis homines hæc eadem illis facitis, inuiolabiliter seruandum est. Constat autem, quòd ipse nouitius si esset in statu creditorum, à quibus res iniste extortæ sunt, vellet regulata voluntate sibi satisfieri à bene dispositis ad restituendum, & non remitti ad mundanos, qui naturaliter abhorrent restituere: ergo & ipse debet hoc facere aliis.

RESPONDEO Cum distinctione: & dico quatuor. Primò, quòd si propinqui, ad quos post renuntiationem peruenirent hereditas, sunt tales quòd indubiè credantur restituturi, quando, quantum, quibus, &c. debetur, potest nouitius absolutè renuntiare, insinuando illis propinquis dubitationem, quam habet, & vade eam concepit, &c. Secundò, quòd si propinqui prædicti sunt tales, quòd indubiè credantur, nunquam, aut quasi nunquam restituturi, non potest nouitius absolutè renuntiare. Tertiò, quòd si propinqui medio modo se habent, scilicet quòd dubitetur, an restituent vel ne, non potest nouitius absolutè renuntiare. Quartò, quòd in his duobus vltimis casibus, & vniuersaliter in omnibus casibus extra primum, teneturnouitius sic prouidere, vt absque dubio credatur restitutio futura tempore debito, &c.

¶ Ad quorum euidentiam aduertendum est, quòd renuntiare hæreditati duo importat: vnum explicite, scilicet nolitionem hæreditatis: & alterum implicite, scilicet diuersionem hæreditatis ad alium, vel alios. Renuntiante enim aliquo, hæc duo semper se insepatabiliter comitantur: sic quòd renuntians, directè hæreditatem nolle se fatetur: & ex hoc naturali necessitate sequitur, quòd ad alterum hæreditas declinet. Et si in renũtiationis quidem actu sola nolitio consideretur hæreditatis, difficile & forte impossibile est, impedimentum aliquod afferre vetans talem nouitium à libera & absoluta renuntiatione: quoniam nec præcepta restitutionis ad hoc ipsum cogunt, quum ad ipsum adhuc se non extendant: quia non comprehenditur sub aliquo nouem generum personarum ad restitutionem obligatarum secũdum doctores in illis versibus, Iussio, consilium, &c. vt patet discurrenti per singula. Nisi quis crederet, quòd nolendo hæreditatem, fieret non obstans detentioni rei alienæ, quum possit non renuntiando obstare: ac per hoc obnoxius fieret restitutioni. Sed hoc nõ videtur necessarium: quia vt S. Thomas in Secunda Secundæ quæst 61. articul. 7. ad tertium dicit, tunc solùm non obstare obligat aliquem ad restitutionem, quando præsupponit obligationem ad obstandum in eo, qui non obstat: in hoc autem nouitio nulla præsupponitur obligatio, sed quæritur an in eo sit. Nec apparet aliquod præceptum charitatis ad hoc obligans: sed (vt obiiciendo tactum est) apparet oppositum ex eo, quòd cuilibet licitum est vti iure suo: & nullus omnino expers tam facti, quàm rei tenetur se inuoluere nouis quæstionibus & obligationibus, vt alteri satisfiat. Si verò in renuntiationis actu cõsideretur declinatio hæreditatis ad alium vel alios, quãuis prima facie videatur, quòd quicquid hinc sequatur, ponderandum non sit: eo quòd renuntians non est autor talis diuersionis, nec intendit eam, sed ordinario concomitatur intentum à renuntiante, scilicet nolitionem hęreditatis: diligẽter tamen considerãti videri facilè potest, declinationem istam esse, etsi non principaliter: secundariò tamen intentam à renũciante: quoniam scit principali suum intento annecti declinationem hæreditatis ad tales, & potest impedire connexionem talis declinationis, renuntiando aliis, vel modificando, &c. Attenta ergo in renuntiationis actu diuersimode hæreditatis ad tales propinquos, verificandi habetur via per quatuor supradictas conclusiones. Quum enim huiusmodi hæreditatis declinatio ex voluntate libera renuntiantis procedat, non vt casualis, sed vt per se secundò intentus effectus (vt patet ex se & ex dictis) & ex hac dependeat detentio aut restitutio alieni æris hęreditati immixti (quoniam ex ista declinatione ius hęreditatis acquirirur, & dominium facti respectu æris alieni: etsi ad auaros diuersio fit, perseuerabit detentio alieni: si verò ad bonos viros, fiet restitutio) consequens est, quòd talis diuersio debeat sic à renũtiante eius autore modificari, quatenus nullius ius ex illa violetur: alioquin ipse reatum iniustitiæ euadere non potest. Et confirmatur: quia renuntians, inquantum est autor talis deuotionis, quamuis implicite, positiue tamen disponit de hæreditate infecta. Constat autem, quòd ordinans & disponens de hæreditate infecta, immunem ab iniustitia non se seruat nisi prudenter & fideliter disponat de ære alieno restituendo: nec protestatione aut renuntiatione aliqua excusari potest. Tenetur igitur huiusmodi nouitius ad sic prouidendum, vt restitutio fiat: alioquin vt mutus fibractione præcepti, ad quod tenetur in dispositione hæreditatis infectæ, ad restituendum ipse tenebitur. Nec refert in proposito, an certum aut dubium verisimile sit de infectione hæreditatis: quoniam quemadmodum disponens de hæreditate tenetur, quæ constat aliena esse ordinare, vt omnino instituantur: sic tenetur de dubiis bonis ordinare, vt certitudo habeatur, etsi aliena comperiantur reddantur: quia ad hoc teneretur ipse si hæreditatem in se susciperet. Quia igitur huiusmodi liberæ renuntiationi nihil obstat, nisi restitutio alieni quam ante professionem fieri non posse supponitur ob sui intricationẽ: consequens est quòd renuntiatio licita sit, si annexam habet debitam prouisionem restitutionis agendæ: siue hoc fit propter cognitam fidelitatem bonorum propinquorum succedentium post liberam renuntiationem, vt prima conclusio dixit: siue hoc fit propter multas cautelas & fideles executores electos, & alias huiusmodi circunstantias in modificata renuntiatione, vt quarta conclusio proposuit. Et quia oppositorum eadem est disciplina, ex eisdem principiis patet illicitum esse absolute renuntiare, quando ex hoc scitur, aut dubitatur ad tales restitutio æris alieni deuoluenda, quibus exosa est restitutio: vt secunda & tertia conclusione dictum est. Nec est in dubium vertendum, an fideliter restituent cohæredes, qui proportione sua infecta non curant satisfacere: voce etenim Domini dicitur Matth. 7. A fructibus eorum cognoscetis eos.

AD Argumenta ergo in oppositum pro quanto inferre intendunt licitum esse absque distinctione aliqua absolute renuntiare, respondendum est.

¶ Ad primum ergo dicitur, quòd nouitio non competit ius absolute & libere renuntiandi hæreditati infectæ in omni casu: sed tunc tantum quando ex tali renuntiatione hæreditas deuoluitur ad non detentores alieni: vt ex dictis patet.

¶ Ad secundum dicitur, quòd quum in renuntiatione interueniat dispositio quædam rei alienæ hæreditati immixtæ, nisi talis dispositio debitis circunstantiis fulta sit, damnificarentur ex hoc illi, quibus res debet restitui: ac per hoc acceptio quædam alienæ rei suboriretur in ipso renunciante, obligans ipsum ad restitutionem acceptionis, siquidem nomine omnis damnificatio intelligitur in hac materia. Vnde teneturnouitius non debitorem se constituere, sed sic ordinare, vt satisfiat: non propter aliquam præcedentem acceptionem, sed ne in ipsa dispositione alienæ rei, acceptio interueniat. Ad confirmationem verò dicitur, quòd ideo grauamen debitorum paruipenditur, quia creditoribus consuetum est etiam à detentoribus alieni satisfieri, & propter contractuum cautiones, & propter suorum quinternorum fidem seruandam, & alia huiusmodi. Vnde si contingeret ex renuntiatione ad tales hæredes deuoluendam esse hæreditatem grauatam debitis, quos crederetur non soluturos, & propter potentiam, vel aliquid aliud non posse cogi (vt pluries contingit circa grauamen legatorum ad pias causas) eadem esset regula seruanda, quæ circa restitutionem male ablatorum dicta est.

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd nouitius perplexus non remanet in hoc casu: sed absoluere se absque multæ difficultate potest ab huiusmodi solicitudinibus, etiam quando habet propinquos auaros adhibẽdo necessarias cautelas in renũtiatione. Quod potest multipliciter fieri vel renuntiando aliis quos nouit non detenturos alienum, vel renuntiando quidem auaris propinquis, sed substituendo alios hæredes, nisi intra certum terminum sub certis iudicibus discussum sit, quid restituendum sit, & restitutum: vel renuntiando quidem auaris propinquis, sed ordinando, quòd hærediras ad eorum manus peruenire nullatenus possit, quoufque tales electi ab ipso renuntient, num inquisierint, examinauerint, iudicauerint & restituerint quicquid restituẽdum est. Et quoniam nemo militat propriis stipendiis, legare debet huiusmodi iudicibus & executoribus condignam & honorabilem mercedem, vt accendantur ad fideliter cuncta peragenda. Et sic horum aliquo, vel quouis alio modo rectè disposita renuntiatione, Christum nudum nudus sequi, profitendo poterit. Matthæus enim non ante restitutionem pauperem Christum pauper sequutus est, quum Zachæus Luc. 19. legatur restitutionem pollicitus. Nec Euangelista de vsu rerum simpliciter, sed de affectu quidem simpliciter de vsu verò pro tunc dixit, Relictis omnibus sequutus est eum: nam postmodum conuiuium magnum fecit in domo sua sumptibus Propriis: glossa quoque illa eodem est intelligenda modo. Mediolani, die 29. Septemb. 1509.

QVÆSTIO III.

Vtrum per votum quo quis promittit offerre aliquid alicui particulari imagini B. Virginis, fit acquisitum ius illi Ecclesiæ.

QVÆRITVR vtrum per votum, quo quis promittit offerre aliquid alicui particulari imagini B. Virginis fit acquisitum ius illi Ecclesiæ.

¶ Et videtur quòd sic. Primò, quia per promissionem acquiritur ius illi, cui fit promissio. vnde potest agere cõtra eum, qui promisit, si non seruauit promissum, sed in talibus votis fit Promissio non soli Deo, sed etiam tali Ecclesiæ implicitè vel explicitè, ergo per tale votum acquiritur ius illi Ecclesiæ. Minor patet ex eo, quòd sic vouens intendit se obligare non solùm ad offerendum Deo tale quid, sed ad offerendum tali Ecclesiæ vel imagini. Si dicatur, quòd illa promissio non est acceptata à prælatis illius Ecclesiæ, & ideo non acquiritur illis ius. Contra hoc est: Tum quia est acceptata implicitè: quoniam quemadmodum constat Deum acceptare promissionem sibi factam, ita Ecclesiam. Tum quia acceptatio non exigitur ad hoc quòd acquiratur ius in huiusmodi: vt patet in legatis factis Ecclesiis. Præterea, Si per tale votum non esset acquisitum ius Ecclesiæ, non posset Ecclesia ipsa agere contra vouentem: sed Ecclesia agit contra non seruantes talia vota: vt patet extra de censibus, cap. ex parte. & ab Innoc. & ab abba. ibi, & ex glos. 12. q. 1. cap. scimus. & Archiep. ibi. Ergo.

IN OPPOSITVM Est Gulielmi, & Summæ Pisanæ sequaciúmque opinio.

RESPONDEO, Quidam tenent vel absque ratione aliqua, vel propter rationes adductas, quòd tali voto acquiritur ius illi Ecclesiæ, cui res offerenda vouendo decreta est: & propterea talia vota esse incommutabilia, ac per hoc mortaliter peccare commutantes huiusmodi vota. Alij verò oppositum sentiunt, dicentes hæc vota esse commutabilia, sicut extera: quando scilicet necessitas vel vtilitas id exposcit.

¶ Et horum, iudicio meo, opinio vera est, & conformis Theologorum antiquorum sententiæ. Vera quidem: quia cùm ex voto nulli ius aliquod acquiratur, nisi ex obligatione vouentis: obligatio autem vouentis ex sola eius promissione oriatur, secundum quòd in voto inuenitur promissio, iudicanda est obligatio & iuris acquisitio. Cum autem in voto sint duo, scilicet promissio, & res promissa, & cõtingat quãdoque rem promissam vnam aliam promissionem esse (vt patet in voto professionis) necesse est duo esse genera votorum: quædam vna promissione cõtenta, quædam duplici promissione munita. Et vota quidem illa quæ vnicam tantùm continent promissionem soli Deo, cui promissio illa necessariò fit, ius acquirunt: talia autem sunt omnia vota, quibus Deo tantum aliquid promittimus. Vota autem quæ dupliciter implicant promissionem (altera vt materiam voti, altera vt essentiam voti) duobus ius acquirunt, & creaturis illis quibus aliqua boni promissio fit, & creatori cui vouetur implenda promissio creaturis illis facta. Talia autem sunt vota, quibus sanctis aut prælatis aliquid pollicemur, vt S. Th. in Secunda Secundæ, q. 78. ar. 5. docuit. In eiusmodi siquidem votis, promissio obedientiæ prælato, tanquàm quoddam supererogationis bonũ est res promissa Deo, & materia voti, promissio autem, qua Deo, ad id nos seruandum obligamur, essentia voti est, & actus latriæ. Et quoniam promissio rationis actus est, expectationem patiens in eo, cui fit promissio, non potest fieri nisi rationem habentibus: & consequenter nulla promissio sub voto cadere potest, nisi quæ Creatori aut rationali creaturæ fiat, Ac per hoc ex voto nulli potest ius acquiri, nisi Creatori aut creaturæ rationali: sola enim promissio in voto ius parit. Cum ergo in huiusmodi votis, quæ fiunt alicui imagini Crucifixi aut B. Virginis, &c. nulli fiat promissio nisi Deo, & Sancto alicui, nulli consequenter acquiritur ius nisi Deo & Sanctis. Eiusdem autem autoritatis est dispensare, vel commutare promissiones factas Deo & suæ curiæ cælesti: cum non sit minor autoritas Ecclesiæ in cõcernentibus cælestem curiam, quàm in spectantibus ad eius principem, nec aliquod damnum ciuibus cælestibus prouenire possit, quibus Deus ipse est omnia: vnde omnia huiusmodi vota cõmutabilia sunt, habita ratione gloriæ illorum Sanctorum, quibus promissum aliquid erat. Nec contendat aliquis implicari in his votis promissionem prælatis illis Ecclesiæ, ex eo quòd res, quam vouens promittit offerre illi Ecclesiæ, intelligitur prælatis Ecclesiæ promissa. Hoc enim falsum esse ex eo constat, quòd in huiusmodi votis locus in quo implendum est votum, non cadit sub voto, vt persona, cui fit promissio, sed vt circunstantia rei promissæ sicut tempus & quantitas, & alia huiusmodi. Nihil enim aliud huiusmodi votis agitur: nisi quòd promittitur Deo talis res, tali tempore, & in tali loco offerenda. vbi patet nullam promissionem prælatis Ecclesiæ esse materiam voti, sed tantummodo rem talibus circunstantiis vestitam. Nec refert an tales circunstantiæ sint locus, tempus, quantitas, &c. an sint personæ humanæ. Si quis enim vouerit nutriturum se tales pauperes Christi vno die, quãuis teneatur hoc facere, potest tamen eius commutationem procurare & obrinere, sicut & aliorum supradictorum: quia personæ illæ non concurrunt in illo voto, vt quibus fit promissio aliqua, sed vt circunstantia eleemosynæ offerendæ Deo, vt dicit S. Th. in 4. d. 38. q. 1. ar. 1. q. 1. ad quintum.

¶ Nec oportet in huiusmodi votis obliquos nominum casus ponderare: an scilicet vouens dixerit secum, Promitto Deo & B. Mariæ offerre cereum in tali Ecclesia, an dixerit, Promitto Deo & tibi B. Mariæ talis Ecclesiæ offerre cereum: vt credatur per hanc diuersitatem in secundo casu acquiri ius illi Ecclesiæ, quia imago illius Ecclesiæ significatur ibi concurrere, vt persona, cui fit promissio. Hoc enim friuolum esse ex duobus patet. Primò, quia imaginem vouens non alloquitur, nisi secũdum id quòd repræsentat, scilicet B. Virginem in cælo regnantem, & cùm non promittat nisi ei, cui loquitur: ipsi soli promittitur: & sic extera concurrunt, vt circunstantiæ rei promissæ. Secundò, quia omnia, quæ implicitè in voto inueniuntur infra voti limites, secundum voti rationem interpretanda sunt, nisi ex intentione vouentium aliud habeatur, voti autem ratio Deo promissionem fieri exigit. Aliam autem promissionem vt materiam habere tunc tantùm promittitur, quando alicui creaturæ rationali promissio seruãda, voto vel promissioni adiungitur, vt ex dictis patet. Cõstat autem ex intentione vouentium, qui non nisi vouere intendunt (quòd promissionem supernæ curiæ creditur importare) quòd talis promissio non adiungitur voto. Relinquitur igitur quòd omnia vt circunstantiæ rei promissæ intelligantur, & sola superna curia concurrit vt persona cui fit promissio.

¶ Conformis autem Theologis opinio ista est: quia indistinctè communiter Theologi scripserunt, omne votum esse commutabile in votum religionis. Constat autem id de quo est ius acquisitum alicui Ecclesiæ, non posse commutari in votum religionis. Non enim satisfit pensioni debitæ Ecclesiæ cathedrali, si debitor ingreditur religionem, nec ab obligatione soluendi legati, aut contractus, ingressus religionis absoluit. Nec acceptanda est cuiusdam glossa, dicentis hoc intelligi de votis personalibus, non autem de votis realibus: voluntaria enim est. Admirandum quippe est valde, si restringendum dictum commune foret, cur eorum aliquis explicitè vel implicitè non restrinxerit. Imò Richardus omnia ad realia vota extendi vult: vnum tantùm excipiens: scilicet de notabili subsidio Terræ sanctæ: in quo Papam consulendum dicit. S. Thomas quoque in Secunda Secundæ, quæst. vlt. expressè sentit quòd obligatus voto simplici religioni imperfectiori, reus fracti voti non est, si perfectiorem religionem ingreditur: quia in maiori clauditur minus. Ex hoc apertè insinuans, per votum nõ esse acquisitum ius religioni illi imperfectiori: si enim acquisitum ius alteri religioni esset, non posset absque violatione voti proprio motu aliam religionem perfectiorem ingredi: quoniam in his, quę alterius ius concernunt, locum non habet proposito dicens, quòd in maiori clauditur minus. Non enim qui debet centum alicui Ecclesiæ, si soluat centum quinquagintæ alteri Ecclesiæ, vbi sanctius viuitur, &c. absolutus est à debito. Si igitur ex voto simplici non acquiritur religioni ius personæ voto promissæ, cõsequens est, quòd nec aliarum rerum. Non acquiritur igitur ius aliquod Ecclesiæ ex eo, quòd aliquid ibi ad offerendum vouetur (siue ad ornatũ, siue ad subsidiũ, siue ad quodcũq; aliud cõmodum Ecclesiæ spectet) tenetur tamen vouens implere quòd vouit, & ibi offerre, vbi se oblaturum vouit: alioquin si absque dispẽsatione vel commutatione votum integrè non seruaret, mortaliter peccaret.

ET Per hæc patet responsio ad primum. Falsum est enim, quòd in his votis fiat aliqua promissio prælati Ecclesiæ: iam enim patet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd cum dupliciter promissio possit in voto inueniri, scilicet formaliter & materialiter, de illa, quæ est essentia voti, constat quòd creatori tantùm sit: materia autem voti, si promissio esse debet, oportet quod creaturæ rationali fiat. Et si indispensabilis aut incommutabilis, oportet quòd fiat creaturæ rationali militantis Ecclesiæ, cui ex commutatione damnum & præiudicium fieret: quod hic non accidere ex dictis liquet.

¶ Ad secũdum dicitur secũdum Theologiam loquendo (ad quam spectat de votis tractare) ℣ Ecclesiam posse agere cõtra vota huiusmodi non seruantes, potest dupliciter intelligi. Vno modo, vt Ecclesia agat pro iure suo contra eum qui vouit: & sic nec iure probatur, nec rationi consonat ℣ agere possit: quia nullam sibi pollicitationem factã, nullum sibi exigendi ius congruit. Et Decretalis siquidem illa hoc non habetur: quoniam ibi agitur contra eos, qui iam antiqua obseruatione se debitores Ecclesiæ constituerunt ex votis emissis: concurritque ibi obligatio votiua quasi per accidens: ex quacunque siquidem causa longis temporibus continuè persoluissent certam frumenti mensuram, eadem quæstio emersisset. Autoritas autem Innocẽtij, Abbatis, Archidiaconi & glossi. non est maior rationibus super quibus fundantur quas constat non concludere acquisitum esse ius Ecclesiæ alicui. Innocentius enim opinans monasterium posse agere contra eum, qui vouit ingredi illud: fundat se super hoc, ℣ votũ est obligatorium. Ex hoc autem non sequitur, ℣ illud possit agere: sed ille cui promissio facta est, Deus scilicet. Abbas verò super verbis illius Decretalis: scilicet Cogendi, Exigenda. Sed ex his nihil habetur ad propositum: quia, vt patet, textus loquitur quando Ecclesiæ erat ius acquisitum ex ipsa vouentium antiqua obseruatione. Glossa verò illa, quia vniuersaliter, absolutè & imperialiter loquitur, dicens, quòd ex nulla pollicitatione potest quis conueniri, nihil obstat. Quãuis super nulla ratione fundetur, si ad hoc adducatur propositum. Archidiaconus verò prædicta sequitur. Posset quoq; & fortè melius dici, quòd doctores isti, licet dicant, quòd Ecclesia possit agere: non tamen ideo, quia habeat ius acquisitum, sed potius propter obligationem vouentium: vt patet ex rationibus suis. Alio modo contingit Ecclesiam agere, vt vices Dei gerit, cui est facta promissio. Et hoc modo Episcopus quidem ex officio agere potest contra non seruantes talia vota: aliæ verò ecclesiasticæ personæ possunt indirectè agere, suggerendo in fauorem diuini cultus. Et quia hoc medium est inter posse conueniri ab Ecclesia, vt illi dicebant, & non posse conueniri, vt alij sentiebant: ideo non est mirum, si diuersa senserunt: ad medium enim ex extremis venitur. Mantuæ, die 13. Martij, 1500.

TRACTATVS DVODECIMVS
de Maleficiis, cuius est vnica quæstio.

QVÆSTIO.

Num liceat maleficium soluere opera maleficij ad hoc parati vtendo.

QVÆRITVR vtrum liceat maleficium soluere opera malefici ad hoc parati vtendo.

¶ Et videtur quòd sic. Quia necessitate exigẽte, licet vti iniquitate alterius ad commodum proprium: vt patet in petente mutuum ab vsurario. Sed hic nihil aliud interuenit, nisi vti iniquitate alterius parati, &c. ergo est licitum. Et confirmatur: quia non minus malum est iurare per idola: quam simplex maleficium: sed secundum Aug. ad Publicolam, licitum est vti iuramento alterius per idola in pacis fœdere componendo: ergo licitum quoque erit necessitate vrgente vti maleficio alterius.

IN OPPOSITVM est cõmunis sententia Theologorum.

RESPONDEO, Quamuis præsumptuosa quædam ac temeraria opinio senserit licitum esse non inducere ad maleficium faciendum: sed necessitate exante vti iniquitate parati ad maleficium faciendum propter rationem supradictam: indubiè tamen ab omnibus fidelibus oppositum tenendum est. Tum propter diuinum præceptũ promulgatum, Leuit. 19. & 20. & Deut. 18. Prohibetur siquidem in his locis recursus ad magos, ariolos, diuinos, &c. Constat autem quòd tales sunt parati ad huiusmodi sacrilegia & homines, vt plurimum necessitate aliqua consueuerunt declinare ad eos. Autoritate ergo diuina damnantur recurrentes ad eos, qui parati sunt maleficia agere: & mortis pœna puniendi dicuntur & abominabiles Domino. Illicitum est igitur vti iniquitate sortilegorum maleficorum, & aliorum huiusmodi ad suum commodum, quacunque id necessitate, voluntariè tamen fiat. Tum propter rationem.

AD Cuius euidentiam sciendum est, non semper licere vti iniquitate alterius parati ad peccandum, sed tunc solùm quando potest hoc fieri absque participatione in crimine: quãdo autem hoc contingat, hic sumendum est. Duo sunt genera operum, quæ malè exerceri possunt à paratis ad peccandum. Quædam sunt, quæ deformitatem peccati habent necessario annexã: sic quòd ab his non possunt, etiam si vellent, absque peccato fieri: vt patet de meretricio actu. Quædam verò sunt, quæ secundum se bona vel non mala sunt, quæ tamen ex voluntate operantium semper habent annexum peccatum: vt patet de mutuo vsurarij: mutuare enim non exigit peccatum, sed vsurarius paratus est annectere semper mutuo vsuræ vitium. Ex hoc autem sequitur alia differẽtia, quòd primos actus nullus potest petere aut consentire, vt ab alio fiant, quia sunt secundum se mali: & Rom. 1. dicitur. Digni sunt morte non solùm qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt faciẽtibus. Secundi verò generis actus licitè potest quis petere, & eis consentire: quoniam deformitatem peccati non ex se trahunt: sed voluntatem alterius adiunctam sustinent. Ex hoc autem sequitur tertia differentia, ℣ scilicet in primis actibus non licet vti iniquitate alterius, quia hoc fieri non potest absque propria. In secundis verò licitè potest quis vti iniquitate parati ad hoc: quia ipse petit actum bonũ, puta mutuum, sed ille adiungit iniquitatem sibi ipsi. ¶ Duobus quoque modis contingit maleficium à maleficis solui. Primò, per simplicem dissolutionem seu destructionem maleficij prius facti: puta dissoluendo ligaturam capillorum cum annulo ligneo, &c. Et hoc absque dubio licitum est, nec est opus malefici, vt maleficus est, sed hominis scientis impedimentum boni proximi sui. Quoniam hic nulla euenit dæmonum inuocatio, sed sola dissolutio signi, quo durante, Diabolus statuerat malum conseruare alterius. Secũdò, per inuocationem dæmonum, seu aliud maleficium. Et hoc est absque dubio peccatum mortale: & est opus malefici, inquantum maleficus. Et quia tale opus non ex voluntate malefici, sed ex necessitate deformitatem peccati sibi coniungit, ideo non solum agentes, sed petentes & consentientes, peccato se subiiciunt. Et ideo quamuis liceat debita prudentia adhibita, ire ad maleficum, & rogare vt factum maleficium destruat simplici dissolutione: non tamen licet ire ad eum, petendo vt alio maleficio aut inuocatione dæmonum primum destruat. Nec etiam licet absolutè ire ad maleficum, & absolutè petere, vt succurrat maleficiato. Tũ quia malefici opus, vt sic petitur, quando absolutè petitur, sicut cum quilibet alius artifex expositur. Tum quia particulare opus necesse est petere, & non vagè relinquere arbitrio viri diabolici petitionem propriam.

ET Per hæc patere potest responsio ad obiecta. Tunc enim tantum licet vti iniquitate alterius ad proprium commodum, &c. quando petens petit actum bonum, vel non malum, sic quòd potest à rogato fieri absque peccato: quemadmodum contingit & in acceptione mutui sub vsuris, & in postulatione pacti pacis cum infidelibus. Ille enim petit mutuum, quod potest gratis concedi & hic petit fœdus pacis, quod potest ab illis principibus fieri, & stabiliri absque peccato, veniendo ad fidem, & iurando per verum Deum, quamuis sciatur neutrum id velle facere absque peccato: quia parati sunt ex bonis petitis sumere occasionem peccandi. Sed à maleficis id quod petitur, fieri non potest absque peccato: quoniam subuentio dæmoniaca petitur necessariò ab his, qui non possunt aliter subuenire, quàm per dæmonum inuocationem. Mediolani die 16. Martij, 1500.

TRACTATVS DECIMVSTERTIVS
de Spasmo beatæ virginis Mariæ, cuius est vnica quæstio.

QVÆSTIO.

Num quod de spasmo gloriosissimæ virginis Mariæ matris Dei dicitur sit canonicum.

SVPPLICANTIBVS Quibusdã, indulgẽtiámque petẽtibus in festo spasmi B. Mariæ, & eius octauis (quod celebratur à dominica in passione vsque ad dominicam palmarum inclusiuè) iussum est, vt ego consulerem, si id, quod dicitur de spasmo sit canonicum, cui præcepto pro eo ac debui confestim obtemperans: quid mihi videtur, & qua ratione, scribere curaui, quatuor dicturus. Primò, quid intelligatur ratione spasmi B. Mariæ. Secundò, si illud fuit spasmus propriè dictus. Tertiò, si fuit spasmus vulgariter. Quartò, respondebitur directè ad quæsito.

QVO Ad primum, cum Saluator noster tẽpore passionis exiuit à domo Pilati in Caluariæ locum, baiulans sibi crucem (vt dicitur Ioã. 19.) & tres alij euãgelistæ (vt patet Matt. 27. & Marc. 15. & Luc. 23.) narrant Simonem quendam Cyrenensem angariatum, vt portaret crucem Domini, euidenter elicitur quòd Saluator noster adeo debilitatus erat quòd crucem solus toto itinere portare nequiuit. Sed præter hæc, quæ ex Euãgelio habentur: scripti inuenimus, non tamen authenticè, quòd Saluator noster ante angariatum Simonem, sub cruce ceciderit & quòd beata virgo mater eius compatiens, etiam ceciderit spasmata, & quòd ad perpetuam memoriam ædificata est Ecclesia ibi, vocata S. Maria de Spasmo. Festum igitur spasmi B. Mariæ significat festum illius tristitiæ in illo casu habitæ, & tantæ assertæ, ℣ fuerit spasmus. Hæc de primo,

QVO

QVO Ad secundum, Spasmi nomen dupliciter sumitur. Vno modo proprie, vt sumitur à Physicis. Alio modo vulgariter, vt communiter idiotæ consueuerunt dicere aliquem cecidisse in spasmo. Prius ergo de spasmo propriè dicto videamus, si in beata virgine fuit. Videtur enim quòd in ea fuit vel esse potuit: quia posita causa, ponitur effectus: sed excellens dolor quandoque est causa spasmi secundum Auic. in tract. de Spasmo. igitur cum dolor Christi beatæ virgini fuerit maximus: vt patet per Damascenũ in libro tertio, dicente: quòd dolores, quos mater domini euitauit in partu, passa est in passione filij: tunc enim impletum est illud Simeonis, Lucæ 2. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius: ergo potuit causare spasmum propriè dictum. Sed si diligentius consideretur, neque literæ, neque rationi hoc consonat. Dissonat quidem rationi Beatam Virginem ægritudinem aliquã passam fuisse. Tum quia similis debeat credi filio per omnia, quantum fas est: de filio autem testatur Chrysostomus, quòd non fuit conueniens ipsum aliquo morbo languescere. Tum quia hoc præstitum videtur Ioanni Euangelistæ, dicente Hieronymo in prologo Euangelij Ioannis, quòd positus est ad patres nostros tam extraneus à dolore mortis, quàm à corruptione carnis inuenitur alienus: spasmum autem propriè constat esse morbum contrahentem neruos: non igitur conuenit ipsum asserere in beata Virgine. Dissonat quoque à litera Euangelij: nam Ioan. 19. dicitur, quòd beata Virgo stabat iuxta crucem: & si spasmum (id est neruorum tam diram contractionem) in itinere passa est, quomodo tam citò liberata ad crucem venit, nec sedet, sed stat, præsertim non subtracta, sed potius crescente causa doloris spasmatis. Nec currendum est ad miracula, sed quòd verisimile ac rationi consonum dicendum. Nec largè putes Euangelistam dicere stantem, quasi dixisset manentem. Tum quia Euangelista replicat, subdens: cum vidisset Iesus matrem & discipulum stantem. Tum quia consuetudo literæ euangelicæ est quando rem gestam narrat, proprietatem situs designare: vt patet Ioannis primo de Ioanne Baptista, Stabat Ioãnes, &c. & Ioã. 4. Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. hora autem erat quasi sexta, &c. & Luc. 18. Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent, vnus Pharisæus & alter Publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat. &c. & infrà. Et publicanus à longe stans: & infrà. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se. Et nisi nomina propriè interpretemur, omnia confusa erunt: vt Philosophus docet in 4. Met. Tenendum igitur indubiè mihi videtur, quòd nec neruorum contractio, nec morbus aliius in beata Virgine fuerit. Et quanuis dolor ingens spasmum causare possit, non tamen necessariò causat. potest enim & non causare spasmum: vt patet in Saluatore nostro: cuius dolor fuit maximus absque spasmo. Hæc de secundo.

QVO Ad tertium: quia nominibus est vtendum, vt plures vtuntur secundum Philosophum, 2. Topi. non inconuenit etiam de spasmo, vt vulgus loquitur, tractare. Dicitur igitur vulgò spasmatus aliquis cecidisse cum præ doloris magnitudine syncopem seu ecstasim patiens cadit: occurritur enim tunc ad sustinendum, & aqua in vultũ aspergitur. Et iuxta hunc sensum, crediderim ego dici beatæ Mariæ spasmum. Huiusmodi autem doloris modum in beata Virgine fuisse ex magnitudine suæ tristitiæ credi potest. Sed renera neque isto modo spasmus in beata Virgine fuit: cum enim fuerit gratia plena, Lucæ 1. oportet corporales defectus de ea negare, qui plenitudinem perfectionémque gratiæ impediunt. Constat autem quòd dolor extra se personam faciens, exercitium rationis impedit pro tunc: & tunc erat tempus maximè actualiter secundum rationem considerandi passionem Christi. Igitur huiusmodi dolor, gratiæ perfectionem secundum actualem consideritionem rationis turbasset, quod est valde inconueniens: non fuit igitur huiusmodi casus in beata Virgine. Et confirmatur, quia gratius erat Deo, quòd beata Virgo compateretur ei secundum rationem, quàm secundum partem sensitiuam: quia illa pars est nobilior, & proprie meritoria, & per se grata. Oportuit ergo, vt dolor beatæ Virginis ita esset summus, quod tamen tota pars sensitiua regularetur, & subderetur rationi eius vigilanti: stante autem rationis exercitio, ac dominio actuali super partem inferiorem non accidit dolor extra se faciens personam & casum. Quare spasmus vulgariter dictus longe à beata virgine videtur fuisse. Hæc de tertio.

QVO Ad quartum ex supradictis motus, dico ad quæsitum id, quod de spasmo dicitur, non esse canonicum multipliciter. Tum quo ad radicem: quia non est auctenica. Tum quo ad veritatem significatam per nomen: quia Spasmi nomen nec proprie propter dignitatem corporis, neque vulgariter sumptum propter dignitatem animæ verificatur. Tum quo ad tempus: quia vestigiis sanctorum Patrum inhærendo Dominica in Passione, & Dominica in Ramis palmarum etiam si festum Annuntiationis beatæ Virginis euenit, non celebratur, sed transfertur: sunt enim priuilegiatæ Dominicæ illæ. Et tamen isti non quandoque, sed perpetuò, præfatis diebus volunt noua festa celebrare, & consequenter antiqua delere. Octauæ quoque si iuges illo tempore permittuntur, Missæ Quadragesimales aliáque vetusta officia cessare possunt. Accedit ad hæc, quòd cum in cœna Domini sacramenta corporis & sanguinis Christi instituta nascantur, Ecclesia tamen trãstulit festum corporis Christi in aliud tempus: quoniam circa corporis Christi venerationem illo tempore occupata, distrahi in alia quamuis bona non deber. Vnde si festum doloris beatæ Virginis celebrandum est, in aliud, iudicio meo, tempus & nomen mutandum est. Hæc sunt reuerendissime domine, quæ mihi visa sunt in re hac dicenda. Apostolicæ tamen sedis censuræ omnia submitto. Romæ, die 17. Iulij 1506.

¶ Secundi Tomi opusculorum Thomæ de vio Caietani, Cardinalis sancti Xysti, Finis.

TOMVS TERTIVS OPVSCVLORVM D. THOMAE DE VIO
CAIETANI, S. R. E. CARDINALIS DIGNISSIMI
tituli Sancti Xysti, cuius sunt quindecim vtilissimi Tractatus.

TRACTATVS PRIMVS, IN sex orationes diuisus.

ORATIO PRIMA.

De vi cultus diuini, & orationis efficacia, coram Alexandro sexto Pont. Max. Dominic. prima Aduentus, Anno salutis, 1501. habita.

RESPICITE Et leuate capita vestra. Luc. 21. cap. Ingenij mei vires mensus. S. ac B. pater, mihi ipsi satis esse ad dicendum coram maiestate tua, pollicitus non sum. Noui siquidem quanta mentis acie, quanta orandi arte & consuetudine, quanta disciplinarum omnium vbertate opus sit, vt in hoc celebertimo orbis Senatu dignus quis ad orandum habeatur. Nec adduci potui, vt mea huc ipore cõscenderem, sed malo patendo tanto me discrimini credere, quàm minus auscultando in tuto silentij portu me cõmorari: præsertim ℣ non aduentitium, sed proprio annexum officio munus explendum est. Verum qui ea etiam ignorantibus quid agere debeamus, hoc superest refugij, vt oculos nostros ad Patrem luminum dirigamus, eius opem quo vberius impetremus, reginam cæli vna, precor adeamus. Aue Maria, &c.

EXCITATVRVS Torpentium corda fidelium Dominus ac Redẽptor noster prodigia illa tremenda commemorauit, quibus vniuersus cõquatietur orbis: & vbi cunctorum animos ingenti pauore soluendos respexit, tremefactis discipulis, orationis protinus patefecit auxilium. Respicite, inquit, mentis proculdubio lumine, ad quam maxime spectat oratio, & leuate capita vestra, intellectum & affectum ad superiora erigite: his nãque partibus suis, duabus veluti librata alis, tribunal Altissimi mens petit humana: cuius nimirum ascensum proprie orationem appellamus. Ea de re à Dominicæ exhortationis instituto nequaquam diuertens, de vi orationis aliquid in medium afferendum censui quod & tanto consensu indiguum non sit: & mentis vtrãque partem vel mediocriter oblectet.

¶ Apud maiores nostros, eosdem studiosissimos viros, non negli-

genda illa ambiguitas excitata iampridē fuit: quis votorū mortalium precū mue ad Deū proprius fructus sit, quorsum orationes, obsecrationes, cæremoniæ, sacrificia, omnisque Dei optimi maximi cultus, Epicurei siquidē, Stoici: Peripateticorūque nōnulli (diuerso quāuis calle) contra Deū hominumq; commercia progressi sunt: in eam tamen sententiam cōuenere, vt eorū, qui diuinis rebus operā dant, spem omnē deludant. Frustrari nāq; expectationē lacrymarū, oblationū, venerationū, & id genus humanorū officiorum omnium asseuerant. Aegrptij verò, supplicationibus, processionibus, reliquóve diuinarum rerum cultui eam tribuere potestatē, quo ipsum mundi rectorem mouere, atque in alteram partem flectere posse crediderint. Christiana autem religione Spiritussancti virtute fundata, & splendore pariter illustrata, orationū effectus tam pulchrē moderata est, vt neque diuinæ prouidentiæ quippiam adēptum autumes, neque mobilem eam quouis pacto fieri atur. Quocirca pro huius tantæ difficultatis veritate disputāda, prouinciam suscipiens, primū, q̄ oratio in numero causarum, deinde quòd in effectiuarum ordine, demum quòd in suprema earum sede locanda sit, differre constitui.

¶Omnipotens Deus etsi solus quæcunq; facta infectáve simul nō implicent, efficere potest: quēadmodum tamē diffundendæ bonitatis suæ gratiæ, res omnes, quæcūque sint, existentia donauit: ita res ferè cūctas omni relegata inuidia ad suprēmā deitatis participationē asciuit, dū agēdi eis virtutes liberali largitione concessit: & tanto fœdere secundas sibi causas deuinxit, vt nec illius immēsitas quātulācunq; efficaciā absorbēdo cōsumeret, aut præuentendo impediret, nec harū interuentus, illius ad vltima quæque aditum obstrueret. Illapsus enim quidā diuini numinis adeò intimē sit, vt cælū ac terras campōsq; liquētes. Lucētémque globū Lunæ, Titaniáque astra, Spiritus intus alat: totāque infusa per artus, Mens agitet molē, & magno se corpore fundat. Distribuit quoq; ealege totam agentiū seriē in tres ordines (corruptibilium, cælestium & immaterialiū,) vt & inferior superiori obtēperet, atque extrà, quin potius supra oēs, ipse totius orbis princeps moderator præsideat: neque enim fas est aliis primā connumerare causam, quasi partis cuiusdā naturā locū teneat: q̄n totius bonitatis fons, origo custodia, cōsummatioque sola ipsa existit. Quōbrē præclarè Aristoteles gloriosum Deū summū bonum vniuersi, nō in ipso clausum, sed extra ipsum tradidit. Nec ipsius sola natura, cuiuscūque naturalis ordinis legibus est absoluta: verū diuinas etiā quasdam participationes fatemur exēptas. Credimus modū quendam rerum esse, quas etsi impartiri pleriq; intellectu prāditis nō ambigimus, cōnaturales tn alicui nulla autoritate fieri posse prædicamus, docemus, demōstramus: sunt autē gratia, charitas, lumē gloriæ, & id genus multa. Quæ idcirco super omnē eleuant̄ naturā & creaturā, & quæ creari posset: quia diuinū assequūtur ordinē, veluti deitatis (si fas est dicere) ,,prietates. Eodē quippe naturę vinculo, quo vltimæ præparationes consequētéq; vires proprijs cōnexæ sunt formis, & parē esse oportet naturæ cuiusq; & comitum cōmunicationē, eodē inquā vinculo, quæ memorauimus, excellētissimæ illi naturæ cōiunguntur diuinę: nec minus vis omnis seipsam excedēs illi⁹ fieri cōfors pōt essentiæ, quā rerū harū fiat participatio insignis, nec deitatis capax esse quisquā magis pōt, quā earundē perfusione reddatur. Has itaq; creaturarū eminentissimas qualitates naturaliū causarū ordines trāscēdere ea fatēdū est rōne, vt inter causas secūdas annumeratæ, primatum obtineāt. Vniuersō itaq; agentiū principiorū ambitu, quo differuimus mō disposito, quā promisimus orationū causandi vim, diuersos causarū gradus inuestigādo perseruremur. Familiarib⁹ quidē nobis rerū principiis ,,ducēdū si quid est: calore resolui, frigore cōprimi, humido fluere, ariditate sisti, raritate extēdi, dēsitate cōstringi, affectionibus reliquis subiici, fluxa atque oppressa pugnantiūinter se virtus exigit. Mēs aūt, cuius orare propriū est, quantū hæc aspernetur, his præstet, horū infra se subiecerit potestatē, nec illos quidem latet, quibus Philosophia, sensuū, quoq; opera ab his libera esse mōstrauit, sed quibus in semetipsis vel hoc aduertere datum est, q̄ immutati cōtēplemur. Paulò superius artiū genus, organorū series secreto venit nexu: hisque adēptis otioſi reddūtur opifices. At qui optimā elegerint Mariæ partē, exterioribus sese negātes, publicas priuatásq; actiones solicitudinésque recusant. Bonorū deinde officiorū virturis, morū, tot: ūsve animi ornatus, quę indita à natura semina sunt intra singulos quosque cōtinentur: neq; fieri pōt, vt altero voluptates à se abdicāte, parsimoniā sectāte, ira moderāte, timorē depellēte, ius vnicuique reddēte, disciplinæ cuiusuis operā dāte, mētémque quomodolibet excolēte, cōtinēs, tēperatus, masuctus, fortis, iustus doctúsve efficiatur alius. Diuinarum verò obsecrationū vis, in angusto orātis angulo nō arctatur, sed ad extrema quæque diffunditur, omnia pluitrat cunctorū fines attingit, penetrat, ptransit. Sydera quoque potestas quintæ integratur essentiæ à terminis astrorū, carsu, luce, occultóve influxu perficitur. Supplicationes verò sacras cœlestiis naturę, motus, luminis influxúsque expertes vtroque patet esse modo: agere enim nostra isthæc cælestium more nemo (nisi desipiat) credit. Agi autē superiorum corporū afflatu opinātes intellectiuā animæ portionem (vt princeps Physicorum ait) à sensitiua separare nescierunt. intelligentiæ denique (quas Angelos appellamus) aut absque orbis motu efficere possunt nihil, aut certè solis localibus (vt Theologis placuit) præsunt mutationibus. At precibus puro de pectore emanantibus hominū subdi omnis obsequi, subterfugeréque nihil earū imperiū, veritas testatur: Quicquid orātes petitis, credite inquit, quia accipietis, & eueniet vobis. Quapropter si naturales, factiuæ, actiuæ, cælestes spiritualésque causæ nostrarū intra se nō claudunt orationū potentiā, solúsque supernaturaliū diuinarúmque ordo supersit, in hoc rerū fastigio humanarū precum si causæ sunt, reponendā esse dignitatē mentémque quis nō videt? Verum eū altissima sit ista hæc rerū series, Creatorique soli cognata, fieri quo pacto potest, vt obseruantiæ huiusmodi (humana quidem facta) nostro subditæ arbitrio, in tā excelso rerū cacumine locandæ credātur? Incredibile autē dissonúmque ne cuipiam hoc esse videatur, humana vota bifariā perspicienda sunt: vt hominis nuda opera, atque iterū vt cælestis gratiæ afflatu decorata. Nostra si cōspecta fuerint, congenitam boni cupiditatē ad bene beatéque viuendi facultatem præ se ferūt, & veluti semina terræ cōmendata, Sole, imbre, rore, cultúque reliquo pullulant, crescunt, florescunt atque fructificant: non secus latens in homine spiritus, frequenti officio, disciplina, studio, diligentiáque excultus quicquid virtutis exculpi potest, proferet, fouebit, alet, atque perficiet.

¶Et quia natura superuacanea abhorret, nec ratio suadet alteri⁹ opē quærere vbi possis ipse perficere, nulla adhuc supplicandi necessitas, nulla tot precum vtilitas apparet. Quo fit, vt post habendi penitus non sint magno excellētiq; ingenio prædīti Philosophi, si ad vulgares compescendas insolentias, ad effrænē moderandam audaciam, ad bonos inferendos mores, cultūisthūc adhibendum tradiderunt. Insitas scrutari vires, singularē de hominis salute clementissimi Dei solicitudinē, ex qua nostrarum petitionum oritur efficacia ,,missámque æternæ vitæ beatitudinē, quæ eisdem fructum præbet, ignorarunt: absconditenim hęc Deus pater arcana à sapientibus & prudentibus huius seculi, quæ suis erat paruulis quandoque reuelaturus: Ornata aūt humana mēs gratia, fide, spe, charitate, cæterisque ,,pfusa cælestibus habitib⁹, primæ summæq; bonitatis amore rapit, illius intuitū cōcupiscit, inhiat, anhelat. Et quia oculus nō vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis nō ascēdit, q̄ præparauit Deus diligētibus se: & nō modo debilis, infirm⁹, deficiens omniū hominū & Angelorū conatus, verū etiam nullus fore cōprobatur: hinc potentissimi Dei inuocanda est manus, hinc implorandum auxilium, hinc expetēdus ducatus, hinc miris quidem veris tn modis, & immoto cōsilio diuina exoratur clementia & orationū nostrarū non petit efficacia. Quēadmodum enim generi animātiū inanimarúmque rerum omniū est à natura tribut⁹ appetitus quidā inquirēdi boni: id tamē assequi nequaquā potest, nisi secretis adhibitis adminiculis ab eo qui operatur omnia in omnibus, eiúsque ducatur: ita sanè concitata in nobis per Spiritū sanctum summi boni desideria, expletum iri humili intercedente postulatione congruit. Exposcit nāque diuinitatis p̄specta lex ab optimo oīa nedum ,,pna ad bonū fieri, sed opem sorturi, qua sese ad id diuersō ferant gradus: si enim effusa diuinæ bonitatis quantulacunque similitudo res omnes cōstituens, atque decorans secundū affert, nisi cōtingens quidpiā præpediat innati cuiusque appetitus finē voluptatēque naturæ, quātò magis impressa sanctissimæ Trinitatis imago ineffabili gratiæ splēdorē coruscans cōferet, vt quę à facie Domini cōcepimus, & parturiuim⁹ Spiritū salutis, ,,priis nexibus qū que pariamus. Commonētis præterea officium est, si quos ad optatū, aggrediendū, agendúmq; implerit eorūdem electione, aggressu, actione vti, cœptáque, quo ad eius fieri potest, p̄fieere: ,,pterea quidē qua ratione mouētur singula, eadē & quiescunt. Natura etenim lata, natura assequūtur, natura manēt, vi aūt expulsa vi trahuntur víque cōsistūt. Fecit autē sapientissimus Deus nos ad se, & inquietū est cor nostrū, donec requiescat in se. Scimus nāque, q̄ omnis creatura ingemiscit, & parturit, & intra nosmetipsos gemimus adoptionē filiorum Dei, expectantes redemptionē corporis nostri. Suum igitur erit pios, quos inseruit affectus, quibus ad eū suspiramus, quos petēdo accendimus, nō excludere, sed admittere, fouere, beare. Cur rōnalis creaturæ sublimitas scribitur, prædicatur, extollitur. vt diuinæ naturæ consortes, vt filij Dei nominemur & simus, si Dei cooperatores nō sumus? Si ad capessendū paratū nobis ab origine mūdi æternitatis regnū opera nostra efficiūt nihil, miserabiliores, p̄fecto nō mō nationibus, sed vilissimis ēt quibusq; reb⁹ filij Dei sunt, si reliquorum formæ, actiones & fines ,,pitate cōgaudēt, eisverò acceptæ naturæ ad quietē obtinēdam oīs actio subtracta sit. Quorsū diuinę amicitiæ mun⁹ humano collatū est generi, si amicorū iura seruare nō possunt? si cuiusq; hoīs apud Deū nulla est authoritas? si q̄ optat quis optimū, potentissimi Dei amic⁹ efficere nequitū? qua est petētis atque nō petētis cōditio, & par vtriusq; facultas? Præstare nēpe obsecrātem non

non id infert, vt aliquid velit aūt malit immutabilis Deus: sed vt opera nostra fiat, q̄ aliàs factum nō fuisset, sed vt accōmodē causæ efficiendis adhibeantur rebus. Secundarum quippe causarum leges non norunt: nō ideo negant vanas esse, q̄ summi opificis potentiā augeāt aut voluntatem mutent: sed quia status ordo seruatur quia effectus cognatas etiam habent causas, qui à summo bono descendunt cōsono gradu rerum perfectiones. Ita nanque sapientia attingit à fine vsque ad finē fortiter, & disponit omnia suauiter. Proinde quæseruorum Dei paupertatem, cælibatum, seruitutē, iciunia, vigilias, solitudinem, orationes, cæterósque supernæ vitæ gratia susceptos labores despiciunt, & causare nihil contendunt, defendant vana esse singula hominum studia: accusent auidos agricolas, arguāt solicitos negotiatores milites, omniū artiū opifices, & varijs literatum disciplinis operā dātes, dānent ipsam deniq; naturam: quæ sicut ad vitæ status gloriāq; cōmoda possidenda, laborandum esse suggerit, si ad felicitatem habendā orandum esse docuit fidelissimo naturæ testimonio, omnium nationū omniū prorsus seculorū ritu cōprobante: neq; enim vel noua vel singularis obsecrationū est religio: sed ætates, tempora, æuitatésque si recenseas, vetustissimam hanc obseruationem totóque orbe terrarū diffusam, tametsi diuerso cultu, semper inuenies. Quod aūt indeficiens apud oēs perseuerat, à natura inditum, aut immobiliori aliqua causa institutum esse, omnium philosophantiū schola confirmat. Non vana itaq; nec parua potestate donati sumus, qñ interpellendæ nobis diuinæ maiestatis facultas concessa est, quādo nostræ orationes, nostri exempli efficiuntur causæ desiderij: hoc de primo quidem diuisionis membro diximus.

Deinceps vt erat propositum, ad quod genus causarum referēda sit oratio, paucioribus absoluam⁹. Quamuis P. B. arguta dicta, quæ disseruimus, scioli pleriq; putent: retundere tn quàm assentire malunt. Causarum inquiunt, genus quadrifariam diuisum cum sit, vestra isthæc religio, si earum continetur ambitu, quam deniq; subdit causandi rationem, finis, forma & materia eorum, quæ in sacrificiis obtenta credūtur, ab humana longè sunt opera: efficiēs verò cùm oporteat rem aliquam dare factis, & hominum vota nil oratione tribuātur impetratis, procul esse ab agentium finibus fatēdum est. Deficiūt præterea nunquā aut certè rarò, rerum per se actiua: oratur autem plerūque expectatione vana: fortuita igitur, aut nulla huiusmodi cultus vis est. Animaduertissent profectò hi argumentationum suarum, quàm friuola sit ratio, si mētis oculos ad geminam conieciſſent sectionem. Alteram agentis in disponēs adiuuans, consulens, & perficiēs: alteram modi agendi in imperiū, suffragium, atque ministeriū. Relucet in his agentis nomine etiā suffragātem admitti, nec enim duntaxat dicitur dare qui tribuit, sed & qui interpellat, vt detur. Nec ab re: vt enim præcipiens effectiuum esse constat (quia obtemperantem executorem ad agendum promouet) sic & petens qui actorem ad faciendum flectit: quia & apud grammaticos idem imperatiuus & deprecatiuus est modus. Nec indignum rōnali censeas creatura, q̄ reliquis quietum esse ex propriis viribus sit à natura collatū, ipsi autem tam humili actione alienā opem implorare necesse sit. Meminisse enim oportet, quam in ardua difficultate de cælestibus motibus disserēs autor Peripateticorum prorulit sententiam: Meliorē inquit fore ęgrotantis fortunam cōpluribus auxiliis perfectā assequi sperātis valetudinem, quā pauciotibus exiguā. Librandas rerum naturas ex hoc voluit, nō quia potiundi boni potentia est maior, sed quia bonum potiundū est maius. Non minor itaq; rōnalis est creatura, q̄ externo destituta auxilio optimum in tota natura cōsequi nō valeat: sed eo altiorē cōscendit gradum, quo excellentior & omni cogitatu superior illi fœlicitas ,,posita atque parata est. Non officit etiā q̄ nostris optatis plerunque oratio non respōdet: causarū em nō quouis modo: sed ritè dispositarum lex est nūquā aut rarò deficere. ⁹/egetarbilium quippe semina nō aliter, quā vdis mandata sulcis suo tēpore oportunāq; diligentia exculta obtinent: vt sæpe fructus afferāt. Sol cum homine hominē, cum Leone Leonē, cum singulis animātibus singulorum genera semp ferè generat, modo quædā nō desint præparationes. Quocirca si Dñm precātes, nulla affectio causarum more, efficaces saltē frequenter redderet, meritò causalis eos ordo à se abdicaret: sed cum eorum tātus sit vigor, vt totus assit orationis effectus, nō sine quo incassum ligāt, sed cū quo fructum referāt expectatum: iure inter effectiuas causas locum sibi vēdicant. Accepimus vero petentes piè p̄seuerantes, ,,p se necessaria ad salutē obtinere: nō sæpe, sed semp efficere quod cupiunt. Piè quidem petendum est; alioquin licet multiplicauerim⁹ orationes, petimus, & nō accipimus: eo q̄ malè petamus: qui enim declinat aurē suam, ne audiat legē, oratio eius erit execrabilis: & cum is qui displicet ad impetrādum mittitur, irati animus ad deteriora ,,puocat. Dedit equidē postulātibus regē in furore suo: & respexit in orationem humilium, qui voluntatē timētium se facit, & deprecationē eorū exaudit. Perseuerāter autē: qñ parer misericordiarum & Deus totius cōsolationis rogari instātissimè vult, ne oblata aut illico impetrata vilescāt: & nosipsos ad p̄cipiēda ,,p-

missa deuotionis igne accēsos p̄ præparemus. Clausis ostiis intēpesta nocte se puerisq; suis somnū capiētibus euāgelicus amic⁹ post negatum mutuum, post increpatā molestiam improbitate pulsantis victus, quotquot opportuni fuerāt panes elargit⁹ est. Prosequo rō qñquidem obstare eius, cui petimus aut oramus scelera, ne etiā Sāctorum preces admittantur, Hieremię cōtestatus est Dominus: Tu, inquit, noli orare ,,p populo hoc nec assumas pro eis laudem, & orationē, & nō obsistas mihi quia nō exaudiā te. Et rursus: Si steterint Moyses, Iob & Samuel corā me, nō est anima mea ad populum istum. Necessaria demū ad salutē æternam petenda sunt, quid enim reliquorum oremus, sicut oportet nescimus, nouit autē cælestis Medicus, quid ægris salubre sit: & idcirco sæpe nō tribuit q̄ volumus, vt tribuat q̄ mallemus. Si enim nos cum simus mali, nouimus bona data dare filiis nostris, nec credentibus se petere panem, ouum, aut piscem, lapidē, scorpionē, aut serpentē porrigim⁹, quātò magis pater noster cælestis quæ obfutura vider, clementi⁹ negat, quā indulgeat: Iacobus & Ioannes indiuidui Christi comites, dextrālæuámque regni sedē petitū matrē mittunt, & audiunt, Nescitis quid petatis. Paulus vas electionis stimulū carnis suæ angelū Sathanæ ægrè ferēs, ter Domino rogato, pro illius ablatione exauditus nō est: quia si illo caruisset, saluus esse nō potuisset. Efficit ergo semper optatum, modò suis partibus cōstet oratio: reliquum est, vt in suprema sicut præmissimus, reponatur. Tāti nos fecit munificētissimus Deus, vt ex infimo genere vota hmōi in altissimo post se causarū solio, omni ei creatura subacta statueret, declararet, factísque cōprobaret. Oratione nāque terra aperta est & deglutiuit Dathā, & operta cōgregatione Abirō rursus clausa est. Iordanis vnda ppetem suum meatum retorsit: aër mensibus sex & annis tribus serenitatem seruauit: rignis à castrorū cōbustione cessauit. Oratione grādo, tonitrua, pluuia, muscæ, ranæ, locustę fugatæ sunt, Rebecca à sterilitate soluta, Maria à lepra mūdata, exęcati & rursus illuminati Syri, Ezechiæ ter quini adiuncti sunt anni, vita functi pueri reuixerunt. Oratione Moyses Amalecitarum ,,p figatione, Sanson extremum robur, Salomō sapientiā, Daniel visorum reuelatione, Hester Assueri gratiā, Mardochæus populi liberationem, Susanna intentatæ mortis vltorē obtinuit. Oratione sol cōmoratus in cælo lōgiorem triumphāti populo diē p̄stitit: solis recessus in decimum ,,pranſitæ viæ gradum, Esaiæ vaticinio testis affuit. Oratione immanissim⁹ draco, cui p̄missum est aīas sedu cere, in angustum deserti carcerem detent⁹ est, dæmonum genus apostolicæ autoritati resistēs eiicit, Angelus Dñi cētum octaginta quinque virorum millia interemit, Michael Iudæis p̄fidium tulit, Gabriel Danielē solatur, Raphael Tobiæ lacrymis affuit: sed quid p̄ creaturas vagor? Creator nēpe ipse humilimi famuli sui oratione detētum se fatetur. Dimitte, inquit, me, vt iratscatur furor meus. O humilis lacryma, quāta est potētia tua, vincis inuincibilē & superas Omnipotentē. Tua sunt hæc Deus optime opa, qui seruos tuos tā ineffabiliter magnificas: quippe cum eorum interpellationibus desideriisq; vniuersam subiecceris creaturā, tu amicos tuos tā admirabili gloria decorasti, vt quicquid à natura, virtute, fortuna, spiritu, atq; à temetipso expectādum est, hoc totum illorum votis cōmiseris. Verè misereris omnium Dñe, & nihil odisti eorum, q̄ fecisti: qñquidē cæci illius in Christum tuum adhuc caligātis sententiā (qua dixit, Nos scimus q̄ peccatores De⁹ nō exaudit) dum Nabuchodonosor, Achab, Publicani, Petrią preces admittis, cōsutasti & ad flagitiosos quosq; exorādi munus ostēdisti. Habet itaque Ecclesia tua B. P. sacrum cultum nō vanum, aut fortuitum, sed inter causas effectiuas supremi ordinis oīa sua dictione cōcludentē. Nec in vacuum obsecro tantā Dei gratiā, largitatémque recipiamus, regnum tuum Dñi Iesu est orationis compāratum, dicēte ad illum Patet, Postula à me, & dabo tibi Gētes hæreditatē tuā, & possessionē tuā terminos terræ. Idē est ciusdē orationę cōfirmatū, dicēte ipso ad Petrū. Ego rogaui ,,p te, vt nō deficiat fides tua: ,,pter q̄ Romana Ecclesia immaculata fide p̄seuerat. Collapsum ergo idem præceps ad prope ruinam cū videamus, experiamur, sentiamúsq;, sursum respiciam⁹, & leuemus capita nostra. Oremus mente, oremus & spiritu, ne vox illa reperatur, populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est à me: cui debetur omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

ORATIO II.

De vnione verbi cum natura humana, coram eodem Alex. 6. dominica prima Aduentus, anno Salutis 1502 habita.

VIDEBVNT filium hominis cū potestate magna & maiestate. Lucæ 21. cap. Admirabile sacramentum, quo filius Dei se nostra cum humanitate coniunxit, Dionysius Areopagita B. P. profundius sensit, quàm à nobis explicari possit. Silentium tamen ob hoc nobis non indixit, sed mysterij altitudinem commēdauit. Quamobrem studiosas mentes, quæ ad difficilima quęque perscrutāda sese rapiunt, prouocauit ad huius tantæ rei contemplationem nō minus salutarem, quàm difficilem. Tali concitatus desiderio statui apud me ipsa vnione verbi cum natura hominis aliquid tam subtili-

ter, támque modestè disserere, vt tanto loco dignum quippiá afferrem, & professioni meæ videretur aptissimum. Attamen primum Mariæ numen, vt præsens nobis adsit, humiliter imploremus, dicentes, Aue Maria, &c.

QVM Ad ædificationem perpetui templi solius atq; omnipotentis Dei, in quo vos B. P. & reuerendissimi Domini tãquam colũnæ positi statis, illud immutabile fundamentum iaceretur. Verbum quod in principio erat Deus, caro factũ est, admiratione pariter & stupore commoti sunt plurimi, subtiliúsque inuestigare molientes, quomodo vnus atque idem verus Deus & verus homo esse possit, ad philosophiá sese cõtulere. Cũmque in illa ꝓspexissent, ꝙ omnis vnio aut secundũ substantiá, aut secundũ accidẽs sit, vtrãq; scrutati, diuersa vtringue obstacula offenderunt. Etenim si substãtialis est ipsa Dei hominísque cõiunctio, aut diuinitas erit humanitatis forma, & pinde, vt Apollinaris somniauit, tertia quædã natura ex vtriusque commixtione cõflata est. Si verò accidentalis affirmatur, siue diuinum dicamus Verbum habitare in illo homine, veluti in tẽplo, siue vt indumẽto connexum (quemadmodum duas hypostases in eandẽ personã componentes) concedere oportet Nestorianam impietatem à finibus Ecclesiæ iampridem à Patribus explosam vltro reuocaremus. Quo fit, vt nodosa nimis quæstio Christianæ religionis professoribus obiecta videatur. An forte satis erit nobis pertransire crassa (vt aiunt) Minerua: & ruditer arbitrari talem fuisse illam vnionem, qualé Deus voluit, aut qualem Ecclesia credit. Sed si hæc fides sufficit, vana est admonitio principis Apostolorũ, quando paratos esse iubet de ea, quæ apud nos est inconuulsa fide, omni poscẽti nos rationem reddere. Quo itaque fœdere Verbũ caro factum sit, quantum à sanctis Patribꝰ accepimus, & nobis tribuere dignatus est qui omnẽ hominem ad se humiliter properantem adiuuat & illuminat, paucis mihi prosequendum restat. Et quoniá omnis de aliqua re institutio à diffinitione debet proficiſci, vt intelligatur quid sit id de quo disputatur, imprimis prælibandũ reor, quid sit vniri in natura, quíve in persona. Viri in natura dicuntur, quæcunque è diuerso venientia ad vnius naturæ integritatem perficiendam concurrunt, siue informatione quadam, vt anima & corpus hominẽ integrant: siue cõtinuatione qualibetà natura instituta, qualem animalis mẽbra præ se ferunt, siue quauis alia enascẽtium conuersatione rerũ id euenire contingat. Cùm autem ex philosophia, nedum à sacris literis, didicerimus diuinitatem & in seipsa omnis cõpositionis expertem: & in cuiuſuis alterius concretionem venire nõ posse (vt pote, cuiusſibet imperfectionis ratione illi repugnãte) assumptio hominis à Dei verbo vnionem in natura repellit. Vniri verò in persona illa dicuntur, quorum vna eadémque existitá Græcis hypostasis, appellata à nobis autem substãtia indiuidua. Addidi autem, indiuidua: quoniam cõsuetudo Latinorum, & quæ communis est substantiá vsurpat. At vnio hæc secundum personã non vno tantũ modo intelligi potestꝫnã quodlibet accidens ab eo, in quo est, cõstat secundum personam indistinctum esse: partes vel integritatis vel essentiæ cuiuſcũque hominis, quantũ ad personã attinet, eædẽ sunt cũ eo, cuius partes esse dicuntur. Verùm cũ diuino verbo fas non sit quippiam accidere, & ordo rerum nequaquã patiatur humanitatẽ, quæ ad substantiam spectat accidẽtis essentiam subire, intelligi nullo modo potest, vt humana natura deuincta Deo personaliter sit: quẽ admodũ accidens subiecto suo inhæresci t. Quòd si ad alterum modum recurras, quo partes atque membra personæ copulantur, incidis in Scyllam cupiens vitare Charybdin. Deũ enim aut hominem partis definitionẽ subintrare fatendum esset: quorũ vtrunque rideret philosophi, alterũ orthodoxa detestaretur Ecclesia. Quid ergo? succũbendũmne nobis erit? minimè gentium. Perspicacius quidem intuentibus videri potest quòd membra cuiusque hominis & partes sunt & organa: partes quidẽ, quoniam totum integrant: organa verò, quia ad officia muneráque, ꝓpria accõmodantur. Organa autem dixerim non quæcunque, sed connexa. Habent siquidẽ artifices & alia instrumenta à seipsis abiuncta, quæ à prioribus tantùm distant, vt nequaquam valeat alter alteri manus aut oculos, quemadmodũ ensem aut calamũ cõmodare, propterea ꝙ nostra isthæc mẽbra nobiscum subsistunt, illa verò remota à nobis sunt, & existunt per seipsa. Nec partes & quæ diximus coniuncta organa, tam mutuo inter se connectuntur vinculo, vt neutra possint ab alterutris separari: qũquidem & si nullũ intelligatur genus partium: possunt nihilominus huiusmodi instrumenta remanere. Nã & sensoriæ quæque partes non eo quod partes compares habent, organa sunt, sed quoniam ad suas aptæ sunt functiones: vnde si senex oculũ solum iuuenis assumeret, videret vtique sicut iuuenis, & si quis præterea corpus totum animę organum dixerit, nullus erit error. Quocirca modus quidam relinquitur, quo personalis aliqua coniunctio definiri possit, nulla se vel partiũ, vel accidentium natura commiscente, qñ organum implicitum assueraui mus cuipiam tributum esse personæ, atque hoc nimirum pacto nostram naturã Dei verbo vnitam citra omnem dubitationẽ cõfitemur. Et qm̃ in tota earum, quæ apud nos sunt vniuersitate rerũ, nihil tam simile verbo Dei, quàm intellecti ua anima reperiẽ, ab ipsa exẽplo qualicunque sumpto, ea quæ diximus, fortasse sub obscura pendantur. Cernere libet nostrã aĩam, præter ꝙ corporis est forma, vtroque potiri instrumenti genere: dum & sui corporis eiúsque partiũ pinde ac cõgenitorũ organorũ vtitur ministerio, & externa adminicula pficiẽdis adhibet operibus: hominis enim corpus cõiunctũ intellectiuæ animæ organũ putandum est non ob id esse, quia ipsa illud informat & perficit: sed ob eã potius causam, quod idẽ cũ ipsa sortitum est subsistere. Enimuerò si sola vis intelligẽtiæ adimeretur animæ, hoc ipsum ꝙ corporis perfectio est, retineret nihilominus secum illud idẽ corpus, quatenus instrumentũ coniunctũ: vt Platonici omnes, Peripateticorũ verò illi, qui vnũ hominibus dedere intellectũ, affirmant. At si incredibile aut ambiguum adhuc cuiquã videtur, vt spiritualis aliqua substãtia corporeũ habeat quippiã eiusdẽ secum etiam participãs, quo proprias absoluat actiones, & tñ eius forma non sit, ad seipsum redeat, seipsum intueatur, de seipso dubitet. Nonne intellectus hominis ad explicandos eorũ quæ intelligit, cõceptus lingua vtitur, quæ corporalis est, & eadẽ omnino persona cum illo cõstãs, & tñ intellectus nullius corporis est actus? Quemadmodũ itaq; intellectiua anima miris quidem, veris tamen, modis geminũ habet instrumentũ iunctũ & abiunctũ: nõ secus profectò gloriosus Deus vniuerso creaturarũ genere veluti organo vtitur separato, dum per secretũ, intimũmq; illapsum se rebus immiscens, ad suæ voluntatis arbitriũ deducit omnia, & cuncta in singulis, & singula in cunctis operatur. Illam autem humanitatẽ, quæ in Christo permanet, tanquã organũ coniunctum assumpsit: atque ad illa magnifica & excellẽtissima solius Dei opera, redẽptionem generis humani, sanctificationẽ peccatorũ, æterni regni aditũ, & id genus multa accõmodat, agit, exercet. Quare præclarè Athana. vnionem animæ ad corpus, nõ vt materiã, sed vt instrumentũ ꝓprium intuitus dixit, sicut aſa rõnalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Cũ igitur vnio omnis, vt primo loco eum dicebamus, vel secundũ personã sit, vel ſm essentiã, & essentialem ꝓcul à ꝓposito repulerimꝰ, superest vt personalẽ vnionẽ hanc asseramus. Rursus cũ personalis vnio interdũ penes subſtãtiam cõstare possit, interdum autẽ penes accidens, & quæ accidentis est similiter ptermissa sit, vtiq; substãtialis remanebit. Postremò, quia hæc in eam, quæ ascisit partes: & in eam quæ organis contenta est distincta reperitur, cõstet verò partium ꝓprietates vtrique repugnare naturæ: consentaneum est, vt diuinitas atque humanitas Christi in vnã coëant nõ naturã, sed personam: non accidentaliter (vt ita loqui liceat) sed substantialiter: non vt partes, sed vt altera humanitas, ꝙ veluti instrumentum quoddam (vt sæpe dictũ est) adiunctũ diuinæ personæ sit: atq; ita sanè adiunctum, vt corpus illud verũ Dei corpus, & aſa illa vera Dei aĩa verè atque constanter possit appellari. Nec officit quicquã nobis, ꝙ cõiuncta organa ad integritatem naturæ eius, cuius sunt, spectare videantur, nõ enim oportet id cõtinuè verum esse, vt sexti digiti quæcunque ex causa cõgeniti exemplo, ꝓbari põt. is enim de ſpeciei humanæ integrita te nõ est, & tñ org num cõnexum est hominis habentis illum. Cęterum quo nullus hæsitãdi locus excellenti cuiquam ingenio relinquatur, nihil obesse scito, ꝙ ipsum Dei verbũ sola vi intelligentiæ ad assumptam naturã refertur: hoc enim minoris refert quam curandũ sit. Relatio nãq; sola nõ tantũ habet mométi, vt hominẽ Deũ faciat, verum suũ inspiciendũ est, ex quo oritur fundamentũ. Quod hoc in loco si attẽderis, in eo cõsistit, ꝙ filiꝰ Dei ad idẽ omnino esse personæ subſtãtiæq; suæ naturã hominis cõplexꝰ est: hęc enim eiusdẽ indiuisio est, qua Deus homo est. Quę & tãta tanque singularis habetur, vt in tã numerosa rerum cõditarum multitudi ne nullã diuus Bernardꝰ reperit, quã nõ fateretur ab ea excedi: cũ docẽte Au. didicerimꝰ potiorẽ vnionẽ obtinuisse hominẽ in filio Dei, quã (mirabile dictu) ipsemet filius in Patre, cũ quo tã singulariter vnus Deus. Hæc est q̃ ꝓdigiis oĩbus adeò præstat, vt ne dicam cætera mirabilia Dei opera (quæ vel tenuiter inſpecta laudamus, miramur & obstupescimꝰ) sed miraculo vniuersa q̃ fieri possе credimus longo supereminet interuallo: quandoquidẽ homo, qui natus est in ciuitate carnis nostræ idem ipse est Altissimus, qui fundauit eam. Hoc est magnum illud, atque apostolicũ sacramentum: quo secundus Adam tãquam spõsus ꝓcedens patrẽ reliquit & matrem, qñ forma susceptæ seruili splendorẽ maiestatis obtexit, & synagoga dimissa nouæ sponsæ inhæsit, factáque sunt duo, Deus inquã & homo in carne vna. Hæc est ardẽtis simũlq; incõbusti rubi flagrãtia: qua Deus noster (qui ignis cõsumens appellari voluit) quã asciuit humanitatẽ, absque cõsumptione cõtinet atq; illustrat. Nec secus quã ros in vellere abditur, & tanquã lapis sine manibus humani operis de monte virgineæ altitudinis absciſſus creuit in mõtem maximum, omnia implẽtem, qñ vniuersa & quæ in terris: & quæ in cœlis sunt: instaurat: magnificat: beat. Hæc demum est quæ mortalitatem nostram abiectam atque prostratam supra ne dicam sydera: sed Angelorum quoque altitudinem efferens

ferés diuinitatis consortium adeo nobis impartiuit, vt nũc quidem essemus & appelaremur genus electũ, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis eius qui de tenebris nos in admirabile lumẽ suum vocauit, & demum qñ apparuit, similes ei simus immortales, impaſsibiles, nullius egẽtes, sancti, glorioſi, beati. Agnosce ergo quisquis Christianæ professionis censeris, dignitatem tuam & diuinæ inm consors factus naturę noliin veterem vtilitatẽ degeneri cõuersatione redire. Memẽto cuius capitis, cor porísque membrum sis. Etenim si præ oculis nostrã hanc tantum præstantiam in promptu haberemus, & ad illam mores nostros metiremur & cogitatus, quam parata & expedita esset nobis via ad bene beatéque viuendum. Quicunq; nẽpe salutis suæ curam nõ negligit, in vnionis gratia, qua Christo insitus est, stãdum, aut ad eam redeũdum sibi tore faciles prospicit. Nam quia nos insani per impietatũ nostrarũ iniquitates ab vno verò summóq; bono resilientes enumeramus, in multa discisi, per multa inhærentes multis, nutu deniq; Dei nostræ perditionis miserẽtis, venit Emanuel vnus, & se nobiscũ effecit vnũ, vt à multis exonerati, applicaremur ad vnum, amaremus vnũ, fueremur vno, persisteremus in vno, qui cum Patre & sancto spiritu viuit & regnat Deus. Amen.

OAATIO III.

De causa & origine Mali, & cur homines plura & maiora mala inuaserint magis quam cætera animalia coram Alex. 6. Dominica 1. xl. anno salutis 1502 habita.

DVCTVS Est Iesus in desertũ à spiritu vt tentaretur à Diabolo. Propositum hodie singulare duellum, S. ae B. P. admirãdum vniuersæ creaturæ spectaculum exhiber. Vnigenitus nanque omnipotentis Dei, idémque Deus omnipotẽs trabea nostræ mortalitatis indutus, nõ in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati progrediens, alter pugilum mediam veluti in arenam, & totius orbis theatrum prosiliit, cõtra principẽ tenebrarum pugnaturus. Quis nõ miretur, quis nõ stupeat? quis nõ omnibus prope sensibus deficiat? Magnitudo rei & scaturiẽtium multitudo mysteriorum rationis virtute omnẽ circunfundit. Cùm autẽ cuncta mens non valeat humana cõprehendere, & q̃ percipere datum est enumerare singula orationis modus non libenter sinat, ad vnum illud oculos inieci meos non aliorũ potiſsimũ, sed ꝙ exilibus ingeniis (quale meum fateor) & tractatu facilius, ad nostrã maximè respiciat naturã, Cum enim intueor Saluatori nostro, eidémq; Deo optimo, creaturã suã, quam bonã sanctámq; cõditam, obuiã fieri, culpam suadere, & nequitiæ suæ venenum ad fontẽ vsq; bonitatis extẽdere tentare, id modo versatur in animo Deus omnipotẽs maximus autor omniũ eorundémque & singula bona, & cuncta valde sunt bona, vnde igitur malũ rebus adiunctũ est? quis malum mundo inseruit? Operæpretiũ itaque esse arbitror, quã breuissimè disceutere prius vnde malũ in vniuerso sit, deinde q̃ ob causam hominũ genus præ cæteris plus mali occupauit. Veruntamen nostro vt aspiceret instituto, Mariã summi boni parẽté adeam⁹. Aue Ma.

MALI Originem inuestigare tentantibus ille quàm primum occurrit quæstionis nodus, Malum ab alio productum, an verò ex seipso subortũ sit. Si ab alio, à bono igitur, aliud nẽpe à malo, non nisi bonum est. Quo autẽ pacto à bono malum manare potest cũ pugnent inter se, nec solùm contraria, sed cõtrariorum quoq; eaũsque fines? Si ex semetipso malũ est, Manichæi redit error, nec vnus vniuersi est princeps (vt Stoici & Peripatetici rationibus affirmarũt) sed duo rerum prima principia, alterum quidem bonorum, alterum verò malorũ (vt Pythagorici finxisse visi sunt) cõsiteri necessariũ esset. Implicitè autẽ huius difficultatis nexũ, qui sibi absolui explicarique desiderat, eorũ quæ sunt, geminã aduertat esse naturã. Altera quidẽ ad propriũ boni ſta disponitur, vt tũ ab eius consecutione deficere possit: qualia sunt ea omnia, quæ in hoc vltimo orbe frequenti & alterna generatione atque corruptione variantur. Altera verò (ad quorũ numerum cœlestia pertinent corpora) infallibili ratione proprium bonum consequuntur. Nascitur autẽ hæc rerum disparitas ex ea, quæ præcedit diuersitate mutabilitatis atq; cõstãtiæ. Illud quippe rerũ genus, cui opportuna quæq; principia ad vltimũ suæ naturæ adipiſcendũ mutabilia sunt, fraudari profecto suo bono potest. Cui autẽ vel obtenti vel obtinendi necessaria oĩa præsto certóq; assunt, hoc à suo desiderio decidere (etiam si fingere liceat) impossibile esse videtur. Plantæ etenim & semina idcirco ab intẽro germine inueniuntur quidẽ defecisse, ꝙ per impedimenta obuiantia naturalis eorũ profectus interceptus est, Sol verò, ab instituto nunquã diuertit ob eam causam, ꝙ inuariabili ordine natus est moueri. Oritur & hæc diuersitas ex prioredifferentia ſm potentiã, & eam quã Græci endelechiã, nos vero actum atq; perfectionẽ appellamus: variabilitas quippe connexionis cuiusque ex potẽtia surgit, inflexibilitas verò ex illa rei cõsummatione firmatur: quæ potentiam omnẽ ad quoduis repugnans procul abegit. Nunquam eñ obirent animalia: si tanta esset perfectio vitæ: quæ omnem moriendi potentiam excluderet. Sunt tamen nõ pari ratione tantæ inæqualitatis prima principia: actus & potentia. Ille enim primã sedem tanta sibi autoritate vendicat, vt antecedens omnẽ ſm quodcunque genus abiiciat. Hæc autem & prius se fundamentũ consequi nõ recusat: possibilitatis nanque cuiusque radix censetur ex nihilo esse (vt nostri) vel non ex se esse (vt Philosophi tradunt) cum potentia mater est defectus. Quem nõ ex se esse, pullulare ab aëre proferamus exemplum, quẽadmodum enim aër, quia non ex se lucet, quidquid luminis habet, alio vtique illustrante habet: quotusquisque verò fulgoris gradus illi defuerit, ex hoc ipso prouenit, ꝙ nullum ex seipso aspirat lumen. Haud aliter creatura quælibet; quia nõ ex se exiſtit quidquid perfectionis possidet, alio largiente quocunque sortitur; defectus aũt omnis, qui affuerit, ꝓpterea aduenit, ꝙ nihil ex se est. Quãuis autem cuiusſibet possibilitatis ipsum nihilum radix sit: nõ omnia tamen, quæ in nihilum reuertẽtur, nũc illa manus omnipotẽtis tueretur, huiusſmodi habẽt potẽtias: sed sua cuique pro naturæ atque proprij finis ratione accõmodata est. Quocirca licet ea, quæ suapte natura ad singulare aliquod bonum prona sunt, diuersis calle ex nihilo prodierint (dum alia id boni tanto sibi fœdere copulârunt, vt nullus sit relictus contrario aditus) alia verò ab illo nihilo, vnde veniunt, tam paruum discesserunt, ꝙ non modò ad destinatũ finem tendere: sed in cõtrariuum possunt inter ea remeare, quæcunque tñ ad vniuersale bonum capeſſendum facta sunt (qualia sunt cuncta intellectu prædita) vno eodémque interuallo ex nihilo proficiſcuntur: qñquidem eorum nullum ad finem ꝓprium neeſſariò pertingit, sed omnia ingenito possunt arbitrio & ad proprium se agere bonũ, & in aduersam partem reniti, pergere, perue nire. Diuinitatis nanque cũ ꝓprium sit, vniuersum bonũ esse, ipsamquemet sibi legẽ existere, & habere denique rõnem eandem, quã & voluntatẽ, reliqua natura quæ intelleſtꝰ rõnis est particeps, libertate donari haud alia valuit quã quæ ex nihilo potuit exire: hæc autem cum particulare quoddam bonũ assequitur, & alteriꝰ legi, cui vniuersum bonũ est, naturalẽ subiicitur, & voluntatem ex se defectricem afficit. Eiusdem enim rationis est, esse creaturã liberam absque potentia diuertendi ab eo, ad ꝙ destinata est, vniuersum bonũ, & creaturam vniuersum bonũ esse: quod profectò nõ solum nõ fieri, sed ne cogitari potest. Qui enim tanta quidem viget libertate, vt à bono discedere aequeat (cum bonũ omne voluntas possit appetere) totã bonitatis naturã, eandémque immobilem in semetipso habeat necesse est, nã aliter pro ea parte, qua minus habet, aut mutabilis est, posset plane decedere. Quamobrẽ Areopagita Dionysius, malum particulari bono comitẽ alligauit indiuiduum. Quum igitur malũ ex naturali, boni defectu, ex mutabilitate, mutabilitas ex possibilitate, possibilitas ex finitate, finitas demũ suboriatur ex nihilo: cõsequens est, vt quæcunque mala sunt, ideirco sint, qm̃ illa, quæ malis subiiciũtur, ex nihilo veniũt. Et cum potestati nõ subiaceat diuinæ, vt creaturæ sint, & non ex nihilo inueuitabile est quin malum sit. si tamen subsistere mũdus debet. Verùm inter malum naturæ atque moris tantum interest, vt illud quidem & posse & esse necessarium sit: hoc autem posse similiter necessarium, facere autem libertatis fuerit. Percunctantibus itaque vnde malum, ex se an ab alio, iam liquet malum quidẽ posse quatenus in malum tẽdit, nec ex se (quia ex nihilo exurgit) nec ab agente autoręque aliquo, siue volente, siue nolẽte, aut per se, aut per accidens ꝓuenire. Quemadmodum nõ frigescerẽt, igné inseparabiliter cõtemperatur: nulla tamen causa petenda est, quæ ignem efficiat non frigidum. Malum verò ipsum à bono nascitur, sed per accidens: dum quædam bona appetũtur, quibus mala implicita sunt aliorum. Nullus enim operatur aspiciens ad malũ, sed ad bonum ipsum, aut saltẽ apparens bonũ agentis omnis studiũ contendit. Nemo profectò lacesitus tanto vnquam furore vltionem expetiit vt alterius malũ primaria oprione eligeret: sed dum bonis quibúsq; nostris (vtilia, delectabilia, honestáue sunt) acquirendis tuendisque operam damus, aduersa quæque declinãda, refellenda, destruendáque occurrunt. Hæc est origo atque via, qua malum mundo obrepere cœpit, extremásque eius partes ambas iam penetrat, lustrat, occupat. Sed de mali origine hactenus.

Deinceps vt promiſimus, quare tanta malitinundatio homines præ cæteris inuaserit pauciorib⁹ absoluamus. Singularis humanæ naturę miseria atque calamitas S. P. fẽda potiꝰ q̃ dispurtanda esset. Cælũ enim & terras & mixta quæque cõspicies, intueor rerũ omnium species ad proprios certatim fines cõrendere, intentis bonis potiri, vel in nullis, aut certè in paucis singularibꝰ desiderium falli, & impedimentum perpeti. Humanũ aũt genꝰ omne, terra vorago vitiorũ (q̃ verè mala sunt) sic cõplexa est atque absorbuit, vt Rara auis in terris, & nigro simillima cygno Vir bonꝰ & sapiens, qualé vix reperit vllũ Millibꝰ è cũctis hominũ cõsultus Apollo. Cur solũ humanũ genus Deus optimè tot ac tantis malis respersiſti, aut certè inuolui passus es? Nũqd oĩa certo fine gubernas hominũq; solos despicis act⁹? nũqd toti⁹ huiꝰ operis abiectiſsima pars homines sumus? Hęccine est imago tua Domine? Vbinã illud Prophetæ tui de tua erga nos misericordia admirantis: & tanti homines

feceris, quòd eorum pedibus cũcta subieceris, oues & boues vniuersas, quin & pecora campi? Si cæteris animantibus præstamus, quanta obsecro, & qualis excellentia hæc, si communem nobis, & illis optimi appetitionem congeneraſti, & illa ferè omnia finem assequuntur, nostrum autem paucissimi voti compotes euadunt. ¶ Bifariã aliquid accidere rebus factis ex philosophia didicimus, ex electione ipsius artificis, vt accommodum quippiã sit ad boni aliquid, & rursus ex materiæ necessitate, quæ constat veluti ex pura tinea, & ex fertamentis quibusq; corrodẽs emergit rubigo. Quapropter sicut faber ferram facturus, durã ferri eligit materiã & ad secãdum idoneam, quã autem rubiginem contrahat, tantũ abest, vt optet, vt quo ad possit, studeat propulsare, haud aliter plasmaturus Deus hominem, qm animæ actiones instrumento indigebat, p tangendi sensu nobilissimo (obsidque moles carnes, bene aptos mente, docilesq; videmus) oportuit tale effingere corpus, quod earum qualitatum, quæ tactu percipiũtur, medium temperamentum haberet. Cõpositum proinde oportuit fieri hominẽ ex intellectuali & sentitiua natura, & spiritu & carne, ex rationali appetitu atque sensibili. Efecta nimirum sunt ambo, vt sensibilibus bonis pariter & intelligibilib⁹ certa quadam ratione frueremur. Nunc aũt cum simul atq; editi in lucem & suscepti sumus, sensibilibus assuescimus bonis, cũ vtilibus, tum delectabilibus, atque itaque hæc sensuum blandimenta naturali nobis necessitudine iũcta si requeri vsu adeo familiaria fiunt, & tam vehementer nos impellunt, vt & insignem mentis nobilitatem obnubilent, & putem⁹ nos sensitiua natura primo cõstare, consectamur propterea blandientem libidinẽ, nullum habentem modum nullumq; finẽ, & toto impetu paulatim ferimur, imò rapimur in istas sensuũ oblectationes. Delecta hæc nõ sunt, vt in homine essent, sed ex cõnexione partium pullulãrũt: hinc liquidẽ caro cõcupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnẽ, hinc Apostolus queritur, Video aliã legẽ in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuãtem me in lege peccati. & rursus, Nõ quod volo bonũ, sed q̃ nolo malũ hoc ago. Hinc manifesta carnis opera fornicatio, immũditia, impudicitia, luxuria, æmulatio, veneficia, inimicitiæ, æmulationes, cõtentiones, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & id genus multa, quibus nõ sat est animũ inficere, nisi etiam corporis mala tot tãtaque secũ ferãt, vt in nobis ipsis experiamur nullã fere hominibus ægritudinẽ accidere, quæ ex animi huiusmodi prurbationibus originẽ nõ traxerit, ob eamq; causam cæteris animalibus, erebrioribus & grauioribꝰ molestiis, infirmitatibus, morbis & ærũnis infestatur, & quatiẽs genus hominũ. In sola igit̃ nostra natura, mirũ nõ est si tãta vtriusq; malirubigo resideat, qñ sola ex sensu & intellectu constat, & eõ vinculo, vt sensus, & quæ illius sunt manifesta, facilia domesticáque nobiscũ coalescant, intellectus autẽ & eius bona obscura, ardua, alienáque appareant. Accedit ad hæc, p sicut à sanctis Patribus accepimus, aduersarius noster Diabolus circuit quæritans quem deuoret, & menti falsa suggerere, & suas delicias sensibus suadere, & si qua sunt spiritualium bonorum desideria vel extinguere, vel inficere non desistit. An sunt nobis forte longius aut ignota exempla petenda? audacissimã enim bestiã illã & infensam, Dñm Iesum paulo ante audiuimus, quam importunissimè aggressam. Et primò quidẽ esurientẽ ad ea quæ carnis erant, sola tn externa suasione inuitauit, nõ enim decebat immaculatũ agnũ, qui venerat tollere peccata mundi, interna carnis pugna tentari, cum (vt diuus ait Augustꝰ) nonnullũ peccatũ sit cum caro cõcupiscit aduersus spiritum. Deinde religionis sanctimonia ad egregiã popularis famæ extensionem prouocans, si illæsus per ærta descenderet, quæ mũdi sunt subministrauit. Demũ ratus, p si peccare licet, repugnãdi gratia maximè licet, oĩa regna terrarum pollicitus est. Et sic dum res gesta geminatos hostes (intimos scilicet & externos) habere nos admonet, causam simul affert quare rempublicã humanam malis crebrescentibus labefactatã singulariter videmus.

¶ Nec ꝓptera virtutis nomẽ tanquã impossibile pauẽdum nobis est, & via desperanda salutis, bonorum em̃ officiorum omniũ semina à natura nobis indita sunt, & aduersantia quæque valemus pro nostro integro arbitrio superare, Adiice p intus & extra ad vtriusque genetis inimicos supplantandos, magna & munitissima præsidia posuit. Conditor omnipotens & gloriosus victor noster. Exteriora quidẽ arma illamet, quibus ipse vsus est, ad vtendum contulit, sacrorũ nẽpe librorum doctrinam, nulla siquidẽ ratione alia quã sola Scripturæ autoritate certamen totum ad victoriam vsque perduxit, cõpertũ suo experimẽto id esse monens, vt quicquid credendũ, agendũ, omittẽdumq; occurit, hoc sacri eloquij lance librandum esse censeamus. Interius verò auxilium tribuit, quandoquidẽ antequã duceretur à Spiritu sancto, vt tentaretur à Diabolo, aquarũ fluenta benedictione, proprij Baptismatis cõsecrauit, & deinceps cũ primũ in nouã creaturã sacro fonte regeneramur, suæ gratiæ & charitatis aliarúmq; omnium virtutũ muneribus sic protegit, vt omnia nequissimi tela igneo veneno armata, facile possimus abrũpere, retorquere, & extinguere. Minimã nanq; charitatẽ diuus Tho. edocet ad omniũ generũ exquisita tẽtata sufficere. Quis nos, inquit Apostolus, separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia, an gladi⁹, an fames? cert⁹ sum, q̃ neq; mors, neq; vita, neque angeli, neq; principatus, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate, quæ est in Christo Iesu, qui cum Patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula. Amen.

ORATIO IIII

De immortalitate animorum coram Iulio 2. Pontifice maximo Dominica prima Aduentus anno Salut. 1503 habita.

PROPE EST Regnum Dei, Lucæ 21. Post quã rerum humanarũ atq; earũ, quæ intra nos sunt, diuinarũ, culmine, potita est beatitudo tua, sanctissime Pater, agnoſco hoc ortãdi munus eadẽ spectante felicitate mihi sorte obtigisse. Ea propter oẽs aut expectare catalogum quendam laudum tuarum à me recensiri iri, aut inuidere arbitror mihi fortunam meam. Magnorũ enim oratorum animi excelsa virtutũ tuarũ fastigia cõmendare gestientes optassent vehementius hunc sibi locum dari, quò tã in latũ campum riuos totius effundere liceret eloquentiæ. Hos ego tantum abest vt reprehendam, vt ingentes quoque gratias pijs eorũ affectibus, sanctitatis tuæ nomine, agendas putauerim. Attamen ab ista procul valde sententia meum consilium distraxit, spectãs enim ad magnanimitatem tuam, quam præclara facinora luculentius ostendunt quámve mortales omnes pleno ore congratulantes prædicant, auram istam popularem ventosamque orationem quam animi magnitudo vti cætera quæque caduca atque fluxa spernit, omittendam censui. Verùm maximam de immortalitate animorum difficultatem, & eam penitus explicatam (si tamen ita dici sine arrogantia licet) maiestati tuæ offerendam attuli. Ad primum siquidem mortalium principem, pastoremque animarũ, prima oratio à prima religione, prima de hominũ re iure habetur. Verum quo tam arduum negotium dignius tractemus, diuæ Mariæ numen imploremus, Aue Maria, &c.

PRINCIPIO veluti basim quãdã atq; totius orationis fundamẽtũ id firmiter ab omnib⁹ teneri velim, ad cognitionẽ latentiũ substantiarũ, occultarúque rerum, propriis earum effectibus deducentibus, nos rite saneque peruenire. Effecta nãque si tollas, nullã notitiæ de arcanis relinquitur locus, cùm (vt inuisibilia mittam⁹) de corporibus cœlestibus, de Sole, de Luna, deque reliquis astris, sublatis officiorum suorum actionibus quis vel tenuem cõiectũram caperet? Quis ignẽ leuem, terram graue, illũ calidũ, hanc frigidam dignosceret ñ ascensus atque descensus, si calefactio frigefactione nũquam fuissent sensibus explorata? Hinc igit̃ maximus ille philosophiæ parens Arist. exorsus, Si animus inquit, aliquam habet operationẽ propriam, fieri poterit eũdẽ à corpore quoque separatũ nihilominus manere atque viuere, si nullam sibi vẽdicat, sed omnem (vt ita dixerim) suppellectilẽ habet cũ corpore cõmunẽ, cũ ipso quoq; corpore intereat opus est. Hoc itaq; iacto fundamẽto, subtilius est inquirendum, an animus per seſolum agat quicquã. Et quoniã si quippiam solus perficit, id præcipuè est cõtemplationis opus, ad hoc vniuersa deducit quæstio, nũquid intelligere solius animi sit, an vero animi simul atq; corporis? Vt autem quod quærimus, clarius, facilius, rutiũsq; inuestigemus, rebꝰ omnibus distributa pariter & accommodata officia legere atque accurati⁹ distinguere operæpretium duxi. Quatuor esse actionum genera philosophi tradidere, quarum duæ extremæ sunt, reliquæ autẽ mediæ. Et illarũ quidem vnũ gen⁹ est, quod in solo corpore materiáque versatur, quales sunt affectiones, quæ à calido frigido, humido, sicco, duro, leni, atque his similibus proficiscuntur. Alterũ verò est, q̃ à rerum sensibilũ mole eleuatum, ad spiritualium naturam solummodo refertur. Nostram autem intellectionẽ ad neutrum horum generum ptinere facilè cõstat, nec enim cum intelligimus affectus (quos modo dicebam) patimur corporales, quin potiꝰ si intenta mentis acies nimis fuerit, quanquam extrinsecus illa nobis admoueantur non sentimus. Neq; rursus tam alta petim⁹, vt corporeis imaginibus nõ immisceamur: oportet enim intelligentem phantasmata speculari. Inter mediorũ verò generũ alterũ, quod mali est propinqui⁹ (inquo & actiones sensuum cõtinentur) ab eiusmodi affectionib⁹ liberũ est, sed corporeo organo expletur, audientes nẽpe vel videntes, & si non frigem⁹ aut æstuamus, quibusdam tamen corporeis intereedẽtib⁹ portionib⁹ sonos, colores, odores, cæteráq; sensata percipim⁹. Reliquum autẽ spiritualib⁹ actionib⁹ affine, qõ solum ab elementarib⁹ qualitatib⁹ sed à corporeo quoq; instrumento sese eleuat, obiectis tamen nõ corporibus, sed corporũ imaginibus (quæ phantasmata philosophi appellant) naturali quadã necessitudine deuinctum est. In hoc ꝓfecto actionũ genere nostram intellectionẽ locari quisquis veri iudicis naturam nouit, nequaquã ambigit, experimur nanq; nosmetipsos intelligere discernereque non genus hoc aut illud, sed vniuersam corporum naturam. Decernere autem recte non contingit aliter, quam si is qui arbitratur, omni vacet affectu.

Probant

Probant hoc quotidianæ cõtrouersiæ: quibus sedandis iudicẽ ad neutram partem ꝓpensum exquirimus atque laudamus. Probãt interni mores, affectꝰ passionesque quibus manifestum sit neminem omni hora sapere, sed qualis vnusquisque inuenitur, talis & finis videtur. Probãt naturæ experimẽta: vt enim vere discernam⁹ quid amarum, quidve dulce sit, nullo affectũ sapore gustũ seruare oportet: ægro nanq; ideo cuncta videntur amariora, qm̃ cholerica amaritudo sensoriũ infecit. Nec dissimile reliquis sensib⁹ accidit vna siquidẽ omnis iudicij cõis est ratio, vt sit qui iudicat, à rebus iudicãdis alienus: nam si illarum aliqua inhæserit, aut totum sibi iudicium inflectit, aut falsum facit aliarũ afferre censurã. Quocirca qm̃ vniuersa ac singula quæ materiæ cõcreta sunt intellectu nos discernere, atque hæc ipsa spiritualibus distinguere experimento cõprobamus, necesse est vt noster hic animus vniuersę naturæ corporeæ natus arbiter, ab omni sit corpore alienus. Vñ præclare Anaxagoras. Atque Arist. intellectũ oportere esse immixtũ dixere, tametsi diuersis rationibus ducerentur, ille enim vt libero expeditóque imperio cũcta disponat: hic autẽ vt recto sanóq; iudicio oĩa decernat. Nec audiẽdi sunt nobis qui acriori se ingenio præditos existimãtes, organũ quidẽ (hoc est quandã corporis portionẽ) menti nõ assignãt ab vniuerso tñ hominis corpore eadem adiũgi ratione, quã attulimus, aiunt nõ satis ꝓbatum iri. Tã irrationabilis est istorum cauillatio, vt nisi velim eos nosse eã me scire, atque à sententia ea dimorũ, referendã putassem minimè. Dicãt obsecro isti, si intellectũ ab omni parte corporis oporteret esse liberum, vt omne posset corpus diiudicare, quo pacto vni toti corpori mersus, vniuersæ rei corporeæ æquus eritiudex: siue enim pars siue totũ, mõ corpus aut corporeũ aliquid sit, cui intellectiuã vim quispiã affixerit ad certã trahit, flectit definitque cognoscẽdorũ corporũ speciẽ: quæ nõ solũ amplissimã illã de omni mole corporea cognitione ꝓhibet, impedit, atque obstruit, verũ intellectum quoque ipsum cũ sensu miscet, soláque vocabuli differẽtia alterũ secernit ab altero. Quod si absonum valde est (quandoquidem nihil distaremus ab animantibus) oportet, vt intellectus exercitium solius animi esse fateamur, & nõ animi corporisque cõe cõmodũ sentire. Quæcũque autem species operationũ quippiã, sola efficit, retinet ac tuffert sustinentis alius alicuius admiculo non eget. Alteri nanque si innitereretur, eóque subito labasceret, nequaquã sola eam actionem cõtineret: sed cõmunem magis reciperet cum eo, sine quo subsistere nõ posset. Quòd si alieno fulcimento diuine quæ sunt, hæc formæ opus non sit, sua tantũ virtute subsistere quis dubitabit? Alterũ enim ex duobus fateri oportet aut illam per seipsum stare, aut hærere, & siquidem per se cõstat, in portu (vt aiunt) nauigamus. Si autem subuenitur, quomodo cõtemplationem suam in suo tantũm sinu complecti, fouere, gereréque valet? Si species itaque omnis, quę propriam sibi vel vnam vendicat operationem, communi Philosophorum sententia constans atque perennis est, inficiari profectò nemo poterit, quin nostra mens (quam dum contemplamur, per se solam agere comprobauimus) per se quoque solam esse maneréque possit ac viuere. Immortalẽ ergo animum esse hactenus à propria actione probauimus.

DEINCEPS Eiusdem sempiternitatẽ à naturali eius desiderio monstrandã curabo. Si cuiquã P. B. à natura inditũ est, vt semper esse desideret, rem hanc Philosophi pariter & Theologi perpetuam fore, ea potissimum ratione sunt arbitrati, quòd naturæ appetitus inanis esse non potest, quare si noster animus suapte natura sempiternã cupit vitam, eum immortalitate vigere nemo dubitabit. Quod autem ita sit à natura institutus vt optet se semper fore, manifestum sic fiet. Appetitionum duo sunt genera, alterũ rebus omnibus cõe, quo vnumquodque ad accommodũ iuuans ꝓsuturúmque fertur. Alterũ eorũ quæ cognitione pollent propriũ quo metuunt, cupiũntque, dolent gaudẽtq; & mille aliis variantur affectibus. Vtrunque tamen pro tuendo esse contendit, quandoquidem nulla prorsus res est, quæ se esse non amet.

¶ Quemadmodum autẽ cõmunis ille appetitus, non vno tantum modo in his, quæ certis finiũtur ætatibus, & in his quæ nunquam desinunt (quandoquidẽ quæ senescunt, effundere desiderii in omne tẽpus nõ audent, quorũ aut vigor tẽporis diuturnitate non lentescit, perseuerare semper eadem magnopere connititur) haud secus appetitus alter, quem cognoscẽtium dixerunt esse propriũ, diuersa ratione reperitur in his, quæ sensu tantum mouentur, atq; his, quæ intellectu præstant. Illa enim quoniã solũ quod adest, aut imminet, apprehendunt, in longũ appetitiones nõ suspendunt, quia vniuersa varietatũ, mutationũ, tẽporumque volumina cõtemplatione pariter & prouidẽtia excellant, reliquum est, vt parem vim appetendi sortita non hoc tantum aut illo tempore, sed in æuum deducere vitã cupiãt. Ar si ambiguum, subobscurum, aut leue testimoniũ hoc habeatur, & obiicitur, nosmetipsos intellectu quidẽ præditos non dubitamus, semper tamẽ viuere, aut natura appetimus minimè, aut moriẽtes fallimur. Eleuare obsecro pauliper mentis oculos, constantissimas vniuersalis naturæ leges intendite, sanctiones spectare duas. Alteram qua æqualia pariter congenerantur omnibus, durandi desiderũ & permanendi robur, ita quandiu quodq; duraturum est, tandiu esse desideret, & quanto tẽpore expetit existere, tãtisper permansurũ sit. Altera, qua appetitus omnis quo vnumquodq; esse perseueráq; subinde concupiscit, aut ad quandã temporis mensurã claudit, aut vltra quãcunq; tẽporis longitudinẽ se extẽdit, cõparata sunt hæc in his, quæ de cœlo naturæ scripsit interpres. His autem iunctũ fuerit, ꝓ intellectualis spiritus desiderium tendat ad esse non hac aut illa ætate cõclusum, sed ab omni tempore eleuatum (quoniã intellectu apprehẽsum solũmodo cupit bonum, quòd ab omniũ temporũ differentiis, quia vniuersale est, constat esse, absolutum) consequens est vt is, quo intelligimus & sapimus, animus, in vniuersum tempus effusum habeat viuendi desiderium cum pari robore, euadere quippe quia non potest, quin aut certo tempore, aut semper esse desideret, cum definito non subsit tempori, reliquum est, vt ad sempiternum se extendat. Immortalem perinde esse nõ hominem, sed seipsum noster animus propria apperitione (quæ praua falsáque esse nequit) testatur, clamat, demõstrat, ipsius quippe animi propria est cupido hæc, veluti ipsius cupidinis parens intellectiua cognitio, nos autẽ semper viuere nequaquam optamus, nisi quemadmodũ volare interdũ cupimus. Sed quid diutius quæ domi sunt versamus? nõne, & quæ extra à nobis sunt, cælestẽ hunc timorẽ, & diuinum nostrum profitentur animũ? Ex illo quippe naturæ vultu, quẽ dixere chaos, rudem, indigestámq; molẽ, res omnes eo ordine propagatas, eo fœdere dispositas atque connexas esse perspicimus, vt ad imis ad superiora consecendentibus perfectionum incrementa sensim appareant succrescere, & quæ coniuncta sunt, alterum alteri paulũ admodũ præstare. Cõsurgũt siquidẽ veluti depressi quidã gradus aut numeri rerũ species, & ab his, quæ singulis proxime sunt, nullo distant interuallo: atque idcirco adeo similes cognatásque habent habitudines, naturas, actiones, atq; figuras, quæ sibi mutuo contiguæ sunt, vt non facilè plerumq; sit illas distinguere. Peragratis autẽ vniuersis corporũ, plantarum, animarũque naturis, ad hominem cum venitur, idem grauis ascensus, quo sensim pedetẽtimq; procedebat, nequaquã seruatẽd sursum repẽtè natura trahitur, & ad alteram, eãque remotissimam cõtignationem eleuatur. Maiori nanq; interuallo homo à suprema animantium specie quam summũ animal ab infimo non modo viuentium, sed abiectissimorum quoque corporum genere distat. Ne autem hoc absque ratione dicere videamur, citentur nostra, alienáque genera conditiones actionésque. Genera in primis, quandoquidẽ cætera omnia, ex materiæ transmutatione proficiscuntur, nostra autẽ mens deforis venit. Conditiones deinde: illa enim tenui supellectile cõtenta, pauca quibus indigent, ab ipsa natura simulátque, eduntur in lucem, accipiunt. indumentorum vice cortices, testas coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam pennas, squamas, vellera: pro armis autem cornua, vngues, dentes, rictus, rostra, aculeos, morsus, calces venena. Homo autem pro vniuersis his, & aliis quàm plurimis & variis & magnificis studiosas faciléque solas manus accepit. Actiones demum, quia singulis speciebus aliis, definitus est agendi modus: homo autem tot támque dissimilibus vtitur viis, vt hic solus sit hominibus operandi modus, sine vllo certo agere modo. Alia, sola salus iuuat: hominem verò tam sensu quàm ratione apprehensa, etiam si nil aliud vtilitatis accessurum sit delectãt. Alia, de prole cibóque solicita pugnant: homo autem famam extendere factis auidus, nomẽ & gloriã soboli, saluti, vitæque anteponit. Alia postremò à consono illis bono raro deficiunt: homo autem (proh dolor) suum verè bonum sæpissimè amittit. Vnde igitur tãta distantia inter hominem cæteráque naturas? vnde sollitæ petentia, scandere, tantus repẽtè naturæ saltus? vnde quę cõsueuerat per similiora in similima duci, in tam disparia statim eleuata cõspicitur? Nullam profecto causam aliam reddidisse fat erit, nisi animum è summo rerũ fastigio venisse dixerimus: qui in alterum rerum ordinem naturam trasfert supremis infima iungit, caduca immortalibus inserit, orizonta æternitatis & temporis constituit: sic nempe omnis admiratio disparitatis cedit, si ex duabus naturis hominem constare non dubitamus. Quas ob res si animi nostri (de quo agimus,) facultas certi aliquid coperire potest, & veritatis quippiam de seipso perspicere, si fortissimis argumentis fides vlla adhibenda est, si rõne inuestigata & ad sensuum vsque explorationẽ deducta humanæ sententiæ quitem tribuunt, ineruditi, indocilis, tardi, hebetis, stupidíque est immortalitatem animorũ in problema reuocare neutrum. O quam sibi melius consulerent isti qui se rerum occultarum scrutatores profitentes, quæ natura in sole exposuit, offundunt atque obtegunt, si suam cæcitatem in lentio opprimeret, meliores nanque haberentur Philosophi, dum tacerent, quam imperitiores, dum tam ineptè garriunt.

¶ Sed quid nobis cum re temeraria, animum. P. B. sortiti sumus mundum, purum, splendidum, diuinum thesaurũ, ꝓfecto pretiosissimum in vasis istis fictibilibus reconditum? Mundum in quam

accep

accepimus, quandoquidem non ob merita (vt Origenes fabulatur) corporeis vinculis est addictus, neque vt luteum viuificando corpus eiusdem sordes contrahat, sed vt naturæ fœdere vitam influat, cupiditates, libidines, reliquósque aut tollat, aut moderetur affectus, humana quantum par est, disponat, æterna intendat, ad ea cuncta dirigat, & se totum dedat. Accepimus præterea purum pariter & splendidum, vt quia illustrium spirituũ vltimus, fulgorem micantissimę lucis cum aliis non suffert, obumbratum materiæ tenebris lumẽ veloculo noctuæ similis inspiceret, intelligibilia colligeret, atq; vniuersa natura ascita seipsum omnia faceret. Accepimus deniq; diuinũ, vt summũ bonũ intelligeret, intelligẽdo amaret, amando possideret, possidendo frueretur. Seruemus igitur obsecro, seruemus depositũ quale accepimus, curemus ne tẽporalium contagione polluatur. Timeamus propheticum illud, Homo cum in honore esset, nõ intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Excolamus virtutum semina nobis indita, tenebrarũmque operibus procul reiectis, induamur Dominum Iesum Christum quo fœlici immortalitate, atque immortali fœlicitate tandem perfruamur. Dixi.

ORATIO V.

De modo quo animæ pariuntur ab igne corporeo & de corporum cruciatu, ceram Iulio I. Dominica prima Aduentus, anno 1504. habita.

ASCRESCENTIBVS Hominibus præ timore & expectatione eorũ, quæ superueniẽt vniuerso orbi. Lucæ 21. Si humanæ mẽtis imbecillitatẽ & abyssum caliginis, quas in se rerum varietas recondit, animo reuoluerimus, B.P. nihil ferè est, de cuius explorata cognitione placere nobis, & gloriari valeamus. Non enim ea solum, quæ procul à nobis natura reposuit, sed illa quoque quæ in promptu habemus, quæ ipsi sentimus, ambiguitatis nebula offusa sunt. Hoc qui aduerrit & sapit, sic difficillima quæque cunctabundo ingenio stiló que attingit, vt præclarè secum actum putet, vbi de occultis rebus probabile potuit quippiam attuliſſe. De subterraneis igitur pœnis reproborum, dæmonum, hominúmque siue animas, siue corpora postremò cruciaturis, dicturũ hodie me eo animo quæso, audite, vt cum rationi maximè consentanea patefecero, malitis vtcũq; concipere, quã velle sensu vel certa demonstratione callere. Quod si vires siue corporis siue animæ huic pronũtiationi succũbẽt, aut impares erũt date pcor veniã valetudinario. Diuę itaq; Marię tribunal solita prece veneremur. Aue Maria.

EXCELLENTISSIMVM illud genus rerum quæ solo spiritu cõstant, & intellectu vigẽt, an pœnas aliquas subire dignum sit, quoque pœnarum genere affligi possit, diuersos autores varias legimus attuliſſe sententias. Quorum opiniones recẽsere & à fide aut veritate discrepantes sine interuallo refellere ea ratione constitui, vt purgatis erroribus credibilis magis veritas fiat appareátque. Plurimi Philosophorũ intellectualis naturæ præstantiam mentientes, ab vniuerso pœnarum genere tam humanas animas, quam angelicas omnes subsistãtias liberarunt, ea potissimum ratione persuasi, ꝙ malum omne citra orbẽ Lunæ (infra quem duntaxat potest aliquid præter intentionẽ obuiare) concluſum est, neutrámq; proinde illarũ naturarũ potest inuoluere, quæ à corporibus vniuersi sunt segregatæ. Horũ error facilè deprehenditur, si recti operis ratio, si creatæ voluntatis natura in medium deducta fuerit. Rectũ quippe opus, & opus est & rectum, quare à duobus necesse est proficiscatur principiis, quorum altero opus, altero rectum sit, illud voluntas, hoc lex est. Quocirca illa quidem voluntas, quæ simul voluntas & lex est, errare potest minimè, quæ verò voluntas tantùm est, non lex, nec legi immobiliter hærens, à rectitudine declinare suapte natura valet. Cùm autem liberi arbitrij vniuersa lex, perfectam omnis boni rationem in se claudat (quandoquidem ad omnia liberi arbitrij appetitio extenditur) & nec fieri nec cogitari valeat, vt creata voluntas omne bonũ sit, aut congenita natura possideat, consequens est, vt ipso summo bono excepto, reliqua libertatem sint flexibilẽ ad bonum & malum sortita. Potest igitur in separatis ab vniuersa corporea mole spiritibus malum culpa inesse, & quoniam iussisti Domine, & sic est, vt omnis inordinatus animus sibi ipsi sit pœna, oportet malum quoque pœnæ eis inesse. Ex propria igitur officina cõfutatis Philosophis, aliis pœnis affici posse autumant Angelos, verum omnem eorum ærumnam in mœrore amissæ fœlicitatis cõsistere arbitrati sunt. Hos gemina peccati malitia statim arguit. Vt enim peccantes duo mala faciunt (dum Deum respuũt, fontem aquæ viuæ, & cisternas propriarum affectionum sibi fodiunt dissipatas) par est duplici etiam vt in pœna dolore conterantur, & dãno contemptæ fœlicitatis & supplicio inuoluẽtis calamitatis. Alij animarum supplicia asseuerantes, finxerũt nasci ea ex terribilibus corporum quorundam imaginibus, quas aspicientes, perinde aiũt pauore concuti ac dormientes, aut phrẽneticos, quos inania vel insomnia terrent, vel phantasmata alligant, tribuunt siquidem separatis animis organum quoddam cælestis naturæ, quo terrificas formas concipiat ad se cruciãdas. Fabula quippe hæc est quasi reditum animis ad cõpares stellas pollicita. Et quanquã tam ineptè cõposita sit, vt digna non habeatur, quam vt philosophia nedum diuina sapientia coarguat, dedit tamen quibusdam ex nostratib' occasionem, etsi non stultius cogitandi, à veritate tamen nihilo errandi minus. Quantum enim puduit peritos viros has ineptias sectari, tantum de nouo suo commento gloriati sunt, asserentes non sensibilibus, sed intelligibilibus corporum figuris mẽtes torqueri. Verùm hoc Philosophorum Theologorúmque schola confutat eo, quòd intelligere omne per seipsum delectabile est. Argutos autem eorum intellectus decipi, vt tristitia putent quæ verè nõ sunt tristitia, aperta fictio est. Nonnihil denique eorum eo igne cremari mentes astruere conantur, verum ne puerilis sentẽtia videretur, nescio quem habitum illas induerunt, quo fieret, vt ignis vstionem persentirent. Voluntariè profectò sunt hæc conficta & vana, nulla ratione, nullaque autoritate constantia.

¶At qui in Philosophiæ gymnasio, sacrarúmque literarũ ornatissimo domicilio versati sunt, duo pœnarum genera spiritibus infligẽda docuerunt, alterũ iactura summæ beatitudinis, alterũ detrusionis teterrimo ignis carceri. Et qm̃ damnum in aperto est, de igneo ergastulo liber parúmper disseremus. Detrusum iri dicimus abiectissimo loco non modò illustres dæmonũ animarúmq; substantias, sed insignes quasque earũ vires, intellectũ, liberum arbitrium, actiuámque potestatem. Coercentur aũt vinculis, catensisque igneis, non eo quidem modo, quo corpus corporeis nexibus præpenditur, sed quemadmodũ humanus animus terraeo huic corpori tanto fœdere implicitus est, vt suo arbitrio inde emigrare nõ possit, & tamen illum spiritum esse, hoc autẽ corpus nemo dubitat, non secus spiritus illi tartareo deuinciuntur igni. Sed tantũ refert, ꝙ noster animus hoc, in quo tenetur, corpus viuificat, illi vero spiritus, quibus alligantur corporibus, vitam minime præbent. Perspicua autem detrusio hæc nobis fiet, si modum ordinémque, quo corpori spiritus iũgitur ac deuincitur, in medium deduxerimus. Spiritus omnis præter Deum certo loco suapte natura communi physicorum consensu põt definiri. Definitum aũt etiam nolentem detineri naturæ vigore noster animus testatur. Quòd si tanta est naturæ vis, vt iunctum corpori spiritum manere cogat, quantò magis omnipotens cõditoris naturæ autoritas addictum loco spiritum detinere etiam inuitum potest? Definitus igitur nõ natura, sed vi detentus in loco spiritus, naturalem libertatẽ ac dignitatem, qua nulli subiicitur corpori, qua omne corpus euincit, qua omni corpori præeminet præditéque infelicissimus perdidit, & perdidisse miserrimè mœret, atque mœrendo ineffabiliter cruciatur. Afflictatur intellectus, quando suæ captiuationis æruminã non recogitare subinde non potest. Cũque simul multa meditari nequeat, ab aliorum omniũ, quæ lauamẽ afferre possent, consideratione prohibetur. Et quanquam meditatio pœnæ pœna non sit, cùm liber quis meditatur solũ nihil aduersi sentiens aut mutuẽs, attamen vbi præsens est doloris obiectum, vbi suam vim exercet in mediantẽ, vbi denique meditatio ipsa coacta est, nihil acerbius animum quam eiusmodi cõsideratio afficere potest. Afflictatur voluntas, quippe ab omni delectabili depulsa id ferre cõpellitur, quod dedignatur, respuit, abhorret, quam maximè odit Dei iustitiam, cui præcipuè inuidet diuinam celsitudinem magnificari in propria & ea abiectissima pœna, dolet, gemit, corroditur. Afflictãtur denique actiuæ potentiæ, siquidem dire igni addictæ nulla aut cerrè modica possunt exercitatione sese subiectis admouere rebus. Quòd eo intolerabilius est, quò tanta eis vis inest, vt cõmouere nutu singula possent. Accidit ad hæc quòd iugis perennisq; est eis definitus carcer & dolor, ita vt nulla valeat minuere aut molire aduentans conditio, sed semper vti ab initio acerbissimè mœrere opus est, neque enim detrusi spiritus obliuione mederi, meditatione vacare, affectum deponere, sese adhortari, facere (vt aiunt) de necessitate virtutem vsquequaque valent. Nulla eis clementiæ aut varietatis spes, nulla in prætereuntis temporis euẽtu expectatio, sed quas luunt pœnas, nunquam terminandas aut minuendas certissimè sciunt, imò inuiti ad mœroris culmen clara luce vident. Hæc paucissima de spirituum pœnis attigerimus.

DEINCEPS de corporũ cruciatu aliquid asseramus. Corporeum ignem esse, P.S. apud inferos corporibus infestum ex nostris quidam imprudenter negarunt, scripturas autem sacras, quę illius meminerunt, metaphoricè asserunt interpretãdas, nõ minus quam cùm tineam, vermen, fletũque ad terrendos flagitiosos minantur, quemadmodum econtra cibum, potũmque, & humanas mille delitias iustis & sanctis in beatitudine pollicentur.

¶ Quidã verò opinionẽ hanc tãquam absonam respuẽtes, in aliã vulgarem magis quam sapientem inciderũt. Verum enim affirmãtes ibi ignem fore, falsò tamen æstimauerunt eius incendio corpora ipsa affici, calore æstruare, citra consumptionem ardere, & nihil tandem à nostro, quo vtimur, igne, in actione differre.

¶ At hi, qui & vi rationis, & lumine cælesti perfusi secreta rerũ diuinaq; mysteria indagarunt, mediam viã sectati sunt. Aiunt nanq; corporeum verũmque illic ignem flagrare, citra corporis tamen calefa

factionẽ: eius vim atque incendium irrepere in neruos, in medulásque sæuire, fibrásq; illas arripere ac torquere, è quibus dolor nascit. Corporeũ quippe ignẽ credimus, tũ quia corporalis pœna nullo aptius modo, quã per corpus infligit. Tum quia in exponendis sacris cloquiis ea est lex, vt ꝙ propriè intelligi potest, ad metaphoricum sensum à literali expositione minimè transferatur, nam secus nulla definiri posset Scripturæ certa interpretatio. Cum autem in pœnã reproborum paratum ignem Saluator noster fuerit cõminatus, possimúsque eum aptissimè sic accipere, tanquam perspicuè locutũ, vt quid parabolicè dictũ putamus, & nodum in scirpo quærimus? Ignem Saluator noster cõminatus est, verũ ignem intelligere prohibet nihil, corporeum ergo ignem fateri oportet. Non calefactum autẽ iri illic corpora, sed ignẽ illum spirituali pariter, & sensibili afflictione corpora vexaturum ratione dicimus. Primi orbis motu iuxta Euãgelicam lectionem transeũte, reliqua omnis corporalis affectio atque alterario ab illo vtique dependẽs desinet, & quemadmodũ cœlestis corporis, cui primus ille inerat motus sensibilis, quædã supererit actio qua lucet, illuminat, atque videtur (quam nostro vocabulo intentionalem appellamus) haud secus in cęteris quoq; corporibus eas aptitudines atq; affectiones æstimandum est remansuras, quibus videri, tangi, audirique possint. Duo enim hæc genera actionũ corporibus ineſſe, neutrúmq; ab altero pẽdere, in his quæ de anima præclarè scripsit Arist. didicimus. Quocirca ignis omnis geminã in corpora nũc exercet actionem. Alterã, qua calefaciendo vrit, & id à cœli motu pendet. Alterã, qua speciẽ non calidam tactui imprimendo sentitur, quemadmodum annulus aureus figurã non aureã æræ imprimit, & hæc ab altero actionis genere, ꝙ paulò ante cœlo ineſſe dicebamus, pẽdet. Proinde nunc vtraq; actione & agit & offendit, quiescente autem cœlo illa duntaxat vacabit, quæ à motu proficiscitur. Reliqua verò perpetua remanebit, hæc nimirum posterior in reproborũ corpora exercebitur, fœuiet, affliget. Nec est doloris huiusmodi rõ quærenda alia, quã excellentia sensibilis sensus organo admoti, habet enim quilibet sensus ex his, quæ in rerum natura sensibilia constituntur, vnũ aliquod sibi propriũ ac peculiare, quod Philosophi obiectum appellant vt visus coloré, auditus sonũ, olfactus odoré, quo cum tãta cõciliatione atq; necessariæ cõiunctionis vinculo deuincitur, vt sine eo agere possit nihil, vt quandiu suæ facultati & potẽtiæ aptè congruit, estque maximè accommodatum, iucundissimos fructus carpat naturalis amicitiæ, Vbi verò sensibile in immẽsum excedit quasi dissoluta amicitia, quę mutua quadam proportione, certæque rationis temperamento posita erat, sensum ipsum protinus irritat, lacessit, vexat, torquet. Stridẽs enim sonus turbat auditũ, visus aciẽ, lux immensa retundit ac dissipat, & si regentẽ manũ Præ algoris magnitudine, ad ignem vehementẽ propius admoueris, protinus intimum irrepit atq; cruciat incendium, vt hominem prope conficere videatur. Vnde quæso tunc ille dolor? nũ ex calore? nequaquã, tam enim nihil aut parum admodũ caloris inhæsit, vt si altera manu attentes, plus frigere sentias, quàm calefacere, immoderata itaq; vis sensibilis, huiusce doloris relinquitur causa. Patimur igitur atq; summo dolore sensibili cruciamur, cum vehementer calida absque eo, ꝙ caleamus tãgendo sentimus cum sensus suscipit excellentis sensibilis speciẽ sine materia. Talẽ fatemur esse apud inferos corporũ cruciatũ. Hoc tantum pacto credimus reproborum corpora ab igne pati, & tamen non calefieri, nec consumi. Nec quicquã obest id quod rectè dici soler, sensuum passiones eos perficere, non offendere, sed eò educere, quo maximè euadere postremò valeant. Volebat sane autoritas illa ostendere quantum hæ spirituales sensuum passiones ab his, quæ circa corpus fiunt, alterationibus differant. Tanta siquidem est inter eas distantia, quòd hæ semper imperfectionis aliquid secum vehunt, illas autem puras atque synceras contingit aduenire, quamuis non semper ab omni sese eximant admixtione mali. Obiectorum enim incompactiones ac incongruæ disparitates, sensibus ipsis (vt dicebamus) maximè aduersantur atque officiunt. Quocirca in promptu causa est, cur glorificato corpori dolorem excellens sensibile non infert. Dote nanque impossibilitatis protectum vehementiam obiecti nequaquam admittit. Corporalis itaque cruciatus nulla deest causa apud inferos, subtracta vulgari hoc visione, quã calentes experimur. Et vt summã rei vno verbo cõplectar, corporeum supplicium in hoc completur, ꝙ malum & id corpori admotum passibili sensu percipitur. hæc vbi sunt, dolere opus est secundum sensitiuæ animæ partem, quam affectiuam dicimus, Ea propter tam ingens tangibilis excessus, quantus in igne est, malus cùm sit corporei temperamento: dum passibilem reproborum sensum inuadit, acerbissimo dolore afficit, vexat, cruciat. Neque audiendi sunt, qui nescio quam turbationem sensoriæ harmoniæ addere, atque interponere voluerunt. Temporalis enim est commotio omnis, sentire autem omne siue accommodatum, siue excedens, absque mora contingit. Quare intẽperatum immensumque sensibile suapte natura sensui non aduersaretur, nisi simul atque coniunctis alterum alteri officeret: neque vnigentia contrarietas foret, si in momẽto nõ cõsum maretur. Attestatur planè his, quæ diximus dissimilium pœnarum alteratio: etenim quonã alio pacto ab aquis niuium ad calorem nimium, rursúsque ex hoc in illas fine dolore interstitio aut mitigatione transibunt? Si enim æstum atque algorem corporaliter sentirent, non solas spirituales vexationes excipientes, sæpissimè dolore vacarent. Perennis autem atque continuus erit dolor: quoniam iuges ac viuaces aderunt causæ, & homo ipse sine morte possibilis erit alterum reparata natura, alterum culpa exigente. Si igitur ignem illum tartareum vere corporeum esse non ambigimus, si vnum atque eundem dæmonibus hominibúsque reprobis paratum credimus, cõsequens est, vt vtrique corporeo addicti sintigni. Sed tanti refert quod spiritus cæteris afflictione: corpora autem sensibus quoque intentionis effusione continue, perpetuo, acerbissimáque torquebuntur. Aresecentibus itaque hominibus præ timore: tam diræ gehennæ manifestandæ vniuerso orbi, nobiscum bene actum erit, si timor Domini initium fuerit sapientiæ, si ceu seta filium amorem honesti bonarum artium, optimorúmque officiorum introduxerit. Non enim accepimus spiritum timoris in seruitute, sed Spiritum filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Sit redemptoris nostri læua sub capite nostrarum actionum, vt dæmum dextera amoris illius amplexetur nos, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, qui viuit & regnat gloriosus in secula. Amen. Dixit.

ORATIO VI.

De Ecclesiæ & Synodorum differentia ceram Iulio secundo, in se. sessione Concilij Lateranen. 17.

Calen. Iunij 1512.

CVM ANIMADVERTAM, Iuli secunde Pontifex maxime, reliquas omnes ecclesiasticæ reipublicæ consuetudines actionésque singulas esse singulis ecclesiasticæ partibus accommodatas: generales verò synodos vniuersalem Ecclesiam penitus respicere, cámque tanquam finem sibi proprium attendere: existimaui me facturum rem & vtilem & omnibus gratam, si hodierno die primum de Ecclesia ipsa, deinde de synodis huius temporis, illarúmque differentia ac diuersitate dicerem. Sed cum his diebus ex hoc loco viri doctissimi (qui hoc oratorio munere magna cum laude perfuncti sunt) de his ferè rebus verba grauiter sapientérq; fecerint: ego qui ingenio illis & doctrina inferior sum quò meis viribus minus confido, Pater sancte, eò humilius atque propensius tuam humanitatem & elementiam mihi propitiam esse, & summisse oro, & suppliciter peto. Sed quoniam nihil est, quod homo de semetipso sine auxilio opéque diuina possit polliceri, ad gloriosam ipsam virginem Dei matrem, primum conuertam orationem meam. Aue maria. &c.

IVM Dilectus Christi discipulus & Euangelista, multa nobis ex prophetica illa mysticáque visione nuntiare instituisset, de Deo, de agno, de Dei agníque gloria, déque venturis præteritísque temporibus ac rebus diuinitus retulit: atque is etiam Christianam rempublicam & Ecclesiam contemplatus, in hunc modum ipse aut per ipsum potius sanctus Spiritus locutus est. Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem, nouam descendentem de cælo. Magna profectò & diuina maximáque insuper atque omnem humanæ rationis terminum exuperantia Ioannes vidit. Vidi, inquit, ciuitatem, vidi sanctam, vidi Hierusalem, vidi illam nouam, ac de cœlo descendentem. Quæ est ista ciuitas, quam Ioan. vidit? quę est ista, quam magister discipulo, Christus Apostolo, Spiritus sanctus Euangelistæ ac vati figuris & allegatoriis reuelauit? Certè ciuitas hæc Christianæ reip. vrbs est quæ nõ vallo aliquo terreno, nõ caduco murorũ mœniúmque ambitu cincta est, sed multitudine copiáq; innumerabili clausa est ac permunita. Quamuis enim huius mundanæ sapientiæ antistes, certo quodam & præscripto ciuium numero ciuitates constitui oportere arbitrati sint, nimiamque & nimis late diffusam multitudinem summouerint, neque inter cẽties centena millia (vt ipsi aiũt) commerciũ fieri posse vllũ existimauerint, solum tamen Christianum genus tanta, tamque mirabili à Deo optimo max. cognitionis, necessitudinis, societatísque copula deuinctum aut cõiunctum est, vt in vnitate maximam multitudinem, vnius vrbis ambitu spatium ampliſſimum, in vna denique ciuitate totum orbem cõplectatur. Nam cùm in condenda & cõstituenda qualiber ciuitate duo in primis requirantur (primũ vt partibus suis omnibus ipsa cõstituatur respub. Deinde vt hæ partes inter sese ciuili amicitia quadã & consensione conspirent) licet cognoscere, quo priuatis publicísque in rebus ambabus his partibus nostra hæc Christiana ciuitas excellat. Quòd enim ea partes omnes perfectissimæ reipub. habeat atq; cõtineat ea in primis sacra, quæ sacramẽta appellamus, ostendũt: quæ tantæ sunt efficaciæ & virtutis, partim vt hominũ generationes matrimonio propagent, partim vt Deo filios Baptismate gignat, tum genitos cõmunicatione corporis Christi alant & vegetent, deinde diuina Chrismatis virtute corroborent: vbi corroborauerint, potestate atq; autoritate ecclesiasticis ordinibus augeat,

mox

Universidad de Deusto
Biblioteca

mox aliquo errore lapsos confessione restituant, & postremò humanis culpis abluẽdis sancti olei vnctione perungant. Præter hęc autem diuina & præclara munera multa habet alia hæc ciuitas cumulatissimè, habet nanque Apostolos, habet Euangelistas, habet Prophetas, habet Pastores, Doctores, Martyres, habet sermones scientiæ, sermones sapientiæ, genera linguarum, interpretationes sermonum, discretionẽ spirituũ, gratiã sanitatũ, fidẽ, vaticinia, miracula, & eam cœlum claudendi, rursum aperiendi potestatem, vt quidquid in terris ligauerit, quidquid soluerit, denique id continuò in cœlo dissolutũ vel ligatum sit. Et quanquã hæc magna maximáque sunt, satis tñ non fuit tot tantaque Ecclesiam habuisse, nisi & Angelorũ reuelationes, illuminationes, defensionesque habuisset. Quibus omnibus actiones nostræ contẽplationisq; studia non tueri modo ac defendere, sed propensius etiam & augere, & ornare, & perficere conatur. Ciuitas igitur hæc diuina illis reip. partibus illustratur, quibus nulla vnquam alia vel melioribus vel ornatioribus illustrata est. Quod autem ciues ipsi arctius in hac copulatiũq; quam in ciuili alia communitate deuinciãtur, vel hic patet manifestè, ꝙ hi iã non ciues sunt aut aduenæ, sed ciues sanctorum, sed domestici Dei, sed membra Christi, & ita vnius eiusdẽmque mystici corporis membra, vt alij alijs & membra sint, & quemadmodum sunt, mutua sese communicatione ac societate cõfoueant. Cùm igitur hæc ciuitas ex perfectissimæ reip. partibus perfectissimis constituatur, ipsiusque ciues interiore & cognatione, quam omnes aliæ societates genere colligentur, patet certè, hanc vrbem alijs esse digniorem, perfectiorem, excellentiorem, ipsámq; præstare omnibus honore, decore, & (quod maximũ est) humana beatitudine ac fœlicitate. Quanquã enim cuiusuis ciuitatis proprium esse videtur, sufficienter ex se benẽque ac beatè viuere, nulla tamen alia nisi hæc nostra hoc ipsum habere cumulatè ac largiter potest, sed nec imitari quidẽ. In alijs nanq; finis ciuilis amicitiæ, & societatis est optima inter se hominũ coniũctio, in hac verò nostra, in qua hæredes Dei omnes, cohæredes autem Christi sunt, ad Deũ ipsum, vt propriũ Christiani generis finẽ cuncta referunt. Hæc cum ita sint, rectè Christi Ecclesia, nõ tã ciuitas ab Apostolis Christi, quã ciuitas sãcta à viro sanctissimo cõmemorat.

ID autẽ Patres (vt nunc vos alloquar) mox extrema oratione ad hunc summũ Pontificẽ caput omnium reuersurus, id inquã patres qua & ego quoque ratione demonstrauero, quęso intelligite. Sanctitas ipsa (vt à diffinitione incipiam is, vtque Dionysio Areopagitæ placet) immaculata, libera, perfectáque munditia est. Proinde tametsi hoc summis antiquorum nostrorumq; rationibus firmatum sit, in Deo vniuersorum autore & gubernatore, omnium rerum naturas, excellentias, dignitatẽsq; consistere: Deus tamen ipse præ his omnibus propriã ita sibi vendicat sanctitatẽ, vt etiam summi philosophi Dei substantiam munditia & sanctitate definirent. Nam cum inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt sempiternam quoque eius virtutẽ ac diuinitatẽ intellectu conspicerent vellentque, Dei naturã & voluntatem, ac quidquid in Deo est, vnica aliisque rebus incommunicabili proprietate exprimere, non virtutis quidem, non diuinitatis aut reliquis tantæ maiestati consentaneis nominibus vsi sunt, sed munditiæ & sanctitatis significationibus. solam enim deitatis substantiam, à totius potentiæ macula & labe liberam remotámque esse perpendentes illámque ob id esse dicentes actum purum, eãdem certè ipsam diffinitione hac mundissimã esse sanctissimámque dixerunt. Nec mirum si talis tantáque sancti tas tantũ in mentibus hominum & numinis habuit & maiestatis, quãdo quidem intelligentijs etiam beatis (quas Angelos dicimus) hymnum carmenque Deo proprium cõstituit, Angeli namque atque Archangeli, Cherubin quoque & Seraphin repetitis ingemi-natísque vocibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamãt, quo fit, vt Dei quoque ciuitatẽ (in qua magnus Dominus est) deceat sanctitudo. Atque hanc partem (quæ paucis demonstrari potest) breuissimè ostendant. Omnibus rebus, tum natura, tum arte constitutis hoc principio attributũ ingeneratúmque est, vt cum aliæ alijs iungendæ sint, pari mutuáque dispositione ac similitudine cõueniãt, hoc ipsæ formæ secundum materiæ recipientis merita distributæ testantur, hoc ad propria peculiariáque munera obeunda aptè appositéque nostrorũ membrorũ habitudines manifestant, denique hoc confirmant innatę materijs ipsis (vt ita dicã) patientiæ, quibus ipsæ res hominum artificio subiectæ obtẽperãt. Hæc nanque oĩa & reliqua id genus, siue natura siue arte componenda sint, nisi prius amica inter se consensione conueniant, componi coniũgiue non possunt. Cum igitur sanctitas & munditia propria Deo sit, illíque conueniat maximè, cúmque coniũgendas res ipsas habiles inter sese ad coniũctionem esse oporteat, nemini dubium esse puto ecclesiasticam ciuitatẽ, quæ Deo coniunctissima est, purã, mundam, sanctam, immaculatámque existere. Veritate etenim prima, qua consistit matur, ac in qua fundatur, & errorum omnium expers pura mente cõstituat, & dilectione perpetua, qua ipsa in Christo, & Christus in ipsa manet vsque ad seculi consummationẽ ab omni vitiorum sorde & contagione remota est, atque ita virtute bonitatéque spiritus ac vallatur, vt neque mors, neque vita, neque instãtia, neque futura, neque altitudo, neque ꝓfundũ, neque creatura alia illam possit à Christi amore separare. Rectè igitur ciuitas hæc nostra (qñquidẽ omnium cœlestium virtutũ ꝓcipua) adeo polleat sanctificate omnibus ac cęteris mundi dignitatib. potestatib. imperiis antecellit, satis esse arbitror ciuitatis demonstratã sanctitatẽ. Quæ ciuitas, quia sancta est, iure optimo à sancto Spiritu nomen illi impositum est præclarissimum, is enim hanc sanctã ciuitatem Hierusalem appellauit, quod profecto nomen ob hanc cãm adepta est, ꝙ Hierusalẽ non modò pacẽ ipsam, sed ea etiã quæ pacis sunt, innuere, sanctorũ interpretatione tradatur. Tria igitur in hoc sunt, nam & hoc Hierusalem atque pacis optimum est, & id verum huius ciuitatis nomen, & postremò huic ciuitati ita propriũ, vt nulli præterea alteri verè conuenire possit. Optimum certè est, nã optima res pax est, adeóque magna & diuina, vt vniuersa creatura hanc appetere, & per quam desiderare videatur. Cum enim pax ipsa (Augustino teste) trãquilitas ordinis sit, & tranquilitas ordinis tunc sit, cũ seclusis contrarijs quibusque ordo cõquiescit, constat res omnes (siquidẽ naturaliter fines suos appetãt, & impedientia cuncta summopere cõtendant) pacẽ appetere, pacísque & quietis fructus, vt adipiscantur, summa ope laborare. Quod aũt Hierusalẽ pacísque nomẽ verũ nostræ ciuitatis nomẽ sit, is testis bonus est, qui dixit. Et factus est in pace locus eius, Dei sci. qui & huiusce vrbis fines pacem posuit, & tantam in ea voluit propagari abundantiã pacis, vt ciues ipsi non modò cũ Deo pacis authore & principe: non modò inter se omnes pacẽ haberent, sed singuli etiã pacis tranquilitatísque abundantia, & intelligendo in veritate, & appetendo in ipsa bonitate cõquiescerẽt. Ea verò pax, hæc vrbs Hierusalẽ, hoc sanctissimũ Dei hominũque domicilium, non quidẽ impiorũ hominum est (qui qũo non vera bona sectãtur, ita nec verã pacẽ inquirunt) sed illorum est, Patres, qui pacifici sunt, qui pacis domũ vnanimes inhabitant, qui pacẽ his qui prope & his qui longè sunt, annuntiant, qui his, ad quos diuertũt, pacẽ deferunt, & cũ hospitio recepti non sunt, redeuntem ad se pacem ipsi recipiunt. Illorum est hæc sanctissima Hierusalem, quæ ex viuis lapidibus cõstruitur, de qua Dauid loquitur, & cuius portarũ seræ ac claustra à Domino cõfortãtur. Hæc est illa Hierusalem, Patres, in qua sicut pauló ante inter diuinas res perlectũ est, rex pacificus pacẽ relinquit nobis, pacẽ suã dat nobis. Sed non quomodo huius mũdi homines dant, ipse dat nobis, hi enim pacem dant, vt molestia careant, sed pax ibi vera non est, vbi nec vera concordia est, nec corda hominum coniuncta, sed disiuncta sunt. Ea autẽ pax, quam Christus dat, & quæ in testamẽto pacis & in Hierusalẽ inuenitur, ea est, Patres amoris vinculũ tranquilitas animi, simplicitas cordis, consortiũ diuinitatis. Quis vnquam vidit vel audiuit talia? quid fuit tam singulare, tam nouum, tam inusitatũ? Pax Christi non mõ nostra corda & nostras intelligentias custodit, sed omnem etiã & humanũ & angelicũ sensum exuperat, omníq; homo sanctus vocatur, quiscriptus, & qui relictus, & qui residuus fuerit in Hierusalẽ. Hanc itaque præclaram in mutatione mundi rerũ nouitatem vides Ioãnes ciuitatem hanc nocsolũ sanctam, non solũ Hierusalem, sed nouam etiam Hierusalem Spiritu sancto dictante appellauit. Noua est enim, nam qui in throno sedebat, & qui de thesauro suo noua & vetera profert, noua in ea fecit omnia. Fecit nãq; vt neque langueſceret aut veterasceret vnquã, neque senio conficeretur. Ex quo fit, vt hæc lõgè fit, origine, dignitate atque autoritate eminentior Hebræorũ synagoga, quæ per antiquæ legis vetustatẽ consumpta cultũ & notitiam veri olímque promissi Dei filij solita pertinacia atque animi obstinatione repudiauit. Nã cũ in synagoga ipsa in hodiernũ vsq; diem vetus homo sit, vetus lex, vetus fermentũ, pristina conuersatio, in nostra certè hac Hierusalẽ oĩa noua sunt, nouũ cor, noua lex, nouus homo, noua conspersio. Quę eũ maior nouitas esse potest, quàm Deũ hominẽ esse, & rursus hominem Deũ, eundéque verũ Deũ hominem, clauis confixũ, spinis coronatum, & innumeris affectũ contumelijs, non alijs ipsum armis, quam cruce, quam morte, quam vulneribus infernum vicisse, cœlos ascendisse, ad Patris dexteram consedisse, propterque suum nomen ac legem trucidatos, & gloria & honore & fœlicitate perpetua affecisse? Quid? ꝙ illius discipuli rudes, pauperes, abiecti, obscurísque homines, cum vniuersus ferè terrarũ orbis ignorãtiæ tenebris inuolueretur, & erroribus ac superstitionibus sceleribũsq; obtẽperaret (tot atq; tantis vt dæmones omniũ gentiũ dominarẽtur, ac summopere ab hominib. colerentur) hũc tñ ipsum mundũ immundũ Christi discipuli hi ex infima plebe viri cõtra synagogę Pontifices, contra mundi Imperatores, contra humani generis hostes, cõtra leges, cõsuetudines, opiniones, nõ armis, nõ opibus, non vi aut ferro vicerunt, sed fide tantum, spe, & charitate superarunt, purgauerũt, illuminauerunt. Tam autẽ ꝓpria est nostræ Ecclesiæ diuina atque sempiterna nouitas hæc, vt nulla hominũ ætas fuerit nulla vnquã ciuitas aut respu. quæ non ab hac Christiana Ecclesia cuncta acceperit, q̃ filiorũ Dei adoptionis perpetuæ existunt. Nam (vt à diuo Thoma præclarè scribitur) summũ illud Dei beneficiũ quod

quod nostri gratiam appellant, & quo Dei filij efficimur, id à Deo noui Testamenti est, vt à mundi creatione sancti sanctæq; omnes quatenus naturæ diuinæ participes fuerunt, eatenus sub nouo Testamẽto cõprehẽdãtur, ad quod veteris omnia sunt referenda. Verum cùm hoc fieri nequiuerit, vt excellẽs hæc diuini humanísque cõsortij nouitas ex terra terrenísque rebus oriretur (quod eñ natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est) par certe & consentaneum rationi fuit, vt de cœlo ciuitas hæc sancta & noua Hierusalẽ descenderet. Descẽdit nanque de cœlo vrbs hæc noua, cuius fundamenta nec in poëtarũ figmentis, nec in humanæ sapientiæ persuasibilibus verbis, neque in cuiusuis mortalis aut creatæ voluntatis appetitu seu opinione iacta sunt, sed quæ in montibus sanctis, hoc est in patriarcharũ figuris, in prophetarum testimoniis, in præconiis Apostolorũ, in suppliciis martyrũ, in admirãdis Christi operibus, in sanctorum proborúmque hominum purgatissimis mẽtibus, in virtutis denique & Spiritus ostẽsione incõcussa ac firma perseuerãt. Descendit autẽ de cœlo non gressibus corporis, sed imitatione ac similitudine. Illius nanque exẽplo, quæ in cælis est reip. beatissimæ, huius, quæ in terris est, regimẽ constituit Deus, vt illud non penes omnes aut multos, sed penes vnum Christi vicariũ & dominici gregis pastorẽ consistat. Nam sicut in Hierusalem illa quæ in cælis est mater nostra, vnus tantùm Dominus est Iesus Christus, ita in hac Hierusalẽ illius filia, quæ Christi sanguine irrigata & matris est illustrata splẽdoribus, vnus tantùm princeps est vicarius Christi, & Põtifex maximus, cui omnes descendentis Hierusalem ciues & incolæ, non solùm vt separatim singuli, sed etiam vt simul vniuersi obedire debeãt. quemadmodũ qui in superna sunt Hierusalem sancti, cùm singulatim, tum vniuerse diuisimque ac simul omnes vni omniũ creatori subsunt, parent & optemperant. Vt verò præclarissima hæc sunt? At dicet fortè quis, Cũ his temporibus duæ nobis Ecclesiæ & duæ synodi proponantur (vna Romana, Pisana, altera) vtrũ ambæ de cælo descenderunt? Altera enim earũ tantùmodo descendisse necesse est, siquidem Christi sponsa vna est. Sinite me hoc in loco Patres, respirare paulisper, nã quid à vobis in hac re constituẽdum sit, paucis dicã.

QVINQVE CHRISTI Ecclesiæ conditiones, nobis (vt audistis) sanctus Euangelista proposuit, illam enim in primis esse ciuitatem, deinde sanctam Hierusalem pòst, tum nouam esse, & de cælo postremò descendisse affirmauit. Illam igitur synodum & in terris Ecclesiã militantem, quàm de cælo credimus descendisse consentaneam esse præscriptis conditionibus, & in cælo triumphantis Ecclesiæ formalis, ꝓculdubio reperiemus. Eam verò, quæ à supernorum imitatione prolapsa in præceps, ab illis deflectit viã, non vtique de cælo descendisse, quin potius ab inferis ascendisse iudicabimus. Hoc quando ita se habet, non descendit de cælo, Patres, Pisana nuper Patrum illorum Ecclesia, non descendit de cælo infaustus vbique & inuisus cœtus, non tantum è cælo facinus. Non descẽdit inquã, sed ruit. Quamobrem, quia non obseruat ea, quæ cæli sunt, non imitatur quæ cælorum regni esse traduntur. At quare hoc rursus? quia prorsus altera est à reuelatis Apostolo cõditionibus. Vt autẽ eas congruo ordine percurramus, quis vestrũ putabit, Patresillum conuentum, qui vnius tantùmodo nationis est (si tamen vnius est, & non dimidiatæ, vel uullius potius gentis legitima coitio) quis putabit illum vniuersam coẽgisse synodum eius ciuitatis, ad quã fortiuudo gẽtium venit, ad quam multitudo maris cõuertitur, ad quam omnes per circuitum orbis terrarum congregantur, cuius minimus in mille est, & paruulus in gentem fortissimã? Tantum enim abest, vt Ecclesia in illa Pisana vera Dei ciuitas sit, quantũ abest vt sancta & legitima sit tantúmq; recedit à candore sanctitatis, quãtum ad errorum sordes accedit, accedit autẽ plus tantò, quanto magis & Petrum Ecclesiæ, & Papã Concilio, & suo conciliabulo summum, verũ certúmq; Christi vicarium subiicere conatur. Quod tamen nil aliud est, mea sententia, quam naturæ ipsius rationisque ordinem peruertere, & filios patri, & membra capiti, pastorísq; ipsi suarum greges ouium pręficere. Sed & illud perspicuum est, Hierusalẽ nomẽ illi Ecclesiæ nequaquam conuenire: propterea ꝙ nec pacem habet, nec ordinis tranquillitatem, quodque tam excellentem Ecclesiæ ordinẽ subuertere cõnitur vtpote quæ contra Romanam Ecclesiam togata armatáque bella commouerit: quæ ue ad quæcunque diuerterit, non modò pacem illis non attulerit, sed spem omnẽ pacis funditus euerterit, quæ singulatim omnia commemoratem, nisi intelligeremus nimio etiam plus quam vellem esse manifesta. Non igitur Pisarum synodus, synodus Hierusalem est, sed ciuitas ac turris Babel potius: quæ in terra Senaar cõfusionẽ fecit, & concordiam ædificantium disiecit. At dicent nonnulli: Saltẽ vna ex multis, & quarta ex quinque præscriptis conditionibus Pisano cœtui conueniet: nouitas fefellicet. Quid enim tam nouum & inusitatũ ac mirabile est, quam esse qui conentur efficere, vt miles duci, & filius patri, domino seruus imperet, oues pastori: denique pedes & cætera membra capiti? Fateor equidem & ego quoque noua hæc esse, sed tamen aliena prorsus ab illa sempiternæ sanctissimæque ciuitatis nouitate. Multum enim inter hanc illamq; interest nouitatẽ nomen vtriusque commune est, sed res & significatio diuersa. Hæc enim Hierusalem nouitas à spiritu sancto est, & æterna est: at illam Pisanam vnica tantum obediẽtia & Ecclesiæ pars tunc efficit, cum schisma ticis illius tempore, res ita maximi Põtifices habebãtur, vt nullus eorum aut certus quidem, aut absque ambiguitate verus Petri successor existimaretur. Hæc itaque nunc Pisana nouitas Constantiæ tunc ortum habuit, & euanuit, Basileæ repullauit, & explosa est atque his etiam temporibus (si vos viri eritis) interibit quẽad modum sub Eugenio quarto summo maximóq; huiusce sedis Põtifice repressa est. Neque enim de cælo descendit, atque ob id diuturna non est, neque vnius principatum amplectitur, qui & in illa triumphante Ecclesia est, & hanc militantẽ conseruat: quemq; synodus Pisana amplecti deberet, si è cælo descendisset, & nunquam multitudinis regimini (vti facit) inuiti. Longe igitur ab hac Christi Pisarum Ecclesia discrepat, hæc enim fidelium est, illa cauillantium: hæc domesticorũ Dei, illa aberrantiũ: hæc Christianorũ hominũ, illa verò eorũ, qui Christi vestem conscindere, & à mystico Christi corpore mystica Christi membra seiungere non verẽtur. Habetis Patres, quid de Pisana synodo cõmuniter constituendum sit: nunc de nostra Laterana & de sensu animi mei pauca dicam.

CVM Ecclesia Pisana de cælo non descenderit (vtiã vidimus) & alteram ex propositis descendisse necessarium sit (hoc enim posumus paulò ante) patet Ecclesiam nostram, quam Lateranen. synodus perfecta refert, diuinam illam esse ciuitatem, quæ habet sanctitatem propriam, pacísque abundantiam, & æternæ nouitatis azymos & syncericatis panes, quæque cum vno summo vnius Christi vicarij principatu, de cœlo descendit. Hæc tametsi magno nobis esse debeant argumento, Conciliũ nostrũ rectum, sanctum atque legitimũ esse: hoc accedit tamen primum, ꝙ concilium hoc à Rom. Pontifice indictum, inchoatúmque est, deinde ꝙ præclara nostrorum maiorum Concilia non imitatur modò, sed eorum etiam multa Apostolici splendoris præfentia exuperat, quódque eidem postremò propterea quia præsentia hac illustratur. Dominus promittit Spiritum veritatis omnemilli veritatem esse patefacturum. Quæ cùm ita sint, nequaquam illis assentior, Patres qui solo Concilij nomine audito, rem sanctam & vtilem continuum arbitrabãtur effectam esse. propterea quòd qui aptius & calidius fallere consueuerunt, hi prauis rebus honesta vocabula prætendere sunt soliti. Et tamen Concilium illud probo, ꝙ suis partibus omnibus absolutum perfectumque est, quodque illa habet quæ & necessaria consilijs sunt: & à sacrosanctis requiruntur atque expectantur. Expectantur autem multa hoc tẽpore, & requiruntur: atque hæc potissimum Ecclesiæ videlicet reformatio, morum prolabentiũ restitutio, exorti iam schismatis oppressio, conuersio infidelium, reuocatio hæreticorum, roboratio optimarum legũ atque sanctionũ quæ ad salutẽ vniuersæ fidei Christianæ pertineant. Atque illa etiam quæ passim deprauata & deformata cernimus, vt ecclesiasticę dignitates bene meritis tribuantur, virtutes præmijs honorentur, vitia aut seuere puniãtur, aut saltẽ ab honorib. & præmijs arceãtur. Hoc enim nostrum Lateranẽse Conciliũ, ꝙ pia origine & ab authore suo sanctè & legitime inchoatum est, si ad propriũ quoque & cognatum finẽ corrigẽdi atque emendandi quæ detorta sunt prætẽderit, nulla erit ratio, quare ꝙ cõtradicere, aut vllo pacto opponere se voluerint, temerarij, amentes, scelerati insuper & nefarij homines nõ meritò existimẽt. Quare si Conciliũ hoc nostrũ eũ finẽ exitũque habere desideratis, quem sanctissima semper florentissimáque Concilia habuerũt, de his Patres (quæ iã dixi) ꝓuidendũ est diligenter, atque de hoc celeriter omni cura diligentiaque cõstituendũ, ꝙ neque hodierno die dissimulare possum, neq; silentio vllo pacto præterire. Iactantẽ eñ voces (quæ etiã ad aures meas ꝓuenĩut) percussum pastorẽ, oues dispersas, Pisanam synodũ summo Pontifice & in terris Deo potestate auctoritateq; interdixisse. Maximis Ecclesiã, Patres, & dissensionib. inuolui & nouis ꝙbusdã vexari & pturbari malis iampridẽ vidimus. sed hæc tanta, tã exitiosa, tã periculosa haberi Cõcilia à Patribus illis, quis quæso vnquam putauisset? Nũc quicquid est, quantũ ad vos delatũ dedecus, & facinus admissum sit videtis, memoria tenetis Patres: legistis enim quãplurima. Quid aliqñ viri clarissimi & sapientissimi in Calcedonensi synodo cõtra Ephesinã scdam & illius principẽ Dioscorũ: qd in Constantinopolitana (quæ octaua fuisse dr) contra Photiũ omniũ discordiarũ satorẽ decreuerũt, ꝓpterea ꝙ Ephesinus cœtus grauiter errauerit, Dioscorus in Leonem vrbis Epm sententiã inscripserit: Forius aũt non solum absq; Romani Pontificis authoritate Conciliũ congregãuerit (ꝙ quidẽ alienũ est ab homine Christiano) sed in Nicolaum ẽt summũ Pontificẽ anathema protulerit. Quemadmodum igitur cõuentus Pisanus Fotium & Dioscorũ est secutus delinquendo, ita vos consulendo atque animaduertendo, celeriter synodum Calcedonensem illámque Constantinopolitanam imitemini incumbite, Patres, ad ouium gregem, ad pastoris autoritatem, salutémque Ecclesiarum omnium respicite, prouidete (quod ipsum & facile factum

cit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

est,& fieri debet)prouidete, Patres, nequis talia posthac vnquam non modo perpetrare,sed ne cogitare quidé,aut desiderare possit.

VERVM ne sanctissimo Concilio nostro in tot aduersis rebus ad cõem salutẽ & conseruandam & amplificandã legitima præsidia desint,quin potius(quod omniũ votis expetitur, desiderisíque postulantur) ad debitum finem perueniat, ad te conuertor. Iuli pontifex maxime,cp ea abs te peto, quæ tuæ virtutis, tuæ dignitatis,tuæ potestatis propria sunt, Antea enim cum in singulis rebus insistebamus, alios ordines Ecclesiæ inferiores sumus allocuti, nunc de summa rerum dicturi breuiter, summum principem, & caput omniũ appellamus. Te itaq;,Pater beatissime, obsecro atq; obtestor(tua enim post Deum maxima est potestas, tuum est imperium,tua rei gubernatio,Christianæ fidei defensio)obsecro inquam & obtestor,hoc omni studio cures atque efficias,vt hæc synodus Lateranensis per te cõgregata, quemadmodũ Ecclesia quã refert de cœlo descendit(vti Ioannes vidit)ita cũ illa rursus ascendat in cœlum, hoc enim vniuersi totis deuotísque animis deprecamur. Assequetur autẽ hoc,te volente,teque imperante, si tu ipse Pater sancte,omnipotẽtis Dei (cuius vices in terris nõ solũ honore dignitatis,sed etiã studio volũtatis gerere debes) potentiã,perfectionem,sapientiámque imitaberis. Atqui vt in primis potentiã imiteris,accingere, Pater sancte,gladio tuo,tuo inquã accingere, binos enim habes,alterũ tibi reliquíque huius mũdi principibus communem,alterum tibi propriũ,atque ita vnum,vt illũ alius nemo nisi à te habere possit. Hoc itaq; ne gladio tuo (qui ecclesiasticæ potestatis est) accingere potẽtissime,& accingere super femur tuum, id est super vniuersas humani generis potestates. Cúmque accinctus fueris,tum intende contra errores,contra hæreses,contra dissentiones, denique contra inferni portas, errorum,hæresum,& dissentionum autores,nec intende solũ, sed etiam procede & regna. Procede in primis, & prospere procede, gentes quæ bella volunt,dissipando,tum regna facerdos & rex, quæ pacis sunt cogitãdo,inquirẽdo,persequendo, is nanq; idẽ quem imitari debes, & Rex regũ est,pacísq; princeps & Dominus dominantium, rexq; pacificus. Hanc autẽ summã potestatem tuam,diuina perfectio comitetur,perfectio hæc misericordia est, qua Pater ille cœlestis & perfectus,solem suum oriri facit super bonos & malos,pluitq; super iustos & peccatores,Nam si tanta vbique misericordia præstabis,vt non modò amicos, sed inimcos etiã ac hostes ad tui nominis reuerẽtiam,ad Apostolicæ sedis cultũ,ad Christi Ecclesiæ vnitatem,ad huius Concilij manifestam professionẽ venire compellas,rectè pater sancte, Dei professionem imitaberis humano more. Nulla enim de virtutibus omnibus,nec admirabilior,nec excellentior misericordia est, nulla magis principi propria, nulla potentiæ summæ cognata magis atque amica est. Hæc te præ regibus terræ excellentissimum,hęc te vniuersis populis adorandum, Deoque in super te & gratum & amicum & similimum reddet. Verũ cum multos multarum nationum gentiumque viros clarissimos per Dei tuã mq; misericordiam ad hanc synodum venturos accessurósque existimemus,vna se tibi ad hanc rem offert diuina sapientia, quæ à fine ad finem fortiter attingit, & disponit omnia suauiter,Huius nuper exemplo,à fine ad finem tum attigisti fortiter Pater sancte,cum indicto Concilio hoc atque inchoato,vniuersos ad bene de Christiana reip.sperandũ excitasti. Dispones autẽ suauiter,prouidendo sapienter, ne vocati à te iuste quæri possint, se,vt par erat,in re tanta expectatos non fuisse. Quare postquam hodierno die(quod bonum,faustum,felixque sit,de singulis,quę ad huiusce sanctissimæ synodi conseruationem & statum spectare videbuntur,constitutum fuerit,tum de his quoque cõstituatur nationibus,quæ quum intellexerint Romæ & à Romano Pontifice Concilium synodúmque haberi,& desiderari se atque expectari,cunctæ procul dubio nobiscum vna ad Christianę religionis disciplinam,ad apostolicę autoritatis maiestatem,ad communem fidelis populi salutem,ad habentium rerum restitutionẽ, ad totius præterea Ecclesię detestionem & rem,conuertentur. Sic nanq; hoc sacrosanctum Concilium in cęlum ascẽdet,cum catholica Ecclesia, quam refert,& quam Ioanes ciuitatem esse, sanctã esse Hierusalẽ nouamque esse, atque de cęlo descendisse contemplatus est. Dixi.

¶Sex orationum Thomę de Vio Caietani Cardinalis Sancti Xysti, finis.

TRACTATVS SECVNDVS
de Dei glorioſi infinitate intenſiua, vnica quæſtione contentus.

Thomę de Vio Caietani, Cardinalis Sancti Xysti, subtilissima de Dei glorioſi infinitate intenſiua.

Vtrum Deus glorioſus ſit infinitæ virtutis.

QVAERITVR vtrũ Deus glorioſus sit infinitę virtutis. ¶Et arguitur cp nõ. Primò,Quia aut Deus mouet cœlũ effectiue & immediate,aut non effectiue,sed vt finis tm, vel effectiue & mediatè. Si primo modo, & est infinitę virtutis,ergo motus cœli esset in non tempore,quod est contra sensum. Consequentia patet ex 8. physi. tex. 79.& primo cœli,tex.52.& secundo cæli,com.58.& alibi, & c. Si secundo modo aut tertio & est infinitę virtutis, ergo habetur in rerum natura vna virtus, quæ si moueret effectiue & immediatè, motus fieret in non tempore. Tunc vltra, sed possibile est virtutem illam infinitã mouere effectiuè & immediatè: ergo possibile est ex ea sequi motũ in non tẽpore, quod est impossibile simpliciter. Prima consequentia ex antedictis est euidens. Affirmatio vetò vltimi antecedentis patet ex eo cp virtus infinita nec est alligata causalitati finali motus,nec mediatè causalitati effectiuè eiusdem quin possibile sit ipsã ab his absolui , alioquin infinita virtus non esset. ¶Si dicatur cp hæc rõ supponit Deũ agere naturaliter.i. non quantum vult,sed quantũ potest & quod hoc non est necessariũ, quia Deus est natura intellectualis cuius proprium est agere, fm intellectus sui diffinitionem,vt attifices facere videmus, & consequenter Deus tanta velocitate mouet , non quin plus possit,sed quia sic explicandæ suæ arti expedire videt . Contra hoc primò. Quia saltem habetur intentum fm Arist.& Auer. eterósque Philosophos,tenentes Deum,licet intellectualem naturali tamẽ necessitate agere. Demonstratio siquidem posita in primo cæli text.90: ad ostendandam vnitatem mundi,manifestè supponit hoc,vt patet ex dubio ibidem moto ab Alex.& Auer. & S. Tho. & cæteris. Venatio etiã numeri intelligentiarum iuxta numerũ motuũ cęlestiũ in 12.Meta.tex.43.hoc idem ponit , Numerus enim motorum non adæquatorum,non potest ex motuum numero efficaciter concludi,cum posset facilè quispiam dicere,plures motus ab eodẽ excedente motore fieri inconuenienś quoque reputatur ab Aristo. 8. Phy.tex. 70. quòd virtus finita & infinita possint æquali tempore mouere, cp tamen ex hac responsione sequeretur. Auer. quoque 8. Phy.com.15.& primo cęli,com.21.& Auic.6.Meta. hoc idem sentire videntur,Secundò, Quia vt dicitur primo Priorum,& primo cæli,textu centesimo decimonono , id ad quod sequitur falsum impossibile,est simpliciter impossibile,sed ad virtutem infinitam posítam in rerum natura,licet agentẽ liberè sequitur falsum impossibile scilicet posse fieri ab ea motum in nõ tempore,ergo ipsam esse in rerum natura,est simpliciter impossibile. Probatur minor. Tum quia non est impossibile. Deum velle vti tota virtute sua, vt inductiue pateat in omnibus agentibus. Et vt dicitur in primo cæli.tex.102.ab vniuersali manifestata per inductionem in omnibus sensibilibus,non est resiliendum. Tum quia considerata tantũ virtute diuina infinita,non considerato modo agendi, qui est posterior, s.agere per libertatem,sequitur motum fieri in nõ tempore, quãuis non de facto,tamen quantum est ex ratione potentiæ motiuæ. Constat autem non solũ esse impossibile illud ad quod sequitur de facto poni aliquod impossibile in rerum natura , sed etiam illud ad quod sequitur aliquod impossibile simpliciter. Vnde hoc posset exemplificari sic. Quemadmodum positio tua duo dicit, scilicet quod est virtus infinita , & quòd agit liberè, sic consequenter ego deduco duo. Ex primo quidem , quòd fieret motus in non tempore , ex secundo autem quòd de facto hoc falsum est.

¶Ex quibus simul infertur quòd ad infinitam virtutem licet agentem liberè , sequitur aliquod falsum impossibile , & consequenter ipsam inueniri est impossibile.

¶Secundò arguitur sic, Omni potẽtiæ actiuæ in natura respondet aliquod possibile ex potentia passiua , & econuerso , vt dicitur in primo cæli com.124.vel saltem respondet aliquod possibile manifestatiuum totius illius virtutis actiuæ vt sic , aliter frustra esset, cùm potentia sit ꝓpter opus 2.cæli,text.17. Sed virtus diuina motiua est infinita per se , ergo sibi respondet saltem possibiliter aliquis motus manifestatiuus infinitatis illius,hoc autem est impossibile,quia aut ille motus esset corporis finiti, quod impossibile est inueniri,aut corporis finiti in non tempore, quod est impossibilius , aut esset corporis finiti in tempore æterno , vt est motus cæli & hic non concludit infinitam virtutem motoris , sed immutabilem & immaterialem , alioquin omnes motores cælorum essent infinitæ virtutis. Et confirmatur,quia quantitas virtutis actiuæ ex effectus quantitate cognoscitur , vt dicitur in primo cæli, tex.116. Vnde cum Deus non possit producere effectum infinitũ,vt communiter tenetur,& à Philosophis & à Theologis,consequens est quòd virtus diuina infinita non sit. Et confirmatur secundo ex quarto Physicorum text.centesimotrigesimoprimo sic, Si impossibile est esse mobile,impossibile est esse motiuum , & econuerso, & similiter , si impossibile est esse mobile velocitate infinita , impossibile est esse motiuum velocitate infinita , sed impossibile est tale mobile inueniri,ergo & motiuum infinitiuæ virtutis.

¶Tertio arguitur à credentibus se arguere ex commentario 38.secundi de cælo,vbi Auer.dicit , cp si motor non haberet potentiam terminatam,ergo neque naturam terminatam, & sic intelligerentur ex sua natura motores infiniti , & non intelligerentur ex suo esse res propriæ ei , & cætera. Ex illo enim commento arguunt, quòd infinita virtus est ens impossibile inueniri in rerum ordine,quia si ponatur , sequeretur , inquiunt quiddam , quod totum non esset maius sua parte:accepta enim virtute illa infinita, & diuisa secundum intellectum in duas quasi partes : ex quo quanta est virtualiter,cum quælibet pars infiniti sit infinita , & vnum infinitum non sit maius alio , consequens est cp tota virtus infinita est æqualis cuilibet suarum partium : quod est impossibile. Et ad hoc deducit ibi Auer.cum dicit,cp si esset motor infinitus, intelligerentur ex sua natura motores infiniti. Alij verò eádem inde volentes deducere conclusionem , dicunt ideo esse impossibile ens habens virtutem infinitam : quia infiniti proprium est occupare totum : & ideo si daretur infinitum secundum virtutem, occuparet omnem virtutẽ : nec cõpateretur secum aliquam aliam virtutem : & sic periret ordo vniuersi. Et quia infinita natura contineret, & occuparet infinitas naturas, natura autẽ est primũ principium motus,ideo dixit, cp intelligerentur ex sua natura infiniti motores. Potest tamen difficilius, & ad mentem Auerroisibidem argui sic: Causa finitatis intẽsiuæ est distinctio formarum:& hæc est communis formis materialibus, & immaterialibus : ergo finitas illa est communis omnibus formis. Antecedens probatur: tum quia distinctio formarum mouentiũ est causa finitarum proportionũ ad mobilia:nisi enim esset diuersa natura mouentis Solem,à natura mouentis Saturnum, non posset reddi ratio suarum commensurationum ad mobilia propria. Tum quia constitutiua formarũ,ex quibus oritur earum distinctio , sic se habere necesse est , quòd vnum aliquid claudit positiuum , quod reliquum non claudit , & econuerso. Ab infinito autem nullum positiuum excluditur:ac per hoc periret multitudo,& differentia motorum.

¶Quartò arguitur sic. Si Deus esset infinitæ essentiæ,sequeretur, quòd nullum ens esset perfectius alio:hoc est falsum,ergo. Consequentia probatur supponendo , quòd perfectio attendatur penes accessum ad summum : quod etiam habetur in proposito ex decimo Metaphysicorum commento septimo, vbi dicitur, quòd primus motor est mẽsura omnium substantiarũ. Hoc enim stante deducitur consequentia sic : Eorum quorum nullum est alio propinquius summo , nullum est alio perfectius : sed si Deus est infinitus,nullum aliorum entium est sibi propinquius alio:quia à quolibet distat in infinitum : ergo inter entia alia à Deo non datur perfectius,& minus perfectum.

¶Quintò arguitur autoritatibus. Et primò Auer.octauo Physicorum com.septuagesimonono.vbi negat primum motorem esse infinitum. Secundò,in secundo cæli, commento allegato trigesimooctauo,& trigesimonono, vbi subdit quod infinitas intensionis impossibile est quod inueniatur in formis , inquantum sunt formę. Et confirmatur hoc idem in commento septuagesimoprimo:& in de substantia orbis,cap.tertio,&c.

Aristoteles quoq; in secundo cæli , textu septuagesimoprimo: testimonium huic parti perhibet , dum dicit,cp si adderetur stella orbi erratico , vltimus orbis esset in labore. Constat enim vt ibidem, & in commẽto 58. declarat Auer.quòd vltimum orbem reuoluere alios,est motorem eius hoc facere, quem omnia desiderant:quem constat esse Deum:& consequenter nihil aliud est dicere , vltimus orbis est in labore , quàm Deus est in labore. Hoc autem non sequeretur,si Deus esset infiniti vigoris,ergo.

IN oppositum est autoritas Arist.octauo Phys.textu cõment. vlt. vtentis infinitate pro medio termino,ad concludendũ Deum esse incorporeum.

IN HAC quæstione tria sunt agenda. Primò declarabitur titulus.Secundò probabitur pars affirmatiua.Tertiò respondebitur rationibus in oppositum.

QVOAD primũ,Cum finiti & infiniti ratio quantitati consequatur,vt dicitur primo Phy.tex.15.& quãtitas dividatur in successiuam & permanentẽ, & hæc in quantitatem molis & perfectionis,supponamúsq; Deum esse incorporeum , & immortalẽ, &c. cõsequens est,cp nec de quantitate durationis,nec molis quæstio præsens sit:sed de quãtitate perfectionis,an infima sit. Quia verò infinitum negationẽ claudit, non est putandum priuatiuè teneri, sed,vt cõmuniter,& verè dicitur, negatiuè:quoniam non quæritur,vtrum Deus non habeat perfectionis terminos,quos sua vel alicuius alterius natura nata est habere , sed simpliciter quæritur vtrũ nullos habeat perfectionis terminos. Et licet mutuò se cõsequantur infinitas virtutis , & infinitas essentiæ:diuersa tamẽ formaliter sunt:& diuersa habẽt propria media. Propter cp diuus Thomas in septima quæstione primæ partis,tractat infinitatẽ essentiæ Dei:& in quæst.25. infinitatẽ suæ potentiæ:vnde quæstio nostra de infinitate virtutis inquirẽs, si infinitatem essentiæ quasi pertrãsibit,arguẽda insufficientię nõ est. Vertitur ergo hoc in loco in dubium:an virtus, seu potentia Dei glorioſi sit tantę perfectionis,cp nullis perfectionis limitibus angustetur, an non. Verbi gratia, applicando quæstionem ad virtutẽ motiuã, an virtus motiua Dei glorioſi sit tãtæ perfectionis , quòd quantum ex se,nullo limite claudatur : sed quacũq; velocitate data possit facere maiorem:an concludatur aliquo termino:puta cp vltra velocitatẽ vigintiquatuor horarũ nõ possit facere maiorem. Et hæc de primo.

QVOAD secundum,quia non est intentionis præsentis discutere difficultatem hanc , nisi inter Peripateticos:& horũ duos tãtùm, principem scilicet eorum,& Auer.à quibus Metaphysicalia media propria ad infinitatem substantiæ diuinæ , aut non habemus , aut sic , vt nefas videatur mordaci multorum imperitiæ exponere:ideo duabus tãtùm viis propositum ostendetur. Vnum tamen de ipsa diuina essentia præmittẽdo, scilicet quod est ipsum esse per essentiam,& totam essendi virtutem prę habens,superexcedénsque nobilitates omnium rerum, quæ fuerunt & quæ sunt, & quæ possunt esse,etiam simul sumptarũ. Quòd enim sit ipsum esse per essentiã,Arist. 2.Met.tex.4. & Auer.12. Meta.com.51.testantur. Quòd verò ipsum esse per essentiã,totã essendi virtutem præhabeat,apud sapientes penetrantes terminos,in dubium verti non potest : sed communis animi conceptio est , quemadmodum incorporalia non esse in loco. Exprimitur quoque ab Auer. in commento 21.5.Meta.vbi dicitur,in Deo contineri nobilitates omnium generum : cuiusque siquidem rei nobilitas , secundum aliquam essendi rationem est.

Confirmatúrque ab eodem in 12.Meta.com.18.& 36.vbi dicit, in primo motore omnia contineri actu,& in com.51. Quòd autẽ omnium nobilitates simul sumptæ deficiant à nobilitate primæ: ex eo patet , quòd cùm ipsa ita sit summũ ens, quòd cæterorum nobilitates claudat in se nobilissimo modo , tanto omnibus præstat , quantò eorum in se naturas nobiliori habet modo. Habet enim omnia in se per modum sui , qui est purus actus omnino. Vnde ridiculum est , cp quidam non sunt veriti scribere, scilicet, quòd cùm dupliciter possit intelligi, Deũ habere in se perfectiones omnium,vno modo sic , vt habeat in se vnam simplicẽ essentiam præhabentem omnia , vt pura actualitas : alio modo sic , vt habeat in se gradus perfectionales correspondentes singulis perfectionibus contentis. Si secundo modo verificaretur , tunc Deus esset perfectior cæteris simul sumptis:si verò primo modo, non concluditur,Deum esse perfectiorẽ omnibus simul, sed singulis. Et quia primo modo verificatur , ideo ex his non habetur, Deum esse perfectiorem omnibus simul sumptis. Ridiculum inquam est : quia puerile est in philosophia , æquare perfectiones particulares perfectionibus vniuersalibus. Non enim est possibile secundum rem , neque secundum intellectum , etiam data fingendi licentia , vt aliquid sit melius ipsa bonitate per essentiam, aut magis ens ipso esse per essentiam, aut magis viuens,aut intelligens,&c. quàm ipsa vita,& ipse intellectus per essentiam. Si ergo Deus secundum vnitatem est huiusmodi , quomodo potest aliquid eo perfectius fingi? Vnde Arist.12.Meta.text.39. notanter concludit Deum esse viuum,& sapientem,&c. vt Platoni attributum dogma confutaret, quòd nobilitates entium diuisit, ponens aliud esse per se vnum , & aliud per se ens , & aliud per se vitam, &c. Vnde sicut Leo Platonicus esset perfectior non solùm singulis,sed omnibus Leonibus simul,quatenus Leones sunt , etsi infinities infiniti Leones particulares essent , omnes per se à Leonis nobilitate deficerent:sic omnia entia per participationem , à primo per essentiam ente necesse est deficere. Quod etiam ex causalitate æquiuoca primi super omnia,manifestè patet.

¶Hac igitur primi entis nobilitate præhabita, ostendendum est, an virtus eius sit infinita intensiuè.

PRIMA ergo via ex fine 8. Phys. sumitur sic:Arist.vt Auer. com.vlt.inquit,cõcludit in secunda figura, Deũ nõ esse virtutem in corpore,sic:Nullum corpus aut virtus in corpore est infinitum: primus motor est infinitus : ergo primus motor non est corpus, nec virtus in corpore. Probatur maior , quia virtus infinita aut esset in corpore infinito, & hoc non datur:aut in corpore finito, & hoc ostensum est esse impossibile. Minor verò quia mouens tempore infinito est virtutis infinitæ:primus motor est huiusmodi:ergo. Iste est processus Arist.in quo manifestè vtitur infinitate virtutis pro medio termino. Nec refert siue sic, siue aliter formetur processus Arist.quoniam quocũque modo formetur , in idem redit,vt patet in textu.

¶Quidam autem peruertentes textum, dicunt, quòd Arist.sumit quidem pro medio infinitam virtutem , sed virtus infinita potest esse dupliciter. Vno modo intẽsiuè : & sic non accepit Arist. Alio modo secundum durationem : & sic intellexit. Ita quòd maior est , Nulla virtus in corpore est infinita secundum tempus, &c. Sed contra hos ex hoc processu arguitur sic. Præmissæ alicuius syllogismi probatæ anterioribus syllogismis,in eo sensu sunt sumendæ , in quo fuerunt concluſæ in præcedentibus rationibus, ista patet de se. Sed præmissæ syllogismi facti in tex. vlt. fuerunt probatæ per alias rationes factas:vt ibidem fatetur etiam Aristoteles:ergo accipiendæ sunt in sensu , in quo probatæ sunt. Constat autem quòd præmissæ illæ probatæ sunt loquendo de infinitate intensiua , ergo accipiendæ sunt , vt loquuntur de infinitate intensiua. Discursus bonus & vltima tantùm propositio restat declaranda. Quæ sic declaratur. Maior huius syllogismi fuit conclusio probata in text. septuagesimonono : quo ad hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd virtus infinita non potest esse in magnitudine finita, & fuit cõclusio probata in 3. Phys. longo processu, quo ad hoc, q magnitudo infinita nõ datur. Sed in tex. 79. nõ potest inficiari, quin quatur de virtute infinita intẽsiuè, ergo prima præmissa loquitur de virtute infinita intensiuè. Minor verò est cõclusio probata ab Aristot. in hoc textu ex conclusione text. 78. Probat enim hic primum motorẽ esse virtutis infinitæ, quia mouens tẽpore infinito est virtutis infinitæ: vt ibi probatum fuit. Ad illum enim textum expressẽ in hoc loco se remittit Arist. dicẽs, q impossibile est à finito moueri aliquid secundũ tẽpus infinitũ, mõstratum est nunc. Constat enim quòd nullibi probatũ est nisi in tex. 79. apertissimè autẽ liquet etiam cæcis quòd in tex. 78. nõ est sermo nisi de finita & infinita virtute intensiuè, ergo altera etiam præmissa loquitur de infinitate intensiua. Superfluum autem esse duxi adducere demonstrationes Arist. in text. 78. & 79. vt ostendam ibi sermonem haberi de finitate & infinitate intensiua. Rationes enim adeò apertæ sunt, vt ostensione hac non egeant, exigitur tamen ad hoc, vt videantur. Et ne suspensum quempiam reddamus, donec librũ Phys. viderit, fideliter ipsas demonstrationes adiũximus. Demonstratio ergo habita tex. 78. ad ostendendum quòd motus in tẽpore infinito non potest fieri à virtute finita, est duceas ad impossibile. Et accepit primo ab aduersario eius positionem, scilicet q sit ita quòd A virtus vt centũ, moueat B mobile centum cubitorum in C, tempore infinito. Deinde adiũgit huic propositionem possibilem, scilicet quòd D virtus vt decẽ, quę est decima pars virtutis, vt centum moueat E mobile decem cubitorum, quod est etiam decima pars primi mobilis, in tẽpore Z. Et tunc arguitur sic: Hoc tẽpus, in quo mobile decẽ cubitorũ mouetur à virtute vt decem, non est æquale tẽpori illi, in quo mobile centum cubitorum mouetur à virtute vt centũ, sed minus eo. Quia demonstratum est in 6. q cæteris partibus totũ mobile, seu mobile maius, maiori tempore eget ad pertranseundũ aliquod certũ signum, quã pars eius seu mobile minus ad sensum patet. Vel secundũ Auer. (& in idem redit) quia maior potẽtia mouet maiori tẽpore, scilicet maius mobile respectu alicuius signi pertrãseũdi, seu, quod idẽ est, cõdividendo tempus mobili, aliter non esset verum: quia vt dicitur in 7. Phy. tex. 36. media potẽtia mouet mediũ mobile in æquali tẽpore per æquale spatiũ. Cùm ergo illud tẽpus sit infinitum, restat quòd hoc sit finitum. Sit ergo tẽpus Z decẽ horum. Et tũc arguitur sic, si augeatur virtus vt decẽ, donec cõsumat, aut adæquet virtutem vt centũ, & similiter augeatur mobile 10. cubitorũ, donec consumat vel æquet mobile cẽtũ cubitorũ, necesse est proportionaliter augeri tẽpus Z decẽ horatũ, donec consumat aut adæquet tẽpus, in quo virtus vt centũ mouet mobile centũ cubitorũ, quia necesse est æquales virtutes mouere æqualia mobilia tẽpore æquali. Sed infinitum non potest consumi, nec aliquid potest ei multipliciter æquari, ergo tempus quo virtus vt cẽtum mouet, impossibile est esse infinitum: quod erat probandum. Demõstratio autem posita in tex. 79. probans q in magnitudine finita non potest esse virtus infinita, est etiam ad impossibile. Et primò supponit tria. Primum est quòd maior virtus motrix facit æqualẽ motũ in minori tẽpore. Secundum (quod ex primo sequitur) est, q infinita virtus facit plus in æquali tẽpore, quàm finita. Tertiũ est quòd omnis motus est in tẽpore. Quibus ſtãtibus arguitur sic: Si in magnitudine finita esset virtꝰ motiua infinita, sequeretur q in æquali tẽpore æqualiter moueretur virtus finita & virtus infinita: hoc autẽ est impossibile. ergo. Cõsequentia declaratur ibidem sic: Sit A tẽpus vnius horæ in quo virtus infinita mouet: & sit B tẽpus mille horarum, in quo virtus finita, puta vt centum, mouet. Tũc cùm quantò virtus motiua fit maior, tantò tempus in quo mouet, fiat minus per suppositiones, augeatur virtus motiua, vt centũ, in tãta proportione, quãta tẽpus vnius horæ exceditur à tẽpore mille horarũ: & tunc manifestè patet, q in æquali tẽpore æqualiter mouebit virtus illa finita in mille dupla proportione ad virtutem vt centum, & virtus infinita, quod erat impossibile deducendum. Ex his iam manifestè patet, quòd nũq̃ fit sermo de infinitate durationis, sed semper de infinitate & finitate intẽsiua: vt qui his oblatis hoc non videt, nõ egeat medio, sed sensu intellectuali. Et cõfirmatur, Præmisse istius vltimi syllogismi intellectæ, vt dicũt, de infinitate durationis, aut assumuntur ab Arist. vt per se notæ, aut probatæ. Nõ vt per se notæ, qm̃ sunt aut falsæ, aut maximè dubitabiles: tũ quia Sol habet virtutem motiuam tẽpore infinito motu alterationis: tum quia totum corpus cæleste mouet actiuè motu locali sphęrã ignis, & supremũ aëris tẽpore infinito: & tamen cõstat quòd hæc sunt corpora: nec secundũ veritatẽ apparet aliquid cogẽs, nisi loquentes ad dicendum, quòd virtus corporea actiua est necessariò finita secundum durationem. Vnde Arist. assumẽs vt per se notat ea, quæ sensus perhibent esse falsa, plurimum peccasset. Nec vt probatæ quia nullibi inueniuntur in hoc sensu probatæ. ergo.

¶ Et quoniã quæstionem hãc nõ aggredimur ea ratione, vt sciamus quid senserit Arist. quoniã hoc à philosophia extraneũ est: sed vt sciamus, qua ratiõe hoc cõclusum sit: & in processu prædicto ambiguitas magna est circa „pbationẽ minoris (quæ est quęstiõis huius in obiectũ) ideo videndũ hic est quãm efficaciter minor illa probetur. Est autẽ ratio dubitandi: quia cõ. tex. 78. scilicet mouẽs tẽpore infinito est infinitũ, ex qua „pbatur minor tex. vlt. s. primus motor est infinitus: loquitur de mouẽte tẽpore infinito ex parte mobilis: vt patet ex ratione probante ipsam: condiuidit enim tẽpus mobili. Minor autẽ ista loquitur de mouẽte tempore infinito ex parte magnitudinis, seu spatij super quod fit motus: vt patet in motu cæli. Primus enim motor nõ aliter mouet tempore infinito, nisi quia mouet cęlum tẽpore infinito. Cõstat autẽ quod nec tẽpus, nec motus cæli habet infinitatem ex parte mobilis: sed ex parte spatij infiniti pertrãseundi. Cõstat autẽ, quòd ad mouẽdũ tẽpore infinito primo modo, requiritur virtus infinita: vt patet ex demonstratione Arist. text. 78. & hoc siue virtus illa sit corporea siue incorporea, permanet verũ, & quòd ad mouendũ tẽpore infinito secundo modo, non requiritur virtus infinita: vt patet de motore orbis Lunæ, qui est virtutis finitæ, & sufficiẽs est mouere motu æterno. Eodem siquidem vigore, quo semel potest mouere suũ orbẽ, potest infinities iterare motum illũ: quia est inalterabilis & immutabilis virtutis: & vt dicitur in 8. Phys. textu 85. semper similiter se habens in se & ad mobile, semper idem faciet.

¶ Et vt clarius percipiatur modus quæstionis, sciendum est ex 6. Phys. longo processu, q tẽpus motus conducitur mobili, & cõdiuiditur magnitudini, super quã est motus. Et similiter dupliciter infinitũ esse cõtingit, vno modo ex parte quantitatis mobilis, alio modo ex parte quãtitatis spatij. Mobili quidẽ condiuiditur tẽpus, & ex eo infinitur: quia si aliquod certum signum in aliquo spatio designatum sit pertranseundũ, prius pertranſitur ab vna parte mobilis, quã ab alia: & si pertrãseundum est à pluribus mobilibus inæqualibꝰ vno decẽ cubitorum, & altero viginti, &c. & cæteris paribus quæratur quãtum erit tẽpus mensurãs trãsitus istos: manifestè patet q si mobile decẽ cubitorũ trãsit illud signum in vna hora, quòd mobile viginti cubitorũ pertrãsibit illud in duabꝰ: sicut etiam illudmet signũ prius trãsit medietas mobilis, quã totũ. Oportet enim seruata æqualitate motus, quanto mobile est maius, tardius pertransire signum illud. Verbi gratia: Si primus orbis & orbis Lunæ æqualiter mouerentur, signatum punctum Orietis orbis Lunæ tãto citius pertrãsiret, quanto minor est primo orbe. Ita quòd quãdo orbis Lunæ peregisset suũ trãsitum, fortè adhuc nec millesima pars primi orbis punctum illum orietis transisset: & idem est in motu recto. Vnde si infinitum est mobile, infinitũ necesse est esse tempus, in quo datũ signum pertrãseundum est. Magnitudini verò cõdiuiditur tempus, & ex ea similiter infinitatur: quia finitũ mobile prius transit vnã partem magnitudinis quàm aliã. & sic cæteris paribus quãto maior fuerit magnitudo pertrãseunda, tãto maius erit tẽpus mensurãs motũ: & si infinita infinitũ, vt in motib⁹ „pcessiuis manifestum est. Nec refert in propositio, an magnitudo seu spatium coincidat ratione materiæ in idem realiter cũ quãtitate mobilis: vt in motu cæli cõingit. Non enim est aliud spatiũ pertranseundum à primo corpore, quã quantitas ipsius, vt Auer. dicit in 2. cæli, cõ. 46. Patet enim quòd cælũ prius pertranſiret partẽ spatij quæ est ab Oriẽte ad Meridiẽ, quàm illam, quæ est à Meridie ad Occidẽs, nihilominus quàm si ibi esset realis distinctio quantitatis spatij & quantitatis mobilis. Similiter nõ refert in „ppositio, an quãtitas spatij quantitatẽ tẽporis augeat, ex quantitate suarũ partiũ nunquã ab illo mobili pertrãſitarum: vt contingit in motu recto & prima reuolutione circulari: an ex quantitate earundẽ partium, quæ pluries pertranseundæ sunt: vt cõtingit in reflexiõe motus recti, & in secũda reuolutione circulari, & deinceps. Spatiũ enim idẽ secundo pertranseundum, alterius spatij æqualis primo rationem habet: & perinde quantificat & extendit tempus, acsi alterũ æquale primo esset, seu (vt melius loquamur) acsi esset altera pars totalis spatij æqualis primæ partis: & similiter est de omnibus reuolutionibus circularibus.

¶ Ex his igitur patere possunt tria. Primũ, q tempus, quo mouetur cælũ perpetuò, est infinitum nõ ex parte mobilis, sed magnitudinis seu spatij: quia cælum corpus finitũ est. & ideo tẽpore infinito mouetur, quia spatium ab Oriente in Occidens infinities peragit.

Secundum, quòd tempus, quo probauit Aristot. in tex. 78. non posse fieri motũ à virtute finita, est infinitũ ex parte mobilis: quoniã manifestè ibi fit diuisio tẽporis secũdũ diuisionẽ mobilis: dum augendum proportionaliter dicitur secundum augmentationem mobilis & motoris: vt contra proteruos syllogizetur sic. Quantitas temporis aucta & diminuta proportionaliter secundum augmentationem & diminutionem potẽtiæ motoris & quãtitatem ipsius mobilis, est quantitas se tenens ex parte mobilis. patet ista ex terminis, & ex septimo Phys. tex. 36. sed quantitas hæc temporis, de qua loquitur Arist. est huiusmodi, vt patet de se: & Auerrois, in com. expressè asserit cum cæteris expositoribus: ergo.

Ex his autẽ liquet tertiũ principaliter intentum, quòd scilicet processus Arist. nõ sufficiẽter videtur probasse minorem, scilicet, primus motor est virtutis infinitæ: sed æquiuocationem videtur commisi-

cõmisisse in medio termino, qui est mouens, tẽpore infinito: dum in maiore prosyllogismi, quæ fuit conclusio text. 78. sumitur pro tempore infinito infinitate se tenente ex parte mobilis: cum dicitur, Omne mouens tẽpore infinito est virtutis infinitæ: & in minore sumitur pro tempore infinito infinitate se tenente ex parte spatij, cum dicitur, Sed primus motor mouet tempore infinito. Restat igitur ambiguitas non parua in hoc processu.

¶ Omissis autẽ opinionibus pluribus, quæ à diuersis de vi huius demõstrationibus dictę sunt. Sco. enim in quolibet. q. 7. ad primũ credẽs secundũ Arist. primũ motorẽ infiniti vigoris intensiuè, dixit hoc concludi ex eo, q mouet à se, quia quod mouet à se, est à se: & consequenter habet plenitudinẽ actiuitatis & entitatis, quæ absque infinitate intensiua non est. Ægidius verò in 8. Phys. credens idẽ, dixit hoc concludi ex eo quod totus motus infinitus est proprius effectus Dei: quia quod potest in infinitũ motũ, quo ad suam totalitatẽ, potest nihil ininus in ipsum, tam si sit vnius mobilis absolutè, quàm si sit vnius mobilis infinities iterati, & consequenter est virtutis infinitæ: quia à propria causa effectus recipit mensũram, speciem. His inquam omissis, quia absque probationẽ dicta sunt, quod mihi videtur, scribendum est. Mirum enim & (vt melius dicamus) extraneum valde est, quòd Arist. medium terminum tacuerit, & tantùm studium apposuerit circa id, sine quo sua ratio ex tacito medio tenet: vt Sco. dixit. Non enim in 8. Phys. aliud medium assumitur, nisi mouere tempore infinito: & de hoc magna solicitudo fuit, quòd exigat virtutem infinitã. Cõstat autẽ quòd hoc abstrahit à mouere à se, vel non à se: & quòd motioni à se accidit, quòd sit in infinito tempore: nihil enim minus concluderetur, si esset in tempore finito, vt ipsemet fatetur.

Nec valet ratio dicens, quòd infinitas non dependens, sed prima est proprium medium ad virtutem infinitam: quia secundum hoc primitas motus esset proprium medium, siue ille motus sit finitus, siue infinitus: & sic idem quod prius. Vnde finitas, & infinitas motus vndique per accidens concurrunt, & sic Arist. scilicet scientiarum artifex, tacuisset ea quæ sunt per se in medio termino, scilicet, primitatem motus: & solicitus fuisset circa ea, quæ sunt in eo per accidens, scilicet infinitatem temporis, cuius oppositum vbique docuit faciendum. Ægidij vero deductio quamuis veritatẽ à longè tangere videatur (vt in sequentibus patebit) veritatem tamen assequuta non est: quia ex eo quòd totus motus cæli ponitur effectus alicuius causæ per se, nõ est ab eo nisi sequax deducta infinitas intensiua illius causæ, sed assumptæ sunt proportiones volũtariæ vel remotę: vt pote quòd proprius effectus à per se causa recipit speciem, & mensurã. Ex hac enim non habetur, quòd totalitas infinitatis extensiuę necessariò fiat per se ab infinitate intẽsiua: sicut nec ex hac effectus infinitus fit à causa infinita, cum nõ appareat, quare ipsa totalitas, quòd vnitas infiniti motus non possit per se intendi, & fieri à virtute finita immobili ad cõtinuandã & conseruandã perpetuo inferiorum successionum, &c. vt dicitur in secundo de generatione, tex. 57. & 12. Met. com. 306. Latius igitur quod mihi in re hac apparet, prosequendum est: eo quòd difficultatem motam directè discutit, & ad principale propositum propriã viã docet, & Arist. tam menti quàm verbis consona videtur. Præmittẽdũ est ergo primò, quòd perpetuitas motus, sicut & alia quãtitas, dupliciter imaginari potest, quòd fiat ab aliqua virtute. Vno modo per se primò: secundo modo nõ per se primò. Et ne in ęquiuoco laboremus, illud dicitur fieri per se primò ab aliqua virtute, in quod potest virtus illa ex propria ratiõe: in illud autem dicitur posse aliqua virtus ex propria ratione, in quod potest ex perfectione clausa infra latitudinẽ propriã illius virtutis. Et per oppositum illud debet fieri nõ per se primò ab aliqua virtute, quod quidem fit ab illa virtute ex aliqua conditione annexa illi virtuti, quæ est extra latitudinem illius virtutis formaliter sumptæ. Verbi gratia (& est exemplum de seruiẽs proposito) Virtus calefactiua vt octo B ignis durantis centum annis, potest in duos effectus, scilicet & calefacere vt octo, & centum annis cõtinuare hũc calefactionis motum: sed primũ potest ex ratione propria, inquantum est virtus calefactiua tantæ perfectionis, scilicet vt octo: hæc enim perfectio intra latitudinem virtutis calefactiuæ claudit ur. Secundum verò non potest ex propria ratione, alioquin omnis virtus calefactiua vt hoc octo posset: quod patet esse falsum in D. igne durante per diem tantùm: sed potest ex annexa sibi durationẽ cẽtum annorũ: quã patet esse extra rationem virtutis calefactiuæ, & cuiuscũq; alterius virtutis motiuæ formaliter sumptæ. Ideo enim B. ignis potest cõtinuare calefactionem per centũ annos, quia virtus eius durat centũ annis: vt de se patet. Tũc ergo perpetuitas motus dicitur fieri per se primò ab aliquo, quãdo ex perfectione infrà latitudinẽ potentię agẽtis clausa causatur, tunc autẽ nõ per se primò, quando non ex ratione propriæ potentiæ agentis, sed ex conditione illius fit. Ex hac autem distinctione ex parte effectus manifeste patere potest alia distinctio ex parte causæ. Potest siquidem dupliciter imaginari aliquam virtutem esse continuatiuam motus tempore infinito. Vno modo per se primo, id est ex ratione propria, vt exposuimus, & alio modo non per se primo, sed ex annexa eius cõditione: vt etiam exposuimus. Differunt autem vis perpetuatiua motus per se primò, & vis perpetuatiua non per se primò, ex assignatis rationibus adhuc dupliciter. Primò in hoc quòd vis perpetuatiua per se primò respicit infinitatem durationis, vt per se primò effectum, & per se primò terminum: quia ex propria latitudine in illam potest: sicut vis calefactiua respicit calefactionẽ, seu calorem: vt per se primò effectum & terminum. Vis autem perpetuatiua non per se primò respicit infinitatem durationis, non vt per se primò effectum, sed vt conditionem proprij effectus.

¶ Secundò in hoc, quod illa respicit quantitatẽ durationis vt per se proprium effectum: quia infinitas durationis quædam quãtitas durationis essentialiter est, omnẽ quãtitatis durationẽ in se claudens. Ista autẽ non nisi per accidens quantitatẽ durationis respicit, scilicet vt conditionem necessario comitẽ sui proprij effectus: quia non ex propria ratione, sed ex annexa cõditione hoc facere supponitur. His verò prælibatis, oportet secundò tres cõditionales stabilire: ex quarum veritate propositi ratio habebitur.

PRIMA cõditionalis est: Si A per se primò mouet tẽpore infinito: A est virtutis infinitæ intensiuè declaratur ista: quia stando infra latitudinẽ virtutis per se respicientis quantitatẽ durationis vt propriũ effectum, quæ potest vocari virtus quantificatiua motus, intelligendo de quantitate durationis: valet argumentum. Ad continuandũ aliquo tempore requiritur aliquanta virtus, ergo ad maius tempus, maior virtus, ergo ad infinitum infinita. Et fundatur hæc consequentia super illã regulam. Sicut simpliciter ad simpliciter: ita magis ad magis, & maximũ ad maximum. Quare absque dubio vniuersaliter & necessariò tenet in his, q̃ se respiciunt per se primò, vt S. Th. in 3. contra Gen. c. 139. dicit. Fundatur etiam super illud principiũ Metaphysicũ: Cuiusque potentiæ propria latitudo proportionabiliter respondet propriæ latitudini sui per se primo effectus. Quod patet inductiuè in omnibus: ergo virtutis quantificatiuæ motus, si esset propria latitudo, responderet propriæ latitudini quãtitatis durationis: sed propria latitudo quantitatis durationis attenditur penes extensionẽ durationis: quia duratio non augetur per intensionem, vt qualitas, sed extẽsionem, vt quantitas: ergo virtus quantificatiua quantò maiorẽ posset quantitatẽ durationis producere, tãtò maior esset, ergo si infinitã infinita. Vnde proportio virtutis quantificatiuæ, seu continuatiuæ motus, ad quantitatẽ per se durationis est, sicut proportio virtutis calefactiuæ ad quãtitatem per se caloris. Et nulla est differentia proportionũ: quãuis sit differentia rerum subtractarum proportionibus, quia quantitas per se caloris est quantitas intensiua, quãtitas verò durationis est extensiua. Quod tamen, vt ex dictis patet, proportionẽ nõ variat: eo quòd hoc est materiale, & per accidẽs. Formale enim est, vniuersaliter loquendo, quod latitudo cuiusq; potentiæ actiuæ respondeat latitudini propriè sui per se primò effectus. An verò latitudo propria effectus attẽdatur secundum extensionem, vel intensionem, accidens esse cognoscitur ab exercitatis in metaphysica, & ideo eadem ratione proportionis tenet consequentia supradicta, qua tenet ista. Ad producendũ aliquantum calorem requiritur aliquanta virtus calefactiua, ergo ad maiorem maior, ergo ad infinitam infinita. Si quis autem dixerit, supradicta principia non habere locum, nisi quando quantitas per se effectus est quantitas intensiua: cùm Philosophia abhorreat vocabularium, oportet huius restrictionis rationẽ reddere. Nulla autem ratione fulta apparet hæc responsio, nisi fortè dicatur, quòd quia magnitudo virtutis non est, nisi secundum quantitatem perfectionalem, ideo non respondet nisi quantitati perfectionali effectus: quantitas autem perfectionalis non est quantitas durationis. Non enim quanto maior duratio, tãtò perfectior effectus fit: sed æqualis perfectionis est ignis durans per horam, & per duas horas, & per tempus infinitum, vt dicitur primò Ethico. c. 7. Sed hæc ratio in hoc deficit, & quasi æquiuocat: quoniam dupliciter contingit loqui de quãtitate durationis, vno modo secundum se, alio modo vt est conditio aliarum rerum. Si consideretur vt est cõditio rerum, puta hominis, aut albedinis: sic cùm sit extra rationes formales rerum, non auget propriam perfectionem alicuius rei: non enim est perfectior caloris durans centum annis, quàm durans vno die. Et hoc modo est sermo de quantitate durationis in primo Ethic. vt patet ibi ex comment. Auer. & S. Thom. & consequenter hoc modo verificatur, quòd quantitas durationis nõ est quantitas perfectionalis, nec sibi proportionatur virtus actiua alterius effectus.

¶ Si verò cõsideretur primo modo, scilicet secundũ se: sic cũ bonũ diuidatur in decem prædicamẽta, sicut ens, vt in 1. Ethic. ibidem dicitur: & quãtitas durationis sit quædam entis species: quandam etiã bonitatẽ secundũ se necesse est ponat. Ac per hoc manifestè patet: quòd si duratio aliquam perfectionem secundum se ponat, maior maiorem ponet, & infinita infinitam: sicut etiam quantitas molis aliquam perfectionẽ dicit. alioquin inter entis species non

esset: & maior maiorē: & infinita infinitam: nō minus in suo ordine, quam calor infinitus, & tamen quantitas molis maior & infinita dicitur secundum extensionem. Quòd ergo quantitas durationis sit quantitas perfectionalis, potest dupliciter intelligi, scilicet vt conditio aliorum, & sic est falsum: quia est extra latitudinē rationis formalis cuiusque alterius rei. Alio modo secundum se, & sic ipsa quantitas durationis est quædam perfectio vendicans sibi quantitatem perfectionalem secundum suam extensionem: quemadmodum calor vēdicat sibi eā secundum suā intensionem. Vnde ad rationem in oppositum dicenda sunt duo. Primò, quòd non oportet quātitatem durationis esse quātitatem perfectionis: sed habere illam infra suā latitudinem: sicut nec calor est quantitas perfectionis, sed habet illam. Secundò quòd falsum est, quòd quantitas durationis secundum se non ponat quantò maior maiorem perfectionem, quamuis nō ponat maiorem perfectionem hūius, puta caloris vel hominis. Et quia sermo in prædicta conditionali habitus, non est nisi de quantitate durationis secundum se: consequens est quòd firma stet veritas illorum principiorum etiam in his effectibus, quorum propria quantitas est quantitas extensiua. Talia enim maiorem semper ponunt ex augmentata extēsione perfectionem suæ speciei. Manifestè autem patere possunt omnia quæ de perfectione quantitatis durationis diximus in hac solutione ex quantitate molis: applicando distinctiones factas & cætera dicta ad ipsam: vt facile est cuique exercitato deducere. Vnde potest formari ad principale propositum ratio talis. Magnitudo virtutis respondet proportionaliter magnitudini per se effectus: sic quòd aliquanta virtus, ad effectum aliquantæ perfectionis requiritur, & maior ad effectum aliquantæ perfectionis, & infinita ad infinitæ perfectionis effectū: sed duratio est effectus aliquantæ perfectionis: ergo ad faciendum per se primò aliquantam durationem requiritur aliquanta virtus, & ad maiorem maior, & ad infinitam infinita: cùm maior duratio maiorem dicat perfectionem, & infinita infinitam.

Rogóque omnes iterum atque iterum, ne auertendo mētis intuitum ab eo quod est per se, ad id, quod est accidens, fallantur, innitentes supraductæ glossæ: absque ratione dicendo quòd si ad effectum aliquantæ perfectionis requiratur aliquanta virtus: ad effectum maioris perfectionis intensiuæ requiritur maior virtus: non autem ad effectum maioris perfectionis extensiuæ, qualis est maior & minor duratio. Hæc enim glossa, vt ex dictis patet, optima est, loquendo de causa per se primò illius effectus, cui vtraque quantitas cōuenit, intensiua intra propriam latitudinem, & extensiua extra: sicut est calor, &c. Vniuersaliter autem loquendo de quantitate causæ in ordine ad proprium effectum, & eius quantitate infra latitudinis suæ limites clausa, nulla opus est distinctione: eo quòd eadem ratio saluatur in proportione causæ & effectus, siue secundum propriam rationem augeatur intensiuè, siue extēsiuè: ratio scilicet maioris perfectionis secūdū propriam rationē suæ speciei. Non enim tenet illa regula in effectibus quantitatis intensiuæ alia ratione, nisi quia quanto effectus per se primò alicuius est perfectior infra latitudinem propriam, tanto perfectioré causam exigit. Propter hoc enim ex maiore quātitate extensiua caloris producti non concluditur maior virtus calefactiua, sed intensiua tātum. Illa enim auget perfectionem caloris extra propriam latitudinem caloris: ista autem intra. Hæ autēmet ratio saluatur in affectibus quantitatis præcisè quantitate extensiua: quoniam eorum propria perfectio augetur infra propriam latitudinem secundum extensiuam augmentationem, vnde vniuersaliter loquendo, effectum esse perfectiorem intensiuè vel extensiuè, accidit effectui perfectiori secundum propriam latitudinem suæ rationis formalis: quòd per se consideratur in hac ratione, & est ratio vtriusque eorum, quòd perfectiorem causam exigat & concludat: sicut esse album vel nigrum accidit colorato: & est ratio eorum, quòd sint visibilia. Falli autem multos cōtingit in re hac ex eo, quòd in cæteris entibus à quātitate manifestè videmus, q̄ sola augmentatio intensiua effectus per se cōcludit maioritatem virtutis per se primo actiua illius: & nulla pertinent sensus virtutem actiuam per se primò quantitatis: propter quod nūquam intellectui oblata apparet augmentatio virtutis ex intensiuo cremento effectus. Quidquid enim sit de virtute actiua per se primò quantitatis, siue permanentis, siue successiuè, discernendum est intellectus acumine, vt dictum est inter entia, quorum propria perfectio consistit in intensione, & quorum propria perfectio cōsistit in extensione: quoniam in illis extendi est extra limites rationum formalium suarum: & propterea non concludit maiorem perfectionem virtutū actiuatū illorum entium. In istis autē extendi est infra rationes formales eorū, & est ipsum eorum intendi: & ideo idē exigit & concludit in virtute eorū actiua per se primò, quod in illis infert intendi, si inuenitur virtus per se primò actiua quantitatis. Vnde non obstat proposito si quis dicat non dari in rerū natura huiusmodi virtutē quantificatiuam motus: nobis enim sat est veritas conditionalis quæ permanet etiam antecedente & consequente impossibili. Similiter puerile est, si quis putet dictū processum ideo non tenere in effectibus quantitatis extensiuæ, sed intensiuæ: quia in extēso id quod additur licet perfectio quædam sit, non includit in se minus extensum, & aliquid vltra: intēsius autem inclusis in se remissum, & aliquid vltrà perfectionis addit. & ideo hoc requirit maiorem virtutem, illud vero æqualem. Puerile inquam dixi, quia sic habet maius secundum extensionem ad minus, puta spatium duarum horarum, ad spatium vnius, aut bicubitum ad cubitum: sic maius intensiuè ad minus: puta color vt quatuor ad colorē vt duo. vtrobiq; siquidē maius claudit minus, & aliquid perfectionis propriæ rationis formalis addit. Cōstat autem ex dictis, quòd in præfecto processu nulla est ratio exigens aut supponens aliam similitudinē proportionum inter intensum & extensum, nisi maioris ad minus. Argumentum enim semper est hoc modo. Potens per se primò in aliquantum, est aliquantæ virtutis, ergo qui potest in maius, est maioris: ergo in infinitum, est infinitè. Nihilominus diligenter aduertenti apparebit quòd quemadmodum in extenso pars addita priori non includit priorem, & ideo seorsum non infert maiorem virtutem: ita in extenso gradus, verbi gratia, additus non includit priores, nec est maioris perfectionis gradus quartus albedinis, quam sit primus: nec ex perfectione maiore quarti gradus seorsum infertur maior vis calefactiua: sed ex eo quòd totum calidum, puta habens quatuor gradus caloris, est perfectius, quam calidum vt duo, quemadmodum etiam arguitur ex eo, quòd totum extensum est perfectius.

¶ Friuolū quoq; omnino est, si quis admittat prædictum processum tenere quo ad effectus quantos, quantitate permanente, non autem successiua. Oporteret enim abradere principia tradita in sexto & septimo & octauo Phys. de virtutibus motuis & earum proportione: cùm motus & tempus, & de quibus est ibi sermo, sue cessiua entia sint. Stat ergo veritas primæ conditionalis.

SECVNDA autem cōditionalis est ista. Si A mouet tempore infinito vnum motū continuum, &c. A est mouens immobile. & accipimus mouere propriè, vt distinguitur cōtra mutare. Et rursus accipimus, mouet, vt motor, non vt instrumentū motoris. primum propter illuminationem, secūdum propter corpus cœleste trahens secum ignem: quem nihil minus traheret, si ideò ignis numero perpetuo conseruaretur, secundum totū & partes: & etiam propter primum orbem trahentem secum alios: vt multis placuit, quamuis non sufficienter. Probatur ista consequētia octauo Phys. text. 85. ex proposito: & 12. Metaphys. text. 43. ex hoc quòd motor motus non semper eodem modo se habet aut in se, aut in ordine ad mobile: id autem, à quo semper prouenit idem eodem modo se habere necesse est vtroque modo: vt patet. ergo.

¶ Ex his autem duabus conditionalibus verificatis antequam veniamus ad tertiam, iam patere potest distinctio superius præmissa cum suis membris in speciali. Liquet enim iam quòd perpetuitas motus duabus attestatur causis, s. infinitate virtutis per se primò causantis ipsam, aut immobilitate motoris: & consequenter q̄ diuersimodè ab illis dependet, & illas infert: quoniam infinitatem non infert nisi in virtute per se; primò (seu ex propriæ latitudinis perfectione) illam causante. Immobilitatem vero virtutis infert in omni virtute causante ipsam. Et meritò: quia immobilitas est extra latitudinem perfectionis virtutis tam motiuæ quàm quantificatiuæ motus. Infinitas autem rationis formalis cuiuslibet infra ipsius latitudinē clauditur. Gradualitas enim alicuius speciei (puta caloris) etiam si in infinitum crescat, caloris naturam nō exit. Immobilitas verò conditio est extra totam latitudinem caloris. Siue enim intelligatur calor vt quatuor, siue vt mille, siue vt infinitus: nunquam peruenietur ad hoc, quòd sit immobilis infra limites caloris stando. Et quod de calore exemplificauimus, de cæteris virtutibus actiuis, formaliter sumptis, siue secundū rē sint in materia, siue non, intelligi volumus. oportet enim Philosophū formali ter loqui. Vnde distinctio iam probata in terminis specialibus repeti potest sic. Perpetuitas motus dupliciter potest imaginari. Vno modo à virtute per se primò ipsam causante: & sic oportet, quòd fiat à virtute infinita intensiuè: vt patet ex prima conditionali. Alio modo à virtute non per se primò ipsam causante, sed per se primò causante talem motum, & secundario causante eius perpetuitatem, vtillius conditionem: & sic oportet q̄ fiat à virtute motiua immobili, quæ ex perfectione suæ virtutis causat talem motum, puta Saturni: & ex immobilitate eiusdem semper persenet idem faciens. Vt sic conditio virtutis sit causa conditionis effectus, sicut in primo modo propria perfectio ipsius virtutis est causa propriæ perfectionis effectus. & propter hoc Arist. 8. Phys. in text. 78. infinitatē temporis motus adscripsit infinitati virtutis, & in text. 85. adscripsit immobilitati motoris: vt iaceret fundamenta & ad primum motorē, & ad alias intelligētias inuestigandum: vt ibidem D. Th. notauit. Ex primo enim primum motorem octauo Phys. text. vlt. & 12. Metaph. tex. 41. concluſit. Ex secundo verò numerum intelligentiarum text. 43. & 44. Non enim ibi inuesti

inuestigatur numerus infinitū motoris (vt quidam rudes & cæci dicunt) sed numerus motoris inalterabilis & immobilis: vt patet ex fine textu 41. & ex ipso textu 43. vbi semper est sermo de immobilitate motoris tempore æterno, &c.

TERTIA igitur cōditionalis, cuius antecedens supponit Arist. cùm suis sequacibus, est ista, Si cælum mouetur tempore infinito, primum mouens ipsum est infinitæ virtutis intensiuè. Et aduerte differentiam inter hanc consequentiam & priores. In prioribus enim inferebatur, A mouet, &c. ergo, A est infinitæ virtutis: vt in prima: vel, ergo A est virtutis immobilis: vt in secūda. In hac verò non inferimus, ergo mouens cælum: nec, ergo quilibet motor cælestis. sed, ergo primum mouēs est virtutis infinitę intensiuè. Probatur ista sic: Cœlum mouetur iempore perpetuo: ergo ab aliqua virtute per se primò & directè potente in sempiternitatem motus, talis est infinita intensiuè: vt patet ex veritate primæ conditionalis probatæ: ergo inuenitur aliqua virtus infinita intensiuè. Aut igitur ista virtus est in quolibet motore cælesti, aut in primo tantum. Non in quolibet: tum quia non oportet, tum quia neuter ab altero dependeret in sempiternè mouere: fatuum enim est ponere infinitum vt sic dependere: tum quia aliquid cōueniret pluribus primo, scilicet mouere sempiternè: quod est impossibile, vt monstratur primo Poster. ergo in primo motore tantum. Totus processus clarus est & firmus, si prima consequentia probabitur. Cuius vis consistit in ista categorica, Sempiternitas motus causatur ab aliqua virtute, per se primò intendente & potēte in ipsam. Hac igitur propositione probata, nihil remanebit huius rationis probandum. Probatur ergo primò, quòd hoc sit possibile: deinde quòd sit de facto. Primum probatur: quia si esset inconueniens aut impossibile, sempiternitatem motus causari ab aliqua virtute actiua per se primò, hoc non esset, nisi vel quia duratio motus, cuius species est sempiternitas, non est res separabilis à motu, sed simul est & non est, & sit & non sit cum motu: ac per hoc sufficienter sit à quolibet mouente, sicut & motus: vel quia duratio motus passio motus est: eo quòd tēpus, vt dicitur in 4. Phys. tex. 130. & 12. Meta. textu 29. aut est idem motus, aut eius passio. Passioni autem non debetur aliud agens quam productiuum subiecti: vt patet inductiuè. Vel quia, vt superius tactum est, duratio motus non est nisi conditio eius: conditionibus autem rerū non debetur propria virtus actiua: sed sat est conditiones actiuas sequi. Præter enim hæc tria non apparet ratio, quare impossibile, aut inconueniens, sit sempiternitatem vendicare sibi virtutem per se primò eius actiuam: sed nihil horum impedit. Inseparabilitas siquidem duarum rationum formalium, etsi concludat, quòd producens vnam in re rum natura producat alteram: non tamen concludit, quòd à quocunque producatur per se primò vna, ab eodem producatur per se primò & altera. Quamuis enim esse ens sit inseparabile ab esse tale vel tale ens: & per hoc habeatur, quòd causans tale ens causet etiam ens: non tamen sequitur, ergo si est causa per se talis entis, inquantum tale, ergo & inquātum ens: vnde Arist. in 6. Metaphy. in principio venatur principia, & causas entium, inquantum entia. Durationem autē passionem esse motus etsi verum sit quo ad aliquid: puta quia sub ratione temporis diffinitur per motum, & inseparabiliter cōcomitatur ipsum tanquā posterius suum prius: non tamen est verum simpliciter: quia constat quòd verè, & simpliciter passio alicuius sic producitur consecutiuè ad productionem subiecti, vt à virtute per se primò productiua subiecti, seclusis quocunque extrinseco, sufficienter emanet. Duratio autem sine sempiternitas motus non emanat à virtute motiua, vt sit ratione ipsius virtutis, sed consequitur conditionem extrinsecam ipsius virtutis, scilicet durationem eius, vt patet inductiuè. Non est igitur passio propriè loquendo, sed potius conditio inseparabilis. Nec ex hoc quòd talis conditio potest poni in esse ex conditione virtutis motiuæ, concludi potest, ergo superfluè quæritur alia causa: quoniam non quæritur causa ad hoc, vt fiat absolutè: sed ad hoc vt per se primo fiat.

¶ Non enim superfluè quæritur à quo per se primo fiat animal, quāuis sciamus ipsum fieri à generante hominē & bouē. Nec inconueniens aliquod sequitur, si tā nobilis cōditionis motus, qualis est sempiternitas, specialis causa quæratur, & non sat sit credere, q̄ fiat vt conditio præcisè: nihil enim contra principia naturalia, aut metaphysica, aut quæcunq; alia apparet sequi: imò inuestigatio hęc consequens est processibus Arist. in 6. & 7. & 8. Phys. vbi causas motus aptauit secundum diuersas proportiones ad eius durationem. Non est igitur impossibile aut inconueniens, sempiternitatē motus talē esse effectū: q̄ possit ꝓduci ab aliqua virtute per se primò. Quod autē hoc sit de facto probatur primò: quia vt dicitur 2. Phy. tex. 26. & 8. text. 30. semper ponēdū est id qd est aut causat per se ante id qd est aut causat per aliud. Cōstat autē quod causans sempiternitatē motus, quia immobile causat eam per accidens, seu per aliud à virtute sua actiua, ergo debet præcedi ab eo quod ex propria perfectione suæ virtutis actiuæ sempiternitatem facit: hoc enim tantum est quod per se primò illā causare potest.

¶ Secundò, quod sempiternitas motus cælestis est effectus dignissimꝰ: vt eius effectus ostēdit, scilicet perpetuitas omniū generabilium & corruptibilium, ad quā tota sphęra actiuorū & passiuorū & singula in ea cōtēta secundū vires conātur, & pro ea agūt, quic quid agunt: vt Auer. dicit 2. Cæli, com. 17. & Alber. Magnubid. cōfirmat. Irrationabile est autem effectum adeò nobilem in rerum natura absque per se primò causa actiua fateri. Et confirmatur: Quia cum in motu cælesti sint cōditiones, scilicet sempiternitas, & determinata velocitas, quæ in sui ratione claudit tempus: vt patet in 4. Phys. text. 96. & sempiternitas eius sit nobilior determinata velocitate, vt ex effectibus, & de se patet, & 12. Metaph. com. 41. habetur: vbi certa velocitas finitati virtutis, sempiternitas vero infinitati attribuitur motoris absque potentia omnino. secundo quoque cæli text. 17. dicitur quòd sempiternitas est proprium diuinitatis opus, & Platonicis confirmantibus, ibidem à S. Thoma cognouimus entia tantum sempiternitatis, quantum diuinitatis sapere: & determinata velocitas absque dubio habet causam per se primò ipsam causantem apud omnes Philosophos: quæ dementia esset sempiternitatem cælestis motus causa per se primò priua re? Relinquitur igitur ratio tota, & stabilis & efficax: cum etiam fugiendi via concessa nō sit. Duobus enim modis poterat quis tātum laborē fine priuare. Vel dicendo q̄ sempiternitas motus non habet causam per se primò actiuam: q̄ esse nefas ostēsum est. Vel dicendo, quòd habet quidem, sed illa est virtus infinita, immobilis. Et hoc ostensum est esse ignorantiam propriæ vocis: quia nulla virtus per se primò actiua alicuius, est actiua illius ex aliquo extra eius propriam rationē formalem, alioquin esset actiua illius, circunscripto omni alio, & non circunscripto omni alio quod implicat. Impassibilitas autē & vniuersaliter immobilitas, vt de se patet, & superius declaratum est: extra latitudinem est cuiusque rationis formalis virtutis actiuæ formaliter sumptæ: vnde dicere quòd virtus A sit per se primò actiua sempiternitatis, & dicere quòd ideo est actiua sempiternitatis: quia est immobilis: & sempер manet eodem modo, est ignorare propriam vocem.

¶ His ergo præmissis ad motum dubium contra processum Arist. redeundo, dicimus q̄ quia sempiternitas motus exigit per se in primo motore seu in eius propria potentia actiua infinitatem intensiuam: & hoc non habet ex eo, q̄ ponitur in motu infinito ex parte mobilis, nec ex eo quòd ponitur in motu infinito ex parte spatij infinities iterati, sed inquantū est secundum se effectus quidem, cui accidit quòd hoc vel illo modo soluetur: ideò ex propria ratione sempiternitatis motus siue saluetur in motu infinito per se, siue infinito per accidens, cōcludi optimè potest absque æquiuocatione infinitas intēsiua primi motoris potentis per se primò in sempiternitatē. Vnde attenta sempiternitate motus formaliter, & relata ad virtutē actiuā per se primo illam respicientem, quātis æque bene concludatur infinitas intensiua illius virtutis, siue hoc siue illo modo ponatur. Arist. tamen à notioribus doctrinam subtilissimam tradens deduxit in tex. 78. ex sempiternitate motus posita in motu infinito ex parte mobilis, infinitatem intensiuam potentiæ: & in textu vltimo ex eadem sempiternitate motus posita in motu infinito ex parte spatij cōclusit infinitatem primi motoris. Insinuans nihil obstare rationi sumptæ ex sempiternitate formaliter accepta in quouis motu saluari ponatur. Propter quod in tex. 78. non posuit mobile infinitum, sed tempus tantum: vt doceret, quòd non concludebat ibi infinitatem potentiæ ex infinitate mobilis, sed ex propria ratione infinitatis temporis, & in tex. vlti. secundum vtranque translationem non sat fuit Arist. subsumere, quòd primum mouens mouet motu perpetuo, aut tempore infinito, sed subsumpsit vtrumque simul: vt ostenderet, quòd non arguit absolutè ex hoc quòd mouet perpetuo (cùm hoc sit commune omnibus motoribus cæli) sed ex eo, quod sic mouet tempore perpetuo, vt ipsum infinitatē temporis per se primò causet: alioquin nugatio commissa esset in illa minore: quam nefas est Aristoteli imponere.

¶ Formaliter ergo dubium soluendo dicimus, q̄ medium ad probandam illam minorem, scilicet primus motor est virtutis infinitæ, & hoc, mouens per se primò tempore infinito: ita quòd maior syllogismi sumpta ex tex. 78. est ista, Mouens per se primo tēpore infinito, est virtutis infinitę. Minor verò sūpta in textu vltimo est ista, Primꝰ motor mouet p se primo tēpore infinito, ergo primus motor virtutis infinitæ, vbi nulla æquiuocatio interuenit. Et maioris, p̄batio ex infinitate tēporis saluati in motu infinito ex parte mobilis, non obstat, sed magis attestatur processui: quia ꝓportio virtutis per se primo respicientis durationem motus, adfinitatem, & infinitatem tēporis, absolutè declarata, & concluſa est ibi in materia clarius eam repræsentāte, scilicet in motu infinito per se: vt ex notioribus fieret doctrina. Differt autem deductio hæc à subtilissima deductione, quā D. Thomas. 8. Physic. docuit in duobus. Primo in medio termino. Cùm enim medium Arist. sit mouēs tēpore infinito, ille appositus ly p se supra ly infinito, nos vero supra ly mouēs. Secundo in minore: q̄a apud nos, minor est vera

Universidad de Deusto
Biblioteca

de facto quo ad operationem primi motoris: apud illum vero minor est vera quo ad virtutem primi motoris. Non enim de facto primus motor mouet tẽpore infinito per se: sed oportet eum esse tãtæ virtutis, quòd quantum ex parte virtutis suæ, possit mouere tẽpore infinito per se: quia quia causę per se oportet respõdere effectũ per se. Primus autẽ motor est causa per se infinitatis motus, ergo siue sit possibile tps infinitum per se inueniri, siue nõ, oportet primum motorẽ tantæ virtutis esse si est per se causa infinitatis motus. Cõueniũt tñ hæ deductiones in conclusione (quia vtrobique cõcluditur infinitas intẽsiua primi motoris) & in radice: quia vterq; processus ponit primũ motorẽ esse per se causam durationis infinitę ipsius motus. Sed ille processit ex eo ꝙ causæ per se oportet esse tantã virtutem vt possit in effectum per se: quod fundatur super secundo Phys.text.36. Iste verò, quòd causam per se primò alicuius, oportet proportionaliter augeri secundum augmentum proprium effectus sui, cuius fundamenta superius dicta sunt.

¶ Et vt multis philosophantibus cõplaceamus qui volunt potius cum Auer. errare q̃ cum aliis verũ sequi: ostendendũ superest hoc idem Auer. docuisse. In 12. liquidem Metaph. com. 41. postquã concluſit iuxta demonstrationẽ 8. Phys. ꝙ virtus infinita requisita ad mouendum tempore infinito corpus cæleste, non est in magnitudine quia moueret in non tempore: mouet ſtatim dubiũ communiter tactũ à doctoribus, 8. Phyſi. ſcilicet, cur ſi ponitur virtus infinita in magnitudine: ſequitur motus in non tpe: & ſi ponatur extra magnitudinẽ, non ſequitur motus in non tempore, quæ eſt ratio differentiæ? Et ſtatim reſpõdet, ꝙ hoc ideo eſt, quia motus cæli fit à duobus motoribus: quorum alter eſt ſimplex motionis, & eſt anima cæli: & alter infinitæ, & eſt potentia oĩo ſine materia: & ꝙ motus cæli à motore finito habet, ꝙ fit in non tempore, & à motore infinito, ꝙ fit tẽpore perpetuo. Vbi à plano ſenſu literæ non diuertendo, manifeſtè patet, ꝙ ipſe eſt opinatus primũ motorem eſſe infinitæ virtutis intenſiuæ, & propter iſtã infinitatẽ cauſare per ſe primo ſempiternitatem motus cæli, & in hoc differre à cæteris intelligentiis: quæ cum ſint immobiles, poſſunt virtute ꝓpria cauſare perpetuitatem motus, per accidens tñ: vt ex dictis patet. Et quia prædicta verba Auer. aliis locis eiuſdẽ contradicere videntur (vt adduximus arguendo ad oppoſitum) ideo à diuerſis diuerſimodè expoſita, vel potiꝰ extorta ſunt: prout quilibet voluit nõ ſe Auerroiſtã, ſed Auerroim ſuum facere, vnde oportet expoſitiones eorũ afferre, vt firmetur veritas. Quidam igitur dixerunt, ꝙ Auerrois intendit ꝙ ſit finitus intenſiuè primus motor, infinitus autem in durationẽ: non tãtum formaliter, ſicut alij motores: ſed etiã cauſaliter: quia ſempiternitas motus aſcribitur fini ipſius motus, q̃ eſt purus actꝰ omnino, & per hoc differt à cæteris motoribus. Et hi diuiſi ſunt in duas vias. Nã quidã eorũ dicunt ꝙ illa diſtinctio motoris in finitũ & infinitũ, eſt diſtinctio realis: quidã vero qd eſt diſtinctio rõnis in primũ motorẽ ſecũdũ ꝙ eſt finis, & ipſummet ſecũdũ ꝙ eſt agẽs, & ſecundũ quod agẽs mouet in tpe: quia eſt vigoris finiti intenſiuè: ſecundũ vero quod finis, ꝑpetuat motum: & ideo dicitur infinitus in durationẽ cauſaliter. Alij verò dixerunt, quòd primus motor non eſt virtutis finitæ nec infinitæ intẽſiuè: quia nõ eſt virtutis actiuę, ſed dicitur infinitæ cauſaliter, cauſalitate finali: vt dictum eſt. Alij autem dixerunt, ꝙ illa verba Auerrois examinãda & gloſſanda ſunt ſecũdũ determinatiões factas in de ſubſtantia orbis, &c. vbi magis ex propoſito tractauit rem hanc, vbi manifeſtè negauit infinitatem intenſiuam. Sed ꝙ omnes huiuſmodi reſpõſiones errãt manifeſtatur. Et primo ꝙ loquatur de infinitate intẽſiua, ꝓbatur primo ſic. Quãdocunque fit aliqua diſtinctio propoſita habens plures ſignificationes, & alterum oppoſitorũ declaratur ab ipſo diſtinguente quo ad quid nominis, ſecũdũ quã intẽſionẽ ſumitur, relinquũ debet ſumi ſecundũ oppoſitã intẽtionẽ. Patet iſta: alioq; piret omnis certitudo diuiſionũ. & ſyllogiſmi diuiſim, &c. ſed Auer. diuiſit motorẽ cœlitin motorẽ finitæ motionis, & infinitæ motionis: & deſcripſit alterũ membrũ, ſ. motorẽ fiuitæ motionis p finitatẽ intẽſiuè, vt patet: quia ibi expreſſè ſubdit, Dicere finitatẽ, eſt dicere ꝓportionẽ motoris ad motã rem: ergo reliquũ membrũ. ſc. motor infinitæ motionis, eſt deſcribendũ ſecundũ intenſionẽ oppoſitã, ſ. ꝙ dicere infinitatem eſt dicere in proportionẽ: & ſic erit motor infinitus intenſiuè. Secundo ſic: Termini quæſtionis & reſpõſionis ſecundũ artem de monſtratiuã non differunt, ſicut nec quæſtio differt à cõcluſione in terminis, ſed in modo. Conſtat autem ꝙ motor infinitus de quo eſt ſermo in quæſtione, eſt infinitus intenſiuè: quoniam eſt ille, de quo dicitur in 8. Phyſi. text. 79. ꝙ mouet in non tẽpore: ergo finitas & infinitas de qua eſt ſermo in reſpõſione, eſt etiam intenſiua. Tertio ſic, Quælibet reſpõſio à ſapiente data, debet ſumi in ſenſu in quo quæſt. motæ reſpondet: ſed iſta non: reſpõdet quæſt. motæ, niſi intelligatur de infinitate intẽſiua: ergo, &c. Declaratur minor: qu. eſt virtus infinita requiſita ad mouẽdum tempore infinito, poſita in magnitudine, infert motum in nõ tẽpore, & poſita extra magnitudinem, non. Huic autẽ quæſito nõ ſatisfit dicẽdo, ꝙ hoc ideo eſt, q̃ ibi ſunt duo motores ſeparati & ambo finiti, ſed alter actiuè, & alter vt finis: & ex motore vt finis eſt ſempiternitas, ex motore vero vt agens eſt ꝙ motus ſit in tempore. Hoc enim ſiue verum, ſiue falſum ſit, eſt impertinens quæſito: & ſolicitudo ſuperflua. Tota enim queſtio eſt quare à virtute ſeparata non ſequitur motus in non tẽpore, ſicut à virtute, poſita in magnitudine. Et cõſtat ꝙ eſt ſermo de virtute actiua. Hęc autem quæſtio vt nouitij poſſint percipere (ſicut & quælibet alia) aliquid certum ſupponit, ſcilicet infinitatem virtutis ſiue in magnitudine, ſiue extra. Et quæritur dubium, quare ſi illa ſit infinita virtus ponitur in magnitudine, mouet in non tempore: & extra non. Quæratur ergo ab iſtis primò: Qualis eſt illa infinitas virtutis, q̃ ſupponitur, intenſiua, an durationis? ſi intenſiua, habetur intentũ: ſi durationis, quæſt. & nulla & ridiculoſa eſt. Nulla quidẽ, quia à virtute actiua infinita in durationẽ poſita in magnitudine, nõ ſequitur motus in non tempore: vt patet de virtute alteratiua ſolis à qua res aliqua alteratur, & tamen in tempore. Nec poteſt dici ꝙ illud eſt verũ tãtum de virtute motiua vnico motu locali tantum: quoniã expreſſè Ariſt. in 8. Phy. tex. 69. vnde hoc ſumptũ eſt, dicit hoc verificari in omnibus virtutibus motiuis quocũq; motu. Ridiculoſa autem: quia puerile eſt quærere, quare à virtute finita in vigore, infinita autem durationę ſeparata materia, prouenit motus in tempore, & non in toto tẽpore. Quis enim eſt adeò rudis, vt ignoret finitatẽ & infinitatem intenſiuã virtutis, ſequi velocitatẽ certã vel incertã motus, & non finitatem & infinitatẽ durationis? Vltimũ igitur refugium horũ eſt, ꝙ quæſtio illa neutrã infinitatẽ determinatè ſupponit, ſed infinitatẽ in cõi: quoniã ex motu perpetuo neutra infinita determinatè concluditur, ſed in cõi concluditur, ꝙ oportet virtutem motiuam tempore perpetuo eſſe infinitã. Vnde dicunt ꝙ quæſtio Auerrois eſt, cũ ſit ꝙ virtus motiua tempore infinito ſit infinita, abſtrahendo ab hac & illa infinitate, quare poſita in magnitudine infert motum in nõ tempore, & extra magnitudinem, nõ. Et reſpõſio eſt ſupponẽdo ꝙ ſi aliqua virtus poſita in magnitudine, debet mouere tẽpore perpetuo, oportet quòd ſit infinita intenſiue, ex 8. Phyſicorum, textu 78. & conſequenter moueret in non tempore, ex textu 79: & addendo quòd ſi aliqua virtus motiua tempore perpetuo ponatur extra magnitudinẽ: & illa eſt neceſſariò infinita ſecundũ durationẽ, & diſtinguitur in motorẽ & agẽs: & ſic eſt finitæ motionis, id eſt, mouet in tẽpore, & motorẽ vt finis, & ſic eſt infinitæ motionis: id eſt, mouet infinito tempore, quod virtuti poſitæ in magnitudine conuenire non poteſt. Non enim poteſt diſtingui in motorem vt agens & vt finis: & ideo oportet, ꝙ virtus motiua tempore infinito, ſi eſt in magnitudine, moueat in non tempore, extra magnitudinem, nõ. Sed verè iſti innituntur telis aranearum. Deficiunt enim dupliciter. ſ. in re ipſa, & in expoſitione Auer. In re ipſa quidem, quia falſum eſt, quòd virtus motiua tẽpore infinito, ſi ponitur in magnitudine, eſt infinitæ intenſiuè: ſi extra magnitudinem, non. Quæratur enim ab ipſis (ne in æquiuoco laboremus) de quali infinitate temporis eſt ſermo. Diſtincta eſt enim ſuperius ex 6. Phy. quia eſt duplex: ex parte mobilis, & ex parte ſpatij: ſeu per ſe & per accidens. Si eſt ſermo de virtute motiua tempore infinito ex parte mobilis, nulli dubium eſt, ꝙ illam oportet eſſe infinitam intenſiuè: in tex. enim 78. non eſt ſermo de tali virtute, ſed de prima, vt ex dictis patet. Amplius: Cũ Philoſophus obedire debeat rationi. oportet reddere cauſam, quare eum ad mouendum B mobile certa velocitate, puta motu vnius horæ: requiratur tanta virtus intenſiuè, puta vt centum: & ad continuandum illum motum tempore perpetuo ſufficiat ex parte virtutis motiuæ, ꝙ ſemper perſeueret in eodem vigore: quare, inquã, eſt quòd virtus talis ſi ponatur ex magnitudine, ſequitur ꝙ ſit infinita intenſiuè? Hoc enim neque ex parte perfectionis virtutis, nec ex natura magnitudinis oritur: & tamen hoc eſt ſuper ꝙ iſti fundãtur. Quòd ſi dicat ꝙ hoc oritur ex hoc, ꝙ illa virtus actiua ſemper remanere debet in eodẽ vigore, hoc puerile eſt: quia ex hoc nihil aliud ſequitꝫ, niſi quòd illa virtus oportet ꝙ ponatur in magnitudine inalterabili & incorruptibili. Ex hoc autẽ, ꝙ virtus actiua ponitur inalterabilis & incorruptibilis, infinitæq; durationis ſiue in quãto, ſiue extra, nõ habeẽ maior perfectio intenſiua: vt de ſe patet in primo Eth. c. 7. ab Ariſt. & Auer. dicit. Et datꝰ exemplum de albo: ꝙ ex hoc, ꝙ ponitur perpetuum, nõ ſequit, ergo eſt albius: quia differentia maioris & minoris rationis non infert differẽtiã ſecũdũ magis & minus. Vnde ridiculũ eſt, quòd quidẽ inter Philoſophos ſe locatos dicant, quòd ideo non poteſt eſſe virtus motiua actiuè tẽpore perpetuo in magnitudine, quia oporter ipſam eſſe durationis infinitæ, & per hoc infinitatem intenſiuè. Deberent enim inferre, ac per hoc inalterabilem & incorruptibilem: ad quod ſequitur infinitas intenſiua.

Puder autẽ adducere quoſdã ſã fatuitatẽ dicentium, quòd proceſſus non ſit ab Auer. & Ariſt. ad cõcludendum, primũ motorem eſſe incorporeum abſolutè, ſed ad concludendum, ipſum eſſe incorporeũ, id eſt non immerſum materiæ, ad eſſe: quæ eſt tantum apud eos in generabilibus & corruptibilibus. Rationis ſiquidem Ariſt. à text. 78. vbi inchoat, teſte ipſo Ariſt. ibi eũ Auer. tractatus intendit

tẽdentis oſtẽdere impartibilitatem primi motoris: vis eſt ex natura quãti & extenſi ſiue corruptibilis ſiue non: vt patet: & in text. vlt. rationẽ formans ex efficacia probatorũ, & non aliter cõcludit primum motorẽ impartibilem: vnde hoc eſt ſimpliciter error nimis fatuus. Amplius, Hoc dictũ. ſ. ꝙ virtus motiua actiuè tempore perpetuo ſi eſt in magnitudine, eſt infinita intẽſiuè, ſi extra, nõ oportet vel ex rationibus formalibus terminorum intelligibiliter deducere, vel ſenſibilibus aſſumere. Sed iam oſtenſum eſt ex rationibus terminorum hoc non deduci: ſed oppoſitũ quo ad primã partẽ, & ſenſibilia idem teſtantur: ergo hoc eſt voluntarie dictum. Ex ſenſibilibus enim habemus, ꝙ virtus alteratiua Solis eſt motiua actiuè, & eſt in magnitudine: & tamẽ non eſt infinita intẽſiuè, nec alterat in nõ tẽpore. Nec poteſt dici, ꝙ quia ſermo eſt de virtute actiua motus localis, ideo inſtantia nõ militat. Tũ quia eadem eſt ratio quo ad mouere in nõ tempore, & infinitatem intenſiuã de virtute alteratiua & motiua ſecundũ locũ, & vniuerſaliter motiua ſi ponantur in magnitudine, vt dicitur 8. Phyſ. text. 79. vt iam adductũ iterũ eſt. Tum quia ſi idem alterabile ſemper ſupponeretur alterationi Solis, tũc Sol vnũ numero motum perpetuum poſſet continuare, nulla facta augmentatione ſuæ virtutis quidquid ſit de antecedẽte huius conditionalis: & ſic virtus finita intenſiuè, infinita durationę, moueret in tẽpore infinito vnũ motũ continuũ, & non in non tẽpore: vnde ꝙ de facto nõ ſit hoc, eſt per accidens, quantũ eſt efficacia virtutis. Accidit enim tantæ virtuti, ꝙ vnum ad plura ſubiiciantur, &c. & nihil minus poſſet in vnum ſemper, quàm plura. In expoſitione autem verborum Auerrois errant: quia ex huiuſmodi ſenſu non habetur reſponſio ad quæſitum: eſſet enim reſponſio, quòd ideo virtus motiua tempore infinito poſita in magnitudine moueret in non tempore, & poſita extra magnitudinem, non: quia virtus extra magnitudinem diſtinguitur in motorem vt agens, & motorem vt finis: in magnitudine autem, non. Ex hoc autem quomodo haberi poſſit quæſita differentia, ſcentum iuga boum non deducerent.

¶ Quartò principaliter probatur, quòd de infinitate intenſiua ſit ſermo Auer. ibidem: ex eo, quòd ibi dicit, quòd motus cæli inquantum eſt ab anima cæli, ſortitur determinatam velocitatem, inquantùm verò eſt à primo motore, ſortitur ſempiternitatem. Ex hoc enim arguitur ſic: Aut intendit, quòd motus cæli habeat ſempiternitatem à primo motore effectiuè, aut finaliter. Si effectiuè, cùm in hoc ponat differentiam inter primum motorem, & animam cæli, tripliciter poteſt hoc imaginari.

Primò, ꝙ anima cæli, aut non efficiat aut non ſufficienter poſſit efficere ſempiternitatẽ motus, & ideo attribuatur primo motori tanquam cauſæ ſufficienti, & hoc conuincitur demõſtratiuè eſſe falſum ſupponendo animã cæli eſſe virtutẽ motiuã immobilẽ: vt patet ex 8. Phyſ. text. 85. & ex ſupradictis. Secundò quòd anima cæli dependenter illã faciat, primus autẽ motor independenter, & ideo attribuitur primo motori, vt eius cauſę actiuę indepẽdẽter. Et hoc conuincitur eſſe contra Auerroim ibi: aut loquimur de cõi dependentia, quã omnia entia alia à primo, & actiones eorum dependent à primo: & ſic non ſaluatur cõmentũ, ponens differentiam inter ſempiternitatẽ & determinatã velocitatem motus cæli in hoc, quòd illa eſt à primo motore, hæc ab anima cæli. tali enim dependentia communi tam ſempiternitas, quàm determinata velocitas eſt à primo motore mediante anima cæli. Aut loquimur de ſingulari dependentia: qua in faciendo talem effectum, ſ. ſempiternitatem motus, anima cæli dependet à primo motore. Et hoc conuincitur eſſe impoſſibile, tenendo primũ motorem finitum intenſiuè: & deducitur ſic, Motore ſufficiente ex his quæ in ſe intrinſecè ſunt, applicato mobili diſpoſito, circunſcripto quocunq; alio, excepta communi dependentiã ad primum, neceſſariò ꝓuenit effectus ꝓprius illius motoris. Patet iſta ex terminis: alioquin nulla eſſet via ad probandã cõſecutionẽ cauſæ ad effectum, & econuerſo. Sed anima cæli eſt actiuũ ſufficiens ex ſuis intrinſecis reſpectu motus æterni: ergo circũſcripto quocunq; alio excepto cõmuni influxu primi, poteſt in motũ æternũ, ergo nulla eſt opus ſpeciali dependentia. Probatur minor ex eo, ꝙ anima cæli habet ex ſuis intrinſecis duo requiſita ad faciendum ſempiternitatem motus. ſ. tantã virtutem intenſiuè (puta vt mille) & immobilitatem: quilibet enim motor habens hæc duo, poteſt ſempiternum facere motum, quãuis non per ſe, vt dictum pluries eſt. Tertiò, quòd anima cæli licet ſufficienter, tamen per accidens facit ſempiternitatem motus, primus autẽ motor facit eã per ſe: & ideo attribuitur primo motori, vt eius cauſæ actiuæ per ſe primò intẽdenti illam. Et ſic habetur intentum: quia, vt ex prima conditionali probata patet, ex hoc ſequitur, ergo primus motor eſt virtutis infinitæ intenſiuæ. Et in rei veritate iſta videtur mẽs Auer. in illo loco. Loquitur enim de actiua cauſalitate, vt quæſtio mota oſtẽdit, & nõ intẽdit ſubtrahere ab anima cæli cauſalitatẽ actiuã ſempiternitatis, ſed perfectam cauſalitatis: cuius nulla virtus finita eſt capax, vt patet ex dictis. Vnde cauſam actiuã per ſe determinatæ velocitatis poſuit animã, ſempiternitatis verò primũ motorẽ. Si finaliter, hoc poteſt dupliciter imaginari. Primò, vt ſit ſermo de dependentia cõi: quia omnia cauſantur in genere cauſæ finalis à primo. Et hoc eſt cõtra Auer. ibidẽ: qm̃ hoc modo nõ ſaluatur ſua differentia inter terminatã velocitatẽ motus & eius ſempiternitatẽ: hoc etenim mõ vterq; effectus dependet finaliter à primo motore. Secũdò, vt ſit ſermo de aliquo ſpeciali mõ dependẽdi, in genere tamen cauſæ finalis. Et quantũ verba eorũ ſonãt, videntur dicere, quòd quodã ſingulari mõ ſempiternitas eſt à primo fine, quo non eſt determinata velocitas: ſic ꝙ ſempiternitas motus in hoc differt ab eius velocitate: quòd iſta ſufficiẽter fiat ab agẽte, illa autẽ nõ niſi adiuncta cauſalitate finali primi motoris. Sed quia facile eſt dicere diſtinctionẽ in qualibet re q̃uis ardua, & inexercitati eſt admittere illam in aëre: ideo quæramus ab iſtis, quomodo ſit iſta differẽtia. Hoc eñ nõ poteſt niſi tripliciter imaginari. ſaut ſic, ꝙ ſempiternitas careat cauſa actiua, & finali tantũ attribuatur. Et hoc eſt ridiculũ: qm̃ nõ eſt intelligibile, quòd aliquid effectiuè producat motũ, & nõ producat eius durationẽ, maximè cum ipſe, quod eſt duratio illa (vt 12. Met. text. 29. dicitur) aut eſt ipſe motus, aut eius paſſio. Cõſtat autẽ ꝙ hæc ab eodẽ fiũt actiuè ſecũdũ rẽ, q̃uis non eodẽ modo: poteſt enim eorũ, q̃ ſunt, idẽ realiter vnũ per accidens, produci ab agente inferiori, & alterũ per ſe: vt patet cũ Socrates generat Platonẽ: tunc emẽ licet fiat Plato per ſe: ſit tamen corpus vel miſtum per accidens: vt dicitur in primo Phyſ. text. 76. aut ſic quòd ad determinatã velocitatẽ cauſa actiua ſufficit abſq; finali, ad ſempiternitatem autẽ, nõ. Et hoc etiã eſt ridiculum: quia finis eſt cauſa cæterarum cauſarũ: nullũſq; eſt effectus naturę aut artis abſq; fine. Aut ſic, ꝙ ad determinatã velocitatem cauſa actiua cum fine cõi ſufficit, ad ſempiternitatẽ autem non, ſed requiritur ſpecialis ratio dependentiæ ad primũ motorẽ vt finẽ. Et hoc eſt iterũ loqui in aëre: niſi hmõi ratio aſſignetur. Nec apparet alia ratio, quàm illa, quæ in eodẽ com. 41. ex intẽtione Themiſtij ſubditur. ſ. quòd motor qui mouet ad conſequendũ aliquid, vel conſeruandũ aliquid trãſmutabile neceſſe eſt quòd quandoq; ceſſet. Motor autẽ qui mouet ꝓpter aliquid ſemper in actu & immutabile, qua ratione mouet vno tpe, mouet ſemper. Et ſic habetur ſpecialis ratio dependẽtię ſempiternitatis ex fine, q̃ nõ habetur in velocitate motus. Sed adducere hoc ad ꝓpoſitũ, nouitiorũ eſt. Cũ enim omnes animæ cæleſtes prima intẽtione operentur ꝓpter ſe (vt dicitur 12. Meta. com. 36. & ſecũdo Cæli, com. 17. & 21.) & ipſarũ natura ſit immutabilis in actu: & earũ opera ſint ſicut opera artium: (vt dicitur 12. Meta. cõ. 44.) & finis ſit principiũ in operabilibus: vt dicitur in 2. Phyſ. text. 88. Quẽadmodum ex actualitate immutabilis finis ſumũr animæ illæ rationem ſempiternitatis in ſuis operibus: ita ex aliis cõditionibus nobis ignotis ſumũr ratiõ tantæ velocitatis: & quare magis ab Oriẽte moueant verſus hemiſphęrium ſuperius, & alia hmõi. Hæc enim omnia fiũt ꝓpter melius: vt ex ſecundo Cæli, text. & cõ. 34. habetur. Et ex fine neceſſe eſt bonitatẽ eorũ fieri, cũ naturalia agãtur propter finẽ, vt dicitur 2. Phy. tex. Vnde ex hoc non magis habet, quòd ſempiternitas ſpecialiter dependeat à primo, quàm certa velocitas: vtrumque enim eorum habet hoc mõ ſpecialem rationem dependentię ex fine. Amplius. Cũ rõ ſempiternitatis motꝰ ſufficiẽter ſumatur ex his finis conditionibꝰ. ſ. ꝙ ſit in ſe actu, & habitu & mouẽte, immutabilis: & hæc ſint cõia omnibus motoribus cęlorum reſpectu ꝓpriarum eſſentiarũ: nihil ꝓprium primo motori dixiſſet Auer. ſed totũ ꝙ dixit cõuenit omnibus animabus cælorũ in rõne finis: nec põt dici, ꝙ dictum Auer. cõmune quidẽ eſt omni motori ſeparato in rõne finis, ſed ꝓpriatur primo ꝓpter dependentiã aliorũ à primo & in rõe finis: q̃ ſic nõ ſaluatur differẽtia inter ſempiternitatem & velocitatẽ: vtraque eñ ꝓpter independentiã primo eſt attribuenda fini. Quòd ſi tanquam ad vltimum refugiũ recurrẽdo dicatur, quòd ſempiternitas motus depẽdet à primo fine quodã ſingulari mõ ignoto nobis: & hoc cognoſci ex hoc ꝙ oẽs motores cęleſtes cõueniũt in ſempiterne mouere: nõ aũt in velocitate motus (hoc eñ ideo eſſe credẽdum eſt, quia rõne ſempiternitatis habẽt reſpiciẽdo primũ: velocitatem verò reſpiciendo ꝓpria.) Hoc eſt cõtra Auer. qui expreſſè dixit in ſecũdo Cæli, com. 38. ꝙ motores inferiores ſumũt rõnes ſuarũ velocitatũ ſecũdũ ꝙ magis deſiderãt aſſimilari primo. Etloquitur nõ ſolũ de motu diurno, ſed etiã circa lo obliquo. Deinde hoc non eſt ſufficiẽtũ rõne firmatũ. ꝙ eñ conueniãt oẽs in ſempiternitate motꝰ: vt dicit Auer. in ſecundo Cæli, com. 38. & 71. & alibi, eſt quia cõueniũt oẽs in hoc quòd ſunt motores immateriales. Et ideo hoc non oportet cõiicere, quòd ſit ex ſingulari modo depẽdendi à fine: cũ clare pateat, ꝙ finis communis cũ immaterialitate motoris ſufficiat, nec locus eſt coniecturis in manifeſtis. Amplꝰ. Velocitas de qua ibi loquitur Auer. vt patet in cõmen. nihil aliud eſt quam temporalitas, in quã oẽs motores cæli cõueniũt, ſicut & in ſempiternitate, nullus enim mouet in nõ tpe. Reſtat ergo, ꝙ de infinitate intenſiua ſerm Auer. ibidẽ ſit. Et licet euidẽtiores ſint prędictę rõnes ſi duo motores ſecundũ rẽ in primo orbe ponũtur, efficaces tñ ſunt etiã ſi duo ſecũdum rationẽ, vnus autem ſecundum rem ponitur, vt patere poteſt cuilibet

eas explicare scienti. Vnde omnes expositiones cõmenti prædicti falsæ apparent. Vltima autẽ ordinem librorũ Auer. non pensauit. Cum em̃ constet ex secundo cæli c. 3. quòd tunc iã fecerat libellũ de substãtia orbis: & ex pluribus commentis, quæ tunc etiã fecerat super libros Phy. & ex 12. Met. com. 65. quòd iuuenis erat quãdo fecit super lib. de Cælo & sperabat in com. 352. se perfecturum Astrologiã: & quòd senex scripsit super Metaphysic. manifestè liquet, quòd omnia dicta Auer. sunt examinanda ad 12. Meta. eius, & non econuerso: quoniam opus illud testamentum eius est.

SECVNDA autem via ad ostendendã infinitatem virtutis Dei glorioſi sumpta ex S. Tho. breuior est. Et supponit Deum esse causam actiuã alicuius substantiæ, siue mundi, siue primæ intelligentiæ, siue omnium incorruptibilũ, siue ab æterno, siue in tẽpore: nihil eſſi horum refert, dũmodo concedatur per simplicẽ emanationem (quã nos creationẽ dicimus) Deum aliquid produxisse. Hoc autem nunc supponatur: Tũ quia cõiter excellentes viri hoc concedunt etiã de mente Arist. & Auer. Tum quia expresse cõtrà Argazelem pluries Auer. hoc dicit. Tum quia hoc exigeret ſpecialem quæstionem, quã alibi tetigimus. Acquiescentibus ergo huic suppoſito, hæc via paratur: iuxta quã arguitur prælibando rõnes terminorũ. s. quòd virtus creatiua est virtus actiua effectus ex nulla potentia passiua: siue sit creatiua ab æterno, vt Plato, & Aristot. cum sequacibus poſuerũt: siue in tpe vt fides Christiana determinat. Cæteræ autem virtutes actiuę sunt effectiuum ex aliqua potentia passiua p̃suppoſita, vt patet in naturalib' & artificialibus. Arguitur ergo sic, loquendo semper de quãtitate virtutis seu perfectionis: Omne quãtum exedens aliud quãtum, sic quòd quãtum eũq; excessum crescat, nunquã inter ipsa est aliqua proportio, est necessario infinitũ intensiuè. Ista patet ex terminis, qm̃, vt dicitur in 8. Phy. t. 79. si exedens est finitum addẽdo semper quãtum ad excessum, quandoq; æquabitur & excedetur. Sed virtus creatiua est aliquãtæ pfectionis: & sic excedit virtutẽ factiuã rerum ex potentia subiecti, quòd quãtumcũq; augeatur nõ est inter eas ꝓportio: ergo virtus creatiua est infinita intensiuè. Probatur minor quo ad vltimã partem (quæ sola eget probatione) ducendo ad impossibile: quia sequeretur quòd virtus tãtum actiua ex aliqua potentia, & virtus actiua ex nulla potentia possent esse æquales: quod est manifestè impossibile. Tenet cõsequẽtia supponẽdo vnũ, quod ꝓbatione non eget. s. quòd quanto aliquod actiuum potest educere rem de remotiori potentia ad actũ, tãto est virtuosius. Ad sensum em̃ patet quòd ad educendum calorem de potentia aquæ, maior virtus requiritur, quã ad educendum ipsum de potentia aẽris: hoc igitur suppoſito arguitur more Aristotelico sic. Sumatur virtus ꝓductiua alicuius (puta Bouis) ex nulla potentia, & sit A. Sumatur quoq; virtus ꝓductiua Bouis ex aliqua potentia, puta C. & sit virtus illa B. Tunc sic: Istæ duæ virtutes. s. A & B per te habent aliquã ꝓportionẽ, sit ergo proportio cẽtupla: ita quòd A excedat C non plus, quã in centuplo. Et tũc sumatur potentia passiua in centuplo magis elõgata ab actu q̃ sit C, & sit illa D. Cũ ergo oporteat tãtò virtuosius esse agens quãtò elõgatior est potẽtia ab actu, necesse erit virtutem actiuã Bouis de potẽtia D, esse in ꝓportione centupla ad B, ac p hoc esse æqualẽ ipsi A. Et sic virtus ꝓductiua ex aliqua potentia, & virtus ꝓductiua ex nulla erunt æquales, quod est impossibile. Imò etiã eodẽ processũ põt deduci, quòd illa sit etiam maior: qđ est impossibilius. Nec põt inficiari quispiã hũc processum ex eo, ꝙ nõ potest sumi in rerũ natura potentia remotior ab actu quocunq; potentia data: oportet em̃ sic dicentes negare processum Ari. 4. Phy. tex. 72. vbi assumit plenum subtilius quocũque pleno. & 6. Phy. tex. 15. vbi assumit modum velocioriẽ quocunque motu: & breuiter destruere doctrinã traditam in li. Phy. Saluatur enim efficata horũ & similiũ processuũ ex rationibus formalibus terminorũ, & ex veritate conditionaliũ: quicquid enim repugnat veritati cõditionalis, est falsum & impossibile: vt Auer. dicit in 8. Phy. text. 78. Vnde ꝓposito sufficit veritas cõditionaliũ: puta si virtus aliqua ꝓduceret ex potẽtia in cẽtuplo remotiori, esset in centupla ꝓportione, &c. Stat ergo rõ firma, quãuis quidã nesciẽtes, aut nõ volẽtes eam formare, soluisse se arbitrati sũt, vt de Scoto patet prima dist. quarti. Qui ideo credidit se soluisse, quia S. Tho. nõ solicitus circa terminos, qui in authẽticis rationib' solẽt subintelligi, fecerat maiorem huiusmodi. Eorũ, inter quę nulla est proportio, alterũ est infinitum: soluit Scotus, ꝙ hæc non est vera, vt patet de puncto & linea: & tamen punctũ non est infinitum. Propter quod notanter nos posuimus in maiore vtrunque esse quantũ: vt has pueriles cauillationes effugeremus. Et hæc de secundo.

QVAESTIO.

Num Deus moueat vt finis, vel vt agens.

RESTAT igitur argumentis in oppoſitum respondere.

¶ Ad primum ergo (quod tres difficultates tangit, vnam principaliter & duas ex consequenti) tali est ordine dicẽdum, quòd duas annexas difficultates, scilicet an Deus moueat vt finis tantum, vel vt finis & agens, & si vt agens, an mediatè vel immediatè: peranſuimus dicendo, quia est.

Tertiam verò principalem, s. an expositione virtutis infinitæ intensiuæ in rerum natura necessario sequatur motus in non tẽpore, pertractabimus dupliciter, s. secundum Auer. & simpliciter. Quãuis igitur multi ex secũdo cœli. tex. 64. Vbi in summo gradu perfectionis vniuersi locatur id, quod sine actione optimum posſideat: & ex 12. Metaph. tex. 30. vbi dicitur, quòd Deus mouet sicut amatum & desideratum: cedãt Deum non esse causam agentem, sed finalẽ: & verius tamen dicunt sentiẽtes vtroque modo Deum causam: vt Simplicius arguit ex primo cœli tex. 30. vbi Arist. dicit, Deum nihil agere frustra. Si enim ad hoc incõueniens solicitus fuit Arist. deducere, ꝙ Deus nihil agit frustra, ergo supponebat Deum agere propter finẽ: ridiculum enim esset deducere ad hoc incõueniens de causa actiua. Auerrois quoq; in de substantia orbis, manifestè reprehendit dicentes oppositum esse de intẽtione Arist. & in 10. Metaph. com. 7. expresse dicit, quòd Deus mouet non tantùm vt finis, sed vt motor. Quod etiã firmat in 12. com. 7. & in com. 44. vbi etiam postmodũ Auicennam ponentem Deum esse tantùm finem, arguit, quòd oportet primi principis esse actionem, quæ cum hoc, quòd sit sibi propria, sit communis cæteris: qualis est motus diurnus. Et in secundo cœli, com. 17. dicit, quòd omne habens actionem in se, habet actionem in alio: & in com. 21. dicit, quod omne quod inuenitur propter se prima intẽtione, inuenitur propter aliud secunda intentione: nisi illic esset natura non innata ad largiendum. Et breuiter totus Auerrois plenus est hac sententia, vel formaliter, vel radicaliter: vt puta quòd in separatis à materia causalitas finalis & sufficiens eidem conueniunt: vt dicitur 11. com. & 35. & 38. & 55.

Nec obstat ꝙ Arist. dixit, Deum mouere vt amatum: non enim dixit hoc cũ dictione exclusiua: imò ex hoc magis habet propoſitum, suppoſita illa vniuersali Auer. quam modo diximus. Id verò qđ ex tecũdo cœli adducitur admiratione dignũ est, qua frõte ab Auerroistis adducaẽ, cũ Auerrois ipse ibidẽ in consilio 46. expresse dicat, ꝙ in illo summo gradu habente optimũ sine actione, daẽ latitudo includẽs oẽs intelligentias: ita ꝙ apud ipsum oẽs intelligẽtiæ sunt in illo primo gradu, & non tantũ Deus: & tamẽ cõstat apud eos etiã ꝙ cæteræ intelligentiæ agũt ad extra. intẽdit enim ibi Aristoteles apud Auerroim intelligentias quatenus intelligentiæ sunt habere optimum (qđ est fœlicitas speculativa) sine omni dependentia ab exteriori actione, non sicut in nobis iuxta illud 12. Met. tex. 39. deductio aũt qualis optima, &c. & esse in primo gradu. Quatenꝰ verò animæ sunt, optimũ assequi p motũ: & in secundo locari ordine simul cũ corporibus, quorum sunt animæ. Vnde Deum mouere nõ solũ finaliter, sed actiuè dicimus. Et quãuis ex multis cõmentis videatur haberi, quòd Deus mouet immediatè: qa in com. 44. & 12. Met. reprehẽdũtur ponẽtes Deũ esse priorem motore primi orbis: & in com. 38. expresse dicitur, ꝙ primus motor mouet sine medio: & in com. 48. numerãtur subſtãtiæ immateriales secũdũ numerũ motuũ cœlestiũ expresse, supponẽdo nullã esse, quæ nũ moueat: vt tamen ex dictis superius patere potest, in com. 41. & 12. expresse dicit motũ cœli cõponi ex duob' motoribꝰ. Et ideo sciẽdum est ꝙ ista sibi inuicẽ nõ cõtradicunt: quoniam cũ sint in hac re opiniones extremæ: vna Auicẽnæ, dicẽtis Deum nihil agere ad motũ cœli, nisi secũdũ quòd prima causa operatur per secundas: sed primum motorem esse primam intelligentiam producẽtem à Deo, quæ cum anima cœli mouet. Alia corũ, qui dicunt Deum solum mouere primũ cœlum. Auerrois via inuestiẽs media, vtrũque declinans extremũ: & ideo nunc hoc nunc illud excludit extremum, quamuis pluries Auicennam impugnauerit. Est igitur apud eum primus motor Deus glorioſus, non tamẽ mouet solus.

Sed quia in motu primi cœli sunt duo (sempiternitas motus, & certa velocitas: puta 24. horarum) posſunt vtrũque horum habere per se primò causam actiuam & propriã: sempiternitatis quidem Deũ, certæ verò velocitatis animam cœli. Et hic sensus respondet planè expositioni illius contenti absq; extorsione. Et sic Deus non est prior motore totiꝰ: imò facit p se motũ totius quo ad nobilissimam eius rationẽ, quæ est sempiternitas: & hoc modo Deus non est anima alicuius orbis. Et ideo dixit ibi Auer. ꝙ est potẽtia non in materia: & p hoc volebat quòd differret ab anima cœli. Et hoc modo saluatur quod com. 44. dicitur, ꝙ illud quod intelligit motor corporis cœli de primo motore, est aliud ab eo quod intelligit motor orbis Saturni. Et sic numerus immaterialiũ subſtantiarum secundũ numerum motuũ saluatur: quia ex motuum numero inuẽtus est numerus motorũ aliorum à primo: quia iã ex infinitate motus stabilitus erat. Nullam enim subſtantiam immaterialẽ ponimꝰ nisi ex motu conclusam: sed prima ex infinitate motus, cæteras ex numero motuũ regulariũ & perpetuorũ exigentium motores immobiles. Et hoc consonat textui Arist. expresse quærenti numerũ motorũ immobiliũ, nõ numerum motorũ infinitorũ: vt p hoc infinuaret quòd de aliis primo loquebat': quamuis primus quoq; sit immobilis. Est siqdẽ sermo Ari. & Auer. & ibidem cõtra ponẽtes subſtãtias immateriales absq; aliqua ꝓpria motione alicuius corporis, vt patet ibidẽ: qđ nos non diximꝰ. Et breuiter hoc modo

modo omnia dicta Auer. inueniuntur consona, & merito: quia vero omnia consonãt. Vnde Heliæ Hebræi labor, quod vanus fuerit patet. Putauit enim, quòd ex hoc quòd Deus dicitur motor effectiuè primi cœli sequeretur, ergo mouet solus primum cœlum. Iam enim liquet, Deum proprium & motorem primi orbis, quoad sempiternitatem sui motus actiuè causandã. Mouet ergo Deus cœlum effectiuè vt motor proprius, & mediante anima cœli: sic vt vtriusque proprius effectus motus cœli sit diuersimode: & sic quo ad duo prima patet quòd tenendum sit.

¶ De tertio autẽ (in quo tota ſtat difficultas præsens) ambiguitas magna videtur: diuiſi siquidem sunt Peripatetici circa id. Quibusdã em̃ apparet, ꝙ ex hoc antecedente, datur virtus infinita in natura, sequitur necessariò, ergo motus in nõ tẽpore. Quibusdã verò videtur, ꝙ distinctione opus sit in re hac. & hi in tres distincti sunt vias. Alij putant ꝙ distinctione modi agendi. s. liberè vel necessariò opus sit. Alij verò ꝙ distinctio modi essendi illius virtutis infinitæ. s. an habeat esse materiale, an immateriale, ad hoc sufficiat. Alij autem duas distinctiones necessarias credunt ad saluandam infinitam virtutẽ in rerũ natura, scilicet modi essendi (quæ modò dicta sunt) & modi agendi, s. mediatione vel immediatione, ita ꝙ omnes huiusmodi opiniones sunt quatuor. Et primam quidẽ ponẽtes (quia ex discussione aliarum quid veritatis habeat patebit: & eius fundamenta sunt quæ arguendo adduximus) ad secundã nos trãseramus opinionẽ, quia tria dicit. Primò, ꝙ ex hoc antecedente, virtus infinita est in magnitudine: necessario sequitur, ergo mouet in nõ tẽpore, quod implicat contradictionẽ. Et in hoc conueniunt cum Arist. 8. Phy. tex. 29. omnes Peripatetici: licet differant in modo deducendi consequentiam. Scot. enim in primo sent. dist. 2. q. ad vlt. dicit, quòd ex eo quòd in antecedente assumitur virtus infinita, subintelligẽdo, agat, necessariò sequitur ergo actio sua est in nõ tempore: alioquin in æquali tẽpore agere contingeret virtutem infinitã & finitã, iuxta deductionẽ Arist. ibi. Ex eo verò, quòd in antecedẽte additur ly in magnitudine (id est extensa) sequitur quòd si agit, agat circa corpus: & cõsequẽter quòd sit ibi aliqua resistentia, & sit etiam diuersa approximatio partium passi ad agẽs: ac per hoc sequitur, ergo actio illius virtutis est mouere: qm̃ hæ duæ causæ, scilicet diuersa approximatio partium & resistentia, faciunt successionem esse in motu, & sic ex toto antecedẽte simul, scilicet virtus infinita in magnitudine sequitur motus in non tempore. Sed hæc deductio manifestè peccat: quia ex hoc quòd aliqua virtꝰ est extẽsa, & agit in corpus, nõ sequitur illæ duæ causæ successionis: sed vna tantum, s. diuersa approximatio partiũ passi ad agens: sed ex omnibus his absque resistentia nõ sequitur, ergo illa actio est motus. Et hæc omnia non egent probatione: quia manifestè patent de virtute illuminatiua. Hæc enim est extensa, & agit in corpus, &c. & tamen non est motus propriè (de quo loquimur) vt distinguitur contra mutationem. S. Tho. autem, quia Arist. non fuit solicitus ibi de vtraque parte consequẽtis deducenda, supponit cum Auerroe & cæteris expositoribus (quantum vidisse me recolo) ꝙ subiectum illius antecedentis, s. ly virtus seu potentia supponit pro virtute motiua, propriè sumendo motum, ita ꝙ antecedens illius consequentiæ secundũ veritatem est hoc virtus motiua infinita est in magnitudine. ergo. Et ꝙ hoc fit mens Arist. patet ibi, ex eo ꝙ probando suppoſitionem vnam, s. ꝙ maior virtus facit æquale in minori tempore, dicit vt cale faciẽs, aut dulce faciens: aut proiiciens, & omnino mouens. vbi manifestè patet, quòd de virtute motiua loquimur. Patet etiam ex fine intento: ad nihil enim aliud inducebat demonstrationem illam, nisi ad inuestigandam impartibilitatem primi motoris, quem constat mouere propriè. Vnde impertinẽs erat propoſito tractare de omni virtute extensa: quamuis ex ista negativa, non potest dari virtus motiua infinita in magnitudine, habeatur ex consequenti, ꝙ nulla virtus in magnitudine est infinita: quia quum sit virtus, aut subſtantialis, aut accidentalis, & accidentalis infinitas inferat infinitatẽ subſtantialẽ, & omnis virtus subſtãtialis in magnitudine, si est simplex, sit principium alicuius motus naturalis (vt patet in primo cœli tex. to (primo) & simplicibus existentibus finitis, impossibile sit mixtum fieri infinitum, manifestè deduci potest ex negatione infinitatis virtutis moriuæ in magnitudine, negatio infinitatis omnis virtutis extensæ.

¶ Facit tamen vim S. Tho. in ly magnitudine: ex hoc ꝙ virtus extensa non est intelligens, virtus autem extra magnitudinem est intelligens: vt patet tertio de Anima, commento quinto. virtus autem motiua non intelligens mouet tantum quantum potest. Ac per hoc tenet consequentia Aristot. Quia si est virtus motiua infinita, & cum hoc mouet tantum quantum potest, sequitur, ergo mouet in non tempore: vt patet ex deductione Arist. ibidem. Secundò dicit, ꝙ ex hoc antecedente, virtus infinita est (etiam loquendo de motiua) non sequitur necessariò, ergo mouet in non tempore: quia potest illa virtus esse agentis liberi: in cuius potestate est actio & modus agendi. Et quum hoc arguitur esse contra Aristot. & Auer. & omnes Philosophos, Sco. cum sequacibus non reputat hoc inconueniens: imò dicit in 2. sent. dist. 1. q. 3. eos sibiipsis contradicere, ponendo Deum agere necessariò.

¶ Mihi autem videtur hoc non esse contra Arist. eo quòd nulli imponendum est quòd nec dixit, nec necessariò sequitur ex dictis eius. Deum autem non esse agens liberum, nullibi dixit Arist. nec ex dictis eius sequitur necessariò. Demonstratio siquidem posita in primo cœli, tex. 90. sufficienter saluatur supponẽdo omnes intelligentias differre specie, quòd mouere quantum possunt, vt assimilẽtur deo glorioſo: cuius proprius effectus est sempiternitas, seu potentia supponit pro virtute motiua, propriè sumendo motum, ita ꝙ antecedens illius consequentiæ secundũ veritatem est hoc virtus motiua infinita est in magnitudine. ergo. Et ꝙ hoc fit mens Arist. patet ibi, ex eo ꝙ probando suppoſitionem vnam, s. ꝙ maior virtus facit æquale in minori tempore, dicit vt cale faciẽs, aut dulce faciens: aut proiiciens, & omnino mouens. vbi manifestè patet, quòd de virtute motiua loquimur. Patet etiam ex fine intento: ad nihil enim aliud inducebat demonstrationem illam, nisi ad inuestigandam impartibilitatem primi motoris, quem constat ad inuestigandam impartibilitatem primi motoris, quem constat mouere propriè. Vnde impertinẽs erat propoſito tractare de ommouere propriè. Vnde impertinẽs erat propoſito tractare de omni virtute extensa: quamuis ex ista negativa, non potest dari virtus motiua infinita in magnitudine, habeatur ex consequenti, ꝙ nulla virtus in magnitudine est infinita: quia quum sit virtus, aut subſtantialis, aut accidentalis, & accidentalis infinitas inferat infinitatẽ subſtantialẽ, & omnis virtus subſtãtialis in magnitudine, si est simplex, sit principium alicuius motus naturalis (vt patet in primo cœli tex. to (primo) & simplicibus existentibus finitis, impossibile sit mixtum fieri infinitum, manifestè deduci potest ex negatione infinitatis virtutis moriuæ in magnitudine, negatio infinitatis omnis virtutis extensæ.

¶ Facit tamen vim S. Tho. in ly magnitudine: ex hoc ꝙ virtus extensa non est intelligens, virtus autem extra magnitudinem est intelligens: vt patet tertio de Anima, commento quinto. virtus autem motiua non intelligens mouet tantum quantum potest. Ac per hoc tenet consequentia Aristot. Quia si est virtus motiua infinita, & cum hoc mouet tantum quantum potest, sequitur, ergo mouet in non tempore: vt patet ex deductione Arist. ibidem. Secundò dicit, ꝙ ex hoc antecedente, virtus infinita est (etiam loquendo de motiua) non sequitur necessariò, ergo mouet in non tempore: quia potest illa virtus esse agentis liberi: in cuius potestate est actio & modus agendi. Et quum hoc arguitur esse contra Aristot. & Auer. & omnes Philosophos, Sco. cum sequacibus non

¶ Vel ꝙ moueat infinita velocitate. i. in nõ tempore: nõ est enim intelligibile, ꝙ aliquid actualiter moueat infinitè velociter: & tamen in tempore: quia ex quo actualiter mouet tẽpus illius motus certũ est secũdũ se, signetur ergo, & tũc procedatur iuxta tex. 79. octaui Phyſic. & venietur ad hoc, quod motus infinitæ velocitatis erit in æquali tẽpore cum motu finitæ velocitatis (vtpote à virtute finita facto) qđ est impossibile. Idem est ergo mouere actu infinitè velociter, & mouere in non tempore. Vel medio modo, s. ꝙ nunquã moueat tanta velocitate A mobile, quin possit illud velocius mouere. Hæc autẽ tria aliter se habent ad potentiã motiuam infinitã absolutè, & aliter ad eam in magnitudine. Ad potentiam siquidem motiuam infinitam in magnitudine, duo extrema comparãtur immediatè, ita ꝙ respectu talis virtutis nõ datur medium inter mouere in non tempore, & mouere certa velocitate.

¶ Ad potentiã vero motiuam infinitã absolutè, extrema hæc sunt mediata, ita ꝙ ſtat ꝙ moueat sic velociter, ꝙ tamẽ sẽper velocius mediata, ita ꝙ ſtat ꝙ moueat sic velociter, ꝙ tamẽ sẽper velocius mouere possit. Et ratio differentiæ est: qa virtutis extẽsæ quantũ est posse, tantũ necessario est facere: vt patet inductiuè, & consequẽter si est infiniti posse, ergo habet adæquatũ facere: aut ergo hoc est certa velocitate mouere, aut in non tẽpore: mouere enim sic ꝙ velocius possit, nõ esse adæquatũ virtuti patet. Virtutis vero motiuæ infinitæ absolutè nõ oportet q̃ũ est posse, tantũ esse facere: quia abſtrahit ab omni modo operãdi, & essendi: & consequenter abſtrahit ab hoc, ꝙ faciat secũdũ totũ posse, aut partem & tantùm vel tantum: & ideo non necessariò sequitur, quod si exeat in actum, ꝙ exeat in opus adæquatum. Notandum est quarò, quòd aliter agendum est ex infinita velocitate ad infinitam potentiæ motiuæ absolutè, & aliter econuerso. Ex infinita siquidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

velocitate, determinatè infertur, ergo potẽtia motiua est actu infinita: quia impossibile est aliter talem effectũ saluare. Ex infinita verò potentia motiua nihil aliud potest inferri: nisi, ergo põt infinita velocitate mouere: quia si aliquãta virtus motiua põt mouere aliquãta velocitate, maior põt maiore, & infinita, infinita. Sed quia posse mouere infinita velocitate cõtingit dupliciter, vno modo sic, quòd possit facere motum infinitæ velocitatis in actu alio modo sic, ꝙ possit semper facere maiorẽ velocitatẽ quacunq; facta velocitate, ideo nõ põt ex infinitate potẽtiæ motiuæ absolutè inferri determinatè, ergo ẽ actu infinita velocitas, sicut ecõuerso.

¶ His autẽ præmissis, dico quatuor. Primò ꝙ ex hoc antecedente A est virtus motiua infinita in magnitudiae, optimè sequitur, ergo mouet in nõ tẽpore: quia si non, ergo mouet adæquatè certo tẽpore ex tertio notãdo: & tunc sequitur iuxta deductionẽ Arist. ergo virtus finita & infinita secũdũ totũ posse mouent æqualiter. Secundò dico ꝙ ex hoc antecedente, A est virtus motiua infinita non sequitur necessariò, ergo, A mouet in non tẽpore: dicẽtibus enim ꝙ non, subinferri nõ potest, ergo mouet adæquatè in certo tempore: datur siquidẽ mediũ, s.ꝙ permittitur mouere A mobile tanta velocitate (puta decem horarũ) nõ tam adæquatè, sed potest semper velocius: vt patet ex tertio notando. Quod nõ potest dici, si virtus illa est in magnitudine: & ideo Arist. fundans demõstrationem suam super illa distinctione, aut mouet in non tempore, aut certo tempore: loquẽdo de adæquata operatione assumit ab aduersario virtutem motiuam esse in magnitudine: quia de tali constat, quòd oportet supponere aliquã velocitatẽ esse illi adæquatam: quod non oportet verificari de virtute motiua absolutè, quia abstrahit ab his. Tertiò dico, quòd ex hoc antecedente A est potentia motiua infinita, non sequitur non repugnãter, ergo motus in non tẽpore. Probatur hoc ex illo principio: impossibile in se ex rationibus terminorum, ex nullo deducitur possibiliter, ex quo non sequatur necessariò. Hæc enim est differẽtia inter cõsequens possibile & impossibile ex terminis: ꝙ possibile ex aliquo antecedẽte oritur possibiliter, ex quo non oritur necessariò: vt patet de velocitate motus respectu motus & mobilis. Impossibile verò nisi habeat connexionem necessariã cum antecedente ex illo oriri non potest: & hoc ideo est, quia impossibile ex terminis est impossibile simpliciter & omnino. Tale autẽ ex nullo oriri potest, nisi ex alio impossibili, ad qd conditionaliter sequatur, quòd sine necessaria connexione fieri nequit. Constat autẽ, quòd motus in non tempore claudit contradictionẽ ex terminis: si est enim motus, ergo in tempore: & si in non tempore, ergo non est motus. Et ex antedictis patet, quòd hoc impossibile non sequitur necessariò ex infinita potẽtia motiua: ergo nec sequitur impossibiliter.

¶ Sed accidit hic dubiũ ex triplici capite. Primò, quia id qd sequitur necessariò ad aliquid cum aliquo speciali modo essendi, sequitur permissiue & possibiliter ad illud absolutè, verò gratia: quod sequitur necessariò ad animal, ratione sequitur possibiliter ad animal: sed motus in non tempore sequitur necessariò ad virtutem motiuam infinitã habẽtem esse in magnitudine: vt patet, ergo sequitur possibiliter ad virtutem motiuam absolutè. Secundò, quia quum hoc argumẽtum valeat, Si aliquanta virtus motiua potest mouere aliquãta velocitate, ergo maior põt maiore, & infinita, infinita: & vlterius valeat, aliquãta virtus motiua potest mouere tanta velocitate, ergo potest facere tantam velocitatem actualiter & maior similiter maiorẽ: quare non valet, ergo si est infinita potest infinitã facere actualiter. Nulla enim ratio apparet differentiæ: & tamen oportet, si tenẽda sunt prædicta, negare illam vltimam consequentiã: quia vt patet ex dictis, posse facere velocitatẽ infinitam actualiter est idẽ ꝙ posse mouere in non tempore. Tertio quia etsi assignata sit ratio quare infinitæ potentiæ absolutè non oportet assignare adæquatum facere: quia, s. abstrahit à modis operandi: non tamen habetur, quare infinitæ potentiæ motiuæ absolutè repugnet mouere secundũ totũ posse. Si enim nõ repugnat dato quòd ex ea nõ sequatur necessariò nec possibiliter, habetur intentũ, quia si hoc sibi non repugnat, ergo est sibi possib le: possibili autẽ posito, nullum sequitur impossibile. Ex hoc autem sequereꝛur quod moueret in non tempore, vt patet: ergo.

¶ Ad primũ horũ dicitur ꝙ maior est sic modificanda: Illud quod sequitur necessariò ad aliquid cum aliquo speciali modo essendi compossibili illi primo, sequitur permissiue ad illud absolutè: sic enim est vera, & non aliter. Si enim aliquid iungatur cum aliquo sibi impossibili ex terminis, id quod sequitur ad coniunctum, vtrique partiũ repugnat: verbi gratia. Ad hominem aereum sequitur habere perfectissimum sensum tactus, non medium inter cõtraria: quod vt patet, non sequitur ex ratione hominis absolutè, nec aeris. Sic autem est in proposito: quia virtutem motiuam infinitam esse in magnitudine, implicat contradictionem, partésq; coniuncti non sunt compossibiles: vt ex iam dictis patet, & effectus necessariò sequens monstrat: scilicet motus in non tempore.

¶ Ad secundũ dicitur, ꝙ ratio differentiæ inter vltimam consequentiã & priores est: quia in omnibus prioribus proportionaliter adaptatur propria causa proprio effectui. In vltima autem nõ secundũ veritatẽ, sed iolã apparentiã: non enim proprius effectus virtutis potentis infinitã velocitate mouere, est actualiter mouere infinita velocitate: sed nulli certæ velocitati obligatum esse suum mouere, quantum est ex parte motiuæ potentiæ. Hoc autẽ saluatur, si sic possit in mouere actualiter, vt semper possit velocius mouere: vt patet. Et si quæratur quũ virtuti potẽti mouere velocitate vnius horæ proprio effectu assignetur mouere actualiter in vna hora & duplæ potentiæ potenti mouere in medietate horæ, proprius effectꝰ dicatur mouere actualiter in medietate horæ: quare virtuti potẽti mouere infinita velocitate proprius effectus nõ assignetur mouere actualiter infinita velocitate. Respõdetur, ꝙ hoc ideo est, quia quãdocũque quantitati virtutis põt dupliciter attribui quantitas operis, & altero modo est impossibile propter implicationẽ cõtradictionis in ipso opere, altero verò est possibile, dicẽdũ est, ꝙ effectus ꝓprius illius est ille, in quo saluatur modus possibilis. Verbi gratia, & est exemplũ theologicũ: dicimus quòd virtus creatiua Dei est infinita, non solum ex parte modi agendi, sed ex parte creabilium, non tamen saluatur infinitas in creabilibus, sic Deus possit creare aliquod infinitũ ens, sed sic: quia quacũque creatura facta potest facere perfectiorem. Quum ergo in proposito inter virtutem motiuã quamcunque, finitã & infinitam respectu velocitatis motus hæc sit differentia, quod finitæ virtutis quãtati vno modo & illo possibili, respondet quantitas velocitatis in effectu, scilicet faciendo illam actu: infinitæ verò virtutis quantitati duobus modis quãtitas velocitatis respondere videtur: scilicet faciendo infinitã in actu, vel mouẽdo absque obligatione ad certam velocitatem: & primo modo infinita velocitas effectus rationem habere non potest, quum sit de genere impossibilũ ex terminis, secundo modo infinitæ proprius effectus est.

¶ Ad tertiũ dicitur, quòd infinitæ potentiæ motiuæ absolutè, repugnat mouere actualiter secũdũ totũ suũ posse quo ad velocitatem motus, non autẽ quo ad durationẽ eius: quia operatio talis est de genere operationum impossibilium ex terminis. Et id, ꝙ multos in materia ista decipit, est, quia assumitur talis motio vt operatio quædã, & quare infinitæ potentiæ motiuæ repugnet, quæritur: quum tamen, vt ex dictis patet, non sit de genere operationum, sicut nec alterare cœlum. Nec ex his imponas mihi, quòd dicam infinito posse non posse attribui adæquatum operari actualiter. Hoc enim ex dictis nostris diligenter inspectis non habetur: sed tantũ quòd in finito posse motuo, non potest respondere adæquatum operari actualiter, quo ad velocitatẽ motus. Ex hoc enim non sequitur vniuersalis negatiua, ergo non potest respõdere adæquatum operari: istat nanque quòd respondeat infinitum operari quo ad durationem motus: & quo ad operationes immanentes, s. intelligere & amare. Vnde ad quæsitum cum distinctione dicendum est, quòd infinita potentia motiua potest referri ad motus velocitatem, & ad eius durationem. Et primo modo repugnat sibi mouere secundum totum suum posse, quia ista non est operatio, sed quid ẽ̃ plus quàm chimæricum. Secundo modo, non repugnat, imò de facto conuenit, vt ex dictis patet.

¶ Quartò dico ꝙ ex hoc antecedente, A est virtus motiua infinita agẽtis liberi, non põt inferri, ergo mouet, aut põt mouere in non tẽpore: dicã enim in illo tẽpore mouere põtanꝫ adæquato effectu, sed mouet semper certo tẽpore sicut eligit: nõ tamẽ sic quia quãtũ est ex ratione virtutis, possit velocius mouere. Quũ enim ex ratione potentiæ motiuæ infinitæ absolutè, nihil aliud sequaꝫ, nisi ꝙ ta tãta potẽtia põt mouere tanta velocitate, & maior maiore, infinita põt infinita velocitate mouere: & hoc contingat dupliciter, s. aut ꝙ possit exire in actũ secũdũ faciẽdo infinitã velocitatẽ, aut ꝙ sic temp possit, vt nũquã exeat in actũ secũdũ, faciẽdo aliquã velocitatẽ, quin possit adhuc facere maiorẽ: & ex ratione potentiæ motiuæ infinitæ absolutè nõ necessariò sequaꝫ, ꝙ possit exire in actũ primo modo: & ex hoc ꝙ est agentis liberi, necessariò sequatꝫ quòd exeat in actũ secundo modo. si debeat exire in actum, cõsequẽs est, quòd non ex infinita potentia motiua agentis liberi absolutè cõsiderata, nec ex ipsa sumpta cum tali modo agẽdi deducatur necessariò, ergo motus in non tempore. Et consequenter quũ omnis cõditionalis non vera sit necessaria, ista conditionalis est vera: si daꝛur virtus motiua infinita agẽtis liberi, posset dari motus in nõ tempore. Et sic patet ad secundã ꝓbationem illius minoris, qd dicendũ sit, s. quòd falsum est, ꝙ ex ratione infinitæ potentiæ motiuæ, absolutè sequatur, ergo motus in non tẽpore. Tertium, quod habet hæc secunda opinio est, quod non potest aliter saluari infinita potentia in rerum natura, nisi ponendo ipsam agere liberè, eo quòd aliter sequereꝛur motus in non tempore. Sed hoc non est dictum commune, vnde nõ videtur rutum sequi illud: præsertim, quia (vt ex dictis & dicendis apparet) à multis illustribus viris saluatur, etiam si Deus non ageret liberè.

¶ Tertia verò opinio quã S. Tho. 8. Phy. protulit in lucem: dicit, ꝙ sola distinctio modi essẽdi, sin magnitudine, vel extra, sufficit ad saluandam virtutem motiuã infinitam absq; motu in nõ tẽpore, quicquid

quicquid fit de modo operãdi. Ita ꝙ secundũ eã quãuis ista conditionalis sit vera, si virtus motiua infinita est in magnitudine, daꝛetur motus in nõ tẽpore: ista tamen est vera, si motiua virtus infinita est extra magnitudinẽ, daretur motus in nõ tẽpore. Et fundamentũ huius est: quia veritas primæ cõditionalis fundatur super tribus. Primò, super infinitate motiuæ potẽtiæ, ex qua habetur ꝙ possit mouere infinita velocitate. Secũdò, super modo essendi eius in magnitudine, ex eo quòd habetur quòd quantũ est posse, tãtum est operari. Tertiò, super hoc quod effectꝰ nõ est dignior sua causa ex quo habetur, si aliqua virtus est in magnitudine, eius adæquatũ opus põt recipi in magnitudine. Ex his enim tribus cõsurge re veritatẽ illius cõditiõalis patet ex eo, ꝙ si quodcũq; horũ triũ desit, cõditiõalis nõ est vera. Si enim deest infinitas potẽtiæ motiuæ, nunquã deducetur motus in nõ tẽpore: similiter si nõ ponitur in magnitudine, seu operari tantũ quãtum põt, nũquã deducetur motus in nõ tẽpore: & nihil minus, si non ponitur ꝙ operetur in passo capaci ad æquatæ operatiõis illi' potẽtiæ, nũquã sequeretur mot' in nõ tẽpore: quẽ cõstat nõ sequi nisi ex motione adæquata potentiæ motiuæ infinitæ. In operationibus siquidem transeuntibus nõ solũ impeditur operatio, & eius quãtitas ex parte potentiæ actiuæ, sed ex parte passi. Cõstat autem ꝙ propriũ passiuũ motiuę virtutis, est mobile in actu: ꝙ oportet esse actu quãtum & corpus, &c. vt patet 6. Phys. tex. 32. & ideo nisi ponatur, ꝙ adæquata motio virtutis motiuæ infinitæ assumptæ in antecedente possit recipi in corpore in actu, seu in magnitudine) idem enim sunt in proposito) non põt deduci, ergo mouet in nõ tẽpore: & quia hoc non ponitur potest absolutè, quia est impossibile: ideo oportet poni vt sequens ex antecedente aduersarij: habetur autẽ, vt iam diximus ex illo, quia causa non est indignior effectu. Ex his autem patet, quare secunda conditionalis. s. si virtus motiua infinita esset extra magnitudinẽ, daretur motus in nõ tempore, nõ est vera: quoniam deficit sibi tertia conditione. non enim oportet virtutis existentis extra magnitudinẽ dari adæquatũ opus in magnitudine, & ratio est: quia virtus immaterialis comparatur ad omnia quãta, vt vniuersale ad particulare nõ in prædicando, sed potius in essendo & causando: nec est rationabile vt materiale possit totam immaterialium virtutẽ adæquare. Vnde ad maiorẽ horum euidentiã considerandũ est, ꝙ motus relatus ad infinitã potentiã motiuã in magnitudine & extra, diuersimodè cõparetur. Illi quidẽ vt effectus proprius causæ particulari & propriæ, huic verò vt effectus particularis causæ vniuersali (quemadmodũ liquefactio ceræ virtuti Solari) quia motus est effectus in corpore: & consequenter fit à virtute corporea, sicut ab vniuoco: à virtute verò immateriali, sicut ab æquiuoco & vniuersali: & ideo sicut ridiculũ esset ex quantitate virtutis Solaris inferre quãtitatẽ huius particularis effectus, vt adæquantem virtutẽ solis, ita rationabile est ex quantitate virtutis immaterialis inferre quantitatẽ huius effectus particularis, qui est velocitas motus tanquã effectũ adæquatũ. Considerandũ rursus est, ꝙ inter potẽtiã motiuã infinitã in magnitudine seu absolutè: & potẽtiã motiuã infinitã incorporeã hoc interest, ꝙ illa aut nihil aliud per se dicit: nisi principiũ motus, vt patet si ſumatur absolutè, aut si aliquid aliud addit, nihil addit eleuãs ipsam supra rationẽ proprij principij motus: vt patet si ſumatur in magnitudine. Ista aũt est hoc, ꝙ immaterialis ordinis ponitur, supra rationem proprij principij motus eleuatur, sicut & supra corporalia. Propter ꝙ ex hoc ipso, ꝙ ponitur extra magnitudinẽ, sequitur quòd non per se primò respiciat motus velocitatẽ, qui est corporeus effectus, quemadmodum faciunt virtutes corporales, sed altius quid per se primò aspiciat, & secundariò & quasi per accidẽs motum. Vnde fit, vt infinitas virtutis motiuæ si esset in magnitudine motus, velocitate necessariò manifestaretur. Infinitas autem virtutis motiuæ existentis extra magnitudinẽ non: quia. s. infinitas potentiæ in magnitudine est per se primò particularis principij motiui: infinitas verò potentiæ extra, est per se primò rei eleuatæ supra ordinem principiorum motiuorum particulariũ. ac per hoc latius quid respicit vt adæquatum motum quã velocitatem motus. Imaginandum est enim quòd res illa infinita extra magnitudinem, quamuis habeat in se vnde possit mouere: hoc tamẽ opus non per se primò respicit ad illa, sed aliquid altius: quia vt pluries dictum est, motus per se primo est actus corporis, virtus autẽ illa eleuata est sicut supra corpora, ita super omnia corporalia per se primò: quod dico propter ens & bonum, & alia huiusmodi: quæ etsi sint corporalia, non tamen per se primo: & ideo non oportet si virtus illa est infinita, velocitatẽ infinitã posse ab ea prouenire. Ex duobus ergo falsificatur secundũ S. Tho. cõditionalis ista. Primò ex eo quòd virtutem extra magnitudinẽ non oportet habere adæquatũ facere suæ virtuti, quũagat per intellectum: vt dictum est in secũda opinione. Secũdò ex eo quòd cõsiderata virtute infinita extra magnitudinẽ non considerato modo operãdi, sequeretur, ergo daretur motus in nõ tempore: quia nõ posset fieri motio quo ad velocitatẽ adæquatã virtuti motiuæ: quia moueret corpus in actu, puta cœlũ, quod non esset capax motionis adæquatæ illi virtuti, nec absolutæ, quia hoc implicat: nec ex hypothesi datæ, quia infinita potẽtia nõ est cõcessa in magnitudine, sed extra.

¶ Contra hãc autem opinionẽ dupliciter obiicitur. Primò, quia si ex sola incorporeitate virtutis motiuæ infinitæ habetur sufficiẽs ratio falsitatis secundæ conditionalis, manifestè sequitur ꝙ non refert, si ponatur, virtutem illam esse motiuã necessariò, dummodo ponatur incorporea: stat enim ista duo simul, nõ enim est impossibile virtutẽ immaterialem esse necessariò motiuam, vt Arist. & Philosophi tenẽt de animabus orbium. Ex hoc autẽ quæratur in quanto tempore moueret virtus infinita extra magnitudinem mouens secundum totum posse, & signetur illud tempus, & tunc procedatur iuxta text. 79. octaui Physic. deducendo ad impossibile, quòd æqualiter mouẽat virtus finita & infinita. Secundò, quia hoc est expressè contra Auer. in secundo cœli, com. 18. & 71.

¶ Ad primum horum dicitur, ꝙ istę duæ conditionales distant sicut cœlũ & terra. Si infinita potentia motiua esset extra magnitudinẽ, moueret in nõ tẽpore, & si infinita potentia motiua existẽs extra magnitudinẽ, moueret secundum totum suum posse, moueret in non tẽpore. Secunda enim est vera: quia in antecedẽte eius iam ponitur ipsam secundum totum posse actualiter mouere, & consequẽter habere mobile talis motionis subiectum: quum motus sit actus mobilis, ac per hoc in hac conditionali saluãtur tres antedictæ cõditiones. In alia verò non habetur ex hypothesi antecedentis, mobile capax toties posse, & ideo est falsa ex defectu tertiæ conditionis. De illa autem conditionali super quã firmatur argumentum, s. si esset extra magnitudinẽ infinita virtus motiua, necessariò daretur motus in non tempore: dicenda sunt duo. Primò, quòd est impertinens proposito: quia non habetur ex dictis S. Th. Multum enim refert, posita virtute infinita incorporea, loqui de ipsa, & cõsequentibus ad ipsam vt sic, abstrahendo à quibuscũq, aliis, quæ non necessariò ipsam infinitã & incorpoream comitãtur: & loqui de ipsa, addendo sibi ſpecialẽ modũ agendi. s. necessariò. Primo enim modo est sermo S. Th. & non secũdo, & primus nihilominus modus nihil ponit incompossibile, secundus verò forte adunat incõpossibilia: quia quamuis virtuti incorporeæ non repugnat esse necessariò motiuam, & velocitatiuam motus, repugnat tamen forte virtuti incorporeæ, infinitæ, vnde non oportet de illa cõditionali solicitum hic esse. Si tamen de veritate eius quæratur, dicẽdum secũdò videtur, ꝙ est falsa eadẽ ratione, qa. s. ex hypothesi antecedẽtis habetur ꝙ in mobili posset recipi adæquatus effectus illi virtuti. Vt enim iam infinities tactum est, motus in non tẽpore est quoddã impossibile ex terminis, & non sequitur nisi ex aliqua hypothesi impossibili: quam requirere illa tria monstratum est. Et quũ cõtra arguebatur, ergo moueret in aliquo certo tẽpore, signetur illud, &c. & respondetur, quòd quia ex parte motoris nulla posset certitudo velocitatis determinari, quia nec ex libertate, nec ex finitate potentiæ, & in non tempore mouere non sequitur ex hypothesi: oportet dicere quòd si moueret, moueret ea velocitate, cuius mobile esset capax, puta si esset mobile nõ violentabile & capax motus 24. horarũ, tanto tempore moueret illud, & non minore. Et si cõtra hoc dicatur, signetur tempus illud: intrepidè assignetur, puta vna hora vel decem: hoc enim non refert. Et si procedatur deinde ad hoc quòd eodẽ tempore mouebit idẽ mobile virtus finita, & infinita, dicetur hoc nõ esse inconueniẽs, quando aliũde ꝓuenit, ꝙ ex virtute motiua. Incõueniens siquidem est, quòd virtus finita & infinita ex ꝓpriis meritis cõsideratæ moueãtur æqualiter: sed quando aliũde hoc prouenit, puta ex libertate agentis (vt secunda opinio dicit) vel ex parte mobilis: vt modo dicitur, vel ex mediatione alterius motoris, vt vltima opinio Auer. dicet, nullum inconueniens est.

¶ Sed sunt in hac respõsione adhuc duo dubia. Primum est, quia ex eo quòd in antecedente ponitur virtus infinita motiua, ponitur consequenter mobile adæquatum. Motiuum enim ad mobile refertur: vt dicitur quinto Meta. cap. de ad aliquid: & sic tertia cõditionalis est vera. Secundum est, quia licet tale vel tale mobile certam velocitatem sibi determinet: non tamen mobile in communi: & ideo comparando illam virtutem infinitam separatam necessariò agente ad mobile in communi, restat dubium, an moueret in non tempore, an certo tempore.

¶ Ad primũ horũ dicitur: quòd ratio illa tenet, quãdo vis motiua est eiusdem ordinis cum mobili: tunc enim ex suppositione tanti actiui, necessariò supponitur adæquatum proportionaliter passiuum. Quãdo autẽ supponitur tantũm actiuum altioris ordinis, non oportet tantũm passiuum supponere: quia quum passiuũ non respiciat nisi mediante actione transeunte (quam facit, vel facere potest in eo) & virtus altioris ordinis, sc. vniuersalis immaterialis, non oportet ꝙ habeat, aut habere possit aliquam actionem in passo corporeo sibi adæquatam: cõsequens est, ꝙ non necessario supposita tanta virtute motiua immateriali supponatur mobile adæquatum ꝓportionaliter. Vnde licet motiuũ dicatur ad mobile vniuersaliter, tãtum tamen non dicitur ad tantum mobile vniuersaliter: sed quando motiuum est eiusdem ordinis cum mobili.

¶ Ad sec

¶ Ad secundum dicitur, quòd quamùis docuerit Arist. in Physicis motorem in communi mobili in cõmuni comparare, & quicquid contradicit talibus in proportionibus esse impossibile: non tamen didicimus comparare mobili in communi motorem cõtractum: qualis est iste, de quo loquimur, motor enim est separatus à materia. Vnde tali motori attribuendum est tale mobile: puta cœlũ, & non mobile in communi. Constat autem quòd tale mobile aliquam cibi certam velocitatem determinat: vt dicitur secundo cœli, text. 39. Et si curioſe quęratur quid dicendum sit ad aliud quęsitum, dicendum est, quòd si ille motor applicaretur corpori mobili absolutè, quòd moueret nulla certa velocitate. Et si dicatur, hoc est impossibile, concedatur. quia etiam antecedens est impossibile: nec est à nobis vnquam concessum.

¶ Ad alteram obiectionẽ, qua dicebatur hãc tertiam opinionem esse cõtra Auer. dicitur dupliciter. Primò quòd nõ est verum nisi per accidens. Auerrois enim ideo dixit, quòd si anima cœli esset infinitæ virtutis, moueret in non tẽpore: quia supponebat ipsam necessariò mouere: vnde ex modo agendi supposito tenet apud ipsum cõsequentia. S. Thom. autẽ loquitur de virtute infinita incorporea, abstrahẽdo à modo operãdi: ideo in hac opinione non sunt contrarij per se. Et si dicatur, saltẽ habetur, q̃ secundũ Auerroim illa tertia conditionalis est vera. Dicitur secundò quòd hoc est verum: nõ tamen propterea est relinquenda: quoniã maior est autoritas rationis, quàm sit Auerrois & omnium philosophorum simul. Et puerorum non philosophorum est sequi dicta alicuius, credendo quòd non dixit hoc absq; magna & sufficienti ratione: & relinquere argumenta ad oppositum necessaria aut prope.

¶ Quarta opinio ab Auerroe duodecimo Metaphysicorum, com. 41. explanata: duabus distinctionibus cẽset agere positionem, dicentem virtutem motiuam infinitam absque motu in non tempore. Prima est modi essendi: vt scilicet ponatur immaterialis, & non in magnitudine. Secunda est modi operandi: vt scilicet moueat mediatè, & non immediatè. Supponit enim omnia immaterialia agere naturali necessitate: & sic dicit, quòd ideo non sequitur motus in tempore, si ponatur primus motor virtutis infinitæ: quia ille mouet mediante anima cœli, modificante in effectu velocitate: scilicet motus, infinitatem primi.

¶ Sed hæc opinio à S. Thom. & Aegidio octauo Physic. arguitur insufficientiæ: à Scoto autem in primo sentent. distinct. octaua, q̃. vlt. ratione vlt. arguitur falsitatis. Insufficiens quidem dicitur à S. Thoma: quia quum Arist. sexto Physic. duos effectus attribuerit infinitati virtutis, scilicet mouere tempore infinito, in text. 78. & mouere in non tempore, in textu septuagesimonono. & Auer. ponendo infinitam virtutem, ex mediatione motoris finiti dicat impediri motum in non tempore, & non impediri motum in infinito tẽpore: imò dicit quòd quia ille primus motor est infinitæ motionis, ideo mouet tẽpore infinito: & quia ibi est alius motor finitus, ideo mouet in certa velocitate. Restat assignanda ratio quare mediatè mouere non impedit infinitatẽ temporis sicut impedit infinitatẽ velocitatis: quod Auer. nõ fecit. Ab Aegidio verò: quia si Deus moueret immediatè, non propterea moueret in non tẽpore: quia motus in non tempore est de genere impossibilium. Falsa autẽ dicitur, quia virtus infinita habet omnẽ perfectionem causæ efficientis, quã habet ipsa cum causa secunda proxima: & ideo sequitur q̃ immediatè potest causare omnẽ illum effectum in cœlo per se, quẽ potest cum anima, ergo & causat, si necessariò agit quicquid potest: vt supponitur: & vltra, si causat illud immediatè, ergo in non tempore: quia virtus infinita agens secundum vltimum virtutis suæ & immediatè non potest agere in tempore.

¶ Ad horum autẽ primum dici potest, q̃ quamuis difficile sit reddere illius quæsiti rationẽ: non tamẽ est impossibile. Difficile quidẽ: quia ratio eius non potest sumi ex eo, quòd infinitas temporis sit effectꝰ possibilis, infinitas verò velocitatis impossibilis. Ex hoc enim non habetur quare mediatio impediat sequelam huius, & non illius, licet habeatur quare illud possit fieri, & non hoc. Nec potest sumi ex eo quòd aliter attribuitur infinitæ potentię infinitas tẽporis, & aliter infinitas velocitatis, s. q̃ illa attribuitur infinitæ potentiæ, siue in magnitudine, siue extrathæc autẽ in magnitudine tantum, quoniã dato q̃ hoc sit verum, apud Auerroim reputatur falsum. vt patet ex dictis: & ideo solicitus fuit de virtute immateriali infinita, quare nõ mouet in non tempore, & potuit mediationẽ motoris. Nec potest sumi ex eo quòd virtus velocitatiua in infinitũ non est cõmunicabilis, virtus autẽ cõtinuatiua in infinitum est cõmunicabilis. qm̃ hoc est falsum loquendo de virtute per se continuatiua in infinitũ: qualis est virtus primi motoris.

¶ Impossibilis autẽ non est: quia potest sumi ratio ex eo, quòd ad hoc vt infinitas temporis perueniat ab infinita virtute, sufficit per se primò respici ab illa, quod mediatio motoris non aufert: mediatio enim causarum non aufert perfectatem causalitatum.

¶ Non enim ex hoc, q̃ Sol & homo generãt hominẽ tollitur perfectas causalitatis Solis respectu proprij effectus, quem habet in homine, ad hoc autem quòd infinitas velocitatis proueniat à virtute infinita, ex igitur quòd virtus illa absque vlla modificatione attingat motũ. Hoc autẽ motoris mediatio tollit: quia virtus primi motoris modificata in secundo, & nõ in sua illuminatione attingit motũ. Et sic ex vi mediationis satisfieri videtur quæsito, & sufficiens reddi responsio data. Ad Aegidium verò dicitur, quòd illa ratio non excludit, quia illa cõditionalis sit vera, Si Deus virtutis infinitæ moueret immediatè, moueret in nõ tẽpore, supposito eo quod supponit Auerrois, scilicet agat secundum totũ suum posse: vnde impossibilitas cõsequẽtis nihil aliud cõcludit, nisi q̃ antecedẽs est impossibile: cuius oppositũ probandũ erat ab Aegidio, si ex impossibilitate cõsequẽtis reprehẽsione dignꝰ eẽ debatur Auerrois

¶ Ad secũdũ aũt dicitur, q̃ aliud est loqui de pfectiõe causæ, aliud de modo causandi: nec licet ex perfectione causæ ad modũ causandi inferẽdo digredi, sed cõmittitur sophisma figuræ dictionis. Vnde ex hoc quòd primus motor est non minus perfectæ virtutis quã ipse cum anima cœli simul, non licet inferre, ergo eodem modo potest solus facere, quod facit cũ anima cœli: quia aliud est posse, aliud posse tali modo. Et similiter non licet inferre, ergo potest immediate facere quicquid potest facere cũ medio: quia immediatè agere ad modum agendi pertinet. Et si quæratur vt arguendo dicebatur, vnde põt reddi ratio, q̃ virtus infinita sit alligata tali modo mouẽdi. s. mediatè: dicerẽt Auer. quòd hoc nõ est ex defectu potẽtiæ, sed ex essentiali ordine cõnexionẽque causarum & effectuũ vniuersi, vt in eo saluetur vtrunque. s. & perfeitas causalitatis primi, depẽdentiáque aliorũ ab eo, & distinctio causarum effectuúmque cũ illarum efficacia & istorũ depẽdentia ab illis. Nihil enim horũ necessariò saluaretur in vniuerso, ordóque vniuersi necessitate careret, si primus motor infinitæ virtutis non esset necessaria cõnexione coniunctus mediis causis in causando. Et si cõtra hoc instetur, quia, vt dicitur in prima propositione libri de causis, causa prima plus influit & prius in effectũ quã secũda, ergo si est infinita & agit naturaliter, in primo signo totum effectum totaliter causat, q̃ sic non remanet ad quid actio causæ secundæ terminetur. Responderi potest, q̃ ex hoc q̃ causa prima plus & prius natura influit, quã secũda, nõ habetur, ergo totaliter causat ipsum quantũcunq; ponatur infinita & naturaliter agens, accipiendo ly totaliter, ex parte causalitatis. Tum quia non causat ipsum omni modo, quem effectus exigit ad sui factionem natura lem, nec ex eo q̃ totus effectus causatur ab vna causa, habetur, aliæ causæ nihil faciunt, quia faciunt idẽ realiter alio modo. Non enim ideo dantur plures causæ essentialiter ordinatè eidem qua aliquid eius fiat ab vna, & aliquid ab alia: sed vt totus effectus secũdum quãlibet sui rationẽ habeat propriam, & per se primò causam, quamuis totius à qualibet fiat secundũ tẽ. vt superius dictum est. Tum quia infinitas causæ primæ non largitur necessariò nisi efficaciam causalitatis eius in suo ordine. verbi gratia, Quantumcunque ponatur Solis virtus infinita, ex hoc non habetur, quòd ipse absque homine posset producere hominem: sed q̃ effectum proprium in homine efficacissime sortiretur. ita quãumcunque ponatur diuina virtus infinita & necessariò agens, ex hoc nõ subtrahuntur actiones secundorũ agẽtium, sed ponitur ipsam omnibus coagere ad omnia, quæ illa agunt alio modo, & saluatur aliquẽ effectũ (puta sempiternitatẽ) habere per se causam, & ꝑ priũ effectũ primi esse intimum & primũ in quolibet effectu. Illud aũt q̃ ibi dicitur, q̃ in primo signo effectꝰ totaliter est à prima causa, &c. imaginarium magis, quã philosophicũ quid sonat: non enim alia ratione Philosophi (secundũ quorum intẽtionem loquimur) dicunt primã causam plus & prius influere in effectũ causæ secũdæ, quam secundam, nisi quia per se primò effectus primæ causæ communioris & intimioris ac prioris rationem habet in effectu, vt patet in ꝓpositione adducta & eius cõmento. sicut verbi gratia causans per se vitã in homine, magis & priꝰ dicitur influere in hominẽ quam causans per se animalitate in eodẽ: quia illud est intimius prius & cõmunius. Ex hoc aũt nõ habetur, quia in illo priori totus effectus secũdũ omnẽ rationẽ habet sufficientẽ causam per se, & q̃ aliæ superfluant: etiam si dans vitam, esset virtutis infinitæ, dato etiam quòd speciali causalitate attingeret hominẽ. q̃ tamen est erroneum in philosophia: quia causa prima non attingit effectum causæ secũdæ, nisi media actione causæ secũdæ: quãtis magis & prius propter rationem dictam. Colligẽdo ergo respondeo ad primũ argumentum principale, dicimus tripliciter responderi posse, vel tenẽdo, primum motorem mouere libere, vel nõ cõsiderando, hoc tenẽdo, ipsum esse immaterialem, vel tenendo ipsum mouere mediatè. Et quòd nulla harum Arist. repugnat, Auer. autem sola prima, quamuis tertia ab ipso habeatur.

¶ Ad secũdũ argumẽtũ principale dicitur, q̃ tenẽdo viã Auer. de necessaria cõnexione virtutũ agẽtiũ, &c. manifeste patet, q̃ nõ ponitur in rerũ natura aliq̃ possibile secũdũ potẽtiã actiuã, quin ponatur secũdũ potẽtiã passiuã, & q̃ infinitati potẽtię diuinę rñdet potẽtia passiua cœli ad sempiternitatẽ motus: nec est ali⁹ effect⁹ in motu possibilis ex illa virtute accepta, secũdũ oẽs conditiones necessario ipsã comitates in rerũ natura. Tenẽdo aũt alias respõsiões iam pate

patet responsio dupliciter. Primò admittendo, quòd omnipotẽtiæ actiuæ respondet passiua: sed non quo ad omne q̃ esset absolutè possibile ex illa virtute fieri, & sic potẽtiæ infinitæ motiuæ respõdet potentia cœli quo ad sempiternitatem motus: non autem quo ad omnem gradũ velocitatis, qui posset fieri ex illa virtute absolutè. Et huius ratio ex dictis haberi potest: quia potentiæ actiuæ vniuersali altioris ordinis, non oportet respõdere passiua corporeum capax totius eius virtutis quo ad omnia: quia nõ per se primò respicit effectum particularem: vt dictum est, & est philosophiæ principiis satis consonũ. Secũdo potest dici, quòd licet omni potentiæ actiuæ respondeat possibile, non tamen potẽtia passiua, vt patet de productione intelligentiarum à Deo: siue ab æterno, siue in tempore. Et hoc propter rationẽ dictam. Nec tamen oportet respondere aliquod vnum possibile adæquatũ: sed, vt ex dictis patet, virtuti infinitæ respondet infinitũ possibile, non sic q̃ possit produci aliquod infinitũ nisi duratione: sed si: q̃ nullis finibus possibiliũ producibile ab ipsa arctatur: sed quocũq; producto potest perfectius producere, quantũ est ex ratione virtutis actiuæ. Et hoc modo quantitas virtutis in effectu manifestatur: & nõ primo modo tantùm. Quod verò in vltima confirmatione dicitur, proportionaliter intellectum propositũ magis cõfirmat, quàm impugnat: quia quemadmodũ mobile infinita velocitate potest dupliciter intelligi (vno modo q̃ possit actualiter infinita velocitate moueri, alio modo sic q̃ quacũque velocitate motũ potest velocius moueri) & primo modo impossibile est ponere mobile, secundo verò est possibile: ita est de motiuo: q̃ scilicet impossibile est dare motiuum infinita velocitate primo modo, sed secundo tãtùm: q̃ etiam oportet esse infinitæ virtutis. Et aduerte, q̃ de facto secundũ philosophos huic argumẽto dicẽdũ est, quòd potentiæ infinitæ respondet in rerum natura effectus infinitus, scilicet tẽpus infinitũ motus cœli per se productũ: & potentia passiua cœli ad hoc. Et q̃ hoc est sufficiens manifestatiuum infinitatis: vt patet ex dictis. Cætera autem pro verè philosophantium quiete dicta sint.

¶ Ad tertiũ principale dicitur, q̃ licet solo tertio modo arguatur ibi secundũ mentẽ Auer. & nec etiam illo modo habeatur intentum, attamen singulis ordinatè respõdendum est, præmissa prius intentione illorum verborum secundũ veritatẽ. Intẽdit igitur ibi Auer. loquens de proximis motoribus orbium, non excludere infinitatẽ vigoris à Deo: qui nullius orbis est anima, sed concludere infinitatem vigoris non sequi ad motorem tempore infinito: ex hoc quòd motor infiniti vigoris habet necessariò infinitã potentiã, & consequenter infinitam naturã. Ex hoc enim sequitur quòd si motor tempore infinito necessariò esset infiniti vigoris, & haberet & potentiã & naturã infinitã. Et quũ plures sint motores tempore infinito, sequeretur vlterius, quòd expositione pluriũ motorũ cœlestiũ tempore infinito, non haberẽtur propria naturis motoribus: sed hoc tãtum, quòd sunt motores infiniti. Et sic vlterius sequeretur, quòd nõ esset ibi multitudo motorũ, nec diuersitas proportionum motorum ad mobilia, sed motus in non tempore, &c. Et tenẽt cõsequentiæ vt ibi: quia tunc illi motores cõuenirent in natura & potẽtia infinita intẽsiuè, quẽadmodum modo de facto conueniunt in imũobilitate: ex qua habẽt quòd possint cõtinuare motum tempore infinito. Et sic nõ esset vnde differrẽt adinuicem. Hæc est sententia Auer. ibidem: vt patere potest cuilibet exercitato, ex qua non habetur primum motorem esse vigoris finiti. Ad primum ergo modum arguendi ibi tactũ, dicitur q̃ non sunt in eo tot verba quot errores. Cõsequẽtia primò nihil valet. Propositio deinde dicens, q̃ quælibet pars infiniti est infinita, licet sit vera de parte aliquota, non tamen iuuat tum alia coassumpta, scilicet infinitum non est maius alio infinito. Patet enim in quantitate permanente, q̃ si ponatur linea infinita vtrinque versus oriẽs & occidens, & secetur in directo puncti meridiei, q̃ vtraque pars est infinita, & tota est maior vtraque parte. Et similiter in quantitate successiua, si secetur in termino decimæ horæ huius diei totum tempus ætẽrnum: vtraq; pars est infinita: & tamẽ totum tempus est maius qualibet earũ. Falsum est ergo cõparãdo infinitum simpliciter infinito secundũ quid, quale est pars aliquota infiniti, q̃ vnũ nõ sit maius alio: & quia talis est cõparatio in ꝓposito notro; patet nihil cõcludi. Et vt ostẽdatur quantus error in hoc sophismate lateat, adhuc declaratur, q̃ etiã cõparando infinitũ simpliciter stat vnum esse maius alio. Numerus enim reuolutionum Lunæ est maior numero reuolutionum Saturni (& loquimur de motu proprio, & tamen vterq; est infinitus secundum ponentes motum ætẽrnum. Antecedens patet, quia singulis reuolutionibus Saturni respõdent amplius trecentæ sexaginta reuolutiones Lunæ: quoniã ille singulis triginta annis vnã cõplet: illa verò vigesimo octauo quoq; die vel circa suam peragit. Vnde diuus Thom. præclarè docet in tertia parte, quæst. 10. ar. 3. ad tertium, q̃ non est proprietas infiniti non excedi simpliciter, sed non excedi in illo ordine, in quo ponitur. Et fundat hoc super text. 37. & 38. tertij Physi. vbi dicitur, & infinitum non est vt substantia, sed vt accidẽs quærendũ: accidentis autẽ proprium est qualificare id, cuius est accidens. Et propterea quẽadmodum infinitas adueniens alicui, puta diebus, non infinitat nisi numerum dierũ: ita impossibilitas infinitatem consequens non ponitur nisi ordine dierum. Et propterea infinitis diebus simpliciter, non possunt dari plures dies: sunt tamẽ multo plures horæ illorũ dierũ quã ipsi dies. Et similiter infinitis horis non dantur plures horæ: sunt tamen multo plura minuta illarũ horarũ quã horę ipsæ. Nec has quoq; esse videtur, cõditiones totius & partis in partibili & sumitur perfecto, ac per hoc vocato quanto virtualiter, requirere: quum non maius quid sit totũ hoc: Deus bonus, sapiẽs, viuus: quã hoc solum, s. Deus: aut econuerso: siue ponatur finitæ, virtutis siue infinitæ: quia non est æqualis: sed eadem est perfectio rei illius, & omniũ quæ eius sunt. Ad secundũ verò modũ arguendi dicitur, q̃ sicut tactus quãtitatiuus, quia secũdũ extrema est expellitid, in qđ fertur, tactus autẽ virtualis, quia interiora penetrat, magis conseruat & firmat si contrarius non est tacto: ita infiniti corporei proprium est sic omnia occupare, vt omnia excludat, nihil secũ cõpatiens: infiniti verò virtualiter, & proprium est sic omnia implere, vt ea faciat virtuosa & cooperãtia, & modificãtia illuminationẽ suam in effectibus. Vnde ex infinitate virtutis non excluduntur alia actiua, sed magis ponuntur: vt superius quoq; dictũ fuit. Ad vltimum autẽ dicitur, q̃ dupliciter potest poni distinctio formalis. Vno modo sicut aliqua participãtia aliquid, propriùs constitutiuis diuersificantur: sicut homo differt ab equo, & albedo à nigredine. Alio modo sicut aliquid per essentiam distinguitur ab aliis, quæ sunt talia per participationem: sicut homo separatus distingueretur à singulis hominibus. Distinctio primo modo est causa finitatis vtriusq; extremi: & de hac est sermo Auer. ibidem. Secundo modo non infert finitatem nisi vnius extremi, scilicet participantis tantùm. Illud autem quod est per essentiam, ex hoc ipso quòd pura est ab aliis distinguitur absq; aliquo finitante & contrahente. Et licet ab infinito nullum propositũ excludatur virtualiter, multa tamen excluduntur formaliter: quibus participantia ipsum ab ipso distinguuntur, excellentiori modo omnia præhabente.

¶ Ad quartum principale dicitur, q̃ consequentia nihil valet. Et ad probationem, concessa suppositione, negatur minor: s. quod distantium ab aliquo in infinitũ, alterũ non fit altero propinquius illi: vt patet manifeste, & in quantitate permanente, & successiua. In permanente quidẽ, si ponatur linea infinita ex parte Septẽtrionis, cõstat q̃ tam pars intercepta sub Tropico Cancri, & circulo Aequinoctiali, quàm pars intercepta inter circulũ Aequinoctialem & Tropicum Capricorni, in infinitũ distat à quantutate lineæ infinitę versus Septentrionem: & tamen dubiũ non est quin pars sub Tropico Cancri sit propinquior: quia minorem viam actura esset, si ad infinitam attingendam moueretur. In successiua verò, quum tam dies hesternus q̃ hodiernus in infinitũ differt ab æterno tempore præterito, constat tamen q̃ propinquior hesternus fuit q̃ hodiernus, & hodiernꝰ q̃ crastinus. Alioquin mundus quotidie non esset maioris duratiõnis, nec aliq̃d antiquius altero simpliciter: quę sunt cõtra sensum. Est autẽ ratio quare stat inter aliqua esse distantiam infinitãt & tamen vnũ altero magis distare, q̃ distantia illa non est infinita vtrinque, sed ex vna parte tãtùm, sicut contingit in proposito, & in distantiis adductis. Tunc enim & ex parte infiniti habetur ratio infinitæ distantiæ cæterorum ab illo, & ex parte finitorum habetur ratio maioris appropinquationis ad primum, vt patet in exemplis adductis: quia enim tempus præteritum est infinitũ, ideo infinita distantia est à parte ante inter singulos dies & ipsum: quia verò hodiernus dies finit hinc tẽpus elapsum, ideo est finita distantia à parte pòst. Et consequẽter ex ista parte potest accipi ratio, quare est propinquior ætẽrno ela psо, quàm dies crastinus. Et similiter est de distantia inter Deum & creaturas. Ex parte siquidem Dei infinitæ distantiæ ratio habetur: ex parte verò creaturæ distãtia finitur. Et ideo hinc sumitur, q̃ vna est propinquior altera primo entì infinito. Vnde posset cũ distinctione dici ad minorem, q̃ distãtia infinita est duplex: s. infinita vtrinque seu simpliciter, & infinita secundum quid, seu ex altera parte tantùm: & quòd quamuis primo modo sit vera, & secundo tamen est falsa: & sic est ad propositum.

¶ Ad quintum principale dicitur breuiter, q̃ omnes authoritates Auer. in hac re, exceptis illa octaui Physic. quia dicitur non esse virtutis finitæ nec infinitæ: loquuntur de motoribus proximis, id est animabus cœlorũ, vt ipsemet Auer. in comment. 41. duodecimi dicit: quum post distinctionem infiniti à finito subdit, q̃ proportio inter motorem, & mobilẽ in cœlestibus, est propter motorem finitum: & quod propter ipsum dixit Aristoteles in secundo Cœli, quòd primus orbis esset in labore, &c. Vel & clarius (licet in idẽ redeat) dicendum, quòd ideo sępe Auer. negat dari motorem infiniti vigoris, sic, quòd possit semper velocius mouere: non ex defectu potentię primi motoris, sed ex ordine essentiali causarum & effectuum, & finitate motorum proximorũ. Ex his enim fit, vt quẽadmodum negatur nono Metaphys. com. 7. Deum posse producere muscam, non ex defectu potentiæ, sed ex ordine essent

essentiali causarum effectuum exigente talem effectum fieri mediante corpore cœlesti mobili: ita nihil minus negari simpliciter ab ipso potest, q̃ motor aliquis possit semper velocius mouere. Non ex defectu potentiæ primi motoris, sed quia non potest mouere nisi mediante anime cœli, in qua modificatur virtus eius. Et sic nullus motor restat potens maiorem velocitatem facere: quamuis primus sit vigoris infiniti. Illud verò quod in commen. 69. octaui Physicorum dicitur, scilicet quòd motor immaterialis, nec infinitus dici potest: quamuis sonet quid falsum & ridiculosum, & propterea reprehensum sit à multis. Quidam extorquentes intelligunt ea ratione dictum de solo Deo, quia non est virtutis actiuæ, sed tantum mouet vt finis. Quidam verò, quia non est virtutis actiuæ respectu velocitatis motus, de qua ibi est quæstio: sed tantum sempiternitatis motus.

¶ Ego autem nolens Auerroistam facere, neq; me Auerroistâ, sed veritatẽ solã sequi (quãtũ cognoscere potero Deo concedente) puto id tũc voluisse Auer. q̃ sæpe mentẽ meã pulsauit, tanquam de Arist. officina venientẽ, scilicet q̃ virtutes immateriales non sunt quantæ virtualiter, & consequenter nec finitæ nec infinitæ. Non simpliciter, sed eo modo, quo sunt quantæ virtutes corporales, s. q̃ nõ sunt proportionales motibus, vt scilicet quantò maior motus, tãtò virtus immaterialis maior: quemadmodum est in corporalibus, sed sunt altioris ordinis virtutes. Et hoc modo saluari videtur processus Arist. 8. Physic. quia quum sufficienter excluditur ex text. 78. & 79. quòd nulla virtus corporea potest mouere tempore infinito ex eo quòd talẽ virtutẽ oportet esse infinitam, & ad hoc sequeretur motus in non tempore, & de facto supponatur virtutem motiuam cœli mouere tempore infinito: restat q̃ virtus illa sit extra ordinem virtutum corporearum, quarum nulla potest hoc facere: quia nec finita, nec infinita. Et consequenter habetur quòd sit impossibilis, & nec finita, nec infinita: etiam de virtuali quantitate loquendo, eo modo quo virtutes corporeæ: alioquin eo modo posset argui de virtute corporea, sicut de incorporea. Et secundum hoc quum in textu vltimo octaui Physicorum dicitur motorem cœli esse potentiæ infinitæ, ly infinitæ, purè negatiuè teneri debet, id est, nõ finitè. Hanc credo fuisse tũc mentẽ Auer. quã tamen quia vidit postmodũ nõ esse verã (vt ex supradictis examinando rationem Arist. & commentum 41. deduci ab exercitatis potest ex medio termino Arist.) ideo in 12. Metaph. commutauit in melius, admittendo ibi finitatem & infinitatem virtutis & proportionis.

Et sic sit finis præsentis quæstionis, anno Salutis, 1499. die 10. Septembris, Papiæ, in conuentu sancti Appollinaris: ad Dei gloriosi laudem & honorem, & eorum temeritatem retundendam, qui philosophiam suo ingenio metiri præsumentes, non verẽtur dicere virtutem infinitam non esse in rerum natura, quia est ens impossibile secundum principia philosophiæ. Iam enim patet, quòd nullo philosophiæ principio negato, non solùm sustentatur, sed etiam ex sensibilibus probatur. Erubescant ergo.

TRACTATVS TERTIVS, DE potentia neutra, & de natura potentiæ receptiuæ, in duas quæstiones diuisus.

1 *Num in rebus naturalibus detur potentia neutra.*
2 *Num potentia receptiua actuum supernaturalium sit naturalis.*

QVAESTIO I.

Vtrum in rebus naturalibus detur potentia neutra.

Ivxta primvm articulũ primæ quæstionis remansit tractanda quæstio de potentia neutra. Vnde quæritur, Vtrum in rebus naturalibus detur potentia neutra.

¶ Circa quam difficultatem quatuor agenda sunt. Primò declarabitur titulus quæstionis. Secundò ponetur opinio Scoti. Tertiò probabitur opposita opinio. Quartò respondebitur obiectis.

QVO AD PRIMVM, res naturalis sumitur hic vt distinguitur contra artificiales. Inueniri verò in rebus naturalibus, sumitur pro inuẽtione reali in singularibus naturalibus simpliciter. Et hoc ad differentiã eorũ quæ dicũtur in abstractione: sicut cõtingit de proprietatibus quãtitatis vt sic, & aliis similibus: quæ tamẽ in rerũ natura actualiter non inueniũtur. Potẽtia in proposito sumitur pro potentia receptiua. Neutralitas inclinationem naturalẽ respectu vtriusq; actus, scilicet huius & oppositi negat, non simpliciter, sed in potentia receptiua vtriusque. Dico autem hoc quoniã dupliciter contingit imaginari potentiã aliquã neutram. Primo per negationem potentialitatis ad vtrunque: quemadmodum colorabile, nec ad grauem, nec ad acutum sonum est in potentia. Et sic non vocatur potentia neutra, sed potentia nulla: colorabile enim non est receptiuum sonorũ. Alio modo per negationem inclinationis in potẽtia receptiua vtriusq; : sicut si ponere mus aliquam superficiem receptiuam albi & nigri, & tamen ad neutrum inclinatam: & hæc propriè vocatur potentia neutra. est ergo sensus quæstionis, an inueniatur aliqua singularis potentia in rebus naturalibus, receptiua alicuius actus, & tamen nec ad illum nec ad oppositum inclinetur. Hæc de primo.

QVO AD secũdũ, Scotus in prologo pri. sent. q. 1. & in 2. dist. 2. q. 6. tenet dari potentiam neutram, ponens q̃ potentia receptiua relata ad actum, aut est naturalis, aut violenta, aut neutra. Naturalis quidem si naturaliter inclinetur in illum: violenta verò, si ille sit contra eius inclinationem naturalem: neutra verò, si neque inclinetur ad istam formã, quam recipit, neque ad oppositam. Exemplum primi: vt motus deorsum lapidis. Exemplum secundi, motus sursum eiusdem. Exẽplum tertij, superficies respectu albedinis & nigredinis. Etenim manifestè patet inueniri in angelis talẽ potentiam, eo q̃ potentia passiua quæ est in angelo ad essendum in loco neutra est. Quod probatur dupliciter: tũ quia tale passum non inclinatur naturaliter ad istam formam vel oppositã: tum quia si esset in aliquo loco naturaliter, esset in alio loco violenter. Et probatur sequela per Auicẽnam, 9. Meta. volentẽ quòd si motus cœli esset naturalis, terminaretur ad quietem naturalem, & motus ab illa esset violentus. Posset quoque multipliciter argui pro hac opinione: sed quoniam ftabiliendo oppositam, habetur solutio omnium, ideo hæc sufficiant de secundo.

QVO AD tertium, propono vnam propositionẽ, & vnam distinctionem: ex quibus probabitur intentum. Propositio igitur est hæc: Omnis potentia rei naturalis respicit per se primò & naturaliter aliquẽ actum. Probatur quo ad primam partẽ: quia, vt dicitur 9. Metaph. text. 13. potentia diffinitur per actum. Actus namque diffiniens potentiã, ꝓculdubio est per se primo respectu ab illa: quoniã neq; actus per accidens, neq; actus per se secundo, illi æquiualet. Quo ad secundam verò partem. s. naturaliter, probatur: quia ex secundo Physi. text. 78. vnusquodq; sicut agitur, ita aptum & natum est agi, & econtra: sed potẽtia fit à natura, & est propter actũ: vt patet 9. Metaphy. text. 15. & 16. ergo potentia naturaliter fit, & est propter actum, ergo propter actum, quem per se primo respicit: & sic omnis potentia naturaliter respicit suum per se primo actum. Totus ꝓcessus clarus est ex allegatis & traditis in 2. Physi. quomodo natura agit ꝓpter finẽ: & quo pacto ea quæ à natura aguntur propter finẽ naturaliter inclinatur in finem &c.

Distinctio verò est, q̃ potẽtia receptiua potest cõparari quatuor modis ad actus. Potest enim colorabile, verbi gratia cõparari ad colorem, ad species coloris, ad contrarium coloris, & ad disparata, s. sonos. Si comparetur ad colorẽ, sic comparatur naturaliter & per se primò: si ad ſpeciem eius, naturaliter quidem, sed nõ per se primò: si ad cõtrarium violenter: si ad disparata, nulliter, nisi forte per accidens. Nec hæc egent ꝓbatione: quoniam per se sunt nota ex terminis, nisi quis obiciat actus, ad quos potẽtia se habet obedientialiter. Sed quoniam, de hoc erit sequens quæstio nec hi locãtur à Scoto sub potentia neutra, ideo nihil proposito obstãt. Ex his autẽ deducitur opposita opinio: s. q̃ omnis potentia in rerum natura relata ad actum receptibilem in ea, aut est naturalis, aut violenta: quòd nulla est neutra. Omissa pro nũc potẽtia obedientiali: vt pote non spectãte ad præsens ꝓpositum. Probatur autem hæc conclusio sic: Omnis potentia receptiua alicuius actus, aut respicit illum per se primò, aut per se secundò, aut cõtrarium his: sed tam actũ per se primò respectũ, quàm per se secundo, respicit naturaliter, & cõtrarium eis respicit violenter: ergo omnis potentia receptiua alicuius actus aut est naturalis, aut violenta. Minor est per se nota. Et maior probatur sic: Si naretur quartum genus actuum receptibilium in aliqua potentia, illud esset actus disparatus ab eo, quem per se primò respicit illa potentia: sed hoc esse nõ potest: ergo potentia non potest recipere nisi illa tria numerata. Quòd autem hoc sit impossibile patet inductiuè. Colorabile enim nullam habet potentiam ad sonos, neque calefactibile ad colores: & sic de aliis. Et probatur ratione: quia potentia vnius generis non est ad actus alterius: vt patet 12. Metaphy. in tractatu de principiis prædicamentorum. Et quoniam rationi hæc consonant, ideo hanc sequamur viam. Et hæc de tertio.

QVO AD quartũ respondetur, q̃ distinctio illa trimẽbris est volũtaria quo ad tertiũ membrũ. Nec id q̃ adducitur de superficie, iuuat: quoniam aliud est superficie abstractè, & aliud de superficie physica tali in rerum natura inuẽta. Superficies enim absoluta nõ solum abstrahit ab albo & nigro, sed etiã ab omni sensibili: & rursus aliqua superficies est quæ repugnat colori omni vt patet de superficie cœli. Itaque loquendo de superficie tali, id est colorabili, dicitur q̃ vt sic non est indifferens ad album & nigrum per exclusionẽ inclinationis naturalis, sed per exclusionem maioris ad vnũ quàm ad alium: quoniam huiusmodi superficies respicit naturaliter colorem, & omnes species eius, sed colorem per se primò, speciem verò per se secundò. Et simile est de materia prima respectu diuersarum formarum substantialium, ipsa quidem per se primò respicit formam per motum, aut mutationem

tionem acquisibilem quouismodo: per se autem secundo respicit hanc & illam formam. Et sic naturaliter inclinatur in omnes: & indifferens est ad omnes aut multas, non per exclusionem inclinationis naturalis ad eas, sed per exclusionem maioris inclinationis ad vnam, quàm ad aliam. Ad id verò quod adducitur de potẽtia locabili in Angelo, dicitur, quòd falsum supponit, scilicet in Angelo esse potentiam passiuam, respectu ipsius vbi. Vt enim in tractatu de Angelis dictum est, Angelum esse in loco, non est ipsum recipere aut pati, sed virtualiter tangere locum. Vnde non oportet solicitari nisi de actiua potentia Angeli: quam constat esse naturalem, liberè tamen exercitam. Quamuis ea quæ adducuntur à Scoto ad probandum suum intentum de Angelo, non cogant: quoniam hæc consequentia formaliter non valet, A est naturaliter in vno loco, ergo est violenter in aliquo alio: vt patet de singulis partibus orbis lunæ. Quælibet enim est naturaliter in Occidente, & similiter in Oriente, & tamen nullibi violenter: & mutat locum subiecto & ratione. Nec confirmatio ex Auic. conuincit: quoniam non nisi de motu verè naturali verificatur dictum eius. Motus enim cœli naturalissimus est ex parte principij passiuitia quòd ex hac naturalitate reducitur ratio, quare in eo nullus est labor mouenti: vt patet secundo cœli, text. 5. quamuis ex parte principij actiui sit animalis. Vnde hoc magis ad oppositum intenti Scoti videtur: quoniam sic motus Angeli esset naturalis ex parte principij passiui absque sequela inconuenientium, sicut de motu cœli dicimus. Hæc de quarto, & de tota quæstione.

QVÆSTIO II.

Vtrum potentia receptiua actuum supernaturalium sit potentia naturalis.

Ivxta eundem articulum quærendum erat, vtrum potentia receptiua actuum supernaturalium, sit potentia naturalis.

¶ In qua quæstione quatuor agenda sunt. Primò declarabitur titulus. Secundò recitabitur opinio Scoti. Tertiò examinabitur. Quartò respondebitur quæsito.

QVO AD Primum, potẽtia receptiua hic sumitur formaliter, vt receptiua est, quicquid sit de ipsa, vt elicitiua actus. Actus supernaturalis dicitur, quem non potest secũdum naturæ cursum adipisci: vt gratia, charitas, visio Dei, & reliqua huiusmodi. Potentia naturalis vocatur non subiectiuè, id est, potentia naturæ: sed formaliter, id est, potentia naturaliter inclinata. Ita quòd sensus quæstionis est, Vtrum potentiæ in rebus naturalibus inuentæ, in quibus recipiuntur actus supernaturales, naturaliter inclinentur ad illos. Hæc de primo.

QVO AD Secundum, Scotus in primo, q. 1. prologi: & in q. 4. dist. 49. in pluribus locis tenet affirmatiuam partem quæstionis. Putat namque, quòd potentia comparari potest ad actum recipiendum. & agens impressiuum actus: & quòd in prima comparatione nulla est supernaturalitas, sed potentia est vel naturalis, vel violenta, vel neutra. In secunda autem comparatione est differentia naturalitatis à supernaturalitate: quoniam si comparatur ad agens naturaliter impressiuum, est naturalitas: si non naturaliter impressiuum, est supernaturalitas. Confirmatque positionem suam ex hoc, quòd potentia receptiua actus supernaturalis, scilicet q̃ est receptiuè capax illius: & naturaliter perficitur per illũ, cùm habet, & naturaliter appetit illum. Ex his manifestè sequitur, ergo naturaliter inclinatur in illum: &, ergo est potentia naturalis respectu illius. Singula autem assumpta probãtur. Primum quidem: quia nullo eget potentia animæ medio ad recipiendum charitatem: & similiter intellectus respectu luminis gloriæ &c. Secũdum verò, quia potentia naturaliter perficitur per actum, qui est eius perfectio. Tertium autem: quia vnumquodque appetit naturaliter suam perfectionem, sed maximè naturaliter appetit maximã perfectionem, ex principio Metaphysicæ. sed actus supernaturalis, vt visio Dei, &c. maxima est perfectio. ergo, &c. Sumus igitur secũdum hæc in naturali potentia ad supernaturales perfectiones: nõ possumus tamen acquirere eas nisi supernaturaliter: quia oportet acquisitionem hanc ab agente supernaturali, scilicet Deo gloriosõ causari. Hæc de secundo.

QVO AD Tertiũ, tria minus bene dicta in præfata opinione videtur: s. principalis cõclusio, & eius probatio, & vsus vocabulorũ. Malè in primis vtitur ly supernaturale, dum omnẽ actionem Dei ad extra supernaturalem vocat: quia Deus est agens non naturale, sed liberũ. Cõstat nãque, quòd alia est distinctio naturalis contra supernaturale, & alia naturalis cõtra liberum. Primo namque modo anima Scoti producitur naturaliter: secũdo autẽ, non. Vnde nisi vocabulis abuti velimus ad placitũ cuiusque, supernaturale est, quod supra facultatẽ ordinis creaturis debiti in eis est. Omnes enim naturalia à supernaturalibus distinguimus frequenti vsu per hæc q̃ aliquid sit secundũ debitũ naturæ ordinẽ, & aliquid sit supra illum. Ratio deinde assumpta manifestè aut falsa est aut petit principiũ. Quum enim dicit, q̃ potentia naturaliter perficitur per suum actum: & similiter appetit suam perfectionem: aut ly suum significat suum per informationem actu vel potentia, aut suum per naturalem proportionem seu inclinationem. Si primo modo, falsa est maior: graue enim est existẽs sursum, non naturaliter, sed violenter perficitur per esse sursum, & tamen esse sursum est actus & perfectio eius per informationem. Si verò secundo modo, petitio est principij in minore. hoc enim est probandum, scilicet quòd potentia naturalis habeat actum supernaturalem, vt suum hoc modo. Quod quoque dicitur de immediata receptione, ad propositum nihil infertiæs enim immediatè est receptiuum figuræ Mercurij. & tamen non naturaliter. Cõclusio demum principalis voluntaria relinquitur: & irrationabilis ostendetur probando oppositam. Hæc de tertio.

QVO AD quartũ, conclusio responsiua quæsito est, quòd potentia ad actus supernaturales, non est naturalis, sed obedientialis. Et probatur tripliciter. Primò ex parte actus, sic: Actus supernaturalis dupliciter inuenitur, s. secundum se, vt gratia: & secundum talem modum scicdi, vt visus cæco datus. Visus enim secundum se est naturalis actus hominis: sed q̃ cæco in instanti detur, supernaturale est. Charitas verò, & talia, sunt secundum se actus supernaturales: adeò vt implicet cõtradictionẽ cõnaturales esse, aut fieri alicui creaturæ factæ vel factibili, vt etiã ipse Scotus in secundo dist. 23. fatetur. Si ergo in natura nulla est naturalis potentia ad actũ supernaturalẽ ratione modi vt sic, à fortiori nulla est naturalis potentia ad actus supernaturales simpliciter. Sed in natura nullam esse naturalem potentiam ad illos actus, patet ex frequenti vsu quo naturalem potentiam ad miracula negamus. Et ex hoc sequitur, quòd supernaturalitas inuenitur, non solum comparando potentiam ad agens, propter supernaturalem acquisitionem actus, sed etiam comparando potentiam ad actum, propter supernaturalitatem actus in se.

¶ Secundò, ex parte potentiæ sic: Omnipotentiæ passiuæ naturali respõdet aliqua potẽtia actiua proxima: ergo respondet potentia actiua naturali. Anteceedens est maxima assumpta ab Arist. 3. de anima tex. 17. ad probandum dari intellectũ agentẽ. Fundatur enim super hoc, q̃ in omni natura, vbi est patiens, oportet ponere agens. Et certum est q̃ de proximo, non de primo agẽte loquitur: alioquin distributiuã non feciſſet, dicens, in omni natura, &c. Et per hoc excluditur responsio Scoti, dicentis, q̃ sufficit q̃ detur primum agens. Consequẽtia autẽ probatur: quia potentia supernaturalis non est proximum actiuum naturalis potentiæ, vt ex terminis patet: naturale enim ſpli naturali cognatum est.

¶ Tertio ex parte subiecti. Quũ enim q̃ditatiua cognitio alicuius sit sufficiens ratio omnium proprietatũ eius, & ex ea soluãtur omnes difficultates contingẽtes rei, vt in quarto Phys. dicitur: cõsequẽs est, q̃ cognita quidditatiue re aliqua, cognosci ex ea possint omnes eius naturales potentiæ: & quum potẽtiæ cognitio ex actu pendeat, vt dicitur 9. Meta. consequens est, q̃ actus, ad quos sunt naturales potentiæ, cognoscãtur, & cũ huiusmodi actus sint supernaturales apud Scotum, sequitur de primo ad vltimum, q̃ ex cognitione quidditatiua alicuius naturalis cognoscũtur supernaturalia: q̃ est manifeste falsum. Et confirmatur: quia certò scimus hanc maiorem, q̃ naturalis potẽtia est frustra: ergo scimus hãc minorẽ, quòd in materia vel anima, vel quacũque alia re est naturalis potentia ad actum supernaturalem, oportet concedere quòd scimus supernaturalia illa debere esse: & sic scimus resurrẽtionẽ mortuorũ futuram, & gratiam iustificantẽ impium, &c. q̃d est ridiculum. Nec euacuat hanc rationem responsio Scotica, dicens, q̃ anima secundũ illã rationem est ignota. Cognitio namque quidditatiua alicuius, nihil naturale illius incognitum relinquit: quoniam continet formaliter, vel virtualiter omnem illius notitiam. Nec euaditur dicẽdo q̃ substantia non potest à nobis pro statu isto quidditatiuè & propriè cognosci: quoniã quicquid sit de hoc, habetur intentũ, s. q̃ ex quidditatiua rerũ naturalium cognitione, siue habeatur pro statu isto, siue non, possit scientia haberi de supernaturalibus: & sic reuelatio de gratia, beatitudine pollicita, resurrectione, & aliis huiusmodi, ad quæ naturalis potentia non frustra, erit necessaria secundum quid, scilicet pro statu isto, & non simpliciter: quod est manifeste falsum. Hæc de quarto. Finis.

TRACTATVS QVARTVS, DE Subiecto naturalis Philosophiæ, vnica quæstione contentus.

QVAESTIO.

An ens mobile sit subiectum in Philosophia naturali.

Qvaeritvr an ens mobile sit subiectum in Philosophia naturali.

¶ Et videtur q̃ non. Primò, quia aut ens mobile, significat substantiam mobilem, aut accidẽs mobile aut rertium commune vtrique. Si primum, cum substantia mobilis, & corpus

corpus mobile sint idem cõuertibiliter, sequitur quòd poneretur secundum rem corpus mobile subiectum philosophiæ, quod est contra tenentes ens mobile. Si secundum, hoc est manifestè contra omnes, & veritatem. Si tertium, tunc sequeretur, quòd ens diceret tertium conceptũ abstrahibilem à substantia & accidente, quod est contra Thomistas.

¶ Secundò sic: Subiectum scientiæ debet esse vnius rationis formalis, alioquin non haberet quod quid est, & consequenter nec esset principium scientiæ: quia, vt dicitur in 1. de anima, in textu 11. principium omnis demõstrationis est quod quid est. Nec haberet aliquam per se primo passionem: quia ei, quod non est in se natura vna, quicquid per se vnum conuenit, conuenit ratione partium, & consequenter nulla passio conuenit ei primò: ens autem mobile dicit aggregatum ex duabus rationibus formalibus: ergo non est subiectum. Si dicatur, quòd illa duo ponuntur ad circumloquendum vnam rationem formalem, quemadmodum moris est ponere passiones loco differentiarum: contrà, Ratio subiecti in scientia debet esse primo & maximè nota in scientia: eo quòd tota scientifica cognitio ex illa dependet: sed si circunlocutione eget, non esset huiusmodi: implicatio siquidem est in adiecto, dicere quòd est ratio formalis in scientia, & quòd circumloquitur illam passionis nomine, vt pote occultam. ergo, &c.

¶ Tertiò: Si ens mobile esset subiectũ philosophiæ naturalis, aut philosophia naturalis esset pars Metaphysicæ, aut esset subalternata illi: vtrunque est falsum: ergo. Tenet consequentia: quia aut ens mobile addit supra ens conditionem per se diuidentem ens, aut accidentalem enti. Si primo modo, sequitur ꝙ ens mobile à Metaphysico considerandum est: quia in primo Posteriorum cap. 22. dicitur, quod eiusdem scientiæ est considerare subiectum aliquod & partes subiectiuas per se: & consequenter esset philosophia naturalis: cui ascribitur ens mobile, pars Metaphysicæ. Si secundo modo, sequitur quod Philosophia naturalis Metaphysicæ subalternaretur: eo quod dicitur in primo posteriorum, cap. 8. descendere de genere in genus secundum quid, id est, secundum conditionem accidentalem (vt communiter exponitur) est solius scientiæ subalternatæ conditio ab Aristotele tradita.

¶ Quartò sic: Subiectum in sciẽtia debet esse illud, ad cuius rationem formalem omnes resoluuntur passiones & conclusiones illius scientiæ, vt de se patet: sed passiones & consequenter conclusiones Physicæ resoluuntur vltimo in Philosophia naturali ad quod quid est substantiæ, seu corporis naturalis: eo quod omnia accidentia Physica causantur ex substãtia naturali: ergo substantia naturalis seu corpus naturale ponendum est subiectum.

IN HAC dubitatione primò distinguam opiniones. Secundò declarabitur opinio sancti Thomæ. Tertiò simul ipsa confirmabitur & contra alias opponetur. Quartò respondebitur argumentis in oppositum.

QVO ad primum, sciendũ est de subiecto adæquato Philosophiæ naturalis (de quo hic est sermo) quosdã loqui in re hac naturaliter, quosdã verò innaturaliter: propter qd hi à nostra resecãdi sunt disputatione, quam inter Philosophos agimus. Supponũt enim intelligentias mobiles esse: & Philosophiam naturalẽ infra sensibilia non arctantes, commune aliquid sensibilibus & separatis à materia, quatenus mobilia sunt, subiectum Philosophiæ dicunt: operiúntque errorem suum Theologicæ pietatis nomine.

¶ Contra hos enim non oportet naturalem disputare: apud quem indubitatũ principium est, substantias abstractas immobiles esse: & terminum considerationis philosophicæ esse animam humanam, partim abstractam, partim non: vt dicitur secundo physicorum, textu vigesimosexto. & vltimum, ꝙ põt naturalis de intelligentiis attingere, & declarare quia sunt: vt Auer. dicit 1. Physicorum, commento vltimo. Quanta tamen sit quorundam horum temeritas, silentio inuoluendum non est, cum præsumant propriam opinionem Theologiæ sententiam asserere, sicq; theologicæ facultatis expertibus, in philosophia tamen nutritis, deridẽdi Theologiam occasionem præbent. Non est enim ex sacra Scriptura, nec ex Theologis sanctis ab Ecclesia approbaris traditum, quòd Angeli sic mouerentur, vt motus continui subiectum sint: sed potius oppositum, vt in Theologia discussum à sanctis est. Vnde si Peripateticos arguendos censent, glorientur ex Scotica officina hos se errores deprehendere, non ex Theologia.

¶ His ergo omissis, ad naturales trãseamus: Quorũ opinio nõ est vna, dũ alij mobile, alij ens, alij vtrũq; ex subiecto physicę resecã dũ putãt. Et illi quidẽ q neutrius nomẽ recipiũt, secunda & quarta ratione ad oppositũ facta mouentur: & sensibile seu naturalem substantiã subiectũ fore censent. Qui vero ens tantum abiiciunt, corpus mobile subiectum philosophiæ ponunt. Et hi adhuc diuisi sunt, dum quidam mobile, passionem significare concedunt: quidam autẽ dationẽ formalẽ corporis physici supponere cõtẽdunt. Mobile autem tantum abiicientes, sunt qui ens naturale subiectum dicunt. Sunt ergo quinque opiniones naturaliter loquentium, scilicet, Thomistarum tenentium ens mobile: & Albertistarum, dicentium corpus mobile: & modernorum multorum, dicentium substantiam naturalem seu sensibilem: & quorundam etiam modernorum asserentium corpus physicum seu naturale: & eorum qui ens naturale subiectum erednnt.

QVO AD secundum: Cum ens mobile complexionem quandam nominum contineat, singula distinguenda sunt. Et primò quidem circa mobile triplici opus est distinctione.

¶ Prima est quòd cum mobile motum respiciat, sicut motus sumitur dupliciter, scilicet prioriè, vt distinguitur contra mutationem in 5. Physi. & ad tria tantùm genera esse dicitur & communiter, vt cõtinet in se & motum propriè dictum, & mutationem, scilicet generationem & corruptionem: ita mobile dupliciter sumi potest. In quæstione tamen ista sumitur communiter prout idem est quod mutabile physica mutatione.

¶ Secunda est, quòd aliquid potest dici mobile, dupliciter, s. subiectiuè: quòd. s. est subiectum motus: & terminatiuè: quod. s. est terminus alicuius mutationis. Et quamuis prima facie mobile sonet subiectum motus, si tamen restringendum est in proposito, magis tenendum est terminatiuè quàm subiectiuè, vt ex dicendis apparet: iudicio tamen meo indistinctè tenendum est non ea ratione vt sit commune ad omnia quomodocunque mobilia: contineatque vt partes subiectiuas materiam & formã, &c. quia hoc est contra S. Tho. in primo Physi. super tex. com. 6. vbi in diuisione literæ expresse dicit, quòd in primo libro Physic. agitur de principiis intrinsecis entis mobilis. s. de materia & forma: ex hoc aperte insinuans ens mobile, quod est subiectum philosophiæ, non esse totum vniuersale respectu materiæ & formæ, sed totum integrale seu essentiale, sed ea potius ratione vt. s. illa notissima sui acceptio supponatur, quam ex sensu supponere oportet: perhibent enim nobis sensus mobilia esse: an autem subiectiuè an terminatiuè mutentur ea quæ moueri videmus, ratione magis discernitur, quàm ex sensu habetur.

¶ Tertia est quòd mobile æquiuocum est nomẽ ad aptitudinem, ad motum & ad fundamentum illius aptitudinis: sicut si risibile significaret aptitudinem ad ridendum, & rationalitatem, quæ est eius fundamentum. Quid autem mobile in proposito significet, difficile est hac sola quæstione elucidare. Quamuis enim impossibile sit subiectum & passionem simul accipi pro subiecto in aliqua scientia, sic quòd totum aggregatũ subiectũ sit (quia oportet subiectam vni esse rationẽ formalẽ, & ex quod quid est subiecti, & quid est passionis vna ratio formalis constitui nequit) nihil tamen prohibet aggregatum ex subiecto & passione, subiectum sic constitui, vt passionis quod quid est, sit ratio formalis subiecti in illa scientia. Et hoc modo intelligi potest mobile passionem significare in proposito: ita quòd mobilitas quę est passio, sit ratio formalis enti vel corpori, quod sit subiectum philosophiæ naturalis: vnde solet fieri reduplicatio supra mobile, dicendo ens aut corpus mobile, inquantũ mobile est subiectũ Physicæ. Suadetur autẽ in proposito sic sumi mobile ex subiecto Mathematicæ, sicut enim Physica est de entibus in eo quòd mobilia, ita Mathematica est de entibus in eo quòd quanta. Constat autẽ Mathematicæ sic esse subiectũ ens quãtũ: vt quãtitas ipsa quæ substãtiæ materialis passio seu propriũ accidens est, ratio formalis subiecti Mathematicæ sit. Erit ergo Physicæ subiectũ ens aptũ moueri, sic ꝙ aptitudo ad motũ, ratio formalis subiecti sit. Et confirmatur hoc magni Alberti autoritate: qui in 1. Phy. sic distinguens corpus in Metaphysicũ, Mathematicũ, & Physicũ, mobilitatẽ quã rationẽ formalẽ subiecti dicit posteriorem corpore quãto, naturaliter dicit. Nec obstat ꝙ eiusdem scientiæ est cõsiderare de passione & subiecto eius: quoniã hoc intelligitur quãdo tractatur de passione vt passio est: nõ autẽ quando passio primũ subiecti locũ tenet: vt patet de quantitate in Mathematica, quæ de substantialibus principiis subiecti eius, à quo fluit, non se impedit. Similiter non obstat quòd perfecta cognitio de re non habetur absque quòd quid est subiecti: hoc enim nõ est sic accipiendum, vt omnis cognitio citra illam sit imperfecta, ita quòd non sit euidens & sciẽtifica: sed vt absque quòd quid est subiecti, cõsummata omnimoda que notitia de re haberi non possit. Quod Physicæ accidere non inconuenit: quoniam Mathematicæ hoc conuenire certum est: Mathematicus enim ignorat an, quantum sit substantia vel accidens, & quantitas subiectum, &c. & tamen certissimum est omnium: vt dicitur in secundo Metaphy. textu & commento vltimo.

¶ Sed contra hanc viã est, quòd secundũ eã ad Philosophũ naturalem non pertineret considerare aliquod prædicatum quidditatiuum cuiuscunque substantiæ, nisi forte aliqua substantia sit, de qua quidditatiuè prædicaretur aptitudo ad motum: & cõsequenter philosophia naturalis non esset de substantia, sed esset de accidente, quemadmodũ Mathematica. Si enim mobilitas (id est aptitudo ad motũ) quæ passio ponitur entiũ naturalium, ratio formalis subiecti Physicæ acceptatur, non licebit Physico de ratione adæquati subiecti eius differre re: quia illa prior est, ac per hoc descẽdendo à mobilitate in communi ad talem vel talem mobilitatem in specialibus partibus philosophiæ naturalis, non licebit ad quod quid est talis vel talis subiecti descendere, sed quemadmodũ adæquati subiecti mobilitatis quod quid est omissum fuerat, pari ratione specialia quod quid erat esse subiectũ talium mobilitatum omittenda sunt: qm̃ nulla pars alicuius scientiæ tractat de aliquo priori propria ratione formali. Nec video quomodo possit huic rationi satisfieri, nisi tenendo quòd Metaphysic. est considerare quod quid est in particulari. Quod quia non credo verũ, idcirco puto melius tenere, quòd mobile in proposito nõ significat ipsam aptitudinem ad motum si est passio: sed eius fundamẽtum. Cùm enim ista aptitudo, quam mobilitatis nomen sonat, quibusdam entibus repugnet. s. separatis à materia: & quibusdam non. s. materialibus, & de entibus materialibus (puta homine & boue) non reputetur prædicari substantialiter: consequens est, quòd aliquid præcedat in eis, ex quo ipsa aptitudinem hanc sortiantur: & hoc fundamentum mobilitatis est. Notanter autem dixi non reputetur: quia communi voci satisfacere volens distinctionem hanc mobilitatis pertractaui: 10. siquidem Metaphysicorum textu vltimo sub dubio relinquitur, an corruptibile sit substantia, an in substantia, id est an sit de substantia rei, aut eam sequatur: vt exponit Auerrois. Corruptibilitas autem quædam mobilitatis species est, vel mobilitas ipsa: secundum illud octaui Phys. tex. com. 25. in omni motu corruptio est. S. Thomas etiam ibidem inter substantialia prædicata corruptibile ponere videtur. Aristot. quoque in primo Physic. tex. 8. idem sentire videtur: dum dicit quòd ad naturalem non spectat probare mobilitatem: hoc enim non esset verum, si mobilitas esset passio præuenta à formali ratione subiecti philosophiæ naturalis: posset enim per illam rationem à naturali Philosopho probari. Nisi forte quis dicat dictum Aristo. non esse verum per se, sed per accidens: quia scilicet est passio notissima. Sed hoc non est tutum: tum quia non est sermo per accidens consuetus Aristot. tum quia saltem defendere mobilitatem pertinet ad Philosophum naturalem, & non ad Metaphysicum. sicut & quamlibet passionem subiecti proprij quilibet artifex defendere debet. Nec obstat, quòd sit passio per se nota de adæquato subiecto: quoniam per se notum, & non per se notum, faciunt quidem differentiam quo ad probari vel non probari posse aliquid, vt patet in secundo Physic. textu com. 6. non tamen faciunt differentiam quo ad defendere vel non defendere: quoniã si occulta tuenda sunt, manifesta magis sunt tuenda, modò non sint principia, sed ex principiis: qualis est mobilitas, si passio ponitur. Quicquid autem de hoc sit mobilitas, quæ est ratio formalis subiecti physicæ, non passio, sed quod quid erat esse est entium naturalium: & præuenit naturalitatem & mobilitatem passionum earum si concedatur: illam quidem, quia relatiua proprietas est: istam verò, quia passio dicitur.

¶ Circa verò ly ens, hoc tantùm distinguere oportet, ꝙ dupliciter entis nomine vti consueuimus. Primò, pro omni eo quod habet esse quocunq; modo: & sic hiẽ non capitur. Secundò, pro eo quod propriè esse dicitur: hoc autem in his, quæ sunt, est in quod Propriè fit: eius siquidem est esse propriè, cuius est fieri. Id autem quod propriè fit, vt 7. Metaph. tex. com. 28. patet, est compositum: siue substantiale, vt homo: siue accidentale, vt homo musicus. Et sic sumitur in proposito. Vnde colligendo dicta ad hoc quòd aliquid sit pars subiectiua entis mobilis, quod subiectũ Physicæ dicimus, exigitur & quòd sit propriè ens, & quòd sit mutabile physica mutatione. Et propterea nec materia prima, nec forma substantialis aut accidentalis ens mobile est: sed entis mobilis principia hæc omnia sunt. Est ergo ens mobile communius quã sit corpus mobile, & quàm substãtia naturalis siue sensibilis: quia continet sub se omnia materialia cõposita, ꝙ solum mutabilia sunt siue sint substãtialia, siue accidentalia, siue secundum formã absoluta, siue secundum vbi. Et est ens mobile abstractius quid quòcunq; prædictorũ, quãto ens aliquẽ gradum concomitãs, prius est illo: dato & quòd ad cõposita accidentalia se non extenderet. Nec obstat contradictio per ly mobile: qm̃ sicut substantia rationalis abstractius quid est, quã animal rationale: sic ens mobile abstractius & prius quid est, quàm substantia mobilis: quamuis enim ex parte ly mobile æqua sit abstractio, ex parte tamen ly ens, & ly substãtia, abstractius est ens mobile. Vnde quẽadmodum concedens substantiam rationalem, adhuc disputãdi locum haberet, an illa rationalis substãtia esset corpus an animal, & cætera & continuè ab abstractiori ad minus abstractum quæstio descenderet, dum à substantia rationali ad corpus rationale, & à corpore ad corpus animatum, & cętera veniretur. sic sub ente mobili quæstio remanet, an illud sit substantia, an corpus, & cætera. Cùm igitur in re mutabili considerari possit, & ꝙ sit corpus mutabile, & quòd sit substantia mutabilis, & ꝙ sit ens mutabile, diui Thomæ sententia est naturalia rationem subiecti Philosophiæ naturalis induere primò, non quatenus sunt corpora mutabilia, aut substantiæ mutabiles, sed quatenus sunt entia mutabilia: ita quòd ens mobile licet complexionem nominum contineat, incomplexum tamen

& per se vnum quod quid est significat, sicut ens per se. Quemadmodum enim diuiso ente in per se & in alio, si simplicibus vocabulis careremus, substantiam ens per se nominaremus, & accidens ens in alio, & tamen vnam formalem rationem significaremus, non aggregatam ex pluribus: ita diuiso ente in transmutabile & intransmutabile, carentes simplici vocabulo, ens transmutabile seu mobile vocamus alterum membrum quod vnius est quidditatis, & illud philosophiæ naturalis subiectum esse adæquatum dicimus. Hæc de secundo.

QVO AD Tertium, cùm ens mobile duo nomina complectatur, & vnum significet, primò ostendendum est, quòd eius significatum est adæquatum Philosophiæ subiectum: deinde quòd his nominibus conuenientissimè significatur.

¶ Primò ꝓbatur tripliciter. Primò sic: Adæquatum subiectum primarum passionum naturalium est adæquatum subiectũ Philosophiæ naturalis: sed ens mobile, & non substantia aut corpus naturale seu mobile, est adæquatum subiectum primarum passionum naturalium: ergo, &c. maior est per se nota. Minor verò probatur accipiendo transmutabilitatem, seu, quod idem est, mutabilitatem pro prima passione Physica, vel saltem vna de primis, aut eis æquiualente: vt ab omnibus supponitur. Tunc sic: Adæquatum subiectum transmutabilitatis habet materiam, formam, & priuationem pro adæquatis principiis: sed tantũ ens mobile habet hæc pro adæquatis principiis: ergo nihil aliud ab ente mobili est subiectum adæquatum trãsmutabilitatis, & consequenter primarum passionum naturalium: quod erat probandum. Maior huius prosyllogismi est ex eo euidens, quòd oportet ista tria in omni materia esse adæquata sibi inuicẽ, scilicet passionem & subiectum & propria passionis principia: vt patet de risibilitate, & homine, & animali rationali: constat autem ex primo Physicorum per longũ processum, transmutabilitatis principia prima esse materiam, formam, & priuationem: oportet igitur eius, ad quod tanquam ad adæquatum subiectum primò sequitur transmutabilitas, esse adæquata principia, materiam, formam, & priuationem. Minor patet ex his, quæ in 12. Metaph. à textu 19. vsque ad tex. 29. dicuntur, scilicet quòd materia, forma, & priuatio ad genus substantiæ non arctantur, sed materia, forma, & priuatio generis substantiæ sunt principia propria substantiæ mutabilis: & materia, forma, & priuatio in genere quantitatis sunt propria principia quanti mutabilis: & materia, forma, & priuatio in genere qualitatis sunt principia propria qualis mutabilis.

¶ Si dicatur ꝙ quemadmodum principia propria substantiæ continẽt ꝓpria principia cæterorum generũ, quia sunt causæ eorum (vt ibidem docet Arist.) sic substãtia mutabilis cõtinet omne quãtum & quale mobile, & transmutabilitas substantiæ omnem aliã. Et ꝓpterea licet materia, forma, & priuatio excedãt substantiam mobilẽ formaliter, non tamen virtualiter. Hoc licet sit subtiliter dictum, vim tamẽ rationis nõ excludit propter duo. Primò: quia falsum est, quòd principia propria substãtię mutabilis sint principia principiorum cæterorũ generũ mutabilium. Quãuis enim sit verũ & expressum in 11. Meta. c. suprà dicto, ꝙ per le principia essendi in genere substãtiæ sunt principia principiorum essendi in cæteris generibus: id est, ꝙ materia & forma substãtiæ sunt causæ materiæ & formæ in quãtitate & qualitate, &c. Veritati tamẽ aduersatur, quòd per se principia transmutabilitatis substãtialis sint principia principiorũ transmutabilitatis aliorum generum. Priuatio emin in genere substãtiæ, quæ est per se principiũ non substantiæ, sed trãsmutationis substãtialis, non est vniuersaliter, & consequenter nec p se principiũ priuationis, quę est principium trãsmutationis accidentalis, vt in corpore cæleſti patet: vbi ens mobile secũdum locũ habet omnia ꝓpria principia, scilicet materiã, formam & priuationem: cælum autem substantialiter non habet nisi duo principia, quæ sunt essendi per se principia. Siue ibi sit materia, quæ est pura potentia: siue simplex corporeitas pro materia, & intelligentia & forma: nullo emin modo est ens mobile substãtialiter. Secundò: quia dato, ꝙ esset talis inclusio virtualis, adequatum tamen subiectum transmutabilitatis, & similiter adæquatũ principiatum ex materia, forma & priuatione, non substãtia mobilis, sed ens mobile: quoniam quando aliqua ꝓprietas vniuersalis secundum prædicationẽ habet subiectum adæquatũ secundũ prædicationem, in quo reperitur causa, secundum quã inest quibuscunque ꝓprietas illa, illud tale est eius subiectum secũdum quod ipsum. Nec est requirendum pro primo subiecto illius illud ad quod per viam resolutionis proprietas illa & eius principia reducuntur: alioquin periret doctrina tradita in libro Post. capitulo de vniuersali. Docemur enim ibi sistere, quando adæquatum subiectum secundum prædicationem inuenimus, & causam in eo, per quam sibi cæteriſq; illa passio inest. Nulla etiam posset poni ꝓprietas communis alicui analogo ad substantias & accidentia: cùm accidentia & eorum proprietates & principia in substantiis virtualiter includantur. Nisi ergo velimus abuti vocabulis & rationibus eorum, quod in se est subiectum adæquatum trans-

Universidad de Deusto
Biblioteca

murabilitatis in seipso adæquate, claudit propria principia transmutabilitatis. Sed nec subitantia mobilis, nec corpus mobile claudit in se illa: qm̃ propria principia transmutabilitatis vniuersalis seu in communi, tum materia, forma, & priuatio in cõmuni, quæ genus subitantiæ transcendunt. Ens autem mobili adæquantur: quicquid enim ex materia, forma, & priuatione constat, ens mutabile est, & econuerso, eo ꝙ priuatio machinatur ad malum. Ens igitur mobile est proprium, & primum mobilitatis subiectum.

¶ Secũdò probatur propositũ, & directè arguitur contra ponẽtes corpus mobile sic: Cõiunctio omnis mobilis cum ratione corporeitatis, nõ supponitur in naturali Philosophia, sed in 6. Phy. probatur, ergo nõ corp⁹ mobile, seu ens mobile est subiectũ Philosophię naturalis. Antecedens patet in tex. 32. sexti Phy. vbi probatur ꝙ omne mobile est corpus. Consequẽtia verò patet tũ ex eo quòd si corpus mobile ponitur adæquatum subiectum, oportet supponi mobilitatem coniunctã esse corpori, aut vt ratione formalem, aut vt passionem: tum ex eo ꝙ oportet supponi corpus coextẽdi ipsi mobili: alioquin nõ supponeretur subiectũ adæquatum scientiæ. Verumq; autem horũ impossibile est supponi, ignorata vniuersali conunctione ipsius mobilis cum corpore: vt de se patet. ergo. Et hæc est ratio S. Tho. in primo Phys. nunquã enim dixit ipse, quod Philosophus naturalis probet corpus mobile esse: vt communiter sibi imponitur, quia non intelligitur, corpus enim mobile esse qui dubitant, non egent medio, sed sensu, quo vel ipsos moueri percipiant, sed dixit ꝙ probat omne mobile esse corpus. Et vt plenius huius rationis vis percipiatur, aduertendũ est primò, ꝙ subiectũ adæquatum scientiæ resoluentis suas cõclusiones in principia per se nota (qualis est Philosophia naturalis) oportet & quòd sit subiectum primarũ passionũ, ac per hoc quòd sit principium essendi, & consequenter cognoscendi secundum naturã eterorum, & ꝙ sit principium cognitionis in nobis, siue ad latentes proprietates & occulta principia à posteriori, siue à priori procedatur: qm̃ subiecti cognitio omnibus ꝑsupponitur. &, vt dicit Auer. in 2. Phys. com. 29. nec à priori, nec à posteriori probari potest in scientia: & innatum est nobis, quòd oporteat semper à notioribus nobis procedere, vt in primo Phy. cõ 4. dicitur. Sicut ergo prima ratio superius facta procedit ex ordine naturæ, sic ista ꝓcedit ex nostro ordine cognoscendi. Et propterea S. Tho. dixit, ꝙ ad audientes ꝓbatur, omne mobile esse corp⁹ instinuas per hoc, cognitionis magis quàm rei ordinem. Auerroes verò est secundò, ꝙ quãuis aliud sit omnem mobilitatẽ esse cõiuncta corpori, & aliud cognosci omnem mobilitatem esse coniuncta corpori: ad hoc tamen quòd corpus mobile ponatur subiectum adæquatum, nihil refert ꝙ horũ deficiat: qm̃ sicut deficiente coniunctione illa secundum rem, corpus mobile prohiberetur ex parte rei esse subiectũ: ita deficiẽte cõiunctione illa in esse cognito, ex parte cognitionis, ꝙ præhaberi debet, impeditur. Nõ sufficit autẽ præsupponi aliquod mobile esse corpus (quod ad sensum patet) sed oportet supponere omne mobile esse corpus: tum quia ad hoc, quòd complexum aliquod, vel complexè significatũ induat rationẽ subiecti adæquati in scientia, oportet id quod est vt formale, & sic supponatur per se coniunctum alteri, vt passio vel ratio formalis: alioquin frustra de materiali parte complexi illius quæstio fieret: cum ea quæ sunt per accidens, variabilia & extra quæstiones scibiles sint. Hoc autẽ sicut impossibile est esse, nisi omne tale illi infinita est impossibile supponi nisi omne tale inesse illi supponatur: qm̃ omnia hæc, sicut in naturæ ordine præexigunt de omni, ita & in cognitionis ordine. Vnde si naturalis scientiæ subiectũ est corpus mobile, oportet in hac scientia quæ de mobili in eo quod mobile tractat, supponere mobile, quod vt formale se habet, eo ipsũ esse corpori per se, vel vt passionẽ, vel vt rationẽ formale. Neutrũ autẽ horũ fieri pòt, nisi supponatur omne mobile corpori connexe esse: imaginari enim nõ pòt, vt propria passio aut ratio formalis creatur esse alicuius, id quod communis illo dubitatur. Tũ quia ad hoc vt aliquod cõplexum, vel cõplexè significatũ habeat rationem adæquati subiecti alicuius scientiæ, nõ minus oportet id quod vt formale ponitur adæquari scientiæ, quã id quod vt materiale sumitur coextendi illi formali: alioquin si materiale rationem formalis contraheret, scientia, quæ adæquatè rationem formalẽ respicit, subiectũ suum excederet nihil autem refert, vt dictum est, coextensionem talem non esse, aut non supponi. Si igitur corpus mobile in eo ꝙ mobile, adæquatum subiectũ ponatur Philosophiæ naturalis, oportet Philosophiam, quæ de mobili, in eo quod mobile est, supponere, corpus euacuare mobile: alioquin adæquatum sibi subiectum, quamuis haberet, non tamen supponeret: & consequenter subiecti rationẽ nõ haberet. Hoc autẽ impossibile est supponi, quãdiu nescitur, an omne mobile sit corpus: vt de se patet. Potes autem rationem hanc iuxta S. Thomam, sic colligendo formare: Nulla scientia habens subiectum complexum, aut complexè significatum, probat eam coniunctionẽ partiũ subiecti, sine qua complexum illud subiecti rationem induere non potest: alioquin scientia construeret sibi ipsi subiectũ, quod de nulla scientia speciali dicetur. Hæc enim maior æquiualet maiori. S. Tho. breuius assumens, nulla scientia probatid est, construit, vel componit sibi ipsi subiectum: loquẽdo enim de subiecto cõplexo, æquiualet dicere, nulla scientia cõponit aliquid, vt sit tuũ subiectũ: & dicere, nulla scientia probat tuũ subiectum, apud formaliter terminos specu lãtes. Sed Philosophia naturalis, si corp⁹ mobile ponitur subiectũ, cõstitueret subiectũ suũ: ergo, &c. Patet minor ex dictis: qa ꝓbat vniuersalẽ coniunctionẽ mobilitatis cũ corpore, sine qua corpus mobile subiecti rationẽ habere non potest. Omissa aũt verborum solicitudine, directe syllogizandũ est sic: Nullũ cõiunctum, cuius de omni cõiunctio probatur in aliqua scientia, est subiectũ adæquatum illius: corpus mobile est coniunctũ, cuius de omni coniunctio probatur in Philosophia naturali; ergo corpus mobile nõ est subiectum in Philosophia naturali. Maior iam patet ex eo ꝙ omne cõiunctũ, quod ponitur adæquatum subiectum, supponitur & per se coniunctum saltẽ ex parte formalis, & coextensum rationi formali adæquãti scientiã: sed cuius cõiunctio dubitatur de omni, non supponitur cõiunctũ per se, nec coextẽsum formaliter ergo. Minor ex sexto Phy. patet tex. com. 32. vbi probatur vniuersalis cõiũctio mobilis cũ corpore & processu Philosophiæ naturalis, maximè in secundo Phy. & secundo tractatu primi de cœlo, vnde habetur vniuersalis cõiunctio corporis cum mobili.

¶ Sed remanẽt duæ contra rationẽ hãc obiectiones exeludendæ. Prima est, quia non videtur verum, ꝙ in 6. Phys. probetur, omne mobile esse corpus: eo ꝙ in text. 32. probatur tantũ omne mobile esse diuisibile. Cõstat autem, ꝙ si probatur passio alicuius de mobili: non propterea probatur ratio formalis subiecti illius passionis: sic autem se habent diuisibilitas & corporeitas, vt patet. Secunda est, quia videtur hæc secunda ratio aduersari primæ: tu hæc siquidem dicitur omne mobile esse corpus: in illa verò dicit ens mobile cõmun⁹ esse, & corpore & subtãtia mobili. Ad primum horũ dicit, ꝙ quia nõ cadit in intellectu humano, ꝙ aliquid ponat esse corpus de quo dubitetur esse diuisibile, nisi apud antiquos attributos errores, ponẽtes corpora indiuisibilia, quia diuisibilitas ipsa sic comes est corporeitatis & in esse, & in cognosci, vt prius absq; posteriori nunquã cognoscatur: experimur enim nõ aliter nos cognoscere aut supponere corpus, nisi vt quantum quoddã quãtitate molis: ideo si in Philosophia nõ supponat⁹ omne mobile esse diuisibile, à fortiori supponi non pòt esse corpus: quia cõiunctio mobilis cũ corporeitate, dum dubitatur, cum diuisibilitate nõ potest cognosci nisi ratione aut sensu. Ex sensu aũt cõstat, quod non habetur, ratio aũt ad illam nulla inuenitur. Et si ex demonstratione illa 6. Physi. non acceptatur probatum, fatem tãquam necessariò cõsequens conclusionem formaliter concludat, relinquitur maius inconueniens, ꝙ scilicet omne mobile esse corpus, longè remotius est à Philosophiæ principio: vt pote 3. cœli, & 1. de generatione. Peripatetici tamen ibi dem vtranque cõclusionem propositionem indistincte intelligunt. vnde Auerr. in primo cœli com. 5. dicit, Probatum est in sexto Phys. ꝙ omne mobile est corpus, &c. Ad secundum verò dicit, quòd licet ens sit cõmunius corpore (quia de multis prædicat quidditatiuè, de quibus corpus nõ prædicat quidditatiuè) non tamen est sic communius ꝙ aliqui insit, cui corporeitas cõiuncta non sit, omne enim ens mobile est corpus, vel claudit in se corpus. Potest & secundo dici (licet in idẽ redeat) quòd in sexto Phys. probatur omne mobile esse corpus: id est corporeum aliquid. Probando enim mobile esse diuisibile, nihil aliud probatur, quàm mobile esse ens corporeum, siue illud sit corpus, siue corporeum aliquid. Corporeum autem convertitur cum ente mobili, dato ꝙ corpus cum eo non cõuertatur. Et eodem modo pòt argui contra ponẽtes subtantiam naturalem aut mobilem. Omne enim naturale aut mobile esse subtantiam, cùm oporteat supponi, aut haberetur ex sensibus, aut ex naturali Philosophia, aut ex Metaph. Ex sensu quidẽ non habetur. Ex naturali aũt Philosophia si haberet, concluderet hoc non posse supponi in ipsa: si aũt à Metaphysico tractat, vt Auer. dicit secundo Phy. com. 4. hoc etiam concluditillud non posse esse subiectũ in Philosophia naturali: qnæ scientia ex se est euidens absque Metaphysica. Habet enim subiectum & principia ꝓpria ex sensibus per se notã: & non accipit ea positione: quamuis à Metaphysico defendi habeant si impugnentur: vt in primo Phy. tex. com. 12. dicitur.

¶ Tertiò probat idem autoritate: & primò Aristo. in 3. Phy. vbi in diffinitiõe motꝰ nõ posuit corpꝰ aut subtãtiã, sed ens in potẽtia, &c. Ex quo arguit sic: Id est subiectũ Philosophiæ, quod ponit in diffinitiõe primorũ accidentiũ naturaliũ: quia tale est ꝓprium subiectũ eorũ, vt patet in septimo Metaph. tex. 15. sed non corpus nec subtãtia, sed ens in potẽtia secundũ quã in potentia (quod idẽ est ꝙ ens mobile, vt patet in tertio Phy. text. 6. & 9.) ponitur in diffinitione primorum accidentium naturalium: s. motus &c. ergo ens mobile est subiectũ Philosophiæ naturalis. Et cõfirmat hoc idem ex primo Phys. tex. 11. vbi supponẽdũ dicit in Philosophia omnia aut quædã moueri, & non omnia aut quæ dã corpora, &c. Secundò autoritate Auerrois, q. s. non solicitus de vocabulis in 3. Metaphysic. com. primo, ens mobile, & in 12. eiusdem com. 5. corpus mobile, & in proœmio Phy. res sensibiles subiectum Philosophiæ nominauerit, & propterea non verba sua in hac re, sed sensum ponderari voluerit: in secundo tamen Physic. expressè docet aliquid prius corpore subiectum esse Philosophiæ naturalis: dum dicit com. 3. Et scien dum est, ꝙ subiectum istius libri est natura & principia naturalia, cùm sint communia omnibus rebus naturalibus: & ideo in hoc libro non diffiniuit corpus neque alia de quibus considerat naturalis, sicut fecit in primo cæli & mũdi. Ex quo habetur ꝙ apud ipsum consideratio de corpore mobili differtur vsq; ad librum de cælo & mũdo, vbi ab eius diffinitione inchoatur: vt patet in textu com. 2. Et rursus habetur subiectum Physicæ esse cõmune corpori & aliis, de quibus cõsiderat naturalis: vt prima ratione assumpsimus. Non ergo corpus mobile, sed aliquid prius eo cõmune naturalibus omnibus est subiectũ Philosophiæ: quod ens mobile esse ex prima ratione liquet. Est ergo significata ratio per ens mobile subiectũ Philosophiæ naturalis: non autem significata per subtãtiã, aut corpus naturale, vel mobile, vel sensibile. Quòd autẽ illis vocabulis cõuenientissimè significetur, sic patet. Mobilis vocabulũ in primis conuenientius sumitur, quàm sensibilis: qm̃ admisso ente sensibili, adhuc nõ est naturalis Philosophus liber à Parmenidis & Melissi inuectione: concedentes eũ ens sensibile, negabant mobile. Supposito autẽ ente mobili, Philosophiæ principia inconcussa manent. Similiter conuenientius est, quàm naturalis nomẽ: tum quia redit idem incõueniens. Nã supposito ente naturali, adhuc Philosophus naturalis liber non incedit, nisi mobile addat: vt ipse Arist. testatur in primo Phys. text. 11. contra Parmen. & Melissũ cõcedentes ens naturale, subdẽs, Nobis autem subiiciatur, omnia aut quædã naturalia moueri. Tum quia subiectũ notissimè debet supponi, & constat diffinientia notiora esse diffinito: vnde cum motus naturã diffiniat, quod clarè significatur per ens mobile, obscurè importatur per ens naturale: hoc enim si declarandum est, ad motũ oportet venire. Tũ quia nominibus vtẽdum est vt pluries, 2. Topic. vsitatissimum autẽ est naturæ nomen ad cuiuscunque rei quod quid est, & naturale ad omne non artificiale, siue de genere mobilium sint, siue non. Et propterea si ens naturale supponeretur, ens non artificiale intelligeretur subiectum in Philosophia naturali: quod est falsum. Et sic inficiationi locum daret vocabuli æquiuocatio: quod si distinguẽdum esset, & ens naturale, id est, habẽs in se principiũ motus supponendum, cur nõ potius absq; glossa & distinctione ens mobile à principio dictis clarius exprimendo? præsertim ꝙ secundi Phys. Principium anticipandum esset, vt glossa illa inteligeretur. Entis autem nomen clarius propositis, ex dictis patet. Hæc de tertio.

NVNC Quarto superest argumentis in oppositum satisfacere. Et ad primum quidem dicitur, quòd ens significare tertium quid commune secundum analogiam subtantiæ & accidentis, non est contra S. Thomam, nisi secundum analogiæ naturã igno rantes. Vnde nullum inconueniens est, ens mobile commune esse secundum rationem formalem, non vnam simpliciter, sed vnam analogicè entibus mobilibus omnibus, scilicet subtantiis, quantis, & qualibus, & cæteris. Quamuis etiã ratio ad oppositum non concludat contra tenentes, ens mobile extra subtantiam non in ueniri: quia homo ipse inquãtum est ens mobile, aliud est à seipso, inquantum est subtantia mobilis. Et propterea non sequeretur, ergo ponendo ens mobile subiectum, ponitur subtantia, aut corpus mobile: quoniam differunt formali ratione.

¶ Ad secundum dicitur dupliciter. Primò, quòd mobilitas cõmuniter sumpta, (vt de ea in hac loquimur quæstione) non est passio sed subtantiale prædicatum: sicut & materiale & possibile, iuxta ea quæ suprà adducta sunt. Quæ possunt etiã ratione confirmari, ex eo ꝙ possibile subtãtiale prædicatũ est entium, à materia sumptum. nõ enim homo est ens possibile per aliquam proprietatem ipsum cõsequentem, sed per intrinseca sua. Mobilitas autem apud naturalẽ idem sonat quod possibilitas apud Phys. vt exercitatis in istis scientiis, nõ autoritatibus notum est. Sed ꝙ hoc nõ est à præcessoribus discussum, & vt nouum non facilè acceptabitur, sic debiliter firmatum: ideo secundo dicitur, ꝙ si mobilitas sit passio, adhuc subiectũ Philosophiæ conceditur esse vnius rationis formalis circũlocutæ per ly ens mobile. Et ad instãtiam contra hanc respõsionem respõdetur tripliciter. Primò, quòd quãuis in scientiis à priori procedentibus subiectum debeat esse primò & maxime notum, quo ad quid rei, non tamen hoc oportet in scientiis à posteriori doctrinã facientibus, qualis est naturalis Philosophia: vt Commentator dicit in proœmio, & in commentariis primi Physicorum com. 2. Sufficit enim quòd sit primò & maxime notum, quo ad an est, & quid nominis: vt ex primo Poster. patet. Huic autem nihil obstat talis circumlocutio. Secundò dicitur, quòd notitiam subiecti debere esse maximam, potest dupliciter intelligi. Vno modo respectu cognitionum possibilium haberi de illo. potest enim idem cognosci probabiliter & demonstratiuè, per communia & propria, & cætera. Et hoc modo de subiecto nõ oportet supponi à nobis maximam cognitionem, vt patet inductiuè etiã in Mathematicis. Alio modo respectu aliarum cognitionum, quæ in illa scientia acquiruntur. Et hoc modo est verum: & conceditur quòd cognitio ista, quam habemus de illa ratione formali in isto circũlocuto, est maior omni cognitione, quam acquirimus in Philosophia naturali. Et si contra hoc instetur: quia multorum notitiam acquirimus in Philosophia naturali quæ per intima eorum cognoscimus & nominamus (perfectior autem est cognitio per intima, quàm per passionem, sicut ratio illa cognoscitur.) respondetur, quòd perfectio cognitionis, de qua est sermo in primo Poster. vnde sumitur, quòd subiecti cognitio debet esse maxima, nõ attenditur penes aliud quàm euidentiam. Vnde maius & minus in cognitione in proposito, penes euidentiæ latitudinem attendere oportet. & propterea aliud est cognosci intimius, & aliud euidentius. Cum enim omnis cognitio acquisita in scientia, siue pertingat ad intima alicuius quẽsiti, siue non, habet euidentiã ex cognitione subiecti, sicut ex principio necesse est cognitionem subiecti esse euidentiorem, & consequenter maiorem cæteris. Et vere sic est in proposito: quia cognitio entis mobilis, quam circumloquendo supponimus, est ex sensibus euidẽs: quæcunque autem alia acquisita est discursu syllogistico, est ex itius euidentia certa: propter quod autem vnum quodque & illud magis est: vt dicitur in primo Poster. Tertiò dicitur, quòd si Philosophia haberetur à nobis sub perfecta ratione scientiæ, qua est in se, proculdubio subiectum oportet omnino esse primò & maximè notum, vt aiguendo dicitur. Quia autem non sic est, tantum imperfectionis scientiæ nostræ admiscetur, quantum subiecti cognitio compatitur: ex hac enim incompleta cognitione subiecti, minus plena est cognitio subsequentium, difficultásque in soluendis quæstionibus non parua.

¶ Ad tertium dicitur negando consequentiam, quæcunque via teneatur. Non enim eiusdẽ scientiæ est considerare aliquod subiectum, & per se partes eius subiectiuas, aut per se modos quoscunque: sed eos tantùm, qui genus, scilicet illius subiecti, nõ egrediuntur. Mobile autem extra genus scibile Metaphysicæ est: quoniam à materia sensibili non abstrahit. Accidentalem autem conditionem entis mobilitatem esse, vt subalternatio requirit, nullo modo est possibile: vt ex his, quæ scripsimus super cap. 13. primi Poster. patet: quia accidẽtalitas illa perfectatem & extraneitatem simul respectu illius subiecti exigit, quod respectu entis non est possibile: cùm nihil extraneum sit ab ente: vt dicitur tertio Metaphysicorũ textu vndecimo. Nec mihi obiiciatur quòd sanctus Thomas in tractatu de natura generis dicit, Philosophiam naturalem propter accidentalitatem huius modi subalternari Metaphysicæ: quia tractatum illum forte nunquã vidit sanctus Thomas. Stylus enim eius non est: & multa ibi sunt, quæ doctrinæ eius non consonant.

¶ Ad quartum dicitur, quòd plus requiritur ad hoc, quòd aliquid sit subiectũ, quàm quòd ad ipsum fiat resolutio: alioquin principia subiecti, ad quæ vltimò fit resolutio, esset subiectum. Oportet ergo quòd ad eius rationem formalem fiat resolutio, tãquam adæquatum primarum passionum subiectum: ad subtantiam autem mobilem non fit mobilium resolutio, sicut ad adæquatum mobilitatis subiectum, sed sicut ad primum clausum in adæquato mobilitatis subiecto, quod est ens mobile. Post resolutionem siquidem passionum communium in analogum subiectum, potest analogum ipsum in se resolui, posterius in prius reducendo: vt in tractatu de nominum analogia diffusè diximus.

¶ Et hic sit finis huius quæstionis in cõuentu sanctæ Mariæ gratiarũ in Mediolani suburbio, anno Salutis 1499. die 6. Nouemb. Sume igitur amantissime mi frater Vincenti, solicitudinis hospitalitatisque tuę fructum: & quo prestas ingenij acumine, discute, dans veniam minus consentaneis, memor quòd nihil in vllo vnquam genere cultum repentinúmque sit. Vale.

TRACTATVS QVINTVS, de nominum analogia, in vndecim capita diuisus.

1 *Quotuplex sit analogia: & quis sit eius primus modus.*
2 *Analogia attributionis quid sit: & quibus modis fiat, & quæ eius conditiones.*
3 *Analogia proportionalitatis quid & quotuplex sit: & quomodo propriè analogia dicatur.*
4 *Quomodo analogum nomen ab analogatis distinguatur.*
5 *Qualis sit abstractio analogi ab analogatis.*
6 *Qualis sit prædicatio analogi de suis analogatis.*
7 *Qualis sit analogatorum secundum analogi nomen definitio.*
8 *Qualis sit in analogo comparatio.*
9 *Qualis sit analogi diuisio, & resolutio.*
10 *Qualiter de analogo fit scientia.*
11 *De cautelis necessarijs circa analogorum nominum intellectum & vsum.*

CAPVT PRIMVM.

Quotuplex sit analogia & quæ sit eius primus modus.

INVITATVS Et ab ipsius rei obſcuritate, & à noſtri æui flebili profundarum literarum penuria, de nomine analogia in his vacationibus tractatum edere intendo. Eſt ſiquidem eius notitia neceſſaria, adeò, vt ſine illa nõ poſſit Metaphyſicam quiſpiam diuere, & multi in aliis ſcientiis ex eius ignorantia errores procedant. Quod ſi vllo vſquam tempore accidit, hac ætate id euenire clara luce videmus: dum analogiam, vel indiſtinctionis, vel ordinis, vel conceptus præciſi vnitate, cum inæquali participatione conſtituunt. Ex dicendis namque patebit opiniones huiuſmodi à veritate (quæ vltro ſe offerebat) per abrupta deuiaſſe.

¶ Analogiæ igitur vocabulum proportionem ſeu proportionalitatem (vt à Græcis accepimus) in propoſito ſonat. adeò tamen extenſum diſtinctúmq; eſt, vt multa nomina analoga abuſiuè dicamus: & multarum diſtinctionũ adunatio ſi fieret, cõfuſionem pareret. Ne tamẽ rectum, obliqui iudicio priuetur, & ſingularitas in loquendo accuſetur, vnica diuiſione trimẽbri omnia cõprehendemus, & à minus p̃ priè analogis ad verè analoga procedemus.

¶ Ad tres ergo modos analogię analoga omnia reducũtur: ſcilicet ad analogiam inæqualitatis, & analogiam attributionis, & analogiam proportionalitatis. Quamuis ſecundum verã vocabuli proprietatem & vſum Ariſto. vltimus modus tantùm analogiam conſtituat, primus autem alienus ab analogia omnino ſit.

¶ Analoga ſecundum inæqualitatem vocantur, quorum nomen eſt commune, & ratio ſecundum illud nomẽ eſt omnino eadem, inæqualiter tamen participata. Et loquimur de inæqualitate perfectionis: vt corpus nomen commune eſt corpus inferioribus & ſuperioribus. Huiuſmodi autem analoga logicus vniuoca appellat, Philoſophus æquiuoca: eo quòd ille intentiones cõſiderat nominum, iſte autem naturas. vnde & in 10. Metaphy. text. com. vlti. Ariſt. dicit quòd corruptibili & incorruptibili nihil eſt commune vniuocum, deſpiciens vnitatem rationis, ſeu conceptus tantùm. Et in 7. Phyſi. tex. com. 13. dicitur iuxta genus latere æquiuocationes: quia huiuſmodi analogia cum vnitate conceptus non dicit vnam naturam ſimpliciter, ſed multas cõplectitur ſub ſe naturas ordinem inter ſe habentes: vt patet inter ſpecies cuiuſcunque generis ſpecialiſſimas, & ſubalternas magis. Omne enim genus analogum hoc modo appellari poteſt: licet nõ multùm conſueuerint niſi generaliſſima & his propinqua, ſic vocari: vt patet de quantitate & qualitate in prædicamentis & corpore, &c. Hanc analogiã S. Tho. in primo ſent. diſt. 19. vocat analogiam ſecundum eſſe tãtùm, eo quòd analogata parificantur in oratione ſignificata per illud nomen commune, ſed nõ parificantur in eſſe illius rationis. Perfectius ſiquidem eſſe habet in vno, quàm in alio cuiuſcunque generis ratio, vt in Metaphyſica pluries patet. Non ſolùm enim planta eſt nobilior minera, ſed corporeitas in planta eſt nobilior corporeitate in minera: & ſic de aliis. Perhibet quoque huic analogiæ teſtimonium Auer. in com. 212. Metaph. dicens, cum vnitate generis ſtare prioritatem & poſterioritatẽ eorum, quæ ſub genere ſunt. Hæc pro tanto analoga vocantur: quia conſiderata inæquali perfectione inferiorum per prius & poſterius ordine perfectionis, de illis dicitur nomen illud commune. Et iam in vſum venit, vt quaſi ſynonimè dicamus aliquid dici analogicè, & dici per prius & poſterius. Abuſio tamen vocabulorum hæc eſt: quoniam dici per prius & poſterius, ſuperius eſt ad dici analogicè. In huiuſmodi autem analogis, quomodo inueniantur vnitas, abſtractio, prædicatio, comparatio, demonſtratio, & alia huiuſmodi, non oportet determinare: quoniam vniuoca ſunt ſecundum veritatem, & vniuocorum canones in eis ſeruandi ſunt.

CAPVT II.

Analogia attributionis quid ſit, & quibus modis fiat, & quæ eius conditiones.

ANALOGA autem ſecundum attributionem ſunt, quorum nomen eſt cõmune: ratio autẽ ſecundum illud nomen eſt eadẽ ſecundũ terminum, & diuerſa ſecundũ habitudines ad illud. Vt Sanum commune nomen eſt medicinæ, & vrinæ, & animali, & ratio omnium inquantum ſana ſunt, ad vnum terminũ, ſanitatẽ ſcilicet, diuerſas dicit habitudines. Si quis enim aſſignet quid eſt animal, inquantum ſanum, ſubiectum dicet ſanitatis: vrinam verò inquantum ſanam, ſignum ſanitatis: medicinam autem, inquantum ſanam, cauſam ſanitatis proferet. Vbi clarè patet, rationem ſani eſſe nec omnino eandem, nec omnino diuerſam: ſed eãdem ſecundum quid, & diuerſam ſecundum quid: eſt enim diuerſitas habitudinum, & identitas termini illarum habitudinum.

¶ Quadrupliciter autẽ fieri poteſt huiuſmodi analogia ſecũdum quatuor genera cauſarũ: vocãlo pro nunc cauſam exẽplarẽ, cauſam formalem. Contigit ſiquidẽ multa ad vnũ finem, & ad vnum efficiens, & ad vnum exemplar, & ad vnum ſubiectum ſecundum aliquam vnam denominationem, attributionem, diuerſimodè habere: vt patet ex exemplis ipſius Ariſt. Ad cauſam enim ſinalem pertinet exemplum de ſano in 3. Metaph. tex. comm. 2. ad efficiẽtem verò exemplum de medicinali ibidem poſitũ: ad materialem autem analogia entis ibidem ſubiuncta: ad exemplarem demum analogia boni poſita in prima Ethic. c. 7. Attribuuntur autem analogiæ huic multæ conditiones, ordinatè ſe conſequentes: ſcilicet quod analogia iſta ſit ſecundũ denominationem extrinſecã tantùm: ita quòd primũ analogatorum tãtùm eſt tale formaliter, cætera autem talia denominantur extrinſecè. Sanũ enim ipſum animal formaliter eſt: vrina verò & medicina & alia huiuſmodi ſana denominantur non à ſanitate eis inhærente, ſed extrinſecè ab illa animalis ſanitate ſignificatiuè vel cauſaliter, &c. Medicatiuum quoque, à medicinali arte deriuatum, medicum formaliter denominat. Inſtrumenta verò & quæcunque alia medicatiua dicũtur, extrinſeca denominatione ab illa arte dicuntur. Sola etiã ſubſtantia formaliter eſt ens, quaſi eſſet ſubiectum, & habens eſſe: cætera autẽ entia ideo dicuntur, quia illius entis menſurę, diſpoſitiones, actiua, &c. ſunt. Boni quoq; ratio in bono per eſſentiã ſaluata quo exemplariter cætera denominãtur bona, in ſolo primo bono formaliter inuenitur, reliqua aũt extrinſeca denominatione ſecundũ illud bonũ bona dicũtur. Sed diligẽter aduertendũ eſt, q̃ hæc huiuſmodi analogiæ cõditio, ſ. q̃ non fit ſecundum genus cauſæ formalis inhærentis, ſed ſemper ſecundum aliquid extrinſecum, eſt formaliter intelligenda, & non materialiter: id eſt, non eſt intelligendum per hoc quòd omne nomẽ quod eſt analogũ per attributionem, eſt cõmune analogatis, ſic q̃ primò tantùm conuenit formaliter: cæteris autem extrinſeca denominatione, (vt de ſano & medicabili accidit) iſta eñ vniuerſalis eſt falſa: & vt patet de ente & bono, nec haberi põt ex dictis, niſi materialiter intellectis. Sed eſt ex hoc intelligendum, quòd omne nomen analogum per attributionem vt ſic, vel inquantũ ſic analogũ commune eſt analogatis ſic, q̃ primo conuenit formaliter, reliquis autem extrinſeca denominatione. Hoc ſiquidem verum eſt, & ex formali intellectu præcedentium manifeſtè ſequitur. Ens enim quamuis formaliter cõueniat omnibus ſubſtantiis & accidẽtibus &c. inquantum tamen entia omnia dicuntur ab ente ſubiectiuè vt ſic, ſola ſubſtantia eſt ens formaliter: cætera autem entia dicũtur, quia entis paſſiones vel generationes, &c. ſunt, licet entia formaliter alia ratione dici poſſint. Et ſimile eſt de bono. Licet enim omnia entia bona ſint bonitatibus ſibi formaliter inhærẽtibus: inquantum tamen bona dicuntur bonitate prima effectiuè aut finaliter, aut exemplariter, omnia alia non niſi extrinſeca denominatione bona dicuntur illamet bonitate, qua Deus ipſe bonus formaliter in ſe eſt.

¶ Et ex hac cõditione ſtatim infertur alia: ſ. quòd illum vnum ad quod diuerſę habitudines terminantur in huiuſmodi analogis, eſt vnum non ſolum ratione, ſed numero. Quod dupliciter intelligi poteſt ſecũdũ quòd analogata dupliciter ſumi poſſũt, ſcilicet vniuerſaliter & particulariter. Si enim ſumuntur analogata particulariter, illud vnum neceſſariò eſt vnum numero verè & poſitiuè. Si autem ſumãtur vniuerſaliter, illud vnum neceſſariò eſt vnum numero negatiuè, id eſt non numeratur in illis analogatis vt ſic, quãuis in ſe ſit vniuerſale quoddã & nõ vnũ numero. Verbi gratia: ſi ſumantur hæc vrina ſana, hæc medicina ſana, & hoc animal ſanum: hæc omnia dicuntur ſana ſanitate exiſtente in hoc animali, quã cõſtat vnã numero vere eſſe. Socrates enim dicitur ſanus, quia hanc habet ſanitatẽ: medicina, qa illam facit: vrina quia eandem ſignificat, &c. Si verò ſumantur animal ſanum in cõmuni, & vrina ſana in communi, & medicina ſana in communi: ſic formaliter loquẽdo, ſanitas à qua huiuſmodi ſana dicuntur, non eſt vna numero in ſe: eo quòd cauſæ vniuerſales effectibus vniuerſalibus comparandæ ſunt. Et ſimile eſt de ſignis, & inſtrumentis conſeruatiuis, & aliis huiuſmodi: ſed eſt vna numero in iſtis analogatis. Non enim numeratur ſanitas in animali, vrina & diæta: quoniam non eſt alia ſanitas in vrina, & alia in diæta, & alia in animali. Et ſequitur conditio iſta ex præcedenti, quoniã cõmune ſecundũ denominationẽ extrinſecam non numerat id, à quo denominatio ſumitur in denominatis, ſicut vniuocum multiplicatur in ſuis vniuocatis: & propter hoc, dicitur vnum ratione tantùm, & non numero, in ſuis vniuocatis. Alia eñ eſt animalitas hominis, & alia equi, & alia boni animalis nomine adunante in vna ratione.

¶ Ex hac aũt conditione infertur alia: ſcilicet q̃ primum analogatum ponitur in ratione cæterorũ ſecũdũ illud nomen analogum: quoniam cætera non ſuſcipiunt illud nomen niſi per attributionem ad primum: in quo formaliter ſaluatur eius ratio. Cadit ſiquidem in ratione medicinæ, & diætæ, & vrinæ, &c. inquantum ſana ſunt animalis ſanitas: ſine quaintelligi cætera ſana non poſſunt. & ſimile eſt de aliis iudicium. Ex hoc aũt ſequitur vlterius, quòd nomẽ ſic analogum vnum certum ſignificatum commune omnibus partialib⁹ eius modis, ſeu omnib⁹ analogatis nõ habet. Et cõſequenter, q̃ nec conceptũ obiectiuum, nec conceptũ formalẽ abſtrahẽtem à cõceptib⁹ analogatorum habet: ſed ſola vox cum identitate termini diuerſimodè reſpecti cõmunis eſt. Ita q̃ cum

cum in hac analogia ſint tria: vox ſcilicet, terminus reſpectus diuerſi ad illum, nomẽ analogum terminũm quidẽ diſtinctè ſignificat (vt ſanum ſanitatem) reſpectus autem diuerſos ita indeterminatè & confuſè importat, vt primum diſtinctè vel quaſi diſtinctè oſtendat: cæteros autem cõtuſè, & per reductionem ad primum. Sanum enim reſpectus multos ad ſanitatem, puta habentis, ſignificantis, cauſantis, &c. ſic in vna voce ſanitatẽ diſtinctè importat cõfuſè: vt reſpectũ primũ, ſcilicet habẽtis ſeu ſubiecti diſtinctè ſignificet. Sanum enim abſolutè dicimus ſanitatem habentem, vt ſubiectũ: cæteros autem reſpectus indeterminatè importat & per attributionem ad primum: vt patet ex dictis. Et propter hoc tria de huiuſmodi analogo dicũtur, ſcilicet q̃ commune eſt omnibus analogatis non ſecundum vocem tantum: & q̃ ſimpliciter prolatum ſtat pro primo: quod non eſt prius primo analogato, in quod tota ratio formaliter ſaluatur. Primum quidem peculiarius ſignificat, & ſupra omnia analogata ſuperius ſignificatum non habet.

¶ Diuiditur autem à S. Tho. analogia hæc in analogiam duorum ad tertium: vt vrinæ & medicinæ ad animal ſanum: & in analogiã vnius ad alterum: vt vrinæ vel medicinæ ad animal ſanum. Nec habet diuiſio iſta alia membra à ſupradictis: qm̃ hoc circuit analogiam ſecundum omnia genera cauſarum: ſed ad hoc facta eſt, vt oſtẽdatur differenter ſuſcipi nomen analogum, quando ponitur primum analogatum ex vna parte, & cætera ex alia parte: & quando ſecundorum analogatorum vnum hinc & alterum inde ponitur, ſecundum quodcunq; genus cauſæ analogia fiat. Primo enim & cæteris ſic cõmune eſt analogum, vt nihil eis prius ponat aut ſignificet: & propterea vocatur analogia vnius ad alterũ, ponendo omnia alia à primo loco vnius. Secundis autem analogatis ſic cõmune eſt nomen analogum, vt aliquid eis prius ponat: primum ſcilicet ad quod omnia ſecũda attribuuntur. Et vocatur analogia duorum ad tertium, vel multorum ad vnum. quia non inter ſe eſt attributio, ſed ad primũ. Appellantur autem analoga ſecundum attributionem à Logico æquiuoca: vt in principio Prædicamẽtorum patet: vbi animal æquiuocum dicitur ad animal verum & pictũ. Animal enim pictũ non purè æquiuocè, ſed per attributionem ad animal verũ animal dicitur: & in ratione eius inquantum animal manifeſtè patet verum animal accipi. Quærẽti enim, quid animal pictum in eo q̃ animal? reſpõdebitur, imago animalis vteri. A Philoſophis verò Græcis, nomina ex vno, vel ad vnum aut in vno & media inter æquiuoca & vniuoca dicuntur: vt pluries in Metaphyſi. patet & expreſſè in 1. Ethic. huiuſmodi nomina contra analoga diſtinguuntur, vt infrà amplius dicetur. A Latinis autem vocãtur analoga vel æquiuoca à cõſilio. Hãc analogiam S. Tho. in primo ſent. diſt. 19. vocat analogiã ſecundũ intentionẽ, & nõ ſecundũ eſſe, eo q̃ nomẽ analogũ nõ ſit hic cõmune ſecundũ eſſe, id eſt formaliter: ſed ſecundũ intentionẽ, id eſt, ſecundũ denominationẽ: vt enim ex dictis patet in hac analogia nomen cõmune non ſaluatur formaliter niſi in primo, de cæteris autem extrinſeca denominatione dicitur. Hæc ideò analoga apud Latinos dicuntur quia proportiones diuerſas ad vnum dicunt extenſo proportionis nomine ad omnem habitudinẽ: abuſiuè tamen loquutio hæc eſt, quamuis longè minor, quàm prima. Quomodo autem de huiuſmodi analogis ſit ſcientia, & cõtradictiones, & demonſtrationes, & conſequentię & alia huiuſmodi de eis fiant, ex dictis & Ariſtotelis conſuetudine patet. Oportet enim ſignificationes diuerſas prius diſtinguere (propter quod ambigua apud Arabes hæc dicuntur) & deinde à primo ad alia procedere: ſicut à centro ad circunferentiam diuerſis proceditur viis.

CAPVT III.

Analogia proportionalitatis quid & quotuplex ſit, & quomodo propriè analogia dicatur.

EX abuſiuè igitur analogis ad propriè analoga aſcendendo, dicimus analoga ſecundum proportionalitatem dici, quorũ nomen eſt commune, & ratio ſecundum illud nomen eſt proportionaliter eadẽ. Vel ſic, Analoga ſecundum proportionalitatẽ dicuntur, quorum nomen commune eſt, & ratio ſecundum illud nomẽ eſt ſimilis ſecundum proportionẽ: vt videre corporali viſione, & videre intellectualiter, communi nomine vocantur videre: quia ſic intelligere rẽ animæ offert, vt videre corpori animato. Quamuis autẽ proportio vocetur certa habitudo vnius quantitatis ad aliã (ſecundum quod dicimus quatuor duplam proportionẽ habere ad duo) & proportionalitas dicatur ſimilitudo duarum proportionũ: ſecũdum quod dicimus ita ſe habere octo ad quatuor, quemadmodũ ſex ad tria. vtrobiq; enim dupla proportio eſt, &c. Tranſtulerunt tamen Philoſophi proportionis nomen ad omnem habitudinem conformitatis commenſurationis, capacitatis, &c. Et conſequenter proportionalitatem extẽderunt ad omnẽ ſimilitudinem habitudinum. Et ſic in propoſito vocabulis iſtis vtimur.

¶ Fit autẽ duobus modis analogia hæc. ſ. metaphoricè & propriè. Metaphoricè quidẽ, quãdo nomen illud commune abſolutè vnã habet rationem formalem, quæ in vno analogatorum ſaluatur, & per metaphorã de alio dicitur: vt ridere, vnam ſecundum ſe rationem habet, analogum tamen metaphoricè eſt vero riſui, & prato florenti, aut fortunę ſucceſſui. ſic enim ſignificamus hæc ſe habere, quẽadmodum homo ridẽs. Et huiuſmodi analogia ſacra Scriptura plena eſt, de Deo metaphoricè notitiam tradẽs. Propriè verò ſit quando nomen illud cõmune in vtroq; analogatorum abſque metaphoris dicitur: vt principium in corde reſpectu animalis, & infundamento reſpectu domus ſaluatur. Quod vt Auerrois in com. ſeptimo primi Ethic. ait, proportionaliter de eis dicitur.

¶ Præponitur autem analogia hæc cæteris antedictis dignitate & nomine. Dignitate quidẽ: quia hæc fit ſecũdum genus cauſæ formalis inhærentis: qm̃ prædicatea, quæ ſingulis inhærent. Altera verò ſecũdum extrinſecã denominationem fit. Nomine autẽ: qm̃ analoga nomina apud Græcos (à quibus analogiæ vocabulũ habemus) hæc tantùm dicuntur: vt ex Ariſt. etiam colligitur, qui in Metaphyſica, nomina quæ dicimus analoga per attributionem, ex vno, vel ad vnum, vel in vno vocat: vt patet in principio 4. & in 7. tex. com. 15. In quinto autẽ Metaph. cap. de vno, in tex. 12. diffiniens vnum ſecundum analogiã, vt ſynonymis vtitur vnũ analogia & vnum proportione: & diffinit eſſe ea, quæcunq; ſe habẽt vt aliud ad aliud, aperiè inſinuans illã eſſe propriè analogorũ diffinitionem, quã diximus. Quod tamen clarius in Arabica habetur trãſlatione, dicente, Illa quę ſunt vnum ſecundùm æqualitatẽ, ſcilicet proportionalem, ſunt quorũ proportio eſt vna ſicut proportio alicuius rei ad aliã rem. vbi Auer. exponẽs ait, Et illa dicuntur vnum, q̃ ſunt vnum ſecundum proportionalitatem: ſicut dicitur, q̃ proportio rectoris ad ciuitatem & gubernatoris ad nauem, eſt vna. In ſecundo quoq; Poſte. c. 11. hmõi nomina proportionalia analoga vocat. Et qd plus eſt, in primo Ethic. c. 7. diſtinguit ſupradicta nomina ad vnum aut ex vno: contra analoga, dum loquens de communitate boni ad ea quæ bona dicuntur, ait, Non aſſimilantur à caſu æquiuocis, ſed certe ei, quod eſt ab vno eſſe, vel ad vnum nomina contendere, vel magis ſecundum analogiã. Et ſubdens exemplum analogiæ dicit: Sicut enim in cõrpore viſus, in anima intellectus. In quibus verbis lectori nõ ſolum nomen analogiæ hoc, qd diximus, ſonare docuit, ſed præferẽda eſſe in prædicationibus metaphyſicis hanc inſinuauit analogiam in ly magis: vt S. Th. ibidem propter ſupradictã rationem optimè exponit. Scimus ſiquidem ſecundum hanc analogiam, rerum intrinſecas entitates, bonitates, veritates, &c. quod ex priori analogia nõ ſcitur. Vnde ſine huiuſmodi analogiæ notitia metaphyſicales proceſſus abſque arte diſcuntur. Acciditque huiuſmodi ignorantibus, quod antiquis neſcientibus logicam: vt in 2. Elenchorum dicitur. Nec fuit fortè ab Ariſt. tempore tam periculoſus caſus iſte, ſicut modò apud nos eſt: quoniam blaſphemare fere videtur, qui metaphyſicales terminos analogos dicens ſecundum proportionalitatem communes exponit. Cum tamen Auer. dicat ſuper prędicto textu, Et dignius his tribus modis eſt, vt ſit nomen boni dictum de eis ſecundum viam, quia dicitur de proportionalibus. Vocatur quoque à S. Thoma in primo Sent. diſt. 19. analogia hæc analogia ſecundum eſſe & ſecundum intentionem: eo quod analogata iſta nec in ratione communis nominis nec in eſſe illius rationis parificantur, & tamen tam in ratione illius nominis, quam in eſſe eiuſdem proportionaliter conueniunt. Sed quoniam, vt dictum eſt, obſcura & neceſſaria valdè res hæc eſt, accurate diſtinctéque dilucidanda eſt per plura capitula.

CAPVT IIII.

Quomodo analogum nomen ab analogatis diſtinguatur.

QVoniam autem analogia media eſt inter æquiuocationem puram & vniuocationem, ex extremis medij natura declaranda eſt. Et quia in nominibus tria inueniuntur, ſcilicet vox, conceptus in anima, & res extra ſeu conceptus obiectiuus, ideo ſingula perluſtrando, dicendum eſt quomodo analogum ab analogatis diſtinguitur. Et à rebus incipiendo (quia priores conceptibus & nominibus ſunt) dicimus q̃ nomine æquiuoco diuerſæ res ſignificantur, q̃ vt ſic non niſi voce adunantur. Vniuoco verò diuerſæ res ita ſignificantur, quòd vt ſic ad rem in ſe ſimpliciter, vnam, abſtractam & præciſam in eſſe cognitio ab eis adunatur. Analogo autem nomine res diuerſæ ita ſignificantur, quod vt ſic ad res diuerſas ſecundum proportionem vnam vniuntur. Vocatur autem in propoſito res non ſolùm natura aliqua: ſed quicunque gradus, quæcunque realitas, & quodcunque reale in rebus inuẽtum. Vnde inter vniuocationem & analogiam hæc eſt differentia quòd res fundantes vniuocationem ſunt ſic adinuicem ſimiles, q̃ fundamentum ſimilitudinis in vna eſt eiuſdem rationis omnino cum fundamẽto ſimilitudinis in alia: ita quòd nihil claudit in ſe vnius ratio, q̃ non claudat alterius ratio. Ac per hoc fundamentũ vniuocæ ſimilitudinis, in vtroq; extremorũ æquè abſtrahit ab ipſis extremis. Res autem fundantes analogiã, ſic ſunt ſimiles, q̃ fundamentũ ſimilitudinis in vna diuerſæ eſt ratõis ſimpliciter à fundamento illius in alia: ita quòd vnius ratio non claudit id quod

Universidad de Deusto Biblioteca

claudit ratio alterius. Ac per hoc fundamentum analogæ similitudinis, in neutro extremorũ oportet esse abstractum ab ipsis extremis: sed remanent fundamenta distincta, similia tamen secundum proportionem: propter quod eadem proportionaliter vel analogicè dicũtur. Et vt omnibus possint prædicta patere, declarantur exemplariter in vniuocatione huius nominis animal & analogia huius nominis, ens, hõ, bos, leo & cætera animalia: quia habent in se singulas naturas sensitiuas seu proprias animalitates: quas constat diuersas secundum rem esse, & mutuo similes: sic ꝙ in quocũq; extremo (pura homine, aut leone) cõsideratur secundum se animalitas, ꝙ est similitudinis fundamentum, inuenitur ꝙualiter abstrahés ab eo, in quo est, & nihil includés in vno qd nõ in alio. & ideo & in rerũ natura fundãt secundũ suas animalitates similitudinẽ vniuocam: ꝙ identitas generica vocatur: & in esse cognito adunantur non ad duas vel tres animalitates, sed vnam tantum: quæ animalis nomine in concreto per se primo significatur, & vniuocè vocatur cõmuni nomine animal. Omnium siquidem eorum, secundũ ꝙ naturas sensitiuas habent, indistincta omnino est ratio: quæ illius rei quam animalitatem vocauimus, adæquata est diffinitio. Substantia autem, qualitas, quantitas, &c. quia non habent in suis quidditatibus aliquid prædicto modo abstrahibile (puta entitatem) quoniam supra substantialitatẽ nihil amplius restat: ideo nullã substantialitatẽ vniuocanté inter se compatiuntur. Et quia cũ hoc, ꝙ non solùm eorum quidditates sunt diuersæ, sed etiã primò diuersæ retinẽt similitudinẽ, in hoc, ꝙ vnumquodque eorum secundũ suã proportionẽ habet esse: ideo & in rerum natura non secundum aliquam eiusdem rationis in extremis, sed secundum proprias quidditates, vt commensuratas hic propriis esse fundant analogiam, id est, proportionalem similitudinem. Et in intellectu adunantur ad tot res quot sunt fundamenta, proportionis similitudine vnitas, significatas propter illam similitudinẽ, enuis nomine, & analogicè cõmuni nomine vocãtur ens. Differenter ergo res adunantur sub nomine Analogo & Vniuoco.

¶ Conceptus quoq; mentalis nõ eodem modo inuenitur in vniuocis & analogis: qm̃ nomen vniuocum & omnia vniuocata vt sic vnum tantum conceptum in mente habent perfectè & adæquatè eis correspõdentem: quia fundamentum vniuocæ similitudinis (quod significatum formale est nominis vniuoci) vniuomnino rationis est in omnibus vniuocatis: ac per hoc in vno repræsentato, omnia repsentari necesse est. In analogis verò, quoniam fundamenta analogæ similitudinis diuersarũ sunt rationum simpliciter, & eiusdem secundum quid (id est, secundum proportionem) oportet duplicem analogi mentalem conceptum distinguere: perfectum & imperfectum: & dicere ꝙ analogo & suis analogatis respondet vnus conceptus mentalis imperfectus & tot perfecti, quot sunt analogata. Quia enim vnum analogatorum vt sic, simile est alteri, consequens est, quòd conceptus repræsentans vnum, repræsentet alterum: iuxta illam maximam, Quicquid assimilatur simili vt sic, assimilatur etiam illi, cui illud tale est simile.

¶ Quia verò talis similitudo secundum proportionem tãum est, ꝙ diuersam rationem in altero fundamento habet: cõceptus perfectè repræsentans vnum analogatorũ à perfecta repræsentatione alterius deficit: & consequenter oportet alterius analogati alterum adæquatum conceptum esse. Vnde & analogum vnum habere mentalẽ conceptum & plures habere cõceptus mẽtales, verum est diuersimodè: quãuis, simpliciter loquendo, magis debeat dici, analogi esse plures conceptus, nisi loquendo occasio aliud exigat. Dico autem hoc, quoniã cum contradicendus analoga omnino carere vno conceptu mentali sermo est, vnũ eorum conceptũ absolute dicere non est reprehẽdendũ. Propter quod oportet solerti discretione lectorẽ vti: quando inuenitur scriptũ, quòd analogata conueniunt in vna ratione, & quando inuenitur alibi, quòd analoga non conueniunt in vna ratione. Est ergo differentia inter analogiam & vniuocationem quo ad conceptum mentalem, ita quod vniuoci & vniuocatorũ, vt sic vnus est cõceptus perfectè & adæquatè eis respondens: vt de conceptu animalis patet. Analogi verò & analogatorum vt sic, vt plures necessariò sũt conceptus perfectè ea repræsentantes, & vnus est conceptus imperfectè repræsentans. Non ita quòd sit vnus conceptus adequatè respondens nomini analogo, & inadæquatè analogatis: quoniã secundum veritatem nomen illud vniuocum esset, sed ita quòd conceptus vnus repræsentans perfectè alterum analogatum vt sic, imperfectè repræsentat reliquum. Quo ad vocem autem, non est inter analoga & vniuoca differentia.

¶ His autẽ prælibatis, intentũ facilè patere potest, quomodo scilicet distinguitur analogũ, puta, ens ab analogatis: puta, substãtia, quantitate & qualitate. Vniuocũ enim, puta animal, distinguitur ab vniuocatis (puta homine & leone) quo ad rem significatã seu conceptum obiectiuum, & quo ad conceptũ mentalẽ sicut vnum simpliciter abstractũ, &c. à multis simpliciter, &c. Analogum verò quo ad rem seu obiectum conceptum distinguitur sicut vnum proportione à multis simpliciter, vel (& idem est) sicut multa & similia secundum proportiones à multis absolutè: verbi gratia, Ens distinguitur à substantia & quantitate: non quia significat rem quandam eis cõmunem, sed quia substantia quidditatem tãtùm substantiæ importat, & similiter quãtitas quidditatem quantitatis absolutè significat: ens autẽ significat ambas quidditates vt similes secundum proportiones ad suã esse: & hoc est dicere vt easdẽ proportionabiliter. Quo ad conceptũ autem mentalẽ adæquatũ hoc quoq; eodẽ omnino modo distinguitur. Secundum conceptum verò mentalẽ imperfectũ, quamuis distinguatur sicut vnũ simpliciter à multis simpliciter, non tamẽ sicut vnum abstrahens in repræsentando ab illis multis, quẽadmodum in vniuocis contingat. Quoniam, vt ex dictis patet, conceptus ille, puta, qualitatis, inquantum ens, alterius analogati, id est ipsius qualitatis, secũdum quòd se habet ad suum esse, est adæquatè repræsentatiuus, & à qualitatis quidditate non abstrahens, cæterorum verò (puta quantitatis & substantiæ) imperfectè tantùm est repræsentatiuus, inquantum eis similis proportionabiliter est.

CAPVT V.

Qualis sit abstractio analogi ab analogatis.

OPORTET autem ex præmissis ostendere, qualiter analogũ abstrahat ab his, quibus cõmune secundum analogiam dicitur: puta, qualiter ens abstrahit à substãtia & quãtitate. Insurgit siquidem difficultas quædam in re hac, & ex parte rerum, & ex parte conceptus. Ex parte siquidem rerum: quia videtur analogi nominis res significata eodem, abstrahibilis & abstracta modo quo res vniuoco nomine significata. Qm̃ cum (vt in 5. Meta. dicitur) vnũ in qualitate faciat simile, nulla apparet ratio cur à quibusdam similibus sit vna res abstrahibilis, & à quibusdã nõ, licet euidens rõ sit, cur ab his similib⁹, puta Socrate & Platone, abstrahibilis sit res magis vna, & ab illis, puta homine & lapide, minus vna. Vnde si substãtia & quãtitas assimilanẽ in hoc ꝙ vtraque est ens, & cõsequẽter in eis est aliqd vnũ, qd est fundamentũ illius similitudinis, quod vetat ab eis abstrahi rem vnã vtriq; cõmunẽ? Ex parte verò cõceptus, quia videt eodem modo cõcept⁹ analogi abstrahere ab analogatis, sicut vniuocũ ab vniuocatis, eo ꝙ analogũ nomẽ importat in cõfuso singulas proportiones analogatorũ, & distinctè non significat nisi ꝓportionẽ in cõmuni. verbi gratia, ens non significat habẽs se ad esse sic vel sic, puta vt substantia aut vt quantitas: sed si ꝓportionale nomẽ est, significare videt habens se ad esse secundũ aliquã proportionem, quæcunque sit illa. Hoc autẽ constat esse æque abstractum à substantia, & à quãtitate: & consequenter per modum vniuoci in analogis abstractio conceptus apparet.

VT Autem euidens fiat huius ambiguitatis determinatio, sciẽdum est, quòd licet abstrahere diuersa significet, cum dicimus intellectum abstrahere animal ab homine & equo, & cum dicimus animal abstrahere ab homine & equo: eo ꝙ tunc significat ipsam intellectus operationẽ attingẽtem in eis vnũ & nõ alia: nunc verò significat extrinsecam denominationẽ ab illa intellectus operatione, qua res cognita abstracta denominatur. In vnũ tamen & idẽ semper tẽdit: quoniam semper sonat intelligi vnũ, non intellecto altero. Ideoq; nihil aliud est agere de abstractione analogi ab analogatis, quàm inquirere & determinare, quomodo res significata analogo nomine intelligi possit, nõ cointellectis analogatis: & quomodo conceptus illius habeatur absque conceptibus istorum. cùm igitur ex supradictis, & ex ipso analogiæ vocabulo pateat, ꝙ analogo nomine non simpliciter vna res, sed res proportione vna significatur: talis aũt idem est quod res diuersæ, vt similes proportionaliter, facilè deduci potest, quòd res analoga potest quidem intelligi non cointellectis analogatis, & cõsequenter abstrahere ab eis. Sed non sicut in vniuocis res vna (puta natura sensitiua, seu animal intelligitur non cointellectis omni natura humana & equina, vt sic) sed sicut duæ res vt proportionaliter similes intelligũtur, nõ cointellectis ipsiusmet duabus reb⁹ secũdũ suas proprias naturas absolutè. Ita ꝙ analogi abstractio non consistit in cognitione vnius, & non in cognitione alterius: sed in vnius & eiusdem intellectione vt sic, & non in intellectione absolutè. verbi gratia, entis abstractio non cõsistit in hoc, quòd entitas apprehẽditur, & substãtia aut quãtitas non: sed in hoc ꝙ substantia, aut quantitas apprehẽditur, vt sic se habet ad propriũ esse: secundum hoc enim similitudo proportionaliter attenditur: & non apprehenditur substantia, aut quantitas absolutè. Et simile est de aliis rebus analogis, quales sunt ferè omnes Metaphysicales. Vnde cõcedi potest, rem analogam abstrahere, & non abstrahere ab analogatis diuersimodè. Abstrahere quidem, pro quanto abstrahit ab eis, quemadmodum res vt sic, id est res similis alteri proportionaliter abstrahit à se absolutè sumpta. Nõ abstrahere verò, ꝙ pro quanto res vt sic accepta seipsam necessariò includit, & absque seipsa intelligi non põt. Quod de vniuocis dici non potest: quia res vniuoca, absque aliis, quibus est vniuocè communis, intelligitur, sic ꝙ eas in suo intellectu nullo modo actualiter includit: vt patet.

OBIECTIONI Autem ad oppositũ adductæ ex analogiæ simili

militudinis natura, facilè satisfit, dicendo, quod cùm vnum multipliciter dicatur, non oportet omnem similitudinem attendi secundum vnum simpliciter, sed quandoque sufficit, quòd vnum secundum proportionem faciat simile. Vnum autem proportionaliter non est simpliciter vnum, sed multa similia secundum proportiones, à quibus ideo non potest abstrahi res vna simpliciter: quia similitudo ipsa proportionalis tantũ est, & fundamentũ non est vnum nisi proportionaliter. De ratione siquidem vnius proportionaliter, est habere quæuor terminos: vt in quinto Ethic. dicitur. Quoniã proportionalitas, qua similitudo proportionum fit inter quatuor ad minus (quæ duarum proportionum extrema sunt) necessariò est, & consequenter vnum proportione non vnificatur simpliciter, sed distinctionem retinẽs, vnum pro tanto est, & dicitur, pro quanto proportionibus dissimilibus diuisum non est. Vnde sicut non est alia ratio quare vnum proportionaliter nõ est vnũ absolutè, nisi quia ista est eius ratio formalis: ita non est quærenda alia ratio, cur à similibus proportionaliter non potest abstrahi res vna, hoc enim ideo est, quia similitudo proportionalis talem in sua ratione diuersitatem claudit. Et accidit vlterius procedentibus, vt quærant id, quod sub quæstione non cadit: vt quare homo est animal rationale, &c.

DE Abstractione quoq; conceptus eodem dicendum est modo, abstrahit eñ conceptus analogi nominis nõ sicut vnum simpliciter, sed sicut vnum proportione: seu simile secũdum proportiones à multis absolutè. Sed quia obiiciendo tangitur de abstractione conceptus analogi à specialibus conceptibus illius analogiæ, & abusiuè analogata ibidem vocantur partiales analogi rationes: ideo diligenter cauendum est, ne apparentia in obiectione tacta in illum errorẽ ducat, qui ibi tangitur. Sciendũ siquidẽ est, ꝙ licet in analogis secundũ attributionẽ in hoc omnia analogata conueniãt, ꝙ eandẽ formã omnino respiciunt: ita ꝙ nõ solũ conueniũt in vno termino, sed in hoc quod est respicere illum. Erroneum tñ est, analogo per attributionem cõceptum vnum respectus in cõmuni ad illum terminũ per abstractionem à tali & tali respectu attribuere: verbi gratia, Animal inquãtum sanum, vrina inquantum sana, & medicina inquãtum sana, licet conueniant & in sanitate tanquam termino, cuius animal est subiectum, vrina signum, & medicina causa, & conueniãt in hoc, ꝙ respiciãt sanitatem: quodlibet enim eorum sanitatem respicit, licet diuersimodè. Ab his tamẽ specialibus respectibus nõ abstrahitur respectus in communi ad sanitatẽ, importatus sani nomine: in cuius respectu omnes speciales respectus ad sanitatem, confusè & in potẽtia claudantur. Falsum enim est, quòd sanum significet hoc qd̃ dico, respiciens, vel aliqualiter se habens ad sanitatẽ. Tum quia sic Sani nomen vniuocum verè esset ad vrinam & animal, &c. vt patet ex vniuocorum diffinitione. Tum quia hoc est contra intentionem dicentium, vrinam aut diætã sanã. Percunctãtibus siquidem, quid est vrina inquãtum sana, nõ respondetur, respiciẽs sanitatem: sed omnes respectum illum specificant, respondentes signum sanitatis, & similiter de diæta respondetur, quòd est conseruatiua sanitatis, &c. Tum quia contra omnes & Philosophos & Logicos huiusque à me visos hoc est. Sicut autem in prædictis analogis prædictus cauẽdus est error: ita in analogis secundum proportionem (quæ sola simpliciter analoga sunt) similis cauendus est error, ex simili causa apparentiæ sitmitatem trahens. Quia enim analogata conueniunt in hoc, quòd vnumquodq; eorum commensuratum seu proportionatum est, licet diuersimodè, credi potest quòd ab his specialibus proportionibus abstrahatur proportionatum in communi, & nomine analogo significetur. Ac per hoc analogum habeat conceptum vnum, in quo confusè & in potentia claudantur omnes speciales propositiones analogatorum: verbi gratia, vt quia substantia proportionata est suo esse, & similiter quãtitas & qualitas, licet diuersimodè: ideo à substantia, quantitate & qualitate, diuersimodè proportionalitatis suis esse, abstrahatur res siue quidditas proportionem habens ad esse: qualiscunque sit illa proportio, & hoc sit entis primarium significatum, in quo omnes speciales proportiones substantiæ, quantitatis & qualitatis, &c. ad sua esse confusè claudantur & in potentia.

¶ Sed hoc falsissimum est. Tum quia hoc quod dicitur, scilicet res proportionata ad hoc ꝙ sit, non est res vna simpliciter etiam in esse obiectiuo, nisi chimæricè. Tum quia proportionalia nomina vniuoca essent (vt ex vniuocorum diffinitione patet) & cõsequenter periret proportionalitatis ratio, quæ extrema vnũ simpliciter esse non cõpatitur, & sic essent proportionalia & nõ proportionata: quod intellectus capere nõ põt. Tum quia cõtra Arist. autoritatem in secundo post inferius adducendã, & adductã ex primo Ethi. & S. Tho. & Auer. & Alberti expresè est. Vnde cõfusio, qua analogũ tã secundũ attributionẽ quã secundũ proportionem importat speciales habitudines aut proportiones, nõ est cõfusio plurium cõceptuum in vno cõi conceptu: sed est confusio significationũ in vna voce, licet difformiter. Quoniã in analogia attributionis vox analoga primũ distinctè significat, cætera aũt cõfusè. In analogia verò proportionis, nomen analogum ad omnes suas significationes indistinctè se habere permittitur.

¶ Cautũ tamen & attẽtum oportet hic esse: quia cum analogi rationes dupliciter sumi possint, scilicet secundum se, & vt eadẽ & ipse vt eadẽ propter idẽtitatis ꝓportionalis naturã non abstrahãt à seipsis: & tamen aliquid conueniet eis ratione identitatis, seu inquantum eadem sunt, quod non conuenit eis ratione diuersitatis (vt patet de communibus eis) videtur quòd duo incompossibilia secundum apparentiam, analogi rationibus conueniant, scilicet quòd ipsæ vt eadem non abstrahant à seipsis, & quòd ipsæ, vt eadem aliquid causent, & habeãt, & quod nõ vt diuersæ, reduplicatiq; possint vt eadem, nõ reduplicatis, vt diuersæ sunt. Hæc enim non solùm cõpossibiliter, sed necessariò simul sibi vendicar identitas proportionalis: quoniam & extrema vniri omnino non patiens, ab eis omnino abstrahi non permittit: & extrema aliqualiter indiuisa & eadem ponens, vt eadem ea considerabilia & reduplicabilia exigit. Sicque sit, vt analogo secundum identitatem in se clausam, ad diuersitatem rationum in se quoque clausam comparato, abstractio quædam (quæ non tam abstractio, quàm quidam abstractionis modus est) inueniatur: propter quam non solum ab analogatis (puta substantia & quantitate) analogum, puta ens, abstrahere dicitur: vt suprà diximus. Sed ab ipsis eius rationi bene, seu à diuersitate ipsarum rationum eius, puta rationis entis in substantia, & rationis entis in quantitate. Nõ quia quandam rationem eis cõmunem dicat: quia hoc est fatuum, nec quia illæ rationes omnino sint eædem, aut eas omnino vniat: quia sic non esset analogum, sed vniuocum: sed quia eas proportionaliter adunans, & vt easdem proportionaliter significans, vt easdem considerandas offert, annexa inseparabiliter diuersitate quasi secluſa, & identitate proportionali vnit, & confundit quodammodo diuersitatem rationum. Sicque non sola significationum in voce confusio, analogo conuenit, sed confusio quædam conceptuum, seu rationum sit in identitate eorum proportionali, sic tamen vt non tam conceptus, quàm eorum diuersitas confundatur. Et quoniam analogum talem identitatem præcipuè importat: & tali confusione frequenter vtimur, analoga nomina ab omni rationum eius diuersitate abstrahere dicentes (dum confusè pro omnibus supponere ipsum pluries exponimus) ideo nõ mediocri opus est vigilantia, ne in vniuocationem labi contingat. Abstrahit igitur analogum à suis analogatis (puta ens à substantia & quantitate) sicut vnum proportione à multis, seu sicut similia proportionaliter à seipsis absolutè tam quo ad conceptum obiectiuum, quàm mentalem, siue sit sermo de abstractione totali, siue de formali. Hæ enim abstractiones non differunt in eodem, nisi secundum præcisionem, & non præcisionem: vt alibi declaramus. Vnde nihil aliud est dicere ens abstractum à naturis prædicamẽtorum abstractione formali, quam dicere naturas prædicamentales proportionales ad suã esse, vt sic præcisè: à specialibus autem seu singulis analogiæ rationibus extremis, non tertio conceptu simplici, sed voce communi & identitate proportionali earundem, quodammodo abstrahit.

CAPVT VI.

Qualis sit prædicatio analogi de suis analogatis.

VIdebitur autem fortè alicui ex his quòd prædicatio analogi de suis analogatis (puta entis de substantia, & quantitate, aut formæ de anima & albedine, &c.) sit sicut prædicatio æquiuoci de suis æquiuocatis, ita quòd non sit prædicatio superioris de inferioribus, nec cõmunioris de minus communi, nisi sola voce, sed eiusdem de seipso. Non est enim analogo res vna significata, quæ in vtroque analogatorum saluetur. absque hoc autem prædicatio cõmunioris, aut superioris non inuenitur secundum intrinsecam denominationem, seu existentiam. Sic enim analogum secundum proportionalitatem commune esse dictum est. Fouere quoque potest non parum opinionem hanc processus iuxta primum Topic. Aut scilicet analogum est prædicatum conuertibile, aut inconuertibile secluſa vocis communitate. Et cùm constet non esse inconuertibile (quoniam subſtantia vt sic se habens ad suum esse, quod ens de substantia dictum prædicat, conuertitur cum substantia: & similiter quantitas sic commensurata suo esse, cum quantitate conuertitur, & sic de aliis) consequens est, quòd analogum tanquam superius, de analogatis prædicari non possit. Superioris enim intentionem susciepere non potest, quod conuertibile esse cõprobatur. Et quoniam secundum veritatem analogum vt superius prædicatur de analogatis, & non sola voce cõmune est eis: sed conceptu vnico proportionaliter: cuius vnitas ad hoc, quòd prædicatum aliquod superioribus rationem habeat, sufficit: quia superius nihil aliud sonat, quàm vnum prædicatum ad plura se extẽdens: vnum autem non per accidens, aut congregatione (sicut aceruus lapidum) sed per se, constat esse etiam vnũ proportione: ideo ad huius veritatis clatitatem ex extremis procedendo, sciendum est, quòd quia analogũ medium est inter

vniuocum & purè æquiuocum, consequens est, quòd analogum idem aliquo modo, & non idem aliquo modo de suis prædicet analogatis. Et quia prædicat aliquod abstrahens aliquo modo à suis analogatis (vt ex præmisso patet cap.) consequens est, ꝙ comparetur ad sua analogata vt maius ad minora, seu superius ad inferiora: licet non omnino vnũ secundũ rationem sit, quod eis imponit. Quod vt clarius pateat, figuraliter declaratur sic. Tam in æquiuocis quã vniuocis & analogatis, quatuor inueniuntur, scilicet duæ res ad minus, æquiuocatæ, vniuocatæ, aut analogatæ: & duæ res, seu rerum rationes æquiuocationem, vniuocationẽ, aut analogiam fundantes. verbi gratia, In æquiuocatione canis inueniuntur hæc quatuor, canis marinus, & canis terrestris, & ratio illius, & ratio illius secundũ nomen canis. In vniuocatione quoq; animalis inueniuntur quatuor, scilicet homo & Bos, & natura sensitiua hominis, & natura sensitiua Bouis: quæ animalis vniuocationem fundant. In analogia similiter entis quatuor sunt. substantia & quantitas, & substatia inquantum cõmensurata suo esse, & quantitas secundum quod suo esse proportionatur. Et licet prima duo. s. æquiuocata & vniuocata, & analogata eodem modo quantum ad propositum spectat in omnibus his distinguãtur, quia vbilibet ex opposito cõdistincta sunt: altera tamen duo vniuocationem, æquiuocationem & analogiã fundantia, diuersimodè vnira aut distincta sunt. In æquiuocis nãque rationes illæ, puta canis marini & terrestris, sunt omnino diuersæ secundũ rationẽ: & propter hoc id quod prædicat canis de marino cane, nullo modo prædicat de terrestri, & econuerso: & ideo sola voce communius, aut maius æquiuocatis dicitur, & est. In vniuocis verò res illæ (puta animalitas in Boue & animalitas in Leone) licet numero & specie diuersę sint, ratione tamen omnino eædem sunt: ratio enim vnius est omnino eadem ꝙ ratio alterius, & econuerso: & propter hoc id ꝙ prædicat animal de homine, idem omnino prædicat de Boue, & vniuocum dicitur & superius homine & Boue.

In analogis autem res analogiam fundantes (puta quantitas vt sic se habens ad esse: & substãtia vt sic se habẽs ad esse) licet diuersæ sint & numero, & specie, & genere, ratione tamen eædem sunt non omnino, sed proportionaliter: qm̃ vnius ratio proportionaliter eadem est alteri. Et propter hoc id quod prędicat analogum, puta ens de quãtitate, illudmet proportionaliter prædicat de substãtia, & econuerso. Est enim illudmet proportionaliter id, quod in substantia ponit, & econuerso: & propter hoc analogum (puta ens) non sola voce communius, maius aut superius analogatis est: sed conceptu (vt dictũ est) proportionaliter vno. Ita ꝙ analogum & vniuocũ cõueniunt in hoc, ꝙ vtrunq; cõmunioris & superioris rationem habet. Differũt autem in hoc, quòd illud est superius analogicè seu proportionaliter, hoc verò vniuocè. Et meritò: quia fundamentum superioritatis vtrobiq; saluatur, vniuocationis autem non. Fundatur enim superioritas super identitate rationis rei significatæ, id est super hoc ꝙ res significata inuenitur nõ in hoc tantũ, sed illamet non numero, sed ratione, inuenitur in alio. Vniuocatio autẽ super modo idẽtitatis omnimodè, scilicet identitate rationis rei significatæ, id est super hoc, quod ratio rei significatæ in illo, & in isto est eadem omnino. Quãtis enim in analogis hic identitatis modus nõ inueniatur, quem in vniuocis inuenturi pluries dictum est: identitas tamen ipsa rationis rationem inuenitur, est nanque idẽtitas proportionalis, identitas quędam. Et ideo non minus analogum (puta ens) est prædicatum superius, quàm vniuocum, puta animal, sed alio modo: analogum enim est superius proportionaliter: quia fundatur supra identitatem proportionalis rationis rei significatæ, vniuocum autem præcisè & simpliciter: quia semper omnimoda identitate rationis rei significatæ eius superioritas fundatur. Propter quod S. Tho. superioritatis fundamentum aspiciens in quinto Metaph. dicit, quòd ens est superius ad omnia, sicut animal ad hominem & Bouem.

¶ Vnde obiectiones ad oppositum adductæ, in hoc peccãt, ꝙ inter identitatem & modum identitatis non distinguunt. Fatendum est enim, quòd ad hoc, ꝙ aliquis termin⁹ denominetur superior, aut communior, oportet vt rem vnam & eandem in vtroque ponat: sed sophisma consequentis cõmittitur infertẽdo ex hoc, ergo oportet, ꝙ dicat rem vnam & eandem omnino. Et est semper termo de identitate secundum rationẽ seu diffinitionem. Identitas enim & vnitas cõtinent sub se non solum vnitatẽ & identitatem omnimodã, sed proportionalẽ, quæ in analogi nominis ratione saluantur. Negãdum est igitur quòd in analogis non prædicatur idem de vno & alio analogato: quoniã vnum & idem proportionaliter de omnibus analogatis dicitur: & propterea inter prædicata non conuertibilia numerandũ est. Quantitas enim licet adæquet ens de quantitate verificatum secundum rationem omnino eandem, non tamen secundum rationem illam proportionaliter: quoniam entis ratio non alia proportionaliter ad substantiam & qualitatem se extendit. Verũ quia analogum sonat identitatem proportionalem, ideo huiusmodi rationibus formaliter respondendo, nullo pacto concedendũ est analogum conuerti cum aliquo analogato. Ad materiam tamen descendendo, potest intrepidè dici, ꝙ quia analogum rationem vnam proportionaliter tantùm prædicat, & vnum proportionaliter plura & esse proportionibus similia manifestum est: dupliciter potest secũdum singulas rationes ad analogata cõparari. Vno modo absolutè: & sic secundum singulas rationes cum singulis analogatis conuertitur: quia nulla omnino analogi ratio in duobus analogatis inuenitur. Alio modo secundum identitatem proportionalem, quam habet vna cum altera: & sic cum nullo analogato conuertitur: quoniam omnes analogi rationes indiuisæ sunt proportionaliter, & vna est altera proportionaliter. Et quia, vt dictũ est, analogũ hanc sonat identitatem, ideo formaliter & simpliciter loquẽdo, analogũ inconuertibile & cõmunius prædicatũ concedendum est esse. Non tamen genus, aut species, aut propriũ, aut diffinitio, aut differentia, aut accidens vniuersaliter est. Nec propterea diminutus Arist. aut Porphy. fuit: quoniam prædicabile, quod simpliciter vnũ est, docebant, ac per hoc inter æquiuoca analoga numerauerunt.

¶ Ex prædictis autem manifestè patet, quòd analogum non conceptum disiunctum, nec vnum præcisum inæqualiter participatum, nec vnum ordine, sed conceptum vnum proportione dicit & prædicat. De ordine tamen in analogis incluso infrà tractabitur. Vnde cùm dicitur de homine, aut albedine, aut quocunque alio, quod est ens, non est sensus, quòd sit substantia vel accidens: sed sic se habens ad esse. Vtor autem ly, sic, quoniam de propriis nominibus proportionum ad esse in actu exercito ens importantibus, disputare nolo ad præsens: quoniam Metaphysici negotij opus hoc est, & exemplariter hic de ente loquimur. Simile siquidem est de actu, potentia, forma, materia, principio, causa, & aliis huiusmodi iudicium.

CAPVT VII.

Qualis analogatorum secundum analogi nomen diffinitio.

APparere quoque poterit alicui, quòd in ratione vnius analogati (puta qualitatis) secundum analogi, puta entis nomen, alterius analogati, puta substantiæ, vel quantitatis ratio secũdum idem analogi nomen cadere debeat: sicut in analogia attributionis contingere dictum est. Fundamentum autem inde apparentia hęc sumit: quia ratio vnius analogati, vt eadem proportionaliter est alteri, absque illa altera exprimi completè nequit. Dictum est autem, quòd analogo nomine rationes hæ importantur, vt eadem proportionaliter sunt. Et confirmat hoc expositio ipsa analogiæ ab Aristotele, Auerroe & S. Thoma in primo Ethicorum posita. Exponunt enim, quòd bonum seu perfectio analogicè dicitur de visu & intellectu: quia sicut visus in corpore, ita intellectus in anima perfectio est. Constat autem, quòd non est intelligibile hoc se habere sicut illud, nisi vtrunque extremorum percipiatur. Necessariò igitur videtur, vnum analogatorum secundum analogi nomen per aliud diffiniendum esse.

VT Autem liqueat huius ambiguitatis solutio, recolendum est analoga hæc dupliciter inueniri, scilicet propriè & metaphoricè. Diuersimodè enim hæc se habent ad propositam quæstionem. In analogia siquidem secundum metaphoram, oportet vnum in alterius ratione poni: non indifferenter, sed propriè sumptum, in ratione sui metaphoricè sumpti claudi necesse est: quoniam impossibile est intelligere quid sit aliquid secundum metaphoricum nomen, non cognito illo, ad cuius metaphoram dicitur. Neque enim fieri potest, vt intelligam quid sit pratum in eo, quòd ridens, nisi sciam quid significet risus nomen propriè sumptum, ad cuius similitudinem dicitur pratum ridere. Est autem huius ratio radicalis, quia analogum metaphoricè sumptum, nihil aliud prædicat, quàm hoc se habere ad similitudinem illius, quod absque altero extremo intelligi nequit. Et propter hoc huiusmodi analoga prius dicuntur de his, in quibus propriè saluantur, & posterius de his, in quibus metaphoricè inueniuntur, & habent in hoc affinitatem cum analogis secundum attributionem, vt patet. In analogia verò, in qua nominis saluatur proprietas, nullum analogi membrum per alterum diffiniri oportet, nisi fortè gratia materiæ: vt S. Tho. in secunda quæst. de Verit. articulo vndecimo docuit. Sunt enim analogatorum rationes secundum analogi nomen quodammodo mediæ inter analoga secundum attributionem, & vniuoca. In analogis enim secundum attributionem primum diffinit reliqua. In vniuocis verò neutrum alterum diffinit, sed vnius diffinitio est completa alterius diffinitio: & econuerso. In analogis autem neutrum alterum diffinit, sed vnius diffinitio est proportionaliter alterius diffinitio. Et loquimur semper de ratione secundum nomen commune, verbi gratia, in diffinitione cordis, secundum quod principium animalis, non ponitur fundamentum, secundum quod principium domus: nec econuerso: sed eadem proportionaliter est principij ratio vtrobique, vt Comment. vbi supra dicit.

¶ Duabus autẽ opus est distinctionibus vti in re hac: ea scilicet, q̃ in logica tradit̃ de actu signato & exercito, & ea quæ à Metaphysico

physico vt plurimum tractatur, de ordine rerum ex vno nomine, ex parte rei, & parte impositionis nominis. Ex prima siquidẽ distinctione scimus duo. Primò, ꝙ sicut animal dictum de homine & equo importans vniuocationem in actu exercito, non prædicat de homine totum hoc, s. naturam sensitiuam eandem secundum rationem naturæ sensitiuæ equi & bouis, sed naturam sensitiuam simpliciter, quã tamẽ ad hoc, quod vniuoca sit prædicatio, oportet esse omnino eãdẽ secũdũ rationẽ naturæ sensitiuę equi & bouis, ita ens importat proportionalitatem in actu exercito, non prædicat de quantitate totum hoc, s. habens se ad esse sic proportionaliter vt substantia, aut qualitas ad suum esse, sed habens se ad esse sic absque alia additione: qd tamẽ oportet ad hoc, ꝙ analoga sit prædicatio, idem proportionaliter esse cum altero, sic se habere ad esse qd de substantia aut qualitate ens prædicat. Secundum, ꝙ sicut ex declaratione, qua manifestatur animal esse vniuocum, quia dicit vnam & eandem omnino rationem in omnibus, nõ fallimur, nec cõfundimur, nec vagamur circa hominis & bouis secundũ animalis nomen rationem, sed quiescimus, intuentes ꝙ animal exercet, ꝙ vniuocorum diffinitio & expositio significat. Ita ex hoc, ꝙ declaratur ens, aut bonum, aut quodcunque aliud esse analogum: quia dicit rationes plures eadem proportionaliter, & importat hoc se habere quemadmodũ proportionaliter se habet illud ad esse vel appetitum, &c. non debemus turbari, & inquirere in analogi nominis (puta boni) ratione significationem istam, sed sat sit, distinguẽdo inter actum signatum & exercitum inspicere quod analogi nominis ratio id exercet, quod analogi ratio & declaratio significat. Ex his autem duobus patere iam potest intentum, ꝙ scilicet non oportet vnum analogiæ membrum per alterum diffinire, ex eo quod analogum significat ea esse eadem proportionaliter: quoniam hoc in actu exercito significat.

¶ Ex secunda verò distinctione scimus, non solũ ꝙ præposterus est ordo rerum & significationum quandoq; sub nomine analogo, ita ꝙ prior secundum rem ratio, posterior interdum significatione est (vt de ente & bono, & aliis huiusmodi communibus Deo & creaturis accidit: ratio enim, quam in Deo quodlibet horum ponit, significatione quidem posterior, re autem prior est) & propter alterum horum dicitur analogum prædicare de suis analogatis secundum prius & posterius, ipsam analogi rationem. Sed etiã scimus quòd quando ratio, quam ponit analogum in vno, ex ratione, quam in altero ponit, exponitur, non ideo fit, quia vnum in alterius ratione cadat: sed quia vnius ratio posterior altera est significatione, & per priorem, vtpote notiorem declaratur, vt S. Tho. in secundo articulo, quæstione decimatertia primæ partis fecit, declarãs, quòd dicendo, Deus est bonus, sensus est, id quod bonitatem in creaturis dicimus, præexistit in Deo proportionaliter, &c. Et eadem intelligendum est ratione fieri, si posterior secundum rem per priorem declaretur. Nõ diffinit ergo analogum secundum vnam rationem seipsum secundum alteram, licet exponat & declaret.

OBIECTIONIBVS Autem propositum, quamuis ex dictis satisfactum sit, formaliter respondeti potest, ꝙ cognosci aliqua vt eadem proportionaliter, seu hoc se habere sicut illud, dupliciter contingit. Vno modo formaliter, id est quod ad relationem identitatis & similitudinis: & sic absque extremis cognitio hæc haberi non potest. Alio modo fundamentaliter: & sic in ratione vnius non cadit reliquum, sed ratio vnius est alterius ratio, omnino, vel proportionaliter. Constat autẽ quòd analogum nomen (puta ens, aut bonum) non relationem identitatis aut similitudinis significat, sed fundamentum: & ideo obiectiones, quæ iuxta primum sensum procedunt, nihil concludunt contra intentum. patet autem facillimè hæc esse vera exempla de vniuocis, ponendo & applicando ad idẽtitatem vniuocationis. Significat nanque nomen vniuocum plura, inquantum eadem sunt vniuocè, seu secundum rationem omnino. Et identitatis relatio in nullo extremorum absque altero intelligibilis est. &c.

CAPVT VIII.

Qualis sit in analogo comparatio.

DIFFICVLTAS Etiam non parua (quæ multos inuasit ac superauit) de comparatione in analogo dilucidanda est. Credrum enim à quibusdam est, quod non posset analogia posita, fermo ille nisi extortè exponi, quo vnum analogatum magis aut perfectius tale secundum analogi nomẽ diceretur. verbi gratia: Substantia est magis, aut perfectius ens quam quantitas. Mou sunt autem ex eo, quòd comparatio in vno communi, vtrinque facienda est etiam secundum grammaticos: quod in analogo non inueniri videtur. Et potest formari ratio pro eis talis: Aut comparantur analogata in vna communi eis ratione, aut in suis rationibus: non in ratione communi, quia illa analogum caret: nec in rationibus propriis: quia tunc falsum est, substantiam esse magis ens, quàm quantitatem. Non enim minus aut imperfectius quantitas est sua ratio, quam ens in ea ponit, quàm substantia sua, & cætera. Nullo igitur modo videtur comparationem cum analogia saluari posse.

¶ Succumbitur autem difficultati huic, quia proprium comparationis fundamentũ non considerat. Fundatur enim super identitate seu vnitate rei, in qua fit comparatio, & non super modo identitatis aut vnitatis: sicut de intentione superioritatis prædictum est. Vnde eum analogum ex dictis constet, rem vnam licet proportionaliter, dicere: nihil prohibet, in ipso comparari analogata, licet non eo modo, quo vniuoca fit comparatio. Ad comparationem siquidem cum requirantur, & sufficiat hæctria, s. distinctio extremorum, & identitas eius, in quo fit comparatio, & modus essendi illius in extremis, scilicet æquè vel magis, aut minus perfectè: sub identitate autem seu vnitate proportionalis vnitas seu identitas contineatur, consequens est, quòd si in diuersis idem proportionaliter æquè vel magis, aut minus perfectè esse habet, comparatio secundum illud proportionale fieri possit, comparatione non vniuoca, sed analoga. Sicut enim quia natura sensitiua est in Boue, & illamet omnino secundum rationem est in homine, & perfectius esse habet in homine, quàm in Boue, homo perfectius animal Boue dicitur vniuoca cõparatione, sic quia sic se habere ad esse est in substãtia: & hoc idem proportionaliter est in quantitate, & imperfectius esse habet in quãtitate quàm in substantia dicitur substantia magis seu perfectius ens, quã quantitas analoga comparatione. Vnde S. Thom. in septimo articulo quæstione septima de potentia Dei, tripliciter comparationem fieri docens, duos modos analogiæ computationis ponit, apertè ex hoc insinuans comparationem non solùm super idẽtitate numerali specifica, aut generica fundari, sed etiam proportionali. Modi autẽ cõparationis ibidem traditi sunt hi, s. secũdum solam quantitatem rei participaræ, & sic vnum album dicitur altero albius. Vel extendendo propter præsens propositum, hunc modum ad omnem comparationem vniuocam, dicatur quod primus attenditur secundum quantitatem rei participatæ eiusdem omnino secundum rationem, siue illa ratio sit specifica, siue generica, vt calidum magis calidum altero dicitur, & homo perfectius animal Leone est. Secundus vero modus attenditur secundum quòd res aliqua in vno inuenitur participatiuè, alterum verò est per essentiam, quemadmodum homo Platonicus longè perfectior homo esset nobis. Et abstractione intellectus vtendo, quẽadmodum bonitas longè melior est quocunque bono quod participatiuè bonum dicitur. Tertius autem modus attenditur secundũ quòd res aliqua in vno inuenitur formaliter, & secundum se, in altero autem virtualiter & eleuatum ad rem superioris ordinis. Quemadmodum dicimus, quod Sol est magis calidus quam ignis, vel quod calor perfectius esse habet in Sole, quam in igne. Nec est dubium hos duos modos vniuocam comparationem impedire: vt S. Th. ibidem dicit, & Aristoteles in primo Ethicorum, de primo modo testatur, vbi bonum commune non vniuoce, sed secundum proportionalitatem dicendum docet, bonitati separatæ & bonis cæteris per participationem. Patet igitur ex his, eadem proportionaliter vt sic esse comparabilia, quamuis Physicè loquendo in sola specie, aut genere comparatio fiat.

AD OBIECTIONEM autem in oppositum, dicitur quod vtroque modo in analogis comparatio fit. Comparantur siquidem analogata (puta substantia & quantitas) in ratione vna & communi proportionaliter, quam analogi nomen (puta ens) dicit & addit supra analogata, vt ex dictis patet. Et comparantur secundum suas rationes, secundum tamen analogi nomen, quæ earum sit perfectior, secundum quod dicimus, substantia est perfectius ens quantitate, quia ratio entis in substantia perfectior est ratione entis in quantitate. Ira quod iuxta istam comparationem est sensus, substantia habet perfectiorem secũdum entis nomen rationem, quàm quantitas, & non quod substantia est magis aut perfectius substantia, quàm quantitas sit quantitas, vt quidam somniare videntur. Vnde comparatio ista extenditur vsque ad analoga secundum attributionem, licet in tali analogia non nisi abusiuè comparatio fieri possit. Dicimus enim quòd ens reale est magis & perfectius ens ente rationis, quod per attributionem ad illud, ens dicitur in quarto Metaphysicorum, textu secundo, quia ens reale habet perfectiorem secundum entis nomen rationem. Iuxta quem modum si vsus admitteret, diceremus: animal est magis sanum vrina, quia perfectiorem, secundum sani nomen rationem habet.

CAP. IX.

Qualis sit analogi diuisio & resolutio.

EQVALITER AVTEM analogum diuidendum sit, ex dicendis manifestum est. Potest siquidem trifariam analogi diuisio intelligi. Primò, vt diuidatur vox in suas significationes. Dictum est enim quòd analogũ pluries rationes significat immediatè, & hæc diuisio conuenit

sibi,inquantum æquiuocum quoddam est. Secundò,vt diuidatur significatum eius in quasi membra eius, eo modo quo eius, quod proportionaliter vnum est, sic: & sic proportionatum mẽbra dicti possunt. Dictum est enim ꝙ analogum non ita diuersas rationes significat, quin significet vnam rationem proportionaliter. Omnes nanque rationes analogo nomine immediatè significatę, eadem proportionaliter sunt. Ratio autem vna proportionaliter, cum constituatur ex pluribus rationibus proportionalibus, in eas secari potest. Hæc autem non est diuisio analogi in sua analogata, quoniam rationes hæ in ipsius analogi ratione intrinsecè clauduntur,& analogata ea sunt,in quibus rationes illæ saluãtur, & non ipsæ rationes. Entis enim analogata sunt substantia & quantitas,& non rationes entis in substantia & quantitate. Rationes enim (vt dictum est) analogæ sunt. Vnde tertio modo potest diuidi analogum diuidendo significatum eius in sua analogata per diuersos modos, quibus analogi rationẽ proportionalẽ analogata ipsa diuersimodè suscipiunt. Ita ꝙ diuisum est significatũ vnum proportionaliter, diuidentia sunt modi fundantes, & facientes in analogatis propria proportione, secundũ quas fit analogia:constituta autem per diuisionem, vt partes subiectiuæ,sunt analogata ipsa.verbi gratia, Quando ens diuiditur in substãtiam & quantitatem, diuisum est ratio entis nomine significata,quæ omnes in se entis nomine significatas rationes claudit, vtpotè vna proportionaliter, diuidẽtia sunt substantiuum & mensuratiuum, seu per se & in alio,sicut ex quibus substantia, & quantitas habẽt quòd diuersas entis rationes subintrent, partes autem subiectiuæ sunt substantia & quantitas,quæ entis ratione analogantur.

¶ Et quia hæc est propria analogi diuisio, idcirco distinctè explicandum est,quomodo differat diuisio hęc ab vniuoca.Tripliciter siquidem differunt.Primò ex parte diuisi,quia diuisione vniuoca vnum omnino secundum rationem secatur, hic autem vnum proportionaliter.

¶ Secundò ex parte diuidentium quia differentiæ secantes genus sunt extra genus, modi autem secantes analogum, in ipsius analogi ratione clauduntur, quemadmodum ipsa analogata (vt in capitulo de abstractione declaratum est)propter quod in tertio Metaph.tex.19.ens genus esse negatur.

¶ Tertiò ex parte ipsarum partium subiectiuarũ,in quæ per diuisionem fiunt, quia partes diuisionis vniuocæ licet ordinem habeãt secundũ se (& originis & qualitas est prior trinitate,& perfectionis vt albedo est perfectior nigredine) tamẽ secundũ diuisi rationem,puta numeri aut coloris,neutra altera prior,aut posterior est,sed omnes æqualiter in diuisi ratione communicant. Analogata verò,quæ analoga diuisione constituuntur,non solùm secundum se,sed etiã in ipsius analogi,quod diuiditur ratione,ordinem habent & aliud prius, aliud posterius est,adeo vt in vno eorũ tota ratio diuisi saluari dicatur , alio autẽ imperfectè & secundum quid. Quod non est sic intelligendũ, quasi analogũ habeat vnam rationem quæ tota saluetur in vno, & pars eius saluetur in alio,quoniam puerile est hoc. Sed cum totum idem sit quòd perfectũ , & analogo nomine multæ importentur rationes, quarum vna simpliciter & perfectè constituit tale secundũ illud nomen, & aliæ imperfectè & secũdũ quid , ideo dicitur, quòd analogum sic diuiditur,quòd nõ tota ratio eius in omnibus analogatis saluatur,nec æqualiter participant analogi rationẽ, sed secundũ prius & posterius. Cum grano tamen salis accipiendum est analogum simpliciter saluari in vno,secundũ quid in alio. Sufficit enim hoc verificari , vel absolutè (vt patet in diuisione entis in substantiam & accidens,illa enim absolutè loquendo dicitur ens simpliciter, hoc autem secundum quid vel in respectu , vt patet in diuisione entis in Deum secundum & creaturarũ. Vtrunque enim,licet ens simpliciter sit,& dicatur absolutè loquẽdo de creatura,tamẽ in respectu ad Deum , ens secundum quid & quasi non ens & dicitur.

CIRCA RESOLVTIONEM autem analogatorum sciendum est, quòd cùm vniuersaliter primum in cõpositione sit vltimum in resolutione, & per diuisionem in ea, quæ actu in aliquo sunt resolutio fiat, eodem modo resoluenda sunt analogata in analogum , quo cætera resoluuntur , scilicet vtendo diuisione prædicta (quæ vocatur diuisio in partes essentiæ vel rationis) & à posterioribus secundum consequentiam ad priora procedẽdo, si longa esset resolutio facienda. Ad rationẽ autem analogi,cum deuẽtum fuerit, singulis analogatis in sua ratione secundum analogi nomen resolutis, cum illa analogi ratio ex multis constituatur rationibus, ordinẽ inter se & proportionalem similitudinem habentibus vel ordinatè ad primam resolutio fiet,veniendo semper ad similius & propinquius, primæ & id , in quo dissimilitudo est,relinquendo. Vel si non sic ordinatis inter se contingit esse rationes illas , ad primam omnes modo prædicto deducendæ sunt. Ordinem enim ad primã nulla subterfugere potest. Nec refert in proposito , an fiat resolutio ad rationem primam significatione, vel secundum rem.Intelligenda enim sunt hæc in suo ordine,scilicet significationum aut rerum.

CAPVT X. *Qualiter de analogo sit scient ia.*

VISVM EST autem quibusdã de analogo scientiam esse nõ posse, nisi quemadmodum de æquiuocis scientia habetur , eo ꝙ plures rationes dicit,licet similes. Imo fallaciam æquiuocationis committi in syllogismis in quibus analogo pro medio sumpto, certũ analogatum subsumitur, nisi fortè gratia materiæ bonus esset processus, asserunt eadem ratione. Nec posse ex vnius analogati ratione, secũdũ analogi nomẽ cõcludi alterũ analogatũ tale formaliter esse,sed semper prædictũ incidere vitiũ ratione prædicta cõfirmatũ.verbi gratia,Si ponamus sapiẽtiã esse analogicè cõmunẽ Deo & homini, ex hoc ꝙ sapientia in homine inuẽta secũdũ formalẽ rationẽ præcisè sumpta,dicit perfectionẽ simpliciter, non concludere possum,ergo Deus est formaliter sapiens,sic arguendo,Omnis perfectio simpliciter est in Deo, sapiẽtia est perfectio simpliciter,ergo.Minor eñ distinguenda est,& si ly sapientia pro ratione sapientiæ,quæ est in homine stat, argumentũ erit ex quatuor terminis , quia in cõclusione sapientiæ stat pro ratione sapientiæ,quam ponit in Deo,cum concluditur, ergo sapiẽtia est in Deo.Si autem pro ratione sapientiæ in Deo stat in minore, non concluditur ex perfectione sapientiæ creatæ Deũ esse sapiẽtem, cuius oppositum & Philosophi & Theologi omnes clamant.

¶ Decipiuntur autem isti,Scotũ(cuius est ratio hæc in quæstione prima distinctione 3.primi libri)sequẽtes,quia in analogo diuersitatem rationũ inspicientes , id qđ in eo vnitatis & identitatis patet,non considerant rationes entis,analogi, vt superius etiã diximus,possunt dupliciter accipi.Vno modo secũdũ se,inquãtũ abinuicem distinguuntur,& ea quæ conueniunt eis vt sic , seu ex hoc. Alio modo,inquãtum eadem sunt proportionaliter.Primo modo acceptæ vitium æquiuocationis inducerent,si quis eis vteretur,vt patet.Secundo autem modo eis vtendo, peccatum nullum incurrit eo quòd quicquid conuenit vni, conuenit etiam alteri proportionaliter,quicquid negatur de vna, negatur proportionaliter de alia , quia quicquid conuenit simili in eo , quod simile , conuenit etiam illi,cuius est simile,proportionalitate semper seruata. Vnde si ex immaterialitate animæ concluditur eam esse intellectualem ex immaterialitate proportionaliter posita in Deo , optime concluderetur Deum esse intellectualem proportionaliter , vt quantum immaterialitas illa excedit istam , tantum intellectualitas excedat illa istam,&c.Propter quod S.Tho.in quæstione secũda de potentia Dei articulo quinto , analogata omnia sub vna analogi distributione cadere dixit. Et meritò, quia vnitas analogi non esset in coordinatione vnitatum numeranda, nisi vnum proportionaliter,vnum esset affirmabile,& negabile,& cõsequenter distribuibile & scibile,vt subiectum & medium, & passio.

¶ Vnde ad obiecta in oppositum dicitur,ꝙ quia vt in secundo Elenchorum,capitulo decimo dicitur,æquiuocatio latens in huiusmodi ,pportionalibus peritissimos etiã latet , ideo oportet huiusmodi analogis nominibus vtendo ex parte vnitatis , semper modum proportionalitatis.ſ.subintelligi,aliter in vniuocationem lapsus fieret. Nisi enim præ oculis haberetur proportionalitas, cùm dicitur immateriale omne esse intellectuale,tanquam vniuocè dictum acciperetur,& latens æquiuocatio non visa obtineret.

¶ Proportionalitate aũt seruata de analogis scientiam esse,& diui Tho.processus de bono & vero , & aliis huiusmodi, & quotidianum conuincit exercitium.Testatur quoque demonstratiuæ artis pater Arist.in secundo Posterio. capitulo vndecimo incipiẽte,Vt habeamus autẽ proposita , vel problemata analogũ causam adæquatam esse alicuius passionis, & in medium oportere quandoque à demõstratore assumi , dum venationem propter quid docens,inquit,Amplius , alius modus est secũdum analogiam eligere vnũ. idẽ enim nõ est accipere, qđ oportet vocare sepiõ , & os, & spinam.Sunt aũt quæ sequũtur,& hoc tãquã natura vna vnius modi existente.Et in sequenti cap.ait,Secundũ autem analogiam eiusdẽ,& medium se habet secundum analogiam. In quibus verbis nõ solum docuit analogum vt medium assumi quandoque in demõstrationibus,sed etiam ipsum non esse vnũ in se expresse,& cùm hoc habere passionem adæquatam, ac si vnius esset natur æ

¶ Nec impedit analogia hæc processum formalem ad concludendum de Deo & creaturis prædicatum aliquod eis cõmune , quoniam accepta sapientiæ ratione , & segregatis ab ea per intellectum eis, quæ sunt imperfectionis,ex hoc quòd id , quod est sibi proprium formaliter sumptum,perfectionẽ absque imperfectione claudit:concluditur ergo sapientiæ ratio non omnino alia,nec omnino hæc,sed hęc proportionaliter est in Deo,quia similitudo inter Deum & creaturam non est vniuoca,sed analoga. Nec pari ratione potest cõcludi, Deum esse lapidem proportionaliter:quia ratio lapidis formaliter sumpta quantumcunque expoliata,imperfectionem aliquam claudit , quæ prohibet tam ipsam secundum se,quam ipsam proportionaliter in Deo reperiri, nisi metaphoricè,quemadmodum dictum est, Petra autem erat Christus. Vnde dũ fit huiusmodi processus, omnis pfectio simpliciter est in Deo, sapien

sapiẽtia est perfectio simpliciter,ergo &c. in minore ly sapientia non stat pro hac vel illa ratione sapientiæ, sed pro sapientia vna proportionaliter,id est pro vtraque ratione sapientiæ non cõiunctim vel disiunctim:sed inquantum sunt indiuisæ proportionaliter, & vna est altera proportionaliter: & ambæ vnam proportionaliter constituunt rationem.Significantur enim analogo nomine, inquantum eadem sunt : vnde non oportet analogum distinguere,ad hoc ꝙ contradictionẽ fundet, & enũtiationis subiectũ, aut prædicatum fiat : sed ratione identitatis proportionalis in se claudæ,& quam principaliter dicit ex se,ad hoc sufficit.Contradictio enim dicitur cõsistere in affirmatione & negatione eiusdem de eodẽ,&c.& non in affirmatione & negatione vniuoci de eodem vniuoco: identitas siquidem tã rerum quam rationũ(vt pluries replicatũ est) ad identitatẽ proportionalẽ se extendit. Ex hoc autem apparet,Sco.in primo senten.dist.3.quæst.1.vel male expoſuisse conceptum vniuocum , vel sibi contradicere , dum volens vniuocationem entis fingere ait , Conceptum vniuocum voco, quia ita est vnus, ꝙ eius vnitas sufficit ad contradictionem affirmando & negando ipsum de eodem:& sic vniuocũ vult esse, ens. Si enim identitas sufficiens ad contradictionẽ vniuocati o dicitur, constat ꝙ ponendo ens esse analogum , & secundum proportionalitatem tãtum vnum satisfiet vniuocationi, qđ Scoticę doctrinæ aduersatur,tenenti ens habere conceptum vnũ simpliciter, & omnino indiuisum:vt de vniuocis diximus. Si autem non omnis talis identitas sufficit ad vniuoca ionem, non rectè igitur vniuocatio conceptus declarata est esse ea quæ ad cõtradictionem sufficit,quasi proportionalis identitas ad hoc non sufficiat.

CAPVT XI.

De cautelis necessariis circa analogorum nominum intellectum & vsum.

QVIA VERO Aristotel.in prędicta ex elenchis authoritate, doctissimos viros circa horum nominum conceptus errare dicit ob latentem eorum vnitatis modum : idcirco necessarium fore duximus in fine huius tractatus cautelas quasdã tradere, quibus possit se quis ab errore multiplici in re hac præseruare.

CAVENDVM Est igit in primis, ne ex vniuocatione ipsius nominis analogi respectu quorundã, credamus simpliciter ipsum esse vniuocum : omnia enim fere analoga propriè fuerunt prius vniuoca, & deinde extensione , analoga communia proportionaliter illis, quibus sunt vniuoca & aliis vel alij facta sunt. Sapientiæ enim nomen primò impositum est humanæ sapientiæ,& vniuocum,omnium hominum sapientiis erat.Deinde ad diuinæ naturæ cognitionem ascendẽtes , proportionalémq; similitudinem inter nos vt sapientes & Deum contemplantes,Sapientiæ nomen extenderunt ad id in Deo significãdum,cui nostra sapientia proportionalis est:sicque vniuocum nobis analogum factum est nobis & Deo.& similiter de aliis accidit. Falli autẽ contingit faciliter ex hoc , quia illa ratio prior, vtpote notior, & familiarior , & prior quo ad nos , semper profertur ab illustribus viris & eorum sequacibus,quando analogi significatio quæritur , & dicitur esse, tota analogi ratio pro qua simpliciter prolatũ stat , & omnia analogata illam participare : vt patet cùm sapientiæ ratio redditur. Assignatur enim differentialis eius conceptus pro ratione, secundum quam communis ponitur Deo & creaturæ , & simile est in aliis.Creditur enim ex hoc,quòd sit ipsa analogi ratio,& incautè vniuocatio acceptatur: non enim illa ratio est ratio analogi , sed eius origo quo ad nos,quoniam non illa, sed proportionaliter in altero analogato inuenitur,vt ex dictis patet.

CAVENDVM secũdò est,ne nominis vnitas aut diuersitas rationũ,analogam vnitatem obnubilet , hoc enim tanquã quoddam accidens,in re hac suscipiendum est.Nihil enim minus analogicè idem sunt sepion,os,& spina, vnum non habentia nomẽ, quàm si vnum nomen haberent,nec magis idem essent , si vnum nomen haberent,& tamen si communi nomine ossa vocarentur, ita quòd defectu vocabulorum , vel rerum proportionali similitudine ossis nomen ad cætera extensum esset , crederemus eiusdem esse naturæ, & rationis ossa,& spinas &c.Præsertim quia (vt dictum fuit) ad ea quæ sunt proportionaliter eadem consequuntur passiones,tanquam si eorum esset natura vna.

CAVENDVM tertio est , ne vocalis vnitas rationis analogi nominis, mentem reuoluat.Ex eo nanque (verbi gratia) ꝙ principium,dicitur esse id ex quo res fit aut est,aut cognoscitur , & hæc ratio in omnibus quæ principia dicuntur,saluatur. Principij nomen vniuocũ creditur.Erratur autem,quia ratio ipsa non est vna simpliciter,sed proportione & voce, vocabula enim ex quibus integratur,analoga sunt,vt patet:neque enim fieri,neque esse,neq; cognosci,neque ly ex vnius omnino est rationis , sed proportionalis. Et propterea ratio illa in omnibus, vtpote proportionalis saluatur,sicut & principij nomen proportionaliter cõmune dicit.

CAVENDVM demũ est,ne diuersa doctorũ dicta de analogis,nos perturbent. Cõsiderandum quippe est,quod quia analogum medium inter æquiuocum & vniuocum est , & medium extremorum naturam sapiens, ad alterum comparatum,alterum induit, adeo vt quando medio secundũ id quod de vno extremo habet,vtimur,illius extremi cõditiones ei attribuamus (vt in quinto Phy.text.com.6.& 32.patet) ideo plerumque doctores vtentes analogo ex parte vnitatis,quam ex vniuocis participat,vniuocorum non solùm conditiones(puta abstractionem,&c.) sed etiam nomen ei attribuunt vtentes vero analogo ex parte diuersitatis, quàm ex æquiuocis trahit,conditiones quoque supradictis oppositas,& nomen illi imponũt æquiuoci.Et vt de multis pauca dicantur, Arist.in 2.Meta.text.4.ens & verum vniuoca vocat , quia ex parte identitatis illis vtitur , vt processus suis apertè ostendit.S. Thom.quoque pluries dicit in ratione alicuius analogi (puta paternitatis communis diuinæ & humanæ paternitati)omnia cõtata esse indiuisa & indistincta,& ꝙ paternitas(verbi gratia)abstrahit à paternitate humana & diuina , quia vtitur analogo ex parte identitatis. Nec tamen falsæ sunt abusiuè prædictæ locutiones & similes, sed amplæ potius & largæ , quemadmodum pallidum nigro contrarium est, & dicitur. Saluatur siquidem in analogis identitas nominis & rõnis,in qua(vt ex dictis patet)non solũ analogata,sed etiam singulæ analogi rõnes vniuntur, & quodammodo confunduntur,vt pote abstrahẽtes aliqualiter ab earũ diuersitate.Arist.rursus in primo Phy.ex parte diuersitatis,ente vtẽs contra Parmenidẽ,multiplex seu æquiuocũ (vt ipsemet illum text.sic exponendũ specialiter in secundo Elẽchorũ tradit)vocauit,vnde & Porphyrius Arist.dicere ens esse æquiuocum accepisse videtur, vtens ente ex parte diuersitatis. Quod tamen Scot.in primo dist. 3.quæst.3.in Logica Arist.non inuenit ideo dixit,quia prędictos tex.non cõiungauit. Propter qđ ibidem quoq; contra textum glossauit principium Arist.contra Parmenidẽ in primo Physic. textu 13.vt in Elenchis(vt dictũ est)clarè patet. Sanctus Thomas etiam ens prius nõ esse primo analogato , nihilq; Deo prius secũdũ intellectũ esse dicit pluries vtẽs analogo ex parte diuersitatis rationum. Quælibet siquidem eius ratio secũdũ se,quia propriũ analogatum in se claudit, & in sui abstractione illud secũ trahiens cum illo cõuertitur(vt suprà diximus)ideo prior secũdũ cõsequẽtiam, aut abstractior suo analogato negatur: ac ꝑ hoc primo analogato & Deo nihil est prius : quia eius ratio secundum analogi nomen,quæ ipso prior secundũ se non est, sed conuertitur, cæteris prior rationibus. Cùm his tamen stat, ꝙ ratio illa in Deo vt eadẽ est ,ꝑportionaliter alteri rationi : secundũ idẽ nomẽ superior,secundum consequentiam prior logicè loquẽdo,sit,vt ex dictis patet. Dico autem logicè:quia physicè loquendo analogum nec est prius secũdũ cõsequentiã omnibus analogatis (quia ab eorũ propriis abstrahere non potest : quamuis vt saluatur in vno sit prius altero) nec potest esse sine primo analogato , vbi analogata consequenter se habent. Vnde si quis falli non vult,solerter sermonis causam coniectet, & extremorum conditiones medio applicaturum se recolat:sic enim facile erit omnia sanè exponere, & veritatem assequi quæ à prima est veritate. Cuius cognitio ex hoc exaltetur & firmetur opusculo , completo in conuentu sancti Apollinaris,Papiæ suburbio.die primo Septembris,1498.

¶ Præclarissimus reuerẽdissimi Domini,Domini Thomę de Vio Caietani, Cardinalis sancti Xysti,de nominũ analogi tractatus explicit.

TRACTATVS SEXTVS, DE Conceptu entis,in duo diuisus quæsita,ad Fratrem Franciscum de Ferraria.

1 *Num sit vnus conceptus mentalis entis repræsentatiuus.*
2 *Num analogum à rerum naturis,de quibus dicitur,absolui possit.*

AMANTISSIME FRATER, ex acceptis vestrę solicitudinis literis percepi libellum nostrũ de analogia nominum vos perlegisse, duóq; dubia de conceptu entis mentẽ vestrã tenere, soluiq; à me familiariter flagitastis. Ego autẽ quã primũ cõpleui expositionem librorum de anima (cuius fini incumbebam,cum vestras recepi) respõdere curaui, ne præclaro ingenio tuo deessem. Primum igitur dubium fuit ad hominem me ipsum, scilicet quia in commentariis de ente & essentia, sustineo vnũ conceptũ meo talem repræsentatiuũ entis , & in tractatu de analogia nominum videor hoc negare. Secundũ autem est ad diuum Thomam: quoniam ego in præfato libello sustineo analogũ nõ absolui ab his, quibus analogum dicitur,& diuus Tho.in q.de Veri.q.1.ar.1. ens habere cõceptũ vnum simplicem,ad quem omnia prædicamẽta, & transcendẽtia addũ, in quẽ resoluuntur,qui est primò motus. Hæc enim inuicem sibi aduersari videtur : quãdoquidẽ si ens absolui non potest à naturis retũ,non erit simplicissimus, nec primo motus,nec in quẽ vltimò resolutio fiat, & ad quẽ omnes addunt.

AD EVIDENTIAM HORVM, & specialiter primi recolito,quod quicquid est imago alicuius similis alteri,etiã imago illius alterius quatenus primo assimilatur : ac per hoc omnis con

Universidad de Deusto
Biblioteca

conceptus creaturæ est cõceptus Dei, sicut omnis creatura aliqua est similitudo Dei. Hinc ergo fit, ꝙ cum vnum proportionalitate vt sic habeat singula membra similia proportionabiliter, oportet ꝙ habeat etiam vnum conceptum mentalem repræsentatiuum illius vnius proportionabiliter. Nec huius oppositum teneo in tractatu de analogia nominum, sed conceptus iste vnus numero in mente secũdũ esse repræsentatiuũ, nec repræsentat vnã solum naturam, sed vltra vnã quam determinate repræsentat (à qua est impressus); repræsentat implicitè cæteras similes illi primò repræsentatæ secundũ id, in quo proportionabiliter eis similis est, iuxta enim est iudicium de similitudine rerum inter se & conceptus mentalis & rerum. Quemadmodũ enim ossis natura similis est naturæ spinæ in sustinendo carnes animaliũ (in quo analogantur) ita conceptus mentalis ossis, vt sustinens carnis, est similis ossi & spinæ, sed ossi determinate, spinæ autem implicitè, sicut etiam ipsum os non est simile spinæ determinate, sed quatenus spina sustinet carnes, sicut ipsum os. Hic est primus modus, quo analogum habet vnum conceptũ mentalẽ, ac per hoc ens, cũ analogum sit, vnum hoc pacto habet conceptum à mente in rebus impressum. Aliter autem modus super ipsius intellectus opere, quo natus adunata diuidere fundatur, & est tunc conceptus similis vnus numero in mente, repræsentãs analogum quidem determinatè, nullum autem eorum quæ fundat analogiam explicitè. Contingit autem hoc, cum intelligens mentalẽ conceptũ quẽ paulò antè diximus, expoliat ab illa determinata natura, quã repsentabat, & loco illius naturæ concipit pronomen aliquod referens naturas fundantes analogiam indeterminatè, verbi gratia, si conceptus ossis est os sustinens carnes, intelligens loco ossis ponat quòd, & dicatur ꝙ sustinet carnes, tũc enim manifestè repræsentatur analogũ explicitè, implicitè autẽ tantum naturæ fundantes analogiã. Est autem inter hos duos conceptus non solum dicta ex radicibus differentia, sed etiã quia primus ad quid rei spectat analogi, secundus autẽ ad quid nominis: neuter tamen perfectè repræsentat analogũ. De quo, s. perfecto, seu adæquato explicitè conceptu analogi interpretandum est, cùm à me vel ab alio scriptũ inuenitur, ꝙ non potest analogũ, vnũ numero mẽtalem conceptũ habere, sed vnũ analogia tantum. Et quoniam conceptus mentales sunt imagines rerum repræsentatarũ (nisi sint fictitij) quemadmodum in mente conceptus adæquatus analogi non est vnus, sed exigit repræsentationem omniũ fundantium analogiam, ita significatũ analogi adæquatũ & perfectum non potest sic abstrahi, vt obiiciatur, repræsentetur, aut concipiatur absq; fundantibus rebus. Et sicut in mente duplex cõceptus imperfectus reperitur, ita res significeata, extra potest obiici dupliciter, imperfectè, s. vel in vno explicitè, in quo cætera obiiciuntur indeterminatè, vel nullo explicitè, sed omnia implicite, in solo formalissimo significato explicitè.

¶ Nec prædicta cõtrariantur doctrinæ S. Thom. ens enim primo notum ordine generationis est secundum conceptum imperfectum, ordine autem distinctè cognitionis est secundum conceptum perfectum. Ens quoque habere cõceptum simplicissimum, consonat dictis, quoniam cum simplicitas compositioni opponatur, & vnum analogia non sit vnum compositione aliqua, non habet ens ex hoc, quòd analogũ compositionem admixtam. Et vt exercitatione resolutio monstretur, si substantiam in ens vis resoluere, si in conceptum distinctum entis resolutio quæritur, resoluetur in ipsam naturam subsantiæ quatenus esse fundat, ꝙ est simplicissimum cui, & addit ipsa substantia & addunt trãscendentia. Et si in conceptum confusum, quod est resoluens, ꝙ etiam est simplicissimum, cui etiam prædicta addunt. Sed occasio errandi multis est, quia in resolutione distincta quærunt resoluere in vnũ analogia, sicut consueuit resolui in vnum vniuocatione. Ita quòd quærũt in analogia quasi vnum numero terminum, sicut in vniuocis, cùm tamen terminus in analogia sit vnũ proportionabiliter tantùm. Ita quod & singula resolubilia resoluũtur in cõceptus simplices obiectiuos & mentales, & omnia in conceptum obiectiuum & mentalem simplicem, & vnum proportionabiliter: ita ꝙ (vt vnico verbo rem absoluam) ens esse primò notum in qd sit omnis resolutio, in quod omnia addunt per modum analogi interpretãdum est, cum quo stare potest, ꝙ ens secundũ perfectum adæquatúmque conceptum non abstrahit à naturis prædicamentalibus, sicut nec aliquod analogum à fundantibus analogiam. In hoc pendet tota vis claritatis rei huius, vt semper animaduertas secundum analogorũ morem hæc dici. Plura nunc non mihi occurrunt ad propositum dicenda, imo prolixior fui acutissimo ingenio tuo, quo ex vnico verbo concepisses omnia. Bene vale, & pro me orare digneris. Romæ die 27. Februarij, 1509.

TRACTATVS SEPTIMVS
Super librum de Ente & Essentia Sãcti Thomæ Aquinatis, in septem capita diuisus.

1 *Entis & Essentiæ nomine quidnam significatur ostendit, nomina item varia ponit, quæ essentiam significant.*

2 *Substantiarum essentiam proprie dici, accidentium autem, non nisi secundum quid, ostendit. Nobiliores item simplicium essentias quam compositarum substantiarum probat. Quod demum essentia substantia cõposita non materia, non forma, vel inter ea aliqua excogitata relatio, vel quippiam ipsi composito superadditum: sed ipsum sit compositum, variis rationibus demonstrat.*

3 *Essentiæ, generis, species, individuorum quomodo tam absolutè, quam primæ impositionis nominibus conceptæ distinguantur: quomodo item genus, species, differentia, definitio differant, exponit. Deinde quomodo essentiæ species ipsis individuis comparentur declarat.*

4 *Quanam ratione compositorum essentiæ conueniat esse genus, speciem & differentiam ostendit.*

5 *Quod simplicium substantiarum essentia minimè sit ex materia & forma, quid compositum, sed tantum forma: quomodo item comparetur compositorum essentia, & quòd est esse & essentia sit composita, quòd denique intelligentiæ effectiuæ sint à Deo, ex actu & potentia compositæ multipliciter ostendit.*

6 *Qualisnam sit essentia Dei, quanam item ratione in simplicibus substantiis separatis, & à quo genus & differentia sumendum sit, & quomodo multiplicari eas contingit, exponit.*

7 *Quod accidentia habeant essentiam incompletam, ostendit, varia item accidentia distinguit, & quomodo in ipsis sumatur genus & differentia, exponit.*

PROOEMIVM.

Eorum, quæ dicenda sunt, vtilitatem ac necessitatem ponit, difficultatem item illorum, & ordinem ea exponendi, edocet.

QVIA PARVVS error in principio magnus est in fine, secundum Philosophum primo Cæli & Mundi: ens autem & essentia sunt, quæ primo in intellectum concipiuntur, vt dicit Auicenna in Metaphysica: ideo primo, ne ex eorũ ignorantia errare cõtingat, ad horum difficultatem aperiendam, dicendum est quid nomine Essentiæ & Entis significetur, & quomodo in diuersis inueniãtur, & quomodo se habeant ad intentiones logicas, scilicet genera, species, & differentias.

QVPVS ISTVD insigne in duas partes diuiditur principales, in proœmium scilicet, & tractatum incipientem ibi, Sciendum est, &c. in proœmio artem Rhetoricæ seruando tria agit. Primò reddit auditores beneuolos, vtilitatem & necessitatem dicendorum oltẽdens tali ratione, Omnis errans circa principia omnium intelligibilium magis errabit circa alia: omnis errãs circa essentiã & ens, errat circa principia omnium intelligibilium, ergo omnis errans circa essentiam & ens magis errabit circa alia. Vtile igitur & necessarium est tradere notitiam de essentia & ente ad vitandos multiplices errores, qui ex eorum ignorantia accidunt. huius rationis Maioris subintellectæ probatio ponitur in litera sumpta ex primo cæli text. Commento 33. Minor autem probatur autoritate Auicen. primo suæ Metaph. capite septimo. Ad euidentiam Maioris & suæ probationis scito, quod quia principium est paruum in quantitate, ideo error in principio paruus appellatur, & quia principium est magnum in virtute (vepote virtualiter continens omnia principiata) ideo error in principio paruus, in fine efficitur magnus. Crescit enim error, sicut & dilatatur principium in suis principiatis, vt manifestè patet in principio biuij, in quo modica deuiatio ad magnam distantiam deducit in processu.

QVÆSTIO.

Num ens sit primum cognitum ordine & via originis.

AD EVIDENTIAM minoris occurrit dubitatio in hoc studio trita, an scilicet ens sit primo cognitum ordine originis ab intellectu nostro.

¶ In hac quæstione quinque agam. Primò declarabit in quo stat difficultas quæstionis. Secundò ponetur opinio Scoti cum fundamẽis suis. Tertiò ponetur opinio Sancti Thomæ, & impugnabitur simul opinio Scoti. Quartò arguetur contra dicta Sancti Thomæ & respondebitur. Quintò satisfiet argumentis principalibus.

QVO AD primum notandum est quod vniuersale (quod tãtum ab intellectu directè cognosci supponimus) duplicem habet totalitatem, est enim totum diffinibile, & est totũ vniuersale, differunt aũt hæ totalitates tripliciter. Primò, quia totalitas diffinitiua fundatur suprà actualitates rei, totalitas autem vniuersalis suprà virtutem seu potestatem. Secundò, quia illa est in ordine ad superiora, si habet ea, ista verò est in ordine ad inferiora. Tertiò, quia illa naturaliter est ista prior. Et sicut habet duplicem totalitatem ipsum vniuersale, ita habet duplicem cognitionem confusam, & duplicem distinctam. Prima cognitio confusa est, qua cognoscitur vt totũ diffinibile, non resoluendo in partes diffinitiuas. Secũda cognitio confusa est, qua cognoscitur, vt totum vniuersale nõ cõponendo ipsum cum partibus subiectiuis. Prima distincta est, qua cognoscitur totũ diffinitum, resoluendo ipsum in singulas partes diffinitionis: & hæc respondet primæ confusæ. Secunda distincta est, qua cognoscitur totũ vniuersale, cõponendo ipsum cum suis partibus subiectiuis: & hæc respondet secũdæ confusè: differunt autem illæ duæ cognitiones cõfusè inter se tripliciter. Primò, quia prima cognitio respicit obiectũ, vt totũ diffinibile, secunda verò vt totum vniuersale. Tertiò, quia prima nullam notitiam distinctã eiusdẽ obiecti: in eo ꝙ totum diffinibile, vtpote non sibi oppositam. Similiter enim ignoro animal in suis speciebus, & noui quid sit animal. Tertiò, quia prima naturaliter est prior secũda: ex quibus pono verbale differentiã. Et prima vocetur cognitio confusa actualis: secunda verò notitia virtualis confusa. Et meritò: eo ꝙ prima cognitione cognoscitur confusè, id qd actualiter in obiecto reperitur: secunda verò cognoscitur confusè, id quod virtualiter in obiecto includitur.

¶ Illæ verò duæ distinctæ cognitiones differunt etiam tripliciter. Primò quia prima cognitione penetratur res, vt totum diffinibile: secunda verò vt totum vniuersale. Secundò, quia prima compatitur secum eiusdem obiecti aliquam cognitionem confusam vniuersalem, s. vtpote sibi non oppositam, secunda verò nullam confusam secum compatitur: cum notitia enim animalis cum suis speciebus non stat ignorantia animalis in se: & ex hac sequitur tertia differentia, ꝙ secunda distincta infert primam, & nõ econuersò. Ex quibus pono etiam hic verbalem differentiam: & prima quidem vocetur notitia distincta actualis, secunda verò notitia distincta virtualis. & merito: quia prima penetratur res, secundum id, quod actualiter in ea inuenitur, secunda autem cognoscitur res secundum id quod virtualiter in ea includitur.

EX HIS Eliciо primò diffinitionesistarum quatuor cognitionum: deinde coordinationes quatuor earundem. Et quia priuatio cognoscitur & diffinitur per suum habitum: ideo à distinctis incipiendo dicitur ꝙ cognitio distincta actualis est, qua penetratur id, quod actualiter in obiecto inuenitur. Cognitio confusa actualis est qua circa penetrationem cognoscitur id, qd actualiter in obiecto inuenitur. Cognitio distincta virtualis est, qua obiectum penetratur secundum id quod virtualiter in ipso includitur. Cognitio confusa virtualis est, qua obiectum secundum id quod virtualiter in ipso includitur, non perfectè cognoscitur.

COORDINATIONES Harum cognitionũ sunt istæ. prima est cognitionũ confusarũ actualium: secũda confusarũ virtualium: tertia distinctarũ actualium: quarta distinctarũ virtualiũ. In prima est cognitio, qua cognoscitur substãtia in seipsa, non penetrando tamẽ, & cognitio, qua cognoscitur corpus: & qua corpus animatũ vt sic, & qua animal vt sic, & qua homo vt sic; semper absque penetratione, id est absque hoc ꝙ habeatur ratio formalis clara & resoluta. In secũda sunt cognitiones oppositæ suprà dictis, scilicet qua substãtia, & qua corpus, & qua animal, & qua homo quidditatiuè cognoscuntur. In tertia sunt cognitiones, quibus substantia corpus, corpus animatũ, & animal cognoscuntur, non cõponendo cum inferioribus suis. In quarta sunt cognitiones his oppositæ: s. qua substantia iam cũ suis inferioribus perfecta cognitione cõponitur totũ vniuersale, s. cum suis partibus, & qua corpus similiter cum suis partibus subiectiuis penetratur, & sic de aliis. Cùm autẽ, vt ex dictis patet, ordo cognitionum cõfusarum actualium sit via originis prior cæteris primũ cognitum simpliciter: & sic cum hic quæramus, quid sit primum cognitum in ordine cognitionis confusæ actualis, erit primum cognitum simpliciter ab intellectu nostro via originis, nihil aliud dubitam' nisi quid sit primũ cognitũ in ordine cognitionis confusæ actualis. Stat ergo inter nos, & Scotum difficultas in hoc, an in ordine cognitionis confusæ actualis via originis primum cognitum sit ens, an species specialissima. Ex quo patet defectus Antonij Trõbetę, quia hanc quæstionẽ mouendo adducit opinionẽ S. Tho. ex prima part. q. 85. ar. 3. etenim à S. Tho. nulla ibi facta est cõparatio inter cognitiones confusas actuales, de quibus est hic tota quæstio, sed comparauit ibi cognitiones distinctas actuales inter se, comparauit quoq; distinctam actualem superioris distinctæ virtuali eiusdem, comparauit & confusam virtualem superioris distinctæ actuali eiusdẽ obiecti, vt patet intuenti. Et hæc de primo.

QVO AD SECVNDVM Scotus primo sen. dist. 3. q. 2. ponit hanc conclusionem. Primum cognitum cognitione confusa actuali est species specialissima, cuius singulare efficacius primò mouet sensum. Et probat tribus rationibus.

¶ Prima est, causæ naturales non impeditæ producunt primò perfectissimũ effectũ, quem possunt primo producere. patet ista quia agunt secundum vltimum potentiæ suæ, sed agentia ad primum actũ intellectus sunt causæ naturales non impeditæ, ergo produ-

cunt primò perfectissimum effectum, quem possunt primo producere: talis effectus non est nisi conceptus actualis cõfusus speciei specialissimæ, ergo &c cætera. Probatur hoc vltimo assumptum, quia si talis conceptus, scilicet perfectissimus sit conceptus communioris, sequitur quòd nũquam illa agentia poterunt producere conceptum speciei specialissimæ. Tenet cõsequentia, quia nunquam aliqua potentia potest in effectum perfectiorem suo perfectissimo effectu, conceptus autem speciei specialissimæ est perfectior conceptu communiori, sicut totum sua parte. Et confirmatur, inquit Ant. Trombeta, quandocunque sunt aliqua duo naturalia agentia æquè approximata passo debite disposito, id quod est actualius, præuenit id quod est minus actuale in agẽdo erga passum, sed rationes obiectuæ speciei specialissimæ, & cuiuscunque superioris sunt huiusmodi, scilicet quòd species specialissima est actualior, ergo species specialissima prius producit effectum suum quam genus.

¶ Secunda ratio est ista. Termini metaphysicales, vel vniuersalissimi, sunt vltimo actualiter noti via doctrinæ. Patet ista ex Auicen. 1. metaph. cap. tertio dicente, quòd Metaphysica est vltima ordine doctrinę, sed termini illi sunt vniuersalissimi, ergo vniuersaliora non sunt prius nota actualiter. Et confirmatur, ait Anton. Trombeta, quia ordo scientiarum quo ad nos attenditur penes ordinem cognoscibilium quo ad nos, sic ergo Metaphysica est vltima quo ad nos, ergo termini sui erunt etiam vltimò noti quo ad nos.

¶ Tertia ratio est ista, Si oporteret ante speciei conceptum concipere vniuersaliora, tunc suppositio sensu in actu & intellectu soluto, magnum temporis interuallum accideret antequam intellectus cognoscereet speciem. Tenet consequentia, quia multa sunt prædicata media inter supremum & infimum.

¶ Quartò ad idem arguit Antonius Trombeta sic, Id prius cognoscitur quod est facilioris abstractionis, sed species specialissima est facilimæ abstractionis, ergo species specialissima prius cognoscitur. Probatur Maior: quia cum intellectus non intelligat nisi abstrahendo: sicut se habet ad abstrahendum, ita se habet ad intelligendum. Minor patet, quia à similioribus facilior est abstractio, quàm à dissimilioribus: in diuiduа autẽ vnius speciei, à quibus abstrahitur genus: seu quoduis superius.

¶ Quintò, Id vniuersale prius cognoscitur ab intellectu, cuius singulare fortius mouet sensum, sed singulare speciei specialissimæ fortius mouet sensum, quàm cuiuscunque superioris singulare: ergo species specialissima primo cognoscitur ab intellectu. Maior patet, quia nostra cognitio intellectiua nascitur ex sensitiua. Minor probatur dupliciter. Primò, Sensus mouetur à singulari, ergo maximè mouetur à maximè singulari (per regulam Topicam, sicut simpliciter ad simpliciter) sed maximè singulare est singulare speciei specialissimæ: quia est determinatum non solum determinatione singularitatis, sed etiam naturæ determinatæ, nõ amplius determinabilis, per aliam naturam, quod in diuiduis superiorum non conuenit: ergo, &c cætera. Secundò probatur eadem minor sic, Singulare actualis fortius mouet sensum, sed singulare speciei specialissimæ est actualius, cuius sit perfectius: cùm ad alia singularia addat, ergo singulare speciei specialissimæ fortius mouet.

¶ Sextò sic, Compositius est prius notum: species specialissima est compositior omnibus superioribus: ergo species specialissima est prius nota omnibus superioribus. Maior habetur à Commentatore primo Physicorum commento tertio. Minor à Porphyrio dicente, quod species abundat à genere. Et hoc de secundo.

QVO AD TERTIVM ponuntur duæ conclusiones. Prima est, Ens concretum quidditati sensibili est primum cognitum cognitione confusa actuali.

¶ Antequam hæc conclusio probetur, duo præmittam. Primò declarabo quid nominis subiecti conclusionis, scilicet quid sit dicere ens concretum quidditati sensibili. Secundò declarabitur quoddam, quod præsupponit ipsa conclusio.

¶ Circa primum scito, quòd ens sub triplici conditione potest terminare actum intellectus. Primò vt habet cõditionem istam, quæ est abstractio totalis, non dico à singularibus: sed à speciebus & generibus. Secundò modo, vt habet conditionem istam quæ est abstractio formalis similiter à speciebus & generibus. Tertiò modo vt neutram istarum conditionum habens: abstractum tamen à singularibus primo modo ens non est pertinens ad hanc quæstionem: quia ipsum vt sic est totum vniuersale, nos autem loquimur de cognitione confusa actuali non virtuali. Secundò modo, ens est terminus metaphysicalis: & fortè adhuc viris doctissimis non innotuit. Tertiò modo, ens est primum cognitũ, & nuncupatum est ens concretum quidditati sensibili: quia non est separatum aliqua dictarum abstractionum à quidditate specifica, vel generica.

¶ Ad horum pleniorem intelligẽtiam nota quòd sicut est duplex

comp

Universidad de Deusto
Biblioteca

compositio, ſ. formæ cum materia, & totius cum partibus, ita duplex eſt abſtractio per intellectũ, ſ. qua formale abſtrahitur à materiali, & qua totum vniuerſale abſtrahitur à partibus ſubiectiuis. ſecundum primã quantitas abſtrahitur à materia ſenſibili, iuxta ſecũdam animal abſtrahitur à Boue & Leone, primam voco abſtractionem formalem, ſecundam verò voco abſtractionem totalem, eo quod quia abſtrahitur prima abſtractione, eſt vt forma eius, à quo abſtrahitur. Quod vero abſtrahitur ſecunda abſtractione, eſt vt totum vniuerſale reſpectu eius, à quo abſtrahitur.

¶ Differunt autem hæ duæ abſtractiones quadrupliciter. Primò quia in abſtractione formali ſeorſum vterque cõceptus completus habetur, eius, ſ. q̃ abſtrahitur, & eius à quo abſtrahitur, id eſt, formalis & materialis, ita q̃ conceptus alter alterũ non includit. Linea enim in eo q̃ linea, habet cõpletè ſuam diffinitionem non includentem materiam ſenſibilem, & econuersò, materia ſenſibilis lineæ habet cõpletè ſuam diffinitionem nõ includentẽ aliquid lineæ, in eo q̃ linea: aliter diffinitiones naturales abſtraherentur à materia ſenſibili. In abſtractione verò totali non remanet ſeorſum vterque conceptus completus, ita q̃ alter alterum non includit, ſed vnus tantum, eius ſcilicet q̃ abſtrahitur. Quando enim abſtraho animal ab homine, non præcidunt ſe inuicem cõceptus hominis & animalis, ſed tantùm conceptus animalis non includit cõceptum hominis, homo enim non eſt intelligibilis ſine animali. Fundamẽtum huius differentiæ eſt, q̃ illa abſtractio fit per conſideratione alicuius, qđ eſt de ratione inferioris, & per remotionẽ, id eſt non conſideratione alicuius, q̃ eſt de ratione illiuſmet inferioris, abſtrahitur eñ animal ab homine per hoc, q̃ intellectus conſiderat in homine animal, & non rationale, quorum vtrunq; eſt de ratione hominis. Illa autem abſtractio non fit per conſiderationem alicuius qđ ſit de ratione illius materiæ, & per non conſiderationem alicuius, qđ ſit de illius ratione, ſed potius fit per ſeparationẽ eorũ, quæ ſũt de ratione formalis, ab his quæ ſunt de ratione materialis. & ecõuersò, vt exemplũ datũ oſtendit.

¶ Secũdò, differunt, quia per abſtractionem formalẽ oritur in eo q̃ abſtrahitur actualitas, diſtinctio & intelligibilitas. In abſtracti one verò totali oritur in eo q̃ abſtrahitur potẽtialitatis cõfuſio, & minor intelligibilitas. Tertiò differũt, quia in abſtractione formali quãtò aliquid eſt abſtractius, tantò eſt notius naturę. In abſtractione verò totali quantò eſt abſtractius, tantò eſt notius nobis. Fundamentum harũ differẽtiarũ eſt quia abſtractio formalis fit per ſeparationem à materialibus potentialibus, & huiuſmodi. Abſtractio autem totalis fit per ſeparationem à ſpecificis actualitatibus, à quibus quantò aliquid eſt abſtractius, tanto eſt potentialius, cùm genus poteſtate contineat inferiora, & tantò eſt minus intelligibile, cùm actum ſecũdũ ſe ſit notior potẽtia, ſexto Meta. tex. Comẽ. 2. Quartò, differunt, quia penes diuerſos modos abſtractionis formalis ſcientiæ ſpeculatiuæ diuerſificantur, vt patet ſexto Metaph. in principio. Abſtractio autẽ totalis communis eſt omni ſcientiæ. Propter qđ metaphyſicalia vt ſic non comparãtur ad naturalia per modum totius vniuerſalis ad partes ſubiectiuas, ſed vt formalia ad materialia, ſicut & mathematicalia, licet enim gradus metaphyſicales ſint vniuerſaliores aliis, & comparari poſſint ad alia vt ad partes ſubiectiuas, eo quòd eidem poteſt vtraque abſtractio conuenire, inquantum ſtant ſub conſideratione metaphyſicali, non ſunt vniuerſalia reſpectu naturalium, ſed formę, & naturalia ſunt earum materia, hoc eſt valde notãdum. Patet ergò quomodo ens quandoque habet abſtractionem formalem, quandoque ſcilicet cum præciſione cæterarum rationũ generi carum & ſpecificarum accipitur, & quomodo quandoque habet abſtractionem totalem, quando ſcilicet vt totum vniuerſale poteſtate includens cætera genera & ſpecies, conſideratur. Patere etiam poteſt quòd nunc intendimus, quomodo ens ſit concretum quidditati ſenſibili, cùm ſcilicet neutra illarum abſtractionum fulciũt, ſed in quidditate ſenſibili abſtracta à ſingularibus abſque aliqua ſeparatione inſpicitur, & ſic eſt manifeſtum quid ſignificetur nomine Entis concreti quidditati ſenſibili.

¶ Id verò qđ præſupponit concluſio eſt, ens poſſe cognoſci cognitione actuali confuſa, qđ Scotiſtæ negant, tenẽtes ens non poſſe cognoſci cognitione actuali confuſa, ſed diſtincta tãtum. Et probant ſic, Id quo habet conceptum ſimpliciter ſimplicem, non poteſt cognoſci cognitione confuſa actuali, ens habet cõceptum ſimplicem, ergo. Maior patet ex eo, q̃ cognitio confuſa actualis, ſit cùm intellectus ferturin obiectum ſecũdũ id qđ actualiter in eo includitur, nõ ſcieñdo reſoluere in partes rationis illius obiecti. Iñid autem, quòd habet cõceptũ ſimpliciter ſimplicẽ, non contingit intellectum ferri ſecundũ aliquid, & ſecũdũ aliquid nõ aliter conceptus eius eſſet cõpoſitus. Minor patet, quia conceptus entis eſt irreſolubilis. Vt autẽ videatur, quòd cõcluſio non præſupponit aliquod falſum, vt patet inſufficientia huius rationis, ſ. duertas, quòd ſicut de ratione cognitionis diſtinctè actualis non eſt, quòd obiectum cognoſcatur per reſolutionẽ in partes rationis, vt patet, cum diſtinctè cognoſcitur ens, ſed eius ratio ſtat in hoc quòd obiectũ penetretur ab intellectu ſecũdũ omne, qđ actualiter in illo inuenitur, ſiue hoc fiat per reſolutionẽ obiecti in partes rationis, ſiue fiat ex claro intuitu obiecti ſimplicis, ita nõ eſt de ratione cognitionis confuſæ actualis, q̃ intellectus intelligat obiectũ ſecũdũ aliquid, & ſecũdũ aliquid ignoret, ſed ſufficit q̃ intellect⁹ ferat in obiectũ ipſum actualiter, & nõ penetret eius actualitatẽ, ita q̃ in hoc ſtat ratio cognitionis confuſæ actualis, quòd intellectus feratur in obiectum ſecundũ id q̃ actualiter in eo eſt, non penetrando ipſum. Siue autẽ id contingat ex eo, quòd obiectum eſt reſolubile in plures cõceptus, ſiue ex alio per accidens, hoc ſe habet ad cognitionem cõfuſam actualem, & ſic ratio Scoti aſſumit maiorem falſam, & probationem peccantem falſum conſequentis, ab inferiori ad ſuum ſuperius negatiuè, à negatiua vnius modi cognitionis confuſæ ad negatiuam vnius modi.

¶ Et q̃ ita ſit, & q̃ ens & quodlibet ſimpliciter ſimplex poſſit cognoſci cognitione confuſa actuali, probo ſic, Quandocũque intellectus fertur in ens, actualiter ipſum concipiendo, & neſcit ẽdo ſeparare ens à ſubſtãtia & accidente, habet de ente cognitionem confuſam actualem, ſed multorum ho minũ intellectus eſt huiuſmodi, ergo, &c. Maior ſic manifeſtatur, quia eũ intellectus actualiter fertur in ens, & tamen neſcit ſeparare propriã eius rationem à rationibus propriis ſubſtantiæ & accidẽtis, aut habet cognitionem confuſam aut diſtinctam. Non diſtinctã, quia effectus inſeparabilis cognitionis diſtinctæ, eſt ſcire illius obiecti differẽtiam ab aliis, ergo cõfuſam, & cùm poſitum ſit q̃ ſit cognitio actualis, ſequitur quòd ſit cognitio confuſa actualis. Minorem experiẽtia docet, videmus enim multos per plures annos exercitatos in ſtudiis adhuc neſcire diſtinguere rationẽ propriam entis à ſubſtantia & accidente, quos neſcire habere conceptum actualem entis fatũ eſt dicere, & cõtra ſenſum. conſiderant enim ens ſecũdum id quod actualiter in ſe habet, & totum attingunt, ſed quia non totaliter comprehendunt, ideo neſciunt ipſum ab aliis ſeparare. reſtat igitur præſuppoſitum in noſtra cõcluſione ſolidum, & falſum eſſe, q̃ ens ſola cognitione actuali diſtincta cognoſcat. Nũc ſupereſt probare cõcluſionem, quam habes quo ad primam partem à S. Th. & Auicen. dicẽtibus, quòd ens eſt id quòd intellectui noſtro primo imprimitur. probatur ergo ſic concluſio, Conceptus imperfectiſſimus omnium eſt primus via originis, ſed conceptus actualis confuſus entis eſt conceptus imperfectiſſimus omnium, ergo eſt primus via originis. Maior patet, quia imperfectiora ſunt priora via generationis, 9. Metaphy. text. com. 15. Minor etiam eſt de ſe euidens, quia omnis alius conceptus cum addat ad entis conceptum, eſt perfectior illo, ſicut totum ſua parte.

¶ Reſpondet Antonius Trombeta, q̃ perfectio conceptus eſt duplex, perfectior obiectalis & perfectior euidentiæ ille conceptus eſt perfectior obiectalis, qui habet obiectum perfectius poſitiuè, ille autem eſt perfectior euidenter, qui habet obiectum pauciora includens ex Ariſt. (in proœ. Meta.) Vnde ſi in argumento ſit ſermo de perfectione obiectali, maior eſt falſa: & minor vera: ſi de perfectione euidentiæ, maior eſt vera, & minor falſa.

¶ Contra, & probo q̃ minor ſit vera de perfectione euidẽtiæ loquendo, ita q̃ cõceptus actualis cõfuſus entis ſit imperfectiſſim⁹, quo ad euidentiam. Ille conceptus eſt omnium ineuidentiſſimus ſub quo intellectus poſitus magis remotus eſt à cognitione aliorum omniũ: quàm ſub quocunq; alio cõceptu, cõceptus actualis confuſus entis eſt huiuſmodi. ſ. q̃ intellectus habẽs ipſum, magis diſtat ab aliorum cognitione, quàm habẽs quẽcunque aliũ conceptum, ergo conceptus actualis confuſus entis eſt ineuidentiſſimus omnium. Maior patet ex eo q̃ euidẽtia conceptus, cũ ſit propria perfectio intellectus, quanto maior eſt, tanto intellectũ magis propinquum reddit ad aliorũ cognitionem, præſertim cũ intellectus ex euidẽtibus ad ineuidentia naturaliter procedat. Minor verò probatur ſic, Quandocũq; ſint aliqui duo cõcept⁹, quorum vnus actualiter alterũ includit, & nõ ecõuerſo intellect⁹ habẽs illũ, qui actualiter includit alterum, eſt in proximiori diſpoſitione ad cognoſcẽdũ reliquũ, q̃ econuerſo, modo cõceptus entis ita ſe habet ad alios, q̃ ipſe alios non includit, alij verò actualiter ipſum includũt, ergo intellectus habẽs cõceptũ entis magis diſtat ab aliorũ cognitiõe, q̃ habẽs quẽcunq; aliũ cõceptũ. Et cõfirmatur per Sco. dicẽtem, q̃ pars rationis actualiter intellectæ eſt ſatis proxima intellectui, adeò vt proximius eſſe non poſſit. Illud aũt q̃ adducitur ex proœ. Metaph. q̃ euidentia attẽditur penes obiectum, pauciora actu includens, ad propoſitũ non eſt, quoniam certitudo illa eſt certitudo obiectalis, ſermo autem noſter eſt de euidentia ſe tenente ex parte intellectus. ex talibus enim euidentibus & certis procedit intellectus ad ſibi ineuidentia & incerta.

¶ Secũda ꝓbatur eadẽ cõcluſio ſic, Cognitio primorũ principiorũ eſt prima cognitio cõplexa, ergo cognitio entis eſt prima cognitio incõplexa. Antecedẽs patet ex eo q̃ cognitio quæ eſt à natura debet ꝓcedere eã, quæ eſt ex induſtria, & ex eo q̃ in omniũ ſunt notitia etiã in puerilia, & ex eo q̃ præſupponunt ad q̃libet diſcere, vt habet primo Poſter. Conſequẽtia verò probat, qa cũ ens ſit terminus

terminus ille, ex quo conficitur principium primum: ſi ens non eſſet primum cognitum, ſed aliquid aliud, poſſet tunc fieri alia complexio ab intellectu, adhuc non habita notitia principij, &c.

¶ Contra ipſam poſitionẽ Scoti arguit. Species ſpecialiſſima non eſt obiectum confuſiſſimũ ſimpliciter, ergo cognitio eius actualis confuſa non eſt prima ſimpliciter, & conſequenter ipſa nõ eſt primum cognitũ. Conſequẽtia tenet ex poſitione aduerſa dicẽte, q̃ideo ſpecies ſpecialiſſima eſt primũ cognitũ, quia eſt cõfuſiſſima. Antecedẽs probatur ſic: Genus eſt confuſius ſpecie: ergo ipſa non eſt confuſiſſima. Conſequentia iterum eſt nota: Antecedens probatur, Quod plura continet eſt cõfuſius, genus plura continet quàm ſpecies: animal enim continet plura, quàm homo. ergo, &c.

¶ Reſpondent, quòd continentia eſt duplex, quædam actualis, quædam potentialis: & quòd id eſt confuſius, quod plura continent actualiter, non potentialiter, modò genus continet plura in potentia: ſpecies autem in actu, & ideo ſpecies eſt confuſior.

¶ Contra, confuſius eſt quod continet plura ſine ordine, quam quod continet plura cum ordine: ſed continens actualiter continet plura ordinatè. ſpecies enim ordinatè continet partes diffinitiũs. continens autem in potentia continet plura ſine ordine. ergo continens plura potentialiter eſt confuſius.

¶ Reſpondet Anto. Trombeta, quòd genus continet ſpecies ordinatè & non ſine ordine, eo quod non reſpicit eas niſi mediis differentiis, quæ ſunt valde ordinatæ.

¶ Cõtra, Genus continet ſpecies & differentias in actu: ſed in potentia (vt dicit Porphyrius.) ergo continet eas indiſtinctè. Tenet conſequentia: quia actus eſt qui diſtinguit ſeptimo Metaph. text. com. 49. nunc vitima continet indiſtinctè, ergo non ordinatè. Tenet conſequentia: quia ordo abſque diſtinctione non eſt imaginabilis (etiam ſi fingendi detur licentia.) Quòd autem dixit, genus, ſ. non reſpicere ſpecies niſi mediis differentiis ordinatis, non iuuat: eo quòd non ſolùm ſpecies, ſed etiam differentias inter ſe ordinatas genus abſque ordine continet: vt probatum eſt.

¶ Aduertas hic, quod confuſio non ſequitur continentiam plurium (vt Scotiſtæ fingunt) ſic enim vniuerſum eſſet maximè confuſum: ſed continentiam plurium ſine ordine. Vnde prouerbium eſt, Vbi pluralitas ſine ordine, ibi confuſio, &c.

SECVNDA Concluſio eſt iſta. Inter cõceptus actuales confuſos prædicatorũ quidditatiuorũ non eſt eſſentialis ordo originis, probatur ſic. Quãdocunque ſunt aliqui cõceptus eſſentialiter ordinati ordine originis, impoſſibile eſt extremos generari nõ ge nitis intermediis. Iſta patet de ſe: alioquin non eſſet ordo eſſentialis originis inter illos: ſed de facto habemus conceptus cõfuſos actuales extremorum abſque intermediorum conceptibus: ergo non eſt inter eos eſſentialis ordo originis. Minorẽ experientia declarat: experimur nanque nos concipere hominẽ, & ſubſtantiam, & tñ intermedia ignoramus non ſolũ diſtinctè, ſed confuſe: ceramus eñ cõceptibus propriis eorũ, quibus actualiter in ipſa dirigatur intellectus acies. & nõ ſolũ ignoramus reſoluere ipſa in partes diffinitiuas. Et qa hæc ratio cõuincit me, ideo ſolã adduco. Ex hoc patet defectus Scotiſtarũ dicentiũ, q̃ eſt ordo eſſentialis inter conceptus confuſos: non enim poſſunt ſoluere hanc rationẽ.

¶ Sed immediatè contra hæc obiicitur ſic, Inter conceptus cõfuſos actuales ſuperioris & inferioris non eſt ordo eſſentialis originis. ergo iſta põt primò generari cõceptus ſpeciei ſpecialiſſimę, ſicut entis: qđ eſt cõtra primã concluſionem. Tenet conſequẽtia: quia ordo non eſſentialis non eſt neceſſarius, & variari poteſt.

¶ Ad hoc dico negando conſequentiã, licet enim ſit ordo eſſentialis inter omnes conceptus confuſos, eſt tñ talis ordo inter cõceptus entis, & quẽcunque aliũ. Nec hoc eſt voluntariũ, ſed hoc eſt quædã forma generaliſſima ipſius intellectus, ſicut forma corporeitatis eſt forma generaliſſima ipſi⁹ materię, vnde ſicut inter formã corporeitatis & alias eſt ordo eſſentialis, non autem inter alias formas inter ſe, ita inter conceptũ entis & alios, non autem inter alios ſe, poteſt enim poſt cõceptum entis quod cunq; aliud concipi, ſiue ſubſtantia, ſiue accidens, ſiue ſpecies, ſiue genus. Eſt etiã conceptus entis quaſi naturalis ipſi intellectui, ſicut & cognitio primi principij: ſtat⁹ eñ præſẽtatũ ens ab omnib⁹ cognoſcẽs, & ideo ipſum oportet eſſe pri⁹ aliis eſſẽtialiter: ſicut vniuerſaliter actus naturalis ꝓcedit cæteros qui peni⁹ ab extra ſunt, nõ eſt aũt ſimilis rõ de aliis cõceptibus inter ſe. Et hæc de tertio.

QVO AD QVARTVM, quia Anto. Trombeta impugnat quædam dicta S. Doct. in prima parte, q. 85. art. 4. vbi tradit ordinẽ intellectualis cognitionis ſecũdũ vitã Peripateticã, ideo adduco eius impugnationes, & ſoluo. Quinq; autem ſunt dictæ, contra quæ arguit. Primum eſt, intellectus eſt vniuerſalium & prius magis vniuerſalium. Secundum, Intellectus noſter procedit de potentia ad actum. Tertium, Notitia rerum in vniuerſali eſt notitia incompleta. Quartum, Notitia in vniuerſali eſt notitia ſecundum quid, & in potentia. Quintum. Senſus exiens de potentia ad actum prius communius, quam minus commune cognoſcit.

¶ Contra primum arguit ſic, S. Thom. tenet, q̃ quicquid eſt in re & ex natura rei ſit ſingulare, addo huic aliam propoſitionem, ſ. illud quod præcedit actũ intelligendi eſt reale, tunc ſic, quicquid eſt in re eſt ſingulare, quicquid prima intellectione intelligitur, eſt in re, ergo quicquid prima intellectione intelligitur, eſt ſingulare, ergo non poteſt intelligere magis vniuerſaliter. Maior ex S. Tho. Minor ex ſecũdo ſuppoſito patet, quod quadrupliciter probatur. Tum quia ens rationis, eſt poſterius actu collationis intellectus. Tum quia tale obiectũ eſt cauſa entis realis, ſ. primi actus intelligendi. Tum quia talis primus actus refertur ad obiectum relatione reali, quæ non eſt niſi ad terminum realem. Tum quia talis primus actus dependet ab obiecto, vt à menſura, ens autem reale non dependet ab ente rationis.

¶ Ad hæc patet reſpõſio, q̃ maior poteſt habere duplicẽ ſenſum. Primus eſt, q̃ quicquid eſt in re, eſt ſingulare, id eſt, q. quid eſt in re eſt ſingularitas, & ſic eſt falſa. eſt enim in Sorte non ſolũ ſingularitas, ſed humanitas & animalitas. Secũdus ſenſus eſt, quicquid eſt in re, eſt ſingulare, id eſt, quicquid eſt in re, habet eſſe ſingularizatum, & hoc modo eſt apud Peripateticos veriſſima, vnde argumentum ſi debet eſſe tribus terminis. Maior eſt falſa in primo ſenſu: in ſecundo autem conceditur totum argumentum, ens ſiquidem primo cognitum non habetur eſſe reale niſi in ſingularibus. Quæ autem addit, quantum veritatem habeant infrà patebit.

¶ Cõtra ſecundũ dictũ, ſ. intellectus noſter ꝓcedit de potentia ad actũ, arguitur ſic. Iſta propoſitio aſſumitur à S. Th. ad probãdum illam cõcluſionem, ſ. magis vniuerſale prius intelligitur, aut iſta propoſitio concludit nihil ad propoſitum, aut ipſa eſt ſimpliciter falſa. Quia ſi intelligit quòd intellectus prius intelligat aliquid in potẽtia quàm in actu, ipſa eſt vera, ſeu non ad propoſitũ: cõcedo enim quòd intellectus prius intelligit ſpeciem ſpecialiſſimam in potentia, quam in actu: ſed hoc non habetur, quòd prius genus quàm ſpeciem intelligat. Si autẽ intelligat, quod intellectus procedit de potentia ad actum, id eſt de notitia imperfecta ad perfectam, ipſa non eſt vniuerſaliter vera, vt patet cùm proceditur à notitia præciſſarum ad concluſiones, & à notitia cauſæ ad effectus notitiã: & per hoc patet etiam illud eſſe falſum, ſcilicet quòd intellectus proprius peruenit ad actum imperfectum quàm perfectum. nam aer illuminatus non prius imperfectè: deinde perfectè illuminatur à Sole, ſimiliter intellectus prius recipit actum quam habitum: & tamen actus eſt perfectior habitu, vnde ad hoc quod propoſitio ſit vera, oportet probare ordinem eſſentialem actus incompleti ad actum completum.

¶ Ad hoc reſpondeo quòd S. Tho. intelligit illam propoſitionem neutro illorum modorũ præciſe, ſed hoc modo. Intellectus exiẽs de potentia ad actũ vltimate perfectum tranſiturus per multos actus medios, prius peruenit ad actum imperfectũ, quam perfectũ: & habetur iſta propoſitio ex octauo Phy. tex. com. 58. & nono Meta. tex. commento 14. & in lib. 2. de Partibus animalium, q̃ priora via generationis ſunt imperfectiora. Sub illa ergo Maiore ſubſumatur Minor, ſ. intellectus noſter eſt exiens de potentia ad actum vltimate perfectum, puta cognitionem diſtinctam ſpeciei ſpecialiſſimæ, tranſiturus per multos actus intermedios, ergo prius peruenit ad actũ imperfectũ, q̃ perfectũ. minor eſt euidens: eo quòd cognitiones generum ab omnibus conceditur actus intermedij: & ſic ratio cõcludit quòd prius magis vniuerſale quàm minus vniuerſale diſtinctè cognoſcamus: quod intẽdebat beatus Thomas, ſed ille deceptus eſt, qa credidit S. Tho. loqui de cognitionibus cõfuſis actualibus, cùm, ſicut ſupra dictum eſt, loquatur de cognitione confuſa virtuali ipſius ſpeciali & diſtincta eiuſdẽ confuſa ipſius generis & ſpecierum eo, q̃ cõfuſe in illa ſpecies & generis poteſtas cognoſcantur. Ad id quod additur contra hanc propoſitionẽ, Intellectus ꝓcedit de notitia imperfecta ad perfectã, dicit q̃ hęc propoſitio eſt vera vniuerſaliſſime ſi intelligatur.

¶ Pro cuius intellectu & omnium inſtantiarum ſolutione aduerte primò, quòd proceſſus naturæ & intellectus eſt duplex, alter ſecundum ordinem generationis tantum, alter ſecundum ordinem generationis & cauſalitatis effectiuæ, vel finalis. Primus proceſſus eſt quando inter terminos & media non cadit niſi prioritas & poſterioritas ſecundum generationem. Secundus eſt quantas & poſterioritas ſecundum generationem. Secundus eſt quando vltra iſtam prioritatem inuenitur in illo quod eſt prius etiam prioritas cauſæ effectiuæ vel finalis.

¶ Secũdò aduerte quòd aliud eſt perfectius altero dupliciter, ſcilicet ſimpliciter vel ſecundum quid. iſta enim quod aliquid ſit ſimpliciter, id eſt ſecũdum ſuam naturam altero perfectius: quod tamen ſecundum aliquam cõditionem eſt imperfectius illo, ſicut ſubſtantia materialis eſt ſimpliciter perfectior accidente, quo tamen eſt imperfectior ſecundũ quid inquantũ actuatur per illud. Dicit ergo quòd tam natura, quam intellectus in ꝓceſſu generationis tantum ſemper procedit de imperfecto ſimpliciter ad perfectum ſimpliciter: eo quod ordo generationis attenditur penes cauſæ materialis: ſicut animal prius generatur quàm homo vt dicitur in libro de animalibus. In proceſſu autem ſecundo

proce

Universidad de Deusto
Biblioteca

Proceditur de imperfecto non simpliciter, sed secũdum quid, ad perfectius secundum quid, sicut substantia est prior generatione accidente, & vltra hoc est prior causalitate finali, eo quod est finis eius, & quandoque agens, constat autem ipsam esse secũdum quid imperfectiorem accidente, inquãtum est in potentia respecta eius, & causalitatem materialem participat.

¶ Ad primã igitur instantiarũ dicitur ꝙ præmissæ nõ sunt priores conclusione via generationis tantum, sed etiam ordine causalitatis effectiuæ (vt dicitur secundo Phy.tex.comm.31.) In alia litera vt testatur ibi S.Tho. & colligi potest ex primo Posteriorum, & ideo sufficit ꝙ notitia earũ sit imperfectior secũdũ quid, vnde etiã in genere causæ materialis collocãtur, secundo Phys. ibidem & quinto Metaph.tex.comm. 32. Idem dico ad secundam de processu notitiæ causæ ad effectũ. De aere illuminato nõ est ad propositum, quia illuminatio non est successiua, conceptus verò generis & speciei sibi succedunt. Falsum quoque est quòd actus præcedens habitũ sit simpliciter habitu perfectior, licet hoc sit verũ de actu elicito ab ipso habitu, vt habes primo Ethico. talis autem est posterior habitu. Ordo quoque essentialis conceptus generici ad specificum satis sufficienter notus in notitia distincta est ex dictis ibidem: vnde non oportebit aliter laborare.

¶ Contra tertium, scilicet quod notitia in vniuersali est notitia in completa arguit sic, Demonstratio vniuersalis est potior demonstratione particulari, ergo notitia in vniuersali, quæ acquiritur per demonstrationem vniuersalem, est potior notitia particulari.

¶ Ad hæc dico, ꝙ argumentũ peccat per fallaciam æquiuocationis illius termini vniuersale. Arist. enim vocat demonstrationem vniuersalẽ illã, qua passio de suo proprio subiecto scitur: & hoc tam in passionibus genericis quàm specificis, & vult dicere quòd potior est notitia illa, quam acquirimus per demõstrationem demonstrantem passionem de suo subiecto primo: quam illa quæ fit per demõstrationẽ, qua illa passio demonstratur de parte subiecta primi subiecti. Nos autem dicimus quod cognoscere hominem in animali, est cognoscere hominẽ imperfectius, quam cognoscere hominẽ in seipso, & hanc vocamus cognitionẽ in vniuersali. Manifestum igitur est omni habenti ingeniũ, ꝙ nostra dicta Arist. non repugnãt. Aliud est enim dicere, A cognoscitur in vniuersali, &, A demonstratur demonstratione vniuersali. primo modo A non cognoscitur in semetipso, sed in suo superiori, secundo modo A in seipso cognoscitur inesse suo primo subiecto.

¶ Contra quartum, scilicet notitia in vniuersali est notitia secundum quid & in potentia, propterea quòd in ipso vniuersali intelliguntur particularia sub quadam confusione, ex quo infertur, ergo notitia in vniuersali est notitia confusa.

¶ Cõtra, illa ꝓbatio nulla est quæ procedit secũdũ fallaciã æquocationis ista est huiusmodi: ergo, &c. Declaratur Minor, ꝙa aliud est loqui de notitia actuali obiecti, & aliud de notitia virtuali eorum, q̃ in ipso includuntur. Licet enim notitia virtualis particularium in vniuersali sit cõfusa, tamen notitia actualis ipsius vniuersalis est distincta, & quia ab his, q̃ actualiter cõfunditur in obiecto, attẽditur cõfusio notitiæ cũ notitia specificetur ab obiecto, & his, q̃ sunt intrinseca non debet dici notitia cõfusa, sed distincta.

¶ Ad hæc dico ꝙ iste non intelligit S. Tho. qui vult, ꝙ notitia disiuncta animalis, vt est totũ diffinibile, sit notitia cõfusa animalis, vt est totũ vniuersale, & consequenter notitia cõfusa specierum, & ideo non accidit æquiuocatio. Fatemur enim quòd notitia qua actualiter fertur intellectus in ipsum animal, vt vniuersale, & nõ in suas species est notitia cõfusa animalis, vt totũ vniuersale est & non solum specierũ eius, vt expresse dicit ibi S. Thom. vnde contingit animal simul esse notum distinctè & cõfusè diuersimodè, vt supra dictũ est. Nec oportet ꝙ si istæ duę notitiæ simul inueniãtur, sint eædem, cum etiam separentur, puta cùm & actualiter & virtualiter animal distinctè cognoscitur. Quod autẽ addit quòd talis notitia non debet dici confusa, falsum esse ostenditur, ex eo ꝙ minor est confusio actualis q̃ potẽtialis. Quod vltimo additur, quòd notitia specificatur ab obiecto eius intrinsecis, ad propositum non est, cõfusio enim & distinctio non sunt species cognitionũ, alioquin cognitio cõfusa & distincta eiusdem obiecti non essent eiusdẽ specieiː & sic notitia non specificaretur ab obiecto, vnde assumptum eius implicat contradictionem in proposito.

¶ Contra quintũ. s. ꝙ sensus exiens de potentia ad actũ prius communius quàm minus cõmune cognoscit, arguitur sic, Sensus non cognoscit nisi singulare, ergo nõ prius cognoscit magis commune. Quòd si dicas sensum nõ cognoscere magis commune in se, sed pro cognoscere singulare magis communius, contrà, aut cognoscit singulare magis cõmunius, ita ꝙ singularitas est ratio cognoscendi, aut ita ꝙ natura communis sit ratio cognoscendi, primũ nõ est dicẽdũ, vt de se patet, nec secũdũ põt dici à Thomistis, quia hoc ideo esset, quia natura illa esset ratio mouendi sensum.

¶ Contra ꝙ arguitur sic, illud non est ratio mouendi, qđ est idem re & ratione ei, cui repugnat ratio mouẽdi. sed natura communis est eadem re & ratione singularitati, cui repugnat ratio mouẽdi, ergo, &c. probatur minor, quia natura & singulare non distinguũtur realiter, non ex natura rei apud rẽ, nec ratione. ꝙ probo, quia distinctio rationis sequitur actum intellectus, in illo autem priori nullus actus est intellectus. Et confirmat, quia actus realis nõ dependet ab ente rationis, sed sensatio est actus realis, ergo nõ dependet ab ente rationis: sed obiectũ sensibile habẽs in se distinctionem rationis est ens rationis, vel aggregatũ ex ente reali & rationis: ergo, &c. & confirmatur ratio principalis sic, Quæcunq; sunt indistincta omnino secundũ rem, si vnũ terminat aliquam actionẽ realem, & reliquũ terminabit eandẽ, sed natura magis cõmunis & minus cõis sunt homini, ergo &c. & hoc supposita debita approximatione ad sensum. Confirmatur secundo, idẽ sensus primo cognoscit ꝙ species sensibilis primo repræsentat, sed species sensibilis primo repręsentat singulare speciei specialissimæ posita debita distantia, ergo, &c. Minor probatur, Species sensibilis primò repręsentat obiectum sub ea ratione, qua imprimitur sensui, sed imprimitur ab obiecto sub ratione naturæ specificæ. Tũ quia est actualior & perfectior. Tum quia species sensibilis est naturalis similitudo causata ab obiecto repræsentans ipsam adæquatè secundũ rationẽ sibi essentialius competentẽ, ergo magis repræsentat ipsum rõne, quæ sibi essentialius & perfectius cõpetit, quã sub ea ratione, quæ sibi remotè & minus principaliter competit.

¶ Ad hæc respondetur, ꝙ responsio ibi recitata est bona & recta. Ad impugnationem dico, ꝙ natura talis, puta color & non natura cõmunis, id est color cõmunis est ratio mouendi. Ad improbationem, negatur Minor pro vtraque sui parte. nam apud S. Thom. in Prima parte q. 2. arti. 3. in rebus materialibus natura & singularitas distinguuntur realiter, & distinctio rationis, licet actualiter sit post sensationem, fundamentaliter tamen præuenit ipsam, & hoc sufficit. Ad cõfirmationẽ dicitur primò, ꝙ obiectum sensibile habẽs distinctionem rationis fundamẽtaliter, nõ est ens rationis, nec aggregatum ex ente reali & ente ratiõis. Distinctio enim rationis fundamentaliter nihil addit supra rem. Dicit secũdò, quòd sensatio non causatur à distinctione naturæ, sed à natura ipsa habente talem cõditionẽ, & ideo dato ꝙ distinctio illa esset ens rationis, adhuc nihil cõcludit, non enim color inquãtum distinctus à sua singularitate mouet, sed hic color inquantũ color, de cuius ratiõe nec distinctio nec adunatio est. Ad aliam confirmationem dicitur, ꝙ maior est falsa quo ad actiones nihil reale ponentes in suis terminis, quales sunt actiones immanentes, possum enim intelligere Dei sapientiam non intelligendo eius bonitatẽ. Ad alias confirmationes præmitto, quòd nõ dicit S. Tho. ꝙ semper sensus prius cognoscat magis cõmune, quã minus cõmune: verba enim sua sunt ista. Et quia sensus exit de potentia ad actum, sicut & intellectus, idem etiam ordo cognitionis apparet in sensu. nã primò secũdũ sensum diiudicamus magis cõmune, quã minus cõmune & secũdũ locũ, & secũdũ tẽpus. Ex quibus verbis nõ habetur nisi ꝙ sensus primò secũdũ locum & tempus cognoscit singulare magis communis, & non habet, quòd semper ita sit, vnde argumẽta illa non sunt contra S. Tho. licet non concludant, falsum enim est, ꝙ species sensibilis primo repræsentet singulare speciei specialissimæ, & eius probatio falsa est, s. quòd species sensibilis sit primò impressa à natura specifica, nam species sensibilis primo imprimitur à per se primo obiecto sensus, nullius autem sensus obiectum primum est species specialissima, vt patet discurrendo, propterea species visibilis imprimitur primò à visibili in eo, quòd coloratũ, & non ab ipso, in eo, ꝙ est album vel nigrũ. Nec obstat, quòd albedo sit actualior colore, quia hoc non sufficit, sed requiritur quòd sit primum obiectum potentiæ. Nec est verum qđ assumit. i. ꝙ essentialius insit sensibili natura specialissima, quam natura generis imò huic visibili, vt sic essentialior est color, quàm albedo siue nigredo, quod patet ex hoc, quòd sublata albedine siue nigredine visibile remanet, non autem econuerso. Et hæc de quarto.

QVO AD quintũ respondetur ordinatè argumẽtis factis, & ad primũ negat illud vltimo assumptum, s. quòd perfectissimus effectus, quę possunt primo producere agẽtia ad intellectionem, sit conceptus specificus. Dico eũ, quòd perfectissimus, quę ꝓ tũc possunt: est conceptus entis, imò nullum alium possunt pro tunc. Et cùm contra hoc arguitur, quia sic nunquam ꝓduceretur conceptus specificus, non valet consequentia. Ad cuius probationem dicitur, quòd nulla virtus potest in perfectiorẽ effectũ suo effectu perfectissimo simpliciter, quælibet tamẽ virtus potest in effectum perfectiorem suo perfectissimo effectu, in quẽ potest pro aliquo priori, quia ille non est pfectissimus, nisi secundũ quid. Exẽplum. Virtus generatiua Leonis nõ põt in perfectiorem effectũ, quã sit Leo, quia huiusmodi est eius effectus perfectissimus simpliciter, potest tamẽ in effectũ perfectiorẽ illo, quẽ ꝓducit in principio actionis, qa tamẽ effectus fuit perfectissimus, quẽ pro tunc posset ꝓducere. Ad cõfirmationẽ dicit, ꝙ Minor est falsa, nã intellectus existẽs in pura potẽtia nõ est æquè dispositus ad cõceptũ specificũ, sicut entis, nõ per positionẽ alicuius cõtrariæ dispositiõis, sed ꝓpter ordinem cõceptus generalissimi ad speciales, sicut materię prima

prima omni contraria dispositione inconsiderata, non est æquè dispositus ad formas specificas, & ad formam corporeitatis: sed oportet primò recipi formam corporeitatis propter ordinem formæ generalis ad speciales: propter quod confuetum dici, quòd est indispositus priuatiuè, & non contrariè.

¶ Ad secundum patet responsio ex dictis: nam termini metaphysicales vt sic, non ponuntur à nobis primò cognoscibiles: sunt enim termini metaphysicales abstracti abstractione formali: sed dicimus quòd significatum huius termini ens concretum quidditatis sensibilis est primò cognitum.

¶ Ad tertium dico, quòd non oportet in quacunque formatione conceptus specifici semper sigillatim præformare conceptũ confusum entis: sed sufficit ens primò omnium fuisse cognitum: in illo enim omnia virtualiter concipiuntur. Vltrius dicitur, quòd cùm apud nos non ponatur ordo essentialis inter istos conceptus confusos, non oportet tantum temporis interesse.

¶ Ad quartũ dicitur, ꝙ species specialissima non est facilioris abstractionis q̃ ens, loquendo de abstractione ad propositũ requisita: sicut em̃ ad conceptum cõfusum speciei specialissimæ requiritur, & sufficit duplex abstractio: altera p actũ intellectus agentis. s. separatio à singularibus: altera p actũ intellectus possibilis, scilicet actualiter intueri speciẽ, & non actualiter intueri genus: ita ad cõceptum cõfusum actualẽ entis duplex est abstractio necessaria: prima est à particularibus, q̃ quidem fit, cum species quæcunque abstrahitur ab intellectu agente: altera fit ab intellectu possibili p hoc, quòd in quidditate quacunq; sibi primò præsentata actualiter, primò concipit ens non concipiendo actualiter cætera quæ in illo sunt: vnde tanta & tam facilis est abstractio illa entis, quã facilis est abstractio speciei specialissimę: imò abstractio ista entis est facilior: quia facilius est actualiter concipere prius sine posteriori, quã cõcuerso: ex quo patet, ꝙ abstractio illa de qua loquitur argumentum, non est necessaria ad cognitionẽ cõfusam.

¶ Ad quintũ dico, ꝙ Minor est falsa: & ad eius ꝓbationem negatur consequẽtia, eo ꝙ sensus nõ mouetur à singulari in eo ꝙ singulare. Ille em̃ modus arguendi secundũ regulã Topicã nõ tenet, nisi cùm prædicatum conuenit subiecto, secundũ ꝙ ipsum, vt habes à S. Thom. in tertio contra Gẽtiles, cap. 139. quod in proposito non reperitur: non em̃ hic color, inquãtum hic mouet visum: sed inquãtum color. Ad aliam ꝓbationem dicitur, ꝙ Maior assumpta nõ est vera vniuersaliter: eo ꝙ coloratum magis mouet visum, q̃ hoc nigrum: quia à remotioribus mouet. Agens nãque corporale quãto in remotius agit, tanto fortius videtur. Secundo dicitur, ꝙ fortius mouẽt sensum multa singularia imperfecta, quàm vnum actualius & perfectius: & quia omnia singularia sunt singularia entis, ideo cogitatiua pueri, in quo noua cognitio oriri debet, magis mouetur à singularibus entis, quàm à singularibus huius speciei, & cum intellectus accipiat vniuersale ex multis singularibus, vt dicitur 2. Poster. (& in proœmio Meta.) ideo prius cognoscit, ens, q̃ species: & secũdũ hoc dicitur ad argumẽtũ, ꝙ maior est vera cæteris paribus: nõ autem vbi aliqua imparitas, sicut in proposito accidit, præponderãs inuenitur: multò enim plura singularia entis præponderãt paucioribus singularibus speciei: sicut plus trahunt mille homines non nimis fortes, quàm decem fortes.

¶ Ad sextũ dicitur, ꝙ Maior simpliciter est falsa. Ad autoritatem Philosophi dicitur primò, quòd textus Commẽtatoris est corruptus: debet enim legi confusa, & nõ, composita. Dicitur secundò, vt saluemus Commentatorem, quòd compositum est notius suis componentibus, vt sic, non autem absolutè: vnde prius confusè cognosco hominem, quàm partes eius diffinitiuas, vt sic: absolutè tamẽ prius cognosco magis vniuersale. Ex his apparet veritas Minoris autoritate Auicennæ approbatæ.

DEINDE reddit auditores attentos, dicendorum difficultatem aperiens, tria proponẽdo, quid nomine Essentiæ & Entis significetur, & quomodo in diuersis diuersimodè inueniatur, & quomodo se habeant ad intentiones Logicas. Horum enim difficultas non modica est, vt diuersitas opinionum circa ipsa testatur. sunt enim maximè vniuersalia, quæ sunt difficillima ad cognoscendum: vt dicitur primo Metaphysicorum.

CIRCA hanc particulam nota, ꝙ sicut quid rei est quidditas rei, ita quid nominis est quidditas nominis: nomẽ autem cum essentialiter sit nota earum, q̃ sunt obiectiue in anima passionum (ex primo Peri hermenias) nõ habet aliam quidditatem nisi hãc, quod est signũ alicuius rei intellectæ seu cogitatæ: signum autem vt sic, relatiuũ est ad signatũ: vnde cognoscere quid nominis nihil est aliud, q̃ cognoscere ad quid tale nomẽ habet relationem: vt signũ ad signatũ. Talis autem cognitio potest acquiri per accidẽtalia illius signati, per cõmunia, per essentialia, per nutus, & quibusuis aliis modis, sicut à Græco quærẽtibus nobis quid nominis anthropos, si digito ostẽdatur homo, iã percipimus quid nominis: & similiter de aliis. Interrogãtibus verò quid rei, oportet assignare id qđ cõuenit rei significatæ in primo modo perfeitatis adæquatæ. Et hæc est essentialis differẽtia inter quid nominis, & quid rei. s. quòd quid nominis est relatio nominis ad signatum: qđ rei verò est rei relatæ seu significatę essentia: & ex hac differẽtia sequũtur omnes aliæ quæ dici solẽt, quta quod quid nominis sit nõ entiũ complexorum per accidẽtalia, per communia, per extranea: quid rei verò est entiũ incõplexorum per propria & essentialia: relatio enim vocis potest terminari ad nõ entia in rerum natura, & cõplexa: & declarari per accidẽtalia, & huiusmodi: essentia autem rei nõ nisi per propria essentialia habetur de entibus incomplexis.

Quia verò ex compositis cognitionem simplicium accipere debemus, & ex posterioribus deuenire in priora, vt à facilioribus incipiẽtibus conueniẽtior fiat disciplina: ideo ex significatione entis ad significationem essentiæ procedendum est.

¶ In hac tertia parte proœmij reddit auditores dociles ordine dicẽdorũ proponẽs tali cõclusione. Ab ente ad essentiam procedendum est: quã probat duplici medio. Primo sic, Ex cõpositis ad simplicia procedẽdum est: sed ens est velut cõpositum, & essentia velut simplex: ergo ab ente ad essentiã procedẽdum est. Secundo sic, Ex posterioribus in priora procedẽdum est: sed ens est posterius essentia: ergo ab ente ad essentiam procedẽdum est. Maior vtriusque rationis probatur: quia ex facilioribus est inchoandum: composita autem & posteriora sunt faciliora nobis simplicibus.

¶ Circa minorẽ primæ rationis nota, quòd ens, vt infrà dicetur, significat id quod habet esse: id autem quod habet esse comprehẽdit in se essentiam: essentia verò significat id quod importat diffinitio, vt dicetur: quæ nõ dicit esse vel nõ esse, ex primo Posteriorum: ens ergo ita se habet ad essentiam, quod complectitur in se vtrumque, essentiã scilicet & esse. essentiam verò alterum tantùm, & ideo ens appellatur compositum respectu essentiæ.

¶ Circa maiorem secundæ rationis scito, quòd quãdo dicimus, Ex posterioribus procedẽdum est, intelligitur ex posterioribus secũdum naturam, prioribus quo ad nos: innata enim est nobis via ex notioribus nobis in ignotiora naturæ, vt dicitur primo Physic. tex. com. 2. Minor secũdæ rationis probatur ex eo, quòd compositum est posterius componẽtibus: & ens (vt dictum est) compositum est respectu essentiæ.

CAPVT I.

Entis & essentiæ nomine quidnam significetur, ostendit. Nomina item varia ponit, quæ essentiam significant.

SCiendum est, quòd sicut in quinto Metaphysicæ Philosophus dicit, ens per se dicitur dupliciter. Vno modo, quod diuiditur per decem genera. Alio modo, quod significat propositionum veritatem. Horum autem differentia est, quia secundo modo potest dici ens omne illud, de quo affirmatiua propositio formari potest, etiamsi illud in re nihil ponat: per quem modum priuationes & negationes entia dicuntur: dicimus enim quòd affirmatio est opposita negationi, & quòd cæcitas est in oculo. Sed primo modo non potest dici aliquid quod sit ens, nisi quòd in re aliquid ponat. Vnde primo modo cæcitas & huiusmodi non sunt essentia. Nomen igitur Essentiæ non sumitur ab ente secundo modo dicto: aliqua enim dicuntur hoc modo entia, quæ essentiam non habent, vt patet in priuationibus: sed sumitur essentia ab ente primo modo dicto. Vnde Com. in eodem loco dicit, Ens primo modo dictum est, quod significat substantiam rei.

¶ Hic incipit tractatus diuisus in duas partes. In quarum prima declaratur quid nomine Entis & essentiæ significetur. In secũda verò quomõ essentia in diuersis diuersimodè inueniatur: pars prima vnico absoluitur cap. pars secũda sex: & sic totum integrãt tractatum capitula septem. Quorum primum, quod præmanibus habemus, tres partes cõtinet: in prima declaratur quid nomine entis significetur, in secũda quid nomine essentiæ, in tertia differẽtia nominum ipsius essentiæ designatur. Primum tali diuisione declaratur, ens per se dupliciter dicitur: vno modo, vt diuiditur p decem genera: alio modo vt significat veritatem propositionum: quẽadmodũ dicit Arist. 5. Met. t. com. 14. Dixit ens p se ad differẽtiam entis p accidẽs aggregati ex rebus diuersorũ generũ, vt hõ albus: de quo habes quinto Met. text. com. 13. Et innuit, ꝙ tripliciter differũt ens primo modo, & ens secũdo modo. Primo, qa ens primo modo prædicatur non nisi de rebus existẽtibus in decem generibus, ens autem secundo modo prædicatur de omni eo, qđ potest esse subiectum propositionis affirmatiuè. Secũdò differũt: quia ens primo modo est illud cõpositum, de quo suprà diximus, ꝙ aliqualiter cõplectitur in se essentiã & esse. ens aũt secundo mõ nõ est huiusmodi: quoniã aliquid est hoc modo ens (puta negatio aut chimæra) qđ non habet essentiã aliquã. Et ex hoc sequitur tertia differentia, ꝙ ab ente primo modo tanquam à composito notiori Essentiæ, nomen sumitur: non autem secundo modo.

CIRCA Primam differẽtiam aduerte primò, quòd veritas

Universidad de Deusto
Biblioteca

propositionis, q̃ est entis secũdo modo significati nihil aliud est q̃ cõpositio facta in secũda operatione intellectus obiecto conformis. verbi gratia, Sortes est cæcus, ly est, nõ significat inhærẽtiã cæcitatis in Sorte, eo q̃ cæcitas omni inhærẽtia caret cum inhærere realiũ ac. idẽtium sit: sed significat compositionẽ factam ab intellectu adæquãte seipsum per illã obiecto Sorti. i. carente virtute visiua. vnde 5. Meta. in alia litera dicitur, quod ens significãs veritatem propositionis significat, quoniam propositio est vera. Prima autem significatio entis quid sit, infrà videbitur.

ADVERTE Secundo q̃ licet nullo intellectu considerante Sortes sit cæcus, & per cõsiderationẽ intellectus nõ fiat magis vel minus cæcus: tñ cæcitas nullo intellectu cõsiderãte nullum habet esse in Sorte, tũc enim ista duo simul. Quod sic declaratur, Sorte esse cæcum, vt sic, nõ est Sorte habere aliquod esse subsẽtiale, vt patet, nec accidẽtale, quia Sortes sit cæcus sola absentia visiuæ virtutis, quæ nihil supra Sortẽ addit: vnde cæcitas nullum esse omnino ponit in Sorte, ac per hoc q̃ absque omni cõsideratione intellectus virtus visiua Sorti nõ ineſt, oportet Sortẽ nullo intellectu cõsiderãte esse cæcũ. Dubitatio aũt in hac re accidit, quia non rectè inspicitur quòd esse cæcũ nõ est esse aliquid: sed carere virtute visiua. Exemplum, Nauis caret gubernatore nullo intellectu cõsiderãte, absentia tamẽ gubernantis nullum esse subsẽtiale aut accidentale ponit in naue, vnde nauẽ esse sine gubernatore extra animã nõ est esse aliquod, sed nõ esse gubernatam. Acquirũt aũt esse & fiunt entia priuationes & negationes, ex hoc q̃ intellectus intelligẽs primationes p habitus, & negationes per affirmationes formet in seipso rei carẽtis aliquo mõ idolũ quoddã. Verbi gratia, cũ intellectus format in se idolum quoddã nauis gubernatore carẽtis: quod est ista ꝓpositio metalis. Nauis est sine gubernatore nõ præsentia gubernatoris, q̃ extra animã nihil ponit in anima, sit ens: per hoc quòd intellectus fecit ipsam propositionis terminum aliquem, & cum hoc esse sit in anima, & nullũ aliud esse habeat: consequens est quòd negationes huiusmodi & priuationes nõ sint entia nisi in anima obiectiuè. & sic earum esse nihil aliud est, q̃ intelligi quomodo tantum omnia entia rationis habẽt esse.

CIRCA Tertiam differẽtiam aduertẽdum est, quòd cũ nomina sint signa cõceptuum, secundum ordinem concipiendi est ordo nominãdi: propterea sicut ab ente primo modo, tanquam à composito nobis notiori essentiæ notitiam sumpsimus: sic Essentia ab ente originem habet.

Et quia, vt dictum est, ens hoc modo dictum diuiditur per decem genera, oportet quòd essentia significet aliquod commune omnibus naturis, per quas diuersa entia in diuersis generibus & speciebus collocantur, sicut humanitas est essentia hominis: & sic de aliis.

¶ In hac secũda particula declaratur quid nominis Essentiæ importetur tali cõclusione, Essentia significat quoddam commune omnibus naturis omniũ entiũ. Cuius talẽ declarationẽ insinuat: sicut ens significat aliquod commune omnibus existentibus, ita essentia, cum ab illo sumatur, significat aliquod commune omnibus generibus & speciebus: & sicut ens significat id quod est in quolibet genere & qualibet specie, ita essentia oportet quòd significet id quo aliquid est in quocunque genere & quauis specie. habent enim se ens & essentia vt quod & quo. cum autem naturæ rerum sint illæ, quibus res reponuntur in generibus & speciebus: sequitur quòd essentia significet aliquod commune omnibus naturis rerum: vnde quemadmodum ens prædicatur de homine, boue, & similibus, quæ sunt in generibus: ita essentia prædicatur de humanitate & bonitate, quibus in generibus reponuntur. per nomen ergo Essentiæ intelligitur natura rei, sicut per nomen Entis, id quod habet naturam illam.

QVAESTIO II.

Num Ens & Essentia significent immediatè ipsa prædicamenta, vel aliorum naturas, an immediatè.

CIRCA hanc particulam insurgit dubitatio valde difficilis: an ens & essentia significent immediate ipsa prædicamenta seu naturas eorum, an mediatè: in hac dubitatione tria agam. Primò declarabitur titulus quæstionis: secundo adducetur opinio Scoti, & impugnabitur: tertiò ponetur opinio sancti Thomæ.

Pro primo scito, quòd significare mediatè in proposito & significare aliquid mediante aliquo superiori: sicut animal significat species suas mediatè (mediante scilicet natura sensibili) non enim animal significat hominem: nisi quia homo est substantia animata sensibilis. Significare immediatè est significare aliquid non per aliquam naturam, seu realitatem superiorem, sed per ipsam primò: sicut animal significat gradum sensitiuum immediatè: vt patet. Verum ergo in dubium hoc, an ens significet aliquem gradum seu aliquã realitatem abstrahibilem à naturis prædicamentalibus cõmunem eis, sicut superius essentiale suis inferioribus: & sic immediatè significet prædicamenta, an immediatè significet ipsas naturas prædicamentales. Hæc de primo.

QVOad secundũ, Sco. vt colligitur ex primo sen. dist. 3. q. 1. & 3. & dist. 8. q. 2. opinatur q̃ ens significet decẽ prædicamenta mediatè: imaginatur enim q̃ à quibuscunque similibus sit abstrahibilis vna realitas obiectiua vtriusq; cõmunis & prior vtroq;: & sit cũ substãtia & accidẽs habeãt similitudinem in ente, & ab eis est abstrahibilis vna ratio obiectalis vtriusq; cõmunis & prior tã substãtia, q̃ accidente quę nomine entis significatur. Quod vt melius intelligatur pono ꝓcessum istarũ abstractionũ diffusè. Cũ em Socrates cõueniat cum Platone in humanitate & nõ cũ Brunello, ab eis põt abstrahi humanitas cõmunis & prior eis: & inde cũ homo cõueniat cũ Brunello in sensibilitate & nõ cũ plãta, ab eis põt abstrahi animalitas cõmunis & prior eis: & inde cũ animal cõueniat cũ plãta in vegetabilitate, & nõ cũ lapide, ab eis põt abstrahi vita cõmunis & prior eis: inde cũ viuũ cõueniat cũ lapide in corporeitate & nõ cũ intelligẽtiis, ab eis põt abstrahi corporeitas communis, & prior eis: inde cũ corp̃ cõueniat intelligẽtiis in substãtialitate, & nõ cũ accidẽtib̃, ab eis põt abstrahi substãtialitas cõmunis & prior eis: inde cum substãtia cõueniat cũ accidẽte in entitate reali, & nõ cũ entib̃ rationib̃, ab eis abstrahibilis entitas cõmunis & prior eis, & cum hic realitas vltimò abstrahibilis sit illa, quam significat ens immediatè, oportet quòd prædicamentales realitates, seu naturæ mediatè sub entis significatione claudãtur.

¶ Ad hanc positionem confirmandam multa possent adduci media, quæ ne digrediamur ad analogiam entis & comparationem transcendentium ad prædicamenta, an scilicet sint eorum prædicata quidditatiua vel non, omittemus pro nunc: quia infra species erunt de his quæstiones.

¶ Cõtra hãc opinionẽ arguo dupliciter. Primò authoritate Arist. 8. Met. tex. 6. 16. vbi soluẽs quæstionem, Quare quidditas sit vna, dicit q̃ in substãtiis separatis nõ est quærẽda alia causa: quia in eis nõ est nisi forma, quæ statim seipsa est ens & vnũ: quemadmodũ ens statim seipso est substãtia & quantitas, & cætera prædicamẽta, non expectans aliud faciens ipsum naturas prædicamentales. ex qua autoritate arguitur sic, ens significat quandam realitatẽ priorẽ prædicamentis: ergo expectat aliquid contrahens ipsum ad prædicamẽta consequentia nota: consequens autem est contra Arist. ergo à destructione consequentis ad destructionem antecedentis ens non significat realitatem priorem prædicamentis.

¶ Secũdo arguitur autoritate Cõment. 10. Met. com. 18. dicentis, q̃ hoc nomen ens, vnũ, significat id quod significat in prædicamẽto substãtiæ & quantitatis & qualitatis prima significatione sine medio & non mediante aliqua communi. quid clarius? Ratione non arguo: quia oportet egredi limites. Hæc de secundo.

QVO AD Tertium, pono opinionem S. Thomæ ex duabus conclusionibus eliciendam. Quarum prima est ista, Ens significat vnum conceptum formalem communem in repræsentando substantiæ & accidenti Deo & creaturæ.

SECVNDA Est ista, Ens significat vt conceptum obiectalem aliquod reale inuentum in omnibus distinctum secundum rationem à propriis conceptibus obiectalibus omnium generum: nullum gradum supra naturas genericas specificas & individuales exprimens.

¶ Pro intelligentia terminorum nota, q̃ conceptus est duplex, formalis & obiectalis. Conceptus formalis est idolum quoddam, qđ intellectus possibilis format in seipso repræsentatiuum obiectaliter rei intellectæ: quod à Philosophis vocatur intentio seu cõceptus: à Theologis verò verbũ. Cõceptus autem obiectalis, est res per conceptũ formalem repræsentata in illo terminans actum intelligendi. Verbi gratia, conceptus formalis leonis, est imago illa, quam intellectus possibilis format de quidditate leonina, cũ vult ipsam intelligere: conceptus verò obiectalis eiusdem, est natura ipsa leonina repræsentata & intellecta. Nec putandum est cum dicitur nomen significare conceptum q̃ significet alterum tantum: significat enim leonis nomen conceptum vtrunque, licet diuersimodè. est nanq; signum conceptus formalis, vt medij, seu quo, & est signum conceptus obiectalis, vt vltimi, seu quod. Vnde idem est loqui de conceptu entis & de significatione eius.

¶ Probo ergo conclusionẽ primã tali medio, omnia similia quacunq; similitudine etiam analoga seu imitatiua secundum id in quo assimilantur, possunt per eandẽ imaginem repræsentari: sed Deus & creaturæ substãtia & accidens habent similitudinem inter se, saltẽ analogam: ergo secundum id in quo assimilantur, possunt per eandẽ similitudinẽ repræsentari. Sed assimilantur in esse: ergo eadẽ similitudine poterunt repræsentari inquantum habent esse similitudo illa est conceptus formalis entis: ergo, &c. Processus clarus est, & propositiones ab omnibus sunt concessæ: cum Maior fuerit dilucidata, quã sic ex notioribus suadem̃. Vbicunq; inuenitur agẽs ꝓducere sui similitudinẽ in alio, si id aliud ꝓducat aliud simile sibi secũdũ id, quo ipsum assimilat̃ primo: oportet tertiũ assimilari vtriq; ea ratione: quia quicquid est simile alicui in eo, q̃ illud est alteri simile est simile vtriq;: sicut species Socratis in oculo meo ꝓducta ab imagine Socratis in speculo est similitudo repræs

repsentatiua vtriusque & figuræ Solis: in speculo à qua immediatè est causata: & figuræ Socratis in seipso à qua est mediatè causata. Sed ita est mõ, q̃ inter habentia analogã similitudinẽ Deũ & creaturã, substãtiã & accidẽs, reperitur hmõi habitudo in ordine ad cõceptũ formalẽ: igitur, &c. Fit aũt hoc sic manifestum exemplariter, Sapiẽcia diuina ꝓducit sapiẽtiam humanã, quæ est quædã sui similitudo (imperfecta tamẽ) sapientia autem humana producit similitudinẽ sui in intellectu nostro, quæ nil aliud est, q̃ sapientia in esse intentionali: sicut sapiẽtia extra est sapientia in esse naturali. Cũ autem similitudo ista sapiẽtiæ in intellectu repręsentet sapiẽtiã humanã secũdum id quo illa assimilatur sapiẽtiæ diuinæ: quia repsentat eã sc̃dm ꝓpriã rõnẽ formalẽ, sequitur de necessitate, q̃ hic vnica similitudo repræsentat vtramq;, humanã. s. & diuinam: vtpote quæ similis est vtriq;: licet ab humana sit immediatè exemplata, à diuina mediatè. Ex hoc exẽplo in terminis specialibus intuere propositũ nostrũ in terminis trãscendẽtibus, qualis est eris. Cùm enim esse creaturæ assimiletur esse diuino à quo exẽplatũ est, & esse accidentale assimiletur esse substantiali à quo emanat: similitudo ꝓducta in intellectu ab esse subsẽtiali siue accidẽtali in quantũ assimilantur, erit omniũ repræsentatiua imago, & cum cõceptus nõ reꝙratur ad intellectionẽ, nisi vt obiectaliter repsentet rẽ vnico cõceptu intellectus in Deũ & creaturã in quo ens fereť: & similiter in substãtiã, & accidẽs. Nec oportet ponere plures conceptus, & multiplicare entia sine necessitate. Quòd aũt hîc sint nõ solũ secũdũ mentẽ S. Tho. dicta, sed etiã secũdum exẽplam sententiã patet in q. de diu. potẽtia Dei q. 7. art. 5. in corpore: vnde hãc rõnem accepi: & in eadem q. ar. 6. vbi circa finẽ corporis q. adducit exemplum de speculo: & dicit expresse, q̃ sic se habet conceptus noster ad Deũ & creaturas sicut species rei visæ in speculo: ita quòd Deus se habet vt res producens similitudinem suam in speculo: creatura vt species in speculo: conceptus noster vt similitudo extracta à specie in speculo vtriusq; repsentatiua. Vnde nullus mentis compos potest hoc negare in eius via.

CONCLVSIO secunda habet tres partes. Quo ad primã declaratur, sic Cõcept̃ obiectalis entis est id qđ repsentatur p eius cõceptũ formalẽ: sed eius conceptus formalis repræsentat id, in quo assimilãtur omnia entia realia, qđ oportet in eis esse, ergo conceptus obiectalis entis est aliquid reale inuentũ in omnibus. Secunda propositio assumpta licet patere possit ex dictis, tñ declaratur adhuc, sicut cõcept̃ formalis animalis repsentat fundamẽtũ similitudinis genericæ: & cõceptus formalis hominis repsentat fundamẽtũ similitudinis specificæ: & vniuersaliter quælibet imago cõmunis pluribus in repræsentãdo repsentat fundamentum similitudinis inter illa plura: vt patet in exemplo suprà posito de specie in oculo causata à specie Socratis in speculo: qm̃ illa repręsentat nõ similitudinẽ inter specie in speculo, & Socratis: cum sit relatio, sed fundamentum illius similitudinis puta qualitates & lineamẽta quæ sunt in vtroq;: sic conceptus entis formalis repræsentat fundamentum analogicæ similitudinis in esse inter omnia entia realia existentis quod in omnibus esse absque opere intellectus ex eo patet, vnde q̃ similia sunt extra animam: cum hoc fundamentũ repræsentatum sit conceptus obiectalis entis, vt dictum est, patet conceptum obiectalem entis esse aliquid reale inuentum in omnibus: quod erat in prima parte conclusionis positum. Secũda pars conclusionis sequitur ex ista, si enim conceptus obiectalis entis inuenitur in omnibus: & nullus conceptus obiectalis proprius substãtiæ, aut accidentis inuenitur in omnibus, consequẽs est, quòd non omnino sunt idem, & quòd saltem ratione distinguatur conceptus entis à propriis omnium conceptibus obiectalibus: quòd erat secunda pars conclusionis.

¶ Tertia pars eiusdem sic declaratur, Si cõceptus obiectalis entis esset aliquis gradus supra gradus specificos & genericos: tũc consideratis præcisè gradibus specificis & genericis, cũ eorũ præcisè passionibus nõ esset in eis vt sic, inuenire passiones entis: hoc est falsum: ergo à destructione consequentis, &c. consequẽtia declaratur: qa em animal dicit aliũ gradũ ab homine, ideo homini sc̃dm differẽtialem conceptum præcisè nõ insunt passiones animalis, vt ostẽdit falsitas istius reduplicatiuæ, homo inquantũ rationalis, est bipes, circũloquendo per ly, bipes, passionem animalis propriam: & similiter si ens dicit aliũ gradũ à substantia, sequitur quòd considerata præcisè ratione constitutiua substantiæ substantia non est vna, nec vera nec bona, &c. quæ nominãt passiones entis, &c. Falsitas consequentis probatur sic, Homo inquantum rationalis præcisè est vnum quid vnitate, quæ est passio entis: homo inquantum rationalis dicit alium gradum ab ente, secundum te, contra quem arguo: ergo passio entis conuenit aliis gradibus ab ente præcisè, vt sic acceptis: quod est oppositum consequẽtis. Prima ꝓpositio assumpta habetur ex Scot. in secundo sen. dist. iij. q. j. tenente vnitatẽ mediã minorẽ vnitate numerali, & maiorẽ generica esse passionẽ entis, & sequi naturã specificam ratione vltimæ differentiæ. Manifesta quoque sit sic pro nunc eadem propositio. Homo inquantum rationalis est indiuisibilis formaliter suppositо, q̃ rationale sit vltima differentia: ergo hõ inquantum rationalis est vnus formaliter, vnitas em̃ nihil aliud est quã indiuisio. Sed de hoc, cum de vnitate naturæ agetur, amplior erit sermo. Nunc autẽ sufficiat q̃ in gradibus specificis præcisè acceptis, & similiter genericis est inuenire passiones entis: qđ erat probandum, & consequenter, quòd ens non significat distinctum gradum à naturis specificis & genericis: quod erat tertia pars conclusionis.

SED tunc ex quo res significata per hoc nomen ens est aliq̃d inuẽtum in omnibus: & nõ est gradus distinctus cõtra specificos & genericos: declarandũ supereſt quid sit. Quod sic declaratur, Gradus quicunq; genericus vel specificus, vel differẽtialis, vel individualis, habet in se vnum qđ multis modis concipi possit: & secundum quod quilibet gradus est habens esse, nomine Entis importatur, & ad conceptum obiectalẽ entis pertinet: secundum verò quod absolutè talis gradus cõsideratur, nomine proprio significatur, & conceptus obiectalis illius est. verbi gratia, humanitas ex sua propria perfectione formali, qua distinguitur contra reliquas vniuersi perfectiones, habet q̃ per conceptum formalẽ humanitatis repræsentetur & cognoscatur & significetur humanitatis nomine humanitas: vt sic etiam habet quod sibi debeatur, seu conueniat esse quidditatiuum, & actualis existentiæ: & sic repræsentatur conceptu formali entis tanquam pars sui obiectalis Cõceptus, & Entis nomine significatur. Similiter animal hæc duo in se habet, & sic de aliis. Vnde conceptus obiectalis entis sunt naturæ genericæ & specificæ, vt habentes esse, sic enim fundant analogam similitudinem, de qua loquimur, & propterea ens & passiones eius in quolibet gradu præcisè accepto saluantur: quilibet enim gradus vt sic habet in se vnde sit, & indiuisus sit: & conformabilis intellectui & appetitui, &c. quod à ponentibus ens abstrahibile à gradibus specificis, & genericis saluari non potest. Quod autem hæc sint secundum doctrinam S. Tho. diligenter intuentem eius doctrinam censorem constituo. Infrà tamen cùm de analogia entis agetur, hoc ostendemus: pro nunc satisfaciant hæc dicta, præsertim, quòd tam prima, quàm secunda pars conclusionis ex præcedẽte conclusione sequitur, quam constat esse S. Tho.

¶ Tertia autem pars omnibus Thomistis asserituꝛ vnanimiter. Sic ergo patet qualiter ab omnibus entibus, vtpote similibus abstrahibilis est conceptus entis, non modo Scotistico, & patet, qualiter sit verum quod hic S. Thom. dicit. scilicet essentia significat aliquid commune omnibus naturis omnium generum, & specierum: non enim intendit quod essentia significet aliquam naturam communem omnibus naturis, sed quòd significet omnes naturas, vt assimilantur in hoc, quòd entia sunt: quælibet enim naturæ vt sunt (quibus res sunt) essentiæ rationem habent: sicut quælibet res habent rationem entis, vt sunt habentes esse, seu quæ sunt.

Et quia illud, per quod res constituitur in proprio genere vel specie, est quod significamus per diffinitionem indicantem quid est res: inde est quòd nomen Essentiæ à Philosophis in nomen quidditatis mutatur. Et hoc est quod Philosophus in septimo Metaphysicæ frequenter nominat, quod quid erat esse, id est hoc, per quod aliquid habet esse quid. Dicitur etiam forma, secundum quod per formam significatur perfectio, vel certitudo vniuscuiusque rei, sicut dicit Auic. in secundo Metaphysicæ suæ. Hoc etiam alio nomine natura dicitur, accipiendo naturam secundum primum modum illorum quatuor modorum, quos Boetius de duabus naturis assignat, secundum scilicet quod natura dicitur esse illud, quod quocunque modo intellectu capi potest: non enim res intelligibilis est nisi per suam diffinitionem & essentiam. Et sic etiam dicit Philosophus in quinto Metaphysicæ, quòd omnis substantia est natura: Nomen autem Naturæ hoc modo sumptæ videtur significare essentiam rei secundum quod habet ordinem vel ordinationem ad propriam operationem rei, cùm nulla res propria destituatur operatione. Qualitatis verò nomẽ sumitur ex hoc, quod per diffinitionem significatur: sed essentia dicitur secundum quod per eam, & in ea res habet esse.

¶ In hac tertia parte huius capituli declaraturus, quomodo differant nomina Essentiæ inter se, enumerat quinq; eius nomina: primò scilicet essentia, quidditas, quod quid erat esse, forma, & natura: quorum ratio & differentia satis clarè, ac manifestò sermone in litera traditur, adeò vt addere non sit opus.

¶ Nota tamen circa id quod de Boetio affertur, q̃ Boetius in libro de duabus naturis, & vna persona Christi, naturã quadrupliciter accipi dicit. Primò omne intelligibile: secũdò omnis substantia: tertiò principium intrinsecum motus: quartò specifica essentia seu differentia: quos modos (si Boẽtium non habes) vide si placet in secundo sen. S. Thom. dist. 7. q. 1. art. 1. primo modo accipit

Universidad de Deusto
Biblioteca

hîc naturam S.Tho. quoniam sic communis est essentiis substantialibus & accidentalibus genericis & specificis, &c.

CAPVT II.

Substantiarum essentiam propriè dici, accidentium autem non, nisi secundum quid, ostendit: nobiliores item esse simplicium essentias, quàm compositarum substantiarum probat. quòd demum essentia substantiæ compositæ non materia, non forma, vel inter ea aliqua excogitata relatio, vel quippiam ipsi composito superadditum, sed ipsum sit compositum, variis rationibus demonstrat.

SED *quia ens absolutè & primò dicitur de substantiis, & posterius, secundum quid de accidentibus: inde est quod essentia propriè & verè est in substantiis: sed in accidentibus est quodammodo & secundum quid. &c.*

¶ Expedito primo propositorum exequens in hac secunda parte tractatus, quomodo essentia in diuersis diuersimodè inueniatur, q̃d secundo loco propositũ erat. Primò declarat, quomodo essentia inueniatur in substantiis cõpositis in tribus capitulis, secũdò in substãtiis separatis duobus capitulis: tertiò in accidentibus vnico capitulo. Circa substantias cõpositas tria declarãtur in illis tribus capitulis. In primo, quid sint entia substãtiarũ cõpositarum: in secundo, quomodo differãt inter se essentiæ substantiarũ cõpositarũ. In tertio quomodo se habeãt ad intẽtiones Logicas. Incipiens autẽ exequi in hoc cap. quomõ essentia in diuersis diuersimodè inueniat: primò hoc declarat in cõi, omnes essentias vniuersi adinuicem cõparando in duabus cõparationibus. Secundò, quid sit essentia substãtiarũ compositarum tribus conclusionibus negatiuis, & quarta affirmatiua. Tertiò mouet dubitationem quandam circa conclusionẽ affirmatiuã, & soluit eã. Facit primò comparationẽ primã inter essentias substantiarum & accidentiũ tali conclusione, Substãtia verè & propriè habet essentiam: accidẽs autem sẽm quid, quã sic probat. Vnumquodque sicut est ens, ita habet essentiam: sed substãtia est ens simpliciter, accidẽs verò est ens secundum quid: ergo substantia habet essentiã simpliciter, accidens autem secundũ quid. Maior ex dictis in præcedenti capitulo patet. Minor licet habeatur septimo Meta. in principio, tamen sic probatur in litera: illud est ens simpliciter de quo ens absolutè & primò prædicatur, & illud est ens secundum quid, de quo ens posterius, & secundum quid dicitur: sed de substãtia ens dicitur absolutè & primò, de accidente autem posterius & secundum quid: ergo substantia est ens simpliciter, accidens verò secundum quid.

QVÆSTIO III.

Nunc ens per prius de substantia, posterius de accidente dicatur, an de vtroque vniuocè.

CIRCA Hanc particulam dibitatur, an ens per prius dicatur de substantia & posterius de accidente, an vniuocè de vtroque. In hac quæstione, quinq; agda sunt. Primò declarabitur titulus. Secũdò ponetur opinio Sco. Tertiò arguetur cõtra illã. Quartò ponetur opinio S. Tho. Quintò rñdebitur argumẽtis in oppositum.

¶ Quo ad primũ sciendum est, q̃ aliquid dupliciter contingit de aliquibus prædicari per prius & posterius. Vno mõ secũdũ esse illius prædicati. Alio mõ secundũ propriã rõnem eiusdẽ. Illud dicitur prædicari analogicè (secũdum esse) q̃d perfectius habet esse in vno: & sic omne genus prædicatur per prius & posterius de suis speciebus: eo q̃ perfectius esse necessariò habet in vna specie, quã in alia: vnde commentator 12. Met. commen. 2. dicit quòd prioritas & posterioritas specierum non impedit vnitatem generis: & hoc modo non quærimus hic: per se enim notum est omnibus, quòd ens perfectiori modo est in substantia, quàm in accidentibus, & quòd hoc modo prædicetur per prius & posterius.

¶ Illud verò dicitur p̃dicari analogicè, seu per prius & posterius secundũ rationẽ propriã, quod de vno prædicatur sine respectu ad aliud, de altero verò nõ nisi in respectu ad aliud. Verbi gratia, Sanũ prædicatur de animali sine respectu ad diætã, medicinã & vrinã, de istis verò prædicatur nõ nisi in respectu ad animal. dicit enim animal sanũ absq; additione aliqua: vrina verò nõ dicit sana, nisi qa est signũ sanitatis existẽtis in animali: & dieta similiter nõ est sana, nisi quia est cõseruatiua sanitatis: & sic de aliis. Cũ enim diffinies sanũ p̃dicatũ de animali, nõ pones in eius diffinitiõe respectũ ad aliq̃d horũ. Cũ aũt diffinies sanũ prædicatũ de vrina, in diffinitiõe eius ponet respect⁹ ad sanitatẽ animalis cũ ipsa animalis sanitate: & similiter in diffinitiõe dietæ & medicinæ in eo q̃ sane sunt: dices enim, (vtiã dictũ) q̃ vrina est sana, in eo q̃ signum est sanitatis: diæta in eo quòd conseruatiua: & medicina in eo q̃ causa est illius: & hoc mõ vertitur hic in dubiũ an ens prædicetur analogicè: ita q̃ absolutè p̃dicetur de substãtia: de accidẽtib⁹ verò nõ, nisi relatiuè ad substãtiã: q̃d idem est q̃ q̃rere, vtrũ substantia in eo, q̃ ens nõ includat accidẽs, accidẽs verò in eo quòd ens includat substãtiã: & in hoc pẽdet tota quæst. inter nos & Scotum: q̃n accidens in eo, quòd accidens includere substantiã ab omnibus conceditur: sed non accidens in eo, quòd ens. Hæc de primo.

QVOad secundum Scotus 1. sent. dist. iij. q. j. & iij. d. viij. q. ij. ponit hanc conclusionem: Ens est vniuocum substantiæ & accidenti, Deo & creaturæ: & p̃bat eã sic: Omnis intellectus certũ de vno conceptu, & dubius de diuersis, habet conceptum, de quo est certus, aliũ à cõceptu de quo dubius: intellectus quisq; potest esse certus de Deo, seu de p̃pria passione, quòd sit ens, dubitando an sit ens finitũ, vel infinitũ: siue an sit substantia vel accidens: ergo conceptus entis est alius a cõceptibus istis, & ita neutrũ est ex istis: sed in vtroque illorum includitur: igitur vniuocus: prima propositio patet ex terminis. Minorem verò experientia docet.

¶ Secundò sic, Ens non est vniuocũ, ergo Deus non est à nobis naturaliter cognoscibilis aliquo cõceptu simplici: hoc est falsum: ergo à destructione consequentis, &c. Consequentia probatur, Nullus cõceptus est producibilis in intellectu nostro, qui nõ contineat essentialiter, vel vniuersaliter in obiecto relucẽte in phãtasmate: sed conceptus non vniuocus Deo & obiecto relucente in phantasmate est nõ cõtentus tam essentialiter q̃ virtualiter in obiecto relucẽte in phãtasmate: ergo nullus cõceptus est p̃ducibilis in intellectu nostro, nisi sit vniuocus obiecto relucẽte in phantasmate: hoc aũt est creatura: ergo omnis cõceptus simplex, quem habemus de Deo, est vniuocus creaturæ: & cõsequenter conceptus entis. Maior patet, Minor declaratur: quia obiectũ creatũ cõtinet essentialiter cõceptũ increatũ, vt de se notum est, nec virtualiter: quia prius non includitur virtualiter in posteriori, sed ecõuerso.

¶ Tertiò sic, Omnis inquisitio Metaphysicalis de Deo procedit, cõsiderãdo oró nem formalẽ alicuius: & auferẽdo ab ea imperfectionẽ quã habet in creaturis, & referuando illã rõnẽ formalem, & attribuendo sibi omnino summã perfectionẽ: & sic ponendo illam in Deo. ergo omnis inquisitio de Deo supponit intellectũ habere conceptum eundẽ vniuocum, quem accipit ex creaturis.

¶ Quartò sic, Ens nõ est vniuocum substantiæ & accidenti: ergo substantia non est à nobis naturaliter cognoscibilis. hoc est falsum: ego, &c. Tenet cõsequentia, eo q̃ cũ substantia non immutet immediatè intellectũ nostrũ ad aliquã intellectionem sui: sed tantùm accidens sensibile: sequitur q̃ nullum conceptum quidditatiuum habere poterimus de ea, nisi aliquis talis possit abstrahi à conceptu accidentis: sed nullus talis quidditatiuus abstrahibilis est à conceptu accidentis, nisi ens vniuocum accidenti & substantiæ. Hoc autem quod in ista ratione assumit, scilicet q̃ substantia non immutet intellectum nostrum ad aliquã sui intellectionem, probatur sic, Quicquid sua præsentia immutat intellectum, absentia illius potest naturaliter cognosci ab intellectu quando immutatur (sicut apparet ex secũdo de Anima) quod visus est tenebræ cognoscitiuus, quando lux nõ est præsens, eo quòd tunc visus non immutatur, igitur si intellectus naturaliter immutatur à substantia immediatè ad actum circa ipsam, sequeretur quod quando substantia non esset præsens, posset naturaliter cognosci non esse præsens: & ita naturaliter cognosci posset in hostia consecrata non esse substantiam panis: quod est manifestè falsum.

¶ Quintò arguitur autoritatibus secundi Meta. text. com. 4. Probans Arist. causam entitatis & veritatis, maximè entia & vera, assumit hãc propositionẽ. Vnumquodque maximè ipsum aliorum dicitur, secundũ q̃d aliis inest vniuocatio. ens ergo vniuocum dicitur apud Arist. de causa entitatis, scilicet Deo & aliis: aliter processus Arist. nullus esset. arguit enim sic, Causa vniuoca entitatis & veritatis est maximè ens: & verè Deus est huiusmodi. ergo. Auicenna quoque primo Meta. c. ij. dicit, Substantia & quantitas non habet intẽtionem communem nisi entis, cuius quædam sunt quasi species: & quædam quasi accidentia propria. Et capitulo quinto facit argumentum, quod adductum est de conceptu certo, & dubiis, Omnes, inquit, imaginantur incertitudinem entis, dubitant autem vtrũm sit agens vel patiens. Algazel in Metaphysica sua tractatu primo habet, quòd quidam homines putauerunt, quòd ens non prædicat alium conceptum à suis inferioribus, dicentes quòd esse accidentis nihil aliud sit, quàm esse substantiæ. Multa alia argumenta adducuntur ad hoc: sed quia (vt patebit) non probant vniuocationem, sed alietatem conceptus entis, omitto: & etiam quia ex dicendis cuilibet ingenioso patebit responsio ad omnia. Hæc de secundo.

QVO Ad tertium arguo primo sic. Nullum vniuocatum in ratione sui vniuoci habet aliquid plus quàm reliquũ vniuocatum: substantia & accidens sunt vniuocata per se in ente: ergo accidens non habet aliquid plus in ratione sui vniuoci, scilicet entis, quam substantia: discursus bonus: conclusio verò est falsa. ergo altera præmissarum, non Maior: quia illa habetur ex anteprædicamentis: ergo Minor, quæ est conclusio aduersæ partis. Falsitas conclusionis habetur septimo Meta. textibus & commentis secundo & tertio, vbi dicitur quod in ratione accidentis inquantum ens ponitur substantia, vnde Comment. dicit in commento tertio, quod sedens & stãs non dicũtur esse entia sine substãtia. pater autẽ quod in diffinitione substantiæ, inquantũ ens non ponitur accidens, nec substantia, eo quòd abstrahit apud eos ab illis. Patet secundò falsitas illius conclusionis ex dictis Antonij Trombetæ, qui in hac quæstione fatetur in diffinitione accidentis, inquantum ens, cadere substantiam. Vnde etsi ratio possit à Scoto secundum apparentiam solui glossando Aristotelem (glossa destruente textum) nullo tamen pacto potest ab Antonio Trombeta solui: eo quòd ab ipsa veritate coactus concessit in Quolibeto suo falsitatem conclusionis, quam Scotus negaret.

¶ Secundo arguitur sic, Ens est vniuocum prædicatum in quid de pluribus differentibus specie, in nulla differentia quidditatiue inclusum: ergo est genus. Tenet cõsequẽtia ex diffinitione generis, & conditione apposita à Scoto in primo sen. di. iij. q. iij. vltimam enim particulã assumptam exigi dicit ad genus, & bene sẽdm Arist. quarto Topi. Antecedẽs quo ad primã partẽ & secũdam Scotũ ibidẽ est. Quo ad tertiam aũt probatur sic: Si ens esset inclusum in aliqua differentia non vltima, sequeretur quòd addendo differentiã non vltimã generi, esset nugatio: hoc est falsum: ergo, &c. Tenet consequentia: quia bis ens poneretur eodem modo, semel rõne generis, & semel ratione differentiæ. Verbi gratia, Si ens includitur quidditatiuè in rõne animalis, & rõnalis, dicẽdo animal rõnale, erit nugatio: cũ ẽm prima pars rõnis animalis sit ens, erit rõ propria animalis ens, A, B, C. Similiter cũ prima pars rationis sit ens, erit ratio rationalis ens, D, E, F. & sic dicendo animal rationale, dicens ens, A, B, C, ens, D, E, F, & consequenter ponesens bis: & expressè nugationem cõmittes. Nec est opus impugnare responsionem Scoti, vbi suprà ad hoc argumentum, quia non est ad propositum: ait enim q̃ sicut dicimus, animal album absq; nugatione, eo q̃ ens clausum in ratione albedinis denominat accidẽtaliter ens clausum in ratione animalis: ita in p̃posito dicimus animal rationale, eo quòd ens clausum in rationali denominat essentialiter ens clausum in animali absque nugatione.

¶ Hoc enim non est ad propositum: aliud ẽm est loqui de ente in sua ratione cõi, in qua indistinctè vniuocãtur supradicta: & aliud est loqui de ente particulariter accepto. Licet enim palliari possit, quòd ens particulatum ad albũ & rationale denominet ens particulatum ad animal: non tamen potest intelligi, quòd prima pars rationis albi formaliter sumpti, denominet primã partem rationis animalis. Ea enim est ens eodem modo sumptum, cũ vniuocum sit: remanet ergo, quòd nugatio est dicere ad Scot. animal rationale: imo animal album eodem modo arguendo, vt prius vtendo loco nominum eorum rationibus quidditatiuis.

¶ Quòd si aliquis vim faciendo in verbis Scoti, fortè dixerit, ens nõ claudi in rationali quidditatiuè & albo, sed in rationalitate & albedine, tunc interim sequitur principale intentũ nostrũ: quòd scilicet ens in nulla differentia includatur quidditatiuè: quia rationalitas non est differentia, sed differentiæ principium, secundum veram Auicennæ doctrinam: differentia enim prædicatur de specie: rationalitas autem non: quare, &c.

¶ Tertio arguitur sic, Ens est vniuocũ substãtiæ & accidentis: ergo in rõne substantiæ expressè cadit ens: ergo in diffinitione hominis explicitè cadit ens: hoc est inconueniens & contra Aristotelem & viam communem: ergo, &c. Prima consequentia probatur ex eo, quòd omne superius vniuocum explicitè cadit in ratione sui essentialis inferioris: sicut animal cadit explicitè in ratione hominis. Secunda consequentia probatur ex autoritate Aristotelis posita in secundo libro Topicorum: illa scilicet quãdo aliquid ponitur in diffinitione alicuius loco illius: si ponatur eius rõ, clarior erit intellectus. Cum ergo substantia ponatur in diffinitione hominis, & loco substantiæ liceat ponere eius rationem, in qua explicitè cadit ens, vt clarior sit diffinitio, sequitur quòd ens debeat poni in diffinitione hominis explicitè: vt clarior reddatur. Nec prohibet hoc communissimus ambitus ipsius entis, aut carentia differentiarum. Sicut nec ex his prohibetur ens tanquam prædicatum vniuocum & quidditatiuum cadere in ratione substantiæ. Et confirmatur hoc per Scotum, qui in primo senten. dist. iij. ponit ens esse primum cognitum cognitione distincta, eo quòd ens cadat in conceptu quidditatiuo omnium tanquam primum prædicatum quidditatiuum. Hæc de tertio.

QVO ad quartum principale prænoto differentiã inter vniuocum & æquiuocũ, purum & analogum. Vniuocata sunt, quorum nomẽ est commune: & rõ secundũ illud nomẽ est eadẽ simpliciter. Pura æquiuocata sunt, quorũ nomen est cõmune, & ratio secundũ illud nomen est diuersa simpliciter. Analogata sunt quorum nomen est cõmune, & ratio secundũ illud nomen est aliquo modo eadẽ: & aliquo modo diuersa, seu secundum quid eadem, & secundum quid diuersa. Verbi gratia, Animal & medicina sunt analogata sub sano: vnde habent illud nomen cõe: vtrumq; enim illorum dicimus sanũ: diffinitio aũt eorum inquantum sana sunt, est aliquo modo eadem: & aliquo modo diuersa: animal enim, inquantum sanum, est habens sanitatem: medicina, inquantum sana, est causa sanitatis: sunt enim eædem aliquo modo istæ diffinitiones: quia in omnibus includitur sanitas: & sunt diuersæ aliquo modo: quia diuersis modis sanitatem respiciunt: vnde analogum est medium inter purum æquiuocum & vniuocum: sicut inter idẽ simpliciter, & diuersum simpliciter cadit medium idem secũdum quid, & diuersum secundum quid: & sicut medium sapit naturam vtriusque extremi, dicit enim quodammodo plures rationes, & quodammodo vnam, propter quod inuenitur quandoque apud illustres Philosophos, quòd analogum dicit plures rõnes, & quandoque quòd dicit vnam rationem.

¶ Nota secundò, quòd duplicia sunt analogata. Quædam secundum determinatã habitudinẽ vnius ad alterũ. Quædã secundum proportionalitatẽ. Exemplum: Substantia & accidens sunt analogata primo modo sub ente. Deus autẽ & creatura secundo modo: infinita ẽm est distantia inter Deum & creaturã. Differunt autem hæc plurimum: q̃m analogata primo modo ita se habẽt quòd posterius secundũ nomen analogũ diffinitur p̃ suum prius: puta accidens in quantum ens per substantiam. Analogata verò secundo modo non: creatura ẽm in quantum ens non diffinitur per Deum: vnde analogata primo mõ habent nomen cõe: & rationẽ secundum illud nomen secundum quid eandem, & secundum quid diuersam: per hoc q̃ analogũ illud simpliciter, id est, sine additione aliqua de primo dicitur: de aliis verò non nisi diuersimodè respiciendo primum, quod cadit in eorum rationibus: sicut in exemplo de sano manifestum est. Analogata verò secundo mõ habent nomen cõmune, & rationẽ secundum illud nomen aliquo modo eandem & aliquo modo diuersam: non propter hoc, q̃ illud simpliciter dicatur de primo & de aliis relatiuè ad primũ, sed habent rationẽ eandem secundum quid propter identitatem proportionis, q̃ in eis inuenitur, & secundum quid diuersam propter diuersitatem naturarũ suppositarũ illis proportionibus. Exemplum, Forma & materia substãtialis, & forma, & materia accidentium sunt analogata quædã sub nominibus formæ & materiæ: habent enim nomen cõmune, puta formã & materiam & rationem secundum nomen formæ siue materiæ eandem, & diuersam hoc modo: quia forma substantialis ita se habet ad substantiam, sicut forma accidentalis ad accidẽs: similiter materia substãtiæ ita se habet ad substantiã, sicut materia accidentis ad accidẽs. vtrobique enim saluatur identitas proportionum cum diuersitate naturarum & vnitate nominis: hunc modum analogiæ exprimit Commentator 12. Metaph. com. 28. & clarius cum Arist. primo Ethic. c. vij.

QVIBVS sic prælibatis, pono duas conclusiones. Prima est, Ens analogicè vtroq; mõ analogiæ dicitur de substãtia & accidẽte. Secũda cõclusio, Ens dicitur de Deo & creatura secũdo modo tantum. Prima conclusio probari potest rationibus factis contra Scotum, & maxime prima. Autoritatibus autem Arist. 4. Meta. tex. com. 3. & Cõmentatoris ibidẽ: expressè ẽm ibi dicitur quòd ens nõ est vnum, sed ad vnum. Duodecimo quoque Meta. textu com. 28. expressè dicitur, q̃ principia prædicamentorum non sunt aliquo modo eadem nisi secundum proportionem. Super qua autoritate potest argui sic, Illa nõ sunt vniuoca, quæ nullam identitatem habent nisi proportionis: sed principia propria substantiæ, & accidentium sunt hmõi: ergo, &c. Minor expressè est in litera Arist. Maior est nota ex terminis: si enim nullam aliam identitatem habent nisi proportionis: oportet quòd careant vnitate vniuoca. Et hæc autoritas est notanda contra Scotistas, quia si concedant ens habere entitatẽ analogam, dicunt cũ hoc, quòd habet etiã identitatem vniuocam: cuius oppositum Arist. dicit, solam identitatem proportionis inter principia prædicamentorum ponens.

¶ Secunda cõclusio non aliter pro nunc probetur, quàm autoritate S. Tho. in quæstionibus de veritate, q. ij. art. ij. vbi examinans quomodo scientia sit analoga scientiæ diuinæ & scientiæ creatæ, expressè fatetur, quòd secundo modo sit analoga, & non primo modo. Vnde cum ens dicitur de Deo, & creatura, hoc modo dicitur p̃portionabiliter, qui exprimitur, quòd sicut Deus se habet ad suum esse, ita creatura ad suum: sed de his aliàs, cum ex proposito tractabitur, diffusius loquemur: modò sufficiant hæc pauca dixisse, ex quibus innotescere potest, quòd cõceptus entis formalis est vnus inæqualiter repræsentans esse substantiæ & accidentis Dei vnus inæqualiter repræsentans esse substantiæ & accidentis Dei & creaturæ: & quòd conceptus obiectalis non habet nisi vnitatem proportionis determinaræ ex identitate termini, vel vnitate proportionabilitatis & identitate proportionum. Ex quibus elici potest, quòd cùm talis vnitas apud Arist. quarto Meta. tex. com. ij. sufficiat ad obiectum scientiæ, ens non oportet poni vniuocum ad hoc, quod passiones habeat: & contradictionem fundet, & reliqua huiusmodi habeant sibi conuenientia. Hæc de quarto.

QVO ad quintum respondetur ordinatè ad argumenta.

¶ Et ad primum dicitur, quòd argumentum illud si aliquid probat alietatem conceptus non vniuocationem probat, sicut ipsemet Scotus dicit,* & ideo gratis cõcedimus illud, sicut etiam Auic. qui tenet ens non esse prædicatum quidditatiuum, concedit ens diceresse alium conceptum, non tamen vniuocum & quidditatiuum. *1. dist. 3. q. 8.

¶ Ad secundũ negatur consequẽtia. Ad cuius probationem dico, quod aliquod continere virtualiter aliud, põt intelligi dupliciter.

Vno modo sicut causa virtute sua continet effectum. Alio modo sicut effectus cõtinet virtutẽ causæ,participãdo illã sic: hoc stante Minor est falsa, etenim effectus quilibet virtualiter cõtinet secũdo modo Deũ. Nec oportet quòd cõtinens isto modo sit prius: imò necessariò est posteri⁹. Quòd si mihi dixeris, ꝙ hoc est abuti vocabulis,quia apud omnes continere virtualiter non attribuitur nisi causæ.dico quòd si fiat vis in verbo, falsa est Maior, eo ꝙ dꝛatur triplex modus continendi, scilicet essentialiter, virtualiter, & participatiuè:sicut effectus continet in se causam.

¶ Ad tertium, concesso toto antecedenti, negatur consequentia: sufficit enim analogia illius rationis formalis.

¶ Ad quartũ negatur consequẽtia. Ad ꝓbationem dicitur, ꝙ falsum supponit,scilicet ꝙ substãtia nõ immutet intellectum per ꝓpriã speciẽ. Vndè ad eius ꝓbationẽ dico, quòd quantitas & accidentia in Eucharistia agũt & patiuntur totum,quod ageret & pateretur substãtia, si esset:sicut eñ acceperunt modum essendi substantiæ. ſ. absque subiecto : ita etiam agere & pati eius:& ideo ex multis hostiis sensatis generatur in intellectu species intelligibilis substantiæ panis:& eius quidditatiua cognitio, sicut ad nutritionẽ agent,acsi esset ibi panis:non enim minus ex illis accidentibus nutrimur,q̃ ex aliis hostiis nõ cõsecratis:sicut non minus ex consecratis generantur vermes & cineres,quã ex nõ cõsecratis. Vnde ad argumentũ dico,ꝙ panis absens immutat, qm̃ nõ est omnino absens:remansit enim ibi accidens ſsum, qđ est vice panis:quare non est simile de visu respectu tenebræ.Nec est contra nos autoritas Arist.quoniam hæc omnia habẽt locũ, vbi est simpliciter absentia obiecti:quam hic non concedimus quo ad operationes.

¶ Ad quintum dico, quòd quia mediũ cõparatum vni extremorum, vt oppositũ induit alterũ extremũ, vt dicitur quinto Phy.tex. com.6.ideo analogũ cõparatũ æquiuoco, quod diuersas rationes simpliciter ſsonat, vniuocum appellatum est ab Arist.ibi:& meritò, eo quòd vtebatur analogo secundum id, quod habet de vnitate: oportet enim ad verificandam illam maximã,quòd causa & effectus non in sola voce conueniant, sed in ratione aliqua formali eadem aliquo modo in illis:vnde textus ille non est contra nos.

¶ Ad Auicen.& Algazelem dico,quòd nihil contradicunt: quia alietatem non vniuocationem concẽptus entis insinuant.

Substantiarum verò quædam sunt simplices, & quædam compositæ, & in vtrisque est essentia:sed in simplicibus veriori & nobiliori modo,secũdum etiam quod habent ẽsse nobilius, sunt etiam causa eorum, quæ composita sunt,ad minus substantia prima, & simplex,quæ Deus est.

¶ Hic ponitur secunda cõparatio, qua substãtias inter se cõparat tali cõclusione:Substãtiæ simplices nobiliori & veriori modo habent essentiã,q̃ cõpositæ,quã probat dupliciter:primò sic, Quorũ esse est nobilius, eorũ essentia est nobilior:substantiarum simplicium esse est nobilius,quã compositarũ:ergo essentia substantiarũ simplicium est nobilior. Secundo sic, Causa, ſsupple effectiua, non vniuoca habet nobiliorem essentiam suo effectu : substantia simplex sal tem prima est huiusmodi causa compositarum : ergo substantia simplex est perfectioris essentiæ quàm composita.

AD Euidentiam huius partis nota, ꝙ vt habes à S.Tho.quarto sent.dist.ij.q.ij.art.j. ad primum,simplicitas nec perfectionẽ simpliciter nec imperfectionẽ ſsonat,res eñ ex eo quod simplex, non habet perfectionẽ maiorẽ:sed ex eo ꝙ taliter simplex,id est simplicitatem subsistentẽ habet. Vnde materia prima est simplicissima,& formæ accidentales sunt simplices,& tamen non sunt perfectiores substantiis compositis. Et ideo cum dicimus substantias simplices esse perfectiores compositis, intelligas non de quibuscunque simplicibus substantiis, sed de simplicibus subsistentibus in sua simplicitate:quales sunt substantiæ separatæ omnes.

PROPTEREA caueto hic opinionẽ Scoti in primo sent. dist.viij.q.j. dicentis simplicitatem esse perfectionem simpliciter. Vt autem veritatẽ tutari ac falsum impugnare scias, notato quid sit perfectio simpliciter.

Perfectio simpliciter,apud Anſelmũ Monologiõ 15.est quę in vnoquoq; melior est ipsa,quã non ipsa. Glossa sic,In vnoquoque inquãtũ est indiuiduũ entis,id est, hoc ens nõ inquãtum est indiuiduum huius vel illius naturæ,puta,hic hõ,aut hic Angelus,melior est, &c.quia cõparatiuũ includit ſsuũ positiuũ:ideo melior est, id est,bonitatẽ seu perfectionẽ meliorẽ ponit, quã nõ ipsa,id est quã quodlibet sibi incõpossibile: ita quòd ly non ipsa,non tenetur cõtradictoriè,sed incõpossibiliter. Vnde perfectio simpliciter exigit duas cõditiones: primò,ꝙ dicat perfectionẽ:secũdò,ꝙ illa perfectio in indiuiduo entis sit melior, quam quodlibet sibi in eo incõpossibile. Propter defectũ enim primæ cõditionis tã relatio, quã negatio à perfectionibus simpliciter excluditur. Propter verò defectũ secũdæ,raciocinari,tidere,latrare,& hmõi perfectiones simpliciter non sunt:quia ista etſi sint meliora in indiuiduo huius vel illius naturæ,non tamen entis. Diximus quòd ly non ipsa, tenetur in compossibiliter & non contradictoriè :quia aliter omne positiuũ esset perfectio simpliciter, quia in indiuiduo entis melius est positiuũ quodlibet quolibet contradictorio formaliter ſsumpto.Nec superficie tenus cõsideres primã conditionẽ: quoniã ꝓpter defectũ eius simplicitas nõ dicit perfectionem simpliciter. Simplicitas enim nihil aliud est quã negatio compositionis:vnde non est perfectio,sed negatio imperfectionis. Propterea deficit talis modus arguendi. In indiuiduo entis quodlibet incompossibile simplicitati dicit imperfectionem : ergo ipsa simplicitas est melior in vnoquoque quam non ipsa: & consequenter perfectio simpliciter.Oportet enim addere in antecedente:& ipsa dicit perfectionem,quod falsum est:quia negatiuum prædicatum est.

¶ Potes autem contra Scoti positionem arguere sic. Nulla perfectio simpliciter saluatur in relatione, vt relatio est:simplicitas autem saluatur in relatione, vt relatio est:ad,siquidem est simplicissimum,nullam enim compositionem includit.& vniuersaliter secundum Scotum omnis differentia vltima relationis, ergo, &c. maior patet,ex eo quòd relatio vt relatio nec perfectionem nec imperfectionem ſsonat apud nos & Scotum.

¶ Præterea, Quod diuiditur per quantũ, & non quantum, non est pfectio simpliciter.Patet ista, quia implicat ꝙ aliquid sit nõ quãtũ & perfectio simpliciter.Sed simplicitas diuiditur per quantũ & non quãtũ.ergo, &c.Patet minor,quia diuiditur in simplicitatem relatiuam & absolutam:simplicitas autẽ relatiua est non quanta.

¶ Si dicatur ad ista,ꝙ relatio formaliter ſsumpta non est simplex, sed simpliciter prædicat de ea denominatiuè : hoc non euadit argumẽta:quia simplicitas relatiua est passio relationis secũdũ hoc, aut modus intrinsecus. Impossibile est autẽ ꝙ alterũ horũ sit perfectius eo, cuius est vt arguatur sic:Nulla passio est maioris entitatis ſsubiecto ſuo:simplicitas denominans relationẽ est eius passio, sicut vniuersaliter passio superioris est passio inferioris,licet non primo:ergo simplicitas relationẽ denominans non est maioris entitatis relatiõe,sed relatio nõ est quanta. ergo simplicitas relatiua nõ est quãta:ergo nec perfectio simpliciter.Stat ergo ſsumptũ verũ,scilicet ꝙ simplicitas dꝛiditur per quantum & non quantum.

¶ Similiter arguere potes,si dicant ꝙ simplicitas sit modus, qđ tamen minus cõsonum veritati videtur. Substantiæ ergo immateriales(non rõne simplicitatis sunt perfectiores essentiis substantiarum compositarum) sed ratione simplicitatis subsistentis, & adunantis in se tantam perfectionem,ita indiuisè,quã gaudent.

Sed quia illarum substantiarum essentiæ sunt nobis magis occultæ,ideo ab essentiis compositorum incipiendum est : vt à facilioribus conuenientior fiat disciplina. In substantiis igitur compositis forma & materia notæ sunt, vt in homine anima & corpus. Non autem potest dici, quòd alterum eorum tantum essentia dicatur essentia. Quod enim materia sola non sit essentia, planum est:quia res per suam essentiam cognoscibilis est, & in specie ordinatur vel in genere : materia autem non est cognitionis principium : nec secundum causam aliquid ad speciem vel ad genus determinatur:sed secundum id solum,quo in actu aliquid est.

¶ In hac secũda parte capituli quid sit essentia in substãtiis compositis,declaraturus(quia à notioribꝰ inchoandũ est) cõclusionem hãc negatiuã ponit, Materia sola nõ est essentia substãtiæ cõpositæ:quã duplici rõne ꝓbat. Prima est talis,Illud quod est essentia substãtiæ cõpositæ est principiũ cognoscendi illã:sed materia sola nõ est principiũ cognoscẽdi illam:ergo materia sola nõ est essentia substãtiæ compositæ.Maior patet ex eo,quod vnũquodque per suã essentiã cognoscit quidditatiuè : vnde oẽs aliæ cognitiones oriuntur.Minor habetur ex 9. Meta.text.com.20. vbi dicitur, quòd principium cognoscendi est actus & non potentia.

¶ Secunda rõ est.Essentia substãtiæ cõpositæ est id,quo res ponitur in genere & specie:,sed materia sola non est id quo res ponitur in genere & specie,ergo materia sola non est essentia substantiæ compositæ. Maior est euidens inducẽdo in singulis: Socrates enim per suã naturã in specie humana collocatur:similiter in genere animalis:& sic de aliis.Minor probatur : quia id,quo aliquid in specie reponit, oportet quod actuale sit,eo quod est principiũ distinguendi ipsum ab aliis speciebus : & collocandi ipsum in tali gradu vniuersi:materia autem sola actualitatem non includit.

Neque etiam forma tantum substantiæ compositæ essentia dici potest, quamuis quidam hoc asserere conentur. Ex his enim, quæ dicta sunt, patet, quòd essentia est id, quod per diffinitionem rei significatur : diffinitio autem substantiarum naturalium non tantum formam, sed & materiam continet. aliter enim diffinitiones naturales & Mathematicæ non differrent. Nec etiam potest dici, quòd materia in diffinitione substantiæ naturalis ponatur, sicut additum essentiæ eius : vel ens

ens extra illam naturam, vel essentiam eius:quia hic modus proprius est accidentibus, quæ essentiam perfecte non habent : vnde oportet,quòd in diffinitione sua substantiam, vel subiectum recipiant,quod est extra genus eorum : patet ergo quòd essentia comprehendit materiam,& formam.

¶ Hic ponitur secũda conclusio negatiua talis,Essentia substantię cõpositæ nõ est sola forma,quã vnica ratione probat sic,Illud est essentia substantiæ cõpositæ,quod p eius diffinitionem significatur:sed sola forma per eius diffinitionẽ nõ significatur:ergo sola forma non est essentia substãtię compositæ.Maior est de se nota: minor ꝓbatur:quia diffinitiones naturales p hoc differunt à Mathematicis : quia istæ significãt solã formã.i.formã absq; materia sensibili:naturales verò significãt formam,& materiã sensibilem.

¶ Sed ad hanc rationem potest dici,quòd cùm significari per diffinitionem contingat dupliciter. Vno modo,vt pars rei diffinitæ. alio modo, vt ſsubiectum rei diffinitæ:seu vt deferens rem diffinitam,per diffinitionẽ naturalem significatur sola forma vt res diffinita : & ideo quidditas est sola forma : materia autem significatur,vt quidditatem deferens.

¶ Contra hãc rẽsponsionem ſsubiungitur in litera talis ratio,Illud quod est propriũ accidẽtibus ex imperfectione suæ essentiæ, non conuenit specificis substantiis:sed recipere in diffinitione aliquid extra essentiam suã est propriũ accidẽtibus ex imperfectione suæ essentiæ:ergo hoc nõ conuenit substantiis specificis.Maior patet ex terminis : quod enim est propriũ alicui ex sua imperfectione, non cõuenit alteri habenti perfectionem oppositam illi imperfectioni.Minor habetur ex septimo Met.tex.com.13.15.& 16.

CIRCA Maiorem nota, ꝙ licet formæ partis,puta animæ, conueniãt etiã diffiniri per aliquid extra essentiã eius : ac per hoc ſstud videatur esse nõ ꝓpriũ accidẽtibus,sed cõe eis & formis partiũ:in rei ñ veritate propriũ principium est accidẽtium, eo ꝙ diffinitio non est nisi rerũ existentiũ in recta linea prædicamẽta habẽtium speciem completã,cũ diffinitio cõponatur ex genere, & differentia, sola aũt accidẽtia inter entia, & specie completa sunt per additamentum diffinibilia:& ideo proprium accidentibus dixit esse tali modo diffiniri:vnde & anima diffinitur per aliud extra essentiam ſsuam,pro quanto participat de accidentis natura esse in alio.

Non etiam potest dici,quod essentia significet relationem, quæ est inter materiam & formã, vel aliquid superadditum illis, quia hoc de necessitate esset accidens extraneum à re,nec per eam res cognosceretur:quæ omnia essentiæ conueniunt.per formam enim, quæ est actus materiæ,materia efficitur ens actu, & hoc aliquid: vnde illud,quod superaduenit,non dat esse actu simpliciter materiæ,sed esse actu tale,sicut accidentia faciunt:vt albedo facit actu album, vnde quando talis forma acquiritur,non dicitur generari simpliciter,sed secundum quid.

¶ Hic ponitur tertia conclusio negatiua, Essentia substãtiæ compositæ,non est aliqua relatio inter materiam, & formam,aut aliquid additum composito ex materia, & forma : quam probat ex duabus rationibus.Primo sic, Omnis relatio media inter materiã & formam,& ſsimiliter omne additum cõposito ex materia & forma est accidens extraneum ſsubstantiæ : nulla essentia substantiæ compositæ est accidens extraneũ:ergo.Minor est de se nota:Maior verò probatur, Omne aduenies enti simpliciter faciens formaliter ens tale est accidens extraneæ naturæ à ſsubstãtia : omnis relatio media inter materiam & formã, & omne additũ cõposito aduenient enti simpliciter, & faciunt ens tale:ergo omnia hmõi sunt accidentia extraneæ naturæ à ſsubstãtia cõposita. Huius prosyllogismi Minor declaratur : primò ex eo,ꝙ forma ſsubstantialis adueniens materiæ facit esse ſsimpliciter,& hoc aliquid, vt dicitur secũdo de Anima,tex.com.2. Declarabitur secũdo ex eo,ꝙ generatio terminata ad formã ſsubstantialẽ est generatio simpliciter: terminata verò ad formã accidentalẽ, est generatio secundũ qd, vt dicitur 5. Phy.tex. cõ.7.cũ enim materia Socratis acquirit formam ſsubstantialem,tunc sine additione dicitur Socrates fieri:acquisita autem forma ſsubstantiali,cum magnitudinẽ acquirit non dicit Socrates fieri ſsimpliciter, & sine additiõe, sed fieri magnus.

¶ Secunda ratio est ista, Nullum additum vt relatio illa media, aut vt quomodolibet ſsequens compositum ex materia & forma est proprium principium à priori perfectæ notitiæ ſsubstantiæ compositæ : essentia ſsubstantiæ compositæ est proprium principium à priori completæ notitiæ eius:ergo, &c.

Relinquitur ergo quòd nomen Essentiæ in substantiis compositis significat illud quod est ex materia & forma compositum:& huic positioni ſsonat verbum Boetij in commento Prædicamentorum, vbi dicit quòd Ousia significat compositum. Ousia enim apud Græcos idem est, quod essentia apud nos, vt ipsemet in lib. de Duabus naturis fatetur. Auicenna autem dicit,quod quidditas substantiarum compositarum est ipsa compositio formæ, & materiæ. Commentator autem dicit super septimo Metaphysicæ, natura quam habent species in rebus generalibus est aliquod medium,id est compositum,ex materia, & forma. Huic etiam ratio concordat, quia esse substantiæ compositæ non est tantum formæ, nec tantum materiæ,sed ipsius compositi:essentia autem est secundum quam res dicitur esse.Vnde oportet vt essentia,qua res denominatur ens, non tantum sit forma, nec tantum materia, sed vtrumque:quamuis huiusmodi esse, siue essentiæ sola forma suo modo sit causa.Sicut enim in aliis videmus,quæ ex pluribus principiis constituuntur, quòd res denominantur ex altero illorum principiorum tantum, sed ab eo quod vtrumque complectitur, vt patet in ſsaporibus,quia ex actione caldi digerẽtis humidum causatur dulcedo : & quamuis hoc modo calor sit causa dulcedinis, non tamẽ denominatur corpus dulce à calore,sed à ſsapore, qui caldum & humidum complectitur.

¶ Hic ponitur quarta conclusio affirmatiua:Essentia in substãtiis compositis significat compositum ex materia & forma,quam per locum à diuisione concludit ex autoritate Boëtij, Auic. & Commentatoris, septimo Met. com. 27.& ratione tali probat, Id quo tanquam principio cõpleto denominante, substantia cõposita est ens,est compositum: sed essentia ipsius substantiæ compositæ est id,quo tãquam principio completo denominãte substãtiæ cõpositæ est ens:ergo essentia ipsius substantiæ compositæ est compositum.Minor de se est clara.dicitur enim, & est Socrates ens ꝓpter suam essentiam,quam habet:Maior verò declaratur sic, Quandocunque aliqua res ex pluribus principiis cõstituitur, nõ est talis ex altero eorum,vt cõpleto principio, sed ex cõplectente vtrũq;:sed substãtia cõposita est ens ex pluribus principiis cõstitutum. ſ.materia & forma:ergo non ex altero tãquam cõpleto principio, sed cõplectẽte vtrunq; est,& dicitur ens:sed id qđ cõplectitur vtrunque est cõpositum:ergo id,qđ substãtia cõposito tãquam cõpleto principio,denominãte esse,oportet esse cõpositũ, quod erat probãdũ : Maior huius ꝓſyllogismi exẽplariter in ſsaporibꝰ declaratur in litera tãquã ex notioribus : & declaratio est manifesta p se: quod autem dicitur, ꝙ sola forma,est causa essendi,infrà patebit.

QVÆSTIO IIII.

Num Materia sit pars quidditatis naturalis.

CIRCA prædicta dubitatur, an materia sit pars quidditatis naturalis. In hac dubitatione tria faciam : primò ponam opinionem S.Tho.tertiò rẽspondẽbitur argumentis oppositis.

QVO ad primũ Cõmentator 6.Meta.com.21.& 34.opinatur, materiã non esse partẽ quidditatis naturalis, sed cadere in diffinitione rei naturalis,vt deferẽs illã quidditatem:adducit autẽ in 34. cõ.ad hæc rõnẽ talẽ:Essentia rei est ſsubstãtia declarans rem quidditatiuè:materia nõ est ſsubstãtia declarãs quidditatẽ rei:ergo materia nõ pertinet ad essentiã rei : minor colligitur ex primo Phy ſs. tex. cõ.69.vbi dicitur,ꝙ materia se ſsecũdũ se est ignota : & per consequẽs alterius declarativa nõ est. Ex com. verò 21.potest elici talis ratio ad hoc:ſi quidditas hominis esset hõ cõpositus ex materia & forma,tũc quidditas hominis haberet quidditatem:& ſsic quidditatis esset quidditas:qđ est falsum. Tenet cõsequẽtia,quia quæcunq; ſsunt idẽ,quicquid habet vnum,habet reliquũ:ſi ergo quidditas hominis & homo cõpositus ſsunt idẽ,cùm homo compositus habeat quidditatem, ſsequitur ꝙ quidditas hominis habeat quidditatem.Hanc eãdem positionẽ videtur docere Arist.7.Meta.text.com.34.expressè dicens materiã non esse partẽ quidditatis:& secundo Phy.text.com.28. partes diffinitionis in genere causæ formalis collocans.Vnde & 10.Met.tex. com.25. dicit quòd mas & fœmina non variant speciem,quia ſsunt differentiæ materiales.

¶ Idem etiam persuaderi potest ex consequẽtibus materiam:materia eñ est causa corruptionis, distinctionis, ſsupposití à natura, sensibilitatis & ſsimilium,quorum oppositа conueniunt quidditatibus : ſsunt enim essentiæ rerum ingenerabiles, incorrupubiles, insensibiles,& huiusmodi.Hæc de primo.

QVO ad secundum S.Tho.7.Met.ſsupra tex.com.33.& prima parte q.lxxv.art.iiij.& hic tenet materiam esse partem quidditatis ſsubstantiæ naturalis:probat hanc conclusionem tribus rationibus quarum duæ in litera positæ ſsunt. Tertia verò est ista, Quicquid de essentia omnium indiuiduorum contentorum ſsub specie, vniuersaliter conceptum est de essentia speciei:ista est vera pro tanto:quia aliter essentia specifica non prædicaret essentialiter totam essentiam indiuidui : sed materia est de essentia omnium indiuiduorum naturalium:ergo materia vniuersaliter accepta est de essentia speciei, & ſsic non cadit in specie, vt deferens ipsãm, sed vt pars essentialis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Ad primam rõnem in litera factã dicũt aduersarij, q̃ proprium est accidentibus diffiniri p additamentum alterius generis: & hoc non conuenit substãtijs: sed diffiniuntur substãtię per additum sui generis: materia enim est in eo genere, in quo est quidditas delata.

¶ Contra, Ergo nulla est differẽtia inter diffinitionem formę partis, & diffinitionẽ formæ totius, nisi fortè secundum modũ significandi, cũ vtraq; per additum sui generis diffiniatur: & sic eadem erit diffinitio animæ & viui: & tunc sicut nullum genus prædicamenti substantiæ ponitur in diffinitione animæ: ita nullum ponetur in diffinitione viui, & sic de aliis: quod est manifestè fallum.

¶ Confirmatur S. Th. positio adhuc tripliciter. Primo sic, In omni obiecto quidditatiuè sumpto, cui conuenit aliqua passio adæquata, oportet inueniri intrinsecæ causam illius passionis: sed corpus contrarietati subiecto quidditatiuè sumptum est subiectũ, cui conuenit corruptibilitas per modum passionis adæquatæ: ergo in corpore contrarietati subiecto quidditatiuè sumpto oportet intrinsecè inuenire causam corruptibilitatis: & talis causa nõ est nisi materia: ergo, &c. Maior est de se nota: quia passio fluit ab intrinsecis principijs quidditatis: aliter nõ cõueniret ei secundum quod ipsa. Minor ex eo manifestatur, q̃ corruptibilitas primò cõcluditur de corpore contrarietati subiecto. Quod aũt causa corruptibilitatis sit materia, clarum est, apud Commentatorem maximè.

¶ Secundò sic, Id q̃d est pars humanæ naturæ est pars quidditatis humanæ: quia natura & quidditas sunt idem: sed materia est pars naturæ humanæ: ergo, &c. probatur Minor, ex eo q̃ materia est natura secũdo Phy. tex. com. 1. Et si nõ est pars, oportet q̃ in Socrate sint duæ naturæ nõ partiales: quia non sunt partes alicuius naturæ: quod est impossibile. Tertiò declaratur hãc fuisse mẽtem Arist. primò ex octauo Met. tex. com. 15. & 16. vbi assignat causam, quare diffinitio cõpositorum est vna: quia ex actu & potẽtia natum est fieri vnum, quidditates autem simplices seipsis, inquit, habẽt vnitatẽ statim, eo quòd formæ tãtũ sint: ex quibus habetur, q̃ si essentia substãtiæ compositæ esset sola forma, nõ oportet Arist. assignare causam propter quid sit vna: forma enim seipsa est vna: sed quia est cõposita, ideo dixit quòd vnitatẽ habet, ex eo quòd altera pars est actus, altera potentia. Similiter 9. Met. tex. vltimorum commentorum dicit, quòd in quidditatibus compositorum accidit error, non autem in quidditatibus simplicium propter multitudinem partium: ex quibus sunt compositæ illæ quidditates, vnde ex earum compositione error accidere potest: quia in simplicibus, cùm careant partibus, locum non habet: ex quibus apparet ipsum opinari essentiam compositi esse compositam, & non simplicem: & quòd quidditas substantiæ materialis differt à quidditate separata, ex eo quòd ista est essentialiter simplex: illa verò est essentialiter composita. Hæc de secundo.

QVO ad tertium dicendum est ad rationes in oppositum: ad quarum primam negatur Minor: licet enim materia secũdum se, id est, solitariè sumpta sit ignota: adiuncta tamen & subtracta tali formæ specificæ, siue genericæ declaratiua est alterius.

¶ Ad secundã negatur cõsequentia: ad cuius probationẽ dicitur, q̃ Maior illa potest intelligi dupliciter. Vno modo sic, Quæcunq; sunt idem realiter, quicquid realiter conuenit vni, vt distincto secũdũ rõnẽ ab altero, quod non conuenit alteri, sicut in proposito habere quidditatem conuenit homini, vt distincto à sua quidditate secundum rationẽ: distinguitur enim ab illa, vt habens ab habito: & quia sic oportet distingui illam Maiorẽ in proposito, ideo argumentum non procedit.

¶ Ad id quod additur ex Arist. dicitur q̃ septimo Metaph. non removet materiã à quidditate: sed materiã particularem & eas partes, quæ per accidens se habẽt ad speciei intellectum, vt manus & pedes: verbi gratia, ab hominis ratione: & has carnes & hæc ossa. Quod autẽ partes diffinitionis in genere causæ formalis collocẽtur, nõ est cõtra id qđ dicimus. Meminisse eñ oportet, qđ omne superi°se habet, vt formale respectu inferioris: vt ibid. ab Arist. habẽt. Masculus quoq; & fœmina etsi nõ differãt specie in genere animalis, sicut albũ & nigrũ, differũt tñ specie in genere sexus, cuius differẽtiæ ad genus animalis p accidẽs se habent, & ex pte materiæ: & ,,pterea in illo genere non causant diuersitatẽ specificã.

¶ Ad vlt. confirmationẽ de passionibus materiæ dicitur, q̃ illa sequũtur materiã particulariter existẽtẽ: & non sequũtur materiam abstractã à singularibus, quę est pars quidditatis specificę: & ideo non oportet illa inesse quidditati, nec oportet materiam removeri à quidditate propter hoc, qđ illorũ oppositа quidditati insunt.

Sed quia indiuiduationis principium est materia, ex hoc fortè videtur sequi, quòd essentia, quæ complectitur in se simul & formam, sit tãtum particularis & nõ vniuersalis: ex quo sequeretur vniuersalia diffinitionem non habere, si essentia est id, quod per diffinitionem significatur.

¶ In hac tertia parte huius capituli obiicit cõtra quartam conclusionem sic, Id quod cõprehendit in se materiã intrinsecè est particulare: essentia substantiæ compositæ comprehendit in se materiam intrinsecè: ergo essentia substantiæ est particularis: ergo non datur essentia substantiæ compositæ vniuersalis: quod est falsum. Et vlterius sequitur, quòd vniuersalia naturalia non sunt diffinibilia: quia rerum naturalium non nisi essentiæ sunt diffinibiles: eo quòd diffinitio significat essentiam rei: essentiæ autem naturalium, vt deductum est, particulares sunt. Maior probatur sic, Quod habet in se actu intrinsecè principium indiuiduationis, est particulare: habens intrinsecè materiam, habet in se principium indiuiduationis, quia materia est principium indiuiduationis: ergo, &c.

Et ideo sciendum est quòd materia non quomodolibet accepta est principium indiuiduationis, sed solùm materia signata. Et dico materiam signatam, quæ sub certis dimensionibus consideratur. hæc autem materia in diffinitione hominis, inquantum homo non ponitur, sed poneretur in diffinitione Socratis, si Socrates diffinitionem haberet: in diffinitione autem hominis ponitur materia non signata: non enim in diffinitione hominis ponitur hoc os, & hæc caro, sed os & caro absolutè, quæ sunt materia hominis non signata.

¶ Hic respõdet obiectioni, destruendo Maiorẽ cum sua probatione, dicens, q̃ materia dupliciter accipitur: signata scilicet & nõ signata: signata est principium indiuiduationis, non signata ponitur pars essentiæ specificæ: signata poneretur in diffinitione Socratis si diffiniretur: nõ signata ponitur in diffinitione vniuersalium. vnde & patet vniuersalia diffiniri, & tamen materiam includere: sed non signatam, quæ particularitatis est principium.

QVÆSTIO V.

Num materia sit principium indiuiduationis.

CIRCA hanc partẽ dubitatur an materia sit principium indiuiduationis. In hac quæstione sunt sex agenda. Primò declarabitur titulus: secundò ponetur opinio Scoti: tertio impugnabitur: quartò ponetur opinio S. Tho. quintò arguetur contra illam: sextò respondebitur argumentis in oppositum.

QVOD Ad primum nota, quòd cum de principio indiuiduationis agitur, cum indiuiduum duo dicat, scilicet indistinctum à se & distinctum ab aliis: nihil aliud quæritur nisi per quid primò natura specifica reddatur incommutabilis: ita quòd repugnet sibi communicari pluribus: vt superius inferioribus communicatur, atque per quid hoc indiuiduum primò distinguitur realiter ab aliis eiusdem speciei. Duo ergo quæruntur concurrentia ad indiuiduationem, scilicet quo (primò) natura specifica reddatur incõmunicabilis, & quo (primò) realiter distinguatur ab aliis eiusdem speciei. Et aduertas bene singulas partes tituli, quas declarauimus, quoniam aliquos in hac parte errare inuenio. Agitur enim hic de incommunicabilitate, quæ opponitur communicationi reali, & non de incommunicabilitate, quæ opponitur communicationi formæ, hanc enim nullus dubitat primò conuenire materiæ. Et similiter agitur hic de distinctione reali indiuiduorum sub eadem specie, quæ non est nisi inter entia realia, & non de distinctione qua Socrates viuus & Plato mortuus distinguuntur. Aduertendo semper, quòd non loquimur nunc nisi de indiuiduatione substantiarum materialium. Hæc de primo.

QVO Ad secundum, Scotus secundo sen. dist. iij. q. vj. opinatur, quòd natura specifica indiuiduatur per quoddam positiuum per se contrahens illam, & faciens vnum cum illa: ita quòd illud positiuum nec est materia, nec forma, nec compositum: sed est modus omnium, seu vltima realitas materiæ, formæ & compositi, eadem illis realiter: & sic apud eum de principio indiuiduationis ponitur talis conclusio. Principium indiuiduationis non est materia, nec forma, nec quantitas: sed proprietas indiuidualis, scilicet heecceitas.

¶ Huius conclusionis ,,pbationes, quo ad tres primas partes nunc omitto, postmodũ quantũad propositũ spectat addu cendas. Pro quarta arguitur sic: Vnitas sequitur entitatem, & proportionaliter loquendo, eodem enim modo res est ens & vna. igitur vnitas simpliciter vltima, scilicet numeralis seu indiuidualis sequitur entitatẽ indiuidualem. sed clarum est, quòd entitas illa indiuidualis non est aliquod eorum, quæ sunt actu in specie, nec aliquod accidens: cũ omnia accidẽtia sint post. ergo est ,,prietas indiuidualis, indiuiduorum scilicet constitutiua: & arguatur sic, Illud ad quod primo sequitur vnitas numeralis, est principiũ indiuiduationis: proprietas illa seu heecceitas est id, ad quod primò sequitur vnitas numeralis, ergo heecceitas est principiũ indiuiduationis. Maior patet: quia vnitas proportionaliter sequitur ens. Minor probatur: quia vnitas numeralis non sequitur quidditatem, vt patet: nec ad aliquod accidens, cùm præcedat totum genus accidentium.

¶ Secun

¶ Secũdo sic, Omnis differẽtia differẽtiũ reducitur ad aliqua primo diuersa: alioquin nõ esset status in differentibus: sed indiuidua ,,priè differũt, ergo eorũ differẽtia reducitur ad aliqua primò diuersa, hæc nõ sunt naturæ ipsorum, nec priuationes, nec accidentia aliqua, ergo sunt hecceitates. probatio huius vltimi assumpti quo ad tertiã partẽ, q̃a si differẽtia indiuiduorũ reducẽtur ad aliquod accidens, maximè reducitur ad quantitatem: sed hoc nõ. Quod sic patet: quærat enim p quid hæc quãtitas & illa quantitas differant, nõ seipsis: sic enim ipecifice distinguerentur aliquo alio, puta situs. Sed hoc nõ põt esse: quia aut distinguũtur situ, qui est speciale ,,dicamẽtũ, & hoc nõ, quia ille est posterior, quãtitate aut sitib°, quia est differẽtia quantitatis, & hoc non: quia quæritur per quid illi situs distinguũtur, aut seipsis, & hoc nõ potest dici: quia seipsis nõ sunt hi, aut aliquo alio, & sic in infinitũ. Et ,,pterea cum situs, qui est differẽtia quãtitatis integretur ex cõtinuatione & permanentia partiũ, idem est dicere, hæc quantitas differt ab illa propter alium situm, & quod hæc quantitas differt ab illa quantitate seipsa.

¶ Tertiò sic, Id qđ se toto primò cõstituit aliquod singulare in sua entitate singulari, & vnitate cõsequente talem entitatem, ei se toto primo repugnat diuidi diuisione opposita illi vnitati: & consequenter est principium indiuiduationis, sed sola proprietas indiuidualis seu heecceitas est huiusmodi. ergo, &c. Maior patet ex terminis: Minor eodẽ modo probatur, vt supra. Hæc de secundo.

QVO Ad tertium arguitur contra opinionem Sco. dupliciter. Primò sic: Omnis actº singularis prę exigit potentiã singularẽ, quã actuat: sed heecceitas est actus singularis, ergo præexigit potentiã singularẽ, quã actuat: sed illa potentia est natura seu in natura ipsius indiuidui, ergo natura indiuidui est singularis ante aduentũ heecceitatis: & sic heecceitas nõ est ptincipium indiuiduationis. ,,positiões assumptæ omnes sunt Sco. in hac materia, etiã maior: quæ tamẽ probatur ex doctrina Arist. 2. Phy. tex. com. 38. vbi docet cõpariões causarũ, vnde sicut forma particularis præexigit materiã particularem: & sic actus potẽtiã. Si dicatur, q̃ hoc est verũ, vbi actº & potẽtia distinguũtur realiter, eo quòd tũc potẽtia realiter recipit actũ: hoc nõ obstat: eo q̃ secũdũ Sco. q̃n aliqua duo adunantur realiter, eundẽ ordinẽ ex natura rei retinent, quem haberent si essent distincta realiter. cùm ergo actus singularis si distinctº esset realiter, ex natura sua præexigeret potẽtiam singularẽ: oportet q̃ & nunc hoc idem exigat, cùm ordo idem seruetur.

¶ Secũdo sic, Illa quæ sunt principia indiuiduationis, sunt seipsis primò diuersa: heecceitas Socratis & Platonis nõ sũt huiusmodi: ergo. Maior est Scoti, minor probatur, id q̃ cõuenit magis cũ vno quã cũ alio, nõ est primo diuersum ab eo, cum quo magis conuenit: sed heecceitas Platonis magis conuenit cum heecceitate Socratis quã cũ heecceitate albedinis: ergo heecceitates Platonis & Socratis non sunt primò diuersæ. Maior prosyllogismi patet ex terminis. primo enim diuersum ab alio nõ cõuenit cũ illo, Minor probat dupliciter: primò: quia heecceitas Socratis & Platonis cõuenit in specie: heecceitates Socratis & albedinis differũt genere. Secundo, quia illa magis conueniunt quæ magis assimilantur: magis autem assimilãtur quæ sunt magis comparabilia: heecceitates aũt Socratis & Platonis sunt cõparabiles magis quã heecceitates Socratis & albedinis: sicut vniuersaliter res eiusdem prædicamenti sunt magis comparabiles, quã res diuersorum prædicamẽtorum.

¶ Tertio sic, Quod cõuenit & repugnat alteri indiuiduo eiusdem speciei præexigit necessario ipsorũ distinctionem: proprietas indiuidualis, puta Sorteitas, conuenit Socrati, & repugnat Platoni eiusdem speciei indiuiduo: ergo proprietas indiuidualis præexigit distinctionẽ Socratis à Plat. & sic ,,prietas indiuidualis nõ est id, quo primo repugnat diuidi diuisione opposita illi vnitati: & consequenter est ,,cessus est bon°. ergo altera præmissarũ est falsa: vtraq; autẽ est sua: ergo omnino falsus cõuincit. & Maior quidẽ habet à Scoto in quolibet. q. ij. Minor autẽ est sua cõclusio quã nũc impugnamus.

¶ Quarto ostẽdo hãc positionẽ cõtradicere Peripateticis. Ab Arist. & Com. 12. enim Metaph. tex. com. 42. fit hæc consequentia, primũ cælũ, id est primum principiũ est vnũ specie & plura numero: ergo habet materiam, quæ consequentia nulla esset, si proprietas indiuidualis poneretur distinguere indiuidua eiusdem speciei.

¶ Glossam autẽ Sco. intelligẽtis per materiã indiuidualẽ proprietatẽ, destructiuã esse textus, apparet ex Commentatore ibi dicente, Omne qđ est vnum in specie & plura in numero, habet materiam: sed iam declaratum est quòd principiũ cæli nõ habet materiã. ex quibus verbis apparet, q̃ de illa materia loquitur, quam declarauit non esse in primo principio. Apparet autem in text. commen. 30. expresse declarasse motorem cæli non habere materiam ad vbi & ad esse, & nullam fecisse mentionem de proprietate indiuiduali. Apparet quoque fictio illius glossæ ex 3. Metaph. text. commen. 11. vbi dicitur quòd omnis multitudo, aut est rerum differentium secundum formam, aut secundum quantitatem, quod idem habes in Commentatore in primo Physic. com. 6.

¶ Nec admittẽda est glossa Antonij Trõbetæ, q̃ intelligitur concomitãter. Eodem enim modo & vniformiter debet teneri (ly secundum) in primo membro & in secundo: in primo autem notat causalitatem, ergo & in reliquo. Deprehendi quoque potest esse puram fictionem nouam hanc de heecceitatibus inuentionem, ex primo cœli textu comm. 92. & 93. vbi vnitatem & pluralitatem indiuiduorum in eadem specie, in rebus materialibus non nisi ex materia, assignant Arist. & Com. Hæc de tertio.

QVO ad quartum opinio S. Tho. posita ab eo hic & in multis aliis locis est quòd materia signata est principium indiuiduationis.

Circa hanc conclusionem aduertendum est, quòd Thomistæ inter se differunt & conueniunt. Conueniunt in hoc omnes, q̃ ad indiuiduationem duo concurrere debent, materia & quantitas. Differunt autem quia aliqui tenent, quòd aggregatum ex materia & quantitate sit intrinsecum indiuiduationis principiũ, materia dante incõmunicabilitatem, siue in distinctione in se, quãtitate dante distinctionem ab aliis: & tale aggregatum dicunt esse materiam signatam. Alij verò longè melius sentiunt dicentes, q̃ principium intrinsecum indiuiduationis & quo ad incommunicabilitatem, & quo ad distinctionem ab aliis est materia signata non materia quanta: seu aggregatum ex materia & quantitate. Et cum hoc iudicio meo sit doctrina S. Th. vera vt ostendatur, ideo hanc declarare volumus & tueri: declarando primò quid importet materia signata, secundo excludendo primã expositionẽ Thomistarum: tertiò probando conclusionem intentam.

¶ Materia signata nihil aliud est quàm materia capax huius quãtitatis, ita quòd non istius: hæc namque materia est pars intrinseca Socratis de diffinitione eius si diffiniretur. Imaginandum est enim, quòd agẽs particulare, puta hoc semen cõtinue appropriat materiam ad formam inducendam hoc modo, q̃ sicut semen humanum appropriat materiam ad animam: ita hoc semen ad hanc animã: vnde cum in primo instãti generationis Socratis, quod est primũ esse Socratis, & primũ non esse formæ præcedentis, & accidentium primo ordine naturæ fiat particulare compositum: deinde naturali ordine sequũtur omnia accidẽtia (in via nostra) in illo priori sẽm naturã: quo cõpositũ particulare terminat per se primò generationem: materia q̃ est pars intrinseca eius, s. Socratis, ita est appropriata ipsi Socrati ab agente particulari, q̃ non est ea pax alterius quãtitatis quã eius quã Socrates sibi determinat: omnium enim natura cõstantium determinata ,,est ratio magnitudinis & augmẽti, vt dicitur secundo de Anima ex com. 4. & talis materia vocatur materia signata. Nihil ergo addit materia signata supra materiam, nisi capacitatem huius quantitatis: ita quòd non illius. Capacitas autem materiæ respectu huius quantitatis nihil aliud est quã potẽtia receptiua huius quãtitatis: ita quod nõ illius, potentia autẽ receptiua nihil realiter distinctũ in recto dicit: sed addit aliquid reale distinctum secundum rationẽ tantum à materia. Sicut materia propria nihil addit supra materiam realiter distinctũ ab ipsa: dicit tamen aliquid reale in materia: quod nõ explicat materia secundũ se: materia enim signata non est diffinibilis, nisi per hãc quantitatẽ si diffiniretur: sicut propria potentia nõ nisi per propriũ actũ diffinitur, vt dicitur tertio Physicorũ, textu commento 10. Materia autem secundum se hanc quantitatem in sua diffinitione non exigit: vnde materia propria in indiuidui, & materia signata, & materia sub certis dimensionibus idem importãt: & propterea S. Tho. non dixit materiam signatam materiam cum certis dimensionibus, s. sub certis dimensionibus: & alibi dicit, q̃ sicut materia in ordine ad formas generales, puta formam totalem & partialem distinguit generice corpora cœlestia ab inferioribus: ita materia in ordine ad hanc vel illam quantitatem distinguit numeraliter in rebus materialibus. Materia igitur signata nõ dicit aggregatum ex materia & quantitate, sed materiam in recto significat, quantitatem verò in obliquo: sicut potentia materiæ significat materiam in recto: in obliquo verò actum, quem respicit, eo quòd non nisi per actum est diffinibilis. Et sic manifestum est quid importet materia signata.

¶ Quod autẽ Thomistæ alij non cõuenienter exponant, sic declaratur, Idem est principium distinctiuũ indiuidui à specie & ab altero indiuiduo eiusdem speciei: sed materia non quãta, sed sic signata modo præexpositio est principiũ intrinsecè distinctiuũ indiuidui à specie: ergo non materia quanta: sed materia signata est principium intrinsecũ distinctiuũ indiuidui ab altero eiusdẽ speciei indiuiduo. Minor ab eis cõceditur: & est S. Tho. expressè in tractatu qui de principio indiuiduationis vocatur, qui sẽm veritatem & antiquũ titulũ vocatur de Potentiis cognoscitiuis: vt habetur in Bibliotheca summi Pontificis, in qua sola tractatum illum completum vidi: est enim trũcatus ille, qui communiter habetur. Maior verò nõ nisi voce à proteruis negari posse videtur: vniuersaliter nanq; versũ videmus, quòd quãdocũq; aliquod commune diuiditur in plures partes subiectiuas, per idem differũt inferiora inter se, & à superiori: sicut per idem homo differt ab animali, & à Leone, sc. differentia propria: vnde & Porphyrius tres actus differentiæ dat, dividere superius, constituere inferius, & distin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

guere cõstitutum à superiori,& aliis comparibus. Probatur: ergo hæc cõclusio mõ præexposito, s.materia signata est intrinsecum indiuiduationis principiũ: illud est intrinsecũ principiũ indiuiduationis: cui primò repugnat cõmunicari pluribus per modum,quo vniuersale communicatur particulari:sed materia signata est id, cui primò repugnat communicari, vt vniuersale particulari, ergo,&c. Maior ab omnibus conceditur. Minor vero probatur:sed nota ꝙ minor duo includit in se,quòd materiæ signatæ repugnat cõmunicari pluribus:& quod primò ei repugnat:primum horum ex se patet: materiã enim capacẽ huius quãtitatis tãtum, impossibile est plurificari.Secundum autẽ probatur,illud competit primò materiæ signatæ,quòd circũscripto quocunq; alio sibi conuenit: & ipsa circunscripta nulla alteri cõuenit (ex primo Posteriorum) sed non cõmunicari pluribus vt vniuersale particulari circunscripto quocũq; alio existẽte in substãtia sensibili cõuenit materię signatæ:& ipsa circunscripta nulla alteri conuenit:ergo non communicari pluribus primò cõuenit materiæ signatæ inter omnia, quæ in substantia sensibili inueniuntur. Probatur minor,quo ad vtrãq; sui partem,quo ad primam sic. Id qđ materia signata præcise sumpta sibi vendicat, ita quod sub eius opposito nõ est intelligibilis,cõuenit sibi circunscripto quocunq; alio: patet ista ex terminis,sed incõmunicabilitas cõuenit materiæ signatæ præcisè vt sic acceptæ : ita quòd sub eius opposito materia signata nõ est intelligibilis:non enim potest intelligi materia ꝓpria indiuidui cõmunicabilis:ergo incommunicabilitas conuenit materiæ signatæ circunscripto quocunq; alio. Secunda pars minoris patet exemplariter : quia circunscripta Socratis materia signata,seu materia propria:quod idẽ est,certum est ꝙ non remanet hic, neq; forma eius remanebit hic, neq, ipsa materia , si enim materiã propriam non habet per quid,erit per ordinem communiũ. Secundo probatur eadem cõclusio sic: Frustra fit per plura , quod potest fieri per pauciora,& æquè bene,sed absque quibusque aliis ex materia signata sufficienter saluatur indiuiduatio substantię compositæ:ergo frustra adduntur quæcunq;.minor ex dicendis apparebit: vbi tolutis aduersariorum rationibus,stabilis ac firma remanebit positio nostra.Et cõfirmatur, quia cum in substãtia cõposita non sint nisi materia & forma & cõpositum ex his, & accidẽtia quæcũque indiuiduo accidunt,nullã aliã intrinsecã causam habent, nisi aliquid horũ:& sic ad inuestigandã indiuiduationis causã nõ oportet extra hoc vagari. Probatur tertio eadẽ conclusio authoritatibus Arist.& com.supra inductis, quas non opus est repetere. Apparet quidẽ apud eos euidenter omnẽ distinctionem aut ex formis,aut à quantitate oriri. Est igitur materia signata intrinsecum indiuiduationis principium : quo intrinsecè (licet particulariter) Socrates est hic. Dico autẽ particulariter: quia non arbitror materiã signatã esse ipsam indiuidualẽ proprietatẽ seu differẽtiã:sed potius differentiæ indiuidualis essentiale principiũ. Opinor enim ꝙ proportio materiæ signatæ ad proprietatẽ,seu differentiam indiuidualẽ sit, sicut proportio animæ humanæ ad differentiã hominis cõstitutiuã, sicut enim anima intellectiua non est ipsa differẽtia, puta rationale:sed id vnde sumitur,ita materia signata nõ est ipsa differẽtia indiuidualis:sed id vnde sumitur,& quod causat ipsam intrinsecè. Et sicut homo est homo,& per rationale tãquã per principium formale totale, & per animã intellectiuã tãquam per principium partiale intrinsecum formale , à quo rationale mẽdicat & causatur : ita Socrates est hic ꝓ differentiã indiuidualem, tãquã per totale quoddã denominans,qđ nihil aliud est,quã gradus indiuidualis : sicut differẽtia specifica est gradus specificus & per materiã signatam tanquam per priorẽ causam intrinsecam à qua ipsa indiuidualis differentia mendicat. Vt sic inter nos & Sco.in hoc stet diuersitas, quòd ipsi differẽtias indiuiduales absq; essentiali dependentia à materia signata multiplicãt : nos autem sicut animal cõtrahere nesciremus ad hominẽ & bouẽ sine formis partiũ:à quibus differẽtiæ cõtrahentes animal causantur , sic speciẽ,puta hominẽ cõtrahere ad indiuiduũ non nouimus sine materia signata quæ est causa indiuidualium differẽtiarũ: & cõsequẽter primò principiũ indiuiduationis intrinsecum.Moueor ad hoc dicendũ,quoniã teneo Socratẽ substãtialiter sumptum in recta,s. linea prædicamentali sub specieiesse vnũ numero:non vnitate de prædicamẽto quãtitatis, sed substantiali, quã necesse est antecedi,cum sit entis passio ab indiuiduali gradu : quẽ ipsa indiuidualis differẽtia importat. Et hoc an sit de mẽte S.Doct.non censeat quisquam, priusquam legerit ipsum:& in compẽdio Theologiæ, c.157.vbi vult Socratem eodem numero esse post resurrectionem eius quantitate numerata, & in tractatu supradicto.

Te.to.14.

QVOd ad quintum arguitur cõtra conclusionẽ & dicta in ea à Sco.vbi supra.Primò sic, Impossibile est aliquid dependens à posteriori naturaliter, esse idem priori naturaliter : quia tunc esset prius,& non prius , sed substantia est prior naturaliter quãtitate, igitur nihil causatũ à quãtitate siue qualitercũq; prꝫexigẽs naturã quantitatis põt esse idẽ substãtiæ, nõ igitur signatio ista à quantitate causata est eadem substãtia.probatio Maioris,vbi est vera & realis identitas,licet non sit formalis , ibi impossibile est hoc esse, & illud non esse:quia tunc idem realiter esset & nõ esset:sed possibile est priꝰ naturaliter esse sine posteriori naturaliter:ergo multo magis absq; eo ꝙ derelictũ ẽ, vel causatũ à posteriori naturaliter.

¶ Præterea , Id quod est necessaria conditio causæ in causando, non potest habere esse à causato:quia tunc causa,inquantum sufficiens ad causandum,esset causata à causato:& illud causatum esset causa sui ipsius:sed singularitas siue signatio substantiæ est necessaria conditio in substantia ad causandam quantitatẽ:quia causatum singulare requirit causam singularem, ergo impossibile est istam signationem seu singularitatem esse à quantitate.

¶ Præterea, Quæro quid est quantitatem causare vel derelinquere talem modum seu signationem in substantia,si nihil ex hoc est, nisi quòd præfuit quantitati , tunc nullo modo signatio est per quantitatem : quia tunc signatio substantiæ naturaliter præcedit ipsam quantitatem.Si autem aliquid aliud,quæro quomodo causetur à quantitate,& in quo genere causæ.

¶ Præterea, Quare quantitas potius relinquat talẽ modum in substãtia,quã qualitas:non videtur ratio : quia sicut qualitas in seipsa informat superficiẽ, nihil relinquendo in ea : ita quantitas informat substantiam in seipsa, & non per aliam formam derelictam.

¶ Præterea, Quãritas ista,quæ ad indiuiduationem concurrit,aut est quantitas terminata, aut interminata:non terminata, quia illa sequitur formam in materia,& per consequens singularitatẽ substãtiæ:quia sicut substãtia est causa eius,vt est terminata , ita hæc substantia est causa eius,vt est hic terminata.Et confirmatur hoc, quia cũ quantitas terminata varietur sola rarefactione,idẽ indiuiduum erit multis singularitatibus idẽ:qđ est impossibile. Si autem interminata, contra:illa manet eadem in genito & corrupto.

¶ Præterea, Si quantitas concurrit ad indiuiduationem , vt primò distinguens , oportet ꝙ in seipsa sit primo distincta numeraliter ab alia:sed tũc tua ꝓpositio nõ est vera:illa.s.omnis differẽtia formalis est specifica.quãtitas enim hæc & illa cũ sint formæ, differrent specifice. Quod si quantitatem excipias ab illa proportione fundamentali ædificij ruinosi,vnde probabitur, quòd differentia formalis sit specifica ? quæcunque enim ratio fuerit adducta de forma,habebit locum in quantitate,cùm quantitas forma sit.

¶ Præterea , Tota latitudo prædicamẽti substãtiæ est prior cæteris prædicamentis,ergo cũ indiuiduũ substantiæ claudatur in ista latitudine, oportet ꝙ sit intrinsecè cõpletũ absque dependentia à quãtitate,quæ est posterior.Et cõfirmatur:quia nihil reponitur in aliquo genere per aliquid,qđsit extra illud genus. Multa alia argumẽta fiũt à Sco.& aliis:sed qa cõcludũt materiã solã vel quãtitatẽ solã,vel aggregatũ ex materia & quãtitate nõ esse principiũ indiuiduationis omisi,nihil eũ cõtra nos.Omisi præterea quæ indirectè cõtra positionẽ nostrã essent,breuitati studẽs.Hæc de quinto.

QVO Ad sextum respondendum est argumentis factis:nunc deinde aliis pro opinione contra inductis.

¶ Ad primũ igitur istorũ dicitur, ꝙ falsa est Maior.Ad cuius euidentiam est notandum,quòd proportio materiæ signatæ ad hanc quantitatem est proportio potentiæ ad proprium actum:vnde sicut potentia materiæ est eadem realiter ipsi materiæ:& tamen dependet à forma:ita potentia seu capacitas materię respectu huius quantitatis,quæ vocatur eius signatio , dependet à quantitate : & tamen est eadem materia.Et quia potentia est prior & posterior, & naturaliter actu,prior est in genere causæ materialis:posterior in ordine causæ formalis,ideo signatio materiæ est prior quantitate ordine causæ materialis : posterior autem in ordine causæ formalis.vnde vtroque modo Maior est falsa : tam si intelligatur de priori & posteriori secundum genus causæ materialis , quàm intelligatur de priori & posteriori in ordine causæ formalis. Aliquid enim dependens à forma est idem realiter materiæ : & aliquid dependens à materia est idem realiter formæ,vt patet. Ad probationem primam qua dicitur : quia tunc esset prius , & non prius,dico quòd non est inconueniens in conuersis generibus causarum. Ad aliam probationem,qua dicitur , Vbi est vera & realis identitas,&c.negatur secunda propositio assumpta.non enim omne prius potest esse sine posteriori:vt alias ostendetur.

¶ Ad secundũ negatur Maior,cùm causatum est causa suæ causæ in alio genere causæ : sicut in proposito accidit : materia enim signata est causa quantitatis in genere causæ materialis : quantitas est causa materiæ signatæ in genere causæ formalis, vt actus potentiæ.Et patet falsitas Maioris in exẽplo supra posito : potẽtia eĩ materiæ est necessaria cõditio materiæ ad causandã formã : & tamẽ dependet à forma in genere causæ formalis.Ad probationem dicit, ꝙ causa materialis secũdũ causalitatẽ suã depẽdet à suo effectu,s.forma:sed nõ inquantũ est effectus ei⁹,sed in eo ꝙ est causa materiæ:causæ eĩ sunt sibi inuicẽ causæ, vt dicitur 5.ẽudo Physitex.com. 16. nõ ergo inconuenit causam in causando dependere à causato:non vt causato,sed vt causa est secundum aliud genus.

¶ Ad tertium dicitur ,quod quantitatem causare talem signationem in materia nihil aliud est,quã materiam esse sub hoc agente factam capacem adeo huius quantitatis: quod non illius , & sic quantitas concurrit ad signationem materiæ vt actus: propter quem talis capacitas sit. Agens vero vt efficiens illam : & talis signatio seu capacitas præest ipsi quantitati in genere causæ materialis:& non potest ex hoc inferri, ergo non fit per quantitatem: eo quòd fit quantitate in genere causæ formalis,quæ sicut & finis inter causas posteriores inesse numeratur.

¶ Ad quartum dicitur, quòd non solum quantitas tali modo signat materiam,sed etiam qualitates proprie.Materia enim Socratis ita est capax harum qualitatum, quòd non aliarum:sed quia sola quantitas immediatè recipitur in substantia , & ex sola quantitate oritur radicaliter distinctio materialis , ideo ad propositum, materiam signatam , materiam sub certis dimensionibus & non sub certis qualitatibus dicimus.

¶ Ad quintũ dicitur, ꝙ quantitas illa quæ ad indiuiduationem vt originalem non intrinsecum indiuiduationis principium concurrit,est quãtitas terminata.Nec obstat, ꝙ sequatur formã:quia etiam forma sequitur potentiã materiæ,à qua tamen causatur : & concedimus hanc substantiã esse causam materialẽ huius quantitatis:sed econuerso in genere causæ formalis hanc quantitatem esse causam huius signationis materiæ modo præexposito.Ad cõfirmationem Antonij Trombetæ dicitur , quòd quantitas terminata ad indiuiduationẽ concurrens non stat in indiuisibili, sed latitudinẽ habet. sicut enim quælibet species naturalis determinat sibi quantitatem maximam & minimã infra quandã latitudinem: ita & quodlibet indiuiduum determinat sibi hanc quantitatem infra tales limites, & non indiuisibili:vnde potest fieri rarefactio sine eius(vt indiuiduatiua est) variatione. non enim hic accipitur quantitas terminata punctualiter:sed cum certa latitudine.

¶ Ad sextum dicitur cõcedendo consequẽtiã primam:sed negando ꝙ ex hoc sequatur falsitas illius propositionis fundamentalis firmissimi ædificij. Peccauit enim arguens peccato maximo non distinguens inter differentiam formalẽ & formarũ : omnis enim differentia formalis est specifica,nõ aũt omnis differentia formarum,vt dicit S.Tho.secundo contra Gentiles ca. Si alioquin forma huius ignis & forma illius ignis distingueretur specifice cum sint formæ,& differant,vnde linea mathematica diuisa in partes, habet duo indiuidua.quælibet enim pars lineæ est linea,& illa indiuidua sunt formæ,& differunt, sed nõ differentia formali. Appellatur autẽ differentia formalis illa,quæ est per principia quidditativa. hæc enim semper oritur à forma in eo ꝙ forma qualis nõ est inter hãc lineã & illã:cũ sit eadẽ vtriusq; qdditas.verum argũtis error est valde puerilis, sicut formæ,& differũt:ergo differũt formaliter:est monach⁹,& est alb⁹, ergo est monachus albus.

¶ Ad vltimũ negatur consequẽtia:licet enim id qđ est in prædicamẽto substãtiæ sit prius simpliciter quodlibet alio prædicamento,tamen aliqua cõditio(sine qua indiuiduũ vt sic non est in prædicamẽto)potest esse posterior in genere causæ formalis , & alterius prædicamenti , eo quòd causa formalis est posterior in esse.

¶ Ad confirmationem dicitur ꝙ quodlibet prædicamẽtum completur per res sui generis , si loquamur de his quæ ponuntur in prædicamẽtis , & de ratione reponendi ea in illis, nõ autem si loquamur de conditione rei repositæ in prædicamento. Socrates enim non est nisi substantia , & ratio ponens ipsum in prædicamento est substantia : conditio autem indiuiduationis , sine qua non est ratio reponendi ipsum in prædicamento, non inconuenit quod coerigat aliquod accidens, puta quantitatem.

¶ Ad primum vero eorum, quæ pro opposita conclusione adducta sunt, dicitur quod Minor est falsa,ad materiam nanque signatam primo sequitur vnitas numeralis.

¶ Ad secundum dicitur, ꝙ differentia indiuiduorũ reducitur ad quantitates : quantitates autem differunt sitibus propriis, qui sunt differentiæ quantitatis. situs autem non solum integratur ex illis duobus:s.permanẽtia & cõtinuatione partium:sed ex his duobus cũ tertio ordine,se.partium in toto:vt docet Albertus in prædicamentis,ca.de quantitate:per hoc enim differt à situ speciali prædicamento qui dicit ordinem partiũ in loco:vnde situs in proposito distinguuntur suis ordinibus partium in toto , qui sunt de eorum ratiõe:ordines autem seipsis:in diffinitione enim ordinis cadit distinctio:& sic patet,ꝙ non est æque dubiũ de his,ad quæ facimus reductionem, & de quantitatibus,& quòd non oporteat quantitates propter hoc distingui formaliter : talis enim ordo partium in toto vt materiale quid , est in ipsa quantitate : quod in nulla alia forma inuenitur.

¶ Ad tertiũ Antonij Trombetæ dicitur ꝙ minor est falsa: materia enim signata,vt ꝓbatum est,est id,cui prima repugnat diuidi, vt vniuersale in particularitate enim repugnat esseitati.

CAPVT III.

Essentiæ generis,speciei, & indiuiduorum quomodo tam absolute quam primæ impositionis nominibus concepta distinguantur : quomodo item Genus, Species, Differentia, Diffinitio differant exponit:deinde quomodo Essentia ipsis indiuiduis comparetur declarat.

PATET ergo,quod essentia hominis & Socratis nõ differũt, nisi secundũ signatũ & non signatũ: vnde Cõmentator dicit super 8.Met.quod Socrates nõ aliud est,quã animalitas & rationalitas, quæ sunt quidditas eius.Sicut etiã essentia generis & essentia speciei secundũ signatũ & non signatũ differunt. quamuis alius modus designationis sit vtrobique , quia designatio indiuidui respectu speciei est per materiam determinatam dimensionibus:designatio autem speciei respectu generis est per differentiam constitutiuam,quæ ex forma rei sequitur. Comm.10.

POST QVAM determinatũ est quid sit essentia substantiarũ cõpositarũ in communi,in hoc tertio capite intẽdens agere de differentia essentiarũ cõpositarũ inter se:cum essentiæ compositæ sint tres,s.generica, specifica ,& indiuidualis , quinque facit. Primò loquitur de differentia earũ absolute. Secũdò determinatur de differẽtia earũ,vt subsunt primis intentionibus, & illarum nominib⁹,ostẽdit quomodo essẽtia generica differat à specifica. Tertiò genus,species, differentia, diffinitio qualiter inter se differant,declarat.Quartò excludit quandam dubitationem. Quintò assignat differentiã inter essentiam specificam & indiuiduaiem.

AD euidentiam dicendorum prænotandum est quod de essentiis possumus tripliciter loqui : primò, de eis absolutè absq; habitudine ad primas,vel secundas intẽtiones.Secundò, de eis,vt subsunt nominibus primę intentionis.Tertiò,vt subsunt nominibus secundæ intentionis:verbi gratia De natura humana cõtingit loqui secundũ se,id est secundũ ea quę conueniunt sibi ratione sui, cõtingit loqui de ipsa,vt stat sub hoc nomine, humanitas,& hoc nomine,hõ & similibus:cõtingit & tertiò loqui de ipsa,vt stat sub hoc nomine species.S.Th.ergo in prima huj⁹ c.parte loquitur de essentiis rerũ primo mõ : in toto verò residuo loquitur de eis secundo mõ sumptis,in sequẽti aũt c. de eis tertio mõ acceptis sermonẽ facit:& hoc,si nõ vis decipi in hoc c.diligẽtissime notato. ponit igitur assignãdo differẽtiã inter essentiã generica,specificã, & indiuidualem secundũ se sumptas hanc conclusionẽ: essentiæ prædictæ non differũt,nisi secundũ signatũ & nõ signatũ:hoc sic declaratur,animalis hominis , & Socratis essentiæ ꝓprie nõ differũt,nisi ꝓ hoc:quia in rõne animalis cadit substãtia animata sensibilis absq; determinatiõe eius ꝓ rõnale:in rõne aũt hominis ponit substãtia animata sẽsibilis rõnalis: & sic addit ea designatio p differẽtiã:rõ verò Socratis ponit substãtiã animatã,sẽsibilẽ:rõnalẽ in istis carnib⁹,& istis ossib⁹:& sic in ea addit designatio materiæ q̃ nõ ponebat in rõne hominis:vñ absolute loquẽdo, & sẽdm suas rõnes ꝓprias apparet,has essẽtias,nõ nisi sẽdm signatũ, & nõ signatũ differre,i.sẽdm explicitã inclusionẽ alicuj⁹ designationis, siue determinatiõis:& nõ explicitã inclusionẽ illi⁹.licet talis designatio nõ vniformiter sit in natura specifica, & in natura indiuidui.determinatio eĩ quã addit natura specifica supra generica, est formalis essentialiter specificãs genus:vtpote à forma in eo,ꝙ forma sumpta:determinatio aũt,quam natura indiuidualis supra specificã addit, est materialis,nõ formaliter, sed materialiter tm diuersitatẽ in specie, faciẽs vtpote sumpta à materialis cõditionibus rei.Ex his habes quòd homo & humanitas:anima & animalitas sẽdm se,i.naturas significeatas, nullo modo differũt, eadẽ omnino est rõ naturæ significatæ p hominẽ,& humanitatẽ,ita ꝙ nulla designatiõe differũt, sed vt post dicet, differũt vt subsunt nominibus primæ intẽtiõis. Quia verò distinctio p signatũ, & non signatũ,nõ est distinctio realis:ideo dicit com.7.Meta. cõ.1c.ꝙ Socrates subsẽtialiter sumpt⁹,nil aliud est quã animalitas , & rationalitas,quæ sunt quidditas eius. Sorteitas enim quæ naturam Socratis nominat,eadem realiter est animalitati,& rationalitati.

Hæc autem determinatio vel designatio , quæ est in specie respectu generis,non est per aliquid in essentia speciei existens,quod nullo modo in essentia generis sit : imo quicquid est in specie , est etiam in genere , vt non determinatum , si enim animal non esset totum,quod est homo,sed pars eius , non prædicaretur de eo : cum nulla pars integralis prædicetur de suo toto.

¶ In hac secunda parte capituli determinatur quomodo essentia generica differt à specifica , secundum quòd ambæ stant sub nominibus primæ intentionis , puta quomodo differant essentia hominis , & essentia animalis sub his nominibus , homo & animal,& intendit , quod essentia significata per nomen genericum, puta animal & essentia significata per nomen specificũ , puta homo , non differunt per hoc quod essentia significata per nomen specificum includat aliquam determinationem , quæ omnino sit extra rem significatam per nomen genericum, sed per hoc,quod essentia per speciei nomen importata includit actũ designationem specificam , quæ fit per differentiam eius constitutiuam , sicut homo actu includit rationale:ponitur namque in eius diffinitione.Essentia verò nomine generico signata cõfuse, & indeterminate

minate importat designationem illam: sicut animal in potẽtia includit rationale, vt dicit Porphyrius: vnde animal & vniuersaliter omnis essentia generico nomine importata vt sic, totum includit qđ includit species: licet non eodẽ modo. Et propterea ad positæ differẽtiæ declarationẽ ponit talẽ cõclusionẽ: Genus dicit totum esse speciei: quã sic probat: Omne prædicatum dicit totũ esse eius, de quo prædicatur: genus prædicat̃ de ipsa specie, ergo natura generica, puta animal, dicit totũ esse speciei. Maiorẽ ꝓbat per hoc: quia nulla pars prædicatur de suo toto. Vbi aduertendũ est ꝙ hic sermo verus est de prædicatione in recto & directo, siue essentiali, siue denominatiua, & de parte, in eo ꝙ pars, & non de parte vt significatur per modũ totius: põt enim pars vtroque modo significari sicut materia significatur vt pars rei (per ly materia) significatur autem vt totũ (per ly materiale) his enim modificata conditionibus propositio illa, s. nulla pars prædicatur de suo toto, nullam patitur instantiã: cùm enim dico, Homo est albus, ly albus, confundit in se totũ qđ est in homine: & similiter cũ dico, Homo est materialis, ly materialis, comprehendit in se implicite totum ꝙ est homo: & sic cùm dicitur: Homo est animal, ly animal, continet implicite totum ꝙ est homo, modo qui infra declarabitur: & sic probandum est, ꝙ essentia generico nomine importata includit designationem specificam: extra totum enim nihil est.

Hoc autem quomodo contingat, videri potest, si inspiciatur corpus secundum quod ponitur pars animalis, & secundũ quod ponitur genus: non enim potest dici eo modo esse genus, quo est pars integralis: hoc igitur nomen, quod est corpus, multipliciter accipi potest: corpus enim secundum quod est in prædicamento substantiæ, dicitur ex eo quod habet talem naturam, vt in eo designari possint tres dimensiones: ipsæ autem tres dimensiones designatæ sunt corpus, quod est in genere quantitatis. Contingit autem in rebus, quod habet vnam perfectionem ad vlteriorẽ perfectionem pertingat: sicut patet in homine, qui naturam sensitiuam habet, & vlterius intellectiuam similiter etiã & super hanc perfectionem, quæ est habere talem formam: & vt in ea possint tres dimensiones designari, potest alia perfectio adiungi, vt vita vel aliquid huiusmodi, potest ergo hoc nomen corpus rem quandam designare: quæ habet talem formam, ex qua sequitur in ipsa designabilitas trium dimensionum cum præcisione, vt scilicet ex illa forma nulla vlterius perfectio sequatur, sed si aliquid aliud superadditur, sit præter significationem corporis sic dicti, & hoc modo corpus erit materialis & integralis pars animalis: quia sic anima erit præter id quod significatũ est nomine Corporis, & superueniens ipsi corpori, ita quòd ex ipsis duobus, scilicet ex anima & corpore sicut ex partibus constituitur animal. Potest etiã hoc nomen Corpus hoc modo accipi: vt significet rem quandam, quæ habet talem formam, ex qua possint in ea tres dimensiones designari: quæcũque forma sit illa, siue ex ea positæ prouenire alia vlterior perfectio, siue non: & hoc modo corpus erit genus animalis: quia in animali nihil est accipere, quod in corpore implicitè non contineatur: non enim anima est alia ab illa forma per quam in re illa poterant designari tres dimensiones: ideo, quando dicebã, quod corpus est, quod habet talem formam, ex qua possunt designari tres dimensiones, in eo intelligebam quæcunque forma esset illa siue anima esset, siue lapideitas, siue quæcunque alia forma, & sic forma animalis implicitè in corpore, siue in corporis forma continetur: prout corpus est genus eius.

¶ Quoniam declaratũ est, genus cõparari ad speciem, non vt eius partem, sed vt totũ: aperire intendit hoc quomodo res per generi cum nomen significata possit vtroque modo accipi, vt pars s. & totum: & primo in corpore tanquã notiori: deinde in animali, dicens quòd ex quo non potest eodem modo sumpta res esse pars rei & genus eiusdem (vt ostensum est) scire debes, ꝙ hoc nomen Corpus accipitur dupliciter: est enim æquiuocum ad corpus quod est res prædicamenti Substantiæ, & ad corpus quod est res prædicamenti quantitatis. Corpus vt significat rem prædicamenti Substantiæ, importat naturam, ex qua nata est fluere trina dimensio. Corpus vero vt significat rem prædicamenti quantitatis importat ipsam trinam dimensionem.

¶ Iterũ corpus ꝙ significat rẽ prędicamẽti Substãtiæ, de quo nũc est sermo, accipit̃ dupliciter. Vno mõ, vt significat naturã illã ex qua nata est fluere trinadimẽsio, cũ præcisione omnis substãtialis pfectiõis vlterioris. Alio modo, vt significat illãmet naturãabsq; præcisione vlterioris perfectionis substantialis. Causam huius & similiũ distinctionũ assignat in litera, ex eo ꝙ res habẽs aliquã perfectionẽ substantialẽ, non excludit à se aliquã aliã vlteriorem substãtialẽ perfectionẽ, sicut hõ ex eo ꝙ habet perfectionẽ sẽsitiuã, nõ excludit à se perfectionẽ intellectiuã: & similiter corpus ex eo, ꝙ habet pfectionẽ corporeã, nõ excludit à se perfectionẽ vitalẽ: & sic de aliis: cũ enim prior pfectio substãtialis nõ excludat secũdam & tertiã, & manifestũ sit etiã, ꝙ non includit eas in actu: põt prior perfectio cõcipi & significari, & cũ præcisione seu exclusione aliarum, & cũ inclusiõe confusa earũ. Ex eo nanque ꝙ formaliter nõ includit alias, põt præcisè concipi & significari. Ex eo verò, ꝙ coniunctionẽ cũ aliis nõ excludit, põt cũ aliarũ cõfusa & potẽtiali inclusione concipi & significari: vnde natura significata per hoc nomẽ Corpus, quia non formaliter includit perfectionẽ vitalẽ, nec sensitiuã, nec intellectiuã põt cum præcisione hominũ horũ cõcipi & significari: & quia non excludit aduentio nẽ essentialẽ sui cũ illis: ideo põt absq; eorum præcisione concipi & significari, vt confusè & determinatè includẽs omnia illa: colligitur autẽ ex textu triplex differentia inter hæc: differunt enim primò in hoc, quia corpus primo modo dicit corporeitatẽ solam, ex qua nata est fluere trina dimensio, & nulla vlterior perfectio: corpus vero secundo modo dicit formã quãcunq;, à qua fit corporeitas: ex qua nata est fluere trina dimensio cũ quacunque alia perfectione. Secundo differũt, quia corpus primo modo est pars speciei, eo ꝙ significatum formale est præter & extra significatũ eius: sicut anima rõalis est extra corporeitatẽ: sunt em in homine duo, perfectio. s. corporalis, quam præcisè acceptã patet non includere aliquo modo intellectualitatem: & perfectio intellectualis, quæ est altera pars: corpus verò secundo modo est totum respectu speciei, eo quod perfectio, seu forma formaliter importata per speciem includitur in significato corporis sic accepti: significat enim quancunque formam, à qua fit perfectio corporea, & sic anima intellectiua includitur in ly quacunque. Tertio differunt, quia corpus primo modo non est in recta linea prædicamentali, sicut nec quæcunque pars: corpus verò secũdo modo est directè in prædicamẽto substãtiæ, sicut & quodlibet aliud genus.

Et etiam talis est animalis habitudo ad hominem. Si enim animal nominaret tantum rem talem, quæ habet quandam perfectionem, vt posit sentire & moueri per principium in ipso existens, cum præcisione alterius perfectionis: tunc quæcunque alia perfectio vlterius superueniret, haberet se ad animal per modum partis: & non sicut implicitè contenta in ratione animalis: & animal non esset genus. sed est genus secundum quòd significat rem quandam: ex cuius forma potest prouenire sensus & motus, quæcunque sit illa forma: siue sit anima sensibilis tantùm, siue sit anima sensibilis & rationalis simul.

¶ Declarat hoc quoq; in hoc genere, ꝙ est animal, potest enim animal accipi vt significat formã, ex qua præcisè oriantur sensus & motus, quibus animal à non animali discernitur: vt dicitur primo de Anima, text. com. 19. potest etiã accipi animal, vt dicit formam quamcunque, ex qua oriantur sensus & motus non præcise. & sic est genus: primo autem modo est pars speciei: vnde homo est compositus ex animali & intellectiuo principio tanquam ex suis partibus essentialibus, accipiendo animal primo modo, sic enim extra significatum eius est intellectiua natura, animal vero secundo modo est totum respectu hominis implicitè includens specificas perfectiones: cum enim sic dico, animal dico, habẽs naturam sensitiuam indeterminatè relinquendo per quam formam habeat sensitiuam naturam: & sic implicite includuntur omnes formæ specificæ: habetur enim natura sensitiua non nisi per formam hominis, leonis vel Bouis, &c. Ex his patet differentia inter essentiam genericam & specificam, vt subsunt nominibus generico & specifico primæ intentionis: quia scilicet differunt sicut includens implicite & includens explicite illammet.

Vide Auicen. 5. metaph. c. 1. per totum.

Si igitur genus significat indeterminate id totum, quod est in specie (non enim significat tantum materiam) similiter etiam differentia significat id totum, quod est in specie, & non tantum formam: & etiam diffinitio significat totum, & etiam species, sed diuersimode. Quia genus significat totum, vt quædã denominatio determinans id quod est materiale in re sine determinatione propriæ formæ: vnde genus sumitur à materia: vnde patet ex hoc quòd corpus dicitur ex hoc, quòd habet talem perfectionem, vt possint in eo designari tres dimensiones. quæ quidem perfectio est, vt materialis se habens ad vlteriorem perfectionem. Differentia vero econuerso est, sicut quædam determinatio à forma determinata sumpta præter hoc, quòd de intellectu primo sit materia determinata: vt patet cum dicitur animatum, scilicet illud

illud, quod habet animam, non determinatur quid sit, vtrum corpus, vel aliquid aliud. vnde dicit Aue. enn. quòd genus non est in differentia, sicut pars essentiæ eius, sed solum sicut ens extra quidditatem, siue essentiam, sicut etiam subiectum est de intellectu passionum. & ideo genus non prædicatur de differentia per se loquendo, vt dicit Arist. in tertio de anima, & quarto Topicorum: nisi fortè sicut subiectum prædicatur de passione. Sed diffinitio siue species comprehendit vtrumque, scilicet determinatam formam, quam designat nomen Generis, & determinatam formam, quam designat nomen differentiæ.

In hac tertia parte capituli cõparat genus, speciẽ, differentiam & diffinitionẽ inter se quo ad conuenientiã & differentiã. Conuenire ait hæc omnia in hoc ꝙ quodlibet eorũ significat totũ ꝙ est in specie. Quod ex prædictis immediate sequitur: si enim genus significat totũ, quia verè & propriè prædicatur de specie, & confundit in se omnia, ad quæ se extẽdit vt prædicabile, totũ significabit. Differentiã autem dupliciter ponit inter ea. Differũt primo quo ad formalia significata eorũ: quia formale significatũ generis est perfectio materialis: formale autem significatũ differẽtiæ est perfectio formalis: formale verò significatum speciei est aggregatum ex vtraq; perfectione non distinguẽdo eas: formale aũt significatum diffinitionis est similiter aggregatũ ex vtraq; pfectione: sed diuidendo in singulas. verbi gratia. formale significatum animalis est natura sensitiua quę se habet vt materialis ad perfectionẽ intellectualem, quæ formaliter importat̃ per rationale: & cõsequenter perfectio intellectualis se habet vt formalis: similiter formale significatũ hominis & animalis rationale est aggregatũ ex natura sẽsitiua & intellectiua: sed animal rõale separatim explicat vtrunque, hõ verò non.

PRO intellectu horũ nota ꝙ significatum formale nominis ad præsens est perfectio seu forma determinate: & primo explicata p illud nomen. Materiale verò est illud qđ sub nominis significatiõe cadit non primò: vnde considerato omni eo ꝙ tã formaliter quàm materialiter importatur per genus, speciẽ, differẽtiã & diffinitionẽ, dicit, ꝙ idẽ significant, & ꝙ cõueniunt: consideratis aũt formalibus eorũ significatis, dicimus, quod differunt & quod nõ significat idem. Sed ne vageris, quærendo differentiam inter significatum formale speciei & diffinitionis: quoniã nulla est, sed in modo tantũ exprimendi idẽ formale significatũ differunt: species enim indistinctè actu tũ explicat totum: diffinitio verò diuidit in singula, vt dicit 1. Phy. tex. com. 5. Genericum ergo nomen, puta animal, formaliter & determinatè explicat materialem hominis perfectionẽ, s. sensitiuam: & ideo genus sumitur à materia, 8. Met. tex. com. 9. Differentiæ verò nomẽ, puta rationale, formaliter & determinate explicat formalẽ rei perfectionem: ideo dicitur ibi idem sumi à forma. Et sicut in formali significato generis non perfectio per differentiã importata, quia indeterminate in illo includitur in formali cõceptu differentiæ non cadit genus eadem rõne: qa s. perfectio generica indeterminate cadit in nomine Differentiæ. Sicut enim ex eo ꝙ animal significat habens naturã sensitiuã, duo significat, naturã sensitiuam formaliter, & primò, & ꝙ habet illam indeterminate: non enim explicat an id sit homo vel Bos: sic rationale, ex eo ꝙ significat habẽs rationalitatem, duo significat, scilicet rationalitatẽ formaliter & primò, & habens illã secundario & indeterminate. nõ enim determinat quid sit id habẽs, an homo, vel animal, & ideo dicit Auic. ꝙ genꝰ nõ est in differẽtia, sicut pars essentiæ eius: id est sicut pars tui formalis significati, sed est extra formale significatum eius: sicut subiectum est extra formale significatũ suę passionis. Album enim purã qualitatem significat: vt dicit̃ in prædicamẽtis. Et licet genus nõ sit de intellectu differẽtiæ tali modo, s. vt formaliter significatũ per illam: est tamẽ de intellectu eius alio modo: vt subiectũ, s. de intellectu passionis. Dupliciter enim, vt supra dictũ est, aliquid cadit in ratione alicuius. Vno modo vt pars quidditatis. Alio modo vt subiectũ eius: quomodo subiectũ intrat diffinitionẽ passionis. vt habes 7. Meta. tex. cõ. 19. & ideo dicit Aui. 1. Meta. tex. cõ. 10. & 4. Topi. ca. 5. ꝙ genꝰ pse nõ prædicat̃ de differẽtia, nisi forte subiectum prædicatur de passione. Ratio primi dicti est, quia genus in nullo modo dicẽdi per se prædicat̃ de differentia: non quidẽ in quarto, quia differentia nõ explicat causam generis: nec in secundo, quia differẽtia nõ ponitur in generis diffinitione, nec etiam in primo propriè, quia prædicata primi modi in recto, quæ proprie prædicatur, sunt ea quæ intrinsece in ratione cadunt, & nõ ea quæ per additamẽtũ in ea sunt. homo enim nõ prædicatur proprie de risibili in primo modo, qđ patet ex eo ꝙ ista, Risibile est homo, est per accidẽs, vt dicit 1. Poste. ca. 18. Ratio secundi est, quia si genus est de intellectu differẽtiæ, sicut subiectũ est de intellectu passionis, cõsequẽs est ꝙ genꝰ prædicet̃ de differẽtia, sicut subiectum de passione, quod dicit forte non dubitantis est, sed non determinantis. cõsueuit enim apud ipsum res non decisa sub dubia verborum forma poni.

¶ Aduerte, quòd licet in intellectu differentiæ cadat genus determinatè: nomen tamen differentiæ genus illud non explicat determinate, rationale enim non explicat animal cum rationalitate, sed habens rationalitatem, sicut & in diffinitione risibilis cadit homo: & tamen hoc nomen risibile non explicat hominem determinate: significat enim habens risibilitatem.

Ex hoc patet ratio, quare genus & species & differentia se habeant proportionaliter ad materiam, formam & compositum in natura: quamuis nõ sint idem cum illis, quia neque genus est materia: sed sumitur à materia vt significans totum: nec differentia est forma, sed sumitur à forma, vt significans totum. vnde dicimus hominem esse animal rationale, & non ex animali & rationali, sicut dicimus eum esse ex corpore & anima. Ex corpore enim & anima dicitur esse homo, sicut ex duabus rebus quædam tertia res constituta, quæ neutra illarum est, homo enim nec est anima neque corpus: sed si homo aliquo modo ex animali & rationali dicatur esse, non erit sicut res tertia ex duabus rebus, sed sicut intellectus tertius ex duobus intellectibus. Intellectus enim animalis est sine determinatione formæ specialis naturam exprimẽs rei ex eo quod est materiale respectu vltimæ perfectionis. Intellectus autem huius differentiæ rationalis consistit in determinatione formæ specialis, ex quibus duobus intellectibus constituitur intellectus speciei, vel diffinitionis: & ideo sicut res constituta ex aliquibus, non recipit prædicationem earum rerum, ex quibus constituitur: ita nec intellectus recipit prædicationem eorum intellectuũ, ex quibus constituitur: non enim dicimus, quod diffinitio sit genus, vel differentia.

¶ Correlarie cõcludit secũdam differẽtiã inter genus & speciẽ & differẽtiã: qa s. genus ꝓportionaliter se habet ad materiam, quæ pars cõpositi, & non significat ipsam: differẽtia proportionaliter se habet ad formã, & non significat ipsam: species ꝓportionaliter se habet ad cõpositum ex materia & forma: & vt hic non significat cõpositũ ex materia & forma, sed aliquid cõplectens genus & differẽtiã. In assignatione huius differẽtiæ secũdũ quodlibet mẽbrum ponũtur duæ particulæ: puta in primo mẽbro prima particula est, ꝙ genus proportionaliter se habet ad materiã, secunda verò est, ꝙ genus non significat materiã: similiter in secũdo & tertio mẽbris. Prima particula omniũ sequitur ex supradictis. Si em pfectio generica q̃ formaliter importatur p genus, est materialis respectu pfectionis differentialis, quæ formaliter importatur per differẽtiã, oportet ꝙ sicut se habet materia respectu formæ in cõposito naturali, puta Socrate: ita genus respectu differẽtiæ in composito rationali, s. specie: vt sicut materia est potẽtialis, & pficitur ac specificatur p formã, sic generica pfectio est potẽtialis pfectibilis & specificabilis p differẽtiã. Secunda verò pmissa, licet sequatur etiã ex supradictis, qa ex eo ꝙ genus, differẽtia & species significat totũ, sequitur immediate ꝙ genus nõ significet materiã qa materia nõ est totũ: & ꝙ differentiã nõ significet formã, quia forma non est totũ, & quòd species vt sic non dicat cõpositũ ex materia & forma, eo quòd ptes eius vt sic non sunt materia & forma, sed genus & differẽtia. Attẽ S. Th. ꝓbat eam talẽ rationem, Materia & forma sunt ptes sui totius, sicut duæ res tertiæ rei: genus & differentia nõ sunt partes sui totius, s. speciei, vt duæ res tertię rei: ergo genus & differẽtia non sunt materia & forma speciei. Maior patet ex se, homo enim est alia res à materia sua, & alia à sua forma. Nec est curæ modo vtrũ sit res distincta realiter, vel secundũ rationẽ ab illis duabus coniunctis: sufficit enim nobis, ꝙ sit tertia res realiter distincta à qualibet parte. Minor vero declaratur hoc modo: Si genus & differẽtia cõponerẽt speciẽ, vt duæ res tertiam tũc homo esset cõpositus ex animali & rationali: hoc est falsum: ergo à destructione cõsequẽtis genus & differẽtia non cõponunt speciem, vt duæ res tertiã: quod erat probandum. Consequentia patet ex se: falsitas vero cõsequẽtis ꝓbatur, ex eo quòd nulla pars prædicatur de suo toto, vt suprà dictum est. Habetur quarto Topic. cap. 11. Animal autem prædicatur de homine: similiter rationale: dicimꝰ enim, quod homo est animal, & quod est rationalis.

ADVERTENDVM est ꝙ S. Th. in tex. explicãdo Maiorẽ exẽplariter dicit, ꝙ hõ dicit̃ esse ex anima & corpore, sicut ex duabꝰ rebꝰ tertia res. Circa q̃ verba dubitat̃ qũo hoc sit verũ, eius doctrinã sustinẽdo ponẽtis vnicã formã substantialẽ. In cõposito quæcũq; enim sunt idẽ realiter, nõ cõstituunt aliq̃d, vt duæ res tertiã: perfectio aut̃ autẽ corporea, & anima sunt idẽ realiter, si vnica forma ponit̃ quomõ ergo constituẽt hominẽ, vt duæ res tertiam?

¶ Hanc

¶ Hanc dubitationē propter eius magnam difficultatem diuersimodè soluunt. Quidam dicunt, corpus & anima non sunt secundum rem partes hominis, sed secundum rationem tantùm: licet enim anima sit verè pars, corpus autem secundum rem est totum, dicit enim cōpositum ex materia & forma, quæ est anima: ideo non est compositus ex anima & corpore tanquam ex duabus partibus secundum rem, sed secundum rationem, sed bene est cōpositus ex eis tanquam ex duabus rebus: eo modo, quo totum & pars sunt duæ res, vt tertia res secundum rationem distinctam ab altera, scilicet corpore: & secundum rem ab altera, scilicet anima.

¶ Alij dicūt, & in idē redit, quod homo est compositus ex anima & corpore, sicut ex causa formali, & eo cuius est causa formalis. Diuersæ enim res sunt secūdū Auic. causa formalis, & id cuius est causa formalis: sicut lucidum est cōpositū ex luce & lucido. vnde & isti dicunt, quòd est compositus homo ex duabus rebus, scilicet ex toto & ex parte: sed non ex duabus partibus secundum rem.

¶ Alij dicunt, q̄ locutio ista est intelligēda per synecdochen: Homo est compositus ex anima & corpore ratione suæ partis, s. materiæ. Mihi autē pro nunc videtur dicendū, q̄ homo est cōpositus ex anima & corpore, non solùm tanquā ex duabus rebus tertia res: sed tanquā ex duabus partibus secundū rem totū, accipiendo corpus, non vt est genus, sed vt significat partem, & accipiēdo animam præcisè, vt diffinitur secūdo de Anima. Significat autem corpus sic acceptum cōpositū ex materia & perfectione corporea præcisè. Anima verò perfectionem vitalem præcisè. Probatur intentum sic: Corpus differt realiter ab anima, & non vt totum à parte, ergo vt pars à parte. Probatur media: quia totum confusè saltem includit partē, corpus autem sic acceptū excludit animam: vnde in diffinitione animæ ponitur corpus, vt subiectū deferens animam: vt ibi dicit S. Tho. Prima propositio est ex se euidens, & ab omnibus concessa. Consequentia autē ex sufficienti diuisione robur trahit: oportet enim vel vt totum à parte, vel vt pars à parte, corpus realiter differre ab anima: si realiter differūt: homo igitur est cōpositus ex corpore & anima tanquam ex partibus realiter distinctis: qđ erat intentū. Et aduerte q̄ corpus, pars cùm importat corporeitatem præcisè extra ipsum, est idēitas perfectionis corporeæ ad animā, seu perfectionē vitalē: accidit enim, accidente extraneo corpori præcisē, quòd eius perfectio sit idem cum anima: per se enim præscindit animā: & ideo per se loquēdo sub tiliter dictū est, hominē componi realiter ex anima & corpore. Vnde secundū hoc ad obiectionē deductā, dic q̄ licet perfectio corporea, seu forma corporeitatis sit eadē realiter animæ: corpus tamē aliud est realiter ab anima, & ipsa perfectio corporea, per se loquendo, non est eadē realiter ipsi animæ: imo ipsam excludit præcisè accepta: & ideo corpus & anima cum præcisioone, per se loquendo realiter partes ipsius hominis conceditur esse. Huic responsioni fauent verba text. vbi assignatur pro causa dicti præcisio animæ à significato corporis. Quod dicimus de corpore est anima respectu animalis, dicere poteris de animali & anima intellectiua respectu hominis, de corpore & forma lapidis respectu lapidis: & sic de aliis, semper accipiēdo terminos præcisè pro partibus, licet non consuetū sit dici inanimata cōponi ex corpore & forma specifica, sicut animata ex anima & corpore, propter latētē differentiā inter corporeitatē & formā inanimatorū: & etiam quia forma animatorū eleuat cōpositū ad hoc q̄ moueat seipsum oportuit in ipso distinguere partem mouentē, & partē motā: animā scilicet & corpus: quod nō inuenitur in formis inanimatorū.

ADVERTĒ secundò, q̄ S. Th. ad clarificādā minorem dicit, q̄ homo nō est ex animali & rationali, sicut ex duabus rebus tertia res: sed sicut intellectus tertius ex duobus intellectibus. Vbi sciendum, q̄ genus, species & differētia possunt accipi tripliciter. Primò modo pro re significata per nomen genericū, specificū, & differentiale primæ intentionis. Secundò modo pro cōceptu formali taliū nominū. Tertiò modo pro re significata per eorum nomina secundæ intētionis: verbi gratia, Anima, homo, & rationale possunt accipi primò pro re significata per hæc nomina: secundo pro cōceptibus eorū formalibus: tertio pro relationibus generis, speciei & differentiæ: primo modo nec species nec diffinitio est composita ex genere & differentia, eo q̄ res significata per speciē & diffinitionem est eadē realiter cum re significata per genus & differentiā: idē enim nō cōponitur ex seipso. Tertio modo similiter nec species nec diffinitio est composita ex genere & differentia, eo q̄ relatio speciei relatiuè apponitur relationi generis, vt dicitur à Porphyrio. Nullum autem correlatiuum componitur ex suo correlatiuo, & vniuersaliter non apparet quomodo relatio possit cōponi ex aliis relationibus: vnde sicut relatio quam significat hic nomen Propositio, non est composita ex relatione prædicati ad subiectum: sed est relatio attributa ab intellectu ipsi cōplexo ex prædicato & subiecto: ita relatio diffinitionis est relatio attributa tali formato conceptui in prima operatione intellectus explicanti distinctè genus & differentiam.

¶ Secūdò verò modo tam species, q̄ diffinitio est cōposita ex genere & differētia: cōcept⁹ enim formalis speciei integrat' ex conceptu formali generis & cōceptu formali differētiæ tāq̄ ex duab⁹ partib⁹: verbi gratia, Cōceptus formalis hoīs est aggregatū qđ ex cōceptu formali animalis, & cōceptu formali rationalis. Quod ex supradictis sic deducit': ex eo enim q̄ ostēdim⁹ gen⁹ & differētiā & speciē differre in significato formali, liq̄t q̄ cōcept⁹ formalis animalis est cōcept⁹ pfectionis sensitiuæ, & cōceptus formalis rationalis est cōcept⁹ pfectionis intellectiuæ, & cōcept⁹ formalis hominis est cōcept⁹ vtriq; perfectionē cōplectēs ex illis tanq̄ cōcept⁹ 3. illorū adunatione formatus: & sic hō est ex animali & rationali tanq̄ intellectus 3. ex duobus intellectib⁹: id est tanq̄ conceptus tertius ex duobus cōceptibus & nō tanquam res ex duabus rebus: & q̄a nulla pars vt pars prædicat' in recto de suo toto: ideo intellect⁹, siue cōcept⁹ formalis animalis nō prædicat' in recto de intellectu, id est cō ceptu formali hominis. Ista enim est falsa, Cōceptus formalis hominis est conceptus formalis animalis: quia cō ceptus formalis hominis aggregat totum ex intellectiua & sensitiua perfectionis cōiunctū: conceptus verò formalis animalis non nisi partē, s. perfectionē sensitiuā dicit: licet, vt suprà dictū est, secū dū conceptū seu significatū materiale & formale simul totū dicat. homo ergo secūdū suū formalē intellectū seu conceptū acceptus nō est animal, neque rationale: sed ex animali & rationali. Et sicut dictum est de homine, qui est species, ita dicito de animali q̄ est diffinitio: animal enim rationale secūdū suū formali conceptum nō est animal neque rationale, sed ex animali & rationali: differt nanque formalis cōceptus animalis rationalis à cōceptu formali animalis, & à conceptu rationalis, sicut totum à partibus.

HOC AVTEM q̄ dictū est, cōceptū formalē, s. speciei & diffinitionis cōponi ex cōceptibus formalibus generis & differentiæ pōt dupliciter intelligi, vno modo de cōceptu mentali, alio modo de conceptu obiectali formaliter sumpto. Si primo modo, adhuc dupliciter intelligi pōt. Vno modo de cōceptu mētali secūdū esse subiectiuū, seu secūdū id qđ est. Alio modo de illo secūdū esse repræsētatiuū: cōcept⁹ mētalis speciei, secūdū id qđ est, nō est cōpositus ex cōceptibus mētalibus generis & differētiæ secūdum id q̄ sunt, eo q̄ oēs sunt qualitates simplices, nec possunt distingui in plures partes cōponētes. Nō enim est imaginandū, cū intellect⁹ fomat conceptum diffinitionis hominis, s. animal rationale, q̄ for met plures conceptus, sed vnum tantū: qui est quædā simplex qualitas, distincte singulas repræsentātē, sicut & in re extra, res diffinita est habēs rē generis & differentiæ absq; cōpositione reali: vt hoc primo modo dictū nostrū nō est verū: cōceptus verò mentalis speciei secūdū esse repræsentatiuū formaliter accept⁹ est cōpositus ex cōceptibus mētalib⁹ generis & differētiæ secūdū esse repræsentatiuū formaliter acceptis, sicut idolū repræsentans totum ex idolis partiū: homo enim in mente repræsentat aggregato ex pfectione sensitiua & intellectiua: animal verò in mente formaliter nō repræsentat nisi pfectionē sensitiuā, rationale aūt nō nisi intellectiuā: vnde hoc nō verificat' dictū nostrū. Cōceptus autem obiectalis speciei formaliter sumpt⁹, cū nihil aliud sit, quā significatū formale, cōcept⁹ mētalis eiusdē est cōpositus secūdū rōnem ex cōceptibus obiectalibus generis & differētiæ formaliter acceptis: sicut significatū formale speciei est cōpositū secundū rationē ex significatis formalib⁹ generis & differētiæ, vt suprà ostensum est: vñ hō accept⁹ vt est obiect⁹ conceptui mētali. suo, s. specifico non est animal neq; rōnale: sed ex animali & rōnali, accipiēdo ēt animal & rōnale, secūdū q̄ obiecta sunt suis mētalibus conceptib⁹: vt ostēdit falsitas huius propositiōis, Obiectū formale specificū est obiectū formale genericum, siue differētiale: dicit enim hō vt sic aggregatū est pfectiōe sensitiua & intellectiua: animal verò vt sic nō nisi vnā partē aggregati, s. sensitiuā naturā, & rōnalem, vt sic nō nisi alterā partē, s. intellectiuā perfectionē. Manifestum est ante q̄ aggregatū nō est aliquod aggregatorū: vñ & hoc modo dictū nostrū veritatē cōtinet: & est maxime ad propositum. Et sic animal quo ad rē importatā, nec est pars nec totum respectu hominis & animalis rationalis, quo ad significatū verò materiale & formale simul est totū: quo ad significatū formale aūt est pars tā obiectaliter q̄ repræsentatiue sumptū. Vnde cū dico, Homo est animal rōnale, si res ipsa solū attēdat, nec pariis, nec totī⁹ rō habet: si verò res ipsa ac significata, s. implicite includens inferiora inspiciat, totius rōnē habet: si aūt res ipsa sit significata attendatur secūdū id, qđ explicite includit vt sic: partis rationem sortitur, propter quod animal ponitur in diffinitione hominis, vt res: res enim de re prædicatur vt totum, quia prædicat' in recto, & vt pars, quia additur differentia, quæ aliud explicat, &c.

¶ Quod suprà diximus de specie, dicito de diffinitione, seruato semper eo q̄ dicitur 1. Physic. tex. com. 5. s. q̄ diffinitio diuidit in singula: non autem species. Nec fallaris, nostra dicta in hac materia legēs, & suprà (quoniā suprà) nec conceptum formalē conceptum mentalem distinctum contra obiectalem accepimus, in hac materia verò per intellectū seu cōceptū formalē tā mentaler q̄ conceptum, quàm obiectalē formaliter sumptū intelligi volum⁹.

Quam-

Quamuis autem genus significet totam essentiam speciei, non tamen oportet vt diuersarum specierum, quarum est idem genus, sit vna essentia: quia vnitas generis ex ipsa indeterminatione vel indifferentia procedit: non autem ita quod id quod significatur per genus, sit vna natura numero in diuersis speciebus, cui superueniat res alia, quæ sit differentia determinans ipsum: sicut forma determinat materiam, quæ est vna numero: sed quia genus significat quandam formam, tamen non determinate hanc vel illam, quam determinate differentia exprimit, quæ non est alia quam illa, quæ indeterminate significabatur per genus: & ideo dicit Cōmentator in 11. Metaphysico. quod materia prima dicitur vna per remotionem omnium formarum, sed genus dicitur vnum per communitatem formæ signatæ: vnde patet, quod per additionem differentiæ remota illa indeterminatione, quæ erat causa vnitatis generis, remanent species diuersæ per essentiam.

¶ In quarta parte capituli huius intendit excludere talem obiectionem, Quæcunq; habēt vnum genus, habēt vnā essentiā: diuersæ species habent vnū genus: ergo diuersæ species habēt vnā essentiā, qđ est falsum, quia species differūt essēnaliter. Maior p̄batur ex eo, q̄ genus secundū prædicta dicit tāram essentiā speciei rum. Et licet ista obiectio facilitet solui posset, dicendo q̄ species habent eandem essentiā genericè, non tamen specificè: quia tamen argumentum altiorem difficultatem petit, ex altiori principio respondere oportuit. Inducta est enim hæc obiectio ad concludendum diuersas species habere eandem essentiam simpliciter, & non genericè: vt patet ex medio assumpto ita arguendo, Ea quorum tota essentia est vna, habent eandem essentiam simpliciter: diuersarum specierum eiusdem generis, tota essentia est vna: ergo diuersæ species eiusdem generis habent eandem essentiam simpliciter. Minor patet ex eo, quod genus dicit totam essentiam specierum, & est vnum in eis.

¶ Ad huius obiectionis exclusionē declarat quomodo genus est vnū & innuit talē distinctionē. Aliquid significat vnum dupliciter: vno modo per positionem vnius determinate rei significatæ: alio modo per indifferentiā seu indeterminationē plurū rerum importatum. Primo modo genus non significat vnū, sed secundo modo. Illud enim primo modo significat vnū, cuius significatum secūdū se acceptū est vna aliqua natura & determinata: sicut homo significat humanitatē, quæ est certa & determinata natura, s. humana. Illud autē, qđ significat vnū secūdo modo, habet significatum, non aliquā determinatam naturam, sed plures naturas indeterminate: sicut animal significans perfectionē seu naturā sensitiuā non significat aliquam certā & determinatā naturā siue formam: nulla enim est in vniuerso forma, quæ sit anima sensitiua, sed quælibet est vel bouina, vel leonina vel humana, &c. vnde dicitur 7. Phys. tex. com. 31. quòd iuxta genus latent multa. & 10. Meta. tex. com. 34. quòd natura generis diuersa est in speciebus. & 1. de Anima, tex. com. q̄ ratio animalis secūdū vnūquodque animal est altera: est igitur genus vnū secundo modo. vnde ad formā rationis dicitur secundum præmissam distinctionem: q̄ quorum est tota essentia vna primo modo, eorum est essentia eadem simpliciter, non autem quorum tota essentia est vna secundo modo: sicut est in proposito. specierum enim totam essentiam non adunat genus nisi vnitate indeterminationis.

ADVERTENDVM autē est in litera appositā fuisse differentiā inter vnitatē generis & vnitatem materiæ primæ ad maiorem prædictorum euidentiam: quam etiam differentiam ponit Commen. 12. Metaphy. Commen. 14. vbi nota quòd de materia contingit loqui dupliciter. Vno modo, vt est quoddam totum vniuersale respiciens hanc materiam, vel illam, vt partes subiectiuas: & sic de ipsa modo non est sermo. idem enim est iudicium de eius vnitate & de vnitate cuiusque vniuersalis. Alio modo contingit loqui de ea solitarie sumpta secundū se: non prout est vniuersalis, aut particularis, neque prout est in hac specie vel illa: & sic de ea loquitur Commen. ibi, & S. Tho. hic. differunt ergo vnitas materiæ sic accepta & vnitas generis in hoc, quòd vnitas materiæ est vnitas numeralis fundata supra determinatam rem: vnitas verò generica est vnitas non numeralis, sed indeterminationis fundata supra diuersas naturas indeterminate. Cùm autem audis vnitatem materiæ primæ esse vnitatem numeralem intellige negatiue, non positiue. Dicitur enim aliquod vnum numero dupliciter: positiue scilicet & negatiue, illud est numero positiue quod est vnum per positionem proprietatis seu differentiæ numeralis: sicut Sor. & hoc modo materia prima secundum se non est vna numero: quia nullam proprietatem individualem includit. Illud est vnum numero negatiue, quod vniuersale cum non sit, est non plura numero. hoc autem est illud, quod nullum distinctiuum includit in se: vnde plura litatem & numerum habere queat: & hoc modo materia prima secundum se est vna numero: & talis vnitas numeralis fundatur supra determinatam entitatem illam, s. quæ est materia: quæ nullum distinctiuum includit, cum ab omni denudata sit actu, cuius est distinguere: & ideo dicit Com. & materia est vna per remotionem omnium formarum: quia vnitatem suam negatiuè habet, ex hoc quod nō habet distinctiuas formas. Genus autem non esse vnum numero neque positiuè, neq; negatiuè fundatur supra certam & determinatam rem: quod in genere non inuenitur, dicit enim genus plures naturas & res, ex quibus numerari potest. Sed & quod genus sit vnum vnitate indeterminationis, ex eo patet q̄ naturæ plures per genus importatæ non aduanantur in eius significatione, nisi propter hoc, quod indeterminate significat eas: animal enim ideo adunat in se equum, bouem, leonem, & c. quia non determinate explicat quis eorum sit habens perfectionem sensitiuam, & ideo dicit Com. ibi, quòd genus est vnum per communitatem formæ significatæ, id est ex eo quòd communiter, & non determinate formas significat. Vnde & patet quomodo proposito S. Tho. deseruit inducta authoritas. Si enim materia & genus in hoc differunt quod materiæ vnitas est per negationem formarum supra entitate determinata fundata, & genus non est vnum, nisi propter hoc quod significat communiter plura, consequens est quod genus non sit vnum nisi ex indeterminatione: quod erat propositum.

Et quia, vt dictum est, natura speciei est indeterminata respectu individui, sicut natura generis respectu speciei, inde est quod sicut id quod est genus, prout prædicatur de specie implicite in sua significatione, quamuis indistincte: totum id quod determinatè est in specie, ita id quod est species secundū quod prædicatur de individuo: oportet quòd significet totum, quod essentialiter est in individuo, licet indistinctè, & hoc modo essentia speciei significatur nomine Hominis: vnde homo de Socrate prædicatur. Si autem significatur natura speciei cum præcisione materiæ signatæ quæ est principium individuationis, sic se habebit per modum partis: & hoc modo significat nomen humanitatis. humanitas enim significat id vnde homo est homo. Materia autem signata non est illud, vnde homo est homo: & ita nullo modo continetur inter illa, ex quibus homo habet quod sit homo: cum igitur humanitas in suo intellectu includat tantum ea, ex quibus homo habet, quòd sit homo, patet quòd a significatione eius excluditur, vel præscinditur materia determinata vel signata. Et quia pars non prædicatur de toto, inde est, quod humanitas nec de homine, nec de Socrate prædicatur: vnde dicit Auicenna, quod quidditas compositi non est ipsum cōpositum, cuius est quidditas, quamuis etiam ipsa quidditas sit composita, sicut humanitas, licet sit composita, non tamen est homo, imo oportet quòd sit recepta in aliquo, quod est materia signata. Sed quia, vt dictum est, designatio speciei respectu generis est per formas, designatio autem individui respectu speciei est per materiam: ideo oportet vt nomen significans id, vnde natura generis sumitur, cum præcisione formæ determinatæ perficientis significet partē immaterialem totius: sicut corpus est pars materialis hominis: nomen autem significans id, vnde sumitur natura speciei cum præcisione materiæ designatæ, significat partem formalem: & ideo humanitas significatur vt forma quædam. Et dicitur quòd est forma totius, non quidem quasi superaddita partibus essentialibus materiæ & formæ, sicut forma domus superadditur partibus integralibus eius, sed magis est forma, quæ est totum, scilicet forma completens & materiam: cum præcisione tamen eorū, per quæ materia est nata designari. Sic ergo patet, quòd essentia hominis significatur hoc nomine, homo, & hoc nomine, humanitas: sed diuersimode, vt dictum est: quia nomē homo significat eam vt totum: inquantū scilicet nō pretendit designationem materiæ, sed implicite cōtinet eam, & indistinctè, sicut dictū est, quòd genus continet differentiā: & ideo prædicatur hoc nomen homo de individuis: sed hoc nomē humanitas significat eam vt partem: nec continet in sua significatione nisi id quod est hominis, inquantum homo: & præscindit omnem designationem materiæ, vnde de individuis hominis non prædicaretur: & propter hoc quandoque hoc nomē essentia inuenitur prædicatum de re, dicitur enim Socratis essentia quædam: & quandoque negatur, sicut dicimus quod essentia Socratis non est Socrates.

¶ In hac quinta & vltima parte huius capituli comparat essentiam specificā ad individuū secūdum totalitatē, partialitatem, prædicabilita

bilitatem & formalitatem.

¶ Ad quorum euidentiã aduertendum est, ꝙ sicut suprà de essentia generica dictum est, ꝙ potest significari per modum totius & per modũ partis, ita nũc dicitur, quòd essentia specifica potest accipi, vt significata nomine primę intẽtionis per modum totius, & per modum partis. Per modum quidem totius sicut essentia humana significatur per ly homo: per modum vero partis, sicut illamet significatur per ly humanitas. Differt autem ipla à se altero modo significata in hoc quòd significata per modũ totius implicitè includit indiuidua: significata verò per modum partis excludit illa à sui significatione. Quod sic declaratur exemplariter, Homo cũ significet habens naturam humanã, implicitè includit sub ly habẽs omnia indiuidua humana: habẽs enim naturam humanã est quodcunque indiuiduũ humanũ: humanitas autẽ cùm significet quo homo est homo, omne aliud ab humanitate excludit à ly: quo nullum enim aliud ab humanitate est, quo homo est homo: & ideo cũ principia indiuiduantia sint aliud ab humanitate, vt suprà dictũ est, sequitur ꝙ humanitas excludit principia indiuiduantia à sui significatione: & consequenter indiuidua, quæ sine indiuiduatione intelligibilia non sunt: sicut nec species absq; differentia intelligi potest, & cum pars vt pars non prædicetur de suo toto: omne autẽ prædicatum in recto habet rationem totius, ideo essentia primo modo, id est per modũ totius significata de indiuiduis in recto prædicatur: significata verò per modũ partis nequaquã, & propter hoc illa est vera, Socrates est homo, illa autẽ falsa, ꝓprie loquẽdo: Socrates est humanitas (vt Auic. testatur) & sic iam patet proportio essentiæ specificæ ad indiuiduũ secundum tria, scilicet totalitatem, & partialitatẽ, & prædicabilitatem.

¶ Quo ad formalitatẽ verò declaratur apposita differentia inter essentiã generica per modum partis significatã respectu speciei, & essentiã specificã per modum partis significatã respectu indiuidui. Differũt enim in hoc, ꝙ illa est pars materialis speciei, ista vero est pars formalis indiuidui. Et ratio est, ꝙ illa, scilicet essentia generica cõparatur ad alterã partem speciei, vt materia ad formam & perfectibile ad suam perfectionẽ, cum designatio, seu determinatio generis ad speciem fiat per differentiã, quæ sumitur à specifica forma, quæ perficit & complet perfectionem genericam: ista verò, scilicet specifica essentia cõparatur ad alteram partem indiuidui, vt forma ad materiã, & perfectio ad perfectibile, cùm designatio, seu determinatio speciei ad indiuidua fiat per materiam signatam, quã imperfectiorem esse specifica forma, qua essentia specifica sumitur, constat: ideo animalitas est pars materialis hominis, humanitas verò est pars formalis Socratis, & dicitur quod est forma totius non quasi superaddita, &c.

AD euidentiam horum verborum est notandum, quòd forma totius & forma partis, vt in 2. cap. visum fuit, differunt realiter: non sicut vna forma differt ab alia forma, puta albedo à dulcedine, sed sicut totũ & pars, & ideo dicitur hic, quòd forma totius non est quasi superaddita partibus, id est, non est forma addita materiæ & formæ, sicut forma domus est forma addita lignis, lapidibus, cemento, & cæteris partibus: sed magis est forma, quæ est totum, id est ipsum compositum resultans ex partibus. Quod cum per modum partis formalis significatur, forma totius appellatur, eo quòd totius est completè certificatiuum & distinctiuum & determinatiuum: hæ enim sunt conditiones formæ. Et residuum sermonis epilogus per se patens est.

CAPVT IIII.

Quanam ratione essentiæ conueniat esse genus, speciem, vel differentiam ostendit.

VISO quid significetur nomine Essentiæ in substantiis compositis, videndum est quomodo se habeat ad rationem generis, speciei, & differentiæ: quia autem cui conuenit ratio generis, speciei vel differentiæ, prædicatur de hoc singulari signato, impossibile est quòd ratio generis vel speciei, vel differentiæ conueniat essentiæ, secundum quod per modum partis significatur, vt nomine humanitatis vel animalitatis: & ideo dicit Auic. quod rationalitas non est differentia, sed differentiæ principium, & eadem ratione humanitas non est species, nec animalitas genus.

IN hoc quarto cap. intendens determinare quomodo essentia substãtiarũ cõpositarũ se habeat ad intentiones logicas, s. genus, speciẽ, differẽtiã, quatuor facit, primò sex cõclusionibus determinat intentũ: secũdò excludit quẽdam Auer. errorẽ: tertiò excludit quãdã aliã obiectionẽ: quartò respõdet cuidã tacitæ obiectioni.

¶ Pro intellectu primæ partis notãdæ sunt duæ distinctiones. Prima est ista. Natura seu essentia substantię cõpositæ põt tripliciter accipi: primò, vt significata p modũ partis: secundò, vt p se existẽs separata à singularibus: tertiò, vt significata p modũ totiꝰ. Secũda distinctio, quæ est subdiuisio tertij mẽbri est ista. Natura substãtiæ cõpositæ significata per modũ totius põt accipi tripliciter: primò, secundò se, secundò, secundum esse quod habet in singularibus: tertiò, secundum esse quod habet in intellectu.

¶ His plibatis, scias ꝙ secũdũ singula mẽbra harũ diuisionũ ponit singulas cõclusiões: secũdũ prima qdẽ duo mẽbra vtriusq; diuisionis ponit quatuor negatiuas: secũdum verò vltima vtriusq; diuisionis ponit duas affirmatiuas, ita ꝙ secũdũ quãliber diuisionẽ primò ponit duas negatiuas, deinde tertiã affirmatiuã: & sic siũt sex cõclusiones.

¶ Prima ergo cõclusio negatiua est, Essentia substãtiæ cõpositæ significata pmodũ ptis, sicut animalitas, humanitas, rationalitas, nõ est genꝰ neq; species neq; differẽtia. Quã ꝓbat sic, Tã genꝰ, quã species, quã differẽtia prædicatur in recto de hoc particulari supposito, puta Socrate: essentia substãtiæ cõpositæ significata per modum partis non prædicatur in recto, de hoc particulari supposito: ergo essentia taliter significata nõ est genus, nec species, nec differentia. Omnes propositiones patent ex præcedenti ca. & ideo dicit Auic. quòd rationalitas, quæ significat per modum partis, nõ est differentia, sed principium differentiæ: & similiter animalitas non est genus, sed generis principium: & humanitas non est species, sed speciei principium, sicut albedo est principium albi, & pars est principium eius, cuius est pars.

Similiter etiam non potest dici, quod ratio generis, speciei, differentiæ conueniat essentiæ, secundum quod est quædam res existens extra singularia, vt Platonici ponebant: quia sic genus & species non prædicarentur de hoc indiuiduo: non enim potest dici quòd Socrates sit hoc, quod ab eo separatũ est. Nec separatum illud proficit in cognitione huius singularis signati.

¶ Hic ponit secũda cõclusio negatiua. Essentia substãtiæ cõpositæ per se nõ in singularibꝰ existẽs nõ est species siue genꝰ. Et probat eam duplici ratione. Primò sic, Genus seu species prædicatur de hoc particulari essentia per se subsistens non in singularibus, non prædicatur de hoc particulari: ergo essentia per se subsistens non in singularibus non est genus seu species. Maior patet, Minor probatur sic, Subiectũ. i. qd in recto de eo prædicatur: Sortes non est homo separatus: ergo Socrates non est subiectũ respectu hominis separati: ergo homo separatus non prædicatur de Sorte: quod erat assumptũ in Minore. Secũdò sic, Genus seu species est id, quo indiuidua cognoscuntur: essentia per se subsistens non in singularibus non est id, quo indiuidua cognoscuntur: ergo essentia per se subsistens non est genus neque species. Maior patet ex eo quòd vnumquodque per suum genus, speciem, differentiam cognoscitur. Minor verò ex eo, ꝙ vnũquodq; cognoscitur quiditatiuè per id quod est in eo: & non per id quod non est in eo.

Et ideo relinquitur, quod ratio generis, vel speciei, vel differentiæ conueniat essentiæ, secundum quod significat per modum totius, vt nomine Hominis, vel animalis prout implicitè & indistinctè continet totum hoc, quod in indiuiduo est.

¶ Hic ponitur 3. conclusio affirmatiua: Essentia substantiæ compositæ significata per modum totius est species, genus vel differentia, &c. probatur sic, Genus, species seu differentia substantialiter cõtinet & implicitè totum, qđ est in indiuiduis: essentia substantiæ compositæ non nisi significata per modum totius continet implicitè totum esse indiuiduorum: ergo essentia substantiæ compositæ significata per motum totius est genus vel species vel differentia. Proportiones omnes ex præcedenti ca. patent: vbi dicimus genus, speciẽ, differentiã, cõuenire in hoc ꝙ significãt totũ qđ est in inferioribꝰ, & sua abstracta excludere ea quæ sunt in inferioribꝰ: est igiẽ animal genꝰ, homo species, ratiõale differẽtia.

Natura autem vel essentia sic accepta potest dupliciter considerari. vno modo secundum naturam & rationem propriam: & hæc est absoluta cõsideratio ipsius: & hoc modo nihil est verum de ea dicere, nisi quod cõueniat sibi, secundum quod huiusmodi. Vnde quicquid aliorum sibi attribuitur, falsa est attributio: verbi gratia, Homini in eo, quod est homo, cõuenit rationale & animal, & alia quæ in eius diffinitione cadũt, album verò vel nigrum vel quodcunque huiusmodi, quod non est de ratione humanitatis, non conuenit homini in eo, quòd est homo. Ideo si quæratur vtrũ ista natura possit dici vna vel plures, neutrum concedendum est, quia vtrunque est extra intellectum humanitatis, & vtrunque potest sibi accidere. Si enim pluralitas esset de ratione eius, nunquã posset eẽ una: cũ tamẽ vna sit secũdũ quòd est ꝑ Socrate. Similiter si vnitas esset de intellectu & ratione eius: tũc esset vna & eadem natura Socratis & Platonis, nec posset in pluribus plurificari. Alio modo cõsideratur, secũdum quòd habet in se in hoc vel in illo: & sic de ipsa prædicatur aliquid per accidens ratione eius in quo est: sicut dicitur quod homo est albus, quia Socrates est albus, quamvis homi-

uis hominis albedo differat ab eo, quòd est homo. Hæc autẽ natura habet duplex esse, vnum singularibus, aliud in anima: & secundum vtrunque consequuntur accidentia dictam naturam: & sic in singularibus habet multiplex esse secundum diuersitatem singularium: & tamen ipsi naturæ secundum propriam considerationem, scilicet absolutam, nullum istorum esse debet, falsum enim est dicere, quòd natura hominis, inquantum huiusmodi, habeat esse in hoc singulari. Si enim esse in hoc singulari conueniret homini, inquantum est homo, non esset vnquam extra hoc singulare. similiter si conueniret homini inquantum est homo, non esse in singulari, nunquam esset in eo. Sed verum est dicere, quòd homo, inquantum est homo, non habet quòd sit in hoc singulari vel in illo. patet ergo quòd natura hominis absolutè considerata abstrahit à quolibet esse: ita quòd non fiat præcisio alicuius eorum: & hæc natura sic considerata, est quæ prædicatur de omnibus indiuiduis.

¶ Hic antequã ponatur quarta cõclusio, inchoat secũda diuisio suprà posita, cuiꝰ terminos oportet ꝓdeclarari ad intellectũ cõclusionum natura ꝙ modũ totius significata, secũdũ naturã seu rationẽ propriã, vel secundũ se, idẽ sunt ꝙ natura cõsiderata secundũ eas cõditiones, siue ea prædicata, quę conueniũt sibi ex sua diffinitione, seu in primo modo dicẽdi per se. Natura verò secundũ esse in singularibus idem sonat quod natura considerata secundum eas cõditiones: siue secũdũ ea prædicata, quæ conueniũt sibi ex hoc, ꝙ in singulari vel in singularibus esse habet. Natura autẽ secundũ esse in intellectu idẽ sonat quod natura considerata secundũ eas conditiones, siue illa prædicata quæ conueniunt sibi ex hoc, quòd habet esse in intellectu. Differunt autẽ quadrupliciter, vt ex textu colligitur, conditiones conuenientes naturæ secũdum has diuersas acceptiones, eo ꝙ cõditiones debitę naturæ secũdũ se sumptæ sunt prædicata essentialia. homo eñ secũdũ se nõ est nisi animal rationale, cõditiones verò debitæ naturæ reliquis duobus modis sunt prædicata denominatiua: homo eñ nõ est res illa, q̃ cõuenit ei ex esse in singularibus, sed ab ea denominatur: nõ eñ homo est albedo q̃ cõuenit ei ex hoc ꝙ est in Socrate, sed ab ea denominatur albus. Similiter homo non est res illa q̃ cõuenit ei esse in intellectu, puta relatio vniuersalitatis, aut speciei, sed nominatur ab ea vniuersalis, & species. Et licet hæc duo vlt. mẽbra in hoc cõueniãt ꝙ attenduntur penes ꝓdicata denominatiua: differũt tñ quia ꝓdicata denominatiua, q̃ cõueniunt naturæ secũdum esse in singularibus, aliquid ponunt reale suprà ipsam, sicut albũ addit suprà hominẽ, naturã albedinis q̃ est ens reale: ꝓdicata verò denominatiua q̃ cõueniũt rei, secundũ esse in intellectu nihil ponũt reale suprà naturã ipsam: sed denominationẽ negatiuã, aut relatiuã secũdũ aliquã relationẽ rationis. Cũ eñ dico, Homo est species, ly species, nihil reale addit suprà hominẽ, sed solã relationem rationis, quã respicit suum genus: species enim generis est species.

¶ Secundò differũt istius diuisionis positæ mẽbra in hoc ꝙ natura absolutè sumpta nec est vna numero, nec plures numerò. si eñ esset vna numero, nõ posset reperiri in pluribus numero: ꝙ patet esse falsum, eo ꝙ natura humana est in Socrate & Platone. Cõsequẽtia ꝓbatur sic, Natura secũdũ se est vna numero: ergo nõ põt esse distincta numero: ergo nõ põt reperiri in pluribus numero: ꝙ erat intẽtũ. Prima consequẽtia harũ ex eo est clara, quia impossibile est alicui cõuenire oppositũ eius quod cõuenit ei secundum se: sicut impossibile est homini cõuenire irrationale, distinctio autem numeralis est oppositа vnitati numerali, & ideo si natura secundum se habet vnitatẽ numeralẽ, nũquã habere põt distinctionẽ numeralẽ. Similiter ꝓbatur, ꝙ natura secundũ se nõ sit plures numero: sequeretur eñ naturã humanam nõ esse in Socrate, quia nõ posset habere vnitatẽ numeralẽ, ex quo vẽdicat sibi secundũ se distinctionẽ numeralẽ. Natura aũt sic̃ dm esse in singularibꝰ vnitatẽ & distinctionẽ numeralem sortitur: ꝓpterea nãq; hõ est vnus numero, q̃a Socrates est vnꝰ numero: & ꝓpterea hõ est distinctus numero in pluribus, q̃a Socrates & Plato sunt distincti numero.

¶ Tertiò differunt in hoc, quia natura secundũ se sumpta nullum esse sibi vendicat. s. nec esse in singulari aut singularibus, nec esse in intellectu: nec etiã vẽdicat sibi non esse in singulari & singularibus, aut non esse in intellectu, quod patet ex eisdẽ fundamẽtis. si enim esse in singulari esset de ratione sua, nunquã extra illud inueniretur: cum nihil inueniatur extra id quod est de eius ratione. similiter si esse in singularibꝰ esset de eius rõne, modò posset in vno inueniri: q̃a in vno natura existẽs nõ est in pluribꝰ. similiter si esse in intellectu esset de rõne eius, nunquã posset extra intellectũ reperiri, eodẽ modo si non esse in singularibus, aut singulari esset de eius rõne, nũquã posset habere esse in aliquo singulari: & si nõ esse in intellectu esset de eius ratione, nũquam posset habere esse in intellectu ex illo fundamẽto. Nulli põt conuenire oppositũ, ꝙ est de ratiõe sui: vnũ natura absolute sumpta ab omni esse & non esse abstrahit sine ꝓcisione. i. nec includit nec excludit aliquod huiusmodi esse vel nõ esse: natura autem tã secũdo quã tertio modo accepta, alterũ illorũ esse includit, & alterum excludit. vt de se patet, homo eñ secũdum quòd est in singularibus, nõ est in intellectu: & econtra, secundũ quòd est in intellectu, non est in singularibus.

¶ Quarto differũt: quia natura per modũ totius significata secũdũ se sumpta est ea, q̃ prædicatur de indiuiduis, cum dicitur. Socrates est homo. Natura autẽ sumpta tã prout est in singularibus, quam prout in intellectu, non prędicatur de indiuiduis, quod declaratur sic, Id prædicatur de indiuiduis, quod attribuitur illis in propositione: ted natura absolutè accepta & non secundum esse in singularibus, neq; secundum esse in intellectu attribuitur indiuiduis in proportione: ergo natura absolute sumpta & non secundum esse in singulari, vel intellectu ꝑdicatur de indiuiduis. Maior est nota ex terminis. Minor declaratur exẽpliter, cum dico, Socrates est homo, sensus ꝓpositiõis est, Socrates est animal rõnale: ita quòd in ista ꝓpositione nihil attribuitur Socrati nisi esse animal rationale: q̃ sunt conditiones naturę humanæ absolute acceptæ: vt patet. nõ eñ cũ dico, Socrates est homo, attribuo Socrati aliquod debitũ naturę humanę ex esse in singularibus, aut ex esse in intellectu: nec ue attribuo Socrati habere naturã humanã cum aliquo additо: ted tãtum attribuo Socrati habere naturã humanã, seu esse animal rationale: q̃ sunt, vt dictum est, conditiones naturæ humanæ secundum se acceptæ. Natura igitur primo modo sumpta est, quę prædicatur de indiuiduis, & non natura secundo & tertio modo.

IN hoc loco antequam vlterius procedatur, dubia quædam examinãda sunt. Circa prædicta dubium est. Primò circa primam differentiam assignatam in eo, quod dictum est quòd naturæ secundum se sumptæ non insunt nisi prædicata quidditatiua, hoc enim patitur difficultatem tum propter transcendentia, tum propter quædam prędicata negatiua. si enim transcẽdentia, quę sunt, ens, res, vnum, aliquid, verum, & bonum, conuenire asserantur naturæ absolutè sumptæ erunt prædicata quidditatiua, & si sic ponatur in diffinitione: nulla enim diffinitio est cõpleta, nisi omnia prædicata quidditatiua includat: transcendentia autem in diffinitione poni omnes negant.

¶ Confirmatur contequẽtia ex dictis S. Tho. in litera, vbi habetur ꝙ q̃ insunt natura absolutè sunt de diffinitione illius. si autẽ transcẽdẽtia dicãtur nõ cõuenire naturæ absolutè, tũc homo secũdũ se sumptus nõ est aliqd, nec res, nec vnũ quid: qđ omnino negatur.

DE Prædicatis verò negatiuis occurrit difficultas talis: quia negationes naturarum disparatarum si conueniũt naturæ absolutæ erunt ꝑdicata quidditatiua: & sic negatio erit de diffinitione substantiæ. Si autem conueniunt naturæ secundum esse in singularibus vel in intellectu, tunc accipiendo hominem absolutè, ista erit falsa, homo non est Leo: quod videtur irrationabile.

AD horum dissolutionem considerandum est primò, quomodo transcẽdentia se habeãt ad naturas rerum, suprà quas cadunt. vt autem suprà in quæstione de significatione entis tactum fuit, nullum trãscendẽtium importãtium gradum, seu aliam naturam à gradibus seu naturis eorum, quibus apponuntur. cum enim dico, ens homo, vnus homo, res homo, verus homo, bonus homo, aliquid homo, nullum alium gradum ab humanitate significo, sed ipsam humanitatẽ diuersis modis, ly enim ens significat humanitatem, prout habet esse: ly vnus, illã prout non est diuisa formaliter: ly res, illam prout latitudinem habet, vt pote non ex intellectu fabricata: ly bonum, ipsam, prout perfectiua est appetitus: ly verũ, ipsam vt perfectiua est intellectus: ly aliquid, ipsam, vt aliud quid est ab aliis. Simili modo est dicendum accepto quocunque gradu generico: vt faciliter exemplo manifestari potest.

Considerandum est secundò, quòd cùm primũ inter transcendẽtia sit ens (eo quòd eius ratio cæterorum rationes præuenit) & omnia conuertantur cum ente, tanquam eius passiones, cùm declaratum fuerit quomodo ens conueniat naturis rerum, planum erit de cæteris. Scotus ergo primo sen. dist. 3. q. 3. opinatur ens esse vniuocum & prædicari inquit de omnibus inferioribus, exceptis vltimis differentiis. Et primum quidem horum, tanquam per se notum supponens, secundi duplicem rationem reddit.

¶ Primò, quia si differentiæ includãt ens vniuocè dictum de eis, & non sunt omnino idem: oportet quòd sint diuersa aliquid idem entia, & consequẽter sequitur, quòd differẽtiæ vltimę sint propriè differentes, & sic habent alias differentias, & non sunt vltimæ.

¶ Secundò, quia sicut ens compositũ in re est compositũ ex actu & potentia: ita conceptus compositus per se vnus est cõpositus ex conceptu actuali & potentiali determinabili & determinante. Sicut ergo resolutio compositi in re stat ad simpliciter simplicia, scilicet actum vltimũ & potentiã vltimã: ita quòd actus nihil potentiæ, & potentia nihil actus includat: ita resolutio conceptus debet stare ad conceptus simpliciter simplices actualẽ & potentiã determinabilẽ tãtũ, ita quòd nihil determinãtis includat: & determinãtẽ tãtũ, ꝙ nihil determinabilis includat. tales sunt conceptus entis & vlt. differentię: ergo vlt. differentia non includit formaliter ens.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONTRA primum arguitur: quia sequeretur, quòd ens poneretur in diffinitione, contra Arist. 6 & 10 Meta. tex. com. 16.

¶ Præterea sequitur, quòd esset negatio in diffinitione, vt suprà in quæst. de vniuocatione entis deduximus.

¶ Contra secundũ dictum arguo sic. Omne id de quo formaliter sumpto prædicẽtur in secundo modo passiones entis includit in se formaliter ens: sed de vltima differẽtia formaliter sumpta prædicãtur in secundo modo passiones entis: ergo vlt. differentia includit in se formaliter ens. Minor pater, quia vlt. differentia est per se vna & intelligibilis: Maior probatur sic, Omne formaliter includens medium proprium à priori, per quod demonstrãtur passiones entis, includit in se formaliter ens, patet ista: quia entis conceptus est illud mediũ. Sed omne id, de quo formaliter sumpto prædicantur in secundo modo passiones entis, includit in se formaliter medium, per quod tales passiones de eo sunt demonstrabiles: ergo omne tale includit formaliter ens. Patet ista Minor, quia implicat oppositum. Si enim formaliter A non includit propriũ mediũ cõcludendi B, quomodo de A formaliter sumpto erit à priori demonstrabile B? Secundo arguo, & in idem redit: Omnis passio cõueniens pluribus formaliter sumptis, cõuenit eis ratione alicuius communis in ejs formaliter inclusi, cui illa passio primò cõuenit: sed vnitas vel intelligibilitas est passio cõueniens omnibus vltimis differentiis formaliter sumptis: ergo cõuenit eis ratione alicuius communis formaliter inclusi in eis, cui primò conuenit: tale autẽ est ens: ergo omnes differentiæ vltimæ includũt ens. Minor est per se nota. Maior est Arist. primo Posteriorum. Nec põt dici ad Maiorem, quòd sufficit subiectũ denominatiuè includi in eis, quibus formaliter sumptis cõuenit passio illius subiecti. Quia cum tota ratio quare passio alicuius insit alteri, sit participatio illius subiecti primi: si alicui formaliter sumpto inest passio, eidem formaliter sumpto inest & subiectum: & si formaliter sumptũ subiecti expers est, quomodo formaliter sumptum illius passionem habere potest? Vt arguatur sic, Id quod formaliter sumptũ à se subiectum excludit, etiã à se passionem excludit: sed vltimæ differẽtiæ formaliter sumptæ non excludunt à se passiones entis in secundo modo: ergo nec excludunt ens in primo modo. Nec patiantur aures tuæ audire responsionẽ Fracisci de Mayronis dicẽtis, regulam adductam Posterioristicam Arist. non tenere in trãscendentibus. Voluntaria enim & destructiua totius Metaphysicæ glossa est.

¶ Ad rationes autẽ Scoti dicitur, quòd cum tam prima, quàm secunda supponãt ens habere cõceptum obiectũ vnum simpliciter, nihil concludit. Dicitur secundò ad secundam quòd argumẽtum à simili claudicat: licet enim sit similitudo quo ad aliquid inter cõpositum naturale & intellectuale: dissimilitudo tamen est magna in proposito, quia partes compositi naturalis mutuò se excludunt: quia quædam res speciales sunt, partes autem compositi intellectualis non possunt mutuò se excludere: quia altera (puta ens) est adeò vniuersalis vt nihil possit eam subterfugere.

AVICENNA Autem, Alpharabius & Algazel, vt testatur Albertus in Post prædicamẽtis, c. 9. opinantur, quòd ens non conueniat naturæ absolutè sumptæ. Vnde dicunt hãc consequentiam non valere, Homo est substantia: ergo homo est ens. eo quòd ens significat aliquid additum essentiæ rei: quod non est de eius ratione, quod expressè etiam de Auicenna refert Commentator 4. Met. com. 3. & 10. Meta. com. 8.

S. THO. autem cuius est opus, quod exponendum suscipimus super quarto Meta. lectu. 2. super text. com. 3. & super lectur. supra text. com. 8. expressè in hoc reprehendit Auic. vnde sententia eius non est censenda eadem opinioni Auicen. licet difficile sit videre in quo differat ab ea, cùm ipse teneat nullum aliud à Deo esse ens per suam essentiam, sed per aliquid additum suæ essentiæ & expressè dicat in quolibeto secundo, q. 2. articu. 1. ens non esse prædicatum essentiale: & in primo contra Gen. c. 39. dicat ens non cadere in conceptu substantiæ: quod est genus generalissimum.

¶ Propter quod à quibusdam dicitur, ꝙ ens dupliciter sumitur, scilicet nominaliter & participaliter. Et quod ens nominaliter quidditatiuè & intrinsecè de omnibus prædicatur: sic enim vnũquodque est ens per essentiam suam. Ens verò participaliter, cùm idem sonet quod existens, non est prædicatum quidditatiuum: sic enim nihil aliud à Deo est ens per essentiam suam: vnde secundum istos ens nominaliter conuenit naturæ absolutè, non autem ens participaliter. Addunt quoque, quòd ens nominaliter est diuisum in decem prædicamenta, & est transcendens cõuersum cum aliis, propriè loquendo, non ens secundo modo: & ideo reprehẽsibilis erat Auic. qui hanc distinctionem prætermisit.

¶ Mihi autem aliter dicendum occurrit, dico enim, quòd ens participaliter est id quod est transcendens, diuisum in decem prædicamenta. Quod ex eo patere potest, quòd S. Th. prima parte, q. 5. & 6. & in quæstione de veritate, q. 21. ostendit bonũ, quod etiam diuiditur in decem prædicamenta (vt dicitur primo Ethicorum) conuerti cum ente participaliter, non nominaliter, vt clarè patet ex duobus.

¶ Primò ex eo quod dicit, quòd cum bonum & ens conuertantur sicut res est ens, ita bona: sed non est ens per essentiam suam: ergo nec bona. In quo processu, vt fallacia æquiuocationis vitetur, non nisi de ente participaliter est sermo. Secundò, ex eo quod dicit, id, quo res formaliter est bona, non esse ens: quod dictum de ente nominaliter falsum est: quia esse actualis existentiæ, quo res est ens & bona, est ens nominaliter. Ens igitur quod conuertitur cum bono, quod est transcendens, diuisum in decem prædicamenta, est ens participaliter.

¶ Sed in Entis nomine duo aspici possunt, scil. à quo nomen Entis sumitur: scilicet ipsum esse, quo res est. Et id ad quod nomẽ Entis impositum est, scilicet id quod est. Suprà enim, in principio operis dictũ est, ens significare id ꝙ est in quolibet prædicamẽto: & in hoc differre ab essentia, quę significat id quo res in prædicamẽto reponitur. Vnde primo Physi. text. commen. decimitertij, Arist. loco ly ens, ponit ly quo est. Auicen. ergo attendens ad id, quo res est, vnde nomen entis sumptũ est, dixit simpliciter ens esse prædicatum extra essentiam rei: S. Tho. verò intuens id quod est, id quod nomen Entis impositum est, Auicennæ non adhæsit. Nàque ipsum quod est, non prædicat aliquid extra essentiam rei. Insuper aduertens, quod ipsum, quo res est, scilicet actualis essentia, non est extraneæ naturæ ab ipso, quod est, sed per principia propria ipsius, quod est, cõstruitur inter prædicata accidentalia, ens annumerare noluit: hoc enim nõ potest asseri de quocunque alio extra essentiã rei. Nihil enim extra essentiã rei p̃ propria principia ipsius rei constituitur, nisi rei existentia. Quodcunque enim aliud per principia propria alterius generis cõstruitur, scilicet genus proprium, & differentiã propriam, & vniuersaliter propria illius prædicamenti principia. Ipsum autem existere, nõnisi per genus & differẽtiam & principia ipsius, quod est cõstituitur. Et hæc est ratio, qua S. Tho. arguit Auicen. quarto Metaph vbi suprà. vnde ens prædicatum de aliquo, puta homine, cum nõ trahat hominem extra proprium genus & propriam differentiam: nec ratione ipsius quod est substantiale, prædicatum esse relinquitur cum Aristotele & Commentatore, vbi suprà, licet non sit omnino eodem modo substantiale, quo prædicata illa, quæ in diffinitione cadũt. His prælibatis, ad dubium dico ꝙ transcẽdentia nõ sunt prædicata propria naturæ secundum suam absolutã cõsiderationẽ, neque secundum esse in singularibus, neque secundum esse in intellectu: sed sunt prædicata cõmunia naturæ quomodolibet acceptæ; conuenientia non solùm cõcomitatiuè, sed & causaliter. Et de natura quidem tam secundo quàm tertio modo accepta, patet: ex hoc enim quod homo in singularibus inuenitur ens is vnius rei, & reliquorum rationem habet. Similiter ex hoc quod habet esse in intellectu ens est aliquo modo indiuisum, &c. debent enim sic sibi aliquod esse, licet rationis. De natura autẽ primo modo sumpta, ex dictis patere põt: & ex eo ꝙ in quocunque inuenitur posterius transcendens, inuenitur & prius. Manifestum est autem de posterioribus trãscendentibus, quæ sunt vnum, res, aliquid, &c. ꝙ conueniũt naturæ absolutè. Vnde de homine, absolute loquẽdo, ista est vera, Homo est ens. Vnde & S. Tho. dicit super 10. Meta. vbi suprà, quòd ens prædicat naturas decem generum, secundum quòd sunt actu, vel potentia, & non tantum secundum quòd sunt actu.

¶ Ad rationẽ in dubio tactã, qua dicebatur, Si sic, ergo transcendentia essent ponẽda in diffinitione, dicitur primò, ꝙ non oportet omnia prædicata essentialia poni in diffinitione, sed ea tãtum quæ explicant alium gradum essentialem diffiniri: qualia nõ sunt transcendẽtia, de quibus dictum est, quod eundem gradũ prædicant, quem genus vel differentia importãt. Vnde 8 Meta. tex. com. 19. dicit Arist. quod ideo nec ens ponitur in diffinitionibus, ne vnum: quia ens statim est vnum quod quæ diffinitio enim completatune est, cùm omnes rei gradus explicantur à prima potentia vsque ad vltimum actum intrinsecum, quod sine transcendentibus, quæ nullum gradum addunt, fit. Dicitur secundo de ente, quòd quia ens importat aliquo modo ipsum esse: quod pertinet ad quæstionem, An est: & non ad quæstionem, Quid est: ideo à prædicatis quidditatiuis aliqualiter declinat.

¶ Ad dictũ S. Tho. dicitur, quod transcendentia duo habent: & quòd in nulla diffinitione ponatur ratio dicta, & quòd in quolibet conceptu includantur, vt dicitur de ente, 3. Metaph. tex. com. 10. quod secundum ideo dictum arbitror: quia transcendentia quemlibet gradum comitantur: & ideo conceptui nulli desunt. Et sic dico, quòd ea quæ naturæ absolutè conueniunt in cuius ratione cadunt, conueniunt rei in eo, quòd talis. homo enim in eo quòd homo, est ens, res, aliquid, &c. Ex his diligens lector, habes vnde diuersa dicta S. Thomæ sanè intelligere debeas. Circa T. 6. 3. T. & 6. 3.

¶ Quo ad prædicata negatiua verò dicitur breuiter, ꝙ negationes illæ possunt dupliciter accipi, formaliter s. & fundamentaliter. Si formaliter, falsum est, ꝙ cõueniãt naturæ absolutè: per opus enim intellectus attribuuntur ei, cum negationes entia rõnis sint. Si fundamẽtaliter, cũ negatio super affirmatiõe fundetur, concedit esse prædicata qdditatiua, sed sic sumptæ nihil aliud sunt, q̃ genus

genus & differentia propria. Fundamẽtum enim negationum naturarum disparatarum de homine nihil aliud est quàm natura hominis: ex hoc nanque quòd homo est animal rationale, non est Leo neque Bos, &c.

QVÆSTIO VI.

Num natura absolutè sumpta vnitatem vel pluralitatem habeat.

DVBIVM Secundò est circa dictum S. Thom. in litera in assignatione secundæ differentiæ, quo dicitur, quòd natura absolutè sumpta nec vnitatem, nec pluralitatem habet.

¶ Videtur enim hoc esse impossibile, cum id, ꝙ vnum nõ est diuisibile nõ sit: vt dicitur 7. Met. tex. cõ. 13. imò nec intelligibile, vt habetur quartò Met. cõ. 10. Et si vnitatem naturæ absolutè habere concedatur: qualis sit illa vnitas non est facilè assignare: cũ nõ numeralis sit, vt declaratũ est nec specifica, nec generica, cũ hę ex intellectu fiãt. nec analogica, vt de se patet, homo esn nõ est vnũ analogicè. Nec ẽt facile quisquã dicet, an vnitas illa sit realis, an nõ.

¶ Ad euidentiam huius dubitationis quinque facienda sunt. Primò videndum est quid sit vnitas quælibet. Secundò, vnde habeat vnitas realitatem. Tertiò, quomodo vnitas quælibet sit extra animam. Quartò respondendum est dubitationi motę. Quintò, quędam obiectiones excludendæ sunt.

QVOad primum sciendum est, ꝙ cùm vnum nihil addat suprà ens, nisi priuationem diuisionis: ita ꝙ vnum nihil aliud est q̃ ens indiuisum: vt dicitur 4. Met. tex. Com. 3. Vnitas quęlibet nihil aliud est, quàm rei indiuisio. Et quia quælibet priuatio per suum habitum cognoscitur: ideo vnitas quæ indiuisionem sonat, ex natura diuisionis, quam priuat, cognoscì debet: & secundũ diuisionis multiplicitatem, multiplicitatem vnitatis accipere oportet.

¶ Considerãdum est igitur ꝙ diuisio est duplex, quædã est materialis per principia indiuiduationis causata, quædã est formalis, q̃ per essentialia fit. Et hæc habet latitudinem, quia quædã est per essentialia principia p̃pria. Quædã verò per principia essentialia cõmunia. & hoc iterũ habet latitudinem, secundum ꝙ principia essentialia cõmunia sunt magis & minus communia, verbi gratia, inter Socratem & Platonẽ est diuisio numeralis & non formalis: quia non causatur distinctiq eorũ ex essentialibus, sed indiuidualibus principiis. Inter Socratẽ verò & hunc Leonẽ, dato ꝙ Leo & homo essent sub eodem genere proximo, est diuisio formalis per essentia principia propria, vltimas scilicet differentias tantùm. Inter Socratem verò & hanc plantam est maior diuisio formalis per principia, scilicet essentialia communia Socrati, & multis aliis speciebus, scilicet sensibile & insensibile. Inter Socratem verò & hũc lapidem est diuisio formalis adhuc maior per communiora principia. s. per animatum & inanimatum. Et sic semper ascendendo intenditur diuisio formalis: adeò quòd inter Socratem & hanc albedinem est maxima diuisio formalis: vtpote per propria & communissima principia essentialia, scilicet substantiuum & dispositiuum modos entis prædicamentorum constitutiuos.

¶ Similiter p omnia de vnitate dicendum est. Vnitas enim est duplex. Quædã numeralis, & quædã formalis. Vnitas numeralis attẽditur penes priuationẽ diuisionis numeralis. Vnitas aũt formalis attẽditur penes priuationẽ diuisionis formalis: & hęc habet latitudinẽ. Quædã esn priuat diuisione formali omnino causabili ꝙ principia, p̃pria cõmunia: & hæc est vnitas formalis simpliciter. Quędã verò priuat diuisiõe formali nõ simpliciter, sed taliter causabili. s. per principia cõmuniæ: & hæc est vnitas formalis secundũ quid, & habet latitudinẽ secundũ ꝙ diuisio priuata causabilis est à magis & minus communibus principiis essentialibus. verbi gratia, Socrates est vnus numero: quia nõ est per materiales differentias in se distinctus. Homo est simpliciter vnus formaliter: quia non cõpatitur secũ diuisionem formalem quãcunq;. Animal verò est vnũ formaliter, inquantũ non cõpatitur secũ diuisionẽ per sensibile & insensibile, non tũ habet vnitatẽ simpliciter, quia compatitur secũ diuisionẽ per rationale & irrationãle. Corpus verò est minus vnũ formaliter: est enim vnũ, quia nõ est in se diuisum p corporeũ & incorporeũ. Est autẽ minus vnũ, quia compatitur secum diuisionẽ formalem maiorem, scilicet per animatum & inanimatum. Ens aũt minimè est vnum, vnũ quidem est pro quãto non est in se diuisum proportionaliter: minimè verò pro quanto tantam diuersitatem formalem cum sua vnitate compatitur. Ex his patet primum quòd scilicet sit vnitas quęlibet: quia scilicet vnitas est indiuisio, & talis vnitas est talis indiuisio, id est diuisionis priuatio: ita ꝙ nihil aliud est dicere, Socrates est vnus numero, id est Socrates est ens carens diuisione numerali. Homo est vnus formaliter, id est homo est ens carens diuisione formali. Hæc de primo.

QVOad secundum est sciendum ꝙ ens reale dupliciter accipitur. Vno modo vt distinguitur contra ens ab intellectu fabricatum. Alio modo vt distinguitur cõtra nõ existẽs actu. Primo modo omnis res prædicamẽtalis est ens reale siue sit, siue nõ. Secundo modo id tantũ qđ realiter existit extra causas suas, est ens reale. Et quia hoc propriè est ens reale apud S. Thomã dicentem in quæstionibus de potentia Dei, q. 3. artic. 5. ad secundum, quod res antequam existat, est nihil, & est sententia hæc cõformis Aristoteli in prædicamentis dicenti, quòd destructis primis substantiis, impossibile est aliquid remanere: ideo vnitas sicut & cætera realitatem habet propriè loquendo: pro quanto ipsa existit actu extra animam & causas suas.

QVOad tertium propono tres propositiones. Prima est. Quęlibet vnitas suprædicta, tam scilicet numeralis, quam formalis existit extra animam. Secunda est. Nulla vnitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis existit in rerũ natura. Tertia est. Omnis vnitas formalis existens extra animam multiplicatur realiter ad multiplicationem ipsarum rerum. Prima p̃positio est adeò manifesta, ꝙ nullus sanæ mentis potest eã negare. In Socrate enim præter omnem intellectus operationem apparet vtraque vnitas. Caret emin in seipso diuisione numerali & formali causabili per principia p̃pria & cõmunia: & sic indiuisionẽ numeralem & formalẽ habet. Vnde in Socrate nõ est sola vnitas numeralis, sed formalis multiplex secũdũ multitudinẽ prędicatorũ quidditatiuorũ: & sicut nõ sola indiuidualitas Socrates est extra animã sed quodlibet eius prædicatũ q̃dditatiuũ: ita nõ sola vnitas numeralis, sed quęlibet eius vnitas formalis extra animã dicẽda est esse.

AD Intelligentiã verò secundæ est notandum quod res potest intelligi communis extra animã dupliciter. Vno modo positiuè, alio modo negatiuè. Illa res est communis positiuè, quæ indiuisa manẽs in pluribus suppositaliter distinctis inuenitur. Illa verò est communis negatiuè, quæ nulli suppositо est propria. Primo modo rem communem nullam recolo asserentẽ dari extra animam, nisi essentiam diuinam secundum fidem Christianam. Secundo modo videtur à quibusdam poni res extra animam communis, de quibus sermo erit infrà: & quia hoc alienum à veritate mihi videtur: ideo de tali communitate intelligendo secundam propositionem probo dupliciter.

¶ Primo sic, Nulla res exigens quidditatem solitariè inueniri extrà animam existit in rerum natura: sed vnitas cõmunis extra animã, negatiuè pluribus suppositaliter distinctis est res exigens quidditatem solitariè inueniri extra animam. ergo nulla vnitas communis extra animã pluribus suppositaliter distinctis existit in rerum natura. Maior sic probatur: Nullum exigens ad sum existere aliquod impossibile inuenitur: sed quidditatem extra animam solitariè inueniri est impossibile. oportet enim ipsam esse in aliquo supposito. ergo id quod exigit ipsam solitariè inueniri, nũquam existit in rerum natura. Minor aũt probatur sic: Id, quod exigit quidditatem nõ propriam alicui suppositо extra animam, exigit ipsam solitariè existẽtẽ. Sed vnitas hominis extra animam pluribus suppositaliter distinctis exigit quidditatem nõ propriam alicui supposito. ergo vnitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis exigit quidditatem solitariè inueniri in rerũ natura. Huius præallegati præmissæ notæ sunt ex terminis. Maior quidẽ: quia quidditas nõ propriè alicui suppositо necessariò est solitaria. si ẽm nõ est solitaria, est in aliquo supposito: & si est in aliquo supposito, est propria illi. Minor verò patet: quia commune & proprium sunt opposita: commune enim includit negationem proprij, & ecõuerso. Statim ẽm vt res appropriata est alicui communis negatiuè, esse definit, eo quod negatione appropriationis careat: & statim vt communis negatiua est appropriata alicui, nõ est, eo quòd negationẽ appropriationis habet. Oppositum ergo prædicati infert oppositum subiecti in vtraque præmissa.

¶ Præterea secũdo probo sic: Omnis res existẽs in rerum natura est res particularis. Nulla vnitas cõmunis extra animam pluribus suppositaliter distinctis est res particularis. ergo nulla talis vnitas est in rerũ natura. Maior est nota ex cõmuni Peripateticorũ sententia. Minor p̃batur sic: Omnis res particularis est alicui vni suppositо p̃pria: aliter nõ esset particularis. Nulla vnitas cõmunis extra animã pluribus suppositaliter distinctis est alicui vni suppositо p̃pria. Hoc patet ex terminis, ergo nulla talis vnitas est p̃cularis.

¶ Tertia p̃positio p̃batur sic: Quotiescũque aliqua duo sunt cõuertibiliter idẽ realiter, multiplicato realiter vno, multiplicatur & reliquum: sed res vna & vnũ sunt cõuertibiliter idẽ realiter: ergo multiplicata re realiter multiplicabit realiter & ei⁹ vnitas. Sed pluralitas numeralis est realis. ergo pluralitas re numeraliter pluriſicata re numeraliter pluralitas numeralis est realis. ergo pluralitas re numeraliter pluriſicata. vñ in Socrate & Platone sicut sunt duæ cõcabit & eius vnitas. vñ in Socrate & Platone sicut sunt duæ corporeitates, animalitates & humanitates: ita sũt duę vnitates formales sequẽtes corporeitates & duæ sequẽtes animalitates, & duæ sequẽtes humanitates. Oportet ẽm secũdũ numerũ prædicatorũ essentialiũ esse numerũ vnitatũ formaliũ in quolibet individuo. Si essentialiũ esse numerũ vnitatũ formaliũ in quolibet individuo. Si ẽm quodlibet p̃dicatũ qdditatiũ daturaliq̃ esse: ita dare oportet aliq̃ vnitatẽ, vnũ ẽm & ẽs idẽ sunt, vt dicitur 4. Met. tex. com. 3.

¶ Ex his patet tertium, quomodo. s. vnitates habeãt esse extra animã: quia sunt nõ cõmunes, sed particulatæ & multiplicatę numeraliter iuxta numerũ individuorum quorum sunt. Hæc de tertio.

QVOad quartum dico, quòd natura absolutè sumpta habet vnitatem quandam: vt efficaciter concludit ratio adducta, quæ est sancti Thomæ, in tractatu de Natura generis.

¶ Et quando quæritur, aut illa vnitas est numeralis, aut specifica, dico, ꝙ est vnitas formalis, q̃ alia est à numerali sicut diuisio formalis alia est à materiali. Nec illa vnitas formalis est specifica aut generica formaliter: sed est fundamentum vnitatis specificæ & vnitatis genericæ. Hæ em̃ vnitates formaliter ab intellectu fiunt: illa verò omnem actum intellectus præuenit. Quod autem in litera dicitur, quod natura absolutè sumpta, nec est vna, nec est plures: intelligendum est de vnitate & pluralitate numerali.

¶ Ad id verò, quòd dubitationi additur, an ista vnitas sit realis, aut non, dico ꝙ secundum se est realis primò illorum modorũ, quos suprà posuimus, accipiendo ens reale sicut & natura ipsa absolutè sumpta: & sicut natura secundum esse in singularibus est ens reale secundo modo, ita vnitas illa, quæ semper naturam comitatur, in particularibus, posita est realis verè & propriè. Idem enim est iudicium de natura & eius vnitate. Hæc de quarto.

QVOad Quintum duo dubia propria occurrunt. Primum est circa secundam propositionem, in qua dictum est, quòd nulla est vnitas communis extra animam. Secundum est circa id quod nũc dictum est: quia scilicet alietate sit alia vnitas formalis à numerali in Socrate.

¶ Contrà primum enim instatur sic. Quæcunq; suppositaliter distincta, sunt vnum formaliter extrà animam, habent aliquam vnitatem communem eis extra animam, Socrates & Plato sunt vnum formaliter extra animam: ergo Socrates & Plato habent aliquam vnitatem sibi communem extra animã. Maior ex eo videtur manifesta, ꝙ si aliqua suppositaliter distincta sunt vnum in eo, quo sunt vnum in eo, quo sunt vnum, non distinguuntur: & sic illud vnum est commune vtrique extra animam, ex quo sic sunt vnum.

¶ Præterea, Humanitas quæ est in Socrate, quantum est ex se, nõ est determinata ad Socratem vel Platonem: ergo vnitas formalis humanitatis, q̃ est in Socrate quãtum est ex se, est cõmunis negatiuè Socrati & Platoni. Cõsequentia est nota: quia etiã vnitas formalis non est determinata quãtũ est ex se ad Socratẽ & Platonẽ. Antecedẽs autem de se est manifestum: datur ergo extra animam aliqua vnitas cõmunis negatiuè pluribus suppositaliter distinctis.

CIRCA Secundum dubium videtur, ꝙ inter vnitatem formalem & vnitatem numeralẽ in Socrate existentẽ sit alietas realis: quia quæcunque priuationum habitus distinguuntur realiter, ipsæ quoq; distinguuntur: sicut quia visus & auditus distinguuntur realiter, cæcitas etiam & surditas realiter differunt: sed vnitatis formalis numeralis habitus distinguuntur realiter: ergo, &c. Patet ista: quia diuisio formalis & diuisio numeralis adeò distinguũtur, quòd in rebus separatis à materia formalis sine numerali inueniatur: & in istis inferioribus indiuidua eiusdem speciei numeralẽm diuisionem absque formali habeant.

¶ Ad oppositа verò respicienti apparebit, quòd sit alietas rationis tãtùm: quia sicut se habet natura formalis ad naturam indiuidualem, ita vnitas formalis ad vnitatem numeralem: sed natura formaliter sumpta est eadem naturæ numeraliter sumptæ, & non nisi ratione ab ea distinguitur: ergo vnitas formalis est eadem realiter vnitati numerali, & non nisi ratione ab illa est alia.

PRO Dissolutione primi dubij nota, ꝙ aliqua duo suppositaliter distincta esse vnum formaliter contingit dupliciter. Vno modo per hoc, quòd illa duo adunentur in aliquo extra animã communi vtrique indiuiso in vtroq; illorũ. Alio modo per hoc, quòd illa duo habent mutuam negationem inter se diuisionis formalis. Exemplum primi non inuenio in rerũ natura, nisi (vt dictum est) secundum fidem Christianam in Trinitate. Exemplũ secundi inuenitur in omnib' indiuiduis eiusdẽ speciei. Socrates enim nullo intellectu considerante, habet hanc negationem: scilicet ꝙ nõ est diuisus à Platone formaliter, & Plato similiter nõ est diuisus à Socrate formaliter. Et quia ad os esse vnum formaliter, nihil aliud requiritur, quàm esse indistinctos formaliter: ideo simpliciter verum est Socratem & Platonem esse vnũ formaliter extra animã. Committitur ergo fallacia Cõsequentis in argumento à superiori ad suum inferius affirmatiuè, esse enim vnum formaliter est superius ad habentia aliquod commune indiuisum in eis extra animam, & ad habentia duas naturas cum mutua negatione diuisionis formalis. Non enim est imaginãdum Socratem & Platonem esse vnũ formaliter, quia conueniant in aliquo, in quo distinguũtur extra animã: sed ideo, quia vterque negatione diuisionis formalis ab altero gaudet. Vnũ enim formaliter nihil aliud est, quã non diuisum formaliter. Et quod dicimus de vnitate formali simpliciter inter Socratem & Platonem, intellige de vnitate formali secundum quid inter Socratem & hunc Leonẽ, & hunc lapidem, & hãc intelligentiã, &c. Sicut enim quia Socrates & Plato habent duas naturas, inter quas non cadit diuisio formalis: ideo sint indistincti formaliter simpliciter extra animã: ita quia inter Socratis & huius Leonis naturas non cadit diuisio formalis talis qualis nata est causari per sensibile & insensibile. ideo Socrates & hic Leo sunt indistincti formaliter secũdũ quid. Ita etiã quia inter Socratẽ & hũc lapidem non est diuisio formalis per corporeum & incorporeũ, ideo Socrates & hic lapis sunt indistincti formaliter secundũ quid: ita quoq; quia inter Socratem & Gabrielem non est diuisio formalis, quia nata est causari p̃ modos entis, scilicet per se & in alio: ideo Socrates & Gabriel sũt indistincti formaliter secũdũ quid: & cõsequẽter sunt vnũ formaliter absq; omni opere intellectus: iã em̃ pluries dictũ est, vnũ idẽ sonare ꝙ ens inquãtum.

¶ Ad secundũ dico, ꝙ aliud est dicere, natura humana existẽs extra animã secũdũ se est cõmunis pluribus negatiuè, seu indifferẽs negatiuè. Et aliud est dicere, natura humana existens extra animã est communis pluribus, seu indifferens negatiuè, prima enim est vera, secunda verò est falsa. Et veritas primę patet ex suprædictis, vbi diximus ꝙ natura, quæ est extra animam, puta natura Socratis, secundum se, id est solitariè sumpta, nõ est determinata, neq; appropriata alicui, & consequenter est indifferens, seu cõmunis negatiuè. Falsitas autem secundæ patet ex eo, ꝙ omnis propositio est simpliciter falsa, in quæ prædicatum repugnet subiecto ratione conditionis explicitè importate in illo: sicut ista est simpliciter falsa. Ignis non approximatus combustibili comburit: quia cõburere repugnat igni non approximato passo. Sed illa propositio secunda, scilicet natura existens extra animam est communis pluribus negatiuè, est huiusmodi: ergo ista est falsa.

AD euidentiam minoris scito, ꝙ cùm dico natura secundũ se, seu natura absolutè, dico duo, scilicet naturã & solitudinẽ, & eius conditionem. Similiter cum dico, natura existens extra animam, dico duo: scilicet naturam & particularem existentiã sibi coniunctã, & eius conditionẽ. Vnde aliquid conuenit siue repugnat naturæ absolutè rõne naturæ, & aliquid ratione solitudinis. Similiter aliquid conuenit siue repugnat naturę existenti extra, ratione naturæ & aliquid ratione associationis eius ad particulare. Cũ igitur cõmunitas negatiuæ, quæ est prædicatũ in propositione nostra, nõ cõueniat naturæ absolutè ratione sui, scilicet naturæ, quia non est eius prædicatũ quidditatiuũ, sed cõueniat ei ratiõe explicitè cõditionis per ly secundũ se, seu ly absolutè, quæ est solitudo (ex hoc enim natura est cõmunis negatiuè, quia solicitarie accipitur absque determinatione ad hoc, vel illud) oportet ꝙ repugnet naturæ sub oppositа conditione sumpta rõne illius oppositę cõditionis. Explicat aut conditionẽ oppositã solitudini natura existẽs extra eo ꝙ explicat coniunctionẽ eius ad particularẽ existentiam quæ solitudinem illius tollit. Et ideo communitas negatiue repugnat naturæ existenti extra: non ratione naturæ, sed rõne cõditionis explicitæ per ly existenti extra animã: & consequenter propositio illa in qua subiectum erat natura existens extra, & prędicatũ erat communitas negatiuè, est simplicitèr falsa. Statim enim, vt natura perdit solitudinem, communitatem quoque perdere cogitur. Amittit autem solitudinem, quàm primum in alio est.

¶ Vnde apparet responsio ad argumentum, quòd licet tam natura quàm vnitas formalis, quãtum est ex se: id est solitarie, sit communis negatiuè: ipsa tamen existens extra, nõ est communis: sicut ipsa, quantũ est ex se, non est cũ alio: ipsa tamen existens extrà necessariò est cũ alio. & sic nõ licet inferre, ipsa quantũ est ex se non est cũ alio, ergo ipsa existens extrà nõ est cũ alio. ita nõ licet inferre, Ipsa quantum est ex se, est cõmunis negatiuè, ergo ipsa existẽs extrà, est communis negatiuè. Vtrobique enim idem peccatũ accidit, & est secundum fallaciã accidentis. Et si hoc intuitus fueris, videbis in quo differt positio Scoti in secundo sen. dist. 3. q. 1. à positione nostra: & vnde in talem opinionẽ incidit. Dicit enim ipse naturã specificã, puta humanitatẽ ratione sui sequi hæc duo, scilicet vnitatẽ formalem & cõmunitatem negatiuam, seu indifferentiã ad plura numero. Dicit nanque in fine illius quæstionis, quòd non oportet quærere causam, quare natura sit cõmunis: quia natura ipsa est causa sufficiens suæ communitatis: sed bene oportet quærere causam, quare sit singularis: quia nõ ex se est singularis: & ideo sicut extra animã inuenitur natura vna formaliter: ita inuenitur natura cõmunis pluribus. Nos aũt in primo non dissentimus, sed in secũdo. Dicimus enim naturã ratione sui sequi vnitatẽ formalẽ: sed cõmunitatẽ negatiuã fatemur nõ sequi eã ratione sui, sed ratione solitudinis suæ: sicut singularitatẽ sequi eã diximus ratione associationis eius ad existentiã. Et quia conditio solitudinis non conuenit naturæ ratione sui nec ratione ipsius esse: ꝙ habet extra animam, sed rõne intellectus quia natus est adunata dinidere: ideo ante omnẽ actũ intellectus nulla cõmunitas in natura inuenitur. Et sicut quærenda est causa, vnde habeat natura esse solitariũ, & esse extra: quia de se neutrũ habet: ita quæręda est eã, vñ habeat natura cõitatẽ & singularitatẽ: de se em̃ neutrũ habet.

¶ Causa autẽ vnde falsitas in hoc Scotica processit opinione, videtur duplex. Prima est æquiuocatio illius termini, ex se, seu, de se. Potest enim vtrunque eorũ accipi dupliciter. Vno modo positiuè: & sic non dicit aliquam habitudinem causæ. Alio modo negatiuè, & sic dicit solicitudinem: id est non cum alio, & primo modo intellexit naturam esse communem ex se, ita ꝙ ipsa est sibi sufficiens causa suæ cõmunitatis, vt ex verbis eius ibi pæterẽũ tamẽ debuisset intelligere secũdo modo: natura em̃ ex se, id est nõ cũ alio, est indif

indifferens & communis: sicut quãdo dicitur natura ex se est solaly ex se, non dicit aliquam caulalitatem, sed tãtum negationem coniunctionis cum alio.

¶ Secunda cauta est distantia inter propositionem negatiuam & affirmatiuam de prædicato infinito, reduplicatione addita. Licet em̃ ex affirmatiua de ꝑdicato infinito sequatur negatiua, & econuerso, vt dicitur in secundo Perihermenias, quando non sunt replicatiuæ, cum reduplicatione: tamen licet ex affirmatiua de ꝑdicato infinito, sequatur negatiua de prædicato finito: non tñ econtra. Hãc enim, Homo in eo ꝙ hõ nõ est albus, non sequitur ista, Homo in eo, ꝙ homo, est nõ albus. Si enim homo in eo ꝙ homo esset nõ albus, nunquã homini cõiungi posset albedo: quia quod conuenit alicui: secundũ quòd ipsum, conuenit ei semper necessario & per se. Apparet aũt in hoc defectuose manifestè processum Scoticum: cùm enim cõmune negatiuè idem sonet quod nõ proprium, argumentatus est sic, Natura, puta humanitas, inquantum talis, non est propria alicui: ergo humanitas, inquantum humanitas, est nõ propria: vbi expressè patet defectus prædictus. Et quòd sic, ꝓcesserit, patet ex suo ꝓcessu. Conclusio enim sua est affirmatiua de prædicato infinito. cũ cõcludat, ergo natura ex se est communis, id est nõ propria, Antecedens verò est negatiuum scilicet natura non est de se hic, id est ꝓpria alicui. Similiter patet ex alio processu, quẽ ibi inducit, scilicet humanitati Socratis ratione sui nõ repugnat esse in alio, ergo humanitas Socratis ex se est cõmunis: vbi apertè patet ꝑdictus defectus. Reduplicationem enim in primo processu sonat ly ex se seu de se, in secundo ly ratione sui, &c. Et hoc est valde notandum in hac materia, & in materia, de vniuersalibus: eo quòd hinc omnia pendet. Attentum ergo oportet esse, quòd hæc propositio, Natura ex se est communis, si debet esse vera, oportet quòd tam ly ex se, quàm ly communis, teneatur negatiuè secundum viam nostrã & veritatem: & tunc idem est, ac si dicatur, Natura non cum alio sumpta, est non propria alicui: q̃d patet esse verum. Secundum verò Scotum, ly ex se tenetur positiuè & malè: & sensus est, Natura ratione sui, siue inquantum talis est non propria alicui: quod est manifestè falsum.

¶ Attentior adhuc sis, quòd aliud est dicere, natura, puta humanitas inquantum huiusmodi, non est propria alicui. Et aliud est dicere, humanitas, inquantum huiusmodi, est non propria seu communis, quod idẽ sonat in proposito. Prima enim est vera: quia humanitati in eo, ꝙ humanitas non conuenit ꝙ sit appropriata alicui. Secũdum verò patet esse falsum ex eadem radice: quia humanitati in eo quòd humanitas non conuenit, quòd sit non appropriata alicui. Abstrahit enim ab vtroque, scilicet ab esse proprio & ab esse non proprio. Si em̃ humanitas in eo quòd humanitas, esset non appropriata nunquã humanitas esset appropriata alicui quia vi dictum est ex primo Posteriorum, quod conuenit alicui secundum quod ipsum ꝓsupponit de omni, necessariũ & per se. Quòd autem naturæ ratione sui non conueniat illa communitas, scilicet suprà indirectè probatum fuerit, vbi duabus rationibus deducta est falsitas istius propositionis. Vnitas existens extra animam est communis pluribus suppositaliter distinctis: ad falsitatem enim huius sequitur falsitas illius: quia quod non conuenit rei extra animam, non conuenit ei ratione sui. Directè tamen nunc probo sic, Omne quod sequitur aliquam naturã ratione sui, prædicatur simpliciter, id est sine aliqua additione de suppositо illius naturæ: sed communitas sequitur naturam humanam per te ratione sui, ergo communitas prædicatur simpliciter, id est sine aliqua additione de suppositо naturæ humanæ. Processus bonus in tertio primæ: conclusio autem est falsa, ergo altera prẽmissarum: non Maior, vt declarabitur: ergo Minor quæ est positio tua. Falsitas conclusionis patet: quia ista est simpliciter falsa, Socrates est communis pluribus, & si addatur ly ex se, adhuc est falsum dicere. Socrates ex se est cõmunis pluribus. Veritas Maioris declaratur sic. Quod sequitur naturã ratione sui, aut est passio, aut modus, aut prædicabile ꝓ se, aut per accidens, aut separabile, aut inseparabile. Modò omnia ista, si committãtur naturã ratione sui, ita se habent ꝙ sicut natura prædicatur essentialiter de indiuiduo. puta homo de Socrate. ita ista prædicantur denominatiuè in suo ordine de ipsomet indiuiduo: vt patet discurrendo. ¶ Et confirmatur hoc, quia in proposito nostro naturã humanã sequũtur vnitas formalis & cõmunitas ratione sui secundũ te. Vnde neutrius est alia causa quærenda nisi natura ipsa. ergo sicut vnitas formalis prædicatur simpliciter de Socrate: ita em̃ simpliciter vera. Socrates est vnus formaliter, ita communitas prædicabitur de Socrate simpliciter dicendo, Socrates est communis, Hoc est falsum. ergo, &c. Quæna est maior ratio de vnitate q̃ de cõmunitate, & quare eorum, quæ sequuntur naturã ratione sui, alia prædicentur de indiuiduis, alia non. Non em̃ erit facilè fingere rationes Scoti, quas ibi facit: quia non concludunt cõmunitatẽ dari extra animã, sed vnitatẽ: ideo superfluũ iudicaui adducere. Si quæ aũt ex eis aut expositis ab eodẽ in septimo Met. ad communitatem probãdã adducerentur, non erit difficile sumere responsionem ex dictis ad duas illarum hic inductas.

AD secundi dubij euidentiã sciendum, ꝙ vnum, cùm dicat ens indiuisum, importat aliquid positiuum, & aliquid priuatiuum. Si loquamur de vnitate formali & vnitate numerali substãtiali, q̃d ad propositum quod importãt, sic sunt idem realiter & distinguũtur sola ratione. Sic idem realiter sunt Socrates & homo rõne distinguuntur: eo quòd eadem res est quæ est vna formaliter & numeraliter. Si autem loquamur de his vnitatibus, quo ad priuationes diuisionum importatas, sic dico quòd distinguuntur realiter: dũmò non fiat vis in hoc ꝙ distinctio realis sit passio entis realis, eo ꝙ alia priuatio est priuatio diuisionis formalis, & alia est priuatio diuisionis numeralis: Sicut alia est diuisio formalis, & alia est diuisio numeralis. Nec inconuenit in vno esse plures vnitates substãtiales realiter distinctas: quo ad priuationes importatas: esset autem impossibile in vno esse plures vnitates substãtiales realiter distinctas quo ad res positiuas, quas importãt. Vnde vtriusque rõnis adductæ conclusio concedenda est, diuersimodè loquendo: nec aliter respondere est opus.

QVÆSTIO.

Num Natura absolutè sumpta sit illa, quæ prædicetur de indiuiduis.

DVBIVM est tertiò circa assignationem quartę differentiæ: non enim videtur verum, ꝙ natura absolutè sit illa quæ prædicatur de indiuiduis: quia natura absolutè sumpta, nõ est vniuersalis, neque communis. In huiusmodi aũt propositionibus, Socrates est homo, & Socrates est animal, & similibus prædicatur vniuersale, & superius de particulari & inferiori. Similiter etiã cũ quæritur, an ista prædicatio, Socrates est homo, sit æqualis de æquali, vel inferioris de inferiori, nõ videtur posse respõderi, tenendo ꝙ natura absolutè prædicatur, cùm illa nec æqualis, nec superior sit.

¶ Ad hoc dicendum est, quòd sicut in natura extra est cõsiderare ipsam rõnẽ agẽdi: & est cõsiderare conditionẽ eius sine qua non operat. Verbi gratia, in colore cõsideratur natura eius, ex qua est visibilis: & cõsideratur particularitas, q̃ est conditio, sine qua non est visibilis. Ita in natura ꝑdicabili est cõsiderare duo. s. id ꝙ prædicatur & attribuitur subiecto, & cõditionẽ sine qua nõ attribuitur illi. Sicut in hac propositione, Socrates est homo, id quod attribuitur subiecto, est ipsa natura humana: & nihil aliud. Cõditio verò sine qua ly homo, nõ prædicatur de Socrate, est esse vniuersale superius cõmune, vel aliud huiusmodi: vt enim infrà patebit, & habetur ab Ari. 7. Met. tex. com. 46. Nulla res prædicatur, nisi vt habet esse in intellectu, eo ꝙ ꝑdicatio ab intellectu dependet. Vnde ad dubiũ dico, ꝙ natura a secundum suã rõnem est id quod prędicatur de ipso indiuiduo. Est enim prædicatio rei de re. Superioritas tñ & vtilitas &c. huiusmodi, sunt conditiones eius. Et ideo ad interrogationem, an in illis prædicationibus sit prædicatio æqualis vel superioris, dico quòd est prædicatio superioris.

¶ Nec obstat ꝙ superioritas non insit naturæ absolutæ q̃ prædicatur: quoniam non dicit S. Tho. ꝙ naturę absolutè, prout abstrahit ab omni esse conueniat hæc cõditio, scilicet prædicatio de indiuiduis: sed dicit ꝙ res cui conuenit illa conditio, est natura absolutè, & non aggregatum ex natura & esse in intellectu. seu in singulari. Non enim cum dico, Socrates est homo, est sensus, Socrates est homo secundum esse in intellectu, aut in singulari: aut superiori, aut æquali: Socrates est habens humanitatem.

¶ Vnde valde attendenda est distinctio inter id ꝙ prædicatur & conditionẽ prædicati: qua non attenta forte decepti sunt dicentes absolutè ex hoc textu haberi, ꝙ ista, Homo est animal nec est ꝑdicatio superioris, nec inferioris, nec æqualis. Sensus ergo literæ est, Natura absolutè q̃ est ꝑdicatur id est natura secundum conditiones sibi debitas ratione sui est id quod attribuitur singularibus: & nõ secundũ cõditiones sibi debitas ex esse in intellectu, vel singulari. cũ quo stat, ꝙ esse in intellectu vniuersalitas & superioritas sint cõditiões, sine quib' natura ipsa nõ ꝑdicatur de singularibus.

Non tamen potest dici, quod ratio vniuersalis conueniat naturæ sic acceptæ, quia de ratione vniuersalis est vnitas & communitas. Naturæ autem humanæ neutrum eorum conuenit secundum suam absolutam considerationem. Si enim communitas esset de intellectu hominis, tunc in quocunque inueniretur humanitas, inueniretur communitas, & hoc falsum est: quia in Socrate non inueniretur communitas aliqua, sed quicquid est in eo, indiuiduatum est.

¶ Hic iam ponitur quarta conclusio negatiua, essentia substantiæ cõpositæ absolutè sumpta nõ est vniuersalis, vt species, &c. Probatur sic, Vniuersale est vnũ cõmune multis: essentia substãtię compositę secũdũ se nõ est vna cõmunis multis: ergo essentia substãtię compositę secũdũ se nõ est vniuersalis, &c. Maior est Arist. secundo Posteriorũ. Minor vero probatur ex eo ꝙ si secũdũ se essentia substantiæ cõpositæ esset vna & cõmunis, in quocũque inueniretur illa essentia, esset vna & communis multis, quod est impossibile Cõsequentia patet ex eo, ꝙ omne quod conuenit alicui secundũ se, conuenit ei in quocunque ponatur: vt ex primo Posteriorũ apparet. Impossibilitas autem consequentis adeò est manifesta, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

Auic. dicat secundo suæ Metaphysicæ, quod nullus sanæ mentis potest oppositum illius opinari. Quis enim est adeo fatuus, qui dicat essentiam Socratis sibi communem esse & Platoni?

SED hic occurrit dubium circa propositionem illã, suprà quã fundatur totus processus, scilicet, Omne quod conuenit alicui secundum se conuenit ei, in quocunq; ponatur: videtur enim multas habere instãtias. Motus enim secundũ se est velocitabilis in infinitum: ex sexto Physi. tex. Com. 15. Motus autem in cælo positus, nequaquam, sed est velocitas vt dicitur secundo Cæli, tex. Cõ. 28. Similiter continuum secundũ se est diuisibile in infinitum ex sexto Phy. tex. Com. 3. Continuum autem in re naturali positum, non cum omniũ natura cõstãtium determinata sit ratio magnitudinis: vt dicitur secũdo de Anima tex. Cõ. 41. Similiter motus secundum se habet contrarium, ex 5. Phy. tex. Com. 8. & 14. Motus autem in cælo positus caret contrario: primo Cæli, tex. Com. 10.

AD hæc & similia dicitur prænotando quòd aliud est dicere, A conuenit aliquid secundum se: & aliud est dicere, A non repugnat aliquid secũdum se. Ad veritatem enim primi exigitur, quòd A vendicet sibi illud in primo, vel secundo, vel quarto modo persitatis. Ad veritatem secundi sufficit, q; ipsi A vt sic, non repugnat illud. Ad veritatem quoque primi sequitur illud conuenire sibi in quocunque ponatur: ad veritatem secundi, non. Multa enim sunt quæ non repugnant animali in eo quòd animal: quæ tñ nõ inueniũtur in quolibet animali. Quicquid aũt cõuenit animali in primo, vel secundo, vel quarto modo dicẽdi per se, inuenitur in omni animali. Vnde in proposito dico, q; nulla instãtiarum adductarum est contra ꝓpositionem assumptã, eo quòd omnia, quæ in illis dicuntur, intelligenda sunt p non repugnãtiã & conuenientiã. Cùm enim dicitur motum esse velocitabilem in infinitum, intelligimus motui vt sic, non repugnare velocitatem in infinitum. Similiter cum dicitur, continuum esse diuisibile in infinitum, intelligitur continuo vt sic, non repugnare diuisibilitatem in infinitũ. Similiter cùm dicitur, motum habere contrariũ, intelligimus motui, vt sic, non repugnat habere contrarium.

¶ Quod si hoc non placet, dicito, q; aliud est dicere, A in eo q;, A cõuenit aliquid: & aliud est dicere, A in eo quòd, A nõ cõuenit aliquid: vt patet. Et q; quicquid conuenit A, in eo, quòd A, conuenit omni A: quicquid aũt non conuenit A, in eo quod A, non oportet negari ab omni A. Risibile enim non cõuenit animali in eo, quòd animal: & tñ non negatur ab omni animali. Conuenit enim animali in homine. Et subiungito, quòd oẽs propositiones in instãtiis adductę sunt intelligendę negatiuè, vt sit sensus: Motus est velocitabilis in infinitum, id est motus vt sic, est determinatæ velocitatis. Similiter continuum est diuisibile in infinitum, id est continuum vt sic, non est determinatæ diuisionis. Similiter motus habet contrarium, id est motus vt sic, non determinat sibi esse absq; contrariõ: & sic secundum vtrunque modum respondendi, remanet propositio assumpta vniuersaliter vera.

Posset tamen & aliter dici ad has instantias: sed quia magis ad formam propositionis attendo, quam ad materiam, ideo impræsentiarum pertranseo.

Similiter etiam non potest dici, quòd ratio generis accidat naturæ humanæ secundum illud esse, quòd habet in indiuiduis, quia non inuenitur in indiuiduis natura humana secundum vnitatem, vt sit vnum quid conueniens cuilibet, quod ratio vniuersalis exigit.

¶ Hic ponitur quinta conclusio negatiua, scilicet essentia subsțantię cõpositæ secũdũ esse quod habet in singularibus, nõ est vniuersalis, probatur sic. Vniuersale est in multis essentia substãtiæ cõpositæ secundum esse quod habet in indiuiduis, nõ est vna in multis, sed diuersa in multis, ergo essentia substantiæ compositæ secundum esse, quod habet in indiuiduis, non est vniuersalis: & cõsequẽter, nec species, nec genus nec differẽtia q; vniuersalitatẽ supponunt.

Relinquitur ergo quòd ratio speciei accidat naturæ humanæ secundum illud esse: quod habet in intellectu. Ipsa enim natura habet esse in intellectu abstractum ab omnibus indiuidualibus, & habet rationem vniformem ad omnia indiuidua, quæ sunt extra animam: prout essentialiter est imago omnium. & inducens in cognitionem omnium, in quantum sunt homines, & ex hoc, quòd talem relationem habet ad omnia indiuidua, intellectus adinuenit rationem speciei: & attribuit sibi, vnde dicit Commentator primo de Anima, quòd intellectus est, qui facit vniuersalitatẽ in rebus: hoc etiam Auicen. in sua Metaphisica octauo dicit.

¶ Hic per locum à diuisione cõcluditur sexta cõclusio affirmatiua determinatiua quæstæ difficultatis, scilicet essentia secũdũ esse in intellectu est vniuersalis, genus, species, differẽtia, &c. ꝓbatur sic. Vnũ in multis & de multis est vniuersale natura secũdũ esse in intellectu est vna in multis & de multis: ergo est vniuersale. Probatio Minoris, Vniformiter se habẽs ad multa, vt essentialis eorum imago, est vnũ in multis & de multis natura secũdũ esse in intellectu est huiusmodi, quia habet esse ab stractũ ab omni differmitate indiuiduorũ essentialiter eorũ cognitionem gignens: ergo, &c.

AD euidentiam huius conclusionis & rationis: quia termini multipliciter dicti secundum Aristo. doctrinã distinguẽdi sunt. Nota primò distinctiones terminorũ in conclusione positorum. esse in intellectu contingit dupliciter, subiectiuè, & obiectiuè. Esse in intellectu subiectiuè est inhærere ipsi, sicut accidens, suo subiecto, vt albedo superficiei. Esse in intellectu obiectiuè, est terminare actum intellectus. Intellectus est duplex in nobis, agens & possibilis, vt dicitur tertio de Anima. text. Commen. 17. Intellectus agens est ille, qui abstrahit speciem intelligibilem à phantasmatibus. Intellectus possibilis est ille, qui intellectionem recipit in se. Vniuersale duplex, repręsentando & in prædicando. Vniuersale in repræsentando in proposito est quod repræsentat rem, non repræsentando conditiones eius indiuiduales. Vniuersale in prædicando est illud quòd prædicatur de multis differentibus secundum esse.

¶ His visis, scito conclusionem illam, scilicet natura secũdum esse in intellectu est vniuersalis trifariam verificati. Primò sic, Natura secundũ esse obiectiuũ in intellectu agẽte est vniuersalis in prædicando. Secũdò sic, natura secũdũ esse subiectiuũ in intellectu possibili est vniuersalis in repręsentãdo. Tertiò sic, Natura secũdũ esse obiectiuũ in intellecta possibili est vniuersalis in prædicando.

Sciendum est secũdo, quòd res extra, secundum q; est actu intelligibilis est obiectiuè in intellectu agẽte: sic enim terminat eius actionem, quia ad hoc positus ab Aristo. intellectus agens. Vt faciat rem intelligibilem in potentia intelligibilem in actu, vt Comdicit tertio de Anima. Com. 18. Fit aũt actu intelligibilis res extra ab intellectu agente, nõ per hoc ꝙ recipiat, aut perdat aliquid secũdum esse per illius actionem, sed ex hoc quòd eius species intelligibilis producitur ab intellectu agente. Per hoc enim res extrà repræsentatur nõ repræsentatis cõditionibus indiuidualibus: cum quibus in potentia intelligibilis erat nõ in actu. Vnde ipsa productio speciei intelligibilis est factio rei extrà, intelligibilis in actu. Habet enim ratio illa duos terminos. Vnũ intra animam, f. speciẽ intelligibilẽ, quę realiter producitur de nouo in intellectu possibili. Et aliũ extra, f. rẽ cuius est illa species, quæ nihil realẽ ex hoc acquirit, sed tantum denominationem extrinsecam, scilicet quòd est abstracta ab hoc, & nunc, quod est actu intelligibilis, &c.

¶ Natura autem extrà, secundum, quòd est actu intellecta, est obiectiuè in intellectu possibilis: sic enim terminat eius actionem, quæ est intelligere. Fit autem & est actu intellecta res extra, non per hoc quòd aliquid accipiat, aut amittat per actionẽ intellectus possibilis, sed ex hoc quòd conceptus eius formatur ab intellectu possibili: tunc enim res intelligitur, quando eius conceptum formamus. Vnde ipsa conceptus formatio est factio rei extra actu intellectæ: habet enim & hæc actio duos terminos. Vnum intra animam, scilicet conceptum, qui realiter fit, qui nihil aliud est quàm expressa similitudo rei, rem præsentem obiectaliter facientis intellectui possibili. Et aliterum extrà, scilicet rem quæ ex producto conceptu extrinsecè denominatur actu intellecta.

¶ Ex his patet, quæ sit differentia, & quæ sit conuenientia inter rẽ obiectiuè in intellectu agente & intellectu possibili. Differentia siquidem est quia ex hoc quòd obiectiuè in intellectu agente fit, & est actu intelligibilis, non autem actu intellecta. Ex hoc verò quòd est obiectiuè in intellectu possibili, quæ iam erat actu intelligibilis, fit actu intellecta. Conuenientia autem est, quia tam ex hoc quòd est obiectiuè in intellectu agente, quàm ex hoc quòd hoc est obiectiuè in intellectu possibili, habet quòd sit repræsentata absque indiuidualibus conditionibus: & consequenter quòd sit abstracta ab hoc & nunc, &c.

Sciendum est tertio ex Auic. 5. Meta. c. 1. quod vniuersale in prædicando, est id quòd in intellectu non est impossibile prædicari de multis. Et hoc tripliciter potest se habere.

¶ Primò, quod illa multa sint actu in rerum natura: sicut homo obiectus intellectui est vniuersale respectu Socratis & Platonis.

¶ Secundò, quod illa multa non sunt: possint tamen esse, sicut domus heptangula obiecta intellectui, est vniuersale respectu plurium heptangularum, quæ non sunt, possunt tamen esse.

¶ Tertiò, q; illa multa neq; sint esse sicut Luna obiecta intellectui est vniuersale respectu plurium Lunarũ, quas impossibile est esse. Et Gabriel obiectus intellectui est vniuersale respectu plurũ Gabrielũ, quos, implicat contradictionẽ, esse. Vniuersale primo modo vocatur à S. Thom. prima parte. q. 13. vniuersale secũdũ rem & secundũ rationẽ: quia res illa realiter est in pluribus, & non solùm vt obiecta intellectui. Vniuersale tertio mõ vocatur ibidẽ vniuersale, seu cõmune secũdũ rationẽ tantũ: quia res illa non inuenitur realiter in pluribus, sed vt obiecta intellectui tantùm. Vniuersale secundo modo ibi distinguitur contra vniuersale primo modo. Possettamen nomine proprio dici vniuersale secundũ rationẽ & secundum rem in potentia tamen. Nec solùm nomina ibi imponuntur à S. Thom. sed & dictorum ratio assignatur valde iubilis. quæ super quatuor propositiones fundatur.

¶ Prima est Vniuersalitas & prædicabilitas non conueniunt rei secundum se: nec secundum esse, quod habent extra animam. patet illa ex dictis.

¶ Secũda est, Res materialis, q; sola p ꝓpriã speciem cognoscitur à nobis: secundũ q; est in intellectu nostro, obiectiuè repræsentatur absque cõditionibus indiuidualibus pateret illa etiã ex dictis.

¶ Tertia est, Res immaterialis etiam Deus ipse secundum quòd est in intellectu nostro, obiectiuè repræsentatur per modum rerũ materialium, scilicet non repræsentatis proprietatibus indiuidualibus. Patet illa: quia res illæ non cognoscuntur à nobis secũdum quòd in seipsis sunt, sed per modum rerum materialium: nec per proprias species, sed per species rerum materialium.

¶ Quarta est, Res omnis vt repræsentata absque cõditionibus indiuidualibus, nõ magis respicit vnũ q; plura indiuidua. Patet illa: quia vt abstracta est, æqualiter ad vnũ & multa se habet. Nihil enim fingi pòt, vnde abstractũ vt abstractum vnum magis respiciat, q; plura, vel e contra. Vnde & notanter Auic. appositit in diffinitione vniuersalis illã particulã, secũdũ quod est in intellectu. Multa eñ sunt vniuersalia, quibus tã secũdum esse extrà, quàm secũdũ propriã rationem repugnat prædicari de pluribus, vt de intelligentiis dicetur. Nulli aũt vniuersali, sẽdm q; est in intellectu repræsentatũ, absq; propria & particulari existentia proprietate & hypostatica repugnat prædicari de pluribus. Ex quibus formatur talis ratio. Res quælibet & sola æqualiter se habens ad vnum & plura indiuidua est vniuersalis in actu prædicando res q; libet sola vt repræsentata intellectui nostro, est æqualiter se habẽs ad vnum & plura inferiora: ergo res quælibet & sola vt repræsentata intellectui nostro, est vniuersalis in actu in prędicando. Maior patet ex diffinitione vniuersalis assignata ab Arist. primo Perihermenias. Minor verò quo ad secundam partem patet ex prima propositione: quo ad primam autem partem ex reliquis tribus.

EX his corollariè elicio, q; ad hoc q; aliquid sit vniuersale in actu in prædicando, non exigitur actualis relatio naturæ obiectæ ad particularia: sed sufficit q; res ipsa sit in ea dispositione, secundum quam intellectus ad libitum possit illam relationem sibi vere attribuere, nihil addendo præter ipsam actualem relationem.

¶ Iſtis prælibatis, iam patere potest conclusio intenta secundum omnes tres sensus assignatos.

¶ Et pro primo quidem sensu argui potest sic, Id quod in intellectu non est impossibile p̃dicari de multis, seu (vt Arist. verbis vtar) aptum natũ est prædicari de multis, est vniuersale in prædicãdo: sed res secũdum esse obiectiuũ in intellectu agente est huiusmodi. ergo res secundum esse obiectiuũ in intellectu agente est vniuersalis in prædicando. Maior patet ex Auic. & Arist. Minor verò probatur sic, res abstracta à conditionibus indiuidualibus vt sic, est apta nata prædicari de pluribus: res secundum esse obiectiuum in intellectu agẽte, est abstracta à conditionibus indiuidualibus: ergo, &c. Præmissæ omnes ex dictis sunt manifestæ.

EX his habes quàm malè dixerit Scot. secũdo sen. dist. 3. q. 1. in responsione ad primum, dicendo, quòd natura ante actum intellectus possibilis nihil habet, nisi quod conuenit sibi extra animam. patet enim iam quòd secundum sententiam Arist. est actu intelligibilis abstracta ab hoc & nunc: & consequenter vniuersalis in actu ante actum intellectus possibilis.

¶ Pro tertio sensu arguere aliter non est opus: eo quòd eodẽ modo procedendum esset.

¶ Secundus autem sensus intelligentibus terminos ex rõnibus terminorum clarus est. Natura nãq; secundum esse subiectiũ in intellectu possibili: nihil aliud est q; similitudo immaterialis sui repręsentatiua in illo existens. Similitudo aũt immaterialis à singularibus abstracta, rem vniuersaliter necesse est repręsentet: eo ipso quòd abstracta est. Si enim rem vniuersaliter nõ repræsentet: sed particularibus conditionibus immixtã: & nõ à materialibus conditionibus abstractã, non esset vniuersalis: ergo in repræsentãdo ipsam est vniuersalis res, secũdũ q; est subiectiua in intellectu possibili, id est species seu similitudo ipsius naturæ ꝓ quãto repręsentat naturã ipsam non repræsentatis cõditionibus indiuidualibus.

¶ Et nota q; quia natura ipsa habet duas similitudines in anima. f. speciẽ intelligibilẽ & cõceptus: siue speciẽ impressam & speciem expressam: ideo secundũ vtrãque speciẽ est vniuersalis in repræsentãdo. Quare autẽ oporteat duas species ponere, & quomodo, si Deus concesserit nobis vitã alibi dicetur. Quãuis autem cõclusio secunda possit omnibus modis dictis verificari: attamẽ primus & tertius sunt ad propositum literæ. Intendimus enim hic de vniuersali in prædicãdo quòd intentionem logicã sonat, & non de vniuersali in repræsentãdo quod nulla intentione secunda logica dicitur vniuersale, sed ex esse proprio quod secundũ rem fortitur.

¶ Literã sic glossare potes. Ipsa enim natura habet esse in intellectu agente, vel possibili tã obiectiuè, quã subiectiuè abstractũ ab omnibus indiuidualibus conditionibus. Et habet rationẽ vniformẽ obiectiuè in prædicãdo, subiectiuè in repræsentãdo, ad omnia indiuidua quæ sunt extrà, prout essentialiter est similitudo omnium obiectiuè in essendo: subiectiuè in repræsentãdo, inducens cognitionem omnium, inquãtum sunt homines: quia vt sic assimilãtur. Et ex hoc quòd talem relationem: scilicet vniformitatis & similitudinis essentialis, vel repræsentatiuæ habet natura ad omnia indiuidua intellectus, adinuenit rationem speciei, id est secundã intentionem, quæ est species, & attribuit ipsi naturæ vniformiter se habenti ad indiuidua ex hoc, quòd repręsentatur absque omni indiuiduantium differmitate.

QVÆSTIO VII.

Num vniuersalia in actu sint extra animam.

CIRCA dicta est quæstio non modica, An vniuersalia in actu sint extra animã, an fiãt per opus intellectus, quemadmodum dictum est. In hac quæstione primò declarabitur titulus. Secundo ponetur opinio Scoti. Tertiò ponetur opinio S. Tho. Quartò respondebitur ad argumenta in oppositum.

QVO ad primum: quia hæc quæstio diuersimodè intellecta, diuersis modis à Philosophis determinata est, imprædentiarũ Peripateticã sententiã supponendo, scilicet quòd vniuersalia non subsistãt extra singularia, declarãda est quomodo intelligatur.

¶ In nomine vniuersalis tria intelligimus. Primò vniuersalitatem, quæ est relatio rõnis. Secundò reni, quæ denominatur vniuersalis ab illa vniuersalitate. Tertio, aptitudinem ad essendum in multis, q; est quid medium inter illa duo, & est fundamentũ proximum quare res suscipiat illã relatiuã denominationem: ideo enim rei intellectus attribuit relationem vniuersalitatis, quia res illa apta nata est esse in pluribus: nõ veritur in dubium an illa relatio, quę vocatur vniuersale formaliter sit extra animã: eã enim omnes ab intellectu fieri dicunt. Nec quæritur an illa res, quæ denominatur vniuersalis, quæ vocatur vniuersale obiectiuè in potentia, sit extra animã. Communis enim sentẽtia est quòd quãdoque res illa est extra animã, quãdoque nõ. Si enim res illa est res realis, puta homo, bos & huiusmodi ponitur extra animã. Si autem res illa sit ens rationis, nõ ponitur extrà, vt subiectũ, prædicatũ, propositio, syllogismus, & similia. Sed dubitatio est an aptitudo ad essendum in multis sit extra animã: ita quòd absque omni tẽpore intellectus inueniatur res apta nata esse in multis, quæ vocatur vniuersale in actu obiectiuè. an solum extra animã sit res. Aptitudo autem ad essendum in multis inest rei per opus intellectus. Et quia aptitudo illa complet rõnem vniuersalis in actu obiectiuè sumẽdo vniuersale, licet non formaliter: ideo quærere an extra animã inueniatur totum hoc, scilicet res apta nata esse in pluribus: est quærere, an sit extra animam vniuersale in actu obiectiuè.

ET debes scire ad euidentiã terminorũ, quòd sicut album accipitur dupliciter scilicet formaliter & subiectiuè: ita vniuersale accipitur dupliciter, scilicet formaliter & subiectiuè. Subiectiuè eñ accipi non potest, eo q; vniuersalitas in nullo est subiectiuè cùm sit ens rationis. Vniuersale formaliter est ipsa vniuersalitas, q; relationis est. Vniuersale obiectiuè sũbdiuidirur in vniuersale obiectiuè in actu, & vniuersale obiectiuè in potẽtia. Vniuersale obiectiuè in actu est totum hoc, scilicet res vna apta nata esse in pluribus. Vniuersale obiectiuè in potentia est res ipsa vna formaliter. non adiungendo sibi aptitudinem ad essendum in pluribus. Ex his patet, in quo stat difficultas: & patet in quo quid nominis terminorum in titulo quæstionis positorum. Intendimus enim non de vniuersali formaliter, nec de vniuersali obiectiuè in potentia: quia in his conuenimus, sed de vniuersali obiectiuè in actu. Proterea cum loquimur de vniuersali in actu absque additione obiectiuè intelligi volumus ne in æquiuoco laboremus. Hęc de primo.

QVO ad secundum Sco. suprà. 7. Me. q. 16. sequẽdo fundamẽta sua: quòd scilicet naturã extra animã sequatur vnitas formalis & communitas, opinatur rem vnã aptã natã esse in pluribus dari extra animã: ac hoc dicit vniuersale in in actu esse in rerũ natura absque omni ope intellectus. Adducit quoque ad hoc multas rationes, quas in mediũ afferre, esset limites intẽtiõis nostræ excedẽte: propterea eas afferã, ex quarũ solutione reliquarũ debilitas innotescet. ¶ Arguit primò p locum à diffinitione ad diffinitũ sic: Circumscripto quocunque actu intellectus res est apta nata esse in pluribus: ergo datur vniuersale in actu extra animã. Tenet consequentia, quia vniuersale obiectiuè in actu, vt distinguitur contra singulare & prædicabile diffinitur, prima Perihermenias vniuersale est quod aptum natum est esse in pluribus. Antecedens, probatur: quia si nõ, ergo aptitudo ad essendum in pluribus repugnat sibi, nec conferri sibi posset talrem ab intellectu: quia tunc pari ratione posset dare Socrati talem aptitudinem.

¶ Præterea, Vniuersale in actu est proprium obiectũ intellectus: igitur præcedit actum intellectus. Tenet consequentia ex secundo de anima, vbi dicitur quòd obiectum est prius actu.

¶ Præterea, Obiectum scientiæ realis est ens extra animã, vniuersale in actu est obiectũ scientiæ realis: igitur vniuersale in actu est

ens extra animam.

¶ Præterea, Relatio mensuræ est realis, quinto Meta. sed illa fundatur in aliquo vniuersali. Probatur: quia oportet esse aliquod vnum mensuram aliarum specierum: sed non vnum numero secundum Arist. ergo vniuersale.

¶ Præterea: Operatio seu passio realis primo & adæquatè inest vniuersali: vt intelligere homini ex primo Posteriorum. igitur datur vniuersale extra animam.

¶ Præterea, contrarietas est oppositio realis: & eius extrema sunt vniuersalia non singularia: ergo dantur vniuersalia extra animam.

¶ Præterea, Si vniuersale sit ab intellectu, quomodo res prædicatur de re? & quomodo vniuersale est vbique & semper incorruptibile & æternum? & quomodo materia & forma pertinẽt ad quidditatem vniuersalis Physici? & quomodo vniuersalium tãum est diffinitio? & quomodo genera & species, vniuersaliter prædicamenta sunt entia extra animam?

¶ Præterea, si nihil esset in re nisi singulare: nulla esset vnitas realis: nisi numeralis, quæ est propria singulari: consequens est falsum: ergo, &c. Hæc de secundo.

QVO ad Tertium scito nos sequẽtes S. Tho. ac per hoc communem Peripateticorũ doctrinã oppositã in hac re proferre sententiã. Dicimus nanque, ꝙ illorum trium, quæ in Vniuersalis nomine intelliguntur, vnũ tãtum quãdoque est extra animã, scilicet res ipsa vna formaliter reliquis duobus opus intellectus consequẽtibus: quod & probatur simili modo arguẽdo, quo suprà argutũ est. Quicquid sequitur naturam ratione sui, simpliciter prædicatur de indiuiduo illius naturæ. sed aptitudo ad essendum in pluribus apertè sequitur naturam: puta humanitatem ratione sui. ergo aptitudo ad essendum in pluribus prædicẽtur simpliciter de indiuiduo humanæ naturæ: igitur ista erit vera, Socrates est aptus natus esse in pluribus: quod est impossibile. Maior manifesta fuit suprà, ex eo quòd omnia, quæ comitantur naturam ratione sui, non separantur ab ea posita in indiuiduo: & consequenter prædicantur de eo: quia (esse in) fundat dici de.

¶ Præterea, Omnis aptitudo fluens ab aliqua natura, inuenitur in qualibet singulari natura inferiori ad illam: sed aptitudo ista. s. ad essendum in pluribus fluit ab aliqua natura: puta ab humanitate, ergo aptitudo ad essendum in pluribus inuenitur in qualibet natura humana. processus bonus, & conclusio falsa: ergo altera præmissarum, non Maior. quæ ex terminis patet: ergo Minor, quæ est conclusio aduersariorũ. Falsitas cõclusionis probatur sic, Illa aptitudo attribuenda non est cuilibet humanitati, quæ in qualibet humanitate impossibilis est reduci ad actum. Patet ista: quia aliter ociosè data esset talis aptitudo. Aptitudo enim est propter actum. sed aptitudo ad essendum in pluribus est huiusmodi. s. ꝙ in qualibet humanitate posita impossibilis est reduci ad actum: quia impossibilis est, vt humanitas Socratis actu sit in Socrate & Platone, aut migret de Socrate in Platonem: ergo aptitudo ad essendum in pluribus non est attribuenda cuilibet singulariter humanitati. Dicamus igitur rem vnam esse extra animam. Aptitudinem autẽ ad essendum in pluribus conuenire rei secundum esse, quod habet in intellectu: quia conuenit ei sub solitudinis conditione positæ. Solitariè enim accepta natura apta nata est in multis, saltem secundum rationem esse. Solitudo autem cùm importet separationem naturæ à proprietatibus indiuiduabus, non conuenit rei nisi in intellectu agente, vel possibili obiectè.

ET aduertas ad maiorem nostræ positionis euidentiam quòd hic actidit similis defectus Scoto illi, qui positus est suprà. Cùm enim aptitudo ad essendum in pluribus sit idem, quod non repugnantia ad essendum in pluribus, arguit sic, Naturæ, puta humanitati inquantum humanitas non repugnat esse in pluribus: ergo humanitati, inquantũ humanitas, conuenit aptitudo, seu non repugnantia ad essendum in pluribus: & consequenter humanitas est vniuersalis absque opere intellectus. Apparet autẽ manifestè peccatum in hoc processu, cum ex negatiua infertur affirmatiua de prædicato infinito reduplicatione addita. Prima enim propositio, quæ est negatiua veritatẽ habet. Secunda verò quæ affirmatiua est, est impossibilis: quod patet ex eo, ꝙ humanitas inquantũ humanitas abstrahit à repugnantia ad essendum in pluribus, & non à repugnantia ad essendum in pluribus sicut abstrahit ab albo & non albo. Si enim humanitas vendicaret sibi inquantum humanitas, non repugnãtiam ad essendum in pluribus, nullo pacto humanitati posset conuenire repugnantia ad essendũ in pluribus: & sic nec per se, nec per accidẽs posset repugnare humanitati esse in pluribus: ꝙ est manifestè falsum, Humanitati enim Socratis ratione adiunctæ hæcceitatis repugnat esse in pluribus: Consequẽtia tenet: quia oppositum eius quod conuenit alicui, secundum ꝙ ipsum nullo modo potest inueniri in illo: vt habes ex primo Posteriorum. Quãuis igitur naturæ ratione sui non repugnet esse in pluribus: non tamen vendicat sibi ratione sui non repugnantiam ad essendum in pluribus: & cum eam non vẽdicet sibi secundum esse, quod habet in singularibus, relinquitur quòd vẽdicabit eam sibi secundũ esse quod in intellectu sortitur. Et quia ad hoc quòd aliquid sic vniuersale in actu, exigitur quòd vendicet sibi non repugnantiam ad essendum in pluribus cum in diffinitione eius ponatur: quod enim ponitur in diffinitione per se cõpetit diffinito: ideo res ratione sui non potest esse vniuersalis in actu, sed quam primum est obiecta intellectui agenti vel possibili, fit vniuersalis in actu, quæ vniuersalis erat in potentia. Quomodo autem fiat huiusmodi reductio potentiæ ad actum, iam dictum est, scilicet quòd ab intellectu agente fit per productionem speciei intelligibilis, ab intellectu vero possibili per formationem conceptus.

¶ Quod si aliquis finxerit, vniuersale in actu constitui per negationem repugnantiæ ad essendum in pluribus: & non exigere affirmationem non repugnantiæ aduertat se errare propter tria.

¶ Primò, propter hoc, quòd in diffinitione vniuersalis affirmatiuæ cadit ipsa aptitudo, seu non repugnãtia ad essendum in pluribus.

¶ Secundò, quia si ad vniuersalem sufficit negatio repugnãtiæ ad essendum in pluribus, ad singulare quoque sufficiet negatio repugnantiæ ad essendum in vno solo. Sicut enim vniuersale se habet ad multa: ita singulare ad vnum tantum: & si sic est tunc humanitas, inquantũ humanitas, erit vniuersalis & singularis: de ea enim vt sic negatur vtraque repugnantia.

¶ Tertiò, quia cum vniuersale in actu distinguatur cõtra singulare: sicut singulari repugnat esse in pluribus, ita vniuersali in vno tantum: humanitati autem, de qua negatur repugnantia ad essendum in pluribus, non repugnat esse in vno tantum, ergo negatio talis repugnãtiæ non sufficit ad constituendũ vniuersale in actu. Et potest hæc ratio formari cõtra principale sic: Vniuersale in actu repugnat esse in vno tantũ: humanitati inquãtum humanitas nõ repugnat esse in vno tantũ, aliter non posset saluari in vnioco tantum indiuiduo: ergo humanitas vt sic, non est vniuersalis in actu. Similiter dicas de quacunque alia natura. Hæc de tertio.

QVO ad quartum respondendum est argumentis in oppositum. Et primi quidem negatur antecedens, ad cuius probationem dicitur negando consequentiam. Non enim valet res circũscripto actu intellectus, non est genus: ergo sibi repugnat esse genus. Stat enim quòd abstrahat ab vtroque: sic autem est in proposito. Natura enim ipsa circunscripto actu intellectus abstrahit ab aptitudine ad essendum in pluribus, & à repugnantia ad essendum in pluribus: vt ex dictis patet.

¶ Ad secundum dupliciter respondetur, & vtroque modo bene. Primò negatur consequẽtia, si sermo sit. de intellectu agẽte: quia potentia actiua nõ præsupponit obiectum suum, sed facit illud. Si autem sermo sit de intellectu possibili, concessa consequentia prima, non sequetur, ergo vniuersale in actu est extra animam: quia fit per actũ intellectus agẽtis. Secundò dicitur, quòd cùm vniuersale in actu nominet duo, scilicet rem & aptitudinem, &c. res ipsa est obiectum, aptitudo autem est modus obiecti seu conditio, sine qua res non est obiecta. Sufficit autem, ꝙ res ipsa, quæ est obiectum, præcedat actum intellectus: & non oportet quòd modus eius præcedat. Obiectum enim, ait Aristot. est prius actu nõ modus obiecti. Vnde ad formam argumenti negetur consequentia, quia & si posterioritati antecedentis non obstet aptitudinem esse medium obiecti: obstat tamen illationi consequentis ex eo, priori tas enim modi non potest inferri ex posterioritate obiecti.

¶ Per hoc idem respondetur ad tertium, quòd scilicet res obiecta scientiæ reali est extra animam, non modus rei obiectæ: vniuersale autem in actu nominat vtrunque, scilicet rem & modum: & ideo vniuersale in actu non sequitur esse extra animam, ex eo quòd res, de qua est scientia est extrà.

¶ Ad formam argumenti dicitur, quòd vera existente maiore committitur fallacia figuræ dictionis: mutatur enim res obiecta in modum rei, seu in rem cum modo.

SED contra istas responsiones instat Sco. ibi: & primo contra primam sic, Quicquid est per intellectum agentem est prima intentio: ergo nullum vniuersale est in genere substantiæ: cõsequenter nulla est prædicatio in quid superiorum de inferioribus.

¶ Præterea, Vniuersale præcedit sensum, vt aliàs probatum est, ergo præcedit intellectum agentem.

¶ Præterea, Intellectus agens & possibilis sunt vna potentia: aliàs quilibet homo haberet duos intellectus: sed vnius potẽtiæ est vnũ obiectum quare si præcedit actũ vnius, præcedit actum alterius.

¶ Præterea, Secundum hoc nõ esset generatio vniuoca sine actione intellectus agentis. Dicetur fortè ꝙ nõ habeat aliquã vnitatem realem generans & genitum, sed similitudinem. Cõtrà, quia proximum, fundamẽtum similitudinis est vnũ quinto Metaphysicæ: sed nõ generans neque genitum, ergo aliquid commune vtrique. T.c.20.

¶ CONTRA secundam vero responsionem arguit: quia nullo intellectu considerante non erit vniuersale in actu: & ita scientia habitualis non esset obiecti vniuersalis in actu.

¶ Præterea, Obiectum, inquantum est prius actu, non intelligitur sub hoc modo: ergo vel sub nullo, vel sub opposito modo: sed non sub nullo: ergo, &c.

¶ Præter

¶ Præterea, Aut ille modus est fact⁹ ab intellectu, aut nõ, si nõ habet intẽtũ: si sì, ergo nõ est necessarius in obiecto: qa prius obiectũ est intellectũ sine illo modo causato ꝙ intellectionem obiecti.

AD HAS Instantias respondetur, præsupponendo sæpe iam dictũ, quod vniuersale duo dicit, rem & aptitudinem, seu vniuersalitatem. Vniuersale pro re posita in prædicamento est prædicabile, scibile est obiectum intellectus, diffinibile, & huiusmodi. Vniuersale autem pro aptitudine est modus: seu conditio rei prædicamentalis prædicabilis, scibilis, diffinibilis: &c. neque intellectus agens, aut possibilis facit rem, sed modum tantum.

¶ Ad primam ergo conceditur, quòd vniuersale pro eo quod sit ab intellectu agente, non est in prædicamento substantiæ, viterior autem consequentia nullam habet apparentiam.

¶ Ad secundam negatur antecedens, visus enim etsi sit coloris vniuersaliter, vt habes, à S. Tho. Prima secundæ, q. 26. ar. 6. non tamen est coloris vniuersalis.

¶ Ad tertiam similiter negatur antecedens: necessariũ enim est vt dicitur 3. de Anima, tex. Com. 17. in anima nostra esse duos intellectus, s. agentem & possibilem: qui nõ possunt esse eadem potentia cum potentia actiua & potẽtia passiua non sint eadem apud Arist.

¶ Ad quartam negatur cõsequentia, & dicitur quòd responsio illa ibi data est optima sanè intellecta, Ad improbationem eius dicitur, quòd similitudo fundatur suprà res ipsas, puta duas albedines: vel humanitates, tanquam fundamentum, & quòd vnitas non est fundamentum similitudinis, sed conditio fundamenti: fundatur enim similitudo propriè dicta suprà duas res habentes illam conditionem. scilicet mutuam negationẽ distinctionis formalis, puta duas albedines: & hoc modo intelligendus est Arist. 5. Meta. Et dato quòd vnitas esset fundamentum, adhuc non sequeretur, dari aliquid commune vnum vtriqueː dicam enim quòd similitudo non fundatur suprà vnum, quòd est generans, neque suprà vnum quod est genitum sed suprà vnum, quòd sunt generans & genitum. Iam autem declaratum est suprà cõmittit fallaciam consequentis, si sic procedatur, Generans & genitum sunt vnum formaliter, ergo habent aliquid vnum commune vtrique.

AD PRIMVM Eorum, quæ contra secundam responsionẽ adducuntur, dicitur quòd præcisè loquẽdo, de intellectu possibili, secatur vniuersale, quẽadmodũ scientia ita quòd scientia in actu est vniuersalis in actu: scientia in potentia est vniuersalis in potẽtia, & scientia in habitu est vniuersalis in habitu, quod tunc accidit, quando cùm volumus ipsum, in actu facimus. Egrediendo autem ad intellectum agentem, dicitur quòd nullo intellectu considerante, dummodo producta sit species intelligibilis, datur vniuersale in actu: eo quod Philosopho dormiente, rosa, cuius species in telligibilis in illius intellectu conseruatur, denominatur repræsentata absque hoc, & nunc actu intelligibilis, &c.

¶ Ad secundum dicitur, quòd obiectum vt prius actu nullum sibi vendicat modum: abstrahit enim ab omni esse & modo quidditas.

¶ Ad tertium dicitur, quòd modus ille fit ab intellectu agente: & cum infertur, ergo non est necessarium, negatur consequentia: quia potentia actiua non præsupponit conditionem sui obiecti, sed facit. Dicitur secundo, quòd dato quòd non fieret ab intellectu agente, fit ab intellectu possibili: & similiter negatur illa cõsequẽtia. Ad probationem dicitur, quòd falsum, scilicet quòd prius intellectus intelligit rem, deinde facit eius modum, simul enim vtrumque fit, intellectus enim formando conceptam rem absque hoc & nunc apud se facit, neque potest imaginari, quòd prius faciat rem, deinde absque hoc, & nunc sicut Socrates simul generat hominem nunc, & non prius hominem, deinde hunc.

¶ Ad quartum negatur, quòd relatio mensuræ fundetur in aliquo vniuersali, fundatur enim neque in vniuersali, neque in singulari, vt sic, sed in natura vna formaliter quę in singulari reperitur, & sic nõ est vnũ numero, vt sic mẽsura aliorũ, sed vnum formaliter.

¶ Ad quintum dicitur, quòd nihil aliud cõcludit, nisi quod vniuersale pro re est extra animam, sic enim accepto vniuersali inest primo passio seu realis operatio, homo enim est cui primò conuenit ridere, non homo vniuersalis. alioquin risibile non inueniretur in homine non vniuersali, puta Socrate.

¶ Ad sextum dicitur similiter, quòd extrema contrarietatis sunt res ipsæ non res particulares vt sic, neque vniuersales, aliter res nõ vniuersales, s. hæc albedo & hæc nigredo, nõ essent cõtrariæ.

¶ Ad septimum dicitur, quòd stant ista duo simul, Vniuersale prædicatur de rebus, &, Vniuersale sit ab intellectu, eo quòd vniuersale pro re est id quòd prædicatur, & quo ad hoc non fit ab intellectu. Vniuersale autem pro aptitudine est conditio rei, quæ prædicatur, & talis fit ab intellectu, prædicatio enim non debetur rebus nisi habentibus conditionem aliquam intentionalem. Vnde & Arist. 7. Meta. tex. Commen. 46. ait, quod substantia nõ dicitur de subiecto, quia loquebatur de ea secundum suam naturam. In prædicamentis vero vbi de substantia indutа accidentia intentionalia loquebatur, dixit substantiam dici de subiecto.

¶ Ad id verò, ꝙ ibi additur, dicitur ꝙ omnia illa verificantur de vniuersali pro re, sed exponenda est affirmatiua proposita negatiuè, vt sit sensus, Vniuersalia sunt vbique, &c. id est, naturæ ipsæ denominatæ vniuersales non terminant sibi locum neque tẽpus. Similiter dicitur, ad quod subiungitur, quòd forma & materia pertinent ad quantitatem vniuersalis, id est rei physicæ, quæ denominatur vniuersalis. Similiter vniuersalium tantum est diffinitio, id est rerum quæ denominatæ sunt vniuersales. Similiter res denominatæ genera, species, & differentiæ sunt extra animam, conditiones autem earum sunt per opus intellectus.

¶ Ad octauum dicitur quòd per ly singulare, duo intelligere possumus. quandoque intelligitur ipsa singularitas, quandoq; totum, scilicet res singularis. Primò modo accipiendo singulare, concedituꝛ consequentia, sed antecedens non est verum. Secundò modo antecedens Peripateticum est sed consequentia nihil valet, suprà enim iam diximus, in singulari multas vnitates existere, & non tantum numeralem.

Et quamuis hæc natura intellecta habeat rationem vniuersalis, secundum quòd comparatur ad res, quæ sunt extra animam? quia est vna similitudo omnium, tamen secundum quod habet esse in hoc intellectu, vel in illo, est species quædam intellecta particularis, & ideo patet defectus. Commentatoris in tertio de anima, qui voluit, ex vniuersalitate formæ intellectæ vnitatẽ intellectus concludere, quia non est vniuersalitas illius formæ secundum hoc esse, quod habet intellectum, sed secundum quod ad res refertur, vt similitudo rerum. Sicut etiam, si esset vna statua corporea repræsentans multos homines, constat quod illa imago, vel species statuæ haberet esse singulare & proprium, secundum quod esset in hac materia: sed haberet rationem communitatis, secũdum quod esset commune repræsentatiuum plurium.

¶ Et hæc secũda parte capituli huius Auer. errorem remouere intendit, qui in tertio de anima. cõ. 5. ex vniuersalitate formę intellectæ voluit declarare vnitatẽ intellectus hoc modo. Quod est vniuersale, suam vniuersalitem retinens est indistinctũ numero: forma intellecta, id est natura secũdũ esse in intellectu subiectiuè est vniuersalis suam vniuersalitatẽ retinens: ergo est indistincta numero: igitur subiectum eius, ꝙ est intellectus possibilis non est distinctum numero: & sic vnus intellectus in omnibus hominibus cõcluditur. Maior videtur ex se nota, qa vniuersalitati opponitur distinctio numeralis. Minor verò ex eo patet ꝙ species intelligibilis repręsentat vniuersale. Hæc ratio etsi alterius principium exigat pro sui dissolutione, & pro sui probatione: attamen quantum præsentis intentionis est ex dictis sic destruitur, vniuersale est aliquod duplex, s. in essendo & in repræsentãdo. Vniuersale in essendo esse, si daretur natura hominis separata, vt ideo Platonis & de tali vniuersali vera est maior: sed falsa minor. Vera quidem maior, quia tali vniuersali cùm secundũ esse vniuersalitatem sortiatur, secũdum esse quoque repugnabit distinctio numeralis: vnde impossibile est imaginari: plures homines vniuersales. Falsa autẽ est minor, quia species intelligibilis nõ est vniuersalis in essendo, cùm sit in singulari subiecto, scilicet intellectu possibili, qui indiuiduum quoddam est, licet immateriale. Vniuersale verò in repræsentando (vt dictum fuit) est quòd rem vniuersalem repræsentat: & tali vniuersali falsa est maior: licet minor sit vera & maioris quidem falsitas ex eo cognosci potest, quòd tale vniuersale vniuersalitatem non habet secũdum suum esse, quo respicit subiectum, vnde vnitas vel pluralitas numeralis in accidentibus oritur: sed habet vniuersalitatem secundum repræsentationem, quæ respicit obiectum: vnde non repræsentat obiecta distincta numero: sed vnum & idem obiectum omnium repræsentat omnes species euiusdem rei pura species humanitatis in te & in me: sicut eadem Socratis facies à pluribus per plures species idem omnino repræsentantes videtur. Minoris autem sic intellectæ veritas ex supradictis liquet: species enim intelligibilis repræsentat naturam, non repræsentãdo conditiones particulares eius, vt dictum est: hæc est sententia literæ in hac parte.

Et quia naturæ humanæ secũdum suam absolutam considerationem conuenit, quòd prædicetur de Socrate: & ratio speciei non conuenit sibi secundum suam absolutam, scilicet humanæ naturæ considerationẽ, sed est de accidentibus, quæ consequuntur eam, secundum quoddam esse, quod habet in intellectu, ideo nomen Speciei non prædicatur de Socrate, vt dicatur, Socrates est species, qđ de necessitate accideret, si ratio speciei conueniret homini secundum esse, quod habet in Socrate, vel secundũ suam absolutam considerationem, scilicet inquantum est homo, quicquid enim conuenit homini, inquantum est homo, prædicatur de Socrate.

¶ In hac parte tertia capituli huius talẽ obiectionẽ ex supradictis

Universidad de Deusto
Biblioteca

excludere intendit, quia quòd prædicatur de prædicato prædicatur & de subiecto, sed species prædicatur de homine, quòd est prædicatum respectu Socratis, ergo species prædicatur de Socrate, & sic Socrates erit species. Conclusio est falsa, maior vera ex anteprædicamentis habetur. Huius obiectionis peccatum vnde oriatur ex suprà posita distinctione eorum quæ conueniunt naturæ, manifestat simul ex hoc insinuans quàm conueniens tradita fuerit doctrina, cum ex ea difficultates accidentales dissoluuntur. Cùm enim dictum sit, quòd triplicia sunt quæ de natura prædicantur, quędam, s. absolutè, & quędà secundũ esse in intellectu, & quædà secundũ esse in singulari; ea quæ conueniunt naturæ secundũ esse in intellectu, non cõueniunt ei absolutè, neq; secundum esse in singulari cùm opposita sint, & ideo prædicato processu error accidit, quia denominatio specifica homini secũdum esse in intellectu cõuenit, & concluditur de homine secũdum esse in singulari, dum infertur, ergo Socrates est species. Vt autẽ ad formam argumẽti dici possit, innuit talem distinctionẽ. Prædicari de prædicato contingit dupliciter. Vno modo vt prędicato, id est secundum quòd illud prædicatur de altero, sicut animal prędicatur de prædicato Socratis, scilicet homine, secundum id secundum quòd homo prædicatur de Socrate secundum idem enim homo recipit prædicationem animalis & prædicatur de Socrate, secundũ suam naturam, & hoc modo maior est vera, minor autẽ falsa. Alio modo cõtingit prædicari de prædicato, non vt prædicato, id est non secundum illam rationẽ, quia illud prædicatum de suo subiecto prædicatur, sicut in proposito species non prædicatur de homine inquantum homo est prædicatum. Socratis, id est non prędicatur de homine secundum illud esse, quo homo prædicatur de Socrate, eo quòd homo prædicatur de Socrate secũdum suũ esse quiditatiuũ absolute, species autẽ prædicatur de homine non secũdũ eius esse quidditatiuum, sed secundũ esse quod in intellectu habet, & hoc modo maior est falsa, minor autem vera semper, ergo altera præmissarũ est falsa. Et hoc est quod in altera dicitur, quòd ratio speciei non conuenit homini secundum suam absolutã cõsideration em, secundũ quã conuenit sibi prædicari de Socrate, quia sic oportet etiã conuenire Socrati (vt suprà dictũ fuit) sed conuenit ei secundum esse in intellectu secũdum quod esse prædicatur de Socrate.

Et tamen prædicari conuenit generi per se, cum in eius diffinitione ponatur. Prædicatio enim est quoddam, quod completur per actionem intellectus componẽtis & diuidentis, habens tamen fundamentum in re, ipsam vnitatem eorum, quorum vnum de altero dicitur. Vnde ratio prædicabilitatis potest claudi in ratione huius intentionis, quæ est genus quæ similiter per actionem intellectus completur, nihilominus id, cui intellectus intentionem prædicabilitatis attribuit, componens id cum altero, non est ipsa intentio generis, sed potius id, cui intellectus intentionem generis attribuit. sicut quòd significatur hoc nomine Animal, sic ergo patet qualiter essentia, vel natura se habet ratione speciei, quia ratio speciei non est de illis, quæ conueniunt ei secundum suam absolutam considerationem, neque de accidentibus, quæ consequuntur ipsam secundum esse, quòd habet extra animam, vt albedo vel nigredo, sed est de accidentibus, quæ consequuntur eam secundum esse, quod habet in intellectu, & per hunc modum conuenit sibi ratio generis, vel differentiæ.

¶ In hac quarta parte capituli huius respondere intendit cuidam tacitæ obiectioni, quæ talis est. Quod per se prædicatur de speciebus cõuenit ipsis speciebus, sed ly genus, per se prædicatur de speciebus, puta homine & boue, ergo ly genus, conuenit ipsis speciebus, & sic homo erit genus & similiter bos. Maior est ex terminis nota, implicat enim quòd aliquid per se prædicatur de aliquo in quocunque modo perfeitatis & non conueniat illi. Minor probatur sic, Illud in cuius diffinitione ponitur prædicari de speciebus, per se prædicatur de illis, sed ly genus est, in cuius diffinitione ponitur prædicari de speciebus, ergo genus per se prædicatur de speciebus. Maior syllogismi huius patet ex eo, quòd quælibet pars diffinitionis in recto in primo modo perfeitatis conuenit diffinito. Minor autem in Porphyrio patet sic dicente, Genus est prædicabile de pluribus specie differentibus.

¶ Similiter omnino potest argui de specie respectu indiuidui, cũ etiã in diffinitione speciei ponatur prædicari de indiuiduis, & sic videtur quòd malè dictũ sit, Socratẽ non esse speciẽ. Huius obiectionis in litera motiuũ tantum tangitur, cum dicitur, Et tamen prædicari per se conuenit generi, cum in eius diffinitione ponatur.

¶ Responsio autem in residuo ponitur, in quo ad plenã materię huius discussionẽ duas distinctiões innuit. Prima est, prædicari dupliciter capitur, s. formaliter, & fundamẽraliter, seu materialiter. Secunda est, genus dupliciter accipitur, s. formaliter, & fundamentaliter, seu materialiter. Et debes scire, vt terminos intelligas quòd in hac propositione, Homo est animal, sunt tria, s. ly homo, ly est, & ly animal, quæ extra animam nihil aliud sunt, quam natura humana importata per ly homo, & natura sensitiua importata per ly anima, & vnitas seu coniunctio earum inter se importata, per ly est: hæc enim tria intellectus apprehendens in secunda sua operatione forma hanc propositionem, Homo est animal, qua formata reflectendo se super illa tria, vt terminant actum sui componentis adinuenit & attribuit eis qualdam relationes, & ly homo, attribuit relationem subiecti, & ly animal, relationem prędicati, & ly est, relationem prædicationis. Vnde prædicatio formaliter est illa relatio adinuenta ab intellectu: fundamentaliter verò seu materialiter est coniunctio rei prædicatæ cum re subiecta. Similiter cùm intellectus apprehendit naturam sensitiuam, & reflexerit se super illam, vt stat sub actu eius, videritque eam vt sic indifferenter se habere ad species in quibus primo inspexerat naturam illam saluari, attribuit naturæ sensitiuæ, seu animali obiecto relationem generis, & sic genus formaliter est illa relatio, genus autem fundamentaliter, seu materialiter est natura ipsa, puta sensitiua, & sic patent termini distinctionum.

EX HIS tria deducuntur. Primum est, q̃ cùm genus fundamentaliter, puta animal, non includat in diffinitione sua prædicationem fundamentalem, quia in diffinitione animalis nõ ponitur coniunctio eius cum homine, vel Boue, neque prædicationẽ formalẽ, quia in diffinitione rei non ponitur res secũdæ intẽtiõis, cõsequẽs est q̃ genus formaliter sumat, quãdo diffinit, à Porphyrio.

SECVNDVM est, quòd in diffinitione generis formaliter non cadat prædicatio fundamentalis de specie, puta homine, quia relatio generica non est coniuncta realiter rei, quæ denominatur species, cõsequens est, quòd prædicari de pluribus posium in diffinitione generis, sit accipiendum formaliter, scilicet pro relatione prædicationis: vna enim relatio potest cadere in diffinitione alterius, ita vt conceptus relationis, quæ est prædicatio de pluribus, &c. cadat in conceptu relationis, quæ est genus. Et hinc habes: quam conformiter S. Tho. dicant alterentes genus & speciem diffiniri pro secundis intentionibus in concreto.

TERTIVM deducẽdum est, quòd aliquid dicitur prædicari de specie dupliciter. Vno modo, vt res denominata prædicabilis de speciebus, & sic animal prædicatur de homine & Boue. Alio modo, vt id, quo res denominatur prædicabilis de speciebus, & sic genus, in cuius diffinitione ponitur prædicari de speciebus, prædicatur de ipsius speciebus. Sicut aliquid dicitur disgregatiuum visus dupliciter. Vno modo vt res denominata disgregatiua visus: hoc enim modo nix dicitur disgregatiua visus. Alio modo, vt id, quo res denominatur disgregatiua visus quemadmodum albedo dicitur disgregatiua visus, cum in diffinitione eius ponatur, disgregare visum. Et sicut stant ista duo simul, s. quòd res diffinita per disgregare visum est albedo, & non nix, res autẽ denominata disgregatiua visus est nix & non albedo, ita precisè in proposito stant ista duo simul. s. quòd res diffinita per prędicari de speciebus est relatio generica, res autem denominata prædicabilis de speciebus est natura, quæ subest illi relationi, puta animal, ita quòd res diffinita per prædicari, &c. est genus formaliter non materialiter, res autem denominata prædicabilis est genus materialiter, nõ formaliter. Vnde in litera dicitur, quòd ratio prædicabilitatis claudi tur in hac intentione, quæ est genus, id tamen, cui intellectus intentionem prædicabilitatis attribuit non est ipsa intentio generis, sed res, cui etiam ipsa intentio generis attribuitur.

¶ Ex quibus patet responsio ad obiectionem, quia loquendo de eo, quòd per se prædicatur de speciebus, vt res denominata prædicari. vera est Maior, sed falsa Minor: loquendo autem de eo quòd per se prædicatur, vt ratio denominandi falsa est Maior, licet Minor sit vera. Vnde cùm semper altera præmissarum sit falsa nihil concluditur. Hac distinctione nunc assignata in terminis simplicibus sic vti poteritis, prædicabile de speciebus dupliciter, formaliter & denominatiuè, q̃ prædicatur de homine & Boue denominatiuè est animal: q̃ autem prædicatur formaliter de homine & Boue, est genus, de prædicabili nominatiuè falsa est Minor de prędicabili formaliter falsa est Maior. Hæc dicta cum applicaueris ad speciem respectu indiuiduorum ad differentiã, proprium: & accidens, & reliqua huiusmodi, solues multas obiectiones, & illucescet tibi veritas multarum propositionum, quę obscure apparent. Residuum capituli est Epilogus, pe se patent, & cætera.

CAPVT V.

Quod simplicium substantiarũ essentia minime sit ex materia & forma quid compositum, sed tantũ forma, non item comparatur compositorũ essentiæ, & quod esse & essentia sit composita. Quid denique intelligentia effectiuè sint à Deo ex actu & potentia compositæ, multipliciter ostendit.

NVNC restat videre secundum quem modum essentia sit in substantiis separatis scilicet in anima, intelligentiis & causa prima. Quamuis autem causæ primam simplicitatem omnes Philosophi concedant, tamen compositionem materiæ & formæ in intelligentis & animabus quidam niuntur ponere, cuius positionis fuisse dicitur Auicebron Autor libri, Fontis vitæ. Hoc autem dictis philosophorum reperitur esse contrarium, quia eas substantias a materia separatas nominant, & absque omni materia esse probant, cuius demonstratio potissima est ex virtute intelligendi, quæ in eis est. Videmus enim formas non esse intelligibiles in actu, nisi secundum quod separantur a materia, & a conditionibus eius: nec efficiuntur intelligibiles in actu, nisi per virtutem substantiæ intelligentis, secundum quod recipiuntur in ea, & secundum quod aguntur per eam: vnde oportet, quod in qualibet substantia intelligente sit omnimoda immunitas a materia, ita quod nec habeat materiam partem sui, neque etiam sit sicut forma impressa materiæ, vt est de formis materialibus.

¶ Hic incipit tractatus secundus huius operis, intendens in duobus capitulis tradere notitiam de essentis substantiarum simplicium, quemadmodum tradita est de essentis substantiarum compositarum. Facit autem sex in præsenti capitulo. Primò declarat, quòd essentia in simplicibus non significat compositum quid ex materia, sed formam tantum. Secundo comparat illas essentias essentias essentiis substantiarum compositarum. Tertio ostendit tales substantias esse compositas ex esse & essentia. Quarto declarat intelligentias habere esse effectiue à Deo. Quinto ostendit eas esse compositas ex actu & potentia. Sexto de multitudine eorũ agit. Præmissa igitur primò concordi sententia Philosophorum de simplicitate omnimoda primæ causæ, & quibusdam dissentientibus circa immaterialitatem intelligentiarum adductis. Cõtra hos talem conclusionem ponit, Omnis substantia intellectualis est immaterialis, id est composita ex materia & forma, & independẽs à materia: quam sic probat, Omne patiens, vel agẽs, vel recipiens, vel habens in se intelligibile in actu est immateriale: omnis substantia intellectualis est patiens, vel agens, vel recipiens, vel habẽs in se intellig bile in actu, ergo omnis substantia intellectualis est immaterialis. Maior quo ad tres sui partes ex eodem medio probatur. s. ex hoc quòd intelligibile in actu oportet esse immateriale, tertio de Anima. tex. Com. 11. & 15. agens autem rem immaterialem oportet esse immateriale, eo quod agens non potest esse ignobilius suo effectu, vt dicitur 3. de Anima tex. Com. 18. & text. Com. 40. recipere quoque immateriale non potest res Immateria lis, vt patet 3. de Anima, Com. vnumquodque recipitur per modum recipientis: & per idem innotescit, quòd habere non potest res immaterialis immateriale cognoscibile in seipsa. Minor autẽ ab omnibus conceditur. Frustra enim esset substantia intellectualis nisi aliquid intelligeret: cum vnumquodque sit propter suam operationem, vt dicitur 2. Cœli. tex. Commento. 17.

Nec potest dicere aliquis quod intelligibilitatem non impediat materia quælibet, sed materiæ corporalis tantum: Si enim hoc esset ratione materiæ corporalis tantum, cum materia non dicatur corporalis, nisi secundum quod stat sub forma corporea, tunc oporteret, quod hoc haberet materia à forma corporali, scilicet impedire intelligibilitatem. Et hoc non potest esse: quia & ipsa forma corporalis actu intelligibilis est, sicut & aliæ formæ, sed quod à materia abstrahuntur. Vnde in anima intelligentia nullo modo est compositio ex materia & forma, vt hoc modo accipiatur materia in eis sicut in substantiis corporalibus, sed est ibi compositio formæ & esse. Vnde in commento nonæ propositionis libri de causis dicitur, quod intelligentia est habens formam & esse, & accipitur ibi forma pro ipsa quidditate, vel essentia simplici.

¶ Quia posset aliquis credere rationem factam recipere responsionem, ideo intendit hic excludere responsionem: quæ posset imaginari sufficiens. Ad hoc posset aliquis distinguere de materia corporali & materia simpliciter & dicere quòd maior est vera de materia corporali, non autem de materia simpliciter, & consequenter concedere, quòd omnis substantia intellectualis est immunis à materia corporali, non autem à materia, quia non materia, sed materia corporalis impedit intelligibilitatem in actu.

¶ Contra hãc fugam instatur ratione ducente ad impossibile sic, Materia corporalis impedit intelligibilitatem per te, ergo forma corporalis est id vnde materia habet, q̃ impediat intelligibilitatẽ, hoc est impossibile, ergo à destructione cõsequẽtis, &c. cõsequẽtia est nota ex terminis. Cùm enim materia corporalis duo dicat, s. ly materia, & ly corporalis, & ex ly materia secundum aduersarium non impeditur intelligibilitas in actu, restat q̃ hoc impedimentum sit ex ly corporalis, sed ly corporalis nihil addit supra materiam, nisi formam corporeã, ergo ex forma corporali, seu corporea oritur, q̃ materia impediat intelligibilitatẽ in actu. Falsitas autẽ cõsequẽtiæ ꝓbatur sic: Omnis forma nõ concepta cũ materia est actu intelligibilis, patet ista ex 3. de anima. tex. com. 11. Forma corpora est forma secũdũ se non cõcepta cum materia, accipitur enim distincta contra materiam, ergo forma corporea secundũ se est actu intelligibilis. Tũc vltra, Nihil secũdũ se actu intelligibile ex se impedimẽtum præstat intelligibilitatis, forma corporea est homini, ergo forma corporalis nõ est id vnde materia impedimẽtũ intelligibilitatis ſmmat, q̃ erat ꝓbandũ. Est igitur tã anima intellectiua, q̃ intelligentia q̃libet non cõposita ex materia & forma. Si accipiamus cõpositionem ex materia & forma vniuocè, prout, s. materia & forma nominant partes essentiales rei, quemadmodum dictum est, substãtias aliquas esse cõpositas, in præcedẽtibus, sed est in eis aliud genus compositionis, s. ex forma esse, de quo infra erit sermo, & sic habetur prima pars intenti, scilicet quòd essentia in substantiis intellectualibus non significat cõpositum quid ex materia & forma. Remanet ergo modo declarandum, quomodo significet formam tantum, propterea subiungit.

Et quomodo hoc sit, planum est videre. Quæcunque enim ita se habẽt ad inuicem, quod vnum est causa esse alterius, illud quod habet rationem causæ, potest habere esse sine altero, sed non conuertitur. Talis autem inuenitur habitudo materiæ & formæ, quòd forma dat esse materiæ & ideo impossibile est esse aliquam materiam sine forma: tamen non est impossibile esse aliquam formam sine materia, forma enim non habet in eo, quòd forma dependentiam ad materiam, sed si inueniantur aliquæ formæ, quæ non possunt esse nisi in materia, hoc accidit eis secundum quòd sunt distantes à primo principio, quod est actus primus & purus. Vnde illæ formæ, quæ sunt propinquissimæ primo principio, sunt formæ per se sine materia subsistentes: non enim forma secundum totum genus suum materia indiget, vt dictum est & huiusmodi formæ sunt intelligentiæ: & ideo non oportet vt essentiæ, vel quidditates harum substantiarum sint aliud, quam ipsa forma.

¶ Intendens in his verbis declarare, quomodo essentia in substantiis simplicibus significet formam tantum tali ratione hoc probat: Quæcunque ita se habent, quòd vnum est causa esse alterius, & non econuerso: illud quòd habet rationem causæ, potest esse sine altero: sed forma & materia ita se habẽt, quòd forma causat esse materiæ, & non econuerso, ergo forma potest esse sine materia, & materia non sine forma. Tunc vltra, Essentia intelligentiarum non est composita ex materia & forma, & non potest esse materia totum, ergo est forma tantum.

ET nota quod maior propositio potest dupliciter intelligi. Vno modo sic, q̃id quod est causa alterius, & e. idem numero possit esse sine altero, & sic nõ assumitur à nobis, quia est falsa & extra propositum. Falsa quidem, quia subiectum causat esse proprię passionis, & non econtra: & tamen subiectum non potest esse sine propria passione. Extra propositum verò, quia nolumus cõcludere, q̃ forma, q̃ est in materia, sit sine materia: sed q̃ aliqua forma non exigit materiã. Alio modo intelligitur maior, q̃ id q̃ habet rationem causæ secundum suum ordinem, potest esse sine altero, id est secũdũ aliquod sui ordinis potest reperiri sine altero, & sic est vera, & ad propositum. Vera quidem, quia causa cum independens sit à causato; consequens est, vt aliquod pertinens ad suum ordinem possit habere esse extra causatum. Ad propositum verò, quia intendimus concludere, q̃ forma secundũ suũ genus nõ dependet à materia, ita q̃ aliqua forma potest inueniri separata, Vnde & in minori notanter non assumitur forma materialis, seu habens esse in materia: sed forma sine additione aliqua ad infinuandum q̃ loquimur de forma, vt forma, est, nõ vt talis vel talis. Patet autem minor illa ex nono Metaph. text. com. 13. & 15. vbi habetur q̃ actus est prior potentia simpliciter & independens ab ea. Ex eo enim q̃ forma essentialiter est actus, materia autem essentialiter potentia, si actus secundũ totã suã latitudinẽ non dependet à potentia, consequens est, q̃ forma secundũ totũ suũ ordinẽ non dependet à materia. Materiam autem cum essentialiter sit potentia, necesse est dependere à forma sine qua actualitas non inuenitur: & sic patet minor: quia à forma absolutè in eo q̃ forma, dependet à materia in suo esse, sicut potentia ab actu, & non econuerso. Quod vero alicui actui cõueniat, quòd nõ inueniat nisi receptus in aliqua potentia, hoc est ex eius imperfectione, & non habet hoc in eo, quòd actus: & similiter quod aliquæ nõ sint nisi in materia, hoc habent ex sua imperfectione formæ, quæ attenditur penes distantiã à primo principio Deo glorioso, & propinquitatem ad pri

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad primam materiam, vnde tales formæ non solùm causant esse materiæ, sed & ipsæ causatæ sunt quodammodo à materia. Causæ enim sunt sibi inuicem causæ, vt dicitur secundo Ph.tex Com. 30. Essentia igitur substantiarum intellectualium est immaterialis & forma tantum.

QVAESTIO VIII.

Num materia possit esse sine forma.

CIRCA hanc partem occurrit quæstio, & hæc est octaua, an materia possit esse sine forma. In hac quæstione tria facienda sunt, primò ponetur Scoti opinio, secundo ponetur opinio S.Th. tertiò respondebitur rationibus in oppositum.

QVO ad primum Scotus in 2. sent. dist. 12. q. 2. opinatur posse materiam esse sine, forma, arguitque ad hoc probandum multipliciter.

¶ Primò sic, Non minus dependet accidens à substantia quã materia à forma, sed accidens potest esse sine substantia, vt patet in Sacramento altaris. Ergo materia potest esse sine forma.

¶ 2 Prætereà, Absolutum distinctum & prius alio absoluto potest esse sine illo absque contradictione, materia respectu formæ est huiusmodi, ergo potest esse sine forma, minor est euidens, maior probatur, quia prius in eo quod prius, non dependet à posteriori, & accipitur hoc ex 5. Meta. text. com. 16. priora sunt, quæ possunt esse sine aliis, alia non sine ipsis.

¶ 3 Prætereà, Quicquid absolutum facit Deus in creaturis mediãte causa secunda, quæ non est de essentia causati, potest facere sine illa, sed materiam Deus facit mediante forma, quæ non est de essentia eius, ergo potest facere sine illa.

¶ 4 Prætereà, Quicquid Deus immediatè creat, immediate cõseruat vel conseruare potest, sed materiam Deus immediè, creat, ergo immediatè conseruare potest, ergo sine omni forma.

¶ 5 Prætereà, Cũ nihil Deus extra se necessario velit ex hoc quòd vult materiam esse, non est necesse ꝙ velit materiam esse, nisi propter necessariam connexionem vtriusque, sed inter materiam & formam non esse talis necessaria cõnexio, ergo, &c. Quod autem non sit talis necessaria connexio inter materiam & formã, probatur, quia tunc sequeretur, ꝙ materia determinaret sibi necessariò aliquam determinatam formam. Probatio cõsequentię, Quod determinat sibi genus formæ determinat sibi aliquam speciem in genere illo, & ꝙ determinat sibi speciem, determinat sibi esse in aliquo indiuiduo illius speciei, omne enim ꝙ de necessitate est homo, necessariò est hic vel ille homo, consequens autem est falsum, materia enim nullam sibi determinat formam, ergo relinquitur, quòd materia non determinat sibi genus formę ad hoc quod sit. Confirmatur, Quicquid contingenter se habet ad quodlibet generis absoluti, contingenter se habet ad id genus absolutũ, sed materia contingenter se habet ad quamlibet formam, ergo materia cõtingenter se habet ad genus formæ. Probatur adhuc, quòd si materia sibi determinat de necessitate genus formæ, ꝙ etiam de necessitate determinat sibi vnum indiuiduum solum illius generis, quia vnum essentiale, & vnum singulare est impossibile depẽdere à pluribus essentialiter eiusdem generis, materia autem est vna essentialis & singularis, ergo impossibile est, quòd dependeat à pluribus formis eiusdem generis, & sic si necessario determinat sibi genus formæ, necessario quoque determinabit sibi aliquam vnam formam, quod falsum est. Hic de primo.

QVO ad secũdum S.Th. in prima parte. q. 96. art. 1. & in quæstionibus de potentia Dei, q. 4. ar. 1. & in quolib. q. 3. art. 1. confirmat hic quod hic dicit, scilicet materiam non posse esse sine forma duabus rationibus.

¶ Prima est ducens ad impossibile sic, Si materia existeret absque omni forma, materia simul non esset, & nõ esset: hoc implicat cõtradictionem, ergo: probatur cõsequentia quo ad secundã partẽ, quia quo ad primã ab aduersarijs cõceditur. Impossibile est effectũ formalẽ separari à forma, sed existere est effectꝰ formalis formæ, sic enim diffinitur: Forma est q̃ dat esse rei, ergo impossibile est ponere existentiam sine forma. Sicut enim impossibile est esse album sine albedine, ita esse in actu sine actu, actus autẽ primus, cuius est dare esse, idẽ est ꝙ forma. Ex illa ergo propositione, Materia existit absque omni forma sequuntur duo cõtradictoria simul vera, ex eo enim ꝙ materia existit, sequitur ꝙ sit in actu, ex eo autẽ ꝙ est absq; omni forma, sequitur ꝙ non sit in actu. Huic rationi dat Sco. quandam responsionem, quæ quia non nisi chimerica, & tanquam indigna, de qua verba fiant, omittatur, quolibet enim proferente contraria solicitum esse stultum est, ait Aristot. à quo didicimus in libro nono Metaph. quid sit actus & quotuplex.

¶ Secunda ratio S.Th. ad hoc idem est ista, Omne indiuiduũ determinatũ ad genus cõplemẽtum, vel incõpletum in rerũ natura per se existens est in aliqua certa specie per se vel reductiuè, materia sola neq; per se neq; reductiue est in aliqua certa specie, ergo materia sola nõ potest esse indiuiduũ quodcũque in rerum natura. Minor est ex se clara, nõ enim facile esset fingere, in qua determinata specie esset materia sola. Maior probatur ex eo ꝙ indiuiduum omne tam completum, quàm incompletum, si per se existit in rerum natura separatum (quòd dico propter individuum generis, vt hæc substantia, hæc anima, &c.) nõ continetur sub genere per se, vel reductiue immediate: sed mediante specie, inter genera enim & indiuidua mediat species, & inter principia generis & principia indiuidui mediant principia speciei pariformiter. Insuper hæc Maior potest probari ad hominem assumendo dicto Sco. 5. arg. ibi enim ipse expresse assumit, quòd quid determinat sibi genus aliquod, determinat sibi aliquam certam speciem illius generis. Et potes etiam ex dictis Sco. ibi arguere ad hominem, & probare oppositum intenti sui sic, Quicquid determinat aliquod genus determinat sibi aliquam certam speciem illius generis, materia sola determinat sibi genus substantiæ ergo determinat sibi aliquam certam speciem substantiæ saltem reductiue, ergo materia sola esset in aliqua certa specie, hoc est falsum, Minor est omnium, & processus bonus, ergo, &c.

¶ Hanc veritatem approbat Arist. (vt ipse Sco. confiteturlloco allegato. Sed quia dicit ex falso fundamento Arist. hanc cõclusionẽ tenuisse, s. ex hoc, quòd Deus non potest agere sine causis secundis, ostendo in hoc, Scotum errare ex dictis Commen. secundo enim Physico. Commen. 12. Auer. ex eodem præcisè fundamento quòd S. Tho. adduxit in prima ratione, tenet istam cõclusionem. Vbi nullam fieri mentionem de connexione causalitatis primæ causæ apparet, sed tantum de actu & potentia, ita quòd ex natura actu & natura primæ materiæ, quæ est pura potentia, concludit Auer. ꝙ duo cõtradictoria essent simul vera, vt deductum est &c. Auicenna quoque in secundo Metaphysicæ suæ, capitulo tertio tenet conclusionem Scoti esse impossibilem, & tamen posuit expresse materiam esse creatam. Vnde hæc tanquam destructiua Metaphysicalium principiorum vitanda est, Hæc de secundo.

QVOAD tertium respondeo. Ad primum negatur antecedens, plus enim dependet potentia pura ab actu, quam actus imperfectus ab actu perfecto.

¶ Sed contra hoc instat Antonius Trombeta sic, Magis dependet posterius à priori, quam prius à posteriori, sed accidens est posterius substantia, materia autem est prior forma, ergo magis dependet accidens à subiecto, quàm materia à forma. Forte diceretur (ait) quòd materia non est prior, sed posterior forma. Cõtra: nam licet materia sit posterior forma ordine perfectiõis, est tamẽ prior ordine generationis, & consequenter prior simpliciter, vt arguatur sic, Quandocunque sunt aliqui duo ordines, quorum vnus simpliciter est prior altero, quicquid est in ordine priori est simpliciter prius quocunque existẽte in ordine posteriore, sed ordo originis & ordo perfectionis ita se habent, ꝙ ordo originis est simpliciter prior ordine perfectionis (& hoc in natura limitata) ergo quicquid est prius origine, est prius simpliciter quocunque priore ordine perfectionis, sed ita est, ꝙ materia est prior origine forma, licet forma sit prior perfectione, ergo materia est simpliciter prior forma. Processus bonus, & Maior probatur, quod scilicet ordo originis est simpliciter prior ordine perfectionis, nam priora generatione sunt posteriora perfectione, natura enim semper procedit de imperfecto ad perfectum, ergo quicquid est imperfectius, est simpliciter prius quocunque perfectiori, sed materia prima est imperfectior forma, ergo materia prima est simpliciter prior forma. Tunc vltra, Est simpliciter prior forma, & omne prius in suo priori potest esse sine posteriori, ergo, &c.

¶ Ad hoc respondetur triplici responsione, ad insinuandum argumenti multiplicem defectum.

¶ Primo dicitur, quòd forma, licet sit posterior materia ordine generationis est tamen prior etiam ordine generationis materia existente. Magni enim refert dicere materiam, & materiam existentem, sicut superficies est prior albedine albedo tamẽ est prior superficie habente esse album, vnde in proposito cùm sermo sit de materia existente (si enim poneretur materia sola in rerum natura oportet ipsam existere) patet falsum assumi.

¶ Secundò, dicitur ꝙ aliud falsum ibi assumitur, s. ꝙ ordo generationis sit simpliciter prior ordine perfectionis, stãdo infra limites naturæ finitæ, cum enim actus sit prior potentia simpliciter, tam si ponatur Deus finitus, quàm infinitus, vt patet ex nono Metap. tex. Com. 15. & 12. & tex. Cõ. 30. & prioritas actus sit prioritas perfectionis, consequens est ꝙ secundum Arist. & veritatem ordo perfectionis sit simpliciter prior ordine generationis. Amplius. Id ꝙ est prius natura ratione & tempore, est simpliciter prius. ordo perfectionis prior natura ratione & tempore ordine imperfectionis, qualis est ordo generationis, qui se tenet ex parte causæ materialis, ordo igitur perfectionis est prior simpliciter media quoque propositio est Arist. octauo Physic. tex. Com. 75. vbi expresse loquitur in natura finita ad probandum, s. motũ circulare esse primum. Vnde ad probationem, concesso, quod priora generatione sunt imperfectiora, & ꝙ natura procedit de imperfecto ad perfectum, negatur consequentia. ergo ordo generationis est simpliciter prior, licet enim agens naturale prius attingat imperfectum. oportet

oportet tamen prius agens in se perfectum esse: vt dicitur in 12. Metaph. tex. Com. 40. Hic aduerte tu, ꝙ oportet mendacem esse memorem: in quæstione de primo cognito. Anto. Trombeta, quas impugnat propositionis, has assumit, &c.

¶ Tertio dicitur, quòd dato toto processu, vltima consequentia nihil valet, falsum est enim, quod omne prius possit secundum rem absolui à posteriori quolibet (vt ad secundum dicetur.)

¶ Sed contra primam responsionem, quæ ponit materiam nõ habere propriam existentiam: sed eam mendicare à forma, instatur sic: Cuicunque cõuenit actu causare pro aliquo signo, conuenit & existere pro eodem signo: sed materiæ primæ in primo signo, quo recipit formam, conuenit causare, ergo pro tunc sibi conuenit existere: sed pro illo signo non habet existentiam formæ, ergo propriam. Et confirmatur quia materia aut causat compositum, & recipit formam, quando existit, aut quando non existit: nõ quando non existit ergo quando existit, ergo pro tunc. conuenit sibi propria existentia, quia existentia formæ sequitur, totum compositum. Et confirmatur secundo, quia causa non mendicat, à suo effectu materia autem causat existentiam compositi & formæ: ergo non mendicat existentia ab eis, &c.

¶ Ad hæc dicitur, quod sufficit causæ pro quolibet instanti temporis quo actu causat habere existentiam: nec apparet necessarium, quòd pro quolibet signo naturæ in sit existẽtia sibi: quo inest causalitas: ordo enim naturæ talis est in eodem instanti temporis, quòd, scilicet materia recipit formam: ex quibus resultat compositum, cui iam esse actualis existentiæ aduenit: quo ipsum compositum primo, forma secundo, & materia tertio existunt. Ad formam autem primæ instantiæ negatur Maior. Ad primam confirmationem dicitur, quod materia causat, quando existit: quia pro omni instanti quo causat, existit: quando enim est terminus temporalis. Ad secundam confirmationem dicitur, quod licet causa vt causa non mendicet à suo effectu: tamen causa materialis mendicat à suo effectu, quæ est eius causa in altero genere causæ: eo quod causæ sunt sibiinuicem causæ, quinto Metaph. text. com. 2. Oportet autem has responsiones à Scotistis admitti: quia cũ Sco. ponat secundo sent. distin. 3. q. 3. existentiam esse vltimum actum posteriorem tota coordinatione prædicamentali, licet non distinctum realiter à re cuius est, oportet essentiam materiæ ex natura rei habere habitudinem ad suam euidentiam, vt potentiam ad actum. Et tunc potest argui sic, Essentia materiæ, vt distincta contra suam existentiam, causat ex natura rei in genere causæ materialis suam existentiam, recipiendo eam: ergo sibi pro illo signo conuenit existentia, & sic habet existentiam antequam recipiat eam. similiter stando in illo signo: aut essentia materiæ recipit ex natura rei suam existentiam, quando est, aut quando non est, &c.

¶ Ad secundum principale negatur Maior. Ad eius probationem dicitur, quòd non sola dependentia sed necessaria connexio aliquorum potest esse causa inseparabilitatis eorum. Ad id, quod adducitur ex quinto Metaph. dicitur quòd vniuersalis affirmatiua non conuertitur simpliciter: ista enim est vera, Quæcunque possunt esse sine aliis & alia, nõ sine ipsis sunt priora, sed nõ conuertitur, quæcũque sunt priora possunt esse sine aliis, & alia sine ipsis.

¶ Et nota quòd maxima illa Scotica, Omne prius absolutum, &c. non potest salnari, etiam sequendo viam Sco. quòd pro nunc ex duobus manifestatur. Primo ex eo, quòd partes essentiales simul sumptæ sunt priores toto, & tamen apud Sco. non possunt esse sine toto.

¶ Secundo ex eo, quod prædicamentum quantitatis est absolutè prius prædicamento qualitatis, præsertim quo ad quartam speciem eius, & tamen non potest fieri quantitas continua sine figura. Si enim quantitas sine figura fieri dicatur, aut finita, aut infinita, non infinita, quia illa non dabilis, & si forte imaginetur dari adhuc cum oporteat esse lineatam, aut ergo linea recta aut curua, & sic esset figura, si finita, ergo figurata, figura enim est quæ termino, vel terminis clauditur, & similiter aut habet lineas rectas, aut curuas, aut circulares.

¶ Ad tertiũ quicquid sit de Maiori. negatur Minor, forma eñ etsi non sit de essentia materiæ, est tamẽ de essentia materiæ existẽtis.

¶ Ad quartum dicitur, quòd eum medium sit duplex effectiuum & formale, quicquid immediatè Deus causat effectiuè, potest absque media causa effectiua conseruare, non autem absque media causa formali, quale medium est forma respectu materiæ.

¶ Ad quintum negatur, quòd inter materiam & formam non sit necessaria connexio. Ad cuius probationem negatur consequentia, cuius probationis falsa est Maior, per id autem quòd additur, scilicet secũdum quòd necessariò est homo, necessariò est hic, vel ille homo, nisi aliud habetur, nisi quòd quia materia necessariò determinat sibi genus formæ, ideo materia non potest esse sine hac, vel illa forma, quod est intentum nostrum. Non enim valet consequentia. A necessariò est homo, ergo A necessariò est hic vel ille determinate, sed vage: & sic conceditur, materia necessariò determinat sibi formam, ergo necessariò determinat sibi hanc vel illam formam, non determinate, sed vage.

¶ Ad confirmationem, cum dicitur, Quicquid cõtingenter se habet ad quodlibet generis absoluti, cõtingenter se habet ad genus ipsum, eodem modo respondetur, distinguendo contingenter se habere ad quodlibet determinate, vel vage. Primò enim modo falsa est maior. Secundò verò falsa est minor, materia enim non contingenter, sed necessario se habet ad quamlibet formam indeterminate, & vage.

¶ Ad aliam probationem dicitur, quòd vnum essentialiter vnum & singulare negatiuè, sicut est materia prima, potest essentialiter dependere in esse à pluribus eiusdem generis indeterminatè & vage, secundum quòd illa plura habent vnam rationem communem, sicut in proposito omnes formæ conueniunt in hoc, quòd dant esse actuale. Reflecte hoc argumentum contra Sco. de quantitate & figura, & forte persuadebis infirmitatem eius, quantitas enim continua determinat sibi genus figuræ, nullam tamen sibi figuram vendicat. Hæc de quarto.

In hoc ergo differt essentia substantiæ compositæ & substantiæ simplicis, quòd essentia substantiæ compositæ non tantum formam, nec tantum materiam, sed complectitur formam & materiam, essentia vero substantiæ simplicis est forma tantum. Et ex hoc causantur duæ aliæ differentiæ, & vna est, quòd essentia substantiæ compositæ potest significari vt totum, vel vt pars, quòd accidit propter materiæ designationem, vt dictum est, & ideo non quomodolibet prædicatur essentia rei compositæ de ipsa re composita. Non enim potest dici, quod homo sit quidditas sua. Sed essentia rei simplicis, quæ est sua forma, non potest significari nisi vt totum, cum nihil sit ibi præter formam, quia formam recipiens. Et ideo quocũque modo sumatur essentia substantiæ simplicis, de ea prædicatur. Vnde Auicenna dicit, quòd quidditas substãtiæ simplicis est ipsummet simplex, quia non est aliquod recipiens ipsam.

¶ In hac secunda parte capituli comparat essentias substantiarum simplicium essentiis substantiarum compositarũ, triplicem differentiam inter eas assignando. Primæ differentia est, quòd essentia substantiæ simplicis significat formam tantum: essentia autẽ substantiæ compositæ significat compositum quid ex materia & forma: vtraque pars differentiæ patet ex supradictis. Secunda differentia est, quòd essentia substantiæ compositæ potest significari vt totum & pars, non autem essentia substantiæ simplicis. Vnde oritur, quòd quia prædicatum non debet habere rationem partis, quòd essentia substantiæ compositæ quandoque prædicatur de ea: & quandoque non cùm scilicet significatur vt pars. Essentia autem substantiæ simplicis, quia vt pars denotabilis non est, semper prædicatur de eo, cuius est.

AD euidentiam huius differentiæ notãdum, quia primo aspectu apparet falsa ex eo quòd patet, quòd in positis nominibus substantiis separatis: possunt significari earum essentiæ in abstracto & in cõcreto, & consequenter vt totum & pars: possum enim dicere Gabriel & Gabrielitas, Deus & Deitas, &c. Sed licet ita appareat diligenter tamen insipienti oppositum illucescit. Considerandum enim, quòd loquimur de essentiis rerum & conditionibus earũ, quæ eas sequuntur, & non de illis quæ ex solo opere intellectus fiũt essentiæ enim substantiarũ compositarũ ex eo, quòd duas partes realiter habẽt, seu ex eo, ꝙ sunt formæ in materia, ex se habent: vnde intellectus fundet in eis significationem per modum partis & per modum totius. Cùm enim significat formam illam in habente seu deferente, significatur vt totum & concretum, vt homo: cum autem significat illam, non vt in habente, seu differente, sed per se significat in abstracto & per modũ partis, vt humanitas. Essentiæ autem substantiarum immaterialium, quia dicunt formas non receptas in materia: ideo ex se non habẽt, q̃ uòd significentur in concreto & in abstracto, vt totum & pars & cætera. non enim est ibi deferens nec delatum. Sed quia intellectus noster intelligit res simplices & altissimas per modũ rerum compositarum: vt dicunt Commen. 12. Metap. com. 39. & S. Th. prima parte. q. 13. fuit necesse, in illis formaret abstractum & cõcretum, & intelligeret eas per modum totius & partis. Differentia ergo posita hic est cum additione intelligenda: sic quòd essentia substantiarum compositarum ex se habet, quòd significabilis sit per modum totius, & partis, essentia autem simplicium ex se non habet, quòd significetur per modũ totius & partis, sed ab intellectu tantum: & ideo diuersitas, quæ inter abstractum & concretum in substantiis compositis est ex parte rei, & reducitur ad distinctionem, quæ est inter subiectum deferens & formã delatam. Diuersitas autem, quæ est inter abstractum & concretum in substantiis separatis, non est id ex parte intellectus: vt Com. ibi dicit. Et propter hoc dicit Auicẽ. quòd quidditas simplicis est ipsum simplex, & quidditas compositi non est ipsum compositum.

CIRCA hanc particulam est vnum dubium, An verum est quòd in substantiis separatis idem sit quidditas, & id cuius est, id est

Universidad de Deusto
Biblioteca

id est natura & suppositū. Est autē ratio dubitandi, qui S.Tho. in quolib.2.q.2.art.2.dicit, ꝙ cum apud Arist.7.Met.tex.com.20.& 21.in his quibus admiscetur aliquod accidēs, natura & suppositū distinguūtur,& intelligēntis aliis à prima aliquod accidēs sit in omnibus excepta prima, natura & suppositū distinguūtur siue quid ditas, & id cuius est. Ex alia parte 3. de ani.cō.9. dicit in separatis à materia idē est, ꝙ q.d est & id, cuius est. Et in prima parte S.Th. q.3.ar.3.expresse hoc dicit, ꝙ & apparet hic authoritate Auicēnę.

AD intellectum huius difficultatis est notandum, quòd cum nomine Naturæ intelligatur id quod per diffinitionem significatur: nomine autem suppositi indiuiduum habens illam quidditatē secundum triplicem gradum substantiarum, in vniuerso tripliciter inuenitur differentia suppositi à natura.

¶ In substantiis siquidem materialibus suppositum differt à natura dupliciter secundum rem,& vltra hoc secundum rationē. Differt primo modo intrinsece , quia aliquod reale suppositū sibi intrinsecū includit, quod non includit natura, s.principia indiuiduationis. Si enim Socrates diffiniretur,in eius diffinitione poneretur hæc materia,quæ nō ponitur in diffinitione naturę humanæ. Differt secundo extrinsece , quia aliquid reale extrinsecum sibi includit suppositum, s.esse actuale existentiæ, ꝙ non includit natura,existentia enim primo est actus suppositi, cuius est fieri,quæ tamen caderet in diffinitione Socratis , si diffiniretur.Differt tertio secundum rationem,vt patet.

¶ In substantiis autem separatis aliis;à prima suppositum differt à natura duobus modis tantùm , scilicet extrinsece secundum rem & secundum rationem, nihil enim reale intrinsecum sibi includit suppositum in eis, ꝙ non includat natura,quia non indiuiduatur per aliquod positiuum contrahens naturam specificam, ꝙ sit velut differentia indiuidualis suppositо intrinseca , sicut est in substantiis materialibus.Sed quia in eis, vt patebit, existentia differt realiter à natura, quæ primò, vt dictū est,est actus suppositi,ideo suppositum in eis differt extrinsecè à natura, addit enim extrinsecè realitatē existentiæ. Differt secunda secundū rationē, vt patet. In Deo verò glorioso suppositum vno modo tantum differt, scilicet secundum rationē,quia nec natura diuina indiuiduatur per additum, nec existentia sua distincta est realiter ab eius essentia, vnde patet, ꝙ vtraq; pars dubij est vera aliquo modo, & quòd in substantiis separatis differunt,secundum rem ꝙ quid est,& id cuius est , quia extrinseca differentia differunt secundum rem , & quod sint idem,quia non differunt per aliquam intrinsecam differentiam realem,hanc autem esse mentem S.Th. diligenter intuenti dicta eius locis allegatis facilè innotescere potest.

Secunda differentia est,quia essentiæ rerum compositarum ex ex eo quòd recipiuntur in materia signata, vel multiplicantur secundum diuisionem eius, contingit quòd aliqua sint idem specie, & diuersa numero. Sed cùm essentia simplicium non sit recepta in materia,non potest ibi esse talis multiplicatio.Et ideo non oportet,quòd inueniatur plura indiuidua vnius speciei in illis substantijs.Sed quotquot sunt indiuidua,tot sunt species,vt Auicenna dicit expresè.

¶ Hic ponitur tertia differentia in ordine vocata secūda inter eas quæ oriuntur ex prima, & dicitur ꝙ differunt etiam in hoc essentia substantiæ compositæ,& essentia substātiæ simplicis, ꝙ essentia substantiæ compositę est plurificabilis numero in eadem specie,sicut essentia humana distinguitur numero in Socrate & Platone. Essentia autem substātiæ simplicis,id est separatæ à materia non est plurificabilis in plura indiuidua eiusdē speciei,sed quodlibet indiuiduum constituit vnam speciem & distinguitur specifice ab alio. Et fundamentum eius est,in duabus propositionibus: quarum prima est.Cum actus sit, quod diuidit & separat 7.Meta. tex.comm.49.omnis diuisio aut est formalis, aut quantitatiua, vt Arist.inquit 3.Met.tex.com.11.& Commentator primo Physicor. com.6.Secūda est,Formæ specificæ sunt indiuisibiles formaliter. Ex his enim deducitur quòd formæ specificæ quæ recipiūntur in materia diuiduntur ad diuisionem materiæ per quātitatem, & sic fiunt multa indiuidua eiusdem speciei , & formali quidem.Forma autem specifica non recepta in materia omni diuisione caret, & formali quidem ex eo, quòd species specialissima est, quantitatiua autem ex eo,quòd non est recepta in materia,quam sequitur quantitas,& ideo non possunt esse multa indiuidua in eadem specie,multitudo enim diuisionem sequitur.

QVAESTIO IX.

Num quælibet species substantiarum separatarum, vnum tantum habeat indiuiduum.

CIRCA hanc partem occurrit quæstio, An quælibet species substantiarum separatarum vnum tantum habeat indiuiduum. In hac quæstione tria sunt facienda. Primò ponetur opinio Scoti cum fundamentis.Secundò ponetur veritas Peripatetica, tertio respondebitur argumentis in oppositum.

QVO AD primum Scotus secundo sententiarum dist.3.q.7. opinatur plures esse intelligentias eiusdem speciei talibus mediis.

¶ Primò ita,Omnis quidditas quātum est de se est cōmunicabilis, intelligentia est aliqua quidditas,ergo quidditas intelligentiæ est de se cōmunicabilis,ergo potest inueniri in pluribus. Maior probatur,quia si quidditas omnis nō esset communicabilis, vel communicabilitas repugnaret ei ratione perfectionis quidditatiuæ aut imperfectionis,nō ratione perfectionis, quia communicabilitas,secundum fidē catholicā, cōuenit quidditati diuinæ quæ summe perfecta est.Nec ratione imperfectionis, ꝙ cōmunicabilitas conuenit quidditatibus substantiarū cōpositarū, quæ sunt imperfectæ.Cū ergo ratione neutrius repugnet sibi, restat Maior vera.

¶ 2 Præterea, Omnis quidditas intelligibilis sub ratione vniuersalis,absque cōtradictione est plurificabilis numero, quidditas separata est intelligibilis sub ratione vniuersalis absque contradictione,ergo est plurificabilis numero. Maior probatur ex eo , quòd implicat intelligi sub ratione vniuersalis , & esse de se. hoc est enim vniuersalitas opposita hæcceitati : sicut implicat intelligere essentiā diuinam sub ratione vniuersalis,quia est de se hoc.

¶ 3 Præterea,Deus potest hunc Angelum in hac specie annichilare isto annichilato , Deus potest speciem hanc reparare in aliquo alio indiuiduo,non in eodem,secundum istam opinionem , quia secundum istos homo non posset resurgere idem numero , nisi anima intellectiua remanente eadem numero,ergo in eadem specie erunt plura indiuidua saltem successiuè.

¶ 4 Præterea, Animæ intellectiuæ distinguuntur numero in eadem specie,& tamen sunt immateriales,ergo &c.

¶ 5 Præterea,Aug.in Enchiridio cap.29.dicit quòd quia tota natura seu species humana ruerat,ideo misertus Deus ad eam saluandam venit:non autem venit ad saluandam naturam angelicā,quia tota non ruit. Ecce , ꝙ Aug. dicit totam naturam angelicam non lapsam esse per peccatū , ꝙ nō pōt esse verum,si tot sunt species, quot sunt indiuidua, sic enim multæ naturæ angelicæ lapsæ totaliter essent,humana autem tantū vna,cū humana non sit nisi vna.

¶ 6 Præterea,Damascenus in Elementario, cap.12.dicit,quod secundum vnamquanque speciem fecit Deus Angelos.

¶ 7 Præterea,Arguit ad idem in quolibet.q.2. ꝙ prædicta opinio est damnata Parisiis in pluribus articulis. Primus est, Si quis dixerit Deum non posse multiplicare formas sine materia,error. Secundus,Si quis dixerit formam non recipere diuisionem sine materia, error. Tertius , quòd quia intelligentiæ non habent materiam,Deus non possit eiusdem speciei facere plures, error.

¶ Quod si dicatur, inquit Antonius Trombeta,quod ista sententia non est damnata vbique,dato quòd Parisiis sic sit,contra,nam sententia damnata in aliqua Vniuersitate famosa vbique est damnata,aut suspecta de hæresi,non solùm autoritate diœcesani, sed etiam autoritate domini Papæ, vt patet extrà de hæreticis,capitulo ad abolendam.Hæc de primo.

CONCLVSIO.

Quæuis intelligentia constituit vnam speciem.

QVO AD secundum,veritas Peripatetica ab Arist.Commentatore & S. Th. accepta est, quod quælibet intelligētia constituat vnam speciem , ita quod non possint ibi inueniri plura indiuidua eiusdem speciei.Et S.Thomas quidem in quæstionibus disputatis de spiritualibus creaturis, articu. 8.& in secundo contra Gentes cap.93.& in prima parte,q.50.articu.4. & alibi probat hoc multis rationibus, quarum duabus nunc vtendum est.

¶ Prima ex earum immaterialitate sumitur, vnde omni principio distinctiuo numeraliter carent , & formatur ratio sic,Omnis species habens plura indiuidua , habet in se distinctiuum numerale, intelligentia nō habet tale principium distinctiuum,ergo. Minoris probationem habes supra immediate ante quæstionem. Et nota,quòd hæc ratio est sumpta ex 12. Metap. tex.Commen. 49. vbi fit hæc consequētia,Cælum, id est primum principium est vnum specie & plura numero, ergo est materiale , vnde expresse datur intelligi , quòd immaterialitas est sufficiens causa non plurificationis numeralis. Sed quia Sco.expresse dicit loco prælegato, quòd opinio sua est contra Arist.ideo omittam autoritates.

¶ Secūda ratio S. Tho. est sumpta ex ordine vniuersi fundata super tres propositiones,quarum prima est, Vniuersum habens tres partes,s.sphæram generabilium & corruptibilium,corpora cœlestia, & substantias immateriales habet pro bono intrinseco ordinem,hæc habetur 12.Metaph.tex.Commen.2.

¶ Secūda propositio est,quòd ordo est duplex,scilicet per se &per accidens. Ordo per se inter essentialiter ordinata , vt species quæ sunt sicut numeri.8.Met.tex.Com.10. Ordo per accidens est inter indiuidua eiusdem speciei,vt dicitur tertio Meta.tex. Com.11.

¶ Tertia propositio est, ꝙ ea pars vniuersi, in qua est ordo p se purus, est potior ea,in qua est ordo per se admixtus ordini per accidens ex 12. Met.tex.Com. 5. vbi comparatur prima pars vniuersi filij familias,quibus nihil ordinatum per accidens inest.Super his propositionibus fundatur talis ratio , Id quod caret ordine per accidens non habet plura indiuidua eiusdem speciei , suprema pars vniuersi

vniuersi caret ordine per accidens, ergo non habet plura indiuidua eiusdem speciei.Maior ex terminis patet:Minor licet ex Arist. habeatur loco allegato:quia isti tamen negant Arist. in hac parte sicut & alibi, ratione probatur sic. Non minus excludit ordinem per accidens suprema pars vniuersi,quam media pars:cum suprema sit perfectior,& bonitas vniuersi in ordine consistat, & ordo per accidens sit imperfectum quod & deficiens ab ordine per se, imo ordinatum per accidens est inordinatum , eo quòd per accidens est conditio diminuens ratione ordinis : sed media pars excludit ordinem per accidens, vt patet:corpora enim cœlestia non habent plura indiuidua eiusdem speciei , non enim est nisi vnus Sol, vna Luna,&c.ergo suprema pars vniuersi à fortiori excludit ordinem per accidens.Hæc de secundo.

QVO AD Tertiū respōdetur argumētis Sco. Et ad primum quidē, vt terminos Theologicos admitteamus:quia argumentum theologicū est,dicitur quòd cōmunicabilitas est triplex.Quędam cum diuisione essentiæ,sicut vniuersale communicabile est particularibus.Quædam verò absque diuisione aliqua essentiæ & esse per identitatē , sicut essentia diuina cōmunis est tribus suppositis. Quædam per assumptibilitatē ad hipostasim vnionem, sicut natura humana communicabilis est omnibus suppositis diuinis. Si in præmissis Sco.assumit communicabile primo modo, falsa est Maior,patet in essentia diuina.Si secundo modo, falsa etiam est Maior:nulla enim essentia creata est illo modo communicabilis. Si tertio modo, falsa quoque est Maior, vt patet de essentia diuina. Si autem accipiatur communicabile neutro illorum modorum: sed pro communicabili in communi non descendendo determinate ad hoc, vel illud communicabile, concesso toto argumento , non concluditur quòd quidditas angelica sit communicabilis,sicut vniuersale particularibus. Committitur enim fallacia consequentis à superiori ad inferius affirmatiuè. Vnde probatio adducta nihil contra nos facit. Communicabilitas primo modo repugnat intelligentiis propter earum perfectionem. Communicabilitas secundo modo repugnat intelligētiis propter earum imperfectionem. Communicabilitas tertio modo conuenit eis ex earum imperfectione:quia esse distinguitur realiter ab earum essentia.

¶ Ad secūdū dicitur distinguēdo maiorē. Aliquid enim esse intelligibile sub ratiōe vniuersalis cōuenit dupliciter. Vno modo ex parte rei & intellectus, vt verbis S.Tho.vtar. Alio mō ex parte intellectus tantum.Primo modo Maior est vera,& Minor falsa.Secūdo modo Maior est falsa, licet Minor sit vera : cū enim vniuersalitatis fundamentum ex parte rei sit , inuēcio illius quidditatis in pluribus indiuiduis simul vel successiue. Fundamēcum vero ex parte intellectus sit præsentatio illius quidditatis non repręsentatis conditionibus indiuiduationis, vt sic,illud est vniuersale vtroque modo, s.ex parte rei & intellectus:quòd vtroq; fulcitur fundamēto,sicut humana essentia est intelligibilis sub ratione vniuersalis ex parte rei : quia ipsa est realiter diuisa & inuenta in multis & ex parte intellectus:quia repræsentatur absque hic & nūc. Illud autem est vniuersale ex parte intellectus tantū, ꝙ altero tantū fulcitur fundamēto, s.repræsentatione,&c.ita quòd eius vniuersalitas ex hoc solo habetur , quòd obiectiue in intellectu ponitur: cui obiicitur res secundum conditiones quidditatiuas non indiuiduales vt sic: & hoc modo quidditas intelligentiæ est vniuersalis.Licet enim in diuiduale & specificum esse ibi idem habeat principium , quia tamen repræsentatur vt talis res non vt hoc:quia non repręsentatur secundum quòd in se est,sed secundum modum rerum compositarum,in quibus aliud est natura,& aliud est indiuiduum illius naturæ:ideo est vniuersalis,vt obiecta est tātum.Ex hoc eodē modo est prædicabilis quidditas intelligentiæ de pluribus , scilicet nec aptitudine:sed vt obiecta est intellectui,vt ab Auicen.habes 5.Metaphy.quinimo ipsa quidditas diuina hoc modo communis& vniuersalis secūdum rationem est,vnde & numerum pluralem apud grammaticos habet. Ad probationem autem Maioris sic negatæ patet responsio:cum enim dicitur quod implicat quidditatem esse de se hanc & vniuersalem & prædicabilem de pluribus:hoc est verum , accipiendo vniuersale ex parte rei:& similiter prædicabile. Vniuersale enim secundum rationem tantum est vnum in multis & de multis,vt obiectum est tantum. Vniuersale tantum ex parte rei est in multis secundum rem , licet vnitatem habeat, vt obiectum est.Hæc si vis plenè intelligere, memento eorum quæ dicta sunt in quæst.de Vniuersalibus.

¶ Ad tertiū dicitur quod in casu illo repararetur nēcessariò idem numero Angelus:ex eodem enim Gabriele est hic & Gabriel. Nec est verum quòd apud nos Deus non possit idem numero reparare,licet dicamus quòd si in resurrectione non resumeretur eadem anima numero , quæ non annihilata esse debet: si resurrectionis ratio saluanda est , non esset idem homo numero cum quo stat idem numero posse reparari à Deo.

¶ Ad quartum dicitur, quòd non est simile de intelligentiis & animabus intellectiuis quo ad hoc quia animæ sunt partes speciei corporibus vnibiles:non autem intelligentia : sed de his infra erit amplior sermo.

¶ Ad quintum respondet S.Th. quòd natura humana & angelica possunt dupliciter accipi. Vno modo secundum esse naturæ:& sic natura humana est vna:angelica verò plures. Alio modo accipiūtur secundum esse in vio,scilicet vt viatrices ad beatitudinē super naturalem:& sic sicut natura humana est vna,ita nota latitudo angelicarum specierum est vna natura, eo quòd sicut omnes homines vno modo tendunt ad patriam , s.per liberum arbitrium flexibile remediabiliter:sic omnes Angeli vno modo tendūt ad beatitudinem, s.per liberum arbitrium flexibile irremediabiliter : semel enim flexum reuerti amplius non potest: apprehēdunt enim immobiliter.Et propterea Augu.vt Theologus loquens ad quem pertinet consideratio de homine & Angelis in esse viæ & patriæ, vocauit omnes Angelos vnius naturæ.

¶ Ad sextū dicitur,quod Dama.forte opinionem illorum quos in hoc non sequitur imitans dixit illa verba:vel per speciem intellexit speciem subalternam non specialissimam : & hoc mihi placet magis,cùm non constet ipsum contrariæ opinionis esse : & nunc large speciei nomen accipiendum est, si veritatem habere debet.

¶ Ad septimum dicitur primò,quòd argumētum procedit ex malo intellectu articulorum Parisiensium.illi enim sunt contra Auerroistas, qui animam intellectiuam,non multiplicabilem numero dicūt:quia est forma immaterialis:vnde sensus primi articuli est, Si quis dixerit Deum nō posse multiplicare formas sine materia, id est sine dependentia à materia,error. Similiter secundi,Si quis dixerit formas non recipere diuisionem sine materia , id est sine dependentia à materia, error. Similiter tertij , quòd quia intelligentiæ non habent materiam , Deus non posset eiusdem speciei facere plures,error:non habent materiam,id est dependentiam à materia, vel non posset,id est eximpotentia Dei procedere.

¶ Vel dicatur secundò,quòd articuli Parisienses,inquantum tangunt,vel tangere videntur doctrinam S. Tho. reuocati sunt per dominum Stephanum Episcopū Parisiensem apud Eerteliacum, anno Domini 1325. Die Iouis ante sacras Cineres, vt patet in litteris,quæ incipiunt,Magistra rerum experientia certis indiciis euidenter demonstrat.

¶ Dicitur tertiò,quòd cum sanctissimus vrbanus Papa doctrinam S.Th.approbauerit in Extrauagāti quæ incipit , Laudabilis Deus in Sanctis suis & in sui maiestate mirabilis,mirum est quomodo isti audeant contra Romanæ ecclesiæ approbationem reducere articulos Parisienses. Sunt autem verba domini Papæ in calce Extrauagātis ad vniuersitatem Tholosanam, illa, Volumus insuper, & tenore presentium vobis iniungimus , vti dicti Beati Tho.doctrinam tanquam veridicam & catholicam sectemini, eamq; studeatis totis viribus ampliare.Datum apud montem Flasconē, &c. Hęc verba attendant aduersarij,& videant quanta temeritate cōtra mandatum summi Pontificis catholicam S. Tho. doctrinam impugnare nituntur.

Huiusmodi ergo substantiæ quamuis sint formæ sine materia, non tamē in eis est omnimoda simplicitas, nec sunt actus puri,sed habent permixtionem potentiæ, & hoc sic patet : Quicquid enim non est de intellectu essentiæ vel quidditatis , hoc est aduenies extra & faciens compositionem cum essentia, quia nulla essentia sine his quæ sunt partes essentia intelligi potest. Omnis autem essentia,vel quidditas intelligi potest sine hoc quod aliquid intelligatur de suo facto.Possum enim intelligere quid est homo vel phœnix,& tamen ignorare, an esse habeant in rerū natura , ergo patet quod esse est aliud ab essentia,vel quidditate.

¶ In hac tertia parte capituli huius probatur substantias separatas esse compositas ex esse, & essentia. Sed antequā ab probationem accedatur, prænotandum est in substantiis materialibus inueniri quatuor realiter distincta , scilicet materiam, formam,essentiam compositam ex eis, & essentiam.In homine enim est considerare materiam , in qua recipitur eius forma , & formam ipsam , quæ est illius materiæ,actus,& essentiam humanam, quæ nec est materia nec forma,& esse actualis existentiæ, quo homo formaliter existit in rerum natura,vnde sit,vt in istis substantiis duæ compositiones pertinentes ad genus substantiæ reperiantur. Quarū prima est ex materia & forma , secunda est ex essentia,& existentia, quæ vocatur compositio ex esse & essentia.

¶ Conueniunt autem inter se,& differunt hæ cōpositiones. Conueniunt quidem in duobus: Primò in hoc, quòd vtraque constat ex actu & potentia:materiam enim & formam clarū est se habere vt potentiam & actum, essentia autem, & esse ex eo liquet, quòd se habent,vt potentia & actus,quia quidditas quælibet ex hoc ponitur in rerum natura quod existentiam acquirit.

¶ Secundò cōueniunt in hoc , quòd vtrinsq; extrema sunt in eodem genere,tam enim materia & forma hominis, quàm essentia, & esse eius in genere substantiæ,& specie humana reponuntur.

¶ Differ

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Differunt autē quo ad decem. Primò, quia extrema primæ compositionis sunt partes substantiæ: & non sunt substantia, propriè loquēdo, vt patet. Materia enim & forma nō sunt in genere substantiæ, nisi reductiuè, vnde prædicationem substātiæ, quę est genus generalissimum non nisi in obliquo suscipiunt. Extremorum verò secundæ compositionis neutrum est pars substantiæ, sed alterum est substantia, essentia, scilicet quæ est in recta linea prædicamentali, alterum vero extra substantiam, scilicet existentia.

¶ Secundò differunt, quia extremum illud quòd se habet vt potentia in prima compositione, est ens purè potentiale, materia. s. Extremum verò illud quod se habet in potentia, in secunda compositione non est pura potentia, sed ens in aliqua specie quiddita tiuè completum, essentia scilicet.

¶ Tertiò differunt, quia extremum illud, quod se habet vt potētia in prima cōpositione, nō est id qđ est, nec qđ fit, propriè loquēdo. Materia enim non fit, vt dicitur 7. Met. tex. com. 27. eiusdē autem est esse cuius est fieri, cum fieri ad esse terminetur. Extremum verò id ꝙ in secunda cōpositione se habet, vt potētia est id qđ est & fit, cum omnis factio ad cōpositū terminetur, sicut ibidē dicitur.

¶ Quartò differunt, quia extremum illud quod in prima compositione se habet vt actus, non est vltima actualitas rei, sed causat alium vlteriorē actum: forma enim hominis, quæ eius materiam informat, causando totum compositum, complet proprium receptiuum ipsius existentiæ, & sic eam causat, quę est vlterior actus. Extremum verò illud quod in secunda compositione se habet, vt actus est vltima actualitas illius generis, post existētiam enim Socratis nihil sibi substantiale amplius aduenit.

¶ Quintò differunt: quia extremum illud, qđ in prima compositione se habet vt actus, est ita actus, ꝙ tamē comparatur ad aliud, vt potentia. Extremum verò illud qđ in secunda compositione se habet vt actus, est ita actus, ꝙ ad nihil ipsius rei cōparatur vt potentia. Quod patere pōt aduertēdo proportionem, quæ est inter formam & existētiam. Est enim proportio formæ ad esse actuale, sicut proportio diaphaneitatis ad lumen, forma siquidē recipit existentiam & causat eam, sicut diaphaneitas lumen. Sicut nanque aer in eo ꝙ aer, non est capax luminis, sed oportet ipsum diaphaneitate informari, vt ꝓprium receptiuū luminis fiat, ideoq; neq; aer nec diaphaneitas, ted aer diaphanus est qui primò luminosus est, licet secūdariò tam aer quā diaphaneitas lumine careat, ita in proposito materia sola non est capax existētiæ, quia actus in propria susceipi debet potentia, sed oportet in ipsa formam recipi, vt proprium exceptiuū existentia fiat, nō materia nec forma, sed cōpositum ex eis. Id enim ꝙ primò existit, est cōpositū cuius primò etiam est fieri, tamē tam materia, quā forma secundario actuatur illamet existentia. Vnde sicut diaphaneitas est causa formalis aeri diaphano, & eius cōplementum formale ad hoc vt propriū susceptiuum luminis fit, & cum hoc comparatur ad lumen aduenies vt potentia recipiens, licet secundariò ad actum: ita forma est causa formalis cōposito & cōplementū eius formale ad hoc: vt propriū receptiuū existētiæ fit, ac per hoc cōparatur ad ipsam existētiam subsequētem vt potētia recipiēs, secundariò tamen ad actū receptū, vñ fit vt ipsū esse actualis existētiæ ad nihil aliud cōparet, vt potētia ad actū, sed sit vltima actualitas omnis rei ēt ipsi⁹ formæ.

¶ Sextò differunt, quia extremum illud, quod in prima compositione se habet vt actus est de intellectu, seu diffinitione rei extrinsecè, forma enim secundū omnes extrinsecè, in diffinitione concipitur. Extremum verò illud, quod in secunda compositione se habet vt actus, est extra quidditatem rei: diffinitio enim non significat esse, vel non esse, vt dicitur primo Poster.

¶ Septimò differunt, quia ex extremis primæ cōpositionis fit vnū tertium per se vnū. Ex extremis vero secundę compositionis non fit vnum tertiū per se vnū neq; per accidens, propriè loquēdo. Et colligitur ratio huius differentiæ ex supradictis, vnum enim per se non fit nisi ex duobus, quorū vtrunq; est pars substantiæ, nulla enim substātia completa facit vnū per se cum quocūq; alio, & quorū alterū est pura potentia, ex duobus enim actibus nō fit tertiū per se vnū, & quorum alterum est ita actus, vt possit cōparari ad aliquid aliud, vt potētia: partes enim sunt materia toti⁹, quinto Met. tex. cō. 3. Cùm autē in prima cōpositione omnes istæ compositiones saluentur, in secunda verò nulla, sequitur ꝙ in secūda compositione non fiat vnum tertium per se, neque etiam vnū per accidens fit, quia vnū per accidens aggregat res diuersorum generum, cum his tamē stat quod essentia per se adunetur cum esse.

¶ Octauò differunt, quia prima compositio est cōpositio ex his, & ideo fit ibi vnum tertiū. Secunda vero est compositio cum his. Nulla enim res datur, quæ constet ex essentia, & existentia, proprie loquendo, sicut datur res constans ex materia & forma, sed essentia componit cum existentia & econuerso, & ideo dictū est, quod adunantur per se, non tamen componendo tertium.

¶ Nono differunt, quia prima compositio ad pauciora se extendit, quam secūda. Extrema enim primæ compositionis non inueniuntur nisi in rebus sensibilibus, eā nanq; solā ex materia & forma constare suprà conclusum est. Extrema vero secūdæ compositionis reperiūt & in reb⁹ sensibilibus, & in rebus immaterialibus, habēt enim intelligētiæ qdditatē & existētiā. Vnde prima cōpositio infert secundā, & nō ecōuerso, omne enim compositū ex materia & forma est cōpositū ex essentia & esse, sed nō conuertitur.

¶ Decimò differunt quo ad passiones suas, compositionem enim prima quantitas, accidentia sensibilia & trāsmutatio saltem localis sequūtur. Compositionem autem secundam neque generatio, neque corruptio, neque transmutatio aliqua physica sequitur: sed tantū recipere & recipi, perficere & perfici, quia hæc sequūtur actum & potentiam, illa vero materiam & formam. In litera igitur hāc secundam cōpositionem in omni ente circa primum inueniri probatur tali conclusione proposita, Omne ens aliud à primo est cōpositū ex esse & essentia. Ratio talis est: Omne habens aliquid realiter suæ quidditati coniunctū, quod est extra essentiā eius, est compositum exquidditate & illo additamēto, id est essentia & esse: omne ens aliud à Deo habet aliquid reale suæ quidditati realiter coniunctum extra essentiam eius. s. esse, ergo omne ens aliud à Deo est cōpositum ex esse & essentia. Maior relinquitur à S. Tho. pro manifesta. Et est modificanda ita, quod illud additum sit extra essentiam rei particulariter sumptam (quod dico propter inferius: cùm sit extra essentiam superioris, non tamē componit cum illo) & etiam deseruit sic modifica propositio, quia esse est extra essentiam Socratis, non enim poneretur in eius diffinitione si diffiniretur. Relinquitur igitur manifesta Maior, quia duo adunata, quorū neutrum est contrahens alterum, & alterum se habet vt actus, & alterum vt potētia, non nisi per compositionem realiter sunt coniuncta. Minor autem patet ex sexta differentia, & Aristotele primo Posteriorum dicente, quòd nulla diffinitio significat esse.

Nisi forte sit aliqua res, cuius quidditas sit suum esse, & hæc res non potest esse nisi vna & prima, quia impossibile est vt sit plurificatio alicuius, nisi per additionem alicuius differentiæ, sicut multiplicatur natura generis in speciebus. Vel per hoc, quod forma recipitur in diuersis materiis, sicut multiplicatur natura speciei in diuersis indiuiduis. Vel per hoc, quod vnum est abstractum, & aliud in aliquo receptum, sicut si esset quidam color separatus, esset alius à colore non separato, ex ipsa sua separatione. Si autem ponatur aliqua res, quæ sit esse tantum, ita ipsum esse sit subsistens, hoc esse non recipiet additionem differentiæ, quia iam non esset tantum, sed esse, & præter hoc forma aliqua. Et multo minus recipiet additionem materiæ, quia iam esset esse non subsistens, sed materiale, vnde relinquitur, quod talis res, quæ sit suum esse, non potest esse nisi vna, vnde oportet, quod in qualibet alia re præter eam sit aliud esse suum, & aliud quidditas vel natura, seu forma sua. Vnde in intelligentiis oportet quod esse formam: & ideo dictum est, quod intelligentia est forma & esse.

¶ Hic ponitur secunda ratio ad idem quæ inducitur per modum exclusionis tacitę respōsionis, quia aliquis posset dicere ad rationē factā, ꝙ aliqua res est cuius quidditas est suū esse: & illius diffinitio non abstrahit ab existere. Contra hoc inquā inducitur secūda ratio probans, ꝙ in vno solo ente. s. primò, essentia est idē ꝙ existentia, & consequēter in quolibet alio, esse & essentia distinguūtur realiter. Ratio cinatur ergo sic, Omne plurificabile seu plurificatum altero trium modorum multiplicatur, vel per additionem differētiæ formalis, vel per receptionem vtriusque in materia, vel per receptionē vnius in materia & alterius separationē: sed quidditas quæ est suum existere, nullo istorum modorū est multiplicabilis, ergo quidditas, quæ est suum esse, nec plurificabilis nec plurificata est: ergo est vna tantū, & sic omne aliud ab ea non est sua existētia. Processus clarus, Maior vero declaratur, quoniam cum pluralitas sequatur diuisionem, diuisio alicuius sit per differentias formales, sicut natura generica animalis multiplicatur in homine & Leone. Vel per differentias indiuiduales, sicut natura specifica multiplicatur in Socrate & Platone ꝓpter hoc ꝙ humanitas Socratis est in alia materia signata ab illa, in qua est humanitas Platonis. Vel tertio modo pōt imaginari diuisio inter aliqua duo eiusdē naturæ: ꝓpter hoc, quòd alterū est omnino separatū, à materialibus cōditionibus, alterū verò concretū est illis, sicut homo separatus apud Platonē, distinguitur ab homine particulariter propter hoc, ꝙ nō separat⁹ est immaterialis, natura verò Socratis est recepta in hac materia. Nec apparebit discurrēti p omnia Prædicamēta aliquis alius modus realis multiplicationis in vniuerso, Nec aliquis mihi obiiciat ꝙ quātitas & substātia distinguuntur realiter, & tamē non per differētias formales, nec, &c. Quoniā siue modis siue differētiis fiat diuisio, nō refert, dūmodo cōtrahens ad aliquā limitatam naturam trahat cōtractum. Minor autē declaratur quo ad omnes eius particulas. Primò, ꝙ non sit multiplicabilis per modum generis, patet ex eo, ꝙ genus recipit additionem differentię, per quam trahitur natura generis ad determinatam naturam specificam: & sic perdit genus puritatem propriam: animal enim contractum ad humanam speciem, non est purum animal, sed animal humanū: quidditas verò, quæ est sua existentia, est ipsum esse purum & nō coarctatū: statim enim quod contraheretur, pderet puritatem, & essent ibi duo: esse, scilicet & quidditas, ad quā contractum esset. Secunda pars Minoris clarius patet: qđ enim recipitur in alio, non est esse purū & per se subsistens, sed sustētatur in alio: quidditas autem, quæ est suum esse, est pura: & consequenter per se subsistēs, & non alteri admixta, in quo sustentetur. Peridē quo que patet tertia pars Minoris: si enim vna quidditas, quæ est suum esse, est separata, altera quæ est recepta ex hoc, ꝙ est recepta, non poterit esse eadem suæ existentiæ: vt enim dictum est, esse receptū non potest esse idem quidditati: & sic concluditur, quòd quidditas, quę est suum esse, est vna tantūm, quæ est prima causa omniū, ac per hoc cætera habent distinctum esse à suis essentiis.

Omne autem quod conuenit alicui, vel est causatum ex principiis naturæ suæ, sicut risibile in homine, vel aduenit ab aliquo principio extrinseco, sicut lumen in aëre ex influentia Solis. Non autem potest esse, quòd ipsum esse sit causatum ab ipsa forma, vel quidditate rei: dico sicut à causa efficiente: quia sic aliqua res esset causa sui ipsius, & aliqua res seipsam in esse produceret, quod est impossibile: ergo oportet, quòd omnis talis res, cuius esse est aliud à natura sua, habeat esse ab alio.

¶ In hac parte quarta huius capituli declaratur, intelligentias habere esse à Deo effectiuè, in quo omnino idem est esse cum essentia: primum horum in sua vniuersali cōclusione hoc, scilicet omne aliud à prima causa est productū ab ipsa, probatur sic, Omne habēs esse distinctū à sua quidditate, est ꝓductum effectiuè à prima causa: omne ens aliud à causa prima habet esse distinctū à sua quidditate: ergo omne ens aliud à prima est effectiuè productū à prima causa. Minor supponitur ex dictis & dicendis. Maior probatur sic, Omne illud, cui conuenit aliquod distinctū à sua quidditate, ita ſe habet ꝙ vel ipsum est causa effectiua illius, aut habet illud ab alio effectiuè, non enim potest imaginari tertium: risibilitas siquidem & albedo, & quicquid aliud conuenit homini, aut causatur ab ipso homine effectiuè, aut ab aliquo alio, quod non est hominis quidditas: sed impossibile est, vt aliquod ens efficiat suam propriam existentiam, vt dicitur 2. de Animatextu, com. 47. ergo oportet quòd illam habeat ab alio effectiuè. Quòd autē sit impossibile, vt aliquid ens efficiat suam propriam existentiam, patet ex eo, quòd sequeretur, quòd illud esset antequam esset, ex eo enim quòd efficeret, esset: omne enim efficiens existit, 3. Phy. tex. Com. 17. ex eo verò quòd suum proprium esse causaret suum existere, eius causalitarem sequeretur: & sic esset, antequam esset.

Et, quia omne, quod est per aliud, reducitur ad id, quod est per se, sicut ad causam primam: ideo oportet quod sit aliqua res, quæ sit causa essendi omnibus rebus, eo quòd ipsa est esse tantùm, alias iretur in infinitum in causis, cùm omnis res, quæ non est esse tantùm habeat causam sui esse, vt dictum est. Patet ergo, quòd intelligentia est forma & esse, & quòd esse habeat à primo esse, quod est esse tantùm: & hoc est prima causa, quæ Deus est.

¶ Hic declaratur secundum propositorum, hæc conclusio, scilicet essentia primæ causæ est suū existere, tali ratione, Omne quod est per aliud tale, præceditur ab eo, quod est p se tale: omne ens aliud à prima causa est per aliud tale, id est ens, ergo præceditur ab eo quod est per se ens, causa est omnibus vt entia sint: vt dicitur 2. Met. text. Com. 4. prima ergo causa est ex se ens, seu per se ens, & consequenter sua quidditas est ipsum esse, aliter non esset per se: sed per aliud à sua quidditate ens: & consequenter penderet ab alio, vt antè posita ratione deductū est. Maior propositio etsi habeatur secundo Phy. tex. Com. 66. & 8. tex. Com. 39. tamen in litera probatur ex eo, quòd aliter sequeretur processus in infinitum in causis: si enim nō esset deuenire ad vnum per se tale, sed omnia essent per aliud talia: qua ratione aut vnum est aliud, eadem ratione ante illud erit aliud: & sic in infinitum. Minor verò est conclusio præcedentis rationis.

QVÆSTIO X.

Num intelligentiæ sint à Deo effectiuè productæ.

CIRCA hanc partem dubitatur, an intelligentiæ effectiuè sint productæ à Deo.

¶ Et pro parte quidem negatiua arguitur sic, Omne agēs aliquid, agit illud per motum: nulla causa substantiarum immaterialiū agit eas per motum: ergo nulla causa carū est agēs eas. Maior est Aris. 1. de Generatione tex. Com. 45. Et confirmatur: quia apud Aris. 12. Me. tex. Com. 12. omnis productio exigit tria, à quo, ex quo, & ad quod: quæ in substantiis immaterialibus saluari non possunt.

¶ Præterea, In 1. Phy. tex. Com. 33. communis conceptio Philosophorum est, quòd ex nihilo nihil fit, sed si intelligētiæ sunt effectiuæ à Deo, sunt ex nihilo, &c.

¶ Præterea, Quarto Cæli, Com. 1. nullum æternum, in quit Auer. habet efficiens verè, nisi per modum formæ & finis. Similiter 12. Meta. Com. 44. reprehendit modernorum morem, dicens, quòd in separatis à materia non est verè agere.

¶ Præterea, Nullum possibile ex se est necessarium ex alio, apud Commentatorem 12. Met. Com. 41. nisi motus: sed intelligentiæ, si sunt effectiuè à Deo, sunt possibiles ex se, ergo non sunt necessariæ ex alio, ergo corruptibiles.

In hac dubitatione, quoniā nostra ætate in hoc Patauino studio non vertitur in dubium, an ita sit, quòd Deus creauerit intelligentias, sed an hoc sit secundū mentem Aris. & Commentatoris: ideo breuiter & inciditer persuadere volumus, ꝙ omnes intelligentiæ sunt à Deo effectiuè, secundum Commētatorem: & cōsequenter Aris. omnes enim admittunt in hac re consequentiam istam. Deinde quoniam multi in hac re quærunt modum, quo apud Commentatorē productio ista sit, declarabitur & modus productionis.

Primum declarabitur sic, Id quod est maximè ens & verum est causa entitatis & veritatis in cæteris, 2. Met. tex. com. 4. Deus est maximè ens & verum: ergo Deus est causa entitatis in cæteris. Si dicatur quòd est causa finalis & non effectiua, cōtra 12. Met. com. 36. & 44. quælibet res separata à materia, cuiuscunque est principium finale, est principium efficiens: ergo si Deus est principium finale intelligentiarum, erit & principium efficiēs earum. Dicitur fortè quòd Commentator nō ponit illam propositionem vniuersaliter, sicut assumpta est, sed indefinitā: cōtrà, Cōmentator ex separatione à materia, seu immaterialitate rei ponit causalitatē effectiuam concomitari causalitatem finalem respectu eiusdem effectus: vt patet ibi: ergo vbicunq; reperitur immaterialitas cū causalitate finali respectu alicuius, oportet etiam reperiri causalitatem effectiuam respectu eiusdem. Cōfirmatur ex verbis Cōmentatoris in de substantia orbis, capitulo secundo: vbi expressè dicit cęlum egere intelligentia non solùm mouente, sed largiēte in sua substantia permanentiam æternam: par autem est ratio de intelligentiis. Quòd si dicatur quòd loquitur de causa finali & formali exemplari, replica facta est: & adde quòd ibi dicit Commentator, quòd finis significat agens significatione necessaria: & sunt verba valde notanda. Confirmatur adhuc, quia Auer. in 12. Met. & nunc declarabitur, non solum ponit ipsas produci, sed etiam modum quo à prima causa omnes producuntur, assignat. Modus autem productionis ab ipsomet ponitur 44. Com. 12. Meta. reprehendit Auic. nō quia ponebat intelligentias produci à Deo: sed quia ponebat, quòd Deus causaret eas per modū naturæ, scilicet quòd ab vno vnum tantùm procedat. Posuit enim Auicēna Deum gloriosum, qui pura actualitas est, intelligendo se, producere primam intelligentiam, quæ producta intelligendo Deum, producebat secundam intelligentiam: intelligendo autem se secundum id, quod habet de actualitate, producebat animam primi orbis: intelligendo autem se secundum id, quod habet de potentialitate, producebat orbem primum, & similiter secunda intelligentia faciebat vsque ad vltimam, quæ præsidet sphæræ actiuorum & passiuorum. Reprehenditur ergo Auic. de hoc, quòd vnum tantùm procedere à Deo immediatè dicebat. Vnde dicit, Non enim est illic prouentus, neque consecutio, neque actio: ita quòd dicamus, quòd vna actio sequitur vnum agentem. Vbi apparet quòd propterea apposuit ly Ita ꝙ vna actio, vt declararet modum productionis se impugnare. Vnde & veræ productionis modum subiūgit in verbis sequētibus, dicēs, Tātùm enim est illic causa & causatū, secundum quod dicimus, intellectū est causa intelligentis. Vbi scito ex Alberto 12. Meta. quòd contemplatio intelligentiarum, si veritatem inuenire quęrit, in eas, vt operatiuas non speculatiuas tendat: sunt enim essentialiter opifices, vt earum instrumēta corpora, scilicet & cælestia præ se ferunt. Inter artes enim talis inuenitur ꝓcessus, quòd ars communis & principalis speciales artes subseruientes causat exemplariter & effectiuè (partialiter saltem) prout diuersis modis est imitabilis. Verbi gratia, ars militaris causat equestrem & frenefactiuā, & alias huiusmodi, vt sic, & sic & aliter imitabilis: omnes enim inferiores artifices intuēdo artē principalē, & communē, ad eius imitationem formāt operationes suas proportionatas illi: Deus autē gloriosus est ars prima & communissima imitabilis ab omnibus artificibus specialibus, quales sunt omnes intelligētiæ. Vnde ipsa ars diuina, vt sic imitabilis, puta per modū talē, qualis est motus Saturni, causat artē intelligentiæ Saturni: & vt alio modo imitabilis, puta per operationes tales, quales sunt Iouis: causat artē intelligētiæ Iouis, & sic de aliis: causat dico non solū exēplariter, sed effectiuè, & totaliter. Ars eñ vniuersalis in humanis ideo nō causat, nisi partialiter & exēplariter artes speciales:

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia nō potest nisi cōcurrente lumine intellectus agentis in alterius intellectu fieri. Si nanque ars vniuersalis esset separata à materia p se subsistēs ex se, nō ꝓhiberetur, quin posset artes speciales sui imitatiuas effectiuè producere. Vnde cum ars diuina sit per se subsistēs, & summè efficax, nō requirit coagens: sed sola intelligendo se vt pluribus nobis imitabilem, artes speciales orbiū motiuas tāquam propriorū instrumentorū produxit: & quia artes illæ non sunt receptæ in aliquo, oportet q̄ sint subsistētes, & quòd sint nō solum formæ intelligibiles, sed intelligentes. Omnis enim res immaterialis, si est subsistēs, est intelligens, secm doctrinā Ari. 3. de Anima tex. Comm. 16. Vnde cùm Deus immediatè producat plures artes speciales subsistentes, sequitur q̄ immediatè producat plures intelligentias. ipsæ enim sunt essentialiter artes: & sic ibi est tantum causa & causatum, sicut intellectum, id est ars communis intellecta, est causa intelligentis artificis subseruientis.

¶ Confirmant hunc sensum verba sequētia, quibus ait, nō est impossibile, vt id qd est p se intelligētia & intellectum, sit causa plurium eniām, secundum quòd ex eo intelligūtur multi modi. Ars enim diuina, quæ est pura intelligentia & purum intellectum, secundum quod intelligitur à se practicè pluribus modis imitabilis, plures artes producit. Quarum cuilibet, quia quod concipit de arte communi, est ratio operandi, cum sumat principia sua ab illa: ideo subdit, quòd aliud est quod concipit de primo motore motor orbis Iouis, & aliud quod concipit motor orbis Saturni: & est causa in anima, eius scilicet quòd operetur.

¶ Confirmat quoque hoc idem proportio inter intelligentias assignata ab ipso Cōmentatore. ait enim in Com. 44. quòd habitudo intelligentiarum aliarum ad primam, est habitudo artium specialium ad communem: ita quòd sicut artes speciales perficiuntur & causantur à communi in humanis: ita proportionabiliter intelligentiæ aliæ perficiuntur & causantur à prima.

A D primum in oppositum dicitur, quòd agens dupliciter sumitur. Quādoque ꝓprie pro illo, qđ ex sua actione infert passionē, quæ magis facta abiicit à substātia: & sic sumitur ibi ab Arist. agens, sic enim opponuntur agens & patiens. Alio modo pro omni eo, quòd in genere causæ efficientis causat: & sic agens communius est mouente, vt patet ex septimo Meta. Com. 31.

¶ Ad confirmationem primam dicitur, quòd & illud & similia intelligenda sunt de productione Phy. scilicet per motum & mutationem. Similiter dicitur ad secundum.

¶ Ad autoritates Commentatoris adductas & similes sibi dicitur, quòd loquuntur de agente proprio dicto & productione Physica: vel contra positionem Auic. quod vnum ab vno emanat.

¶ Ad rationem secundam, concessa Maiore, negatur Minor: stat enim apud Arist. Commētatorem, & S. Tho. & veritatem aliquid esse ab alio effectiuè, & tamen esse necessarium ex se.

A D cuius euidentiam notandæ sunt quatuor propositiones. Prima est, Possibile ex se est id, quod habet in seipso potētiam ad non esse. Patet ista ex extremis. ideo em aliquid est in ordine possibilium, & non in ordine necessariorum: quia habet in seipso potentiam ad non esse. Si enim careret potentia ad non esse, impossibile est ipsum non esse: & sic necessarium esset illud esse.

Secunda propositio est, Id solùm habet in seipso potentiam ad non esse: cuius aliquid habet potentiam ad aliud esse. Patet ista ex eo, quòd nulla potentia per se primò appetit non esse: omnis enim appetitus per se tendit ad aliquod esse, sed quia cum illo ad quod tendit, non potest stare esse quod habet: ideo ex consequenti appetit non esse, quod est priuatio formæ, quā habet. Sicut materia aquæ per se primò appetit formā ignis: sed quia cum forma ignis non potest simul stare aquæ forma, ideo ex consequenti appetit priuationem formæ aquæ, quam habet. Potentia ergo omnis appetens non esse prius natura appetit aliquod aliud esse. Notanter autem dixit in hac propositione, cuius aliquid habet potentiam: quoniam non totum appetit aliud esse, sed pars potentialis: non enim tota aqua appetit esse ignis, sed eius materia.

Tertia propositio est, Necessariū ex se est illud quod caret potentia ad esse & non esse. Patet ista ex terminis quinto Metaphysicæ, textu Commenti sexti. Necessarium enim est quod impossibile est aliter se habere. quod autem caret potētia ad esse, & non esse, impossibile est aliter se habere. omnis enim successio, quæ dicitur sic ad aliter se habere, fit per posse hoc esse perdere, & aliud acquirere.

Quarta ꝓpositio est, quòd nec intelligētiæ, nec corpora cœlestia habent aliquid sui, quod sit in potētia ad aliud esse. Ista quo ad intelligentias est per se nota: quia sunt simplices formæ, quo ad corpora cœlestia verò, secundum Auerroim similiter dicēdum est, quia sunt substantiæ simplices apud ipsum: secundum autem sanctum Thomam ex eo est vera, quòd materia cuiusque eorum non est capax nisi formæ, quam habet.

¶ Ex quibus quatuor propositionibus succincte declaratis, patere potest, quòd secundū veritatē intelligētię & corpora cœlestia sūt necessaria ex se, arguēdo sic, Omne carens potentia ad esse & non esse est necessarium ex se: intelligentiæ & corpora cœlestia carēt potentia ad esse & non esse: ergo, &c. Cum hoc tamen stat, quòd sint effectiuè ab alio: potest enim vnum necessarium esse effectiuè ab alio necessario. vt dicitur octauo Phy. text. comm. 15. & quinto Met. text. cō. 9. Vnde intelligentiæ & corpora cœlestia dupliciter sunt necessaria, & ex se & ab alio. ex se quidē formaliter & extrinsecè, ab alio verò effectiuè & extrinsecè. Vnde Commentator 12. Met. Com. 41. dicit, quòd non potest esse aliquid possibile ex se, necessarium verò ex alio nisi motus: & non dixit, impossibile est aliquid necessarium esse ex se & ex alio. Et cùm hoc inspexeris, fugabuntur omnes dubitationes inter dicta eius in de substantia orbis, & hic. reputauit enim impossibile nisi in motu aliquid esse necessarium ex alio præcisè. pro nunc sufficiant hæc.

Omne autem, quod recipit aliquid ab alio, est in potentia respectu illius: & hoc quod receptum est in eo, est actus eius, ergo oportet, quòd ipsa forma vel quidditas, quæ est intelligentia, sit in potentia respectu esse, quod à Deo recipit. & illud esse receptum est per modum actus, & ita inuenitur actus & potentia in intelligentijs: non tamen forma & materia, nisi æquiuocè. vnde etiam pati, recipere, subiectum esse, & omnia huiusmodi, quæ videntur rebus ratione materiæ conuenire, æquiuocè conueniunt substantijs intellectualibus & corporalibus, vt in tertio de Anima Commentator dicit.

¶ In hac quinta particula declaratur talis conclusio, Intelligentiæ sunt compositæ ex actu & potentia, quo est & quod est: sic omne quod recipit aliquid ab alio effectiuè, est compositum ex recipiente potentia & actu recepto: intelligentiæ recipiūt aliquid ab alio, scilicet esse à Deo: ergo intelligentiæ sunt compositæ ex potentia & actu. Maior ex eo patet, quòd nihil est in seipso. Minor autem ex præcedentibus nota est. Et quamuis sic sit, quòd in intelligentiis inueniatur actus & potentia: non tamen habent formam & materiam. In plus enim se habent actus & potentia, quàm forma & materia. Vnde pati, recipere, & subiici, & similia, quæ sunt passiones materiæ æquiuocè in inferioribus, & superioribus reperiuntur. Alia enim est ratio recipiendi, ibi & hic: ibi absque omni motu & materiali conditione, in istis verò non nisi cum motu & indiuidualibus conditionibus, vt & Commentator testatur 3. de Anima, com. 14.

Et quia, vt dictum est, intelligentiæ quidditas est ipsamet intelligentia, ideo quidditas, vel essentia eius est ipsum quod est ipsa, & esse suum receptum à Deo est id, quo subsistit in rerum natura, & propter hoc à quibusdam huiusmodi substantiæ dicuntur componi ex quo est, & quod est, vel ex quo est, & essentia, vt Boetius dicit.

¶ Assignat rationem, quare intelligentiæ dicuntur compositæ ex quo est, & quod est: Omne compositum ex quidditate, quæ est ipsum suppositum & esse est compositum ex quo est, & quod est: intelligentiæ sunt compositæ ex quidditate, quæ est ipsa intelligentia, & esse quo subsistunt, ergo sunt compositæ ex quo est & quod est. Omnia assumpta ex prædictis sunt manifesta.

QVÆSTIO XI.

Num esse actualis existentiæ & essentia distinguantur realiter.

CIRCA supradicta duæ dubitationes sunt. Prima est, an esse actualis existentiæ & essentia distinguantur realiter. Secunda est, an intelligentiæ sint compositæ ex actu & potentia.

¶ Circa primam tria agenda sunt: Primò ponetur opinio Scoti. Secundò ponetur opinio Sancti Thomæ. Tertiò respondebitur argumentis in oppositum.

QVO ad primum, Scotus in tertio sententiarum, distinctione sexta, quæstione prima, opinatur esse actualis existentiæ & essentiam rei esse idem realiter: licet distinguantur ex natura rei, sicut modus intrinsecus & quidditas cuius est: sicut nec albedo distinguitur à suo modo, intrinseco gradu scilicet, vt tria vel quatuor. Ad probandum autem hoc, licet adduci possent rationes Scoti: quia tamen vnionem naturæ humanæ cum supposito diuino concernūt, decem rationes inductas ab Antonio Trombeta in Quolibeto suo nunc recitandas primò censui.

¶ Primò arguit, vt ipse dicit, contra fundamentū Thomæ sic, manēte eadem ratione, manet idem effectus: sed tota ratio quare ponitur ab istis essentiam differre ab esse est propter indifferentiam essentiæ ad esse & non esse: nam vt dicunt, lapis est in potentia, vt sit, & non sit. ergo vbi talis indifferentia inuenitur, ibi ponenda est talis distinctio: sed ita est, q̄ est consimilis indifferentia esse ad esse & non esse (esse enim rosæ in hyeme non est, in verè autem est) consimilis etiam indifferētia est essentiæ ad essentiā & non essentiam. essentia nanque creaturæ ab æterno non est, ergo esse differt realiter ab esse, & essentia differt ab essentia, quod est ridiculum.

¶ Præ

¶ 2 Præterea, Quādocūq; sunt aliqua duo essentialiter ordinata, & realiter distincta, prius potest sine cōtradictione fieri abs q̄ posteriori: sed essentia non potest fieri sine existētia. ergo. Minor patet: quia essentia particularis, quæ sola sit, necessario est existens.

¶ 3 Præterea, Quæcunque distinguuntur, realiter se habent sicut res, & res: sed essentia & existentia non se habent sicut res, & res: ergo, &c. Patet ista: quia res, propriè loquendo, conuertitur cum ente in actu actualitate existentiæ.

¶ 4 Præterea, Nulla res cōponit cū sua realitate, ergo nulla quidditas differt realiter à sua existentia. Tenet cōsequentia: quia existētia est ipsa realitas rei, nihil enim aliud est dicere rem esse realiter, quam existere, & econuerso. Antecedens est de se notum, ridiculum est enim dicere quòd aliquid componat cū sua realitate.

¶ 5 Præterea, Homo verus non cōponit cum sua veritate: nec homo affirmans cum sua affirmatione: ergo quidditas non componit cum sua existētia. Consequentia patet ex eo, quòd rei existentia nihil aliud est, quàm positio veritatis & affirmatio huius. Antecedens autem oppositum non videtur bene intelligibile.

¶ 6 Præterea, Existentia & essentia habent idem cōtradictorium, ergo non distinguuntur realiter. Consequētia est nota: antecedēs verò manifestatur ex eo, q̄ nihil est q̄ priuet esse, quin priuet essentia: nec est aliud nihil priuās esse: & aliud nihil priuās essentia.

¶ 7 Præterea, Homo in potētia nō cōponit cum homine in actu: ergo essentia & existentia non cōponunt: & cōsequenter nō realiter distinguuntur. Consequētia relinquitur per 3e nota: quia essentia est in potentia, existētia verò est actualitas eius. Antecedēs verò patet ex eo, q̄ actus, & potentia diuiduntur ens, vt conditio diminuens, & perficiens: sicut verum & pictum diuidunt animal, vt Commentator dicit nono Meta. com. 7. homo ergo in potentia cùm non sit homo simpliciter, cùm sit homo in actu, solam cōditionem distrahentem perdit positum sub cōditione perficiente: & sic nullam compositionem habet cum homine in actu.

¶ 8 Præterea, esse existentię si est distinctum realiter à quidditate, non est substantia, nec accidens: ergo probatur antecedens: quod enim non sit accidens vt concessum ponatur. Quod autem non sit substantia, probatur: quia aut est materia, aut forma, aut compositum: nullum illorum est apud Thomam: ergo, &c.

¶ 9 Præterea, Existentia & essentia distinguuntur realiter: ergo in qualibet generatione substātiali sunt duo termini totales, & duo termini formales. Cōsequēs est impossibile: ergo, &c. Cōsequētia probatur quo ad vtranque partem, supponendo duo. Primum est, quòd compositum per se vnum fit ex per se actu, & per se potentia, ex octauo Metaphysicæ, vbi nullam causam nouit Arist. quare compositum substantiale est per se vnum, nisi quia materia est per se potentia, forma verò per se actus. Secundò supponitur, q̄ essentia est per se potentia: existentia verò per se actus. Ex quibus concluditur, q̄ id quod resultat ex esse & essentia, est per se vnū, quo dato, sequitur q̄ erunt duo composita per se vnitatem habentia: quorum alterum erit compositum ex materia, & forma, alterum ex esse & essentia: & cùm vnumquodque per se vnū natum sit terminare generationē, ergo in generatione erūt duo termini totales: & sic patet prima pars. Erūt ēt duo termini formales. s. existentia & forma substantialis: quod etiam probatur sic, Terminus formalis generationis est id, quo aliquid generatur: sed tā existentia, quā forma est id, quo aliquid generatur: ergo, &c. probatur Minor sic, Eo modo, quo aliquid est ratio essendi, est ratio generādi: sed existētia est ratio essendi. ergo est ratio generādi. Vel formetur sic ratio, Eo modo quo aliquid generatur, eo modo est: sed p ipsum compositum non generatur per esse sic, quòd esse sit terminus generationis, ergo non habet esse per ipsum esse. Consequēs est falsum, ergo altera præmissarum: nō maior, ergo minor.

¶ 10 Præterea, Ex existētia & essentia fit per se vnum: ergo datur processus in infinitū in essentiis. Cōsequens est impossibile: ergo, &c. Antecedens patet ex præcedēti ratione: & probatur sic, Nam sicut ex materia & forma resultat tertium per se vnū, quia illa est per se potentia, hæc per se actus: ita ex existentia & essentia, eadem etiam existentia sit per se actus, & essentia, per se potentia: eadem enim ratio est. Consequentia aūt probatur: quia si ex esse & essentia fit tertium per se vnum, cùm illud iterū distinguatur à sua existentia, componet cū ea, & ex eis fiet aliquod per se vnū: & iterum arguitur eodem modo de illo: & sic in infinitum. Hæc de primo.

QVO ad secundum, opinio S. Thomæ ab eo posita in secundo contra Gentiles, c. 52. est quòd in omni creatura quidditas, & eius esse actualis existētiæ distinguūtur realiter: & licet hæc conclusio nunc in textu probata sit, attamen ad pleniorem declarationem deducam tres probationes ex S. Tho. ibi.

¶ Prima est, Omnis essentia creata habet aliquid sibi realiter coniunctū, præter suum esse: nullum esse receptum habet aliquid sibi annexū præter se: ergo nullum esse irreceptum est essentia creaturæ, & consequenter esse & essentia non sunt idē: esset enim ipsum esse irreceptū si esset idem essentiæ, sicut & ipsa essentia irrecepta est, de substātiis loquendo. Maior est nota per se: Socrates em̄ pter suum esse habet quantitatem, albedinem & similia: similiter substantiæ separatæ, vt nunc supponimus, habent aliquod accidens: puta actū intelligendi saltem. Minor verò declaratur ex eo, quòd si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis: sed præcisa causa, quare esse habeat aliquid præter se annexū, est, quia esse est receptum in alio, in quo potest recipi aliud: qđ patet ex hoc, q̄ esse substantiale Socratis & esse albū eiusdem nulla alia ratione adunatur, nisi quia vtrūq; recipitur in Socrate: sunt enim tantùm vnū subiecto. Cùm ergo esse non erit receptum, non remanebit aliquis modus, quo potest habere aliquid sibi annexum.

¶ Confirmatur hoc: quia esse substantiale Socratis, aut adunatur cum aliis præter se identicè, & hoc est manifestè falsum esse: esse em̄ substātiale Socratis, nō est esse albū. Aut sicut potētia & actus: ita quòd esse substantiale sit potentia, & accidentale actus eius: & hoc non, quia nullum esse actualis existentiæ potest poni subiectum alterius, cùm sit vltima actualitas. Remanet igitur, quòd ea ratione adunentur, quia ambo recipiuntur in tertio: & ideo sublato hoc ab ipso esse actualis existentiæ, quòd sit, scilicet receptum, aufertur etiam, quòd possit habere aliquid sibi annexū: & hoc est quod Boëtius dicit in Hebdomadibus, quod ipsum quod est aliquid, habet sibi præter se coniunctum: ipsum verò esse nihil. *Cap. 1.*

¶ Secunda ratio ad idem est, Omne esse irreceptum est infinitum simpliciter: nullum esse creaturæ est infinitū simpliciter, ergo nullum esse creaturæ est esse irreceptum: ergo distinguitur ab essentia, &c. Minor est per se nota. Maior probatur sic, Omne purum esse est infinitum simpliciter: omne esse irreceptū est purum esse: ergo omne esse irreceptum est infinitum simpliciter. Maior est nota ex terminis (esse enim ideo est limitatum, quia nō est purum, sed prædicamentis mixtum) esse enim limitatur per naturas prædicamentales: à quibus si deputetur, omni finitate carens, infinitum omnino restabit. Minor verò etiam patet ex præcedenti ratione, & ex ratione facta suprà in textu. Et adhuc exemplariter declaratur. Albedo si ponatur non recepta in aliquo, est pura albedo: & nihil haberet nisi se tantum, & esset infinita in specie albedinis, vt de se clarum est: non enim potest à sano intellectu imaginari albedo separata definita ad aliquem modum albedinis: omne enim quod est per se tale, habet omnem perfectionem possibilem illi naturæ: sicut homo separatus apud Platonem, habet omnem perfectionem possibilem naturæ humanæ. *propositione 4.*

Nec valet id quod Antonius Trombeta contra hoc dicit sumptum ex Scoto, secundo sententiarum, dist. 3. q. vlt. quòd si albedo esset separata, & haberet omnem perfectionem possibilem tali speciei, sequeretur quòd albedo esset infinita simpliciter: quia haberet perfectionem infinitorum indiuiduorum possibilium esse sub specie albedinis. Hoc inquam nihil valet: quoniam sicut infinita indiuidua albedinis, etiam simul posita non sunt perfectionis infinitæ simpliciter, cum sint limitata ad speciem albedinis, ita nec albedo separata ꝯ eorum perfectiones habens erit infinita simpliciter, sed in tali specie.

¶ Tertia ratio est ista, Id quod conuenit naturæ specificæ absque omni causa effectiua, distinguitur realiter ab eo, q̄ conuenit illi, nō nisi per aliquā causam effectiuam: sed prædicata quidditatiua conueniunt rei absque omni causa effectiua: existētia aūt nō conuenit rei, nisi per aliquod efficiens: ergo prædicata quidditatiua, & existentia rei distinguuntur realiter. Maior est per se nota: Minor etiam quo ad secundam partem est clarissima: quo ad primā verò declaratur sic, Seclusa omni causalitate effectiua respectu rosæ, quæro an ista sit vera, Rosa est substantia corporea: si sic, habeo intentum: si non, ergo sola absolutè sumpta non est in prato: & ꝑdicata primi modi possunt intelligi nō ad esse rei, & diffinitio separatur à diffinito: quæ omnia nō sunt imaginabilia, &c. Videtur etiam hæc opinio ab antiquis deriuata, Platone. s. Alpharabio, Auicēna, Algazele, Boëtio, Hilario, Alberto, & eorū sequacib⁹: licet ab Arist. nihil manifesti in hac re habeamus. Hæc de secundo.

QVO ad tertium, respondetur argumētis in oppositum. Et ad primum dicitur præmittendo, quòd arguens non vidit S. Tho. in fonte: vt enim apparet ex secundo contra Gentiles, vbi ex intētione septem rationibus fundat suam opinionem, seu positionem: ratio assumpta ab arguente non nominatur inter illas: vnde peccauit imponendo nobis hoc esse totum fundamentum positionis nostræ, licet illa ratio ex dictis S. Thomæ, primo sententiarum, distinctione octaua, quæstio. 4. artic. 2. elici possit (vbi tamen de hac re non tractat) & est formanda sic ratio illa, Essentia particulariter sumpta est indifferens ad esse & non esse: ergo distinguitur realiter à suo esse. Nec valet responsio sua dicens, quòd in antecedente oportet addere, quod essentia habeat propriam realitatem aliam à realitate existentiæ, quia hoc est voluntarium. Distinctio enim realis est inter materiam & formam: quas Philosophi non dubitant habere eandem realitatem existentiæ, cùm ex eis ponant vnum per se fieri.

¶ Ad argumētū ergo cōtra hāc rōnem factū dicitur, q̄ falsum est, q̄ esse sit indifferēs ad esse, & nō esse, & essentia ad essentiā, & nō

Universidad de Deusto
Biblioteca

essentiam: nihil enim est indifferens ad aliqua duo: quorũ alterum sibi determinat in sua diffinitione: constat autẽ ꝙ esse est de intellectu esse, & essentia de intellectu essentiæ. Quod aũ esse rosæ in hyeme nõ sit, sed in vere: hoc ideo est, quia essentia rosæ, cui semper sua prædicata quidditativa aũsunt, ad actum essendi non pertinuit, & non ideo, quia ipsum esse sit indifferens. Cũ autẽ addit ꝙ essentia est indifferens ad essentiam, & non essentiam, quia nõ est ab æterno, nõ videtur intelligere vocem propriam: ex negatione enim actus essendi ab æterno, bene sequitur, quòd rosa sit indifferens ad esse & non esse: sed non quòd sit indifferens ad rosam & non rosam. vt enim dicunt Alpharabius, Auicẽna, Algazel, & Albertus, siue rosa sit, sine non sit, semper est rosa, & semper est substantia corporea, &c. si aliquo termino mensuræ in his vti licet.

¶ Ad secundum negatur vtraque præmissa: & Maior quidem supposita ostensa est esse falsa. Minor verò ostenditur in Christo in quo humanitas absque creata existentia actuali est.

¶ Ad tertium negatur Maior ad intellectum arguentis: non enim requiritur ad distinctionem realem, quòd vtrunq; eorum habeat propriam existentiam.

¶ Ad quartum dicitur, ꝙ sicut esse est duplex, scilicet existẽtiæ & essentiæ, ita duplex est realitas essentiæ & existentiæ: & licet nulla res componat cum sua realitate, tamen cum hoc stat, quòd componat cum realitate existentiæ: vnde essentia hominis absolutè in reali prædicamento, substantiæ scilicet reponitur: posita autem in rerum natura fit realis realitate existentiæ.

¶ Ad quintum dicitur eodem modo: quia etiam verũ convertitur cum ente & re: vnde simpliciter homo dupliciter est verus, scilicet veritate essentiæ, & existentiæ. homo verus veritate essentiæ non componit cum tali veritate, quæ nihil aliud est, quàm fundamentalis conformitas ad sua prædicata quidditative: componit autem cum sua veritate existentiæ: id est cum esse, quod fundat hanc veritatem, homo est, similiter dicitur de affirmatione.

¶ Ad sextum negatur antecedẽs: cuius probationis vtrũq; assumptum est falsum. Cum enim quot modis vnũ oppositorũ dicitur, tot dicatur & reliquum (in primo Topicorum) sicut ens dupliciter dicitur. Sens quidditativũ & existẽtiæ: ita non ens, seu nihil dicitur dupliciter: scilicet nihil quidditative, & nihil existenter: homo enim absolutè sumptus cùm sit in prædicamento substantiæ, est ens quidditative, non tamẽ extrà nihil oppositum actuali existentiæ: & ideo aliud est nihil oppositũ enti prædicamentali seu essentiæ, & aliud, quod opponitur existẽtiæ actuali, &c. & similiter alia est negatio essentiæ, & alia est negatio existentiæ.

¶ Ad septimũ negatur consequẽtia: non enim idem est dicere, homo in potẽtia componit cum homine in actu & essentia cõponit cum existentia. prima enim est falsa: quia idem non cõponit; cum seipso: secũda autẽ est vera, quia extrema realiter distinguuntur, vnde non est eadẽ proportio existentiæ ad essentiam, & hominis in actu ad hominẽ in potẽtia. Inter prima enim est proportio potentiæ receptiuè ad actũ: & distinctio realis vtroque extremo posito extra causas suas: inter secunda verò non, sed est proportio eiusdem ad seipsum secundum diuersas sui dispositiones simul incompossibiles, scilicet esse in potentia & esse in actu.

¶ Ad octauum negatur antecedens: existentia enim substantię est substantia, & existentia accidentis est accidens: & (vt suprà patet) existentia substantiæ non est materia, nec forma, nec cõpositum, sed actualitas omniũ eorũ: & sic est reductiuè in genere substantiæ. Sed contra hoc instat arguens sic, Omne quod est reductiuè in genere, reponitur vt principium ipsius: sed esse non est principium substantiæ, ergo non est in genere substantiæ reductiuè.

Ad hoc dicitur, quòd cum esse sit vltima actualitas rei, & vltimum in generatione sit primum in intẽtione esse in genere substantiæ vt principium formale vltimatum ipsius substantiæ: per hoc enim res reponitur in genere substantiæ, quia est capax esse substantialis: etenim differentiæ in omnibus generibus (vt infrà declarabitur) sumuntur ab ordine ad ipsum esse.

¶ Ad nonum negatur cõsequẽtia. Ad cuius probationem dicitur, quòd primũ suppositũ malè intellectũ adducitur, eo quòd Aristo. 5. Met. tex. com. 15. quem arguens adducit, non dicit quòd ex per se potentia & per se actu resultet vnum tertium, sed quòd ideo res habens partes est vna: quia altera est actus, altera verò potẽtia, & intelligendum est (sicut suprà declaratum fuit) si ad cõpositionem realem referatur, scilicet ꝙ altera pars est pura potentia, eo quòd ex duobus actibus non fit tertium per se vnum: modo quidditas rei & existentia eius non se habent sicut pura potentia & actus, nec sunt partes, vt patet: vnde authoritas illa nõ est ad propositũ. Relinquitur ergo falsum esse, quòd essentia fiat tertiũ per se vnũ: & consequenter probatio consequentiæ, quo ad primã partem nihil valet, quia non sunt ibi duo composita. Ad probationem vero consequentiæ quo ad secundam partẽ dicitur, quòd non inconuenit generationẽ habere duos terminos formales differmiter, vnũ primò, alterũ secundariò: terminus formalis generationis primus est forma, secũdarius autem esse, sicut per oppositum creationis terminus formalis primò est esse: secundarius verò forma, & hoc modo conceduntur argumenta.

¶ Quòd si intendat probare, quòd esse sit terminus generationis, primò respõdetur & dicitur, ꝙ id quod assumit, scilicet eo modo, quo aliquid est ratio essendi, est ratio generandi. falsum est: licet enim sit verũ, ꝙ id quod est ratio essendi, sit ratio rei, quòd generetur: non tamen est verum, quòd eo modo quo est ratio essendi, sit ratio generãdi, & ratio est: quia res per generationem nõ exit de non esse omnino ad esse, sed de priuatione ad formam, vt dicitur 1. Phy. creationis enim est propriũ, vt res transferat de nõ esse omnino ad esse, quo sit vt esse, quod est primò ratio essendi, meritò sit & primò ratio primæ productionis, quæ est creatio: & forma, quæ est secundariò ratio essendi, sit prima ratio secũdæ productionis, generationis scilicet. vnde & primo Phy. principia generationis ponuntur forma & priuatio. Per idem patet ad aliam formam eiusdem rationis. falsa enim est maior, alius namque est modus quo res generatur: & alius quo est, est enim per formam secundario, per se autem primò, generatur verò econuerso.

¶ Ad decimũ patet respõsio ex dictis, falsum enim est antecedẽs.

CIRCA secundum dubium sciendum est, communem Philosophorum sententiam esse intelligentias alias à prima non esse actus omnino puros: sed ad mixtionem in se potentiæ habentes: verum diuersitas inter eos magna est de modo, quo hæc duo, actus scilicet & potentia, eis insunt.

¶ Et vt reliquos omittamus, ne limites intentionis nostræ egrediamur: Scot. in primo sentent. dist. 8. q. 2. opinatur omnẽ creaturam esse cõpositã ex actu & potentia, hoc modo, quia quælibet creatura cum non sit nihil, oportet quod habeat aliquã actualitatem: & cùm sit definita ad tale genus, vel speciem, seu gradum perfectionis, oportet quòd habeat in se negationẽ alterius perfectionis possibilis reperiri in latitudine entis: & sic sit possibilis, quicquid enim est ens, & caret aliqua perfectione in ente possibili, est simpliciter possibile, & sic quælibet res est composita ex actu & potẽtia obiectiua, ex eo enim ꝙ est, habet in se actum: ex eo verò, ꝙ est ens possibile, habet in se potentiam, possibile namque à potentia dicitur. Cùm autem solus Deus sit actus non possibilis, id est non potens terminare actionem alicuius agẽtis lui factiui: intelligẽtiæ apud ipsum erunt compositæ ex actu & potentia obiectiua tantum: quia nullam in earum subiãtia receptiuam formã ponit.

S. Thomas autem ex fundamentis in dubitatione præcedenti positis opinatur intelligentias & quamlibet creaturam esse compositas ex actu & potentia: sicut ex duabus rebus distinctis realiter, esse scilicet & essentia: nec oportet repetere ꝓbationes, sed soluere rationem Sco. quam ibidem facit cõtra hoc. Arguit enim sic, Si in qualibet creatura est compositio ex duabus rebus, accipio alteram illarum rerum componentium, & quæro, an sit simplex, an composita. Si simplex, ergo non quælibet res creata est composita. Si composita, iterum quæretur de partibus eius: & sic in infinitum.

¶ Ad hoc facillimè respondetur: procedit enim argumentum ex malo intellectu positionis nostræ, cum namque dicitur, ꝙ quodlibet aliud à Deo est compositum, ly Quodlibet, distribuit non nisi pro his, quæ verè sunt & propriè esse habent: quæ apud Arist. & veritatem sunt sola substantia: omne ergo suppositum tam substãtiale, quàm accidentale (si sic loqui licet) est compositum ex actu & potentia & realiter distinctis, quidditate scilicet & esse: Socratis enim quidditas, vt declarauimus, distinguitur realiter à suo esse: & huius alibi albedo distinguitur realiter à sua propria existentia, vt ex dictis patere potest. Non enim sumus adeo insensati, vt dicamus omnem entitatem qualitercunque esse compositam. Componentia enim vltima in resolutione quis dubitat oportere esse simplicia? Dicimus igitur in proposito intelligentias cùm substãtant habere in se quidditatem, & existentiam adunatas vt potentiam & actum: & sic compositas esse ex duabus rebus realiter distinctis. Scot. autem sententiam tenere potest suam absque alterius læsione, sed linguam coercere debet.

Et quia in intelligentiis ponitur potentia & actus, non erit difficile inuenire multitudinem intelligentiarum, quod esset impossibile, si nulla potentia in eis esset. Vnde dicit Com. in tertio de Anima, quòd si natura intellectus possibilis esset ignorata, non possemus inuenire multitudinem in substantiis separatis. Est ergo distinctio earum adinuicem secundum gradum potentiæ & actus, ita quòd intelligentia superior, quæ plus propinqua est primo, habet plus de actu & minus de potentia, & sic de aliis: & hoc completur in anima humana, quæ tenet vltimum gradum in intellectualibus substantiis. vnde intellectus potentialis eius se habet ad formas intelligibiles sicut materia prima quæ tenet vltimum gradum in esse sensibili ad formas sensibiles, vt Commentator tertio de Anima dicit: &

ideo Phi

Tertio de Anima. Tex. 1. *ideo Philosophus comparat eam tabulæ rasæ in qua nihil est depictum. Et propter hoc, quia inter aliàs substantias intelligibiles plus habet de potentia: ideo efficitur intantum propinqua rebus materialibus, vt res materialis trahatur ad participandum esse suum: ita quòd ex anima & corpore resultat vnum esse in vno composito, quamuis illud esse, prout est animæ, non sit dependens à corpore, & ideo post istam formam, quæ est anima, inueniuntur aliæ formæ plus de potentia habentes, & magis propinquæ materiæ, intantum quòd esse earum sine materia non est: in quibus etiam inuenitur ordo, & gradus vsque ad primas formas elementorum: quæ sunt propinquissimæ materiæ, vnde nec aliquam operationem habent nisi secundum exigentiam qualitatum actiuarum, & passiuarum, & aliorum, quibus materia ad formam disponitur.*

¶ In hac sexta & vlt. parte huius cap. de multitudine intelligẽtiarum agens primò proponit duas conclusiones: quarum prima est, ꝙ secundum fundamenta prædicta non est difficile inuenire pluralitatem intelligẽtiarum. Secunda est, quòd absq; talibus fundamentis impossibile est inuenire in eis pluralitatem: & hoc quidem non nisi autoritate Com. 3. de Anima. com. 14. Probatio verò primæ conclusionis est: quia quandocunque est aliquod medium per participationem vtriusq; extremi plurificatur penes maiorẽ participationem vnius & minorem alterius: verbi gratia, Imponatur nomẽ coloribus mediis, & vocentur A: tunc A quia est inter albedinem, & nigredinem mediũ, p participationem multiplicatur in plures species: puta pallidũ, croceum, citrinum, propter maiorem appropinquationẽ ad albedinẽ & recessum à nigredine, & econuerso: sed intelligentia est quid medium secundũ præhabita inter duo extrema, scilicet actum purum, & purã potentiã, participans naturã vtriusque: quia habet actum coniunctũ potentiæ: ergo intelligentias plures esse, ex hoc fundamento facilè perpendi potest, scilicet ex eo quòd sunt compositæ ex actu & potentia.

AD horum euidẽtiam est sciẽdum, quòd in latitudine entis sunt duo extrema, scilicet Deus glorioſus actu purus omnino, & materia prima pura potentia omnino, reliqua omnia sunt intermedia, vtpote habentia actum & potentiam: & attenditur eorũ essentialis, seu specifica multitudo penes appropinquationem & elongationem ab extremis: quia enim aliquid magis sapit naturã actus, quàm aliud, & illud quàm aliud, ideo plura sunt, & dignitas in eis est penes maiorem appropinquationem ad extremum nobile, scilicet actum purum: quantò enim res est actualior, & minus potentialis, tantò nobilior: omnes igitur formæ intermediæ participant actum & potentiam. Sed inter eas quædam tantum actualitatis sortitæ sunt, vt adeò propinquæ sint actui puro, quòd per se absque materia subsistant, vtpote ab ea valde elongatæ: nõ tamen sine admixtione potentiæ, cuius puritas est ratio materiæ quòd sit extremum: & inter has tanta latitudo est secundum maiorem & minorem participationem actus & potentiæ, vt vltima earum tantum potentialitatis habeat, quod materiam informet (anima scilicet intellectiua.) Hæc enim inter omnes formas subsistentes elongata est maximè ab actu puro: propter quod contingit quòd adeo appropinquat alteri extremo, vt materiam ipsam recipiat & ad eius esse trahatur. Aliæ autem formæ tantùm potentialitatis habent, quòd à materia dependent in esse & fieri: inter quas etiam magna latitudo inuenitur, dum quædam quibusdam actualiores sunt. Quod ex operibus cognoscere potes (operatio enim facit cognoscere formam) vnde formæ elementorum, quæ sunt maximè potentiam habentes, vtpote materiæ propinquissimæ, nullius sunt principia operationis, nisi per materiales qualitates, scilicet caliditatem, frigiditatem: Formæ verò mixtorum, vtpote eleuatiores à materia altiori modo operantur: sicut adamas trahit ferrum non ratione caliditatis, aut frigiditatis, sed ex naturæ proprietate. Formæ autem animalium longè actualiores dignoscuntur, cum seipsa mouere & alia discernere intuemur.

EX his non solùm percipitur, quàm facilis sit aditus ad pluralitatem intelligentiarum cognoscendam, sed etiam ꝙ impossibile est fingere illã absque hoc fundamẽto. Quomodo enim latitudo potest inueniri in eo quod actu & potentia caret? Commune est nanque omnibus extremis, si extrema sunt, latitudinem in seipsis non compatiri: essent enim vlt. & non vltima, vt de se patet: & ideo oportet media esse illa, in quibus latitudo quæritur, quę vtriusque extremi naturã sapiant. Et quia intellectualem naturam, quam ex hoc, ꝙ intellectualis est, scimus actualitatem habere, non cognoscemus habere potẽtiam admixtã, nisi videremus animã nostrã illam habere, cùm potentia æquiuocè dicatur de potentia rerum intellectualiũ, & de potentia rerũ sensibiliũ: & sine potentia non potest intelligi multitudo substãtiarum intellectualiũ: ideo Commentator ait, ꝙ si non esset nota natura intellectus possibilis, non possemus intelligere pluralitatem in substantiis abstractis.

Notãda sunt in hac litera tria. Primum est, hoc ex dictis Commentatoris adducitur, ꝙ si non esset nota natura intellectus possibilis, nõ possemus scire pluralitatẽ in substãtiis immaterialibus. Tertio de Anima. ma. c. 5.

¶ Secundum est, quòd S. Thom. non dicit animam intellectiuam esse adeò potentiæ participem, vt forma materialis sit: sed vt materia trahatur ad participandum esse ipsius animæ.

¶ Tertium est: quia dicit animę & corporis esse vnum & idem esse: quod est independens à corpore.

Primo dicto videtur obuiare processus Arist. 12. Met. tex. com. 43. vbi ex pluralitate motuum pluralitatem intelligẽtiarum concludit, & nullo modo meminit actus, & potentiæ. Sed hoc rectè intelligentibus non obstat. Aliud est enim concludere numerum motorum, & aliud est concludere pluralitatem substantiarum intellectualium: licet enim idem subiecto sint motores orbium, & substantiæ immateriales: differunt tamen ratione, adeò vt ad diuersas scientias pertineat, secũdum Cõmentatorem 12. Met. com. 6. & ideo ex pluralitate motuum quamuis pluralitas motorum vt sic concludi possit: non tamen pluralitas substantiarũ intellectualium vt sic. Intendunt igitur Auerrois & S. Tho. quòd intelligentiarum, inquantum intelligentiæ sunt, multitudo non nisi per notam naturã intellectus possibilis discernitur à nobis: licet earum, inquantum motrices sunt orbium, ex suorum effectuum numero pluralitas inferatur. Vel dicito, quòd venatio illa suppositæ notitiæ habita in libro de Anima: vbi radicaliter innotuit pluralitas substantiarum intellectualium possibilis quærit ex numero motuum, quot sunt. Quòd autem ibi supponatur, motores proprios orbium habere potentiam admixtam, potest persuaderi ex eo, quòd supponitur ibi, scilicet motores proprios orbium esse proportionatos suis orbibus: ita vt vnus vnum tantùm moueat orbem. Et si stella adderetur, vel non moueret, vel tardius (vt dicitur secundo Cæli textu com. 71.) Talis enim proportionis, seu commensurationis, cùm alterum extremum sit res materialis, scilicet orbis, reliquum extremum à potentia omnino denudatum putandum nõ est: imò à sano intellectu non est intelligibile.

Propter secundum intelligendum est inueniti duplicem rerum ordinem in vniuerso, intelligibilium scilicet & sensibilium. Ordo sensibilium materialis est materiam sibi necessariò vendicãs: omnes enim substantiæ sensibiles materiam habent, licet diuersimodè: vt dicitur octauo Meta. text. com. 3. & 12. Ordo intelligibilium immaterialis est, & à materia non dependens. Intelligibile enim est vnumquodque per separationem à materia: vt dicitur 3. de Anima tex. cõ. 11. Cum ergo materia sit sub aliqua forma sensibilis ordinis, cuiusmodi est omnis forma habens omnes vires suas sensibilibus organis affixas, non egreditur limites proprios: ipsa enim ad illud genus pertinet. Cum verò sit sub forma intelligibilis ordinis, extrà limites suos ascendit & trahi dicitur ad id quod capacitatem eius transcendit, scilicet esse rei à se non dependẽtis: & quia supremum infimi attingit infimum supremi, secũdum doctrinã Dionysij in libro de Cælesti hiera. cap. ideo supremum inter sensibilia, homo scilicet seu materia eius coniungitur infimæ formæ intelligibilis ordinis: scilicet animæ intellectiuæ, & eius esse participat: & propter hoc dicitur, quòd materia trahitur ad esse eius, eleuatur enim materia ad superius.

AD euidentiam tertij adducendæ sunt rationes Scoti contra hoc dictum S. Thomæ, vt magis veritas eluceſcat. Scot. in quolibet. q. 9. & 4. sen. dist. 43. quæst. 1. sex motiua contra hoc facit: quorum aliqua recitãtur ab Antonio Trombeta, in quæstione vtrum corruptum per potentiam diuinam possit idem numero redire. in quatam ipse, quàm Scotus vbi suprà S. Thomæ opinionem non suam attribuunt de eo, quod ibi quęritur: & hoc quia locuti sunt non tota lege perspecta, & iuxta Arist. ad pauca respicientes, de facili enunciant.

¶ Arguit ergo primò in proposito sic, Esse animæ & hominis est idem: ergo anima coniuncta corpori non est perfectiorseipsa extra corpus. Consequens est contra S. Tho. prima parte, q. 69. vbi dicit animam habere perfectiorem statum in corpore, quàm extrà. Cõsequentia autem probatur: quia nihil habens idem esse, ex hoc solo est perfectius, quòd aliquid cõmunicat alteri, licet alterum perficiatur ex hoc: communicare enim licet supponat perfectionem in communicante, non tamen dat illam ei: modo anima in corpore sit semper, retinet idem esse: nihil in corpore plus habet, nisi quod communicat esse suum corpori: ergo ex hoc nõ est perfectior seipsa separata. Et confirmatur: quia ex hoc solo quòd causa nõ communicat aliquid, nullam imperfectionem acquirit: ergo anima nõ est imperfectior separata si idem esse retinet: nihil enim amisit nisi sui communicationem corpori.

¶ 2. Præterea, Anima habet idem esse cũ homine: ergo homo non est perfectior in essendo ipsa anima in essendo. Antecedens est falsum: consequentia verò probatur, quia quæcunque habent ornino idem esse sunt æquè perfecta in essendo, vel saltẽ id, cui communicatur illud esse non est perfectius in essendo cõmunicante.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ 3 Præterea, Homo, vt homo, est tertiũ ens realiter distinctũ ab vtraque sui parte, scilicet anima & corpore: ergo habet proprium esse aliquid ab esse partium: & consequenter nõ est idem esse animæ & hominis. Tenet consequentia, quia distinctum ens debet habere distinctum esse.

¶ 4 Præterea, Esse hominis in morte corrumpitur, esse aũt animæ nõ corrumpitur: ergo esse animæ & hominis nõ sunt idẽ. Consequentia plana est, & antecedẽs probatur, quia sicut generatio terminatur ad esse compositi. s. hominis: ita corruptio ad esse ipsius.

¶ 5 Præterea, Homo post mortẽ nõ manet: ergo nec esse eius. Tũc vltrà, Esse hominis non manet post mortem: ergo esse animæ & hominis non est idem: cum esse animæ remaneat. Processus totus clarus est, excepta prima consequentia, quæ probatur ex eo quòd nullius actuale esse inuenitur, cum illud cuius est, non inuenitur.

¶ 6 Præterea, In homine est alia forma ꝑter animã: ergo in ea est aliud esse præter esse animæ. Cõsequentia est nota: quia quælibet forma habet proprium esse: antecedens verò aliàs probatum est.

Antequam ad argumenta hæc respondeatur, aduertas primò, fundamentum S. Tho. vniuersaliter esse, in omni composito non inueniri nisi vnũ esse substantiale actualis existentiæ, de quo nũc fermo est, eo ꝙ vnam tantùm formã substantialem in composito tenet, ab vna enim forma non est nisi vnum esse substantiale. Sed inter esse hominis & esse aliorum diuersitas est, quòd licet tã esse hominis, quàm aliorum primò sit actus suppositi, vt quod in homine: tamen totum compositum mendicat illud esse à forma: cuius est primò actus, vt proprij & completi principij: in aliis verò compositis forma mendicat illud à composito. Et est ratio disparitatis: quia in solo homine, qui supremum tenet locum inter sensibilia, ordo inferior, sensibilis scilicet, trahitur ad ordinẽ superiorem intelligibilẽ & immaterialem. Vnde esse hominis, cũ ab anima intellectiua fluat, immateriale & alteriori ordinis, quã homo, sicut & ipsa anima: & ideo homo mendicat illud ab anima, cui est propriũ: vtpote ad suum pertinens genus: & inde est ꝙ post mortem hominis anima remanet, esse etenim proprium independens erat à composito corrupto: & sic illud retrahendo ad se subsistit. Cæterorum verò esse, cùm sint eiusdem ordinis cũ cõpositis, quibus attribuuntur, sicut & formæ à quibus fluũt, formæ ipsæ mendicant à compositis, sicut & fieri: ita quòd tandiu illo gaudent, quandiu in compositis sunt. vnde corruptis compositis ipsæ (cum sine existentia remanere nõ possint) desinunt statim.

Aduerte secundò pro resolutione argumentorum tres propositiões. Prima est, qã cùm duplex sit perfectio rei, prima scilicet & secunda, res creata potens causare, etsi nõ efficiatur perfectior secundũ defectionem primã, ex hoc ꝙ actu causat, efficitur tñ perfectior secũdum perfectionẽ secundã. Patet hoc ex tribus. Primò ex eo ꝙ est magis in actu res actu causans re in potẽtia causante. operatio enim est actus secundus causæ, perfectio autem actualitatem sequitur, sicut imperfectio potentialitatem. Secundò patet ex eo quòd vnũquodque est perfectius coniunctũ suo fini, quàm separatũ ab illo: res autem actu operans coniuncta est suo fini intranco, qui est operatio: iuxta illud secundi de Cælo & mũdo tex. com. 17. Vnumquodque est propter suam operationẽ. Tertio patet idem, quòd vnumquodque quãto est similius Deo, tantò perfectius est: res autem actu causans est similior Deo quàm nõ actu causans: quia non solùm assimilatur Deo secundum hoc, quòd est, sed etiam secundum hoc, quòd est communicare se aliis.

¶ Secũda propositio est, Res est perfecta simpliciter non propter perfectionem primam, sed propter vltimam. Hoc traditur à Boetio in libro de Hebdomadibus, dicẽte, Intueor in rebus aliud esse, quòd sunt, & aliud esse, quòd bona sunt: & declaratur à S. Tho. 1. parte q. 5. art. 1. ad primum.

¶ Ad cuius intellectum nota, ꝙ vt idem dicit prima parte, q. 6. ar. 3. triplex est perfectio, rei s. prima, secundum quam res constituitur in suo esse, sicut prima perfectio hominis est esse suũ substãtiale. Secunda verò est, secundũ quam est potẽs proximè ad suas perfectas operationes: sicut vires animæ & habitus eas informantes, quibus homo in perfectã operationẽ potest exire. Tertia aũt perfectio est, secundũ quã coniungitur suo fini: sicut speculatio, quę hominem subsũtãtiis separatis vnit. Manifestũ est autem, non esse hominem simpliciter perfectũ, qui sola naturę bonitate gaudet: aut qui à proprio fine procul est, vnde ordo entis simpliciter ad ens, secũdum quid oppositus est ordini perfecti simpliciter ad perfectũ secũdũ quid: secundũ namque esse subsũtãiale homo ens simpliciter dicitur, perfectus aũt secũdũ quid: ideo enim qui nullam aliam perfectionem habet, nisi quia est homo perfectus, nõ asseritur simpliciter, sed cũ additione dicimus, ꝙ est perfectus secundũ esse subsũtantiale. Secundũ verò esse accidẽtale, quale est habituum & operationũ, ens secundũ quid homo dicitur, perfectus autem simpliciter. nihil enim tunc sibi deficit eorum, quę ad perficiendum hominẽ exigũtur. Patet ergo intenta propositio, quòd scilicet res est perfecta simpliciter ex vltima perfectione.

¶ Tertia propositio est ista, Realis pars essentiæ perfectior est in toto existens, quàm separata: & declaratur sic. Vnumquodque est perfectius, cùm est in complemento sui esse specifici, quàm cùm deficit ab illo: pars autem essentialis, quãdo est in toto, est in complemento suæ speciei, ad cuius integritatem essentialiter ordinatur: cùm autem est separata ab eo, tam eum esse completo speciei non est natura specifica materiam & formam aggregante: perfectior igitur est in toto pars essentialis, quàm separata.

¶ Ex quibus ad propositum descendendo, dicimus perfectiorem ſtatum habere animam intellectiuam in cõposito, quàm extrà: eo ꝙ quãdo est coniuncta corpori, habent non solũ perfectionẽ primã, quæ est esse, sed etiam perfectionem secũdam, influendo vires suas corpori, & cõmunicando se: & sic similior est Deo, quàm separata: licet Deus omnino immaterialis & incomporibilis sit, sicut cor motum similius est Deo, quàm non motum, licet Deus sit omnino immobilis, perfectio enim eorum consistit in hoc.

¶ Est ꝓterea perfectior in corpore: quia in eo habet completum esse specificum, quod non nisi partialiter obtinet separata. quãuis enim integrum esse existentiæ retineat separata, quod in composito habebat: non tamen habet tunc integrum esse essentiæ completum in ſpecie eo modo, quo nata est habere, scilicet vt pars in toto: ad quod tamen habendum non accidentaliter, sed essentialiter ordinatur: vnde falsum est, animam separatam retinẽrem idẽ esse actualis existẽtiæ, & nihil nisi sui communicationem ex separatione perdidisse: amisit enim esse quidditatiui specifici integritatem, quandoquidem in sua specie integra non manet: vnde & beatus Th. in quęstionibus de anima, q. 1. ad 16. ait principia essentialia alicuius speciei ordinari, non ad esse tãtum, sed ad esse huius specici. Licet igitur animal possit per se esse, nõ tamẽ in complemento suæ ſpeciei esse sine corpore.

A D primum ergo argumentorum negatur consequentia. Cuius probationem patet ex prima propositione assumere falsum: licet enim communicare ſupponat primam perfectionem in communicante, tamen perficit ipsam perfectionem secunda, qua res perfectior simpliciter dicitur: imo apud Dionysium supremum, quod participant creaturæ, de Deo est, quòd cõmunicatiuæ sunt.

¶ Dicitur secundò, ꝙ etiam minor probationis est falsa, scilicet quòd anima separata hoc solo careat, scilicet communicatione sui, vt patet ex tertia propositione: caret enim integritate specifici sui esse: & hoc est primum & principale quod reddit imperfectionem animam separatam: ideo namque caret perfectionibus secundis, quia caret integritate specifica, & non econuerso. Ad confirmationem patet ex prima propositione: quia causa creata ex hoc, quòd causat, habet perfectionem secundam, cuius priuatio imperfectio magna est: & in proposito aliquid plus est: quia anima separata non solum desinit communicare se, & vires suas: sed est in ſtatu tali, in quo impeditur à sui & virium suarum cõmunicatione, & hoc est signum imperfectionis non modicæ: & est ea, quam diximus, scilicet separatio à completo esse quiditatiuæ suæ ſpeciei: vt expresè habetur à Sancto Thoma, in quæstione de ſpiritualibus creaturis, quæst. 2. ad quintum.

¶ Ad secundũ negatur cõsequẽtia. Ad probationẽ dicitur ꝙ cum esse sit duplex, quiditatiuum & existentiæ actualis: primũ nõ remanet in anima nisi partialiter. homo verò habet illud integraliter: & secundum tale esse homo est perfectior in essendo. Quo ad esse aũt existentiæ potest dici homo perfectior, quo ad modũ habendi hunc, scilicet quia habet illud vt ſuppositum. anima autem secundum alium modum perfectior dici potest: inquantum s. tale esse est sibi, & non homini proprium, modo supra declarato: vnde se habent in hoc homo & anima sicut excedens & excessum.

¶ Ad tertium negatur consequentia, de esse actualis existentiæ loquendo: non enim res distincta realiter ab alia habet aliam existentiam ab illa: iam enim dictum est, partes & totum habere idem esse. Concediture autem consequentia de esse essentiæ: sed hoc nostro fauet proposito.

¶ Ad quartum dicitur sicut antè, quòd si in antecedente sit sermo de esse essentiæ, verum assumitur in prima eius parte, sed non in secunda: liquet enim ex supradictis, quòd esse ſpecificum completum animæ corrumpitur.

¶ Si autem sit sermo de esse existentiæ, potest dupliciter intelligi. Primò, ꝙ esse actualis existentię hominis desinat simpliciter. & sic est falsum: retrahit enim anima illud ad se. Alio modo põt intelligi, quòd esse hominis in morte desinat esse hominis, id est desinat informare hominem, & hoc modo cõceditur: sicut enim de generatione hominis ſpecialem ſermonem facimus, & non sic de cæterorum propagatione animalium, dicente Aristo. in secundo de generatione animalium, cap. 3. quòd intellectus tantùm venit ex intrinseco, & ipse solus est diuinus, eo quòd operatio sua non habet communicationem cum operatione corporali omnino: ita de corruptione eiusdem ſpecialis sermo esse debet, dicente eodẽ. 12. Met. tex. com. 17. quòd in quibusdam nihil prohibet formã remanere pòst, vt si est anima talis: non omnis forsan, sed intellectus.

¶ Ad quintũ negatur prima cõsequẽtia. Et ad probationem vtendo dist

do distinctione facta dicitur, quòd cum esse actuale hominis dupliciter sumatur, scilicet secundum se, seu simpliciter. Alio modo prout est huius: primo modo remanere nõ est impossibile corrupto homine: secundo modo non est intelligibile, quòd remaneat: nullius ergo rei esse actuale manet, vt eius est, quãdo id cuius est, non inuenitur: potest tamẽ simpliciter inueniri: & ratio est in proposito sæpè iam dicta: quia id esse non est proprium homini, sed animæ: ideo oportet quòd inueniatur semper quando est id, cuius est proprium: etsi designat id, cuius erat vt communicatum.

¶ Ad sextum negatur antecedens. Ad probationes verò aliàs factas sunt responsiones aliàs datæ: relinquitur igitur verum esse de esse actualis existentiæ, quòd vnũ omnino est esse animæ intellectiuæ, & hominis, quod sẽdm se independẽs est à corpore, vtpote non causatũ ab illo: quia non est eductũ de potentia materiæ, licet prout est huius, scilicet hominis, nõ nisi in corpore inueniri possit.

CAPVT VI.

Qualisnam sit Essentia Dei: quánam item ratione in simplicibus substãtijs ſeparatis, & à quo genus & differentia ſumenda ſit, & quomodo multiplicari eas contingat, exponit.

THIS visis, patet quomodo essentia inuenitur in diuersis. Inuenitur autem triplex modus habendi essentiam in substantijs: aliquid enim est sicut Deus, cuius essentia est ipsum suum esse: & ideo inueniuntur aliqui Philosophi dicentes, quòd Deus habet essentiam: quia essentia eius non est aliud, quàm esse eius.

¶ Hoc est principiũ capituli ſexti, quod diuiditur in quatuor partes. In prima agitur de essentia Dei. In ſecunda de essentia intelligentiarum & animę. In tertia ostenditur, quomodo ista se habeãt ad intẽtiones logicas. In quartà replicatur de essentiis compositis. De essentia ergo Dei posituras duas conclusiones, & exclusuras duos errores ponit primam conclusionem affirmatiuam talẽ, Essentia in Deo significat ipsum esse eius. Hanc conclusionem non aliter, quàm ex ſupradictis deducẽdo ponit: fuit nanq; ſuprà probata, & ab omnibus est concessa. Est autem intellectus conclusionis, quòd esse actualis existentiæ diuinum est ipsa quiditas eius: ita ꝙ prædicatur de Deo sicut prædicatũ primi modi dicendi per se: ita ꝙ ista, Deus est, est in primo modo perseitatis: quod de nullo alio à Deo communis via fatetur: dato etiam, quòd esse & essentia in creaturis teneatur esse idem realiter, & quia ipsum existere est essentia Dei: ideo à quibusdam, Platonicis scilicet, dicitur quòd Deus non habet essentiam, quasi pura existentia sit.

Et ex hoc sequitur, quòd ipse non sit in genere: quia omne quod est in genere, oportet quòd habeat quidditatem præter esse suum: cùm quidditas, aut natura generis, aut ſpeciei non distinguatur secundum rationem naturæ in illis, quorum est genus, vel ſpecies: sed esse est in diuersis diuersimodè.

¶ Hic ponitur secunda conclusio & negatiua, Deus non est in genere. Probatur in litera ex antedictis sic, Omne quod est in genere, habet quidditatem præter suum esse: Deus non habet quidditatem præter suum esse: ergo Deus non est in genere. Minor est conclusio præcedens: Maior probatur sic, Omnia quæ sunt in genere, indistincta sunt in essentia generis, vel ſpeciei: distincta autem per diuersimodè habere esse illius naturæ genericæ, vel ſpecificæ: ergo esse naturæ genericæ, vel ſpecificæ est præter naturam ipsam genericam, vel ſpecificam: & sic omne quod est in genere, habet naturam præter suum esse. Antecedens huius consequentię est de se notũ: homo enim & Leo, sunt indistincti in natura animalis: distinguuntur autem inter se per hoc, quòd diuersimodè habent esse animatum, genus enim diuersum habet esse in ſpeciebus. Similiter Socrates, & Plato indistincti sunt in natura humana: distinguuntur autem inter se, quia habent diuersum esse humanum: non enim est intelligibile, quòd homo habeat idem esse in Socrate & Platone. Consequentia verò patet ex eo, quod videtur imaginabile, quòd id, quo aliqua distinguuntur, non sit præter id, quo aliqua conueniunt.

¶ Et nota, ꝙ ad intentũ huius rationis ſuffeit, quòd esse sit præter essentiam, id est præter cõceptum quidditatiuum: sic enim ſufficit differre principium conuenientiæ à principio differentię, vt patet de genere & differentiis, quorũ altero cõueniunt, alteris differũt ſpecies: & quia in ſolo Deo esse est de cõceptu quidditatiuo, ideo ſolus Deus extrà genus ponitur. Sed quoniam esse ideo est pręter conceptum quidditatiuum, quia est distinctũ realiter ab essentia: & ideo est de conceptu quidditatiuo, quia est idem realiter essentiæ: ideo ex hac radice, scilicet, ꝙ esse & essentia sunt idẽ realiter, in Deo procedere dicitur, quòd Deus non sit in genere. Nec te moueat, quòd ratio ista digredi videtur ab esse actualis existẽtiæ ad esse quidditatiuum: quãdoquidem in Minore est ſermo de esse actualis existentiæ & postmodum in probatione Maioris: quam oportet de eodem esse loqui, transitur ad esse quidditatiuum, cùm dicitur, Species conueniunt in genere, & differunt in esse diuerso: hoc enim verificatur de esse quidditatiuo ſpecificè accepto, homo nanque & Bos conueniunt in animali, & distinguuntur differentiis ſpecificis, quibus animal in eis diuersum esse ſpecificum acquirit. Propter hoc, inquam, non oportet turbari: quoniam (vt in hoc patebit capit.) differentiæ naturam genericam non diuersificant, nisi in ordine ad diuersum esse actualis existentiæ: & ideo mira subtilitate S. Tho. digressus non est primam rationem distinctionis naturæ genericæ in inferioribus antecedens: hoc autem infrà melius intelligetur cum communissima regula assignabitur, vnde sumantur genus & differentia. *In hoc eo c.*

A D euidentiã eius, quòd hic ſupponitur, scilicet quòd in Deo esse est de conceptu quidditatiuo: quia est idem essentiæ, nota tres propositiones. Prima est, Quidditas quæ in sua existentia actuali, non est ad aliquod genus determinata. Hoc declaratur breuiter vnico medio ſumpto ex ſecundo contrà Gentiles, c. 25. sic, Omnis quidditas in genere limitata est essentialiter desgnabilis per differentiam, à qua mendicat esse in actu: nulla quidditas eadem suæ actuali existentiæ est essentialiter desgnabilis per differentiam, à qua mendicat esse in actu: ergo nulla quidditas eadem suæ actuali existentiæ est ad aliquod genus determinata. Maior notificatur inducendo: animal enim est essentialiter determinabile per differentias, rationale scilicet & irrationale, & ab eis mendicat esse in actu, cum impossibile sit esse animal in actuali existentia, nisi sit rationale, vel irrationale: similiter color essentialiter est determinabilis per suas differentias, per quas existentiam actualem sortitur: non enim potest inueniri color, nisi albus, vel niger, &c. minor autem intelligentibus terminos patet ex se: quomodo nanque existentia actualis mendicabit esse in actu ab aliquo alio formaliter? Si enim mendicat esse in actu ab aliqua differentia formaliter, cum esse in actu nihil aliud sit, quàm habere existẽtiam actualem: sequetur quod existentia actualis habebit ex essentiam actualem formaliter, per aliquid aliud à se: sicut animal per rationale formaliter acquirit existentiam actualem: hoc autem non videtur intelligibile: ergo, &c.

Secunda propositio est ista, Existẽtia actualis ad nullum genus determinata, est purum esse: ista patet ex ſimilibus: si nãq; animal nõ sit determinatũ ad aliquã ſpeciem, purum animal erit: & albedo si nõ sit coartata in aliquo ſubiecto, pura albedo erit: ita & esse ad nullius naturæ prædicamentalis capacitatem determinatum, purum esse necesse est: & si abstractio huiusmodi est per opus intellectus, etiam puritas ipsa est secundum rationem. Si aũt fuerit secundum rem, & puritas ipsa est secundũ rem, vt de se patet.

Tertia propositio est ista, esse est de conceptu quidditatiuo puri esse tantum. Patet ista quo ad vtranque expositionem, & quo ad primam quidem: quia nõ est intelligibile quòd de puro esse non prædicetur quidditatiuè, illud oportet esse, ipsum esse, cum purum esse ponatur. Quòd aũt cætera non recipiant esse in ſuis quidditatiuis conceptibus ex eo patet, quòd cùm esse non habeant in sua puritate, sed ſuis quidditatibus coaptatum, possunt secundum suas quidditates absque esse, & non esse diffiniri. Ex his deducitur intentum sic, ideo existentia est de conceptu quidditatis rei, quia res illa est purum esse: ideo autem res illa est purum esse: quia non est ad genus aliquod limitata: ideo autem res illa non est ad genus limitata, quia est idem cum sua existentia: igitur de primo ad vltimum: ideo existentia est de conceptu quidditatiuo rei: quia res illa est eadem suæ existentiæ.

¶ Et quoniã ſi affirmatio est præciſe causa affirmationis, negatio est causa negationis ex hoc, quòd res creata non est eadem suæ existentiæ, esse non est de eius conceptu quidditatiuo. Vnde cùm Deus gloriosus ſit ſuum esse, ipse nihil est aliud, quàm ipsum esse ſecundum rem ſeparatum à naturis prædicamentalibus à sua puritate ſubſiſtens.

Nec oportet, ſi dicimus quòd Deus est esse tantùm, vt in errorem eorum incidamus, qui Deum dixerunt esse illud esse vniuerſale, quo quælibet res formaliter est. Hoc enim esse, quòd Deus est: huius conditionis est, vt nulla ſibi additio fieri poſſit. Vnde per ipſam ſuam puritatem est esse distinctum ab omni esse: propter quod in commento nonæ propoſitionis libri de cauſis dicitur, quòd indiuiduatio prima cauſæ, quæ est esse tantùm est per puram bonitatem eius. Esse autem commune ſicut in intellectu ſuo, non includit aliquam additionem, ita nec includit in intellectu ſuo aliquam præciſionẽ additionis: quia ſi hoc esset, nihil posset intelligi esse, in quo ſuper esse aliquid adderetur.

¶ Hic excluditur Primus quorundam error talis. s. Deus est commune esse omniũ: imaginati sunt isti, ꝙ cùm omnia conueniãt in hoc, ꝙ habent esse ipsum esse omnium, quo res formaliter sunt in cõi ſeu vniuerſali sit ipse Deus gloriosus. Moti sunt aũt tali rõne, Esse nulla additione ſpecificatum est esse commune: Deus est esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

nulla additione ſpecificatū: ergo Deus eſt eſſe cōmune. Sed peccat ratio illa propter multiplicē Maioris intellectū: dupliciter ēn intelligi poteſt eſſe à nulla additione ſpecificari. Vno modo ſecūdum rem extra animā ſubſiſtendo: alio modo ſecundū intellectus cogitationē tantū: primo modo Maior eſt falſa: Minor autē vera. Secundo modo Maior eſt vera: Minor autē falſa. eſſe nanque cōe per intellectum à ſua abſtractione acceptum, nullā contradictionem includit: ſecundum vero quòd eſt extra intellectū, ſine contradictione non inuenitur: omne nanque eſſe eſt contractum ad ſubſtantiam, vel accidens: eſſe autem, quod eſt quidditas diuina, eſt purum abſque omni additione ſecundū rem, & ex ipſa ſua puritate ſecundūm̄ eſt diſtinctū ab aliorū eſſe & hoc: & nullo modo cōe, ſicut albedo ſeparata ex hoc ipſo, quòd eſſet pura albedo, eſſet diſtincta albedo ab aliis albedinibus cum ſubſtātiis mixtis, & non eſſet albedo in cōmuni. Peccat ſecundò Maior illa: quia contingit adhuc dupliciter eſſe nulla additione ſpecificari ſeu cōtrahi. Vno modo actu tantum: alio modo actu & potentia. primo modo Maior eſt vera: Minor verò falſa. Secundo modo Maior eſt falſa, Minor autem vera. Eſſe nanque in cōmuni, licet nulla ſit additione contractum, eſt tamen contrahibile, aliter nulla res haberet eſſe, quæ aliquid addit ſuprà ipſum eſſe: & ſic homo non haberet eſſe, cum vluma eſſe habeat humanitatem, quantitatem, &c. Vnde eſſe cōmune actu tantùm, ſpecificatione careteſſe verò diuinū nullā ſpecificationem habet actu, nec aliquā habere poteſt: & ideo actu & potētia additione caret. Et hæc eſt ſolutio, quam in litera S. Th. ponit ſub aliis verbis, dicens quòd omne commune nec includit, nec excludit additionē, id eſt non includit actu: poteſt tñ habere illā. Eſſe verò diuinum non ſolum non includit illāimo excludit, id eſt non ſolū non includit actu, imò nec potentia: & ſic excludit illam: q̄ enim impoſſibile eſt conuenire alicui, excluditur omnino ab illa. De his diffuſè habes in primo contra Gentil. cap. 27.

Similiter etiam quamuis ſit eſſe tantùm, non oportet quòd deficiant ei reliquæ perfectiones, vel nobilitates: imo habet omnes perfectiones, quæ ſunt in omnibus generibus, propter quod perfectum ſimpliciter dicitur: vt Philoſophus & Commentator in 5. Metaphyſicæ dicunt. Sed habet eas modo excellētiori omnibus rebus, quia in eo omnes vnum ſunt. Sed in alijs diuerſitatem habēt: & hoc eſt, quia omnes illæ perfectiones conueniunt ſibi ſecundum ſuum eſſe ſimplex. Sicut ſi aliquis per vnā qualitatē poſſet efficere operationes omniū quālitatum, in illa vna qualitate omnes qualitates haberet, ita Deus in ipſo eſſe ſuo omnes perfectiones habet.

Hīc excluditur ſecundus error talis. ſ. Deus non eſt ſimpliciter perfectus. Ratio aūt huius erroris in propoſito eſt iſta, Id quod habet eſſe tantum, eſt imperfectū reſpectu eius qđ habet eſſe viuere, & intelligere: ſed Deus habet eſſe tātum. ergo Deus eſt imperfectior aliis. Maior eſt ex ſe nota. Minor verò ex dictis deducitur ſic, Quod eſt purum eſſe non eſt admixtū aliis, puta viuere & intelligere, aliter eſſet purū & non purū. Deus eſt purum eſſe, ergo non eſt admixtus aliis, ſcilicet viuere & intelligere. & cōſequēter Deus non habet niſi eſſe: quod erat probādum. Defectus huius rationis in litera non explicatur: ſed in primò cōtra Gentiles c. 29. vbi declaratur q̄ ex hac propoſitiōe, Deus eſt purū eſſe ſubſiſtēs, ſequitur, Deum eſſe vniuerſaliter perfectiſſimū. Et propterea notanter in textu dicitur, Imo habet omnes perfectiones, &c. ac ſi dicat q̄ ex hoc nō ſequitur, Deū aliqua perfectione carere: ſed oppoſitum potius ex hoc concluditur. Eſt autem modus ex illo fundamento intentū deducendi talis: Id cui cōuenit eſſe ſecundū totā virtutem, ſeu poteſtatē ipſius eſſe, nulla perfectiōe, ſeu nobilitate eſſendi caret, ſed eſſe purū ſubſiſtēs eſt id, cui conuenit eſſe ſecundū totam virtutem, ſeu poteſtatē ipſius eſſe. ergo eſſe purum ſubſiſtens nulla perfectione, ſeu nobilitate eſſendi caret. Maior declaratur ex eo, q̄ omnis perfectio cuiuſcūque generis non niſi ſecundū aliquod eſſe eſt. Non enim ſapiētia perficit hominem, niſi ea homo ſapiēs ſit: nec iuſtitia perfectio hominis dici poteſt, niſi homo ea iuſtus ſit. Si igitur omnis perfectio attenditur ſecundum aliquod eſſe: id in quo tota plenitudo eſſendi reperitur, omnem perfectionem patēhabere: & ſic repugnat, quod id habeat eſſe ſecundūm totam amplitudinem ſuam, & aliqua perfectione eſſendi careat. Minor verò exemplariter notificatur, ſicut enim ſi albedo ſeparata inueniretur, nihil ei de virtute albedinis deeſſe poſſet. Vt enim ſupra dictum eſt, ratio quare albedini huic nō ineſt tota perfectio poſſibilis reperiri in ſpecie albedinis eſt, q̄a coaptata eſt receptiuo, quòd ſecundū totum poſſe eius non recipit eam: ita eſſe ipſum ſi receptum eſt in alio coartatum eſt ad naturæ illius recipientis limites, ſubſtantiam, ſiue accidens: & conſequenter limitatum ad illius generis nobilitatem. Si verò purum & non receptum in aliqua ſit natura, illimitatum & infinitum ſimpliciter eſt, & omnes perfectiōes poſſibiles in ente reperiri ſimpliciter præhabet. Cum autem audis, quòd albedo ſi ſeparata ſit, omnē perfectionē poſſibilem ſuæ ſpeciei habet, non intelligas, vt veritatis æmuli obiiciunt, quòd negatio, ſcilicet receptionis eius in alio daret ſibi illā perfectionem: ſed ſicut receptio albedinis eſt conditio ad ſuam requiſita imperfectionem, ita negatio receptionis eſt cōditio ſuę illimitatæ perfectionis comes. Vnde effieax argumentum, ex receptione & ſeparatione eius ſumitur tanquam à conditionibus neceſſariis & inſeparabilibus.

¶ Et quoniam habere perfectiones omnium generū poteſt intelligi dupliciter. Vno modo in ſeipſis: alio modo in aliquo ſuperioris ordinis: ideo ad declarādū quo modo ipſe Deus, qui eſt ipſum eſſe eſſentialiter, habeat omnes perfectiones, dicit q̄ Deus non habet omnes perfectiones in ſeipſis, id eſt diſtinctas abinuicem in propriis naturis: ſicut homo habet ſapientiam, iuſtitiam, prudentiam, &c. Sic enim in Deo oporteret eſſe maximam compoſitionem, ſed habet eas indiſtinctè vnitas in ſuo eſſe ſimpliciſſimo. Illud quippe eſſe diuinum æquiualet omnibus perfectionibus omnium generum, & excedit ſingulas, & omnes ſimul, vtpote res ſuperioris & inacceſſibilis ordinis. Cuius exemplum in luce Solis habet, qua ſola Sol poteſt quicquid poſſunt omnia inferiora per tot varias qualitates, propterea à philoſopho & Commenta. 5. Met. c. de perfecto, dicitur quòd Deus ſolus eſt ens ſimpliciter perfectum, vniuerſitatem perfectionum in ſe habens.

QVAESTIO XII.

Num perfectiones exiſtentes in Deo. ſint aliquo modo diſtinctæ prater omnem opus intellectus.

HIC quæritur an perfectiones exiſtentes in ipſo Deo ſint aliquo modo diſtinctæ abſque omni opere intellectus.

¶ In hac quæſt. quinque agenda ſunt, primò declarabitur titulus quæſtionis. Secundò recitabitur opinio Scot. cum fundamentis. Tertiò declarabitur opinio S. Tho. Quartò impugnabitur opinio Scoti. Quintò reſpondebitur argumentis in oppoſitum.

QVOad primū, ſcito primò perfectionem eſſe duplicem: quędam eſt perfectio ſimpliciter: & quædā eſt perfectio in hoc vel illo. Perfectio ſimpliciter eſt illa, quæ in ſuo proprio, ac formali cōceptu dicit perfectionem cum nulla imperfectione, vt ſapientia, bonitas, & ſimilia. Perfectio verò in hoc vel illo eſt quę in ſuo proprio ac formali cōceptu dicit perfectionē imperfectioni mixtam, vt humanitas, æquitas, & his ſimilia. Dixi (in proprio ac formali cōceptu) quia includere aliquam imperfectionē in cōceptu communi ſibi & aliis, aut materiali, nō derogat ſuæ perfectioni ſimpliciter. Sapiētia enim licet in generis cōceptu, puta habitus, ſeu qualitate imperfectionē dicat, potētialitatem ſcilicet aut dependentiā, &c. quia tamen in ſuo differentiali conceptu hoc formaliter non includit, non prohibetur quin perfectio ſimpliciter ſit. Dixi, dicit perfectionem, propter relationem, quę in ſuo proprio ac formali conceptu, cum nulla imperfectione nullam perfectionem ſonat.

¶ Scito ſecūdò, q̄ perfectiones eſſe in aliquo cōtingit dupliciter. Vno modo formaliter, alio modo virtualiter. Eſſe formaliter in aliquo eſt eſſe in eo, vt forma eſt in habente ipſam: ſicut humanitas, albedo, quantitas, & alia huiuſmodi in homine ſunt. Eſſe autē actiua, quem̄admodum calor eſt in Sole. Poteris autem comprehēdere multum diſtare inter hos modos eſſendi in aliquo ex hoc vno eorum effectu pro nunc, quòd ea quæ primo modo inſunt, intrinſecè denominant ſuppoſitum tale. Ea autem quæ ſecundo modo inſunt, non determinant ſuppoſitum tale, vt pater in Sole, qui luce dicitur lucidus, calor autem non dicitur calidus.

¶ Amplius, Perfectiones eſſe in aliquo formaliter, contingit dupliciter. Vno modo in ſuis p̄priis naturis diſtinctas & limitatas: ſicut in homine eſt eſſe, intelligere & velle, &c. Alio modo cōtingit eas eſſe formaliter in aliquo ſuperioris ordinis vnitas & illimitatas: ſicut in Solis luce ſunt virtus calefactiua, & deſiccatiua, & alia hmōi. Nec parum diſtāt iſti duo modi inter ſe. Longè nanq; excellētius eſt eſſe in aliquo ſecundo modo, vt in exēplo dato apparet. Quanuis igitur perfectiones omniū generum excellentiori modo ſint in Deo, quàm in creaturis: quia tamen perfectiones non ſimpliciter ſunt in eo virtualiter tantum (eis enim non denominatur talis) perfectiones autem ſimpliciter ſunt in eo formaliter, & nō in propriis naturis limitatæ, ſed vt in re ſuperioris ordinis realiter indiſtinctæ & illimitatę: ideo vertitur in dubium an perfectiones ſimpliciter exiſtentes formaliter in Deo cum realidentitate ſint aliquo modo abſq; omni opere intellectus diſtinctę. Hæc de primo.

QVOAd ſecundum, Scotus in primo ſent. diſt. 8. q. 3. opinatur perfectiones has eſſe diſtinctas præciſo omni opere intellectus diſtinctione ex natura rei formaliter. Appellat autē diſtinctionem ex natura rei, quæ in ſcitur ex ipſarum rerum natura: ita quòd abſque omni intellectus operatione eſt. Formalem verò addit: quia non omnis diſtinctio ex natura rei eſt formalis, ſed ea tantùm, quæ ex quidditatibus ſeu rationibus formalibus fit. Probat autem intentum ſuum multis rationibus, quarum eas adducendas cenſui, quæ ex puris naturalibus procedunt: quoniam Theologiam nunc tradere non intendimus, &c.

¶ Arguit

¶ Arguit ergo primò ſic, Sapientia & bonitas abſolutè diſtinguuntur formaliter ex natura rei: ergo ſapientia infinita & bonitas infinita eiſtūr̄ guuntur formaliter ex natura rei. Antecedens eſt euidens: Conſequentia autem probatur: quia infinitas non variat rationem formalem eius, cui additur. In quocunque enim gradu perfectionis ſuæ latitudinis intelligatur, perfectio aliqua ſemper retinet eandem rationem formalem, vt patet in omnibus. Si igitur ſapientiæ & ſapientiæ infinitæ eſt eadem ratio formalis, & ratio formalis ſapientiæ diſtinguitur ex natura rei à ratione formalis bonitatis: neceſſariò ſequitur quòd ratio formalis ſapientiæ infinitæ non includat ex natura rei rationem formalem bonitatis.

¶ 2 Præterea, Diſtinctio præcedens rationem primi diſtinctiui non eſt per tale diſtinctiuum: ſed diſtinctio naturæ & intellectus præcedit intellectionem, quæ eſt primum diſtinctiuum ſecūdum rationē, ergo, &c. Probatur Minor: quia ſi nulla diſtinctio eorum præcederet, nō magis diſtinguerentur intellectione, vt intellectio eſt, quā ea, vt natura eſt. Quicquid enim diſtinguitur intellectione, vt eſt omnino indiſtincta à natura, diſtinguitur etiam natura.

¶ 3 Præterea, Illa quæ formaliter diſtincta intelliguntur intellectu intuitiuo, habent diſtinctionem, vt exiſtentem: ſed perfectiones diuinæ intelliguntur formaliter diſtinctæ ab ipſo Deo intellectu intuitiuo: ergo habent diſtinctionem vt exiſtentem in eis. Talis non poteſt eſſe diſtinctio rationis: oporteret enim intellectum diuinum ſua intuitione cauſare aliquam relationem rationis in ſua eſſentia, vt exiſtentem: quod eſt abſurdum. igitur talis diſtinctio eſt ex natura rei. Maior patet ex differentia inter intellectum intuitiuum & abſtractiuum. Minor verò eſt clara de ſe.

¶ 4 Præterea, Deus intelligit eſſentiam ſuam vt veram: vult autem vt bonam: ergo veritas & bonitas diſtinguuntur ante omnem actum intellectus. Tenet cōſequentia: quia diſtinctio obiectorum præuenit diſtinctionem actuum, ſicut cauſa effectum.

¶ 5 Præterea, Bonitas & veritas in Deo nō diſtinguuntur ex natura rei: ergo ſunt formaliter ſynonyma. Conſequens eſt contra te: conſequentia autem probatur, quia bonitas & veritas non ſignificāt niſi ipſas puras perfectiones in re nullo modo diſtinctas in ea.

¶ 6 Præterea, Inter perfectiones diuinas eſt ordo demonſtratiuus quo doctores vnam ex alia demonſtrant: eſt etiam diſtinctio inter prædicationes formales, & non formales. Dicitur enim quòd ſapientia non prædicatur formaliter de bonitate: eſt & æqualitas ſecundum Aug. 15. de Trinitate: igitur diſtinguūtur ex natura rei.
C.4.3. Vt quid enim doctores implent tot quinternos, ſi omnia ſunt idem formaliter?

¶ 7 Præterea inter perfectiones diuinas antecomnem actum intellectus inuenitur contradictio: ita quòd Deus intellectu intelligit & non vult: voluntatem autem vult & nō intelligit: ergo inter perfectiones diuinas eſt diſtinctio ex natura rei.

¶ 8 Præterea, Ad complemētum doctrinæ, diſtinctio fundans diſtinctionem realem, non dependet ab opere intellectus: ſed diſtinctio perfectionum diuinarum fundat diſtinctionem realem emānationum diuinarum: igitur eſt ex natura rei: & non ex intellectus operatione, &c. Hæc de ſecundo.

QVO AD Tertium, præmiſſa Trinitate perſonarum, declarandæ ſunt tres propoſitiones, in quibus cōſiſtit ſententia S. Tho. & veritas. Prima eſt, In Deo ſecundū ſe nulla eſt diſtinctio actualiter. Secunda eſt, In Deo ſecundum ſe eſt diſtinctio rationis virtualiter ſeu fundamentaliter. Tertia eſt, In Deo, vt terminat actum intellectus noſtri, eſt diſtinctio rationis actualiter.

¶ Ad euidētiā primæ propoſitionis ſciendum eſt, quòd aliud eſt iudicium de rationibus formalibus rerum in propriis naturis, & aliud eſt iudicium de rationibus formalibus earundem in re aliqua ſuperioris ordinis formaliter exiſtentibus. Res enim in propriis naturis ideo ſecluſo omni opere intellectus diſtinguuntur formaliter: quia ſe mutuò non includunt in ſuis formalibus rationibus. Ideo autem ratio formalis vnius non eſt alterius: quia quæliber earum ita eſt ipſa, quòd non altera. Verbi gratia, Ideo virtus calefactiua & virtus deſiccatiua in propriis naturis diſtinguuntur formaliter ex natura rei: quia virtus calefactiua ita eſt calefaciendi principium, quòd non deſiccandi, & econuerſo. Res autem adunatæ in aliquo ſuperioris ordinis, ſicut in vna ſimplici re altiori inueniuntur: ita in illius vnica ratione formaliter adunantur: ſicque diſtinctione formali ex natura rei neceſſe eſt careāt, cum deſit ibi talis diſtinctionis radix iam dicta, limitatio ſcilicet illa, quę libet earum ita eſt ipſa, quòd non altera: neutra nanque earum, cùm ſunt taliter vnitæ, eſt magis ipſa quàm alia. Verbi gratia, proſequendo exemplum datum, Virtus calefactiua & deſiccatiua in luce Solis formaliter inuentæ ſicut in vna lucis natura adunantur: ita in lucis ratione formali indiſtinctæ formaliter ſunt: ita quòd aſſignata completa Solaris lucis diffinitione, non ſit opus vlra earum quærere diffinitiones. Complera enim diffinitione Solaris lucis, eam in ſua celſitudine, qua inferiora indiſtinctè in ſeipſa accipit, cum declaret propter adæquationem, quæ debet eſſe inter diffinitionem & rem diffinitam, virtutem eius calefactiuam & deſiccatiuam manifeſtat, quādoquidem virtus eius calefactiua non magis eſt ipſa met, quàm ſit lux & virtus deſiccatiua, & econuerſo. Cum autem ſecundum Dionyſium quinto capitulo de Diuinis nominibus, perfectiones ſimpliciter ſint in Deo non ad proprias naturas definitæ, ſed ad ipſius eſſe illimitationem eleuatæ: conſequens eſt, vt ſicut omnes in vna ſimpliciſſima re formaliter adunantur, ita in illis ſimpliciſſima ratione formali indiſtinctæ formaliter ſint. Et ſicut ſapientia diuina non magis eſt ſapientia, quām bonitas & veritas, & ipſum eſſe diuinum & econtra: ita ratio formalis ipſius eſſe diuini non magis includit ipſum eſſe, quam ſapientiam & bonitatem. Si enim adæquata diſſinitio illius rei ſimpliciſſimæ, quæ Deus eſt daretur, in illa vnica ratione formali quicquid eſt Deus, includeretur formaliter: aliter diſſinitio celſitudinem diſſinitio non adæquaret, vnde & ipſe Deus glorioſus, qui ſeipſum per modum ſui intelligitur, vnicam tāſum rationem formalem format, Verbum ſcilicet.

¶ Petes ergo ſuper hæc arguere ſic, Quæcunque formaliter adunantur in vnica & adæquata ratione formali ipſius Dei, non diſtinguuntur formaliter ex natura rei: ſed perfectiones diuinæ ſecluſo omni opere intellectus, adunantur in vnica & adæquata ratione formali ipſius: ergo, &c. Probatur minor, quia non magis adunantur virtutes qualitatum inferiorum in luce Solari, quam perfectiones ſimpliciter in Deo: ſed illæ adunantur formaliter, vt ex ſe patet, & ab aduerſariis conceditur: ergo, &c. Probatur maior: quia aliter diſſinitio non adæquaretur diſſinito.

¶ Secūdò principaliter pro prima propoſitione arguitur ſic, Omnis actualis diſtinctio ex natura rei fundatur ſuper actuali oppoſitione ex natura rei, ſed inter perfectiones nulla eſt actualis oppoſitio ex natura rei, ergo. Maior habetur ex 10. Met. tex. cō. 24. Minor probatur inductione, quòd enim ibi non ſit oppoſitio contradictoria, neque priuatiua formaliter, ex eo quòd patet quòd vtriuſque oppoſitionis alterum membrum eſt formaliter negatio, quam ponere in Deo formaliter, nefas eſt. Nec ſufficit, quòd ſit ibi negatio fundamentaliter: quoniam diſtinctio actualiter exigit actualiter oppoſitionem: oppoſitio autem actualiter exigit extrema actualiter, vt patet regulariter de omni oppoſitione. Quòd autem non ſit oppoſitio inter eas contrariè, patet ex eo, quod alterum contrariorum ſemper eſt defectuoſum, 10. Metaphyſ. text. com. 16. Quòd verò non ſit oppoſitio relatiua inter illas, ex ſe manifeſtum eſt. Nec obſtat, quòd ex hoc ſequi videtur, quòd in Deo non ſint multæ perfectiones, ſed vna tantùm, pura deitas: veriſſimum enim eſt, quòd Deus ipſe non eſt, niſi vna perfectio illimitata, omnino præhabens in ſe multiplicatas & multiplicabiles in aliis perfectiones omnes.
C.1 q.2. *Concluſione prima.*

¶ Ad euidentiam tam ſecundæ, quam tertiæ propoſitionis, nota quod (vt in quadā quæſtione ſupra diximus) ſicut res illa ſimpliciſſima, quam Deum dicimus, eſt id, cui aſſimilātur omnes perfectiones ſimpliciter in propriis naturis exiſtentes, ita eſt id, cui aſſimilantur omnes conceptus formales eārū, cum nihil aliud ſint, quam ipſæ perfectiones in eſſe intentionali. Ex hoc autem, quòd Deus terminat conceptiones has vt obiectum in eis intellectum, neceſsè eſt Deum ipſum omnium earum correlatiuum intelligi pluribus relationibus rationis ſecundum earum numerum: ſicque diſtinctionem in ſe rationis actualiter habere: ita vt Deus obiectus pluribus conceptionibus, ſeu rationibus formalibus dicatur habere in ſe diſtinctionem rationis formalem actualiter, obiectiuè tamen, & propter pluralitatem cōceptuum formalium, quibus obiicitur, & propter pluralitatem relationū rationis, quibus refertur, ſeu referri intelligitur ad perfectiones p̄dictas, tā in eſſe naturali quàm in eſſe intentionali. Ex eo autem, quòd in Deo, ſecluſo omni opere intellectus eſt, vnde cauſare & terminare poſſit conceptus prædictos, dicitur habere in ſe diſtinctionem rationis virtualiter, ſeu fundamentaliter. Habet autem hæc Deus ipſe ex ſua illimitatio ſui perfectione, cuius, ſicut nulla creatura eſt capax in eſſe naturali, ita nullus intellectus creatus in eſſe intentionali: quicunque enim intellectus creatus (etiam videt Deum per eſſentiam) impotens eſt ad formandum conceptum vnum diuinæ adæquatum perfectioni. Vnde pro ſecunda p̄poſitione argue ſic, Omne habens in ſe, vnde cauſare & terminare, ac verificare obiectaliter poſſit, diſtinctas rationes, ſeu conceptiones formales, habet in ſe diſtinctionem rationis virtualiter, ſecluſo omni opere intellectus, Deus glorioſus eſt hominis: ergo. Pro tertia verò propoſitione argue ſic, Omne terminans plures conceptus formales, habet in ſe actualiter diſtinctionem rationis: Deus eſt huiuſmodi: ergo. Hæc de tertio.

QVO ad quartū arguit cōtra Scotū tripliciter. Et primò, ſic, Diſtinctio formalis ex natura rei eſt maior diſtinctio diſtinctione reali: ergo p̄fectiones diuinæ nō diſtinguūtur formaliter ex natura rei. Cōſequētia tenet: & antecedēs, p̄bat ſic, Diſtinctio pinti maiora eſt maior illa, quæ ſit p̄ea, quę ſunt extra intima rei: diſtinctio formalis ex natura rei eſt per maximē intima rei: diſtinctio autem realis per ea quæ ſunt extra intima rei: ergo, &c. Minor patet ex Sco. in 1. ſen. diſt. 2. dicēte q̄ diſtinctio formalis ex natura rei ſit p̄ prædicata primi modi, quæ inſunt rei in primo ſigno: diſtin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctio autē realis sit per ea quæ insunt post. Maior probatur, Distinctio per aliqualiter intima est aliqualiter distinctio: distinctio per magis intima est maior distinctio: ergo distinctio per maximē intima est maxima distinctio. Si em̄ simpliciter sequit̄ ad simplicitr & magis ad magis, maximū necessariò sequitur ad maximū, &c.

¶ Secūdò arguitur sic, Perfectiones diuinæ abstractæ abstractione peiissimā, sunt formaliter infinitæ. Ergo sunt idē formaliter ex natura rei. Antecedens est Scot. in 1. sent. dist. 8. q. 3. in responsione ad argumentum principale. Consequentia probatur, suppo nendo secundū dupliceм infinitatem (in responsione ad primum declaranda) dupliciter posse intelligi illud antecedens, s. de infinitate infra propriā rationē, & de infinitate infra entis latitudinem: tunc sic aut intelligis illud antecedens verificari de infinitate prima, & hoc non: quia nullum prius includit formaliter suum posterius: perfectio autem diuina, puta sapientia, est prior infinitate illa, quia modus eius intrinsecus est, &c. Aut intelligitur de secunda infinitate, & tunc sequitur intentum: quia si sapientia diuina præcisē & formaliter sumpta est ita infinita, q̄ ad nullā entis perfectionē simpliciter & formaliter terminata, oportet quòd infra suæ rationis formalis ambitum omnem perfectionem simpliciter cōtineat, & quòd nullam à ratione sua perfectionē formaliter excludat: & consequenter, quòd à nulla formaliter distinguatur ex natura sua: statim enim, quòd ab aliis perfectionibus distingui ponitur, coartata formaliter infra entis ponitur latitudinē: quod ad oppositum antecedentis sic intellecti, ponitur enim talem & tantam entis perfectionem formaliter importare, ita quòd non omnem. Verbi gratia, ponitur quòd sapientia formaliter ex natura sua eam perfectionem ponit, quam enti sapientia addit: ita quòd non eam̄ quam iustitia sua bonitas enti addit, &c.

¶ Tertiò sic, Perfectiones diuinæ distinguuntur formaliter ex natura rei. ergo inter eas est relatio realis. Tenet consequentia, quia distinctio illa cùm sit relatio existens in rerum natura necesse est quòd sit realis, sicut & quodlibet aliud existens in rerum natura reale est, consequens autem est contra Auicennā dicentem quòd eiusdem ad seipsum non est relatio realis.

3. Met. c. 10. QVO ad quintū pro responsione ad primū & destructionem Scotici fundamēti nota, q̄ aliquid esse infinitū contingit dupliciter. Vno modo secundū propriā rationē: alio modo, secūdū quod ens seu simpliciter. Illud est infinitū secundū propriā rationē q̄ nullis suæ propriæ latitudinis claudītur terminis, licet sit ad talem entis gradū definitū, quod nō omne essendi perfectionē habeat. Illud verò est infinitū secundū quòd ens seu simpliciter, quod nullis infra totius entis latitudinem terminis limitatur, sed omnem habet perfectionem essendi. Exēplum in quantitate molis. Quantitas si daretur infinita, esset secundum quantitatis rationem infinita: esset enim infinita quantitas, non tamen esset secundum esse infinitate: esset nanq; ens finitum & limitatum ad quantitatis genus. Similiter in quantitate virtutis: Albedo si esset infinita intensiuè esset infinita secundum propriam rationē, esset enim infinita albedo, tamen non esset infinitum ens, quia ad speciem esset definita. Non parui autem refert quia quis infinitate dicat esse aliquid infinitum. Prima enim infinitas, cum attendatur penes ea, quæ in fra rei latitudinem sunt, rationē rei formalem in ea, qua inuenit formali limitatione relinquit: vt patet in exemplis datis. Secunda autem infinitas attenditur penes ea, ad quæ totius entis latitudo se extendit: rem & eius rationem formalem illimitat, & eleuat ad hoc vt ipsa omnis sit perfectio in ente possibilis: & non magis sit ipsa quam quæcunque alia perfectio simpliciter, ac per hoc distinctionem & formalē limitationē, qua ab aliis formaliter ex natura rei absolutè sumpta distinguebatur, eam comitari non finit.

¶ Ad propositum ergo descendendo dico, quòd licet sapientiæ & sapientiæ infinitæ prima infinitate sit eadem omnino ratio formalis, tamē sapientiæ infinitæ secunda infinitate est longè altior ratio formalis. Cōcludit enim in sua ratione formali omnē perfectionē simpliciter, & sic cū in Deo sint perfectiones omnes infinitate, oportet omnium vnam esse simplicem rationē formalem.

¶ Ad argumentū, sub quacunq; forma fiat, respōdeatur, attendendo æquiuocationem infinitatis: quoniā vt dictū est, infinitas prima est illa, quæ non variat rationē formalē, & quæ attenditur penes gradus perfectionales propriæ latitudinis rei, nō aūt secūda. Vnde si perfectiones diuinæ nō essent infinitæ nisi prima infinitate, argumentum concluderet: quia habēt secundā ante omnem actum intellectus, ideo nihil concludit. Nec obstat, q̄ fortè infinitas prima cuiuscunq; perfectionis simpliciter inferat secundam. Sufficit enim q̄ ratione distinguātur, vt aliquid secūda fiat, quod non prima. Similiter non obstat, si quis perfectiones cōmunissimas, puta bonitatem, & similes, &c. vtrāque infinitatem habere negaret: nesciens in eis imaginari primā: propterea quod propria latitudine careāt. Hoc enim magis nostro fauet, ppositō: quoniā si vtramq; infinitatē habent, q̄ alibi discutiendū est, distinctione supra dicta opus est. Si autē secundam tantùm absque distinctione aliqua negandum est esse, & esse infinitū habere omnino eandem rationem formalem: & sic ruit totum Scoticum ædificium.

¶ Ad secundum loquendo de distinctione actuali quacunque negatur Minor. Et ad eius probationem dicitur negando omnia assumpta. Sufficit enim ad hoc, quòd aliqua distinguantur intellectione, vt intellectio est, & non natura, distinctio rationis fundamentaliter inter naturam & intellectionem. Vnde quādo dicitur, Quicquid distinguitur intellectione, vt omnino indistincta est à natura, distinguitur etiam natura, distingue ly indistincta actua liter, vel fundamentaliter. Et primo modo dic esse fālsum, secundo modo verum: sed tunc negatio Minorem subsumendam, scilicet, sed intellectio & natura sunt indistinctè fundamentaliter ante omnem actum intellectus, habent enim distinctionem rationis fundamentaliter, vt declarauimus.

¶ Ad tertiū negatur Minor, licet enim Deus intueatur perfectiones suas ab æterno distinctas, non tamen ab æterno distinctas actualiter: licet ponere distinctionem rationis actualiter causari per actum intellectus diuini, non sit à Philosophia alienum.

¶ Ad quartum negatur cōsequētia. Sufficit enim q̄ obiecta intellectus & voluntatis prædistinguantur fundamentaliter: nec est opus distinctione actuali pro tūc, sicut nec intellectus & voluntas Dei pro tunc distinguūtur, nisi fundamētali distinctione rationis.

¶ Ad quintū negatur consequētia. Synonymeitas enim cū sit passio nominum, non attēditur penes identitatē rationis formalis rei secundum se, sed penes identitatē cōceptus formalis seu mētalis. voces em̄ sunt notæ earū quæ sunt in anima passionū: vnde cum veritas & bonitas Dei habeant diuersos conceptus, in nobis non sunt synonyma. Ad probationem ergo dicitur, q̄ licet significent eandem rem formaliter secundū se, & solū illam vt rem significatam: tamē significant etiā distinctè cōceptus mētales, vt rationes significandi, & hoc destruit synonymeitatem, vt dictum est.

¶ Ad sextū dicitur, quod ex parte rei sufficit ad omnia illa distinctio rationis virtualiter, seu fundamentaliter cum distinctione rationis actuali ex parte nostri. Loquimur enim, vt cōcedimus. Formamus autem distinctos conceptus, quorum vnus ex alio oritur, & de alio non prædicatur, & habet aliquam habitudinem, quam alius non habet. Et ideo demonstrationes prædicationesque formales & idētitates facimus: negamúsque de Deo sub vno cōceptu quod affirmamus de ipso sub alio. Implent ergo libros doctores balbutiendo, vt possunt, excelsa Dei humano more resonātes simplicissimam illam rationē formalem: omne quod in Deo est formaliter complectentem, non nisi particularibus conceptibus inspicere traderéque potentes, & non propter distinctionem, quæ ibi sit ex natura rei. Aequalitas autem inter perfectiones diuinas ante omnem actum intellectus non est nisi fundamētalis non excessus inter se, qui inter eas virtualiter tantùm distinctas saluatur.

¶ Ad septimū dicitur, q̄ quia ante omnē actū intellectus nō inuenitur cōtradictio formaliter, sed fundamētaliter tātùm: quia alterum contradictorium est formaliter negatio, quæ non est nisi per opus intellectus: ideo sufficit pro tunc inquiri distinctionē rōnis fundamētaliter, quod cōcedimus: nec aliud exigit, vt patet per se.

¶ Ad vltimū dicitur, quod emanationes distinguunt̄ & realiter & formaliter: & licet distinctionis formalis earū fundamentū sit distinctio intellectus & volūtatis, nō tamē distinctionis realis earū. nō enim ideo processiones diuinæ distinguunt̄ realiter, quia altera est ab intellectu, altera à volūtate: sed quia habēt realē oppositionem relatiuam (vt Boetius tradit:) Fallum ergo assumitur, quòd scilicet distinctio perfectionum diuinarum fundet distinctionem realem emanationum diuinarum. Ad fundandā autem distinctionem formalem inter eas sufficit distinctio formalis fundamentalis inter intellectum & voluntatem. sicut etiam ipsæ processiones diuinæ non distinguuntur formaliter ex natura rei, seclusa distinctione reali, sed distinctione rationis virtualiter tantū ante omne opus intellectus. ita q̄ absque reali oppositione relatiua non magis distinguuntur ex natura rei quàm intellectus & voluntas.

¶ Potest autē breuius ad hoc & similia argumenta dici, q̄ in diuinis est ante omnē actū intellectus distinctio formalis nō formaliter, sed virtualiter, id est eminēter cōtenta hoc modo: quia quodlibet diuinū propria exequitur, ac si esset distinctum formaliter ab alio. Intellectus enim ita intelligit & nō vult: & volūtas ita vult, & nō intelligit, ac si esset distinctio formalis formaliter inter intellectum & voluntatē: & sic de aliis. Fūdatur autē talis modus habendi distinctionem formalē supra deitatis eminentem vnitatē formalē formaliter: & sufficit ad omnia saluāda quæ per distinctionem formaliter saluāda inducuntur: quia illi eminenter equiualet.

Secundo modo inuenitur essentia in substantiis creatis intellectualibus, in quibus est aliud esse, quàm essentia ipsorum, quamuis essentia sit sine materia, vnde esse earum non est absolutum, sed receptum: & ideo limitatum & finitum ad capacitatem naturæ recipientis. Sed natura vel quidditas earum est absoluta non recepta in aliqua materia: & ideo dicitur in libro de causis, quòd intelligentiæ sunt finitæ superius, & infinitæ inferius. Sunt enim finitæ quantum ad esse suum quod

quòd à superiori recipiunt: non tamen finiantur inferius, quia earum formæ non limitantur ad capacitatem alicuius materiæ recipientis eas: & in talibus substantiis non inuenitur multitudo individuorum in vna specie, vt dictum est, nisi anima humana propter corpus cui vnitur.

¶ In hac secunda parte capituli huius de essentiis substantiarum intellectualium creatarum, quæ in secundo ordine collocantur, quatuor propositiones colligit. Prima est: In substantiis intellectualibus creatis esse est aliud ab essentia. Secunda, In eis non inuenitur materia. Tertia, Esse earum est finitum: essentia autem infinita. Quarta, Nulla earum multiplicabilis est numeraliter nisi vltima, anima scilicet humana. Prima & secunda (tanquam declaratis) omissis, tertiam explanat ratione & autoritate.

AD RATIONIS Autem euidentiam est notandum, quòd actus finitur per potentiam, in qua recipitur & potentia finitur per actum quem recipit, diuersimodè tamen. quod enim est in potentia, non est determinatum: sed determinabile per actum, ad quem est in potentia: cùm autem ipsum receperit ab eo formaliter finitur. Similiter actus secundum essentiam suam receptibilis est in hoc vel illo: & consequenter determinabilis ad hoc vel illud subiectum. Cùm verò receptus est in hoc, iam non remanet in eo amplitudo & indefinitio ad hoc vel illud. est enim ad hoc determinatus. Est ergo duplex finitas & duplex infinitas. altera scilicet ex parte actus: altera ex parte potentiæ. Sed infinitas ex parte potentiæ imperfectionem sonat, cùm sit per carētiam actus potentiam finiētis. Infinitas autem actus perfectionem maximam dicit, cùm sit per carentiam potentiæ actum finientis. In cuius signum formæ secundum rem non receptæ in aliquo longe perfectiores sunt formis receptis. vt patet. Cùm ergo esse substātiarum intellectualium sit receptum in earum essentia: consequens est quòd sit finitum eo modo, quo actus finitur per potentiam. Vnde & contractum & limitatum est ad genus sui receptiui, naturæ scilicet cuius est. Quia verò essentia earum non est recepta in aliquo, cùm sit forma non recepta in materia: consequens quoque est, quòd sit infinita infinitate se tenente ex parte actus: non est enim determinata ad capacitatem alicuius materię ipsam recipientis, sicut sunt formæ rerum materialium.

¶ His præmissis formetur ratio sic, Id, cuius esse est receptū, forma autē irrecepta, habet esse finitum, essentiam autem infinitā intelligentiæ sunt huiusmodi. ergo. Et notā quòd in ratione hac sermo est semper tam de finitate, quā de infinitate se tenente ex parte actus. Tali enim finitate esse intelligētiarum finitum est: & tali infinitate earum essentia est infinita. Si enim loqui volumus de finitate se tenente ex parte potentiæ, earum essentia finita inuenitur, eo quòd potentia in eis est terminata per actum essendi.

¶ Confirmatur autem hoc autoritate libri de Causis, vbi dicitur, quòd intelligentiæ sunt finitæ superius & infinitæ inferius. quia esse earum, quod est supremum in eis, est receptū: essentia verò, quod infimum est, non est recepta: & quia essentia earum vt respicit id, quod est supra se formaliter, ipsum scilicet actū essendi, & finita, recipiendo ipsum. vt autem respicit id quod est infra se, materiam scilicet, est infinita, vtpote non recepta in ipsa, &c.

ADVERTE Hoc ad multorum supradictorum intelligentiam, & vt euites errorem eorum, qui horum fundamentum non intelligentes, dicunt, quòd si esse ideo est infinitum simpliciter, vt suprà diximus, quia in nullo receptum est, cum essentia tam substantiarum immaterialium, quam compositarum in nullo penitus recepta sit, erit infinita simpliciter, quod est ridiculum. vnde ex irreceptione infinitatem arguere, valde leue videtur.

¶ Scito igitur positionē hāc fundari super hac propositione, Omnis res secūdū suū ordinē receptibilis in alio, realiter irrecepta est infinita infinitate oppositā finitati: quam res sui ordinis recepta contrahit. Dixi, secūdum suum ordinē receptibilis in alio, propter cōpositā & materiā. quæ in tota sua latitudine irreceptibilia sunt. Dixi, est infinita infinitate oppositā, &c. quia sicut non quodlibet receptibile est in quolibet, sed quilibet actus habet proprium receptiuum (vt habetur in secundo de Anima textu Com. 24. & 26.) ita non ex qualibet receptione sequitur quælibet finita: sed determinata ex determinata, & per oppositum ex tali irreceptione talis infinitas, oppositā s. finitati: quam (si recepta esset) res illa contraheret. Verbi gratia, albedo, cū sit receptibilis in subiecto, si ponatur irrecepta, erit infinita, nō quacunq; infinitate, sed ea, quæ opponitur finitati, quā in subiecto habet. In proposito ergo tā esse quàm forma secūdum suum ordinem receptibilis rationem habet (neutri enim recipi repugnat) sed in alio & alio receptiuo. receptiuum enim propriū ipsius esse, est quidditas seu suppositum, formæ verò est materia. Et ideo sicut alterius rationis est receptio formæ in materia à receptione esse in essentia, vt supra ostendimus: ita alterius rationis est finitas formæ per materiam à finitate esse per essentiā: licet conueniant in hoc, q̄ vtraq; est per modum, quo actus finitur per potētiā: & similiter diuersarū rationū oportet esse infinitatem, quā forma sortitur ex hoc, quod est irrecepta in materia: & infinitatē, quam esse sortitur ex hoc, q̄ in quidditate nulla est receptum. Forma namq; ex hoc, q̄ recepta in materia infra ipsam clauditur, amplitudinem suā, qua ad hoc vel illud particulare est indefinita, amittit. & ideo ex hoc, quòd separata à materia est, nō aliter est infinita, nisi quia ad nullius materiæ capacitatem coarctata, eius terminis caret. Esse autē, quia ex hoc, quod recipitur in aliqua quidditate, ad illius genus & speciem coartatur: si irreceptum ponatur, ad nullum genus diffinitum erit: & consequenter cuiuslibet generis terminis carens simpliciter infinitum.

¶ Habes ergo dubij solutionem ex hoc, quòd non dicimus, omne irreceptum infinitum: sed rem secundum ordinem receptibilem irreceptam: & ex hoc, quòd non dicimus, omnem rem secundum suum ordinem receptibilem irreceptam esse eodem modo infinitum, sed diuersimodè. Ex primo enim patet, quòd substantia composita nullam infinitatē ex sua irreceptione habet. Ex secundo verò, quòd essentia intelligentiæ quæ clauditur in ordine formę, cum sit pura forma separata à materia, & non sit ipsum esse, ex sua irreceptione in materia est infinita: sed nō simpliciter, &c. & quòd esse diuinū quod sub ipsius esse ordine concluditur ex sua irreceptione in quidditate seu essentia est infinitum simpliciter.

HABES & hinc vnde Scotistarum & Scoti, eorum iudicio, peccatum deprehendas in primo Sententiarum dist. 2. q. 2. vbi ab eis imponitur S. Tho. ratio vltimò ibi inducta ad concludendam Dei infinitatem, quæ est talis. Forma finitur per materiam, ergo forma, quę non est nata esse in materia est infinita. Iam enim nosti qualem infinitatem ratio hic concludat, & quod infinitas Dei altiores negat terminos, secundum S. Thomam.

¶ Vnde aduertas triplex ibi peccatum. Primū est, q̄ ratio prędicta ad concludendā infinitatem simpliciter assumpta à nobis dicitur: cùm apud nos non concludat nisi infinitatem secundū quid. Secundum est, q̄ ratio prædicta secundum fallaciam cōsequentis sophisma asseritur, quia forma prius natura est finita in se, quam finiatur per materiam: sicut illud tertij Phys. corpus finitur ad aliud corpus: ergo si non est finitum ad aliud corpus, est infinitum. Manifestè enim patet error: quia cum dicitur, Forma finitur per materiam, ly per, denotat causam præcisam finitatis secundum quid supradictæ: non enim forma secundū se est talis, modo finita: cum secundū se sit indeterminata ad hanc vel illam materiam: & ideo bene sequitur: ergo forma, quæ non est nata recidi in materia, est infinita secundum quid. Si enim affirmatio est causa præcisa affirmationis, negatio erit causa negationis, non est autem talis processus tertij Phys. quia corpus non finitur per aliud corpus causaliter & præcisè. Tertium est, quod inficiari conatur aliud supradictum, s. q̄ essentia intelligentiæ est finita superius per suum esse. Cōtra, inquit, esse est posterius essentia, & accidēs eius apud vos: ergo essentia intelligētiæ in primo signo naturæ videtur infinita intensiuè: & consequēter non finibilis per esse in secundo signo.

¶ Ad hoc quidē dicitur, q̄ licet esse sit posterius essentia ordine generationis & accidens eius, id est extra conceptū formalē: tamen essentia in illo priori est finita simpliciter, & per hoc q̄ est recepti ua ipsius esse, & non est ipsum suum esse, &c. sicut enim per hoc q̄ essentia est ipsū esse, est infinita simpliciter, (vt patet in Deo ex dictis) ita per hoc q̄ essentia nō est suū esse, nō est infinita simpliciter, iuxta maximā illam, Si affirmatio est causa affirmationis, &c. Quia ergo in omni priori essentia intelligentiæ est fundamentaliter receptibilis ipsius esse, & ab hoc abstrahi non potest, licet nō in omni priori habeat illud: sequit̄, q̄ sit simpliciter finita per suū esse, id est, per hoc nō est suum esse, sed illa actuabilis, vel actuata est, &c. Sic enim intelligitur, cum dicitur q̄ essentia intelligentiæ finitur per suum esse. Quarta propositio quo ad primam partem superius discussa relinquatur. Quo ad secundam verò, q̄ l. anima intellectiua, quæ est vltima inter substantias intellectuales, sit multiplicata numeraliter, eget magna consideratione. In textu autem assignatur pro causa huius vnio ad corpus: omnis enim forma sic vnita corpori, q̄ dat ei esse formaliter, necessariò multiplicatur secūdū multiplicationē illius: alioquin plura corpora haberēt idem esse in numero: ab vno enim forma non prouenit nisi vnū numero esse substātiale, & meritò ex vnione ad corpus anima multiplicari numeraliter dicitur: quia distinctio numeraliter, cum non sit formalis, oportet q̄ sit secundū quātitatē (vt supra declaratū fuit) secundū quātitatē autē esse non posset talis distinctio in anima, si forma non esset rei quantæ (vt intelligentię ostendunt.) Efficax ergo ratio ad concludendā pluralitatem numeralem animarum est coniunctio ipsius animæ ad corpus numeraliter multiplicatū.

Et licet indiuiduatio eius ex corpore occasionaliter dependeat, quantum ad sui inchoationem: quia non acquiritur sibi esse indiuiduatum, nisi in corpore cuius est actus: non tamen oportet, vt destructo corpore, indiuiduatio pereat: quia cùm habeat esse absolutum, ex quo acquisitum est sibi esse indiuiduatum, ex hoc quòd facta est forma huius corporis, illud esse semper remanet indiuiduatum, & ideò dicit Auicenna, quod

indi

Universidad de Deusto
Biblioteca

indiuiduatio animarum & multiplicatio dependet ex corpore, quantum ad sui principium, sed non quantum ad sui finem.

¶ Hic obiectio quædam contra quartam propositionem excluditur, quæ talis est. Forma multiplicata ad multiplicationem corporis destructis corporibus, non remanet in sua multitudine: anima humana est multiplicata ad multiplicationem corporis: ergo non possunt remanere multæ animæ humanæ destructis corporibus, &c. Processus bonus, conclusio autem falsa est: ergo altera præmissarū, nō Maior, vt probatur: ergo minor, quæ fuit quarta proposition. Maior probatur ex eo, q̄ remota causa, remouetur effect⁹. Si ergo causa multitudinis animarum est ipsa multitudo corporū, remota multitudine corporum remouebitur etiam multitudo animarum. Excluditur autem hic obiectio in litera, declarando, formas dupliciter plurificari ad plurificationem corporum: scilicet cum dependentia à materia, & sine dependentia ab illa: & primæ quidem destruuntur, destructis corporibus, secundæ verò remanent, eo quòd non nisi occasionaliter eorum indiuiduatio à corporibus est: de harum autem numero est anima intellectiua.

A D horum euidentiam nota primò, q̄ idem est iudicium de esse & vnitate & multitudine rei, quo ad dependentiam & independentiam: ita scilicet q̄ cuius esse à materia non dependet, nec eius vnitas: nec multitudo à materia dependet. Cuius autem esse à materia dependet, tam vnitas, quam pluralitas eius etiam ab illa dependens est, vnum enim & multa entis passiones sunt.

NOTA secundò, quòd formæ sunt in triplici differentia. Quædam fiunt in materia & educuntur de potentia materiæ, vt formæ materiales. Quædam fiunt in materia, sed non educuntur de potentia materiæ: vt anima intellectiua, quæ venit de foris. Quædam nec fiunt à materia, nec educuntur de potentia materiæ vt formæ separatæ à materia, intelligentiæ, s. Non potest autem dari quartum genus earum, quæ educantur de potentia materiæ, & non fiant in materia: quia implicat, vt de se patet.

¶ Et illæ quidem, quæ nec educūtur de potētia materiæ nec fiunt in ea, omnino independētes & separatæ sunt à materia & immultiplicabiles numeraliter, vt suprà probatum fuit. Primæ verò & secundæ, quia conueniunt in hoc, q̄ fiunt in materia, habent & hoc cōmune, q̄ oportet vtrasque esse coaptatas & proportionatas suis receptiuis materiis, in quibus fiunt: proprios enim actus oportet in propriis fieri materiis, vt dicitur 2. de Anima, tex. com. 24. & 26. Forma nanq; Leonis debet esse commensurata corpori Leonino, ita q̄ non equino: & huius Leonis forma oportet q̄ sit commēsurata huic corpori Leonino, ita quòd non illi, &c. Et ex hoc consequenter conueniunt ita in hoc, q̄ vtrasque oportet simul multiplicari in propriis corporibus. Quecunque enim oportet esse inuicem coaptata & proportionata simul, recipiunt multitudinem & vnitatem, vt patet in discurrendo: in singulis semper enim multiplicationem formarum in vna specie comitatur multiplicatio corporū in illamet specie, & econuerso: aliter vel vna forma esset in diuersis materiis: vel diuersæ materiæ sub vna forma, quorum vtrunque est impossibile. Ex eo verò, q̄ primæ formæ educuntur de potentia materiæ, & non secundæ, differunt inter se in hoc q̄ primæ habēt esse dependens à materia, sicut à causa materiali earum esse causante & sustentante. Secundæ autem habent esse excedens totam materię capacitatem & independens ab ea, vtpote non causatæ ex illa. Et ex hoc consequenter differunt secundò, q̄ primarum tam vnitas, quā multitudo à materia dependens est, sicut & esse: & ideo sicut destructis corporibus ipsæ destruuntur: ita vnitas & pluralitas earum. Secundarum verò tam vnitas, quàm multitudo indepēdens est à materia, sicut & esse: & ideo sicut destructis corporibus earum esse remanet, ita vnitas & pluralitas. Et hoc est quod hic intendit S. Tho. dicens diuiduationem animæ, id est vnitatem eius. Et similiter intelligendum est de pluralitate occasionaliter ex corpore dependere. Dependet enim hoc modo: quia fit in corpore, non autem ita, q̄ educatur de potentia corporalis materiæ: & hoc est quod subdit, quia non acquirit illud in corpore, & rationem addit, quia cum habeat esse absolutum, id est independens à eorpore, corrupto corpore, absque illo remanere potest. & ideo Auic. dicit indiuiduationem animę ex corpore in sui initio dependere: non autem in fine, quia scilicet nō fit nisi in corpore. Potest autem esse de facto & post mortem sine corpore, & sic soluta est obiectio facta, quia maior est falsa de secundo ordine formarum, qualis est anima humana.

¶ Ad probationem eius iam patet quid dicendum, quia corporum multiplicatio non est propriè causa, sed occasio & non nisi in fieri multitu⁹inis animarum: cessante autem causa in fieri, nō cessat effectus quo ad esse.

QVAESTIO XIII.

HIC circa indiuiduationem animæ intellectiuæ, per quod scilicet indiuiduetur, dubitatur. In hac quæstione facienda sunt tria. Primò recitabitur opinio Scoti. Secundò declarabitur opinio S. Th. Tertiò respondebitur argumentis in oppositum.

QVO ad primum, Sco. in secundo sen. dist. 3. quæstio. vltl. & in quolib. q. 2. sequēs positionem suam de hæccheitatibus, tenet animam suā propria hæccheitate indiuiduari: arguitq; sic contra S. Tho. Eo primo, quo aliquid est in actu extra causam & intellectū eo primo est hoc: sed anima sicut & quælibet entitas præcipue absoluta seipsa primò est in actu extra causam & intellectum. ergo anima seipsa primò est hæc. Maior probatur: quia vniuersalitas siue esse non hoc non conuenit rei nisi in intellectu. Minor patet ex eo, quòd res seipsa primò recedit à non esse.

¶ 2 Præterea, Omnis distinctio formalis seu nō per materiam est specificata per te: animæ intellectiuæ distinguūtur formaliter, seu non per materiam. ergo distinguūtur specificè. conclusio est falsa, ergo altera præmissa: nō Minor, qa animæ intellectiuæ separatæ carēt materia. ergo Maior: quæ est fundamentū positionis tuæ. Quòd si dicas, q̄ animę habent inclinationes ad diuersa corpora, & per has distinguuntur: contrà, Anima prius natura est terminus creationis, qui vt talis formaliter est hoc, quam vniatur materiæ. ergo prius natura anima est hæc, quam vniatur materiæ. ergo anima indiuiduatur & non per vnionem ad corpus. Antecedēs probatur sic, Prius est quod potest esse sine alio, & aliud non sine illo ex 5. Meta. text. com. 16. de anima nō solum secundum essentiam, sed etiam secundum existentiam potest esse sine vnione ad materiam, nō autē absque hoc sit terminus creationis & hic: ergo anima est prius natura terminus creationis & hæc, q̄ sit in materia.

¶ Si dicatur quòd anima non est hæc per actualē vnionē seu existētiam in materia, sed per aptitudinem essendi in illa: cōtra, Hoc non euadit difficultatem, quia natura absoluta est prius natura ipsa sua aptitudine, quia enim anima est hæc: ideo habet hāc aptitudinem ad hoc, & illi repugnat, &c. vt arguatur sic, Quod conuenit vni, & repugnat alteri eiusdem speciei, non conuenit per se huic, secūdū id qd commune est istis: vel saltem præexigit eorum necessariò distinctionem. s. huius ab illo, sed hæc aptitudo conuenit huic animæ, & repugnat illi: ergo necessariò præexigit distinctionem huius ab illa: igitur non indiuiduantur aptitudinibus.

¶ Confirmatur, Ratio aptitudinis formaliter loquēdo, non est ad se, hæc est ratio entis in actu: ergo nō potest esse indiuiduatiuum principium animæ. Antecedens probatur pro prima parte: quia si esset ad se, posset intelligi non ad aliud, vt ad terminum, quod est falsum. Pro secūda quoque parte probatur, quia quod necessariò exigit aliquid non existens, ipsum est non existens in actu: aptitudo autem est ad terminum non existentem: ergo eius ratio nō est ratio entis in actu. Consequentia patet, quia distinctio relatiua præsupponit distinctionem absolutam: quia enim anima est hæc, ideo habet hanc aptitudinem, & non econtra. & quia hæc anima est singularis singularitate actuali siue in actu, non est hæc aptitudine ad hoc corpus. Hæc sunt quæ isti in hac re sentiunt.

NOS autē peripatetica fundamēta sequētes animā indiuiduari cōmensuratione substātiali ad hoc corpus dicimus, & hāc animā, & illam distingui cōmensurationibus suis ad hoc & illud corpus: probationes autē huius supra adductæ fuerūt, cū deductū fuit distinctionē numeralē non nisi à quantitate originari posse. Vnde nunc sufficiet declarare quō sit hoc quod dicimus, Cōmensuratio dupliciter sumit. Vno mō pro relatione cōmensurationis: alio modo pro ipsa substātiali coaptatione rei. primo modo cōmensuratio est res respectiua essentialiter: & in genere relationis: secundo modo est res absoluta, & de prædicamento rei commensuratæ: est enim idē essentialiter quod ipsa, sed differēs ab ipsa sola ratione, & similiter dico de inclinatione, aptitudine, coaptatione, figillatione, & similibus, quæ ad exprimendum propositum assumuntur.

¶ Absolutū quoq; pro nunc sumitur dupliciter. Vno modo à termino, & sic dicimus substātiam, quantitatē & qualitatē esse entia absoluta. Alio modo à receptiuo seu subiecto: & sic nullū prædicamentorum accidentiū est absolutū: sunt enim essentialiter receptibilia in substantia. Cùm ergo dicitur, q̄ animæ suis cōmensurationibus indiuiduantur, intelligendū est cōmensurationibus substātialibus, quæ sunt res absolutæ à terminis, & si non receptiuis, & nō cōmensurationibus, quæ sunt relationes, &c. Sicut nāq; de essentia animæ in cōi est, q̄ essentialiter sit proportionata corpori physico organico, quod in eius diffinitione ponitur: ita de essentia animæ humanæ est, cōmensurari corpori humano: est nāque ita perfectiua corporis humani, q̄ nō bouini: sic quoq; de essentia huius animæ est cōmensuratio ad hoc corpus. & sic cōmēsuratio ad corp⁹ humanū nō sequitur animā iā humanā, sed cōstituit ipsam humanā. Per hoc enim primò differt anima hominis ab anima Bouis: quia illa est proprius actus corporis humani, ista verò bouini. Cōstat autē, q̄ idē est esse actū propriū corporis humani, & esse substātialē substātialiter cōmensuratā perfectionē eius. Ita substātialis cōmēsuratio hui⁹ animæ ad hoc corpus, nō sequitur aīam hāc, sed cōstituit ipsā hāc, est em̄ hæc anima substātialiter propri⁹ actus hui⁹ corporis: vnde hęc anima ab illa primò differt: quia illa est propri⁹ actus hui⁹ corporis, illa verò proprius actus alterius, & hoc est qd S. Tho. in 2. cōtra Gen. c. 88. tradit, & in quæst. de anima, & vbicunq; de hac re loquitur. est autem conueniens

niens propositio ista principiis Aristo. docet enim in primo lib. de Partibus animalium, q̄ propriæ differentiæ alicuius diuisi debent esse per se distinguētes illud in eo q̄ tale. verbi gratia, proprię differentiæ animalis nō debēt esse albū & nigrum, quæ nō dant aut animal in eo, q̄ animal. Stat enim idētitas animalis cū illaru diuersitate: nec debēt esse nauigatiuum & volatiuum: quia nō diuersificāt hæc per se naturā seu sitiuā, sed debent esse tale sensitiuum vel tale. animal enim in eo, q̄ animal, cū sensitiuo cōstet, nō diuersificatur per se nisi per differentias sentiendi. Vnde cum anima in eo quòd talis essentialiter sit actus corporis physici propriis differētiis diuiditur per hoc, q̄ actus talis corporis vel talis: & iterum actus talis corporis, puta humani propriis differētiis diuiditur (materialibus tamen) per hoc quod est huius corporis vel illius. Indiuiduātur ergo ipsæ animæ cōmensurationibus substātialibus nō absolutis receptiuis: sicut & ipsæ animæ essentialiter sunt non absolutè à perfectibilibus corporibus earum receptiuis. Et non considerare hoc, est causa erroris eorum, qui de omnibus volunt eodē modo iudicare (vt sunt Scotistæ) quibus dum non considerant proprias rerum naturas, & res suis cōceptibus adæquare volunt, accidit vt de omnium indiuiduatione eandem proferant sententiā, & in eorum numero sint, de quibus dicitur secundo Cœli text. com. 80. quòd quærunt vsque quo non habeant contradicere sibi ipsis.

HIS visis ad solutionem argumentorum procedendum est.

¶ Ad primum dicitur, quòd falsa est Maior, licet enim quælibet res posita extra intellectum & causam sit hæc: non tamen eodem primò est, & hæc. Est enim ipso esse primò. Hæc autem hęcceitate primò: multa enim inseparabiliter sese comitantur, quæ non eodem principio habentur primò: sicut quodlibet ens aliud à Deo extra intellectum & causam est, & est dependens, non tamen eodem primo est & dependet. Minor quoque est falsa: res enim non seipsa primò, sed per existentiam actualem distinctam realiter à se extra nihil ponitur, vt suprà declaratum fuit, &c.

¶ Ad secundū negatur Minor. Duæ enim animæ humanæ separatæ nō distinguūtur formaliter, seu per materiā: licet sint puræ formæ à materia abstractæ. Aliud enim est dicere, omnis distinctio formalis est specifica: aliud, omnis distinctio formarū. Distinctio eīn formalis, cū sit illa, quæ ex principiis diffinitiuis eōstat, specifica est. Quęcunq; enim habēt diuersas diffinitiones specie differūt, cū saltē differētias vltimas habeāt non easdem, quarum diuersitas sufficit ad diuersitatē specificā: sed talis non est inter animā Socratis & Platonis: habēt siquidē eandem diffinitionem. Distinctio aūt formarū cū sit, vndecunque inter formas diuisio accidat in duabus animabus separat, id est, inuenitur ex hoc quòd diuersis corporibus coaptatæ sunt. Vnde non est similis ratio de eis & de aliis substantiis separatis, quæ corporibus vnibiles non sunt. Et sic respondeo ibi data est bona si sanè intelligatur modo. s. expositio quòd animæ inclinationibus substantialibus ad diuersa distinguuntur.

¶ Ad id quod primò obiicitur, contra dicitur q̄ nō concludit intētū. Cōcludit enim, ergo anima prius natura est hæc quā habeat actualē vnionem ad corpus: cùm debeat concludere, ergo anima prius natura est hæc quam sit coaptata, seu inclinata ad hoc corpus. Non enim dicimus animā indiuiduari formaliter per actualem vnionem ad corpus, sed per coaptationem substantialem ad hoc corpus, quā prius natura debere animæ quā ipsam actualem vnionem, patet ex eo q̄ omnia hic per se terminat creationem, & nō anima hoc existens: & ex eo q̄ inesse præsupponit esse: esse aūt particulari tam immediatior est, quā inesse. Vnde respōsio ibi recitata est bona, cū grano tamen salis. Dicimus enim animas indiuiduari per aptitudinem substantialem, seu commensurationem formaliter: per vnionem verò actualem ad corpus conditionaliter, id est tanquam per conditionem sine qua nō: & quia prius natura inest rei ratio formalis quam conditio, sine qua nō, ideo, &c.

¶ Ad argumētum cōtra hoc patet respōsio ex dictis: assumit enim hoc falsum. s. q̄ natura huius animæ sit prior aptitudine sua substantiali. Vnde Maior argumenti ibi formari pro secūda parte disiunctiuę est falsa. s. q̄ quodlibet conueniēs vni & repugnans alteri eiusdem speciei præexigat distinctionem ipsorum. Stat enim q̄ non præexigat, sed faciat distinctionē ipsorum, sicut quod cōuenit vni speciei & repugnat alteri eiusdem generis, non opus est, q̄ præexigat illarū specierum distinctionē, sed stat quod faciat earum distinctionem. Verbi gratia, rationale cōuenit homini, & repugnat Leoni, & irrationale conuenit Leoni, & repugnat homini, & tamen rationale & irrationale non præexigunt distinctionē hominis & Leonis, sed faciūt. Vnde subsumas sub illa Maiore, Sed hæccheitas animæ Socratis conuenit sibi, & repugnat animæ Plat. ergo hæccheitates supponunt ipsas distinctas: & sic suadebis Sco. vim argumēti sui. ¶ Ad cōfirmationē, cū dicitur, Ratio aptitudinis nō est ad se, dico, q̄ rō aptitudinis substātialis, de qua loquimur, est ad aliud, sed nō vt ad terminū, sed vt receptiuū. Probatio autē cōtra hoc nihil facit: cōcedēdo enim q̄ pōt intelligi non ad aliud, vt ad terminū: nō autem non ad aliud vt receptiuū, sicut quantitas & qualitas absolutè sunt à termino, & non à subiecto.

¶ Ad id quod secundo loco in antecedente ponitur. s. quòd ratio aptitudinis non est ratio entis in actu, dico primò, quod falsum est. Aptitudo enim ad ridendum, s. risibilitas habet rationem entis in actu primo, licet potentiam ad actum secundum. Probationis verò, vtraque propositio est falsa: & Maior quidem, s. quòd necessariò exigit aliquid non existens, ipsum est non existens in actu: quælibet enim potentia actiua in actu primo tantùm exigit operationem suam non existere: & tamen ipsa est existens in actu. Minor verò quia aptitudo substantialis animæ ad corpus non excludit corpus, sed compositio ex contrariis est: quæ facit aptitudinem animæ esse absque actuali vnione.

¶ Dico secundò, q̄ æquiuocamus de aptitudine. Aptitudo em̄ ista, quā in anima intelligimus, nō est nisi cōmensuratio, seu substātia lis figillatio ipsius animæ ad hoc corpus: quā cōstat esse in actu, & dum est corpori vnita & dū est separata ab eo, sicut in exēplo suprà posito de cera liquet. Argum. entū aut. procedit, acsi aptitudo ista esset quid potentiale expectās aliquid quod reduceat ipsam in actu, &c. Ad consequentiam patet quid dicendum sit, quia nō est talis distinctio relatiua, sed absoluta relatiuè ad receptum, &c.

Et quia in istis substantijs quidditas non est idem quod esse, ideo sunt ordinabiles in prædicamento, & propter hoc inuenitur in eis genus, species, & differentia, quamuis earum differētiæ propriæ nobis occultæ sunt. In rebus enim sensibilibus etiam ipsæ differentiæ essentiales nobis ignotæ sunt: vnde significantur per differentias accidentales, quæ ex essentialibus oriuntur: sicut causa significatur per suum effectum sicut bipes ponitur differentia hominis. Accidentia autem propria substantiarum immaterialium nobis ignota sunt: vnde differentiæ earum nec per se, nec per accidentales differentias nobis significari possunt.

¶ In hac tertia parte capituli huius declaraturus S. Th. quomodo quidditates substantiarum separatarum se habeant ad intentiones logicas, s. genus, speciem, & differentiā, &c. quatuor notatis se absoluit excludendo post duas obiectiones. Proponit ergo primò conclusionem talem, Intelligentiæ sunt in prædicamento: probatque eam sic, Omne id, in quo differt ab essentia, est in prædicamento, intelligentiæ sunt huiusmodi: ergo, &c. Minor suprà probata est: Maior verò probari potest sic, Omne habens esse limitatum, est in genere, si enim limitatum esse habet, ad aliquod genus definitum est. Quod enim ad nullum genus definitum est, ac per se subsistit, vnde, aut quomodo esse limitatum habet: omne autem ens, in quo esse distinguitur à sua essentia, habet esse limitatum, vt suprà declaratum fuit: ergo omne tale est in prædicamento. Ex quo corollariè cōcluditur, q̄ habent genus, speciem, & differentiā. Addit aūt, quis occultæ sint nobis earū differētiæ: & vt responderet dubitationi, qua quis di ere posset, Quomodo scis in eis esse differētias, si illas ignoramus? stat cīm scire de eis quæstionem an est, & ignorare quæstionē quid est: nouimus inquā differentiā esse in illis, sed quæ sint illæ, latet: latēt aūt intelligentiarū differētiæ sēdm se: quia cōe est omnibus substātiis habere occultas differētias proprias sēdm se: & in hoc conueniūt cū substātiis inferioribus: latēt secundū accidētales ꝓprietates, quæ sunt earū passiones, quia exceduūt facultatē naturalem intellectus humani, qui se habet ad manifestissima in natura: sicut oculos noctuæ ad lumen Solis, & in hoc differunt à sensibilibus substantiis, quarum propriæ differentiæ nōbis suarum proprietatum significantur: sicut causæ nominibus suorum effectuū: vnde omnino immanifestæ sunt nobis intelligentiarū differentię quo ad quid sunt, &c.

QVAESTIO XIIII.

Num intelligentiæ sint à nobis quidditatiuè cognoscibiles in hac vita.

CIRCA hanc particulam dubitatur, an intelligentiæ sint à nobis quidditatiuè cognoscibiles in hac vita, &c.

¶ In hac q. septem agenda sunt, primò declarabo titulum & intentionem quæstionis. Secundò adducetur opinio Auer. Tertiò impugnabitur. Quartò respondebitur suis rationibus: Quintò declarabitur opinio S. Thom. Sextò adducentur rationes Ioannis de Gandauo contra S. Th. Septimò eis satisfiet, &c.

QVO ad primum nota, q̄ aliud est cognoscere quidditatem, seu cognitio quidditatis, & aliud est cognitio quidditatiua, seu cognoscere quidditatiuè. Cognoscit enim Leonis quidditatē qui cūq; nouit aliquid eius prædicatū essentiale. Cognoscit aūt quidditatiuè nō nisi ille, q̄ omnia p̄dicata quidditatiua vsq; ad vltimā differētiā nouit, &c. Cū aūt cognoscamus intelligentias esse substantias, & esse intellectuales, &c. licet q̄ earum quidditates cognoscimus: vnde hoc in dubiū nō vertitur, sed quæst. est, an quidditatiuè cognoscere eas possimus, vt penetremus, s. vsque ad vltimas earum differentias: & licet hæc quæst. habeat opiniones plurimas, vt patet tertio de Anima, cō. 36. quia tamen non nisi cū Scotistis & Auerroistis hic agitur, & Scot. opinio in conclusione non discrep

discrepat: vt patet in primo sent.dist.3.cum solo nobis disceptandum est Auer. Hæc de primo.

QVO ad secundum, Auer.in 3.de Anima,comm.36.supposita sectione sua in com.5.opinatur, quòd intellectus possibilis, vt appropriatus nobis adeptis omnibus intellectis speculatiuis, ac per hoc continuatus intellectus agenti, vt formæ per illum intelliget substantias separatas: & cõsequenter nos,quibus per hoc fiet intellectus agens forma:sicut modò est intellectus possibilis:ita quòd sicut modo per intellectum possibilem intelligimus materialia, ita tunc per intellectum agentem intelligimus substantias separatas.

¶ Probat aũt rationẽ suã duabus rationibus.Prima ratio fundatur supra duas propositiones. Quarũ prima est, Intellectus, & prima intellecta speculatiua se habent sicut forma & materia. Probatur illa sic, Illa quorũ est vnamet operatio , ita ꝙ operatio vnius cõmunicetur alteri, se habẽt, sicut agẽs & instrumentũ, vel sicut forma & materia:sed intellectus agentis & primorum intellectorum speculatiuorum est vnamet operatio : ita ꝙ operatio intellectus agẽtis, s.facere intellecta in actu,cõmunicatur primis intellectis speculatiuis, ergo intellectus agens & prima intellecta speculatiua se habent sicut agens & instrumentum, vel sicut forma & materia. Patet minor,quia intellectus in habitu potest nõ solum intelligere,sed facere conclusiones intellectiuas in potentia intellectas in actu,vtrũq; enim experimur in nostra esse potestate,s.intelligere & facere conclusiones actu intellectas mediantibus primis intellectis:quę solo lumine intellectus agentis fiunt intellecta in actu.In maiore verò notãter dicitur(ita ꝙ ꝓpria operatio vni⁹ cõmunicetur alteri)quia plures trahẽtes nauẽ, ad eandẽ operationẽ concurrũt,non tamẽ sicut materia & forma, nec sicut agẽs & instrumẽtũ:propterea quia alter alterius propriã operationẽ non fortitur. Clarũ est aũt,ꝙ cõicãs operationẽ suã alteri cõcurrẽdo ad idem se habet ad illud:sicut agẽs principale ad instrumentum, quemadmodũ carpentarius sedis factionẽ ferræ communicat:vel sicut forma ad materiã, sicut calor calefactionem aquę calidę cõmunicat. Et licet vtraque pars disiuncti concluſi sit vera:quia tamen prima pars manifestior est, & minus ad propositũ, ideo Cõmentator secundã partem declarat, ſ.ꝙ prima intellecta speculatiua & intellectus agens se habeãt vt materia & forma:& hoc facit declarando,ꝙ intellectus agens, & non solũ prima,sed anima intellecta speculatiua se habẽt sicut forma & materia. Manifestat autem hoc sic: Quandocunq; est aliquid receptiuũ aliquorũ duorum ordinũ inter se habentium id quod est perfectius & formalius,est sicut forma:idvero quod est imperfectius, & minus forma le,habet rationẽ materiæ : sed intellectus possibilis est receptiuus intellectorum speculatiuorum, & intellectus agentis ordinem inter se habentium: ita ꝙ intellectus agens est perfectior & formalior intellectis speculatiuis: ergo intellectus agẽs & intellecta speculatiua se habent sicut forma & materia. Dicitur autem in maiori, ordinẽ inter se habẽtiũ : quia aliter propositio nõ esset vera, sicut patet de albedine & dulcedine lactis: quarũ neutra est alterius forma. Cùm enim ordinata sunt necessario verifica proposito,vt patet,cum aer recipit calorem & lumen. Minor patet ex eo,ꝙ intellectũ recipitur in intelligente. Intellectus aũt possibilis intelligit,& intellectũ agentẽ & intellecta speculatiua, &c. & sic patet prima propositio. ¶ Secunda propositio est, Intellectus possibilis & appropriatus nobis , quandoq; recipit intellecta speculatiua & intellectũ agentẽ in potẽtia tantũ:quãdoq; partim in actu,& partim in potẽtia, quãdoq; totaliter in actu. Ista ꝓpositio quo ad intellecta speculatiua est clarissima, intellect⁹ nãq; infantis est in pura potentia,sicut tabula rasa, in qua nihil est depictũ:postmodum vero recipit primorũ principiorũ notitiã, deinde multarũ conclusionũ succeſſiuè acquirit notitiã : & sic secũdũ aliquid est in actu, puta secũdũ principia: & secũdũ aliquid in potẽtia, puta secũdum cõclusiones,& postremò acquisitis omnibus cõclusionibus & totaliter,& sic̃m omnia in actu tam principia,quã cõclusiones. His si cõiunxeris primã propositionẽ, illucesceret ubi hæc secũda propositio,quo ad secũdã partẽ. Si enim intellectus agens est forma intellectorum speculatiuorũ, eadẽ erit proportio cõiunctionis ad intellectũ agentem , quæ est inter intellectũ possibilem & intellecta speculatiua quo ad hoc,ꝙ fit totaliter vni,totaliter &reliquo cõiũctus erit:& si partialiter vni,partialiter &reliquo cõiũct⁹erit.

¶ His præmissis formatur prima Auer.ratio sic, Omne qđ mouetur ad acquisitionẽ alicuius vt formæ:illa pfectè acquisita, põt operari operatione ꝓpria illius formæ:sed intellectus possibilis vt appropriatus nobis, mouetur ad acquisitionem intellectus agẽtis,vt formæ:ergo illo acquisito, põt operari operatione propria illius. Sed operatio ꝓpria intellectus agẽtis est intelligere substãtias separatas quidditatiuè : ergo intellectus possibilis poterit per illum intelligere substãtias separatas, & cum intellectus possibilis operatio noua nos denominet, consequenter nos per intellectũ agẽtem intelligimus substãtias separatas, &c. Maior patet exẽplariter cũ aqua mouetur à forma caloris, acquisito illo,põt calefacere,& similiter apparet in omnibus. Minor verò ꝓbatur dupliciter. Primò ex duabus propositionibus præmissis sic, Quandocunq; aliqd mouetur ad aliqua duo recipiẽda ordinata inter se,ad id quod est formalius & perfectius mouetur,vt ad formã ex prima ꝓpositione:sed intellectus possibilis mouetur ad intellecta speculatiua , & intellectũ agentẽ:quia quãdoq; est in pura potẽtia , quãdoq; partim in actu,& partim in potẽtia,ex secũda ꝓpositione ordinẽ inter se habẽtia:quia mediãtibus intellectis speculatiuis recipitur intellectus agẽs:& intellectus agens est formalior & perfectior. ergo intellectus possibilis mouetur ad acquirendũ intellectum agentem vt formã. Secũdò probatur illa Minor sic, Intellectus possibilis mouetur ad acquisitionẽ intellectus agentis vt finis:ergo vt formæ. Antecedens patet ex eo , quòd ipse intellectus agens est efficiens illius motus,quo mouetur intellectus possibilis ad ipsum.in separatis enim à materia idem est efficiẽs & finis motus:vt Com.36.12.Meta. habetur. Consequentia verò patet ex secundo Phy. tex.com.70.vbi dicitur,quòd finis, motus & forma idem sunt, & hanc probationem tangit Auer.12.Metaphys.in fi.com.38.

¶ Secunda ratio Auer.ponitur secũdo Meta.com.1.Si intelligẽtiæ nõ essent à nobis cognoscibiles,natura ociosè egisset:consequens est falsum. Cõsequẽtia probatur:quia feciſset id quod est in se naturaliter intellectũ,non intellectum ab alio:sicut si feciſset Solem non cõprehensum ab aliquo visu. Et quoniã hæc cõsequẽtia cum sua probatione derisibilis à S. Tho.iudicatur , ꝓpterea ꝙ frustra est quod nõ potest consequi finem sui:& intelligentiarũ finis nõ est intelligi à nobis:dato eĩ quòd intelligi esset finis earũ , sufficit earum intelligibilitati, vt à seipsis intelligantur:nõ enim sequitur, ab intellectu humano nõ intelliguntur,ergo à nullo.sicut non valet,Sol non videtur à noctua,ergo à nullo visu. Idcirco Ioann. de Gan. in tertio de Anima , dupliciter probat illam consequentiam. Primò dicens,ꝙ Cõmentator non supponit ꝙ finis substãtiarum separatarum,sit intelligi à nobis:sed supponitur ꝙ intelligẽtiæ ex se sint intelligibiles ab intellectu nostro,cùm cõtineãtur sub eius obiecto primo,scilicet ente:& tunc bene sequitur , intelligentiæ sunt ex se naturaliter nobis cognoscibiles,intellectus noster naturaliter natus est eas intelligere:naturaliter enim actiuo, quale est intelligentia , debet correspondere naturale passiuum , quale est intellect⁹,aliter potẽtia actiua esset frustra in natura. Secũdò deducitur ab eodem illa consequentia:quia etsi intelligẽtiarũ finis primarius nõ sit intelligi ab intellectu nostro, est tamen earũ finis secundarius. Agunt enim prima intẽtione propter se:secũdario aũt propter alia, vt dicitur secũdo cæli, Com.21. & ideo sequitur ꝙ in intelligẽtiæ saltẽ quo ad finẽ secũdariũ essent frustra:& sic natura faceret aliquid otiosè. Propterea,inquit,cõsequẽtia Commẽtatoris est vna ex propositionibus per se notis:& nõ est derisibilis. Potest adhuc tertiò deduci illa consequẽtia ex dictis Com.3. de Anima. Com.36.vbi examinans rationẽ Themistij , dicit ꝙ si intellectus noster est immaterialis.cõsequẽtia ista tenet,intellect⁹ noster intelligit res sensibiles factas immateriales,ergo intelligit res secundum se immateriales.Et fundatur hoc dictum super verbum Aristot.tertio de Anima.tex. Com.7. dicẽtis quòd intellect⁹ excellẽti intelligibili apprehensio vigoratur ad altius intelligẽdum. Ex quibus habetur in proposito, quòd immaterialitas est sufficiens causa virtuti cognoscitiuæ,quòd intelligere possit substantias separatas.vnde sic probatur consequentia.Intelligentiæ non sunt ab intellectu nostro cognoscibiles , ergo à nullo alio sunt cognoscibiles,ergo frustra sunt cognoscibiles:sicut Sol frustra esset visibilis,si à nullo posset videri.Prima cõsequentia tenet ex eo quòd si immaterialitas non dat intellectui nostro illas intelligere, nulli hoc dabit : quia iam declaratum est immaterialitatem esse sufficientem causam huius:sicut quia sensitiuum est sufficiens causa sensus tactus,si positum in vna specie animalis non daret tactum, nulli alij hoc daret. Secunda consequentia clara est exemplo. Quilibet ergo intellectus potest substantias separatas cognoscere ex sua immaterialitate:plus tamen & minus secundum quòd plus & minus perfectionis habent. Hæc de secundo.

QVO AD Tertium arguitur contra hanc opinionẽ dupliciter. Et primò probatur , quòd talis continuatio posita non producat intellectum possibilem, vt nobis appropriatum ad intelligendas substantias separatas: id quod continuatur intellectui agenti non nisi vt formæ intellectorum speculatiuorum non potest per illum intelligere substantias separatas quidditatiuè,sed intellectus possibilis , vt appropriatus nobis continuatur intellectui agenti non nisi vt formæ intellectorum speculatiuorum , ergo intellectus possibilis vt appropriatus nobis per talem continuationem non potest intelligere substantias separatas quidditatiuè. Maior probatur , supponendo quod intellectus agens habet proportiones diuersorum ordinum ad superiora & inferiora, substãtias immateriales scilicet, & intellecta speculatiua. Ad superiora enim cõparatur vt contemplatiuus , & non vt eorum forma : ad inferiora verò vt factiuus & forma. Hoc stante patet vis maioris. Quandocunque enim aliquod vnum habet diuersi ordinis proportionem ad diuersa , id quod continuatur ei , secundum quòd habet proportionẽ ad inferiora,ex hoc nõ cõtinuatur secundũ quod habet proportionẽ ad superiora. Cõmittitur enim manifeste fallacia accidentis,ex vno aliud cõcludendo. Id ergo quod cõtinuatur intellectui agenti vt formæ intellectorũ speculatiuorũ,non ex hoc cõtinuatur ei, vt contẽplatiuo subsũtiarũ immaterialiũ. Minor verò ex Cõmentatoris dictis habetur, nullum alium modũ ponentis in proposito,quo cõtinuetur possibilis cum agẽte , nisi per intellecta speculatiua. vnde dicit ꝙ cùm est in pura potẽtia ad intellecta speculatiua est & in pura potentia ad intellectum agentem : cum verò partim est in actu, & partim in potentia respectu illorum , est etiam sicut respectu istius : & cum fuerit totaliter in actu secundũ intellecta speculatiua,erit totaliter copulatus intellectui agenti.

¶ Secundò probatur,ꝙ posito, ꝙ talis continuatio ad hoc perduceret intellectũ possibilẽ,nunquã tamen nos ad hoc perducere potest:& arguo sic, Id quod cõtinuatur intellectui agenti, nõ nisi vt coloratũ lumini , & intellectui possibili non nisi sicut coloratũ visui:non põt denominari operãs propria operatione luminis, vt visus seu intellectus agentis,aut possibilis. sed homo phãtasians habet huiusmodi cõtinuationẽ cũ his intellectibus : ergo non potest denominari faciẽs intellecta,& intelligẽs substãtias immateriales, quæ sunt operationes intellectus agentis,nec intelligens res sensibiles,quæ est operatio intellectus possibilis. Minor est nota ex terminis,non enim põt verè dici.ꝙ coloratum illuminet,aut videat. Minor autem patet ex tertio de Anima,tex.com.18.& 30. Nec obstat aliquo modo similitudini datæ,ꝙ homo proprio actu cogitatiuæ spiritualizat phantasmata. Coloratum verò non spiritualizat colores. Quoniam si fingamus coloratũ in seipso nõ posse obiici oculo,neque lumini,sed spiritualizatum tãtùm in speculo,ꝙ propria operatio specie in se colorati spiritualizaret,similitudo curreret quatuor pedibus : & tamen tale speculum obiectum lumini & visui nõ verè posset denominari illuminans,neq; videns. & hęc ratio apparet mihi demonstratiua:& aliàs,si Deus concesserit nobis vitam,eius efficaciam plenius ostendemus. Hæc de tertio.

QVO Ad quartũ, Ad primã rationẽ Auer.dicitur ꝙ Maior est vniuersaliter falsa,si teneatur,vt teneri debet ad hoc,ꝙ intentum cõcludat. Debet enim vniuersaliter teneri, nedum subiectum,sed etiam prædicatũ hoc modo. Omne qđ mouetur ad acquirẽdã aliquã formã,illa perfectè acquisita potest operari omni operatione propria illius formæ,aliter nõ cõcluderet.patet autẽ hanc esse falsam ex eo ꝙ sufficit, quòd id quod acquisiuit aliquã formã participet aliquã operationem illius formę,illam ſ.quæ conuenit formæ secundum id , quo recipit receptiuum : & ratio huius est assignata in prima ratione contra Auer.facta,quia.ſ.nõ oportet rem continuatam formæ habenti diuersas propottiones ad inferiora & superiora,ex hoc ꝙ perfectè cõtinuatur ei secundũ inferius, ꝙ continuetur ei secundũ superius.vnde ex hoc,ꝙ intellectus possibilis acquisiuit intellectũ agentẽ,vt formã,licet sequatur, ꝙ possit operari operatione intellectus agẽtis , vt est forma intellectorum speculatiuorũ, quia vt sic acquiritur.ſ.formare intellecta in actu, & extendere se ad omnia intelligendo,ad quæ se extendit intellectus agens vt factiuus:non tamen sequitur,quòd possit omnia intelligere quæ respicit intellectus agens,vt contemplatiuus.

¶ Ad secundã rationem respondetur negata consequentia , & ad primam probationem dicitur , quòd committitur fallacia consequentis à superiori ad suum inferius affirmatiuè:concesso enim ꝙ intelligentiæ sunt cognoscibiles ab intellectu nostro:quia continentur sub eius primo obiecto , non sequitur, ergo sunt à nobis intelligibiles quidditatiuè. Non enim omne contentum sub ente est quidditatiuè à nobis intelligibile,eo quòd ens,licet sit obiectũ adæquatum intellectui nostro extensiuè , non tamen est adæquatum adæquatione mutua intensiuè:& est dicere,quòd licet omne ens possit à nobis intelligi : non tamen omne ens potest à nostro intellecto penetrari vsque ad vltimas differentias , hoc enim modo quidditas rei materialis est obiectum adæquatum intellectus nostri:scilicet adæquatione intensiua,solam namque eam & omnem intellectus noster natus est intelligere quidditatiuè.

¶ Ad secundum modum deducendi consequentiam similiter respondetur. licet enim detur , quòd intelligi à nobis sit finis secundarius intelligentiarum:non tamen valet , ergo intelligi quidditatiuè à nobis est finis secundarius:imò hoc est impossibile.

¶ Similiter ad tertium modum dicitur, quòd licet immaterialitas sit sufficiẽs causa virtuti cognoscitiuæ,quod possit intelligere substantias separatas : non tamen valet, ergo ex immaterialitate habet,quòd possit cognoscere eas quidditatiuè.

¶ Autoritas autem Arist. adducta,cũ rectè intelligitur,nõ obstat. Aduertendum est enim,sensum respectu excellẽtis sensibilis, duo sortiri,& ꝙ.ſ.non perfectè cognoscit illud , & ꝙ patitur passione corruptiua ab illo:intellectus autem respectu excellentis intelligibilis primum tantum habet.ſ.ꝙ perfectè non intelligit illud : passionis enim expers est:& ratio est,quia secundum sequitur materiam,cuius actus est virtus sensitiua,non autem intellectiua : primum verò sequitur improportionem potentiæ ad obiectum,quæ saluatur ita in virtute immateriali,sicut materiali.Sicut enim noctua ex sua specie visum improportionatũ claro lumini habet,ita homo ex sua natura intellectum improportionatum claro intelligibili separato,ſ.secundũ rem à materia. Conueniunt ergo intellectus & sensus in primo,sed differũt in secundo. Et qua differentia Arist.ibi dicit oriri,quòd sensus post excellens sensibile sensatum debilitatur:intellectus aũt post excellens intelligibile intellectum non alteratur, magis potest intelligere alia , quòd intelligendum est secundum modum sibi possibilem. Ex hoc autem nõ licet inferre,ergo potest quidditatiuè cognoscere substantias immateriales:sed, ergo non procedit ex eius alteratione , quòd illas non possit comprehendere.quod gratis concedimus: habet enim homo intellectum ratiocinatiuum, qui oritur in vmbra intelligẽtiæ apud Isaac:& ideo proportionatus naturaliter ad intuendum intelligibile non purum & clarum,sed obumbratũ materiæ: quale est quidditas à sensibilibus abstrahibilis.Hæc de quarto.

QVO ad quintum ponenda est opinio S. Th.quam ex prima parte,q.88.& tertio contra Gent.ca.45.& 2.Meta.assumo. Tenet ipse hanc conclusionem.Anima humana corpori coniuncta non potest quidditatiuè cognoscere substantias immateriales: quæ ad præsens dupliciter probatur.Primò sic, Intellectus existens in potentia non nisi ad recipiẽda intellecta abstracta ab intellectu agẽte,non potest intelligere quidditatiuè substantias immateriales: intellectus humanus est huiusmodi, ergo. Maior ex terminis patet:oppositum enim prædicati infert oppositum subiecti: quod enim potest intelligere substantias separatas quidditatiuè, nõ est tantum in potentia ad recipienda abstracta ab intellectu agente, quoniam substantiæ separatæ non sunt abstractæ à materia per operationem intellectus agentis. Minor ex Aristo.colligitur 3.de Anima,tex.com.17.vbi dicitur, quòd intellectus agẽs potest omnia facere,quæ intellectus possibilis potest facere.

¶ Secũdò probatur sic, Nullus effectus sensibilis põt ducere quidditatiuã cognitionem substãtiarum separatarum,ergo intellectus humanus coniunctus corpori non põt quidditatiuè illas cognoscere.cõsequẽtia tenet:quia nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu. Antecedẽs verò ꝓbatur ex eo,ꝙ effectus dupliciter põt in cognitionẽ quidditatiuã tuæ causæ ducere. Vel per modum similitudinis:sicut effectu vniuoco cognito,eius causam quidditatiuè cognoscimus,propterea quia sunt eiusdem naturæ: & hoc modo clarũ est nullũ sensibile posse perducere ad substãtiarũ immaterialium naturas,eo ꝙ differunt nõ solũ specie,sed genere. Alio modo effectus ducit in quidditatiuam cognitionẽ suæ causæ non per modum similitudinis,sed per hoc,ꝙ demonstrat totam virtutem suæ causæ. Sicut intelligere ostendit totam virtutem animæ intellectiuæ : & ideo ex tali operatione in eius quidditatiuam cognitionẽ procedimus. Nec hoc modo sensibilia valent ad cognitionem quidditatiuam intelligentiarum nos producere. Nullus enim effectus particularis adæquat totam virtutẽ causæ virtualis, quodlibet autẽ sensibile est effectus particularis,vt materiales cõditiones earum cuiusque ostendunt:igitur per nullum sensibile in quidditatiuam cognitionem substantiarũ materialium, quæ causæ vniuersaliſſimæ sunt, peruenire possumus, &c. Hæc de quinto.

QVO ad sextum, contra hanc determinationem arguit supradictus Io.de Gan.in tertio de anima,multipliciter.

¶ Et primò contra illam particulam in conclusione positam coniuncta corpori. Nulla forma impeditur,sua nobiliſſima operatione propter vnionem eius ad propriam materiam : sed intelligere substantiarum ſeparatarum quidditates est nobiliſſima operatio animæ humanæ,vt patet primo & decimo Ethic. Corpus autem humanum est eius propria materia,ergo anima humana propter vnionem ad corpus non impeditur à speculatione substantiarum immaterialium.

¶ Præterea ad idẽ, Anima humana aut nata est intelligere substãtias separatas per suam substantiã, aut per speciẽ influxã , aut per speciem causatã ex phantasmate. Si per suã substãtiam , cùm substantia eius per vnionẽ ad corpus non impediatur, poterit eas intelligere : si per speciem à phantasmate sumptam,vnio ad corpus iuuabit:si per speciem influxam,quæritur quomodo vnio ad corpus impedit,aut nõ ꝓmittit talẽ influxũ fieri:hoc enim nõ videtur rationabile aliquo modo esse, quia generatio vnius speciei nõ impeditur à corpore,nisi corp⁹ habeat cõtrariã dispositionẽ dispositioni requisitæ ad eius generationẽ. Verbi gratia, ꝙ color exigit diaphaneitatẽ in aere,ad hoc vt recipiatur in eo, nullũ corpus impediet generationẽ speciei coloris,nisi habeat opacitatẽ quæ contraria est diaphaneitati,modò corpus humanum nullã habeat dispositionem cõtrariam dispositioni, quam exigit receptio speciei intelligibilis influẽdæ,vt patet:ergo.Et cõfirmatur ratio sic,Bonũ simpliciter alicuius naturæ nõ impeditur ꝓpter bonũ simpliciter eiusdẽ naturæ. Quod enim impedit bonũ simpliciter alicuius naturæ,est illi malum simpliciter:sed intelligere substantiarũ immaterialium quidditates est bonũ simpliciter animæ humanæ : ergo non impeditur per vnionẽ ad corpus , cùm hoc sit ei etiã bonum simpli

Universidad de Deusto
Biblioteca

simpliciter. Tertiò arguitur contra conclusionem ipsam ex dictis S.Thom.sic, Isti dicunt,quòd cognoscimus esse intelligentiarum non quidditates,aut esse est idem quòd quidditas aut diuersum.Si diuersum , ergo vtrunque sub nostra cadit cognitione, quicunq; enim cognoscit diuersitatem aliquorũ, cognoscit extrema illius diuersitatis,vt dicitur secundo de Anima,text.Com.146.Si idem, ergo cognito vno cognoscitur & reliquum.

¶ Si dicatur q cognoscimus illas quidditates, sed non perfectè,cõtra . Primò quia hoc repugnat duobus dictis Thomistarũ, quorũ primũ est,q nos nõ intelligimus quidditates substantiarum separatarũ.Secundũ est,q cognoscimus esse illarũ nõ quidditates. Ex primo arguit sic,Homo nõ intelligit quidditates separatas: ergo nullo modo intelligit eas. Tenet consequẽtia per locum à toto in modo ad suam partẽ negatuẽ. Ex secundo dicto arguit sic,Ea cognitio negatur de quidditate,quæ affirmatur de esse,sed esse non cognoscitur à nobis,nisi imperfectè:ergo cognitionem etiam imperfectã negare intẽdunt de quidditatibus. Si enim vtrumq; imperfecte cognoscimus, quare magis alterũ negatur cognosci,aut alterũ affirmatur? Secũdò probatur,q responsio in se sit falsa sic, Si imperfecte cognoscimus quidditates illas , aut hoc est,quia ne scimus eas ita perfecte sicut à seipsis cognoscũtur: & hoc nõ:quia hoc est ridiculum vertere in dubiũ , aut quia nescimus eas perfectione debita nobis secundum nostram naturã: & hoc est voluntarium : nulla enim ratione hoc conuinci potest, vnio namq; ad corpus hoc impedire non potest,vt probatum est. Hæc de sexto.

QVO ad se primum pro responsione ad hęc argumẽta prędo tandũ est,q secũdũ doctrinã S.Th.prima parte,q.88. & 89. inter cognitionẽ animæ cõiũctę & separatæ hoc interest, q cõiũcta si cut habet modũ essẽdi,cõcernẽdo corp⁹,ita habet modũ intelligẽdi cõuertẽdo se ad phãtasmata:ita q ex cõformitate modi operã di ad modũ essendi,sit vt anima cõiũcta sit cõuersa ad phãtasmata secũdũ intellectũ possibilẽ, vt passiuũ ad actiuum:adeo vt nõ nisi ab illis cũ intellectu agente recipere possit species.Separata autẽ à corpore,sicut habet aliũ modũ essendi absque corporis informatione,ita habet & aliũm modũ intelligẽdi , vt etiã ex cõformitate modi operãdi ad modũ essendi fiat,vt anima separata cõuertatur secundũ intellectũ ad superiora vt actiua, vt ab eis influxũ specierũ recipiat, vtpote in modo essendi similis illis reddita, & corpore relicto liberior quodãmõ facta ampli⁹ phãtasmatib⁹ nõ alligata.

¶ Ex hoc aũt oritur alia differẽtia, q s.anima cõiũcta nõ põt substãtias immateriales cognoscere,nisi per species à sensibilib⁹ acceptas. Alligatus est eñ eius intellectus phãtasmatib⁹.Separata verò põt illas p̃species ꝓprias cognoscere,cũ cõuersa iã sit ad supiora.

¶ Nascitur quoq; ex his tertia differẽtia apud subtiliter speculantes animã esse partẽ speciei & vniri corpori ꝓpter melius, quia, s. cognitio,quã habet anima per species acquisitas est cognitio distincta,& quidditatiua ptingens vsq; ad vltimas rerũ differentias. Cognitio aũt,q̃ separata ex speciebus influxis sortitur,cõfusa est & in cõmuni res notificat. Cũ enim anima naturaliter sit ps hominis,naturalẽ modũ intelligẽdi ex propria natura sibi vendicat per species acceptas à phãtasmatib⁹ intelligere , & nõ per species influxas:hic enim modus intelligẽdi naturalis est in intelligentiis ex sua natura,& ideo sicut intelligẽtiæ perfectã rerũ notitiam per species influxas habẽt:sic anima per species acquisitas de sensibilibus notitiã habere potest perfectã , species eñ influxæ facultatem naturalem intellectus eius excedunt.Est hic modus superiori ordini connaturalis,& proprius, & animæ non conuenit nisi per quãdã defectiuã participationẽ. Cùm sit præterea talis inter substãtias intellectuales ordo,q quò proximiores sunt primæ omnia p solã suã substãtiã intelligẽdo penetrãti, eo p vniuersaliores species rerũ notitiã perfectã naturaliter capiunt: vltima inter eas anima, s.intellectiua ex natura sua, adò dearticulatas exigit species, vt singularum quidditatũ singulas oporteat habere similitudines, propter quod corpori vnitur,vt eas inde accipiat: & ideo vis eius intellectiua , cùm per species superiores quales sunt influxæ intelligere tentat,opprimitur quodãmodo, & confusam tantũ notitiam habet, sicut discipulus vniuersales cõceptus præceptoris apprehẽdere nõ valẽs absq; distincta cognitiõe remanet.Huius aũt signũ est,q inter homines,qui sunt perspicacis ingenij,statim ꝓpositis principiis ad cõclusiões sese cõferũt, & ex eiusdẽ principiis multas cõclusiones speciales deducũt. Hebetis aũt ingenij nõ nisi principiis applicatis à ꝓceptore ad singulas cõclusiones & in forma syllogistica, & cũ exẽplis materialib⁹ distincta pcipiũt veritatẽ.

¶ Ex his iam potes intelligere , quòd anima nec cõiuncta nec separata quidditatiuã cognitionẽ substãtiarũ immaterialiũ habere naturaliter potest:& quòd plus est,habes ex his,q anima separata per species influxas nec bouẽ, nec leonẽ quidditatiuè cognoscit,sed omnia præter sui ipsius naturam in communi nouit. Vbicunq; autẽ alibi inuenies à S.Th.dici , q anima separata quidditates substantiarum immaterialiũ nouit , &c. recolito ab ipso vocari cognitionem quidditatiuam cognitionem eam, quam habet de illis anima separata per proprias species,quã habere nõ potest.

Ad rationem igitur primam dicendũ est quod licet intelligere substãtias immateriales sit nobilissima operatio animæ intellectiuę,intelligere tamẽ eas quidditatiue est operatio sibi impossibilis: nec Ari.in 1.aut 10.Ethi.dixit oppositũ.imo quæstio mota ab ipso in 3.de Anima text.cõ.36.nusquam soluta reperitur. Posuit enim fœlicitatem humanam in cõtemplatione substantiarum separatarum nobis possibllis,quæcunque sit illa. Similiter dicitur ad secũdam,quòd vnio animæ ad corpus nõ impedit cognitionem quidditatiuam substantiarum immaterialium:quandoquidem illa animæ secundũ omnem naturæ ſtatum est impossibilis. Quòd si hæ duę rationes formentur ad concludendum animam posse habere talem notitiam substantiarũ immaterialiũ, qualem per earum species separata habet.Respõdeatur ad primũ negãdo, q intelligere substãtias immateriales tali modo sit nobilissima simpliciter operatio animæ:licet sit nobilissima secũdũ quid:maiorem enim perfectionem simpliciter ponit in anima intelligere substantias sensibiles distincte, & quidditatiue:& substãtias immateriales per effectus sensibiles & communia,q̃ intelligere eas in cõfuso:licet sit secundũ quid nobilior illa cõfusa intellectio ex hoc q est p earum species & immaterialiori modo. Vnde dico q nõ inconuenit animã nostrã impediri ab operatione nobilissima secũdũ quid propter pfectionẽ sibi nobilissimã simpliciter acquirendã ex vnione ad ꝓpriã materiã:vnde non sequitur vnionẽ esse præternaturalẽ, sed naturalissimam, vt pote propter perfectionem suam simpliciter:& præsertim quia cognitio illa,quam habet , separata est sibi quasi præternaturalis, sicut & modus essendi, quem habet,&c.

¶ Ad secundam dicatur , q impeditur anima ex vnione ad corpus,ad receptionem talis influxus ex hoc quòd modum essendi in corpore sequitur modus operandi non nisi per conuersionem ad phantasmata : naturalis enim conuersio animæ ad phantasmata est impeditiua conuersionis ad superiora. probatio autem contra hoc nihil facit,contingit enim alio modo impedimentum dari:vt iam patet.Ad confirmationem dicitur,quòd minor est falsa.Intelligere enim substantias immateriales tali modo est bonum animæ secundum quid, & non simpliciter:vnio verò ad corpus cum sequentibus ipsam,est bonum eius simpliciter.

¶ Ad tertiũ dicitur , q siue esse & essentia distinguantur , siue sint idem,non variatur propositum:in Deo enim sunt idem, & in aliis intelligentiis distinguuntur, & tamen eandem de vtrisque proferimus sententiam,dicentes quòd cognoscimus esse, non quidditatem.Responsio ergo ibi data vera est:quia dicitur, q cognoscimus quidditatẽ imptecte. Nec hoc repugnat dictis Thomistarũ. Non q̃dẽ primo quia illud debet intelligi de cognitione quidditatiua, & nõ de quacunque cognitione, vnde non valet , ergo nullo modo cognoscim⁹:sed,ergo nullo modo cognoscim⁹ qdditatiue.

¶ Secundo autẽ dicto nullatenus aduersatur. Cum enim dicimus, q cognoscimus esse & non quidditatem, assueti Peripatheticis sermonibus,intendimus, q scimus de illis terminare , quæstione an est,quæ de esse quærit:& q nescimus de eis terminare quæstionẽ quid est,quæ quidditatem scrutatur:& si secundũ aliquod prædicatum quidditatiuum terminare illam nouerimus,notitiam illam (quia & nõ quidditatiuam vocamus)sequentes Arist.vestigia,qui notitiam rei per comunia, notitiam quia in posteriotibus Analyticis appellat. Et propter hoc ea notitia proportionaliter negatur de quidditate à Thomistis in proposito,quæ affirmatur de esse:quia notitia de propria quæstione quidditatis non haberi dicitur,notitia verò de propria quæstione ipsius esse non caremus.

¶ Ad vltimũ,quo probatur,q responsio sit falsa in se:dico q ideo dicitur intellectus noster imperfecte substãtias immateriales cognoscere:qa nõ quidditatiue potest eas apprehẽdere,& magis imperfecte in hac vita:qa per species aliorũ. Et licet primo modo eas cognoscere sibiipsi tantum conueniat,& ridiculum esset dubitare an id,qđ conuenit solis intelligentiis, conueniat aliis:necessarium tñ est dubitare,an cognoscere eas qdditatiue sibi solis,an etiã aiæ nostræ cõueniat,q secũdo modo eas cognoscere sit nobis in hac vita impossibile,nõ volũtarie,sed ratione cogente dicitur.Corpus eñ vnitũ animæ animã ad sensibilia cõuertit:vt declaratũ est &c.

Hoc tamẽ sciendum , quòd non eodem modo sumitur genus & differentia in illis substantiis & in substãtiis sensibilibus. Quia in sensibilibus genus sumitur ab eo,quod est materiale in re:differentia verò ab eo quod est formale in ipsa. Vnde dicit Auic. in principio libri sui de Anima,quòd forma in rebus compositis ex materia & forma est differentia simplex eius,quod constituitur ex illa: non autem ita, quòd ipsa forma sit differentia,sed quia est principium differentiæ, vt idem dicit in sua Metaphysi. & dicitur talis differentia esse differentia simplex, quia sumitur ab eo , quod est pars quidditatis rei, scilicet à forma. cùm autem substantiæ spirituales sint simplicices quidditates : non potest in eis differentia sumi ab eo , quod est pars quidditatis , sed à tota quidditate:

& id

& ideo in principio de anima dicit Auic.quòd differentiam simplicem non habent , nisi species , quarum essentiæ sunt compositæ ex materia & forma. Similiter etiam in eis ex tota essentia sumitur genus,modo tamen differenti : vna enim substantia separata conuenit cum alia in immaterialitate. Differunt autem abinuicem in grada perfectionis secundum recessum à potentialitate & accessum ad actum purum.Et ideo ab eo,quod sequitur illas,inquantum sunt immateriales,sumitur in eis genus,sicut intellectualitas, vel aliquid huiusmodi:ab eo autem, quod sequitur in eis gradum perfectionis,sumitur in eis differentia,nobis tamen ignota.

¶ Ponitur hic secundum notatum,quo vnde sumatur differentia, & vnde genus in substantiis immaterialibus , declarat opposita comparatione ad substantias sensibiles.

¶ Ad cuius euidentiam scito,quòd in rebus compositis ex materia & forma quatuor intelligũtur, scilicet materia:quæ est altera pars cõpositi specifici, forma reliqua pars , tota quidditas vt habet rationem perfectibilis vlteriori perfectione formali,& ipsamet tota quidditas, vt habet vltimã perfectionem formalem. verbi gratia, in homine potes considerare materiam, in qua sua forma recipitur,& formam in illa receptam.Aduertes etiam ipsum hominem, inquantum est substantia:est enim homo substãtia,& vt substantia habet rationem perfectibilis , per corporeũ,per rationale,&c. Aduertas etiam hominem, inquantum est rationalis natura,quæ est vltima eius perfectio formalis.Hæc aũt quatuor ita se habent ad genus & differentiam,q & materia,q̃ est pars,& ipsum totum, & perfectibile fundant genus,diuersimodè tamen.Forma verò,q̃ est pars & ipsum totum, vt posteriori perfectione formali perfectum,fundant differẽtiam diuersimodè etiam. Cum enim genus potestæ contineat differẽtias,incompletéque ac in potentia rei naturam explicet , totúmq; secundũ id quo adhuc perfici põt importet, radix autẽ potentialitatis in rebus sensibilibus sit: materia meritò à toto secundũ q possibile est formaliter perfici, & à materia ipsa sumi dicitur.Similiter cum dicere sit diuidere,terminare, & actuare genus,totúmq; secundũ posteriorem perfectionem & actualitatẽ explicare,radix autẽ actualitatis & perfectionis sit formæ:meritò à toto secundũ q perfectũ est, & à forma differentia sumitur.Diuersimodè verò fundãt genus & differẽtiã partes ipsæ rei,materia.s. & forma, & quidditas tota vt perfectibilis & perfecta.Sumitur enim genus à tota essentia, vt habet rationẽ perfectibilis,tanquã à re formaliter significata,seu denominata ab ipso: à materia verò tãquã à radice sui formalis significati. Similiter differẽtia sumitur à tota essentia,secundũ vlteriorẽ perfectionẽ tanquam à re formaliter significata,seu denominata ab ipsa:à forma aũt, vt à radice sui formalis significati:nõ enim materia,q̃ est pars hominis,denominatur eius genus:neq; forma differẽtia , sed ipse homo vt substãtia , vt animal generis denominationem sortitur, vt corporeus,vt rationalis differentię denominationem habet.Et propterea quia genus & differentiam radicaliter fundant materia & forma:ideo ab Aris.7.Met.t.com.33.dicitur, q sicut se habet tota ratio ad totã rẽ:sic pars rationis ad partẽ rei:& 8.Met.tex.cõ.9. inuenies genus sumi à materia, & differentiã à forma.Prętera & Com.secundo cæli com.49.ait, q si corpora cælestia conueniunt in genere,& differũt in specie,sunt cõposita ex materia & forma. Inuenies quoque,quia genus & differentia à tota essentia sumuntur,vt à re significata nomine primæ intentionis , & denominata nomine secundæ intentionis,& non à parte:illustres viros dicere quãdoque quòd genus non sumitur à materia:& differẽtia nõ sumitur à forma:quorũ cũ intuitus fueris rationes , supradictis non aduersari videbis.Quæ cùm ita sint,in substantiis materialibus ad substãtias immateriales ascendẽdo,genus sumi nõ dicimus à materia,nec differentiã à forma,quia carẽt his partibus:vnde restat, vt à tota essentia tã genus, quã differẽtia nõ solùm formaliter,sed etiã radicaliter in eis sumatur. Propterea & Auic. vt in litera dicitur,assignat diuersitatẽ inter differentiã substãtiarum compositarum & simplicium,dicẽs quòd differẽtia in speciebus cõpositis ex materia & forma est simplex. Differẽtia verò rerũ non cõpositarum non:& vocat differentiã simplicem eã , quæ non à toto radicaliter,sed à parte eius exit, q̃ simplex est. Sumuntur ergò ex tota essentia in substãtiis immaterialibus genus & differentia, sed differenter : quia genus sumitur ex tota essentia secũdum id quo essentialiter vna alteri assimilatur: cõueniunt enim intelligentiæ in aliquo prædicato quidditatiuo. Differẽtia vero sumitur à tota essentia sẽm id,quo vna differt substãtialiter ab aliis:& hic est certus formalis perfectionis gradus indiuisibilis formaliter,quãto aliqua intelligẽtia proximiori purissimo actui Deo glorioso sortita fuerit,tãto perfectior erit:ꝓ hoc eñ differũt inter se, q vna altera propinquior est actui puro,& plus à potẽtialitatis natura recedit.

AD MAIOREM Horum intelligentiam altius exordiendum est.Sciendum est nanque, quòd aliud est loqui de genere & differẽtia simpliciter,& secundum ea,quæ sibi accidunt, & per se conueniunt:aliud est loqui de eis, secũdũ quod ad tales naturas applicãtur.Si enim loquimur de eis secũdũ se:sic ad vtriusque,generis scilicet & differentiæ rationẽ exigitur,& sufficit q differentia quidem explicet certum & limitatum gradum entis nõ extraneæ naturæ à natura generis, cuius est diuisiua formaliter:genus verò explicet certam naturam determinabilem formaliter. Et primum quidem horum quæ de differentia dicimus,sequitur ex eo q differentia aduenies generi constituit speciem, & ponit ipsam in determinato gradu entis,illo.s.quẽ explicat.vnde 8.Met.cõ.10. species numeri assimilãtur : eo q sicut numeros subtracta aut addita vnitas variat,sic differẽtia addita vel subtracta entibus ipsa diuersificat. Secundum autem sequitur ex eo q differẽtia diuersificare genus debet:ita vt non solũ ipsa species sit altera ab altera specie, sed natura generis in hac specie sit diuersa à natura generis in alia specie.vt 10.Met.tex.com.24.habetur. Vnde in 11.de animalibus ait Arist.quòd si debeat diuidi figura,differẽtię eius non erũt habere angulos æquales duobus rectis:& habere angulos æquales multis rectis:quia hæc accidẽtia sunt figuræ.Genus autem certam naturam significare oportet,vt transcendentia excludantur. Determinabilem verò formaliter vt specialissima segregentur.

¶ Si autẽ loquamur de genere,& differẽtia,vt applicantur ad substantiales materiales:sic genus nõ solũ explicat tẽ , & determinabilẽ formaliter,sed etiam radicabiliter sumitur à materia:& differẽtia similiter nõ solum significat determinationem & actuationẽ generis,sed sumitur radicaliter à forma:sed hæc accidit generi & differẽtiæ ex eo q essentia,cuius sunt, est cõposita & realiter integrata ex duobus principiis , materia. s. determinabili, & forma determinãte. Per se enim cõuenit animali,q significat naturã sensitiuam determinabilẽ formaliter per rationale. Sed quia natura sensitiua habet , q sit determinabilis p rationale ex hoc,q habet materiã:ideo accidit huic generi,q est animal,inquãtũ est genus q sumatur à materia:vnde si natura sensitiua esset determinabilis per rõnale,& nõ ratione materiæ,nõ minus animal esset genus.Similiter rõnale per se habet q significet ratiocinatiuã perfectionẽ essentialiter determinatiuã naturæ sensitiuæ.Sed quia gradus intellectiuus habet q determinet sensitiuã ex eo q ãa intellectiua est forma corporis:ideo accidit huic differentię.s.rationale, inquantum est differẽtia, q sumatur à forma. Nõ minus enim rationale esset differẽtia si perfectior ratiocinatiua determinaret sensitiua absq; eo q informaret anima corpus.Propter hoc cõmuniter quòd dicitur sumitur genus ab eo,q est materiale poti⁹ quã à materia:& differẽtia sumitur ab eo quòd est formale,potius quã à forma.Illud cõuenit eis p se:hoc aũt per accidens.Cũ aũt substantiarũ immaterialiũ simplex essentia sit determinata, & diffinita ad certum perfectionis gradũ , cũ infinitæ entitatis nõ sit:cõsequens est vt in ea sit vnde genus & differentia sumi queant.Ex hoc enim, quod natura limitata est, ex ipsa determinatione sumitur differẽtia.Ex natura aũt cõmuni, q̃ determinari intelligitur, sumetur genus.Ex eo verò,quòd simplex ex seipsa terminatur,ita q nõ habet duas partes reales,quarum altera terminetur,& altera terminet:sicut substantiæ sensibiles habent materiam & formam.

¶ Et sic in acceptione generis & differẽtiæ in substantiis materialibus saluatur id quod est p se.s.quòd genus significet certã naturã formaliter determinabilem. Et differentia explicat determinatã perfectionem substantialem formaliter constitutiuam illius in certo gradu entis, licet non saluetur id quod est per accidens, scilicet quòd genus sumatur à materia:differentia verò à forma.

A D Profundiorem huius rei perscrutationem notandæ sunt tres propositiones.Prima est q omne indiuiduum distinctũ realiter à suo esse, habet plura prædicata quidditatiua:quorum successu magis ac magis appropinquat ad suum esse. Secũda propositio est ista , Inter p̃dicata quidditatiua supradicta talis est ordo,quòd tãtò vnumquodq; est actualius quãto appropinquat ad esse:& tãto est potentialius,quantò remotius est ab esse.Declarãtur primò exemplariter, deinde ratione propositiones istæ. Socrates distinctus realiter à suo esse existentiæ habet plura prædicata quidditatiua.s.substantiã,corpus viuum,animal, homo, & certũ est,quod Socrates inquantum substãtia,valde elongatur à sua existẽtia:exigitur enim ad hoc,quòd Socrates sit non solum quòd sit substantia,sed etiam quòd sit corpus.Cum autem acceperis Socratem inquantum corpus,viciniorapparebit ad existentiam habendam,licet adhuc satis elongetur ab illa.exigitur enim ad hoc,q Socrates sit,nõ solùm q sit substantia corporea,sed etiã quòd sit viuens.Et cũ cõsideraueris Socratẽ vt viuũ,videbis magis appropinquare ad esse,tñ adhuc remotũ:exigitur enim ad hoc, quòd Socrates sit,nõ solùm q sit substantia animata,sed & quòd sit animal.Et cum inspexeris ipsum,inquãtum animal, proximiorẽ ad essendum inuenies, adhuc tñ remotũ ex eo, quòd exigitur ad hoc,q Socrates sit, nõ solũ q sit substantia animata sensibilis,sed etiã rationalis(nihil enim põt in rerum natura sub aliquo genere contineri,qđ nõ sub aliqua specie cõtineatur, cum autẽ considerat⁹ fuerit vt substan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia animata sensibilis rationalis, tunc iam esse actualis existentiæ suscipere potest: nihil enim aliud formale intrinsecum exigitur ad hoc, quòd sit, licet requirantur causæ extrinsecæ & proprietas individualis: vt conditio existentis. Patent autem adducta prædicata ita se habere, quòd semper id quod propinquius se habet ad existentiam, comparatum ad remotius se habet vt actuale ad potentiale: sicut homo ad animal, animal ad viuum, viuum ad corpus, corpus ad substantiam. Et ex consequenti id, quod proximius est ipsi esse est actualius: illud verò quod remotius est ab esse est potentialius. & sic patet vtraque propositio exemplariter.

¶ Ratione autem probo. cum enim esse sit actualissimũ omnium, quæ sunt in re tantæ actualitatis vt non nisi completæ essentiæ actus proprius sit, ad hoc quòd essentiæ eius receptiuũ fiat: oportet intrinsecè completam & determinatam esse, sicut ad hoc quòd aër recipiat lumen oportet prius, quòd perficiatur à diaphaneitate terminatur autẽ, perficitur, & completur substantia his prædicatis quidditatiuis: & ideo quantò prædicatum quidditatiuum erit magis essentiæ determinatiuum, & magis appropriabit ipsam ad hoc, quòd sit receptiuũ ,,prium ipsius esse. Et per oppositũ quantò prædicatum quidditatiuum est minus determinatiuum essentiæ: tantò minus eam appropriat ad hoc, quòd capax sit ipsius existentiæ & quia vnumquodque quantò est propinquius actualissimo, tanto est actualius, & quantò remotius ab illo, tãto est potentialius. Idcirco inter prædicata quidditatiua talis est ordo, quòd propinquius ipsi esse est actualius: remotius verò potentialius.

HIS Duabus propositionibus, postquam tertiam addideris, scilicet quòd genus sumitur ab eo, quod est vt potẽtiale. Differentia verò ab eo, quòd est vt actuale: cõficietur regula generalissima, q genus & differentia in omnibus sumuntur à tota essentia rei secundum elongationẽ & propinquitatem ad ipsum esse existentię. Differentia enim vltima cum sit constitutiua ſpeciei, & proprium illi inter entia gradum donet: vltimum complementum ipsius essentiæ est, ad hoc quòd sit. Vitra eã enim (vt iam dictum est) indiuiduum nullum aliud complementum intrinsecum expectat, vt sic. Genus quoque generalissimum cùm essentiam maximè determinabiliter expiicet, ab eo sumitur, quo essentia ipsa ab existentia magis est elongata: vtpote determinabilis & perfectibilis omnibus differentiis ad hoc, vt esse suscipere possit. Genera verò & differentiæ intermediæ ab intermediis sumuntur (& propter hoc dicitur quòd diffinitio explicat diffinitũ à prima potẽtia vsq; ad vltimum actũ) includit siquidẽ primum genus, quod sumitur ab eo quo primo essentia ipsa põt habere esse: & omnes differentias, quibus paulatim essentia determinatur & actuatur vsque ad vltimam differentiã, quæ est actus vltimò determinãs & perficiens ipsam, vt esse habeat, propterea & Porphyrius ait q secũdũ interius perscrutantes. differentia est, quæ concludit ad esse. Nec propter hoc quod diximus, intendimus, quòd genus & differẽtia sumantur ab esse actualis existẽtiæ, scimus eñ diffinitiones abstrahere ab esse: sed intendimus, quòd genus & differentia sumuntur (vt verbis S. Tho. vtamur) ab ordine ab esse actualis existentiæ. Ab ordine autẽ dicimus non relatione ordinis, sed fundamento eius ab eo, scilicet quo essentia appropinquat vt receptiuum ad ipsum esse, & ab eo quo essentia elongatur ab ipso. Et secundũ hæc habes vnde in intelligentiis, substantiis materialibus, & accidentibus sumantur genus & differẽtia, vt facile est cuilibet exercitato deducere in singulis. Et propter hoc solus Deus caret genere & differentia: quidditas enim sua cum sit sua existentia actualis, non põt concipi vt elongata ab existentia, vel propinqua illi. Vnde sufficientissimam causam S. Tho. in principio huius capituli assignauit: quare Deus non sit in genere, & intelligentiæ sint in prædicamento: quia ille est suum esse, istarum autem essentia distinguitur ab esse proprio.

Nec oportet has differentias esse accidentales: quia sunt secundum maiorem & minorem perfectionẽ, quæ non diuersificat speciem. Gradus enim perfectionis in recipiẽdo eandem formam, non diuersificat speciem, sicut albius, & minus album in participando eiusdẽ speciei albedinem, sed diuersis gradibus perfectionis, in ipsis formis vel naturis participatis, diuersificat speciem, sicut natura procedit per gradus de plantis ad animalia, per quædam, quæ sunt media inter animalia & plantas, secundum Philosophum, in lib. de Animalibus.

¶ Hic excluditur prima obiectio, dictũ est eñ, q differẽtiæ in intelligẽtiis sumũtur à diuersis pfectiõis gradib⁹, in quibus vna altera ,,pinquior est actui primo. Cõtra hoc instat sic, Quæcunque differũt secũdũ actũ perfectũ, & minus perfectũ, differũt solũ accidentalibus differentiis: intelligẽtiæ differũt non nisi secũdũ magis & minus perfectũ, ergo differũt solũ accidentalibus differentiis. Processus bonus: conclusio verò est falsa: ergo altera præmissarũ: nõ maior, vt ,,bbitur: ergo minor, q̃ est positio supradicta. Probatio Maioris est: q a magis & min⁹ nõ variant speciẽ: albedo eñ pfecta & minus pfecta vnius speciei sunt, quæcunq; autẽ sunt eiusdẽ speciei accidẽtalib⁹ solũ differẽtiis distinguũtur, cũ in omnib⁹ essentialibus cõueniãt. Hãc obiectionẽ excludit hac pulchra distinctione, Perfectius & minus pfectũ possunt attẽdi vel penes modũ habendi aliq̃ formã vnã simpliciter, vel penes ipsas formas habitas magis & minus: primo modo nõ variãt speciẽ, sed secũdo modo: quæcunque enim ita se habent q secundũ diuersos gradus perfectionis atomã suscipiũt formã, solo numero vt sic diltinguũtur, vt paret de albo, vt 4. de aldo. & 6. Ea verò quæ diuersos gradus perfectiõis nõ eiusdẽ formæ, sed pluriũ formarũ suscipiũt, essẽtialiter seu specifice distingui necesse est, vt patet de homine & boue. Vñ patet respõsio ad obiectiões, q primo modo Minor est falsa, secũdo mõ Maior. Cuius ,,batio ideo videtur sine additiõe vulgata, quia comparatio denotata per ly magis & minus non fit ,,priè, nisi in anatoma specie, vt dicitur septimo Phy. in com. 27.

Nec iterum est necessarium, vt diuisio intellectualium substantiarum sit semper per differẽtias veras, quia hoc est impossibile in omnibus rebus accidere, vt Philosophus dicit in vndecimo de Animalibus.

¶ Hic excluditur secunda obiectio. Obiicitur enim contra idem dictum sic, Vbicunque sunt verum genus & veræ species, ibi debet esse artificialis diuisio illius generis per duas veras differẽtias: sed in intelligentiis inuenitur verũ genus & veræ species: ergo ibi debet esse diuisio per duas differentias veras. Cõclusio est contra diuisionẽ suprà ,,ssignatã, qua dictũ est, Genus intelligentiarũ descendit ad suas species per magis perfectũ & minus perfectũ, quæ nõ sunt veræ differẽtiæ. Maior verò ,,batur ex eo, q vbi verũ genus cũ veris speciebus inuenitur, oportet esse diuisuas ipsius generis & specierũ cõstitutiuas differentias: ex eo autẽ q diuisio est secundum artẽ debet esse bimẽbris, vt Boetius testatur. Hãc obiectionẽ excludit S. Thomas, dicẽs, Maiorẽ esse vniuersaliter imposſibilem secundum Aristot. sententiam in 2. libro de Animalibus.

AD Cuius euidentiam notandum, q cùm veræ differentiæ appellentur differentiæ positiuæ nõ extraneæ cõtrariæ inter se conuertibiles cum his quorũ sunt differentiæ: vt ibi dicit Arist. cap. 3. Genus illud, qđ plures duabus ſpeciebus continet immediatè non potest diuidi duabus veris differẽtiis, sed si veris differentiis diuidendum erit, potestatem eius euacuantibus, oportet q diuidatur pluribus duabus: & sic diuisio nõ erit bimẽbris. si enim diuisione bimẽbri partiendum erit, oportet alteram differentiam esse nõ veram: erit enim cum priuatiõe accepta alterius. Sicut si animal immediate contineat hominẽ, Bouem & Leonẽ, oportet tribus veris differentiis diuidi, vel altera vera, puta rationali: altera non vera, sed priuatiua communi reliquis duabus, puta irrationali. Quia igitur inueniũtur aliquæ res in mũdo plures duabus, cõtrariæ immediatè sub aliquo cõmuni formaliter diuisibilibus ideo dicitur, q impossibile est vniuersaliter, q omnis diuisio fiat per duas differentias veras: & hoc in ,,posito nostro accidit. Cũ eñ intelligẽtiæ careãt genere subalterno, vt S. Tho. in tractatu de Natura generis. c. 5. testatur, eo q perfectio earum ex pluribus coniũctionibus differentiarũ non consurgit, sicut perfectio ſpecierum in istis inferioribus, quibus non sufficit genus cõmune & differentia, omnes immediatè sub vno genere continebuntur: & sic genus earum, si veris differentiis ad illas descendere debet, oportet multimembrem fieri diuisionem nobis ignotã: quod si bipartita diuisione contrahendũ erit, alterã simpliciter necesse est esse nõ verã: quia priuatiuam, alteram propter debilitatem intellectus nostri ad nullam propriam earum differentiã descendere potentis, necesse quoque est esse non veram. Tales autem fuerunt differentiæ in litera assignatæ: scilicet magis perfectum & minus perfectum.

¶ Ex his iam patet respõsio ad obiectionem, declarata impossibilitate Maioris vniuersaliter. Boetij vero dictum non obstat: quãuis enim dicat diuisionem omnem ad bimembrum reduci, non tamen dicit, quòd omnis bimembris fiat per differentias veras inferiorum per illam diuisionem accipiendorum.

Tertio modo inuenitur in substantiis compositis ex materia & forma, in quibus & esse est receptum & finitum, propter quod & ab alio esse habent, & iterum natura vel quidditas earum recepta est in materia ſignata, & ideo sunt finitæ & superius & inferius: & in eis tam propter diuisionem materiæ ſignatæ possibilis est multiplicatio indiuiduorum in vna ſpecie: & in his substantiis, qualiter se habeat essentia ad intentiones logicas, supra dictum est.

In hac quarta & vltima parte huius capituli quatuor colligit de essentiis substantiarum compositarum. Primum est, quòd esse earum est limitatum: quia habet illud ab alio, vtpote distinctum realiter à se: & per hoc primò distinguitur à primo ente cuius esse est infinitum, & idem realiter suæ quidditati.

¶ Secundum est q essentia earum est recepta in materia ſignata: sunt enim in hoc vel in illo, ad hic & nunc determinatæ: sicut formale suum materiale.

¶ Tertiũ, quòd ex istis duobus corollariè sequitur, est quòd sunt finitæ superius & inferius. Superius quidem, quia habent esse limitatum, & essentia earum per ipsum esse, quod vt superius respicit, terminatur. Inferius verò, quia recipiuntur earum formæ in materia, & ipsæ ad hoc & illud terminantur, quæ respiciunt vt inferius: per hoc quòd in his & illis conditionibus materialibus recipiuntur tanquam in parte materiali.

¶ Quartum est, quòd essentia earum est multiplicabilis numeraliter in eadem ſpecie propter materiæ ſignatæ diuisionẽ. Et per hęc tria differunt ab intelligentiis in secundo ordine positis, quæ immunes à materia infinitæque inferiusparem sibi non compatiuntur. Et sic terminatur tractatus secundus huius libri.

CAPVT VII.

Quod accidentia habeant essentiam incompletam ostendit. Varia item accidentia distinguit & quomodo in ipsis sumatur genus & differentia exponit.

lib. 1. in fi. NVNC Autem restat videre, qualiter essentia sit in accidentibus: quomodo autem sit in omnibus substantijs, dictum est. Et, quia, vt dictum est, essentia per diffinitionem *significatur, oportet quòd eo modo habeant essentiam, quo habent diffinitionem. Diffinitionem autẽ habent incompletam, quia non possunt diffiniri, nisi ponatur subiectum in eorum diffinitione: & hoc ideo est, quia non habent in se esse absolutum per se à subiecto, sed sicut ex forma & materia relinquitur esse substantiale, quãdo cõponitur: ita ex accidente & subiecto relinquitur esse accidẽtale, quãdo accidens subiecto aduenit. Et ideo etiam nec forma substantialis cõpletam essentiã habet, nec materia: quia in diffinitione formæ substãtialis oportet quòd ponatur illud cuius est forma: & ita diffinitio eius est per additionẽ alicuius, quod extra eius genus est: sicut & diffinitio formæ accidentalis, vt etiã in definitione animæ ponitur corpus à naturali, qui considerat animã solũ, inquantũ est forma Physici corporis. Sed tamen inter formas substãtiales tãtum interest: quia sicut forma substãtialis non habet per se esse absolutũ sine eo, cui aduenit: ita nec illud, cui aduenit, scilicet materia: & ideo ex ea cõũctione vtriusque relinquitur illud esse, in quo res per se subsistit & ex eis efficitur vnũ per se, propter quod ex coniũctione eorũ relinquitur essentia quædã. Vnde forma, quãuis in se cõsiderata nõ habeat rationẽ cõpletæ essentiæ, tamẽ est pars essentiæ cõpletæ. Sed illud, cui aduenit accidẽs, est ens in se cõpletũ cõsistẽs in suo esse, qđ quidẽ esse natur aliter præcedit accidẽs, quod superuenit: & ideo accidẽs superueniẽs ex cõiunctione sui cũ eo, cui superuenit, nõ causat illud esse, in quo res subsistit, p quod res subsistẽs intelligi potest esse: sicut primũ potest intelligi sine secũdo, vel prædicatũ sine subiecto. Vnde ex accidẽte & subiecto nõ fit vnũ per se, sed vnũ per accidẽs, & ideo ex eorũ cõiũctione nõ resultat essentia quædã, sicut ex cõiũctione formæ cũ materia, propter q accidẽs neq; rationẽ cõpletæ essentiæ habet neq; pars cõpletæ essentiæ est: sed sicut est ens secundũ quid, ita & essentiã secũdum quid habet.*

¶ In hoc tractatu tertio vnico capitulo cõtento, determinatur de accidentibus, vt nihil sub latitudine entis intactum remaneat. diuiditur autem in tres partes, in quarum prima quid significet essentia in accidentibus declaratur. in secunda verò diuersitas accidentium à substantia & inter se: in tertia autem, quomodo se habeant ad intentiones logicas. Declarat ergo primum tali conclusione, Accidẽtia habent essentiam incompletam. Probatur sic: quęcunque habent diffinitionem incompletam, habent essentiam incompletam: accidentia habent diffinitionem incompletam. ergo. Maior patet ex eo, quòd essentia est id quod per diffinitionem significatur, vt dictum fuit in principio libri. Minoris probatio est: quia quæcunque diffiniuntur necessariò per aliquod, quod est extra eorum essentiam, habent diffinitionem incompletam. diffinitio enim talium non completur per intrinseca, sed eget intrinseco additamento: sed accidentia diffiniuntur necessario per aliquod, quod est extra eorum essentiam: oportet siquidem in eorum diffinitione poni subiectum, vt dicitur septimo Meta. tex. Com. 15. ergo accidentia habent diffinitionem incompletam.

¶ Ad euidenter manifestandam Minorem S. Tho. in litera comparat accidentia formis substantialibus penes conuenientiam & differentiam. inde enim clarè patebit, quomodo accidentia habẽt essentiam incompletam.

¶ Conuenire ait accidẽtia cũ formis substantialibus in tribus. Primò in hoc quòd neutrũ eorũ habet esse absolutũ à subiecto indepẽdẽs à receptiuo, sed sicut ex forma substantiali coniuncta materiæ fluit esse commune vtrique: ita ex coniunctione accidentis, cum subiecto relinquitur esse commune vtrique: ex coniunctione enim albedinis cum niue sit esse, quo & albedo est, & nix est alba.

¶ Secũdò cõueniũt in hoc q neutrũ eorũ habet essentiã cõpletã, quia essentia vtriusq; essentialiter ad aliud refertur, vt recipitur: forma siquidem substantialis essentialiter est entitas perfectiua materiæ: & accidens essentialiter est entitas subiecti qualificatiua.

¶ Tertium autem, in quo conueniunt est, quòd neutrum eorum habet diffinitionem completam propriis terminis, sed per additamentũ, sicut enim diffinitione accidẽtis oportet poni suum subiectum, quod est extra eius genus: ita in diffinitione formę substantialis oportet ponere receptiuũ, materiam. s. quæ est extra eius genus propriũ. nam genus formæ est actus (vt patet secũdo de Anima) materiam autem cum ens diuidatur in actum & potentiã, sub *T.c.6.* potẽtia contineri clarũ est: & cõsequenter esse extra actum, quod est genus formæ, huius signum est quòd fecit Arist. diffiniẽdo animã, dum posuit in eius diffinitione, corpus physicum organicum, quod propria materia est animæ in eo q est corpus physici perfectio. Addidit autẽ hoc, ne mireris, quare in diffinitione animę nõ ponitur materia, cum sit forma substãtialis, sed corpus physicum, non enim ideo est: quia physicus non cõsideratanimã vt formam substantialẽ, sed vt animã, quæ vt sic, corpus physicum præexigit tanquã propriã materiam. Hinc habes, quòd cõsiderare animã in tellectiuã vt sic, secundum suã completã quidditatẽ non est opus physici: vt etiam tradit Arist. in lib. 1. de partibus animalium, c. 1.

¶ Differũt autẽ in quinq;. Primò, quia receptiuũ formę substãtialis nõ habet esse p se sine esse formæ. est enim in hoc conforme suæ formæ: sicut enim forma substãtialis nõ habet esse ,,ter suum receptiuũ: ita nec suũ receptiuũ habet esse præter suã formã: receptiuũ verò accidẽtis habet esse per se præter esse sui accidẽtis. Huius differẽtię rõ est: quia receptiuũ formę substãtialis est ens in pura potẽtia, receptiuũ verò formæ accidẽtalis habet esse in actum.

¶ Secundò verò differunt, quia ex coniunctione formæ substantialis ad suum receptiuum emanat esse illud, quo res ipsa subsistit seu simpliciter est. Ex cõiunctione verò formæ accidẽtali ad subiectum fluit esse: quo res secundum quid est. Et hæc differẽtia oritur ex prima: ex quo enim receptiuum formæ substantialis caret esse per se illo esse, quod ex forma fluit, primò est: & per oppositum, ex quo subiectum accidentis proprio esse gaudet, per additionem accidentis tale esse acquirit, & non esse simpliciter. hoc enim præhabet: & sic secundum hoc primum esse potest inteligi esse sine secundo. potest enim substantia ab accidente separari, vt dicitur septimo Met. tex. com. 4.

¶ Tertiò differũt: quia ex cõpositione formæ substantialis cũ suo subiecto fit vnũ p se. Ex cõpositione autẽ accidẽtis cũ subiecto nõ fit vnũ nisi per accidẽs. Oritur autẽ hæc differẽtia ex secũda: ex quo enim ex forma substantiali esse simpliciter fit quo res per se est, oportet q vnũ simpliciter fiat quo res sit per se vna, ens enim sequitur vnũ. Ex eo verò, q subiectũ & accidẽs duo esse habet, vnũ per se facere non possunt eadẽ ratione: quia. s. vnum sequitur ens: nõ enim potest esse quòd vnum per se sequatur ens per accidens.

¶ Quartò differunt: quia ex coniunctione formæ substantialis cũ materia resultat essentia quædam tertia. s. enitas. Ex coniunctione verò accidẽtis cũ subiecto non fit aliqua essentia tertia. Oritur autem hæc differentia ex tertia: eum enim essentia fit id quod per diffinitionem significatur, vt res diffinita: diffinitum autem oportet esse vnum per se, secundum Aris. septimo Met. text. com. 16. ex eo quòd ex accidente & subiecto non fit vnum per se: habetur q nec essentia aliqua resultat, & per oppositum ex eo quòd ex forma substantiali & materia vnum per se fit, essentia tertia resultat.

¶ Quintò differunt: quia forma substantialis etsi non sit essentia completa, est tamen pars completæ essentiæ. Accidens verò non est essentia completa, nec pars essentiæ completę. Sequitur autem hæc differentia quinta ex quarta. si enim ex forma & materia fit essentia quædam, tertia forma substãtialis illius pars erit. Si autem ex accidente & subiecto essentia nulla resultat, accidẽs nullius cõpletæ essentiæ pars poni potest. & sic accidens incompletum & secundum quod est ens, ac consequẽter incompletam essentiam & diffinitionẽ habet. Nec te moueat, quòd formam substantialẽ non absolutã à receptiuo, & esse nõ habere sine materia modò dicatur, & superius dictũ sit animã intellectiuã indepẽdentẽ à materia & separatã ab illa secundũ rẽ remanere: hoc eñ est simpliciter verũ: ad verificationẽ autẽ eius quod modò diximus, sufficit animã intellectiuã esse essentialiter materiæ informatiuã: & talimõ ab illa insolubilẽ secundum esse quidditatiuũ, vt eius diffinitio ostendit, & quòd forma substãtialis vt sic, non habeat vnde secundum esse actualis existentiæ à materia absoluatur & indepẽdens sit: licet aliunde alicui formæ substantiali hoc insit, puta ex hoc quòd est intellectiua: loquimur enim de forma partis substantiali vt sic.

CIRCA Hæc supradicta multa sunt dubia. Circa secundam enim conuenientiã dubitatur, an sit verũ quod ibi dicitur. s. quòd essentiæ accidentales essentialiter non sunt absolutæ à receptiuo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Et hanc dubitationem comitatur alia, circa tertiam conuenientiam, an scilicet accidentia necessariò per subiectum diffiniantur.
¶ Occurrit quoque quæstiones circa differẽtias assignatas: & prima quidẽ habet dubitationem de vtroque mẽbro cum sua radice, an scilicet forma substantialis puræ potentiæ tantum actus sit.
¶ Et, an forma accidentalis in ente, in actu tantùm recipiatur.
¶ Circa secundã differentiam est dubium, an accidentia habeant propriam existẽtiam distinctam realiter ab existẽtia subſtantiali.
¶ Et iterum est ibi dubium, an substantia subiecta accidenti possit intelligi esse absque omni accidente.
¶ Istas sex dubitationes si diffusè tractare vellemus, propositi limites exiremus, alterius enim negotij est: sed ne omnino ieiuni trãseamus, de pluribus earum dicetur ordine supradicto, fundamenta & nostra & aduersariorum adducendo.

QVÆSTIO XV.

Num inhærentia aptitudinalis sit de inhærentia accidentis.

CIRCA Primum dubium declarato titulo, primò adducetur opinio Scoti, secundo S. Tho. tertiò respondebitur argumentis in oppositum. Est igitur sensus primi dubij, an de essentia accidẽtis sit dependentia ad subiectum: quod sub ſpecialibus vocabulis dubitatur ab aliis, cum quæritur, an inhærentia aptitudinalis sit de essentia accidentis. Scotus in quarto sen. dist. 12. q. 1. decidit hanc quæstionem, quo ad accidentia absoluta, scilicet quantitatem & qualitatem, atque tales qui hoc vertunt in dubium: quid nominis ipsius inhærẽtiæ ignorare, contẽtúsque est vnica ratione ad probandum, quòd impossibile sit inhærentiam quamcunque esse de essentia accidentis absoluti, sic, Nulla relatio est de conceptu formali rei absolutè: omnis inhærentia est relatio, ergo nulla inhærentia est de conceptu formali rei absolutè.
¶ Aliter hæc ratio formatur ab eodẽ, sic, Id quod essentialiter est ad se, non includit in se essentialiter respectum, secundum Augustinum septimo de Trinitate, capitulo secundo: sed accidens absolutum est ad se: ergo accidens absolutum non includit essentialiter respectum, inhærentia autem respectus est: ergo.
¶ Ab aliis autem confirmatur eadem ratio sic, Omne quod relatiuè dicitur est aliquid præter relationem, fundamentum enim relationis est aliud formaliter à relatione: sed accidens absolutum, puta qualitas relatiuè dicitur inhærens: ergo est aliquid absolutũ præter inhærentiam.
¶ Præterea, Inhærentia aptitudinalis est de essentia accidentis, ergo quantitas & qualitas non sunt genera generalissima. Tenet consequentia ex eo, quod tunc à quantitate & qualitate & cæteris accidentibus posset abstrahi conceptus communis quidditatiuus eiusdem rationis in omnibus illis inferior conceptu entis: & superior illis nouem generibus, scilicet, esse in: & sic cum omnis talis conceptus sit genus, nouem genera accidentium generalissima non erunt, haberent enim superueniens genus.

Thomistarum autem sententia est inhærentiam aptitudinalem esse de essentia accidentis, & eam non esse relationem.
¶ Sciendum est enim aliquid esse absolutum vel respectiuum dupliciter, scilicet à subiecto & à termino. Absolutum enim à subiecto ens, est id quod non est natum recipi in alio vt subſtantia. Respectiuum ad aliud, vt subiectum est id, quod essentialiter natũ est recipi in alio, vt omne accidens. Absolutum à termino est id, quod formaliter non respicit aliud præcisè, vt terminum ad quem, vt substantia, quantitas, & qualitas. Respectiuum ad aliud vt terminum est id, quod formaliter respicit aliud præcisè, vt terminum ad quem, sicut prædicamentum relationis. In hoc enim differt relatio pertinens ad prædicamentum relationis ab aliis respectibus cæterorum generum, qui à quibusdam transcendentes vocantur, quod respectus pertinens ad genus ad aliquid, essentialiter est ad aliud, non vt receptiuum, vel causam efficientem, aut finalem, aut formalem: sed præcisè est ad aliud tanquam terminum, vnum enim relatiuorum nec est forma, nec finis, nec efficiens alterius, sed terminus. Propter quod dicit Magnus Albertus, quòd vnum relatiuorum non est diffiniendum per reliquum: eo quòd ly per, denotat causalitatem. Respectus autem aliorum generum, qui propter vocabulorum penuriam respectus dicitur: respicit essentialiter aliud, sed vt subiectum, vel materiam, vel formam, & econtrà: vt de commensuratione animæ intellectiuæ suprà dictum est. cum ergo inhærentia aptitudinis importet respectum ad aliud vt receptiuum, ipsam non de genere relationis, sed identificatam cuilibet generi, modo absolutum ens modo relatiuum significare dicimus. Vnde non prohibetur inhærentia aptitudinalis esse de essentia absoluti accidentis ex eo, quod est respectus: imò ex hoc, quod accidens absolutum non à subiecto est, licet à termino: sequitur quòd de essentia eius sit essentialis dependentia ad subiectum, quam inhærentia aptitudinalis explicat.
¶ Consona autem nostra positio rationi ostenditur, ex eo quòd sicut esse ad constituit accidens relationem: ita esse in cõstituit accidens vniuersale. Contrahitur enim ens per esse in, ad nouẽ genera accidentium: & ideo sicut ad, est de essentia relationis: ita in est de essentia accidentis. Vnde Simplicius in Commento prædicamentorum dicit esse in, nullum constituit genus, sed omne accidens circuit.
¶ Et confirmatur ex eo, ꝙ nisi aptitudinalis inhærentia esset de essentia accidentis, posset cõpleta diffinitione ipsum accidens concipi absq; aptitudinali inhærẽtia in eius diffinitione posita, quod est impossibile. oportet enim ipsum in sua diffinitione habere essentialem dependentiam ad subiectũ, quam inhærentia aptitudinalis explicat, aliter subiecto nõ esset opus ad diffiniendum. Propterea in pluribus locis ait S. Th. quòd diffinitio accidẽtis est hoc, seu aliud huiusmodi, res, cui debetur esse in alio. Hæc de secũdo.

AD primum autem in oppositum dicitur, quòd Minor primi est falsa, & deceptus videtur Scotus: quia non vidit differẽtiam inter respectũ In, & Ad. respectus enim In, & non est relatio, nam licet talis respectus terminetur ad subiectum, & consequẽter subiectum sit terminus: tamen non terminat vt terminus, sed vt receptinum illius, & hoc oportet hic valde attendere, aliud est enim dicere A, est terminus talis respectus: & A terminat talem respectum vt terminus: vt ex dictis patet.
¶ Et per hoc patet responsio tam ad secundam, quàm ad tertiam formam eiusdem rationis: semper enim supponit aptitudinalem inhærentiam esse relationem.
¶ Ad vltimum negatur cõsequentia: dicitur nanq; ꝙ esse ineſt diuersarũ rationũ in prædicamentis, sicut & ens: est siquidẽ in, analogum ad nouẽ genera accidentiũ sicut & ens ad omnia genera.

EX his patet solutio secundi dubij, in quo Scotus nobiscum concordat in quarto, dist. 12. ita quòd vnanimiter fatemur accidẽs non posse completè diffiniri absque additione subiecti, vt nunc nunc est probatum: quod plenius inferius patebit, cùm declaratum fuerit, vnde sumantur genus & differentia in eis. Testatur & hoc Arist. in 7. Metaph. tex. Com. 15. & 17.

TERTIA dubitatio, quoniam nimis est ampla, alibi discutienda relinquatur, oportet siquidem ad plenam illius resolutionem multos quinternos implere.

QVÆSTIO XVI.

Num dimensiones interminatæ præcedant formam substantialem in materia, opinio Auer. de Substantia orbis, cap. 1. vol. 2. primo Phys. t. 63. & 4. Phys. cap. 25. prima ratio.

QVARTAM Verò, quia de accidentis natura est, cuius tractatum agimus, non omnino prætermittendam duco. In qua tria agenda sunt: primò, recitabitur opinio Auer. secundò ponetur opinio S. Tho. tertiò respondebitur argumentis in oppositum.
¶ Sciendum est quo ad primum, Auerroim in libro de Substantia orbis fundasse opinionem nobis contrariam ponendo in materia prima, quæ est pura potẽtia, accipi dimensiones interminatas. Ex hoc enim sequit nõ omne accidẽs esse subiectiue in ente in actu.
¶ Mouetur autem ad hoc opinandũ rationibus plerisque ducentibus ad impossibile. Prima est, Dimẽsio interminata nõ est in materia coæterna sibi. ergo corpus sit ex nõ corpore & dimensio ex non dimensione. & tunc vltimo sequitur, ergo formæ corporales, id est dimensiones sunt sibi inuicẽ contrariæ, & succedentes sibi inuicẽ in subiecto, sicut sibi inuicem succedunt formæ substãtiales in eadẽ materia: cõsequẽs est impossibile, ergo à destructione cõsequẽtis, &c. impossibilitas consequentis patet ex eo, ꝙ neqi motus neque mutatio aliqua est ad quantitatem interminatam. Augmẽtatio enim est ad quãtitatẽ terminatam. Patet quoque ex eo ꝙ quãtitati nihil est cõtrariũ, vt dicitur in prædicamẽtis. Cõsequẽtia aũt probatur ex eo, ꝙ omne quod fit ex suo contrario seu priuatiuè, vt dicitur primo Phy. tex. Com. 64. & 5 eiusdem tex. Com. 7.
¶ Secũda ratio est ista, Quantitas interminata non est in materia. ergo materia non põt simul formas distinctas specie, aut numero recipere, cõsequens est falsum ad sensum. ergo. Cõsequentia probatur ex eo, quòd diuersæ formæ non possunt simul recipi nisi in diuersis partibus materiæ, materia verò diuersis partibus caret, ante quantitatis receptionem, substantia siquidem exclusa quantitate indiuisibilis est, vt dicitur primo Phys. tex. Com. 15.
¶ Tertia ratio est ista, Quantitas nõ est in materia subiectiuè, ergo forma non diuiditur per diuisionem materiæ. Tenet consequentia: quia forma recipitur in materia indiuisibili, cum quantitate ponatur carere. Tunc vltrà, ergo forma recepta in materia nullam diuisionem habet. Tenet consequentia: quia omnis diuisio formæ materialis præexigit diuersitatem partium materiæ. Tunc vltrà, ergo forma recepta in materia est æterna & carens contrario. Tenet consequentia: quia temporalitas formæ corruptibilitatem eius sequitur: corruptibilis autem non est forma aliqua, nisi receptiuum eius habeat diuersas partes, quarum alteram ipsa, alteram formam alia informet: cùm oportet communicari in materia ea, quæ inuicem corrumpuntur: vt primo de generatione text. Com. 53. dicitur. & tunc vltimò sequitur quòd nullam nisi primam formam materia recipiat, oportet enim corruptionem vnius esse generationem alterius, vt dicitur in primo de generatione tex. Cõ. 7. & consequẽter caret cõtrario. Hęc de primo.

Hanc opinionẽ, etsi in quibusdam suis libris sequatur S. Tho. propria tamen sententia oppositum vltimò determinauit in prima parte, q. 76. art. 6. vbi tali ratione vtitur contra Auer. positionẽ. Quandocunque aliquid est in potentia ad actum omnem, ordine quodam prius recipit actũ primum simpliciter & demũ sequẽtes, sed materia prima secundũ se est in potentia ad omnes actus substantiales & accidentales ordine quodã: ergo prius recipit actum priorẽ simpliciter, deinde posteriorẽ: sed primus actus simpliciter etiã ordine generationis est esse. ergo primũ, quod intelligitur recipi in materia, est esse substãtiale, & nõ nisi à forma substãtialiter go prius recipitur in materia forma substãtialis, quàm quodcũque accidens. & sic omne accidẽs sequẽs aduenieret enti in actu. Quòd primus actus simpliciter sit esse, patet tum autoritate libri de causis in principio. Tum quia esse quantum, præsupponit esse: & similiter esse quale, præsupponit esse: & sic de aliis. Sequuntur præterea ad hanc positionẽ multa inconuenientia: ꝙ scilicet ens secundum quid præcedat esse simpliciter, & ꝙ ens per accidens sit prius ente per se: & quòd materia maiorem connexionem habeat cum forma alterius generis, q̃ cũ forma proprij generis, ex quo à qualibet forma substantiali est denudabilis, & nõ à qualibet forma accidentali: & quòd substantiæ generabilis sint non solùm tria, sed quatuor principia. s. materia, forma, priuatio & quãtitas terminata. nõ enim potest fingi quin sit principiũ saltẽ per accidens, cum sit coniuncta principio per se, sicut de priuatione dicitur: & sic debuit cõnumerari ab Arist. Tenẽda est igitur opi. S. Th. quòd omne accidẽs est subiectiuè in ente & actu, & p hoc differt à forma substãtiali, q̃ est subiectiuè in ente in pura potẽtia. Et hæc de secũdo.

AD Primã rationem Auer. dicitur ꝙ consequens primum illarum habet multiplicem sensum, & quandoque verum & quandoque falsum: & ideo distinguendum est. si nanque ly ex, dicat habitudinem causæ materialis, verum est: corpus enim fit ex materia q̃ non est corpus & indiuisibilis in actu, licet sit corpus & diuisibilis in potentia. si autem ly ex, dicat habitudinem termini à quo, falsum est: necesse est enim materiam, ex qua sit corpus immediatè, ante illud instãs habuisse corporeitatem: & vniuersaliter in omni instanti temporis necesse est ipsam esse sub dimensionibus. & hoc modo intelligendum est quod Arist. tertio Cęli, tex. com. 29. & 64. dicit, ꝙ impossibile est corpus fieri ex non corpore, id est post nõ corpus. Amplius est distinguendũ ly fit: corpus enim seu dimẽsio nem fieri intelligi potest dupliciter. Vno modo terminatiuè, id est vt fiat tanquam terminus alicuius motus, vel mutationis, & hoc modo est impossibile fieri dimentionem. Alio modo concomitatiuè, id est vt sit tanquam aliquod consequens ipsum terminum motus seu mutationis: & hoc modo verum est, corpus fieri: neque enim generatio, neque alteratio, neque motus localis ad quãtitatem terminatur, vt quantitas est, licet augmentatio terminetur ad quantitatem perfectam, sed quando generatio terminatur per se primò ad compositum substantiale, generantur consecutiuè eius accidentia inseparabilia: de quorum numero est quantitas, quæ substantialem corporeitatem sequitur. Peccatum ergo accidit in prima ratione Auerrois: quia concessa prima consequentia, pro quanto infert consequens in sensu vno, nõ tenet secunda consequentia, quæ supponit dimensiones fieri non concomitatiuè, & per accidens, sed determinatiuè. de illis enim, quæ fiunt vt termini mutationum, verificatur, ꝙ corrumpuntur à cõtrario, & ꝙ succedunt sibi inuicem se mutuo expellentia, & non de illis quæ fiũt consecutiuè, de quorum numero est quantitas interminata.
¶ Ad secundam rationem negatur consequentia. Et ad probationem dicitur, ꝙ diuersas formas præexigere diuersas partes in materia potest intelligi dupliciter. Vno modo vt ly præ, dicat ordinẽ temporis: & sic verum est, quaſcũque duas formas simul recipiendas in materia præexigere eam esse distinctam in plures partes immediatè ante illud instans, in quo illæ formæ inducuntur, eadẽ enim pars materiæ nõ põt simul ad duas formas alteratione sufficiente disponi. sed talis distinctio partium materiæ præexacta non oportet quòd fiat per interminatas dimensiones ipsi materię inhærentes, sed fit per dimensiones præcedentium compositorũ. Alio modo potest intelligi vt ly præ, dicat ordinem necessarium: ita quòd in instanti introductionis formarum necesse sit materiã habere prius natura diuersitatem partium, & post formas distinctas: & hoc est falsum: oportet enim prius natura materiam esse, quam distinctam esse: in illo ergo & pro illo instanti exigunt duæ formæ distinctas partes materiæ, sed non præexigunt.
¶ Ad tertium dicitur ꝙ forma diuidi per diuisionẽ subiecti potest intelligi dupliciter. Vno modo, vt ideo forma diuisionem habeat ex subiecto, quia in materia ꝺ diuisa recipitur, & hoc modo quomodo sit verum & quomodo sit falsum nunenſic declaratum est. Alio mõ, vt ideo forma diuidatur ad diuisionẽ subiecti: quia forma habet talem diuisionem ratione subiecti. & hoc modo verum est, eo ꝙ diuisio quantatiua conuenit formæ substantiali ex hoc quòd est in materia, ratione cuius cõpositũ est quantũ: sicut enim qualitas sequitur cõpositum ratione formæ: non ita tamen quòd ipsa qualitas præsit in ipsa forma subiectiuè: ita quantitas ineſt cõposito ratione materiæ, non ita ꝙ præsit in materia: quia ergo diuisio quantitatiua formæ non conuenit nisi ratione materiæ, in qua recipitur, vt formæ à materia separatæ ostendunt: ideo formas diuidi ad diuisionem subiecti concedimus, non tamen diuisionem istam præcedere formã, sed comitari. Vnde patet responsio ad totum processum rationis: quoniam ruit, fundamento falso innitẽs, fundatur enim super hoc quòd in expositione nostra sequitur, formas nõ diuidi ad diuisionem subiecti: quod patet nõ sequi.

Quinta dubitatio prætermissis argumentis secundum S. Thomæ doctrinam habet partem affirmatiuam veram. Cùm enim ab omni forma fluat aliquod esse, quia forma est quę dat esse rei, necesse est à forma accidentali fluere accidentale esse: sicut ab albedine esse album, & à dulcedine esse dulce.
¶ Quòd autem esse ꝙ fluit à forma accidentali nõ est idem quod esse subſtantiale, ex propriis rationibus subſtantię & accidẽtis notissimum est. esse nanque subſtãtiale est esse simpliciter secundum se independens & primum: esse autem accidentale est esse secundum quid in alio dependens à subiecto & posterius. Nec esse solùm actualis existentię accidẽtis distinguitur realiter ab esse subiecti actualis, sed etiam ab ipsa essentia formæ accidentalis à qua est. Iam enim suprà probatum est, ꝙ nulla quidditas creata est suũ esse existentia. Vnde existentia albedinis nec est ipsa albedo nec existẽtia subiecti, nec receptio albedinis in subiecto: sicut nec existentia formę subſtãtialis est ipsa forma, aut materia, aut receptio formę in materia, sed quemadmodum forma subſtãtialis recepta in materia perficit ipsam, vt vtraque existentiam recipiatita albedo recepta, in subiecto perficit ipsam, vt esse album recipiat, ita ꝙ sicut forma est ratio materiæ & compositi subſtantialis, ꝙ esse habeat ita albedo est rõ subiecto compositi ex albedine & subiecto ꝙ habeat tale esse, album scilicet. & sicut tot esse subſtantialia in aliquo oportet esse quot sunt formæ subſtantiales: ita secundum numerum formarum accidentium multiplicatur esse accidentale. Aliud est siquidem esse album & aliud est esse dulce. *Cap. 5. q. 2.*
¶ Errant propterea qui S. Tho. imposuerunt opinionem recitatam à Scoto, in quarto sen. dist. 22.

Circa sextam dubitationem, an scilicet distantia accidenti subiecta possit intelligi esse sine omni accidente, declaranda est primò sententia sancti doctoris. Error deinde quidam elidendus.
¶ Ad percipiendum primum, distinguendum est ꝙ de substantia & accidente dupliciter loqui possumus. Primò modò vt sic, id est de substantia sub ratione substantiæ & de accidẽte in eo quod accidens. Alio modo contingit loqui de substantia & accidente sub ratione talis substantiæ & talis accidentis. primo modo substantia est separabilis ab omni accidente, eo quòd esse substantiale, vt sic, nullam connexionem necessariam habet cum esse accidentali: alioquin omnis substantia esset accidenti subiecta. Secundo modo substantia non potest separari ab omni accidente: quia non à propria passione propter cõnexionem necessariam, quæ est inter subiectũ & propriã passionem, nõ propter hanc quòd subiectum dependet à passione. Propterea S. Tho. in quæstionibus disputatis de spiritualibus creaturis, quæst. vltima ad septimum, & in quæstionibus de Anima, q. 12. ad septimum ait, quòd subiectum esse sine propria passione non est possibile nec intelligibile. In litera aũt loquens de esse subſtantiali & accidentali, vt sic, ait subiectum posse esse sine accidentali forma sibi adueniente. Ostendit autem natura demonstrationis subiectũ esse non posse sine passione, oportet nanque conclusionem, quę inhærentiam passionis in subiecto concludit, necessariam esse, & impossibile aliter se habere.

Error autem intolerabilis hic cauendus est, positus ab Antonio Trombeta in Quolibeto suo, dicente, ꝙ quia secundum S. Tho. & eius sequaces subiectum nõ est nisi causa materialis respectu passionis, & passio est accidẽs, ex quo necessario sequitur subiectum posse esse sine propria passione. Fundamentum autem huius consequentiæ est quia omnis potentia passiua, est potentia contradictionis: sed subiectum est solum in passiua potentia respectu passionis: ergo est in potentia cõtradictionis, ergo põt habere ipsam & non ipsam. Maior habetur ex nono Met. tex. com. 17. & ꝓbatur etiam ratione sic, passiones entis distinctę sunt, tales, quòd vna in eludit negationem alterius: ergo potentia includit negationem actus, & per consequens potentia, vt potentia est non repugnat esse sine actu, ergo omnis potentia est potentia contradictionis.
¶ Præterea ad idẽ, Possibile est medium inter necessarium & impossibile, ergo cũ necessarium respiciat esse solùm & impossibile, non esse solùm possibile respicit esse & non esse: & sic omnis potentia cùm ab ea dicatur possibile est potentia contradictionis.
¶ Præterea ad idem, Ideo potentia passiua est ad esse: quia põt ab alio recipere esse. s. ab agente, si aũt ab alio recipit esse, illo circũscripto quantum est in se est sub non esse. Si ergo potentia passiua ex se est sub non esse, & ab agente põt habere esse, necessario sequitur quòd est potẽtia contradictionis, scilicet ab esse & nõ esse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Accidit autem error hic & in principiis & in conclusione. In principiis: quia S. Tho. in Prima parte, q. 77. ar. 7. tenet ex intentione, & probat subiectum esse causam suæ propriæ passionis in triplici genere causæ, scilicet materialis, effectiuæ & finalis: vnde patet error minoris. Maior autẽ licet sit Aris. est tamen malè intellecta & probata: potẽtia enim materialis est duplex, quædam est receptiua tantùm, quædam verò nõ solùm receptiua, sed etiam passiua extenso nomine passionis ad omne genus transmutationis. Potentia receptiua tantum est necessariò coæua suo actui, eo q̃ si esset antè suum actum, oporteret q̃ per aliquam trãsmutationem illum reciperet: & sic non esset receptiua tantùm respecta illius. Potẽtia autẽ passiua necessariò nulli actui coæua est, respectu cuius est passiua: eo q̃ omnem actum per transmutationem acquiris, & consequenter per trãsmutationem perdit, omne enim generabile est corruptibile, vt dicitur primo Cæli. Propositio ergo illa, Omnis potentia est potẽtia cõtradictionis, est intelligenda de potentia passiua, & non receptiua tantùm. Hanc glossam & sensus ipse & tex. Aris. cõuincunt. Ad sensum enim patet, in eo esse potentiam receptiuam suæ figuræ: & tamen in eo talis potentia non est potentia contradictionis: cælum enim non est in potentia ad aliam figuram. Aris. verò tex. allegato nono Meta. ait cælum non esse in potentia ad motum, sed ad terminos eius tantùm: & tamen constat cælum habere potentiam receptiuam sui motus. vnde ex hoc insinuauit, quòd de potentia passiua loquebatur: ea enim cælum est in potentia ad terminos motus. Vnde cum subiectum nõ habeat potentiam passiuam, sed receptiuam tãtum respectu proprię passionis, nulla enim mutatio mediat inter subiectũ & passionem: oportet subiectum non esse in potentia contradictionis respectu passionis: & sic conclusio deducta fait falsa.

¶ Ad rationes autem, quibus arguens nititur illam propositionem de omni potentia receptiua probare, respondetur. Et ad primam dicitur, quòd passiones entis distinctas esse tales, quòd vna includit negationem alterius, verũ est: quia vna nõ est alia formaliter. potentia enim non est actus formaliter, sed ex hoc non sequitur, ergo quælibet potest esse sine alia. Nam non valet, hoc non est illud, ergo hoc potest esse sine illo.

¶ Ad secundã dicitur, q̃ possibile vt distinguitur contra necessarium & impossibile, sumitur à potentia passiua, & non à potentia receptiua tantum: & ideo ex hoc non sequitur, nisi potẽtiam passiuam esse potentiam contradictionis: cùm tamen arguens debeat probare, q̃ omnis potentia receptiua sit potentia cõtradictionis.

¶ Ad tertiam dicitur, quòd propositio prima ibi adducta, scilicet quòd ideo potentia est ad esse: quia potest recipere esse ab alio, scilicet ab agente: in vno sensu est vera, & in altero falsa. si enim ly potest, dicat posse distinctum contra impossibile, Arist. dicit eam esse falsam, est enim sensus quòd ideo potentia est ad esse: quia nõ est impossibile ipsam recipere esse ab agente, & sic cælum esset in potentia ad motum, cum recipiat ipsum ab alio. Si autẽ ly potest, dicat potentiam, vt distinguitur contra esse in actu, tunc propositio est vera, ideo enim aliquid est in potentia ad esse: quia põt recipere esse quod adhuc non habet, sicut ideo aliquid est in potẽtia ad non esse, quia potest habere non esse quo caret, sed cum omnis actus possibilis haberi ab aliqua potentia non nisi per transmutationem acquiratur, ad nostram positionem reditur, quòd scilicet potentia passiua sola fit ad esse.

Alias rationes, quibus separabilitas substãtiæ, ab omni accidente à Scotistis probatur, ex supradictis facilè est soluere. Assumunt siquidem propositiones, quarum falsitas est superius declarata.

Sed quia illud, quod dicitur maximè & verissimè in quolibet genere, est causa eorum, quæ sunt post in illo genere: sicut ignis, qui in fine caliditatis est causa caloris in rebus calidis, vt in secundo Metaph. dicitur: ideo substantia, quæ est principium in genere entis, maximè & verissimè essentiam habens, oportet quòd sit causa accidentium, qua secundario & quasi secundum quid rationem entis participant.

¶ In hac secunda parte capituli diuersitatem accidentium inter se declaraturus, præmittit causam accidentium, quæ sit, vt causas diuersitatis eorum insinuet tali cõclusione, Substantia est causa accidentium, quam probat sic, Maximè & verissimè ens est causa reliquorum entium, substantia est maximè & verissimè ens: ergo substantia est causa aliorum entium, sed talia sunt accidentia. Minor verò ex septimo Meta. in principio patet. Maior verò ex secundo Met. tex. com. 4. habetur, vbi dicitur, quòd vniuersaliter id quod est maximè tale in aliquo ordine, quod est causa omnium aliorum in illo ordine, vt sic: sicut ignis qui in ordine calidorum est maximè calidus: omnium calidorum est causa vt sint calida. Vtitur autem nomine generis in litera, sicut Arist. vtitur vbi vniuocatione: eo quòd ad veritatem huius propositionis exigitur, q̃ causa communicet cum effectu in nomine & ratione, licet analogicè eadem. non enim sequitur, cœlum est causa omnium calidorum, ergo cœlum est maximè calidum, quod tamẽ sequeretur, si cœlo calidi nomen non æquiuocè conueniret. Quia igitur substantia & accidens in nomine & ratione entis, analoga tamẽ conueniunt, & substantia maximè est ens, ideo causa est omniũ aliorum vt entia sint.

Quod tamen diuersimode contingit: quia enim partes substantiæ sunt materia & forma, ideo quædam accidentia principaliter consequuntur formam & quædam materiam.

¶ Quia accidẽtia causantur à subst antia in qua sunt, & effectuum diuersitas ex causis prouenit, assignat diuersitatem inter accidentia à priori ex diuersitate partium subst antiæ à quibus fluunt accidentia: & ponit tres distinctiones.

¶ Quarum prima cum suis diuisionibus talis est, Accidẽtium alia sequuntur principaliter formam: alia sequuntur principaliter materiam. Accidentium sequentium formam quædam communicãt materiæ, quædam verò sunt separata à materia. Accidentium autem sequentium materiam, quædam sequuntur eam in ordine ad formam generalem & quædam in ordine ad formam specialem.

¶ Est autem ratio primæ diuisionis, quia cum vnumquodq; operetur per q̃sse actu, & semper species aliqua mouere & agere existimetur, vt dicitur tertio Phy. tex. Com. 17. oportet formam sequi operationes & operatiuas virtutes: similiter cum patiatur & transmutetur vnumquodque ratione materiæ, oportet plura accidentia eam sequi, vt ea quæ propter materiæ diuersam cõplexionem insunt, & ipsam motui subiiciunt, &c. Apposui autem in prima diuisione ly principaliter, vt distinguitur contra totaliter: nullum enim accidens est solius formæ, aut solius materiæ: sed omnia sunt cõpositi (etenim a lipsam quoque intellectionem non solùm anima cõcurrit, sed totũ compositum ex materia & forma. Socrates enim est qui primò intelligit) est ergo sensus diuisionis q̃ accidentium quædã sequuntur formã, nõ vt causam totalẽ, sed principalem: quædam similiter sequuntur materiam, vt causam principalẽ non totalem. Cùm enim omnium accidentium causa sit id quod verè est, id est subst antia completa omnium causa est cõpositum ex materia & formæ: sed aliquorũ principalis radix est forma, aliquorum verò principalis radix est materia. Sicut enim in artificialibus aliquid cõuenit composito rõne formæ, & aliquid rõne materiæ, quemadmodũ scindere cõuenit serræ rõne formæ, duritiem aũt rõne materiæ: ita & in naturalibus aliquid oritur in composito rõne formæ, & aliquid rõne materiæ: quemadmodũ in Socrate sentire & intelligere est ratione formæ: masculinum verò ratione materiæ. Quæ autem sit regula ad discernendũ accidẽtia sequẽtia formã ab accidentibus sequentibus materiam, infrà assignabitur.

Forma autem inuenitur aliqua, cuius esse non dependet à materia, vt anima intellectualis. Materia verò non habet esse nisi per formam, vnde in accidentibus, quæ sequuntur formam, est aliquid, quod non habet communicationem cum materia, vt intelligere, quod non est per organum corporale, sicut probat Philosophus in tertio de Anima. Aliqua verò ex consequentibus formam sunt, quæ habent communicationem cum materia, vt sentire, sed nullum accidens sequitur materiam sine communicatione formæ. In hoc cap. T.c.6.

¶ Hic ponitur prima subdiuisio cũ eius causa, Cũ em̃ propriæ virtutes & proprietates & operationes formarũ ipsis formis proportionari debeãt: ita si essentia ipsius formæ sit dependens à materia: virtus & operatio eius, cùm nõ sint ipsa forma à qua fluunt perfectiores, dependere oportet à materia. Et si essentia formæ est independens à materia, virtutem aliquã oportet habere à materia independentem, alioquin ociosè fecisset natura formam independentem, fecisset siquidem naturam eleuatam supra materiam, vt sic nõ posset operari, & cõsequẽter nec finem proprium cõsequi. vnũquodque enim est propter suam operationẽ, vt dicitur secundo cæli, tex. com. 17. Quia ergo inuenitur duplex genus formarũ subst antialium, dependentiũ scilicet à materia, vt sunt omnes formæ materiales, & independentium ab ea, vt est anima humana: ideo inuenitur duplex genus accidentium sequentium formam.

¶ Quædam enim fluunt à forma dependente à materia, & hæc ita fluunt ab ea, quòd tamen recipiuntur subiectiuè in composito: propterea dicitur quòd habent communicationem cum materia: vt sentire, vegetare, & huiusmodi.

¶ Quædam verò fluunt à forma independente à materia vt sic: & hæc ita fluunt ab ipsa forma, quòd recipiũtur in sola forma subiectiuè: & propterea dicuntur non habere communicationem cum materia, vt intellectus & voluntas intelligere, velle, & huiusmodi.

NEC Arbitreris nos immemores, contradicere superius nunc dictis: vtrunque enim est verum, quòd scilicet omne accidens est compositi, vt supra diximus: & quod aliquod accidens est solius formæ, vt modò dicimus. Accidens enim esse alicuius potest intelligi dupliciter. Vno modo vt completi principij eliciitiui & receptiui. Alio modo vt suppositi, homo secundo modo omne accidens

accidens est cõpositi cuius est esse & fieri. vnde anima non intelligit suppositum quod operatur. Sed Socrates per animã. Primò verò modo aliquod accidens est ipsius animæ & aliquod est cõpositi: virtus enim intellectiua nõ est subiectiuè in aliqua parte corporis, composita ex materia & forma, sed est subiectiuè in sola essentia animæ. vnde in tert. de Anima, text. com. 4. dicitur q̃ intellectus nullus corporis est actus. Virtutes autẽ sensitiuę nõ sunt subiectiuæ in sola anima, sed in determinatis corporis partibus compositis ex materia & forma subst antiali. Similiter completum elicitiuum principium sensationis non est sola potentia animæ, sed compositum ex organo corporali & virtute animæ. Intellectionis autem principium elicitiuum completum est ipsa sola virtus intellectiua: & cùm operatio immanens sit subiectiuè in suo elicitiuo principio, intelligere erit in solo intellectu sicut in subiecto.

¶ Propterea S. Tho. alibi dicit, quòd anima intelligit sicut oculus videt: videt vt completum principium elicitiuum, oculus enim nominat compositum ex organo corporeo & virtute animę; non ergo contradicunt ista, omne accidens est compositi, vt suppositi, & aliquod accidens est solius formæ, vt completi principij elicitiui & receptiui. Et licet totus sermo sit de accidentibus subst antiarum materialium: ex his tamen innuitur natura accidentium, quæ sequuntur formam independentem à materia.

¶ Et nota quòd antequam ponatur alterius membri subdiuisio, assignatur causa in litera, quare non sit talis subdiuisio de accidentibus sequentibus materiam, qualis facta est de his quę sequuntur formam: vt dicatur, Accidentium sequentium materiam, quędam communicantur formæ & quædam nõ: & causa est ista: quia non inuenitur duplex materia, altera depẽdens à forma & altera non, sicut inuenitur duplex forma: nulla enim materia potest esse sine forma, vt probatum fuit.

In his tamen accidentibus quæ materiam consequuntur, inuenitur quædam diuersitas. Quædam enim accidentia consequuntur materiam secundum ordinem, quem habet ad formam specialem, vt masculinum & fœminimum in animalibus, quorum diuersitas ad materiam reducitur, vt dicitur in decimo Metaphysic. vnde remota forma animalis dicta accidentia non remanent nisi equiuocè. Quædam verò consequuntur materiam secundum ordinem, quem habet ad formam generalem: & ideo remota forma speciali, adhuc in ea remanent, sicut nigredo cutis est in Aethiope ex mixtione elementorum, & non ex ratione animæ: & ideo post mortem in eo remanet.

¶ Hic ponitur alterius membri diuisio talis, Accidentium sequentium materiam quædam sequuntur eam in ordine ad formam generalem: quædam in ordine ad formam specialem. Illa accidentia dicuntur sequi materiam in ordine ad formam generalem, quæ indiuiduo generis altioris conueniunt ratione magis suæ materiæ, quàm formæ: sicut hoc mixtum habet cutis nigredinem non ex ratione formæ mixti, sed quia materia sua talis passa est, puta in tali climate, vbi calor solis abundat. Illa verò dicuntur & consequi materiam in ordine ad formam specialem, quæ indiuiduo inferioris generis, vel speciei conueniunt magis ratione materiæ, quàm formæ: sicut hoc animal est masculinum non ratione animæ principaliter, sed quia materiam ad animã dispositã talis passio comitata est: puta quia materia plenè dominio actu vigorosi seminis subiecta non fuit. Signum autem, quòd taliter accidentia se habent, scilicet quòd sequuntur materiam, secundum quod respicit formam altioris vel inferioris generis, est quòd aliqua eorum eiusdem rationis remanent composito corrupto: & quædam non remanent nisi æquiuocè: nigredo siquidem hominis viui & mortui eiusdem rationis est: masculinitas autem nõ. causa autem huius nulla est alia, nisi quia masculinitas sequitur animal ratione suæ propriæ materiæ: & propterea corrupto animali & non remanente nisi æquiuocè, oportet masculiniratem, in cuius ratione ponitur animal, æquiuocè remanere. Albedo autem quia mixti materiam sequitur in cadauere remanentis, secundum eandem diffinitionem non æquiuocè remanet.

QVÆSTIO XVII.

Num eadẽ accidentia numero sint in genito & corrupto. Auerroistarũ quorundum opinio. Inde subst antia orbis capitulo primo, & primo Phy. 66.

CIRCA Ea quæ hic dicuntur accidit dubium, Vtrum nigredo cutis in Æthiope viuo & mortuo sit vna & eadem numero: & vniuersaliter vtrum sit idem numero accidens in genito & corrupto. In hac dubitatione tria agenda sunt: primò recitabitur opinio quorundam: secundò ponetur opinio Sancti Thomæ: tertiò respondebitur ad obiecta.

QVO Ad primum, quidam opinantur accidentia communia genito & corrupto esse eadem numero in vtroque, inter quos aliqui quibusdam verbis Auerrois innixi tali distinctione suam promunt imaginationem, Accidentia communia genito & corrupto habẽt duplicem modum essendi, terminatum scilicet & interminatum. Accidentia interminata vocant essentias accidentium absque limitatione ad talem vel talem gradum. Accidentia verò terminata dicunt essentias accidentium limitatas ad hunc vel illum gradum. Accidentia interminata ponunt eadem numero esse in genito & corrupto: non autem terminata, vnde sicut quantitas interminata communis expressè à Com. & eadem in omnibus ponitur: ita color interminatus communis: & idẽ est in aëre & igne.

¶ Confirmatur autem opinio ista autoritatibus & rationibus. Aristoteles enim primo de Generatione, t. xtu comm. 23. dicens, In his autem si aliqua manent in genito & corrupto, puta in aëre & aqua, si ambo diaphana, aut humida &c. ostendit non esse inconueniens quòd aliquod idem accidens sit in genito & corrupto. Et in secundo de Generatione, text. commentario 23. vult expressè quòd in habentibus symbolum est facilior transitus: quia est facilius corrumpere vnum quàm duo. Auerrois quoque in libro de Substantia orbis, non longè à principio dicit non solùm dimẽsiones interminatas (quas simplices vocat) remanere eadem in genito: sed vniuersaliter qualitates omnes communes genito & corrupto.

¶ Ratio autem prima ad hoc est: quia si qualitates disponẽtes materiam rei corrumpendæ ad nouam formam corrumpuntur quæritur, Quid educit formam generandam? non potest dici quòd illud sit agens extrà: quia hoc non potest facere, nisi per qualitates medias introductas in materia: qualitates autem illę corrumpi dicuntur ab aduersario ante inductionem formæ: ergo remanet, quòd nihil sit quod educat formam: quod est impossibile.

¶ Præterea, Qualitates symbolæ, quæritur à quo corrumpuntur, cum nullum contrarium appareat: & frustrà corrumpi res censeatur in aliquo instanti, in quo eadem oportet generari.

¶ Præterea figura cadaueris, organi ratio & cicatrix, & si qua sunt huiusmodi, si non remanent eadem, quæritur à quo generantur: & cùm non possit dici à quo generãtur per modum sequelæ, oportet quòd nullum sit generans. Quod autem non generentur per modum sequelę, probatur. Accidentia enim aliqua ideo cõsequuntiuè generantur, quia dans formam, dat consequentia ad formam: modò ista accidentia repugnant formæ magis quam sequantur eam: cuius signum est, quia sub forma cadaueris ad corruptionem tendunt. Et hæc de primo.

QVO Ad secundum sciendum est Thomistarum esse opinionem: nullum accidens esse idem numero in genito & corrupto. Sequitur enim hoc necessariò ex nostris principiis. Nã si nullum accidẽs est subiectiuè in materia: & nõ datur nisi vna forma subst antialis in composito, impossibile est idem accidens remanere idem numero: migraret siquidẽ accidẽs de subiecto in subiectum, & esset idem & non idem. Nec rationes pro nunc ad hãc conclusionem afferam, quia oportet ad hoc efficaciter probandum probare illud principium, scilicet quòd incomposito est tantùm vna forma subst antialis. Sed declarabo quomodo hoc sit possibile, & quomodo defendenda est ab aduersariis positio nostra.

¶ Sciendum est igitur accidens quadrupliciter corrumpi. Primò per alterationem oppositã suo contrario: vt frigus à calido. Secundò ad absentiã conseruatiui agentis, vt lumen in aëre desinit Sole recedente. Tertiò ad corruptionem subiecti, vt risibilitas corrumpitur homine mortuo. Quarto ad corruptionem termini, vt similitudo desinit consimili perẽpto. Et quia quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur & reliquum, accidens generatur quadrupliciter. Primò ab agente sibi simili per transmutationem: sicut aqua calefit ab igne calido. Secundò ad præsentiam agentis fieri & esse, vt lumen in aëre fit à Sole præsente. Tertiò ad generationem subiecti, vt risibile generatur, homine genito. Quarto ad generationem termini, vt Socrate solo albo existente, statim ad alterius albi generationem consurgit in Socrate similitudo. Et licet omnibus istis modis contingat accidens secũdum totam latitudinem corrumpi, nullus tamen illorum modorum cõuenit accidentibus omnibus nisi tertius. Commune nanque est omnibus accidentibus corrumpi eorum subiecto corrupto, cùm accidentis esse sit in esse: & ideo sufficiens causa corruptionis accidentium esse sit in esse: & ideo sufficiens causa corruptionis accidentium redditur, quãdo subiecto corruptio assignatur. Vnde cùm ex aëre fit ignis, licet non oporteat corrumpi calorem aëris, sed potius intendi: quia tamen aër qui subiectum illius est, corrumpitur, necesse est ipsum quoque calorem corrumpi absque contrario ad solum subiecti defectum. Propterea apparet qualiter peccent peccato fallaciæ consequentis argumenta ea, quæ qualitates symbolas & dispositiones pro forma introducenda facientes: quia carent contrario corrumpente, remanere inferunt.

¶ Et notandum, q̃ quando accidens generatur ad generationem subiecti, vel corrumpitur ad corruptionem subiecti: tunc cùm eadem actio terminetur ad vtrumque, ad subiectum per se, & accidens consecutiuè, non oportet quærere aliud generans, vel corrũpens nisi generatiuum vel corruptiuum subiecti. Idem enim est agens q̃ vtrumque simul, & eadem operatione facit: sicut cũ ignis

ex aëre ignem generat, alterãdo aërem, in fine alterationis aërem corrumpit per ie, & consecutiuè calorem introductum: & vniuersaliter omnia accidentia, quæ in aëre subiectiuè erant, eacõsecutionis necessitate: quia accidens sine subiecto proprio remanere nõ potest, & in eodẽ instãti generat ignẽ per se, & calorẽ cõsecutiuè absque alia media alteratione similẽ calori ante illud instãs ex instãti. Simile autẽ est iudiciũ de quãtitate & figura & aliis dispositionibus accidẽtibus similibus in genito & corrupto: omnia enim ista cõcomitatiuè producũtur. & ideo nõ oportet quærere generãs nisi q̃ subiectũ generat. Et cùm supradicta inspexeris, videbis, q̃ simile à suo simili cõcomitatiuè & per accidẽs quãdoque corrũpitur: & per oppositum à nõ simili cõcomitatiuè, per accidens generari cõtingit ipsum accidens. Arist. ergo quoties dicit eadẽ remanere in genito & corrupto eadẽ specie, nõ numero, ait: & hoc per accidens. Variatur enim vnitas numeralis, non propter generationis vim, sed subiecti corruptionem. Facilior quoque trãsitus in habentibus symbolum, non ex idẽtitate numerali symboli accidentis, sed ex non repugnãtia illius in agendo, vel patiẽdo prouenit. Et ex hoc q̃ formæ substãtiales à quibus fluunt similes qualitates sunt similiores: ex effectibus enim, natura causæ innotescit. Auerrois autem (si saluari debet) eodem modo glosserur.

Ad rationem autem oppositæ opinionis dicitur. Et ad primam quidẽ, quòd educens formam in vltimo instanti, est generans extrà, nõ per aliquam actionem, quam in illo instanti eliciat, sed in termino actionis, nudam materiæ essentiam attingens. Vnde, cùm dicitur, agens extrà, non potest educere formam, nisi per qualitates medias introductas, verum est, dum agit: non autem, cùm est in termino actionis. Sufficit enim & exigitur alteraſſe ad materiæ expoliationem & dispositionem.

¶ Ad secundũ dicitur, quòd qualitates symbolæ, & similia, corrũpuntur per accidens ad corruptionẽ subiecti à corrũpente per se subiectũ: nec frustra in eodẽ instãti est primũ nõ esse earũ, & primũ esse similium: sed necessariò necessitate materiæ, vt dictũ est.

¶ Ad tertiũ dicitur, q̃ figura, cicatrix & huiusmodi, producuntur cõsequutiuè, & per accidẽs, à generãte eorum subiectum, scilicet cadauer: nec est verum, q̃ sola illa accidentia generẽtur cõsequutiuè, quæ seqtuntur formã: sed multa accidentia sequuntur compositum ex necessitate materiæ, quæ sunt, licet non incompossibilia: aliqualiter tamen opposita ipsi formę, vt patet de se. Et ideo dico, q̃ figura, & similia sequuntur cadauer ex necessitate materiæ, quia scilicet agens naturale non potest tam citò dispositiones per tot transmutationes radicatas corrumpere totaliter, & ideo similes dispositiones sequuntur: & quia non sunt facientes pro forma geniti; ideo ad corruptionem properatur.

Et, quia vnaquæque res indiuiduatur ex materia & collocatur in genere vel specie per suam formam, ideo accidentia quæ consequuntur materiam sunt accidentia indiuidui, secundum quæ etiam indiuidua eiusdem speciei differunt adinuicem. Accidentia verò, quæ consequũtur formam, sunt propriæ passiones vel generis, vel speciei, vnde inueniũtur in omnibus participantibus naturam generis vel speciei: sicut risibile consequitur in homine formam, quia risus contingit ex aliqua apprehensione animæ hominis.

¶ Hic ponitur secunda diuisio accidentium, quæ talis est, Accidentium alia sunt accidentia indiuidui, alia sunt accidentia generis, vel speciei.

¶ Duplex autem inter ista differẽtia ponitur. Prima est, q̃ accidentia indiuidui cõsequũtur compositum ratione materiæ principaliter, accidentia verò speciei, vel generis sequuntur cõpositum ratione formæ. Secũda est, q̃ accidẽtia indiuidui sunt ea, penes quæ attenditur, differentia inter particularia eiusdem speciei. Accidentia verò speciei, siue generis sunt communia necessariò omnibus indiuiduis illius speciei vel generis. Exemplum masculinũ, & fœmininum sunt accidentia indiuidualia: sequuntur enim materiã, & penes ipsa differunt Socrates & Berta. Risibile autem est accidens specificũ: sequitur enim intellectiuã apprehensionẽ & omnibus hominibus necessariò conuenit. Assignatur quoque radix proximæ differentiæ, cùm dicitur, q̃ materia est principium indiuiduationis, forma autem est, per quã res in genere, vel specie collocatur. Ex hoc enim, q̃ materia est causa esse indiuidualis vt sic, sequitur quòd sit etiã radix accidentiũ consequẽtium ipsum esse indiuiduale: ac per hoc accidentia indiuidui sunt quæ cõsequuntur materiam, ex eo q̃ forma est principiũ esse generici & specifici, oportet q̃ etiam sit causa proprietatũ & accidentiũ consequentium speciẽ, vel genus: & sic accidentia speciei siue generis sequũtur formã. Secundæ verò differentiæ ratio est, quia cum tã in forma specifica quàm generica conueniant omnia contenta sub eis, oportet etiam proprietates earum omnibus esse cõmunes. Cùm autẽ penes materiam differãt indiuidua, accidentia quoque materialia oportet esse ea, secundũ quæ ipsa particularia inter se differunt: vt effectus proportionabiliter propriis respondeant causis.

Accidunt hic duo dubia circa literam. Primum est qualiter sit verum, quod accidentia sequẽtia materiam sint ea penes quæ differunt indiuidua in eadem specie: quandoquidem quantitas sequitur materiam: & tamen est communis omnibus indiuiduis corporis & inferiorum.

Secundum dubium est, qualiter verificetur quòd accidentia sequentia materiã non sint passiones generis, vel speciei, cùm masculinum & fœmininũ sequatur materiã: & tamen passiones sunt animalis, vnde & animal in eorũ diffinitione ponitur, sicut subiectum in diffinitione passionis, vt 10. Met. tex. Com. 25. habetur. Similiter quantitas videtur esse passio corporis de prædicamento substantiæ: & tamen sequitur materiam.

Ad euidentiam primi scito, verba illa, scilicet accidentia sequẽtia materiam sunt ea secundum quæ indiuidua differũt non esse intelligenda vniformiter, sed difformiter. Indiuidua enim differunt penes accidentia materialia dupliciter: vel quia vnum eorum habet vnum, & reliquum aliud: vel quia vtrũque habet idem, sed alio & alio modo. Verbi gratia, Socrates & Berta differunt penes masculinum & fœmininũ, ex eo quòd ille habet masculinitatẽ, illa fœminẽitatem. Differunt quoque penes suas quantitates: non ex eo quòd ille sit quatenus & illa non, sed ex eo quòd non eodẽ modo sunt quanti, nunquam enim inueniuntur duo quanta omnino similia: sitibus siquidem propriis differre necesse est. Quantitas ergo licet sit communis omnibus indiuiduis, quia tamen non vniformiter eis conuenit, est secundum quam indiuidua inter se differunt secundo modo: & hoc sufficit.

Ad intelligẽtiam secundi notandum quòd passiones generum sunt duplices. Quædam conuenientes eis ratione formæ genericæ: & quædam ratione materiæ. Illæ quæ sequuntur formam, vocatæ sunt hic passiones generum: & non illæ, quæ sequuntur eorum materiam: propterea quia natura generica ex sua forma est talis, & non ex materia: animal enim est animal ex sua forma, & non ex sua materia. Vnde cum in proposito animalis passio ratione formæ sit sensibilitas, & ratione materię masculinitas, vel fœmineitas: diuersis rationibus moti Arist. in Met. & S. Tho. hic, diuersimodè locuti sunt. Quia enim est passio animalis ratione materiæ, ideo vocata est ibi passio: quia autem non ratione formæ, ideo hic non est dicta passio.

¶ Similiter dicendum est de quantitate, quia sequitur corpus ratione materiæ: sequitur enim ipsum secundum id, quòd est in propria diuisibile, quod non est nisi materia, vt indiuisibilitas rerum immaterialium ostendit. Et nota quòd hæc secunda diuisio accidentium non differt à prima per membra diuidentia: eadem enim sunt huius & illius membra, sed secundum rationem, quia illa diuisio accepta est penes primas earum radices, materiam scilicet & formam: ista autem penes subiecta, quibus appropriantur, scilicet genus, speciem & indiuiduum.

Sciendum etiam est, quòd aliquando accidentia ex principiis essentialibus causantur secundum actum perfectum, sicut calor in igne, qui semper actu est calidus. Aliquando verò secundum aptitudinem tantùm, sed complementum accipiunt accidentia ex agente exteriori: sicut diaphaneitas in aere, quæ completur per corpus lucidum exterius: & in talibus aptitudo est accidens inseparabile: sed complementum quod aduenit ex aliquo principio, quod est extra essentiam rei, vel quod non intrat constitutionem rei, est separabile, sicut moueri, & huiusmodi.

¶ Hic ponitur tertia diuisio accidentium, Quædam causantur ex principiis essentialibus subiecti secundũ actũ perfectum, quædam secundũ aptitudinem tantùm. Illa accidentia vocat causari secundum actũ perfectum ex essentialibus principiis, quæ secundũ suas actualitates ex extrinsecis principiis subiecti in ipso fluũt: vt calor in igne. Illa vero dicit causari secundum actũ imperfectũ, seu aptitudinem tantùm, quæ non secundũ suas actualitates, sed secundum quasdam inchoationes ex principiis essentialibus subiecti in ipso fluunt, vt moueri sursum in igne ex principiis eius causatur secundum sui inchoationem, puta leuitatem. Differunt autẽ, quia prima & secundũ suas aptitudines, & secũdũ se inseparabilia sunt à subiectis: secunda verò secundũ se quidẽ sunt separabilia, secundum autem suas aptitudines non possunt separari. Ab igne enim neque aptitudo ad calorem, neque calor ipse separari potest, ipso remanente: motus autem sursum non semper inest igni, sed aptitudo ad motum sursum, puta leuitas est inseparabilis ab ipso: & causa horum est, quia in illis ipsa actualitas accidentis ex solis principiis essentialibus fluit, in istis verò aptitudo tantùm ex solis principiis essentialibus fluit: ipsa autem actualitas aliunde expectatur ex aliquo, scilicet extrinsecè concurrente, vel agendo, vel non prohibendo: vt patet in exemplo dato de motu sursum, qui non inest igni, nisi in aliquo concurrente extrinseco, remouente scilicet prohibens, & diaphaneitas non

non est actu in aëre, nisi concurrente extrinseco illuminante: lumen enim est actus diaphani secundum actum, vt dicitur secundo de Anima, tex. Commen. 69.

¶ Profundiorem autem huius diuisionis causam elicio ex Prima secundæ. 10. art. 1. ad secundum, q̃ scilicet ideo aliqua accidentia oriuntur ex principiis essentialibus inseparabiliter secundũ actum completum, aliqua autẽ separabiliter secundũ actum completum, & inseparabiliter secundum aptitudinem: quia illa sequuntur rei actualitatem, ista verò potentialitatem. Quod sic intelligo quia vnumquodque agit secundum quod est actu: patitur autem secundũ quod est in potentia ex sufficiẽte rei actualitate procedit quod accidens in se completè producat, & per oppositum ex sufficiente actualitate & consequenter potentialitate ex qua omnis sufficientia est, prouenit quòd res habet accidens in se secundum aptitudinem tantum: & quòd ab illo expectet actualitatem, seu quòd accidens separabile sit secundum actualitatem, quod idem est.

¶ Amplius cum esse & bonum actualitatem sequantur, & nõ esse & malum potentiam: ex actualitate rei prouenire necesse est esse accidens perfectum & inseparabile secundum actum & aptitudinem, & per oppositum ex rei potentialitate procedere oportet incompletionem accidentis, separabilitatem eius secundum actum: est enim separabilitas ipsa quoddam non esse, cùm nihil aliud sit, quàm negatio necessariæ sequelæ sui esse completi ad esse subiecti. Intellige autem hic vt suprà, scilicet quòd ex actualitate subiecti aptitudo est: ex potentialitate autem separabilitas accidentis secundum suam actualitatem.

¶ Aduertendum vero est, q̃ S. Thomas passiones, quæ dicunt aptitudinem non collocauit simpliciter inter accidentia ex essentialibus principiis fluentia, sed potius ipsarum passionum & aptitudinum actus, quos secũdum incompletum esse aptitudines vocauit. Fecit autem hoc: quia aptitudo de se non habet rationem alicuius per se producti seu producibilis: nullum enim naturale producens intendit aptitudinem, sed actum illius: non est nanque opus risibilitate, nisi vt rideatur, vnde & risibilitas inchoatio quædam risus est: propterea igitur inter effectus essentialiũ principiorum aptitudo non est simpliciter posita, sed actus, quia non ipsa, sed eius actus est qui à principiis productiuis intẽditur: & quia aptitudo nihil aliud est quã inchoatio quædã: inchoatio autẽ est actus imperfectus: ideo accidẽtia secũdũ actũ incõpletũ aptitudines vocantur.

ANTEQVAM Terminemus tractatũ de diuersitate accidẽtium, quæritur an omne accidens habet aliquod subiectum proprium, aut aliqua accidentia sint ita cõmunia, quod nulli propria.

¶ Est autem ratio dubitandi: quia si omne accidens est proprium alicui, cùm proprium conueniat omni, soli, & semper: nullum accidens erit separabile ab eo in quo est. Ineſſet enim soli & semper proprio subiecto.

Amplius sequeretur, semper corruptionem cuiuscũque accidentis comitem fieri corruptioni substantiæ, sicut corrupto risibili corrumpitur homo. Patet consequentia, quia corrupto proprio, necesse est corrumpi illud cuius est proprium, aliter non conueniret ei semper: hæc autem experimur esse falsa, vt patet in accidentibus communibus & actibus secundis.

¶ Ex oppositio autem, cum omne accidens sit diffinibile, & in diffinitione cadat subiectum, de quo accidens per se prædicatur, vt patet primo Posteriorum, & secundo Metaphysicæ, oportet quòd omne accidens habeat proprium & per se subiectum, per se nanque supponit de omni, semper, & necessario.

AD Huius dubitationis euidentiam sciendum est, q̃ cùm apud S. Thom. in quæstione de virtu. quæst. 1. articu. 3. subiectũ habeat triplicem habitudinem ad proprium accidens, s. sustẽtantis ad sustentatum, potentiæ ad actum, & principij ad principiatum, sicut calor ignis non habet esse, nisi sustenteturin igne, & est forma accidentalis eius, & oritur ex ipso, secundũ quod participat istas cõditiones, potest dici accidentis subiectum, & secundum quod ab istis habitudinibus recedit, potest negari accidentis subiectũ. Vnde propter defectũ primæ, quæ principalior est, dicitur in primo Posteriorum, quòd nullum accidens est subiectiuè in alio accidente, quia videlicet nullum accidens potest sustentare aliud, sed sola substantia, quæ est ens per se, aliis fulcimentum præbet essendi. Quia autem aliquod vnum accidens potest comparari ad aliud, vt potentia ad actum, & quandoque vt proximum principium ad principiatum, & ideo conceditur etiam vnum accidens esse subiectum alterius, quemadmodum superficies dicitur subiectum coloris, quia est in potentia respectu coloris, & dulcedo esse in calido & humido, quia causatur ex calido & humido.

¶ Potest ergo quadruplicem intellectum habere dubitatio mota. Primò potest intelligi, vt quæratur, an omne accidens habeat proprium subiectum vt sustentatiuum: secundo, an habeat proprium subiectum vt potentiam. tertiò an habeat proprium subiectum vt principium: quartò, an habeat proprium subiectum vt sustentatiuum potentiæ, & principium simul.

SI QVÆSTIO sit secundum primum sensum, respondetur negatiuè, q̃ s. omne accidens habet proprium subiectũ in ratione sustentantis, vt probant rationes primò inductæ, multa enim sunt accidentia, quæ nullũ propriũ sustentans sibi vendicãt, sed cõiter multis insunt, vt eorũ separatio ostẽdit, separãtur nãque à substantia sustentãte ea naturaliter remanẽte, quod de propriis accidentibus dici non potest. Eadẽ quippe substantia absque sui mutatione contraria sustentat, vt dicitur in Prædicamentis.

¶ Si autẽ iuxta secundũ sensum dubitetur, respõdetur affirmatiuè, quòd s. omne accidens habet propriũ subiectum in ratione propriæ potentiæ, eo q̃ quilibet actus respicit propriam potentiam, sicut enim actus respicit potentiam, sic talis actus talem potentiã, & actus specificus potentiam specificam; accidens autem omne actus quidem est, igitur omne accidens habet propriam potentiam, cuius est actus: propter quod tertio Physi. tex. Com. 10. dicitur, potentia ad infirmitatẽ est alia à potentia ad sanitatem, eo q̃ sanitas est aliud ab infirmitate, & 12. Meta. longo processu probatur, principia Prædicamentorũ esse eadem proportionaliter, quia cuiuslibet actui propria respondet potentia.

¶ Si autem tertio sensu inquiratur, respondetur negatiuè, quòd s. non omne accidens habet aliquod subiectum proprium in ratione principij proprij, eo quòd habere subiectum proprium in ratione principij includit fluxum illius accidentis à tali subiecto in genere causæ efficientis, eo modo, quo duorum effectuum ordinem inter sese habentium prius est causa effectiua eius, quod necessariò primi productionem sequitur, siue illud subiectum sit receptiuum accidentis, vt quo, siue vt quod: patet quòd non omne accidens fluit à suo receptiuo effectiuè: sed multa sunt, respectu quorum receptiuum purè passiuè se habet: vt patet cum species rei sensibilis recipitur in medio, siue in sensu.

¶ Si autem quarto modo intelligatur quæstio, patet quid dicendum sit: negatiuè enim respondere oportet.

SED aduertendum est q̃ hæc quæ diximus, intelligi debent de accidẽtibus, s. eorsum acceptis actibus, & eorsum aptitudinibus: loquendo nãque de accidẽtibus, vt S. Th. in litera loquitur, s. non iudicando actualitates accidentium seorsum ab actitudinibus: diceremus q̃ omne accidens secundũ suã radicalẽ aptitudinem habet aliquod subiectũ propriũ in ratione sustentantis potentiæ & principij, licet non secundũ suã actualitatẽ, eo q̃ aptitudo ad tale accidens nõ est nisi à tali gradu substãtiali fluat mediatè, vel immediatè, & cõsequẽter nisi in tali gradu subiectiuè susteteturimmediatè, vel immediatè. Verbi gratia, Lumẽ secundũ suam actualitatem & substantiã, licet sit ab extrinseco, & sit accidens separabile: tamẽ secundũ suã inchoationẽ, seu radicalẽ aptitudinem, puta diaphaneitatẽ est inseparabile: & fluit à certo gradu substãtiali cõmuni superioribus & inferioribus. Et similiter sedere licet sit accidẽs, per accidẽs tñ secũdũ suã aptitudinẽ est propriũ: & nõ natũ cõuenire nisi certo enti: puta animali tali, &c. fluit emẽ aptitudo ad sedẽdũ ex suis principiis. Similiter & videre, licet sit accidẽs separabile: radicalis tñ aptitudo ad videndũ separari à tali aiali nõ pot,

¶ Ex his patet quomodo ad vtranque partẽ rationis adductæ verum cõcludunt diuersimodè. Nam loquẽdo de accidẽtibus secũdum suas essentias & actualitates, conclusio rationũ primò adductarum cõceditur, accipiendo subiectũ in ratione sustentantis & principij. In ratiõe autẽ potẽtiæ falsa est cõclusio, vt dictũ est. Nec probatio contra hunc applicata sensum valet: eo q̃ cum dicitur, q̃ propriũ cõuenit soli, omni & semper, intelligitur de ipso proprio nõ secũdũ suã actualitatẽ, sed secũdũ aptitudinẽ. Et similiter cum dicitur q̃ ad corruptionẽ proprij definit subiectum, intelligitur, si corrũpitur secundũ aptitudinẽ: non autem secundum actum, vniuersaliter loquendo. Vel dicatur q̃ inseparabilitas, & huiusmodi non conuenit accidenti, vt respicit subiectum in ratione propriæ potentiæ, sed vt sustentatiuum, & principiũ. Loquendo autem de accidẽtibus secũdũ suas aptitudines, patet quomodo rationes peccant. Dico enim q̃ nullũ accidẽs est separabile secũdũ aptitudinẽ radicalem saltem, sed coquum subiecto necessario: & q̃ corrupto accidẽte secundum talem aptitudinem potest subiectum corrumpi. Ratio autem in oppositũ adducta concludit, q̃ omne accidens habet subiectũ, de quo per se prædicatur secundũ se, vel secũdum suam aptitudinem. Cùm enim eius sit actus, cuius est potentia (vt suam aptitudinem. Cùm enim eius sit actus, cuius est potentia (vt dicitur in Somno & vigilia) idem subiectum erit q̃ cadit in diffinitionem accidẽtis secũdum aptitudinẽ & secundũ actũ: sicut homo debet poni non solum in diffinitione risibilis, sed risus. Stant ergo ista duo simul, q̃ accidens secũdum suam actualitatem non habeat proprium subiectum, cui vniuersaliter soli & semper insit: & tamen habeat proprium subiectum per quod diffiniri debeat: quia ad hoc secundum sufficit, q̃ secundum se vel secundũ suam aptitudinem per se de illo subiecto prædicetur. Ad primum verò sufficit accidẽs secũdũ se tantũ non prædicari per se de subiecto.

Sciendum est autem, quòd in accidentibus alio modo sumuntur genus & differẽtia, & species, quàm in substantijs, quia enim in substantijs ex materia & forma substantiali, sit per se vnum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vna quadam natura ex eorum coniunctione resultante, quæ propriè in Prædicamento substantiæ collocatur, ideo in substantijs nomina concreta, quæ compositum significant, propriè in genere esse dicuntur, sicut genera, vel species, vt homo vel animal: non autem forma vel materia est in Prædicamento hoc modo, nisi per reductionem, sicut principia in genere principiatorum esse dicuntur. Sed ex accidente & subiecto non fit vnum per se, vnde non resultat ex eorum coniunctione aliqua natura, cui intentio generis vel speciei possit attribui, vnde nomina accidentium concretiue dicta non ponuntur in Prædicamento, sicut species vel genera, vt album vel musicum, nisi per reductionem. sed solum secundum quod abstracta significantur, vt albedo & musica.

¶ In hac tertia parte capituli huius determinatur, quomodo accidentia se habeant ad intentiones logicas, vt primò, quomodo se habent ad esse in prædicamento, deinde sumantur in eis genus & differentia. Quo ad primum ponit duas conclusiones, scilicet, Accidentia in concreto non sunt propriè in prædicamento. Et accidentia in abstracto propriè sunt in prædicamento.

AD quarum euidentiam sciendum est, quòd accidẽtia habent vnum modum essendi, scilicet esse in alio, non enim sunt nisi in sint alicui. Habent autem duos modos intelligendi, eo quòd intellectus est natus ea, quæ sunt adunata in re, diuidere. Intelliguntur enim quandoque cointelligendo sibi subiectum, cui insunt, & intelliguntur per modum accidentis, eo quòd accidentis esse est in alio esse. Quandoque verò inteliiguntur solitariè, non cointelligendo, scilicet eis subiectum, cui secundum rem insunt, & tũc intelliguntur per modum substantiæ, eo quòd esse per se, id est solitariè soli substantiæ conuenit, accidentia enim semper comite egent. Cùm autem modus significandi non fundetur super modo essendi, sed intelligendi, sicut habent duos modos intelligendi, sic habent duos modos significandi. Vnde significantur quandoque consignificando subiectum, & tunc significantur per modum accidentis, & vocantur significata in concreto, vt album, nigrum, &c. Quandoque verò significantur ipsa sola, absque scilicet subiecti consignificatione, & tnuc significantur per modum substantiæ, & vocantur significata in abstracto, vt albedo & nigredo. Abstractum enim & concretum in accidentibus, licet differant in modo significãdi, id est penes consignificare subiectũ, & non consignificare illud, conueniunt tamen in significatione ipsius formæ accidentalis. Album enim puram qualitatem significat (sicut in Prædicamentis dicitur) sicut & albedo: album significat albedinem in subiecto, albedo autem significat albedinẽ absque illo. Quia igitur accidentia in concreto totum coniunctum important, puta sicut album albedinem in subiecto, coniunctum autem hoc non est vnum per se, sed vnum & ens per accidens, id autem quod in prædicamento reponitur, debet importare vnum & ens per se, cùm prædicamenta diuidant ens per se, quinto Met. tex. Com. 14. ideo accidentia in concreto non propriè reponuntur in prædicamento. Et hæc est ratio, qua in litera prima conclusio probatur, quæ sic formari potest, Nullum nomen important ens & vnũ per accidens, est propriè in prædicamento, concretum accidentale importat vnum & ens per accidens, ergo nomẽ concretum accidentale non ponitur in prædicamento propriè & per se. Ad declarationem Minoris ponitur differentia inter concretum accidentale & subsțantiale in hoc, quòd concretum subsțantiale importat compositum ex materia & forma, & tale est vnum per se, & ideo reponitur in prædicamento, vt genus, vel species, accidentale verò importat ex subiecto compositum & accidente, quod est vnum per accidens, ex accidente enim & subiecto non fit nisi vnum per accidens, vt dicitur 7. Metam. & ideo non debet poni in prædicamento, nisi reductiuè, eo modo quo res impura ad suæ puritatem naturæ reducitur.

¶ Et sic remanet secunda conclusio vera, quòd accidẽtia, s. in abstracto, in prædicamento speciei & generis prædicationem suscipiunt, talia omnino à prędicamentis accidentia sunt excludenda.

CVM autem audis abstractũ solam formam importare, non ideo hoc dictum putes, quòd abstractũ subiectũ formæ à se omnino excludat, hoc eñ falsum est: sed ideo quia abstractũ ex modo suo significãdi, quo solo differt à concreto, non includit subiectum principaliter, sed secũdariò, & ex consequẽti. Quod ex cõuenientia & differentia inter ea ex modo significandi persuaderi põt. Cõueniunt enim in hoc, q̃ tam abstractũ, quã concretum ex modo significãdi importat duo, s. quod & quo, seu subiectum & formam. Idem enim importat definitio & definitum, licet alio modo. Definitio autem vtriusque importat vtrumque dictorũ, vt exemplariter patet, similitatem enim dicimus curuitatem nasi, & simum nasum, curuũ. Quòd autem hoc sit ex modo significandi, ex eo clarum est, q̃ tam abstractum, quàm cõcretum puram formam significat, vt in prædicamentis testatur Arist. Differunt autem abstractum & concretum ex varietate modi significandi in hoc, quòd concretum importat ex modo significandi principaliter subiectum, & secundario formam. Abstractum verò principaliter importat formam & ex consequenti subiectum.

¶ Aduertendũ nanque est, q̃ contrario ordine se habent subiectũ & forma, ad significationẽ nominis cõcreti, & eius modum significandi. Importat enim concretum ratione significationis primò formam & subiectum nõ nisi ex consequenti copula. Quo ad modum verò significandi primò subiectum & ex consequenti formã importat. Cuius signum est, q̃ in diffinitione concreti exprimitur primò subiectum tam quam genus, quod prima pars est diffinitio & forma secundo loco ponitur quasi differentia. Dicimus nanque q̃ simũ est nasus curuus. Abstractũ verò & ex significatione & ex modo significãdi primò formã importat: secũdariò autẽ ex eo cõsequẽti subiectũ. In cuiꝰ signũ in eiꝰ diffinitiõe forma ipsa primò exprimitur vt genus, subiectũ autẽ secundario loco differentiæ, vt patet, cum dicitur, similtas est curuitas nasi. Oritur autem hæc differentia ex eo, q̃ concretũ importat habitudinẽ inter subiectum & formam, prout incipit à subiecto & terminatur ad formam. Abstractum verò importat habitudinem inter formã & subiectum prout incipit à forma, & terminatur ad subiectum, vt exẽplis datis apparet. Ex hoc enim q̃ habitudo importata per cõcretũ, importatur ex modo significandi, vt incipiens à subiecto, sequitur q̃ primò importet subiectũ, à quo incipit, & similiter ex hoc q̃ habitudo importata per abstractum importatur ex modo significandi, vt incipiens à forma, consequens est vt primò importet formam à qua incipit. Causa enim huius diuersitatis est, quia cõcreta ad cõposita significanda sunt inuẽta. Compositio autem à subiecto oritur. Abstracta verò inuenta sunt ad significãdas formas apud nos inuentas simplices quidẽ, sed à quibus denominatio ad subiecta deriuatur, vnde & concreta cõpositũ quid sonant, abstracta verò formas, vt cadentes tamen ad subiecta, non igitur propterea dictũ est q̃ abstractã solã formam importet, quia nullo modo copulat subiectũ, sed quia ex modo significãdi compositũ non sonat, nec principaliter importat ipsum subiectũ, quemadmodũ concretũ, sed extrinsecè tantùm terminum habitudinis formæ significatæ.

ADVERTE hic q̃ de abstracto & concreto quomodo sunt in prædicamento aliter Metaphysicus, & aliter Logicus iudicabit. Cùm enim apud Metaphysicum, qui res secundum suas essentias considerat, & nõ secundũ modos intelligẽdi, vel significãdi abstractũ & cõcretũ nõ differãt, eo q̃ eadẽ res abstractè & concretè sit significata, dicit ipse sicut abstractum ita & cõcretũ in genere esse, res enim per suam essentiã ingreditur, vel egreditur genus Metaphysicaliter sumptum, id est per 10 generis, & non per modum significandi. vnde non dicet Metaphysicus album ens per accidẽs, sed hoc album, vt patet 5. Met. tex. Com. 15. & 14. & 7. eiusdem tex. Com. 16. Logicus autem, qui non res secundum suas naturas, sed secundum intentiones adiunctas primis intellectis ac significatis, considerat, dicet abstractum esse in genere, concretum verò non, quia res nomine abstracto significata potest denominari species, vt albedo, & genus, vt color, concretum verò non propter alietatem modi significandi, vt dictum est.

¶ Causa autẽ quare alietas modi significandi hãc veritatẽ Logico præbeat, est quia modus significãdi prætendit secũdas intẽtiones. & fundat quodãmodo ipsas, licet enim tã modus significandi quã secunda intentio cõueniant in hoc q̃ sequãtur rẽ, nõ secundũ se, sed vt intellectã: prius tamẽ rẽ vt intellectã sequitur modus significãdi, quã secunda intentio, eo q̃ modus significandi nihil aliud est, quã signũ modi intelligẽdi, sicut vox significãs est signũ rei intellectæ, vnde sicut vox significativa prius sequitur rẽ intellectã, quã secũda intẽtio, ita eius modus significãdi modũ intelligẽdi, vt totus ordo pertinẽtiũ ad nomina primæ intẽtionis præcedat ordinẽ pertinentium ad nomina secundæ intẽtionis. Quia igitur secũdæ intentiones res vt intellectas & significatas denominãt, & non absolute, ideo stat eandẽ rẽ diuersimode intellectã & significatam denominari speciẽ, & consequenter esse directè in prædicamento & nõ esse directè in eo, sicut eadem natura humana significata nomine Hominis, species est: significata verò nomine Humanitatis species non est, sed speciei principiũ. Vnde in proposito apud Logicum res illa, quæ Albedinis nomine intelligitur, diuersimode significata, in prædicamẽto esse affirmatur, & negatur. Si enim in abstracto significetur, cùm sic speciei denominationẽ habeat, in prædicamẽto reponitur. si autẽ in concreto significetur, cũ sic speciei vel generis denominationẽ nõ habeat: quia rẽ extraneã ex modo significandi includit, in prædicamẽto directè esse negatur. Et quia intentio S. Thomæ est declarare qũd accidentia se habeant ad intentiones logicas, & non ad cuius generis rem pertineant, ideo concretum accidentale à Prædicamentis separauit.

CVM his omnibꝰ aduertas, q̃ aliquid facit rẽ reponi in prædicamẽto dupliciter. Vno modo vt ratio reponẽdi ipsum in prædicamẽto, alio modo vt conditio sine qua nõ. Ratio reponendi rẽ in genere siue speciẽ tã apud Logicũ quã apud Metaphysi. est essẽtia illius

alius rei, res enim per suam essentiam ad genus & speciem, definitur: conditio autem, sine qua non est modus ipse significandi. Et in prędicamento quidem substantiæ conditio, sine qua res non susçipit generis vel speciei, &c. denominationem, est modus significandi in concreto. In prædicamentis autem accidentium conditio, sine qua non est modus significandi in abstracto: propterea cum dictum est concretum accidentale non directè reponi in prædicamento apud Logicum, intellige hoc propter defectum conditionis, sine qua non, & non propter defectum rationis reponendi. Et similiter cùm dicitur, quòd humanitas & vniuersaliter, abstractum substantiale non est in genere substantiæ, intellige propter defectum conditionis, sine qua non, & non rationis reponendi.

Et quia accidentia non componuntur ex materia & forma: ideo non potest in eis sumi genus à materia, & differentia à forma, sicut in substantiis compositis: sed oportet vt primum genus sumatur ex ipso modo essendi, secundum quod ens diuersimodè secundum prius & posterius de decem generibus prædicatur. sicut dicitur quantitas ex eo quod est mensura substantiæ, & qualitas secundum quod est dispositio substantiæ, & sic de aliis secundum Philosophum in 11. *Met.*

¶ Hic declaratur vnde in accidentibus sumantur genus & differentia propositionibus tribus. Prima est, Genus & differentia non sumuntur in eis ex materia & forma. Secunda est, primum genus sumitur ex proprio modo essendi, quo prædicamentum ipsum pars entis constituitur. Tertia est, Differentiæ sumuntur in accidentibus ex diuersitate propriorum principiorum. Prima patet sic. Incompositum ex materia, & forma nõ potest habere genus sumptum à materia, & differentiã à forma, sed accidentia sunt incõposita ex materia & forma: igitur non potest in eis sumi genus à materia, & differentia à forma sicut fit in substantiis compositis: quod qualiter intelligendum sit, supra dictum est. Secunda patet sic, Primum genus oportet explicare essentiam secundum propriam potentiam, quæ est in ea: sicut vltima differentia debet explicare essentiam secundum vltimum actum: sed essentia accidentis secundum modum illum, quo pars entis constituitur habet propriam potentiam: ergo ex illo modo sumendũ est genus primum.

INTELLIGENDVM Est hic primò ens diuidi per quosdam modos in prædicamenta: sicut quodammodo genus in species per differentias: sita quòd sicut species per id, quo generis partes efficiuntur in esse specifico cõstituuntur: ita prædicamenta per id, quo partes entis fiunt, in esse generalissimo constituuntur: & ideo modi proprij quibus ens ad quodlibet prædicamentum descendit, sunt illi, penes quos prima genera constituta sunt. Sunt autem isti modi per substantiuum, mensuratiuum, dispositiuum, relatiuum, actiuum, &c. vt dicitur quinto Meta. tex. commen. 14.

NOTANDVM Est secundò, quòd cùm genus sumatur à re secundum id quo habet rationem determinabilis, primum genus sumendum est à re secundum id, quo primo habet rationem determinabilis: primò autem habet rationem determinabilis res secundum primum sui gradum concepta. Primus autem gradus rei is est, quem res ex modo illo sortitur, quo proprium sibi locum inter partes entis vendicat: & ideo primum genus sumptum ab illo modo entis importat rem, vt primò determinabilem: & propterea ista se consequuntur, sumi à re secundum propriam potentiam eius, id est secundum id, quo primò habet rationem determinabilis, & sumi à re secundum modum illum, quo entis pars fit. Et sic patet assumpta ratio.

Differentiæ verò in eis sumuntur ex diuersitate principiorum, ex quibus causantur, & quia propriæ passiones ex propriis principiis subiecti causantur, ideo subiectum ponitur in diffinitione eorum loco differentiæ, si in abstracto diffiniantur, secundum quod sunt propria in genere, sicut dicitur, quod simitas est nasi curuitas, sed econuerso esset si eorum diffinitio sumeretur secundum quod concretiuè dicuntur, si enim subiectum in eorum diffinitione poneretur sicut genus, quia tunc diffinirentur per modum substantiarum compositarum, in quibus ratio generis sumitur à materia, sicut dicimus, quod simum est nasus curuus, similiter etiam est si vnum accidens alterius accidentis principium sit, sicut principium relationis est actio, & passio & quantitas, & ideo secundum hæc diuidit Philosophus relationem in quinto Metaphysicæ.

¶ Hic ponitur tertia propositio. s. q̃ differẽtiæ sumuntur in accidentibus ex diuersitate propriorum principiorum, & declaratur à posteriori. Signum enim, quòd differentiæ sumantur ex diuersitate propriorum principiorum est, quòd in diffinitione accidẽtium in abstracto, quæ propriè habent genus & differentias subiectum ponitur loco differentiæ, hoc enim non esset, nisi accidentia differrent penes sua propria principia. propterea enim propriæ passiones differunt inter se, quia principia subiecti, ex quibus causantur, inter se differunt.

¶ Et quia posset aliquis signum hoc inficiari, dicens quòd subiectum proprium quandoque ponitur in diffinitione proprij accidentis loco generis & non differẽtiæ, ideo ad hanc obiectionem excludendam subditur. Licet econuerso esset, &c. & vult dicere q̃ licet ita sit, quòd quãdoq; ponatur subiectum in diffinitione proprij accidentis loco generis & non differentiæ, quia tamen hoc non fit, nisi cum accidens in concreto diffinitur, quod vt sic non est in genere, ideo hoc non obstat nostræ sententiæ, quia accidentis differentiam, secundum quod in prædicamento est vnde sumenda sit, declaraumus. Causa enim, quare in diffinitione accidentis in cõcreto subiectum ponitur loco generis, non est ipsa natura accidentis, ita quòd subiectum eius essentia pro genere sibi vendicet, sed est modus eius significandi, quia enim cõcretum ex modo significandi importat totum coniunctum, s. accidens & subiectum, ideo per modum rerum diffinitur compositarum in quibus genus sumitur à materia & differẽtia à forma, & propterea subiectum, cum se habeat vt materia, loco generis ponitur, & natura accidentis, cum se habeat vt forma, loco differentiæ ponitur, & dicitur simum est nasus curuus, non sic autem est cum diffinitur accidens in abstracto. tunc enim ponitur vt genus in quod essentia ipsius accidentis determinat sibi vt genus, & ponitur loco differentiæ id, à quo accidens secundum naturã suam specificam differentiam trahit, scilicet subiectum proprium, & dicitur, similtas est curuitas nasi. Manifestum quoque fit hoc, scilicet quòd differentiæ accidentium sumuntur ex diuersitate principiorum propriorum, non solum quãdo accidens immediatè causatur à substantia, sed etiam quando vnum accidens est alterius principium propriũ: tunc enim differẽtias sortiuntur accidẽtia accusata penes diuersitatẽ accidentiũ causantiũ, vt patet de relationibus, quarum differentia attendirur penes sua fundamẽta seu causas, puta actionem, passionem, & quantitatẽ, vt patet ex diuisione relatiuorum facta ab Arist. 5. Met. text. com. 20. Et per hoc excluditur obiectio alia, quæ posset fieri de secunda & tertia passione eiusdem subiecti. Posset enim aliquis obiicere, quomodo alia est differentia secundæ passionis à differẽtia primæ, si ex principiis ex quibus fluit passio, differentia sumitur: quãdoquidẽ eadẽ sunt principia, à quibus fluunt prima & secũda. Excluta enim est obiectio per hoc q̃ dictũ est, q̃ quãdo vnũ accidens est principiũ alterius: differentia posterioris accidentis nõ ex diuersitate remotorũ principiorum, sed propriorũ attẽditur: & ideo, cum prima passio sit principiũ secũdæ, nõ sunt eadẽ ꝓpria & immediata principia primę & secũdę.

Sed quia propria principia accidentium non semper sunt manifesta, ideo quãdoque sumimus differẽtias accidentium ex eorum effectibus, sicut cõgregatiuũ & disgregatiuum visus dicuntur differentiæ coloris, quæ causantur ex abundantia & paucitate lucis, ex qua diuersæ species coloris causantur. Sic ergo patet, quomodo essentia est in substantijs & accidentibus, & quomodo in substantijs compositis & simplicibus, & quomodo intentiones logicæ vniuersales in eis inueniuntur, excepto primo principio, quod est infinitæ simplicitatis, cui non conuenit ratio generis vel speciei, & per consequens nec diffinitio propter suam simplicitatem, in quo fit finis & consummatio huius sermonis.

¶ Quia posset teri. ò aliquis dubitare de hoc quod dictum est, s. q̃ differentiæ accidentium sumuntur ex eorum propriis principiis, ex hoc quòd quandoque sumimus eorum differentias ab effectibus, sicut albedinis & nigredinis differentias dicimus congregare & disgregare visum: ideo ad hanc dubitationem tollendam dixit, q̃ hoc contingit non ex natura ipsorum accidentium, sed ex nobis, quibus propria principia accidentium occulta cùm sint, opus est ex effectibus differentias sumere, quæ differentias veras quodammodo nobis insinuant: sicut in exemplo proposito liquet: albedo enim & nigredo differunt à priori ex abundantia & paucitate lucis. lux enim in opaco corpore existens aliqualiter obumbrata albedinem constituit: valde autẽ offuscata nigredinẽ: à posteriori autẽ differunt congregatione & disgregatione visus: ex hoc enim contingit disgregare, quia ibi est satis de luce, & non econuerso. Et quia abũdantia & paucitas lucis nõ ita nobis manifestæ sunt, sicut cõgregare & disgregare: ideo loco propriarũ differentiarũ, congregatiuum & disgregatiuum ponimus, dicentes, albedo est color disgregatiuus visus, nigredo verò congregatiuus.

HIC aduertas, quod non dixit subiectum esse differentiã accidentis, sed poni loco differentiæ, habẽt enim proprium genus, & propriam differentiã sui generis, quæ tamen absque obiecto non possunt explicari cõpletè: & ideo omnino oportet subiectum in diffinitione accidentis cadere, vt dictum est. Vltimò epilogus

fit

Universidad de Deusto
Biblioteca

fit eorum, quæ dicta sunt, in quorum explicatione meam opinionem ita prolatam esse volo, vt ibi veritati consentanea inuenta non fuerit, & ingenio & ætati venia detur: adolescentiam enim adhuc ago. Vbi autem veritatis tramitem secuta videbitur, gratiarum debitæ actiones diuo Thomæ habeantur, à quo quicquid veri est, didici.

Commentariorum Thomæ de vio Caietani Cardinalis Sancti Xysti in librum diui Thomæ Aquinatis de Ente & Essentia, finis.

TRACTATVS OCTAVVS SOlutionum quorundam locorum sibi inuicem aduersantium, in commentarijs Sancti Thomæ contentorum.

AD FRATREM IACOBVM

Crecton Scotum, lectorem Theologiæ.

RETITIONIBVS tuis, fili charissime, deesse nolens, ad proposita duo dubia respondere curaui. Proponis primò dissonantiã dictorum nostrorum inter se, dum in Commentariis primæ partis, articulo primo, quæstione duodecima, diximus creaturam rationalem vt ordinatam ad fœlicitatem, & non absolutè, naturaliter appetere visionem Dei in se, in art. autem 1. q. 82. respondendo quarto argumento Scoti diximus, quod ad naturaliter volendum finem vltimum in particulari, non sufficit indubitatas, quoniam hæc est in quolibet fideli, sed exigitur euidẽtia, quæ solùm conuenit Beatis.

¶ Proponis secundò ambiguitatem circa quandam glossam nostram in eisdem Commentariis, q. 47. art. 3. ad tertium, vbi dicente textu, Non est possibile esse aliam terram, quàm istam, glossauimus, ly possibile, sumi pro possibili sumpto ex potentia indita rebus creatis, secundum quam diximus, impossibile est mortuum resurgere, & non pro possibili secundum potẽtiam actiuam Dei, neque pro possibili logico. videtur enim tibi, quòd de possibili logico sit sermo, propter materiam subiectam, de qua ibi disputatur, & hoc propter tria. Primò, quia propositio illa præcedens, Mundus constat ex tota sua materia, sumpta ex Philosopho, aut intelligitur de totalitate indiuiduali, & hoc non, quia quodlibet indiuiduum perfectum isto modo constat ex sua materia. Aut de totalitate specifica, & sic oportet intelligi de impossibili absolute quum implicet contradictionem habere totam materiam speciei, non habere aliquam partem, quæ esset extra illud. Secundò, quia idem dicitur iudicium de terra & de aliis partibus mundi, sed esse duos Soles, implicat contradictionem, ergo sermo est de impossibili absolutè. Manifestatur autẽ implicatio contradictionis, quia positis duobus Solibus, si materia vnius appeteret formam alterius, neuter haberet suam materiam, quia Sol constat ex materia satiata sua forma: si autem materia vnius non appeteret formam alterius, sic differrent non solum specie, sed genere. Tertiò, quia secundum istã glossam, quum dicitur, Non est possibile esse aliam terram, sensus esset, Non est potentia actiua in rebus creatis, quæ possit producere aliam terram, hic autem sensus longè est à proposito, & quis vnquam de hoc dubitauit?

AD primum dubium respondemus, quòd ly naturaliter non secũdum eandem significationem in vtroque loco sumitur. Nam in quæstione duodecima naturale attenditur penes naturam tanquam principiũ, ita quòd naturalis appetitus appellatur, qui prouenit à principio indito secundum superadiectum diuinæ gratiæ ordinem. Vt enim locutio naturalis est homini à principiis naturalibus, ita appetere cœlestis patriæ fœlicitatem, naturale est homini ex principiis gratiæ, quia ex illis natum est prouenire. In quæstione autem 82. naturale attenditur penes modum, vt distinguitur contra liberalem, ideóque ibi dicitur, quòd naturaliter, id est non libere velle Deum in particulari. &c. solis Beatis conuenit, vnde nulla relinquitur inter dicta dissonantia.

AD secundam autem dubitationem respondetur, clare constare ex textu, quòd possibile sumitur secundum potentiam in rebus existentem, dum probatur in textu, ex naturali motu terræ ad centrum hoc, hæc enim probatio manifestat, de Physica potentia sermonem esse. Nam certum est, apud Theologos omnes, posse à Deo creari aliam terram extra istum mundum, & conseruari ibi in æternum.

¶ Ad primam igitur obiectionem dicitur, propositionem illam, Mundus constat ex tota sua materia, intelligi de omni totalitate materiæ, possibili tamen potentia Physica, quoniam hoc sufficit ad probandum in philosophia naturali, quòd constat ex tota sua materia simpliciter, hoc est sine additione aliqua. Et sic stant ista duo simul, q̃ mundus constat ex tota sua materia, & q̃ Deus potest per omnipotentiam suam similem materiam extra mundum

creare, quoniã primum intelligitur de tota sua materia possibili Physicè. Nec implicat contradictionem habere totam possibilem Physicè, & non habere aliquam partem, quæ per omnipotentiam diuinam fieret extra.

¶ Ad secundam autem dicitur, q̃ nulla apparet contradictio, ponendo plures Soles eiusdem speciei specialissimæ ex diuina omnipotentia, & quòd existentibus pluribus Solibus, nullius materia appeteret alterius formam, quia vtriusque materia contenta esset sua forma, sicut modò materia existens in vna parte cœlestis corporis homogenei non appetit esse in alia parte, & similiter in motibus pars sphæræ igneæ cõtigua accidentali parti orbis Lunæ nõ appetit esse in Oriẽtali parte eiusdem orbis. Et omnium vna communis est ratio, quòd in his, quæ sunt eiusdem rationis, vna est etiam ratio appetitiuæ quietis, ac per hoc quodlibet cõtentũ est illa portione, quam habet, & meritò, quoniam priuatio, quæ machinatur ad malum, non est in certa materia, propter formam eiusdem speciei. Nunquam enim Socrates corrumperetur, si materia eius non appeteret nisi formam humanam, quoniam illam iam habet, & sic de aliis.

¶ Ad tertiam dicitur, quòd aliud est aliqua esse idem, aliud est aliqua consequenter se habere. Vnde licet ad sensum expositum consequatur illa alia propositio: Nulla est potentia actiua in rebus creatis, quæ possit facere aliam terram, non tamen est idem quod sensus expositus, quoniam iuxta sensum expositum sermo est de potentia naturali, non descendendo ad actiuam aut passiuam, & secundum huiusmodi potentiam affertur ratio de motu naturali, & non de potentia vel impotentia generatiua terræ.

¶ Hæc sunt quæ velut à somno scientiarum speculatiuarum excitato occurrerunt respondenda. Reliquum est, vt attendas tibi & lectioni, & ores pro me, & bene vale. Romæ 23. Nouembris, 1522.

TRACTATVS NONVS, de vinculo obedientiæ, cuius est vnica quæstio.

QVÆSTIO.

Num Homo teneatur superiori obedire in his, in quibus parendo oportet periculo mortis se exponere.

VTRVM homo homini superiori teneatur obedire in his, in quibus oportet se exponere periculo mortis. Et videtur quòd non. Primo ratione, quia homo homini non est subditus, quo ad naturam, ac per hoc non tenetur vitam perdere ad mandatum alterius. Et cõfirmatur autoritate, quia S. Tho. in Secũda Secundæ, quæst. 105. art. 5. in corpore dicit, Tenetur homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus sunt agenda. In quibus tamen secundum ea, quæ ad naturam corporis pertinẽt, homo homini obedire non tenetur, sed solùm Deo, quia omnes homines natura sunt pares, puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem & prolis generationem. Hæc ille.

¶ Secundò, quia non tenetur homo secũdum charitatis ordinem ponere vitam corporalem pro quocũque exteriori bono, aut pro vita corporali alterius, quum plus teneatur diligere corporalem vitam suam, quàm proximi, & contra aut supra charitatis ordinem non tenetur homo homini obedire.

¶ Tertiò, quia humana iura de actionibus humanis intelliguntur salua consistentia, imò incolumitate subiecti, vt patet de præcepto ieiuniorum, de diuinis officiis persoluendis, de obseruatione festorum, non enim tenetur homo ad diuinum officium aut ad obseruationem festorum, si non potest hæc sine non solum vitæ, sed sanitatis periculo seruare. Eximit ergo periculum vitæ ab obedientia humana.

¶ Quartò, quia timor cadens in constantem virum, qualis est timor mortis, excusat ab omni iuris ac iudicij humani executione, ergo idem quod prius.

AD EVIDENTIAM huius quæstionis sciendũ est, quòd non distinguere inter per se & per accidens occasio est minus bene sentiendi. contingit enim etiam sapientes, inquit Arist. falli in iis quæ sunt per accidens. Aliud est igitur subdi hominem homini in his, quæ sunt naturæ, per se loquendo, & aliud per accidens. Subiici nanque per se, est directè & formaliter subiici, ita quòd possint illa directè & formaliter præcipi. Subdi verò per accidens est per concomitantia, aut sequelam ad illud, in quo per se subditur subiici. Exemplum, Homo homini non subditur per se secundum intentiones motus animi, & ideo non potest superior præcipere directè & formaliter interiores actus animi, soli enim Deo hoc est proprium. Subditur tamen per accidens, inquantum interiores animi motus sunt exteriorum actionum rationes, sic enim concomitantur exteriores actiones, in quibus homini homo per se subiicitur. Et ideo superiores aliter iudicant hominem ex malitia

ex malitia, aliter ex passione, aliter ex ignorãtia operantẽ. In proposito autẽ verissimũ est hominem non subdi homini in his, quæ ad naturã spectãt, sed hoc intelligitur per se & formaliter. & ideo nullus potest alteri præcipere vt se occidat, vt nõ comedat, vt nõ generet. Sed per accidens in his etiam homo homini subditur pro quanto hæc cõcomitanter se habent ad actiones, inquãtũ homo homini per se subditur, vt patet in laicis subditis, qui tenẽtur mandante principe, præliari, & exponere se mortis periculo, vt experiẽtia testatur: quia potest princeps præcipere, vt tueantur armis rempublicã, vt vlciscantur armis eandẽ: & huic annexũ est periculum mortis. ideo ex tali annexione subditur etiã, quo ad vitã. Ratio autẽ huiusmodi debitæ obedientiæ est: quia de humanorum actuũ subiectione iudicãdũ est secũdũ ea quæ insunt per se, & nõ secũdũ ea quæ sunt per accidẽs: sicut vniuersaliter de cæteris cõditionibus humanorũ actionũ cõsideratio & iudicium si non fiat per se, nõ rectè iudicãtur nisi diuinãdo, oportet ergo in spicere ad naturã operis humani, an sit per se de genere subditorũ superior homini, an sit de genere exemptorũ à subiectione humana, vt fecit Diuus Thomas in loco allegato, duo operũ genera per se eximens à subiectione humana, opera scilicet interiora animi, & opera naturæ sustentandæ, & ꝓpagandæ. Et aduerte q̃ etiam non per se subiectæ operationes alteri homini, possunt per accidens fieri subiectæ alteri homini: vt declarauimus. Quũ igitur cõstet, exteriores actus virtutũ necessarios ad commune bonũ politicum, vel domesticum subiectos esse homini superiori, quoniã & leges humanæ huiusmodi actus principum, & superiores ad hos cogunt subditos, non sunt à suo subiectionis ordine eximendi, ꝓpter accidentia annexa: vt testãtur præcepta de actibus fortitudinis. Si enim leges & præcepta principum de actibus fortitudinis exceptionem admittunt, quãdo est fortitudinis actibus annexum vitæ periculum, vanus est omnis principatus ad præcipiendũ quæ sunt fortis: vnde nil aliud est dicere, q̃ lex, aut princeps, aut superior nõ potest præcipere actus, quibus annexum est vitæ periculum, quã exterminare præcepta fortitudinis à potestate humana, quum fortitudo circa mortis pericula sit: quod quia absurdum, imò ridiculum est, stet iudiciũ in his, quæ sunt per se. Simile quoq; facile apparet in actibus religionis: præcipit ecclesiastica lex Missam celebrare non nisi cum sacris vestibus, cũ altari, cũ calice, si fiat exceptio de mortis periculo, sacerdos cõminata sibi morte celebrabit licitè in diploide, habẽs tantummodo panem & vinũ: quis fatuus diceret hæc? Similiter Episcopus cõferet ordines sacros in diploide sine vllis caremoniis, sola forma substantiali seruata ob comminatã sibi mortem: quod est sacrilegiũ. Ex quibus quilibet sapiẽs potest percipere, falsum esse fundamentũ, q̃ humana lex & superior homo nõ põt præcipere actus virtutũ vsque ad mortis periculũ inclusiuè, & q̃ subditi non tenẽtur obedire. Stetur ergo, vt dictum est, in his, quæ sunt per se, cẽsendo q̃ tã lex, quã superior homo potest præcipere oẽs exteriores virtutum actus necessarios ad cõmune bonum illud cuius curã habet, ad quod subditos habet. & subditi tenẽtur obedire, nõ obstãte quocunq; vitæ periculo annexo. Vnde quia prælatus põt præcipere subditis religiosis ea, quæ sunt ad mutua obsequia, inter quæ non infimũ tenet locũ cura infirmorũ: ideo tenetur subditus obedire ad seruiẽdum ægris etiam infectis epidimię morbo: quoniã hoc periculũ vitæ concomitanter se habet ad opus, quod per se præcipitur. Et seruitiũ infirmorum. Nec minus tenetur religiosus in his & similibus obedire quã secularis suo principi ad præliandum, vbi est maximũ mortis periculũ cõsistẽs. Et quoniam hoc clarum est, nõ me extendo amplius, sed ex his constat satisfactũ esse primæ rationi in oppositum allatæ, & autoritati S. Tho. verificãtur siquidem formaliter & per se: secus autem est quum concomitanter concurrit id quod est naturæ, seu vitæ ad illud quod per se præcipi potest.

¶ Ad secundã verò rationem de charitatis ordine, respondetur q̃ charitatis ordo habet, vt pro actu virtutis cuilibet exponat vitam suã corporalẽ, & miles pro actu virtutis, scilicet iustæ defensionis, aut iustæ vltionis, exponit vitã suam periculo, & seruient infectis pro actu virtutis, scilicet religiosi obsequij exponit se periculo mortis, & nõ pro bonis externis, aut corporali salute alterius. Cõstat autem hos & similes virtutum actus debitos posse præcipi, nec contra nec supra charitatis ordiuem, sed secundum charitatis ordinem quantum bonum animæ præstat corporali vita.

¶ Ad tertiã dicitur, q̃ actus virtuosi præcepti à iure positiuo relati ad vitæ periculũ, non sunt vniformes. Quidam enim sunt quorũ rectitudo destruitur ex vitæ periculo annexo, vt sunt actus abstinẽtiæ, qui si cũ crimine vitæ fiant, nõ sunt virtuosi, quoniã recta abstinẽtiæ ratio mediũ sic exigit, vt non subtrahatur necessarium ad vitam, & de his verificatur, q̃ leges humanæ intelligũtur salua consistentia subiecti. Quidam verò sunt quorum rectitudo constituitur ex periculo vitæ, vt actus fortitudinis, qui si discrimen vitæ effugerent, in vitium inciderent. Et simile est de reliquis actibus virtutum necessariis ad commune bonum, vt sunt obsequia, officia, ministeria necessaria ad commune bonum, in quibus est nonnulla fortitudo in sustinẽdo pericula vitæ superuenientia, sustinetur enim in tantum eorum rectitudo ex periculo vitæ, vt si huiusmodi periculum effugerent, in vitium inciderent timiditatis, & in huiusmodi non subintelligitur salua consistẽtia subiecti. Quidam verò sunt medij respicientes periculum vitæ omnino ac cidẽtaliter, vt sunt multi religionis actus, puta audire Missam, seruare festa, & huiusmodi. Et horum duplex est differẽtia. Nam quidam sunt, qui ex supradicto vitæ periculo & licite omittuntur, & supererogatorię fiunt, vt sunt actus prædicandi & corrigẽdi, qui quandoque (puta non cogente diuini iuris necessitate) possunt propter vitæ periculum omitti licitè, quia est licitum quandoque fugere: possunt & tunc nihilominus supererogare, volentes prædicare & reprehendere, vt Ioan. Baptista arguit Herodem: sciebat enim Herodes crimen suum, ita quòd non necessitatis, sed supererogationis erat Io. reprehensio. Quædam verò sunt, quæ si fiant propter timorẽ mortis: illicitè omnino fiũt, vt celebrare Missam absque sacris vestibus, calice, & altari, celebrare scienter coram excommunicatis nominatim, & reliqua similia. quæ si fiant propter timorem mortis, sunt illicita, quia nõ excusantur à toto, sed à tanto. Et horum omnium vna communis est ratio, quia legis & principis est præcipere actus virtutum necessarios ad commune bonum: vt autem declaratum est, à virtute recederetur, si mortis periculum in prædictis exciperetur.

¶ Ad quartam dicitur, quòd timor cadens in constantem virum, excusat iuxta prædictam distinctionem, quandoque à toto, vt in his, in quibus omissio, vel commissio ob mortis periculum à rectitudine non recedit. Et hoc gratia materiæ humanitatis pietate suffultæ plerunque fortè à Iuristis extenditur. Quãdoque autem excusat, sed à tanto coram Deo, quanuis coram humano iudice excuset à toto, vt in prædictis patet: & tunc moriendum est potius viro forti, quam incurrere obliquitatem etiam venialem. Romæ die 27. Decembris, 1522.

TRACTATVS DECIMVS, de Missæ Sacrificio & Ditu, aduersus Lutheranos, ad Clementem VII. Pontificem Maximum, in sex capita diuisus.

1 *Quænam sit operis intentio.*
2 *Conuenientia & differentia Lutheranorum cum Catholicis circa Sacrificium Missæ.*
3 *Ex institutione Christi Eucharistiam immolari.*
4 *Ex institutione Christi immolari Eucharistiam in remissionem peccatorum.*
5 *Obiectiones ex Epistola ad Hebræos contra sacrificium Missæ.*
6 *Responsio ad obiecta.*

CLEMENTI VII. PONT. MAX. THOMAS de Vio Caietanus Cardinalis sancti Xysti fœlicitatem.

ANDASTI Olim P. beatissime, vt tanquam institutor numij scriberem responsenda obiectis in libello de Cœna Domini, asserente corpus & sanguinẽ Christi in Eucharistia esse duntaxat, sicut in signo: oblato autem nuperrimè mihi libello Lutherano etiam de Cœna Domini affirmante, in Eucharistia verum Christi corpus & sanguinem, sed negante sacrificium Missæ. contra vniuersas etiam schismaticorum Ecclesias, existimaui non esse expectandum mandatum, sed officij mei partes exequi, manifestando rationes errandi in hac noua hæresi. Suscipiat itaque decernendam Apostolatus tui censura lucubratiunculam hanc, & fœlix Vale.

CAPVT I.

Quæ sit intentio operis.

VNIGVS Magister omniũ dominus Iesus Sadducæos (qui ex sacris libris solos libros Moysi recipiebant) confutãdo ex libris Moysi, docuit nos, vt aduersus hæreticos abstineamus à testimoniis, quæ nõ recipiunt: sed illis vtamur sacris testibus, quos nõ refutãt. Quo circa aduersus hæreticos, q̃ Lutherani vocantur, inuitentes solis testimoniis sacrarum Scripturarum, scripturus de sacrificio Missæ, ex solis sacris Scripturis disputationem doctrinámque omnem perficere intẽdo: tum ne glorientur in solido fundari sacrarum Scripturarum fundamento, negationem sacrificij Missæ. tum ne minus docti putent ex Ecclesiæ institutione, non Scripturæ authoritate, fulciri sacrificium Missæ: tum vt habeant Lutherani illi, qui ignoranter errant, vnde resipiscant.

¶ Vt autem clara fiat apud omnes veritas, primùm in quo conueniunt, & in quo differunt Lutherani à catholicis, deinde quid ex sacr

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex sacris scripturis de sacrificio Missæ habetur, & demum Lutheranæ obiectiones discutientur.

CAPVT II.

Conuenientia & differentia Lutheranorum cum Catholicis circa sacrificium Missæ.

CONSENTIVNT Lutherani Missam posse sacrificium memoriale appellari, ea ratione, quia in memoriam sacrificij obiati in cruce verum corpus Christi, cum vero sanguine Christi cõsecratur, veneratur & sumitur, dicente Domino, Hoc facite in mei commemorationem. Negant autem duo. Alterum est, offerri corpus, vel sanguinem Christi Deo, quamuis enim affirment in altari esse verũ Christi corpus, negant tamen illud verum Christi corpus offerri Deo. Alterum est, esse in altari hostiam, seu sacrificium pro expiatione peccatorũ, siue pro viuis siue pro defunctis. Et fundant vtrumque super doctrinam Epistolæ ad Hebræos vbi clarè vnica oblatio corporis Christi in cruce semel facta, sufficiẽs manifestatur pro peccatis totius mundi. Et propterea inferunt, quòd quamuis cultus corporis Christi in memoriam passionis, & mortis Christi fuit institutus à Christo, oblatio tamen corporis Christi tanquã hostiæ pro peccato, est adinuentio humana contraria documentis sacræ scripturæ.

CAPVT III.

Ex institutione Christi Eucharistiam immolari.

CATHOLICI autem agnoscimus in sacris literis scriptam esse institutionẽ immolationis Eucharistiæ. Euangelistæ enim (specialiter Lucas capite vigesimo secundo, specialiusque Paulus ad Corinthios vndecimo,) tradũt post multas actiones Domini Iesu in cœna, eum mandasse, Hoc facite in mei commemorationem. Quæ quia verba sunt Iesu Christi, libranda valde sunt, tum pronomen, Hoc, tum verbum Facite, tum, In mei commemorationem.

¶ Ad intelligendum itaque demonstratum per pronomen, Hoc, inspicienda sunt quæ præmittuntur. Præmittitur autem, quod Iesus accepit panem, gratias egit, fregit, dedit, dixit, Accipite, comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, vel secundum Lucam, datur. Statimque subiunxit, Ho, cfacite in mei commemorationem. Pronomen itaque, Hoc quum non arctetur ad demonstrandum aliquod præmissorum, & ad aliquod præmissorum non demonstrandum, consequens est vt demonstret vniuersitatem præmissorum.

¶ Verbum, Facite, multa fert mysteria. Nam non dicit, hoc dicite, sed, hoc facite, vt significaretur, quod id, quod mandat, non cõsistit in dicere, sed in facere, quodque dicere hic interueniens, non propter dicere, sed propter facere est, vt intelligeremus, ꝙ verba consecrationis sunt verba efficientia illud, quod significant. Et adiũgendo. In mei commemorationem, distinguit facere à commemorare, vt significãtius nõ dixerit, hoc cõmemorate, sed hoc facite in commemorationem mei. Mandat itaq; Dominus Iesus hoc, id est vniuersa præmissa, facere in memoriã sui. Actus ergo faciendi hoc: mandatur relatus ad recordationem Domini Iesu.

¶ Ex eo autem, quòd sub facere hoc, comprehẽditur non solum facere corpus Christi, sed etiam facere corpus Christi quod frangitur seu datur pro nobis, manifestum est Dominum Iesum mandasse facere corpus meũ, quod pro vobis frangitur & datur. Perinde autem est, Quod pro vobis frãgitur & datur, ac si diceretur, Quod pro vobis immolatur, neque enim aliter frangitur aut datur nisi pro quanto in cruce frangitur & datur (hoc est immolatur) pro vobis, facere autem corpus meum, quod pro vobis immolatur vt sic, perinde est, ac facere corpus meum, quatenus pro vobis immolatur.

¶ Vt autẽ hæc, quæ dicimus penetres, aduerte quòd si Dominus Iesus ob veritatẽ dũtaxat corporis sui significandam adiunxisset, quod ꝓ vobis frangitur, seu datur, sat fuisset dicere, quod in persona mea videtis, seu quodcunq; aliud eiusmodi. Sed absit à Domini Iesu Christi nomine, sermo nõ formalis, quo adempto, omnis tollitur certitudo sermonis, vagaretur enim per infinita accidentia. Dicendo itaque, quod pro vobis frangitur, seu datur, formali sermone significat: facite corpus meum, quatenus pro vobis offertur, & hoc ipsum facite in mei commemorationem.

¶ Porro ex eo ꝙ facere hoc in Christi memoriã, plus est quã consecrãdo facere corpus Christi (quia est etiã facere corpus Christi, quod datur & frangitur pro vobis) & plus est, quam recordari Christi (quia est facere Christi corpus quod datur ac frangitur pro nobis in Christi recordationem) & dari ac frangi pro nobis, est immolari pro nobis (nam dari significat in genere offerri, frãgi verò significat in specie modũ offerendi, per fractionẽ scilicet) dedit enim semetipsum Deo in cruce fractione manuũ, pedum ac lateris pro nobis, cõsequẽs est quòd mãdante Domino Iesu, hoc facite in mei cõmemorationem, mandatur hoc facite immolatio modo in mei commemorationẽ, facere enim corpus Christi quod immolatur, est facere illud immolando, seu per modũ immolationis, nã sic dũtaxat fit à nobis corpus Christi, quatenus immolatur, nã facto nõ fit à nobis corpus Christi, quatenus immolatur, nisi vtrunque facto impleatur, videlicet & consecrando facere corpus Christi, & immolando facere quod datur, & frangitur nobis adiuncto tertio, videlicet in Iesu Christi memoriam.

¶ Et aduerte prudens lector, facta in cœna Dominica, vt perpendas quã quadret institutio institutioni, & factũ facto, & immolatio immolationi. Cœna siquidẽ agni Paschalis, institutа in memoriã eductionis de Aegypto, in facto consistebat immolationis, ita ꝙ ipsa cœna erat immolatio Paschalis agni. Similiter nãq; Dominus Iesus completo sacrificio Paschalis agni, instituit nouum nostrũ Pascha seipsum, vt immolatur, dicendo, Hoc est corpus meũ quod pro vobis datur ac frangitur, hoc facite in mei memoriam. Ac si verbo dixisset, quod surrogationis facto dicebat, quemadmodum hactenus in memoriam exitus de Aegypto fecistis Pascha, ita deinceps hoc facite in meæ immolationis memoriam. Vt ipsa surrogatione noui Paschatis pro veteri loqueretur, ac diceret, Pascha illud fecistis immolando communi cœna, & hoc facite immolando communi mẽsa in mei cõmemorationem. Ita quòd ex ipsa surrogatione noui Paschatis veteri: significatur, quòd dicendo, Hoc facite in mei memoriam, intelligitur de facere immolatitio modo, nam & immolatitio modo fecerant vetus pascha.

¶ Hũc autem esse germanum sensum mandati istius, testãtur etiã facta recitata à Paulo 1. ad Corin. 10. Cõmemorat siquidem Paulus panẽ sanctũ, & poculũ sanguinis Christi inter immolata, supputat mẽsam nostrã inter altaria, decernit edẽtes & bibẽtes de mẽsa Domini inter comedentes & bibentes immolata. Ex quibus clarè patet, tum Apostolos intellexisse mandatum Christi, hoc facite in mei memoriam, de facere immolãdo Eucharistiam, tum Apostolorũ tempore Eucharistiã fuisse in Christi Ecclesia nõ solũ sacramentũ, sed etiam sacrificium, tũ in sacra Scriptura, & non solùm in vsu Ecclesiæ & libris Doctorum, haberi, immolationẽ corporis & sanguinis Domini. Verba autem Apostoli sunt hæc: Fugite ab idolorum culcu, vt prudentibus loquor, iudicate vos quod dico. Poculum benedictionis cui benedicimus? nonne cõmunicatio sanguinis Christi est? panis quem frangimus, nonne cõmunicatio corporis Christi est? quoniã vnus panis, vnũ corpus, multi sumus: nam omnes ex eodem pane participamus. Videte Israelem secundum carnem, nonne qui edunt victimas, participes altaris sunt? Quid ergo dico, ꝙ simulacrum aliquid sit, aut ꝙ simulacris immolatum aliquid sit? sed ꝙ quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autẽ vos communicantes fieri dæmoniorum, non potestis poculũ Domini bibere, & poculũ dæmoniorum, non potestis mensæ Domini participes esse, & mẽsæ dæmoniorum. Hæc ille. Ex his enim manifestè patet Apostolum inter victimas Israelis, & immolata dæmoniis recensere panem, quem frãgimus & poculum benedictionis, & inter altare Israelis & mẽsam dæmoniorum, mensam Domini, & intercedentes victimas altaris Israël & edẽtes immolata dæmoniis, edẽtes de mensa Domini & bibentes de illius poculo, & ex huiusmodi ratione arguere, quòd non possunt immolatorum Deo & dæmonibus participes esse. Nisi enim immolata essent Deo panis & calix Christi, vniuersa Pauli fabrica ex immolatis tã Deo vero ab Israẽlie, quam immolatus dæmoniis à Gentibus surgens rueret. Sed hoc tam clarum est testimonium, quòd panis & calix Christi tempore Pauli immolabantur, vt nostra clarificatione non indigeat.

CAPVT IIII.

Ex institutione Christi immolari Eucharistiã in remissionem peccatorum.

ALTERVM Lutheranis negatum in Missa, videlicet ꝙ sit hostia pro expiatione peccatorum, facilè ex eodẽ Domini Iesu mandato, eadem procedendo via mõstrãtur falsò negari. Nam Matth. 26. Dominus Iesus accepto calice non solum dixit, Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur, sed adiunxit, In remissionem peccatorum, & subiunxit, Hoc facite in mei recordationem. Sub mandato itaque hoc facite, comprehenditur facere immolando sanguinẽ Christi in poculo, non solũ quatenus effunditur, sed etiam quatenus effunditur pro multis in remissionẽ peccatorum. Sermo enim formalis significat, ꝙ quemadmodũ effusio sanguinis in remissionem peccatorum est ipsa cruẽta hostia pro peccatis nostris ita facere poculũ sanguinis, qui effunditur in remissionem peccatorum vt sic, est immolare poculum sanguinis quatenus effunditur in remissionem peccatorum, quatenus operatur remissionem peccatorum, effundi enim in remissionẽ peccatorũ est operari remissionẽ peccatorũ, quãtũ est ex parte sua, quicquid sit de effectu. Non igitur humana est adinuentio, sed intelligentia & obedientia diuini mandati, tum offerre corpus & sanguinem Christi sub specie panis & vini in memoriam Domini nostri Iesu Christi, tamen hęc ipsa offerre pro expiatione peccatorũ, vt optima legis interpres cõsuetudo vniuersarum Ecclesiarum, non solũ Latinarum, & Græcarũ, sed Armenarum, Persarum & reliquarum per orbem diffusarum ab antiquo semper interpretata est.

CAP

CAPVT V.

Obiectiones ex Epistola ad Hebræos contra sacrificium Missæ.

DVERSVS Hæc duo instituta insurgunt Lutherani ex multis dictis in Epistola ad Hebr. cap. 7. vsque ad decimũ inclusiuè. Et cõtra quotidianã quidẽ oblationẽ Eucharistiæ arguunt tripliciter. Primò, ex multitudine sacerdotum. Nam ibidem differentia ponitur inter Christum sacerdotem noui Testamenti, & sacerdotem veteris Testamẽti, quòd ille est vnicus, istum autem oportet multiplicare: quia ille æternus, iste temporalis: inconueniens ergo est in nouo Testamento affirmare talem hostiam, cui non sat est vnicus sacerdos, Christus. sed oportet succesiuè, secundum temporum succesus sacerdotem sacerdoti succedere: vt oportere videmus in Missæ sacrificio. Secundò, ex repetitione oblationis. Nam ibidem differentia scribitur inter sacrificium veteris Testamẽti & sacrificium noui Testamenti, quod illud repetebatur tum singulis diebus à sacerdotibus simplicibus: tum singulis annis à summo Sacerdote: hoc autem nec quotidie nec quotannis repetitur, sed semel oblatum est: inconueniens est ergo, in nouo Testamento sacrificium affirmare, ꝙ oportet sæpe repetere. Tertiò, ex parte rei oblatæ. Nam ibidem differentia inter sacrificium veteris & noui Testamenti, ponitur, quòd tunc sanguine hircorum, &c. vtebatur sacerdos: nunc autem per proprium sanguinem semetipsum semel obtulit: inconueniens ergo est, per nos offerri sub speciepanis & vini, qui semel sufficienti: ssimè oblatus est Christus à seipso.

CONTRA hoc verò, videlicet ꝙ Eucharistia sit hostia pro peccatis, arguunt etiam tripliciter. Primò ex repetitione: quia ibidem hostiarum veteris Testamenti infirmitati ad delẽda peccata, ascribitur repetitio Hostiæ. Si enim peccata purgassent, desiissent offerri: & ideo noui Testamenti hostia tollens peccata, non repetitur: inconueniens ergo est, in nouo testamento affirmare hostiam pro peccatis, quam oportet repetere: qualis est Missa. Secũdò, ex sufficiẽtia sacrificij Christi, quia Christus vnica oblatione semetipsum offerens in cruce, consummauit omnes accedentes ad eum, &c. iniuria ergo fit sufficientissimæ Christi hostiæ pro peccatis totius mundi, addendo hostiam aliam in nouo Testamẽto pro peccatis. Tertiò, ex parte aboliti orum peccatorum: quia (vt ibi dicitur) vbi non restant peccata expianda, non est opus hostia pro peccatis: sed omnia peccata sunt abolita per gratiam noui Testamenti, quod Christi morte firmatum est: non est ergo locus alteri hostiæ pro peccatis in nouo testamento.

CAPVT VI.

Responsio ad obiecta.

FVNDAMENTVM Veritatis & intelligẽdi diuersa sacræ Scripturæ dicta circa noui Testamẽti sacrificium ac sacerdotium est vnitas hostiæ, simpliciter & absolutè immolatæ semel in cruce ab ipso Christo secundum seipsum, & secũdum quid immolatæ quotidie ab eodẽ per ministros in Ecclesia sua. Ita ꝙ in nouo Testamento est hostia cruenta, est & hostia inc ruenta. Hostiã siquidem cruentã agnoscimus Iesum Christum in crucis ara oblatũ semel pro peccatis totius mundi: hostiam verò incruentam agnoscimus institutã à Christo, corpus & sanguinem eius sub specie panis & vini: vt citatæ Scripturæ testantur. Verùm hostia cruenta & incruẽta nõ sunt hostiæ duæ, sed hostia vna: quia res quæ est hostia, est vna et res, non enim Christi corpus in nostro altari est aliud ab illo Christi corpore, quod oblatum est in cruce nec sanguis Christi in nostro altari alius est ab illo Christi sanguine, qui fusus est in cruce. Modus verò hanc vnã eãdemque hostiã immolandi, alter est, quia ille vnicus substantialis ac primæuus immolãdi modus, fuit cruẽtus, vtpote in propria specie corporis fractione in cruce sanguinẽ fundẽs, iste vero quotidianus externus accessoriúsq; modus, est incruẽtus, vtpote sub specie panis & vini oblatum in cruce Christũ, immolatitio modo repræsentans. Quocirca noui Testamẽti hostia cruẽta & incruẽta, vnica est ex parte rei oblatæ, & ex parte modi offerẽdi, licet sit diuersitas, quia tamẽ iste modus, s. incruentè immolare, non est secundum seipsum tanquã disparatus modus immolandi institutus, sed duntaxat vt refertur ad cruentam in cruce hostiam, consequens est apud sapientes, & penetrãtes, ꝙ vbi vnum non nisi propter alterum, ibi vnũ duntaxat est, consequẽs inquam est non posse affirmari, propriè loquendo, duo sacrificia aut duas hostias aut duas oblationes, immolationes, & quouis nomine appelles, esse in nouo Testamẽto, ex hoc ꝙ est in hostia cruẽta Christus in cruce & hostia incruẽta, Christus in altari, sed esse vnicam hostiã semel oblatã in cruce, perseuerãtẽ modo immolatitio quotidiana repetitione ex institutione Christi in Eucharistia. Perseuerantiã autem hostiæ in cruce oblatæ singimus in nostro altari: sed ex identitate rei oblatæ in cruce & in altari habemus, ex eo enim, quòd vnum atque idem Christi corpus est, quod oblatum est in cruce, & illudmet offertur in altari, clare, patet, non esse aliam hostiam in altari & in cruce, sed eam, quæ in cruce oblata semel est, perseuerare alio tamen modo in altari, mediante Christo, Hoc facite in mei commemorationem. Si nanq; iunxeris hæc duo, videlicet, hoc facite, &, in mei memoriam, perpendens quòd vnum atque idem illud, quod tunc fiebat, facimus in Christi memoriam, quod est illud vnũ atque idem quod tunc frangebatur & effundebatur, perseuerare sub specie panis & vini in memoriam Christi.

EX his igitur ad singula obiecta sigillatim diluenda descendendo, dicitur ad primum de vnitate sacerdotis, quòd in nouo Testamento vnicus est sacerdos Christus, & ipsemet est sacerdos in nostro altari, nam ministri quique non in personis propriis, sed in persona Christi consecrant corpus & sanguinem Christi, vt testãtur verba consecrationis, ac per hoc vices Christi agentes offerunt, non enim dicit sacerdos, Hoc est corpus meum, faciendo in Christi persona sub specie panis, corpus Christi, iuxta mandatum Christi, hoc facite. Et quum infertur, inconueniens esse affirmare hostiã in nouo Testamento, cui non sat est Christus, sed oportet succedere ministros, respondetur quòd aliud est affirmare disparatam hostiam requirentem succesionem sacerdotum, & aliud est affirmare perseuerantiam hostię in cruce oblatæ requirentem succesionem ministrorum. Primum enim dedeceret noui Testamenti statum. secũdum autem consentaneum nouo Testamento est, vt iugis vigeat victima vnica illa semel oblata.

¶ Ad secundum ex parte repetitionis, dicitur, quòd in nouo Testamento non repetitur sacrificium seu oblatio, sed perseuerat immolatitio modo vnicũ sacrificium semel oblatum, & in modo perseuerandi interuenit repetitio, non in ipsa re oblata, nec etiam ipse, qui repetitur modus, concurrit ad sacrificium propter se, sed propter oblationem in cruce commemorandam incruentè. Huius autem modi repetitionem non esse contra doctrinam Epistolæ ad Hebr. testantur verba illius, inferentia quòd si repeteretur noui Testamenti sacrificium, oportuisset Christum sæpe pati. De repetitione igitur sacrificij manifestat se loqui, non de repetitione istius modi à Domino Iesu Christo instituti.

¶ Ad tertium ex parte rei oblatæ, dicitur ꝙ cùm hoc, ꝙ Christus semel proprium sanguinem sufficientissimè & abũdantissimè fuderit in cruce, quadrat vt perseueret immolatitio modo in Eucharistia illa vnica ac sufficientissima sanguinis in cruce effusio.

AD primum autem cõtra Eucharistiam, quatenus affirmatur hostia pro peccatis dicitur concedendo, quòd ex hostiæ impotentia ad delenda peccata decreta est in lege veteri repetitio eiusdem hostiæ. Et quum infertur, inconueniẽs esse, in nouo Testamento affirmare hostiam pro peccatis, quam oportet repetere: conceditur totum propriè loquendo: quia non repetitur in Missa hostia, sed illamet hostia in cruce oblata perseuerãs immolatitio modo recolitur in qualibet Missa.

¶ Ad secundũ autem dicitur, quòd absit à fidelium mẽtibus etiam cogitare, quòd ad supplendam efficaciam hostiæ in cruce oblatæ celebretur Missa: celebratur enim tanquam vehiculum remissionis peccatorum per Christum in cruce factæ: ita quòd quemadmodum non est alia hostia, ita non aliam affert remissionem peccatorum. Nam quemadmodum Christus per proprium sanguinẽ penetrauit cœlos perseuerans sacerdos in æternũ ad interpellandum pro nobis (vt in eadem Epistola scribitur:) ita perseuerat nobiscum per Eucharistiã immolatitio modo, intercedendo pro nobis. Sicut enim sufficientia & efficacia summa sacrificij in ara crucis non excludit perseuerantiam Christi in cœlis in officio interpellandi pro nobis: ita non excludit perseuerantiam eiusdem nobiscũ immolatitio modo ad intercedẽdum pro nobis. Nam quẽadmodum continua intercessio Christi pro nobis in cœlo, nõ derogat vnicæ intercessioni mortis Christi: ita non, imò multò minus eidem derogat perseuerantia Christi immolatitio modo, ad intercedendum pro nobis, vt participes simus remissionis peccatorũ in ara crucis factæ quando ista intercessio fit per mysterium sub specie panis & vini: illa autem in cœlo fit per Christũ in propria specie, in qua crucifixus est. Si enim derogationi locus esset, magis derogaret vnicæ mortis intercessioni, vt post mortis intercessionem intercedat Christus sub specie propria, quàm sub specie alienа: illud nanque intercedere præ se fert quasi supplementum intercedendi: hoc autem præ se fert ęremonialem intercedendi modum, nobis valde consonum.

¶ Ad tertium dicitur, quòd cum grano salis intelligẽdum est peccata esse nobis remissa per Christi mortem: videlicet per Christi mortem applicatam nobis per instituta à Christo sacramenta: in hoc enim Christiani omnes conuenimus. Inter sacramẽta autem à Christo institutа supputatur & est sacramentum Eucharistiæ institutum ab ipso Christo immolatitio modo, vt declaratum est ex verbis Christi & Pauli. Et ideo si qui inter Christianos sunt egentes post Baptisma remissione peccatorum, Eucharistiæ hostia prodesse potest illis ad remissionẽ peccatorum applicando efficaciam mortis Christi ad illos: non egentibus autem remissione peccatorum, prodest ad vegetationem animæ, quemadmodum

cibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

cibus & potus corporeus vegetat corpus, sacramentum enim Eucharistiæ quamuis immolatitio modo institutũ sit etiam pro expiatione peccatorũ facta per crucẽ Christi applicãda colẽtibus, nõ tamen est institutũ ꝓpter hoc dũtaxat, sed pro aliis animæ bonis. ¶ Cum omnibus igitur scriptis in Epistola ad Hebræos, stat sacrificium Missę, quòd Ecclesia catholica edocta Christo & Apostolis celebrat. Et hæc sint dicta extensione ibidem dictorũ admissa ad Eucharistiæ hostiam: noui enim, quòd iuxta genuinum sensum, de sacrificiis cruentis tractat Autor illius Epistolæ, monstrans excellentiam cruenti sacrificij oblati à Christo condendo nouum testamentum relatiuè ad sacrificia omnia veteris Testamẽti. Visum siquidẽ est expedire claritati veritatis Catholicæ, admittere huiusmodi extensionem, vt nulla ex parte hæsitandi locus relinquatur, ad Dei gloriam. Romæ die tertio Maj, M. D. X X X I.

Tractatus de sacrificio Missæ, editi per Reuerendissimum Dominum, Dominum Thomam de vio Caietanum Cardinalem Sancti Xysti, finis.

TRACTATVS VNDECIMVS, de Fide & operibus, aduersus Lutheranos, ad Clementem VII. Pont. Max. in duodecim capita diuisus.

1 *Positio Lutheranorum de fide.*
2 *Primus in prærecitatis error, quòd incidit æquiuocatio in nomine fidei.*
3 *Secundus in prærecitatis error, quòd dicta credulitas apprehẽdit remissionem peccatorum.*
4 *Tertius in prærecitatis error, quòd ante Christianitatis aduentum remittuntur peccata pœnitentibus.*
5 *Positio Lutheranorum de operibus.*
6 *Quid & quomodo intelligatur meritum in proposito.*
7 *Humana opera esse meritoria alicuius à Deo.*
8 *Opera viuorum Christi membrorum esse meritoria vitæ æternæ.*
9 *Modus, quo opera nostra meritoria sunt vitæ æternæ.*
10 *Valor operum existentium in peccato mortali.*
11 *Opera nostra esse satisfactoria pro peccatis.*
12 *Responsio ad obiectiones quarto capite scriptas.*

PRAECEPTIS beatitudinis tuæ, Clemẽs septime Pontifex Maxime, etsi semper parere fas est, nũc tamen etiam iucundum mihi est: venena siquidem Lutherana de fide & operibus diffundi etiam in corda fidelium timens, cupiebam vt iretur obuiam, & non nisi paulò ante beatitudinis tuæ mandatum cogitauerã animum ad scribendum tractatum hunc appellere. Suauissima itaque hęc obedientia venit, vtinã & Christi fidelibus fructuosa, & tuæ beatitudini (cui etiam censura libelli huius incumbit) grata.

CAP. I.

Positio Lutheranorum de fide.

MAGNIFICANTES Lutherani Euangelicã doctrinam de æterna salute hominum per fidem Mediatoris Dei & hominum hominis Christi Iesu, docẽt homines consequi remissionẽ peccatorũ per fidem in Iesum Christum, extẽdendo nomen fidei ad credulitatem, qua peccator accedens ad sacramentum credit se iustificari ex diuina misericordia, intercedente Iesu Christo. Et vsque adeò magni pendunt hanc credulitatem, vt dicãt eam assequi remissionem peccatorum ex diuina promissione. Aiunt enim ꝙ nisi homo habeat huiusmodi firmã credulitatẽ diuini Verbi, iniuriã facit diuino Verbo, minus credẽdo diuinæ promissioni: si autem firmiter credit se iustificari, suscipiendo sacramentum, verè iustificantur, alioquin non esset vera & efficax diuina promissio.

¶ Nonnulli quoque Lutherani vsque adeò extollunt huiusmodi fidem, vt eam assequi remissionem peccatorum antequam peccator habeat charitatem, doceant ea ratione quia fides iustificans distinguitur contra legẽ longo sermone à Paulo Apostolo, charitas autem comprehenditur sub lege, quoniam diligere Deũ ex toto corde, &c. est primum & maximum mandatũ in lege, vt Dominus in Euangelio dicit Matth. 22. Hæc sunt in quibus consistit nerus doctrinæ Lutheranæ de fide.

CAPVT II.

Primus in prærecitatis error, quod incidit æquiuocatio in nomine fidei.

FIDEI nomen aliud significat cum de illa sacræ literæ tradunt, ꝙ iustificat homines, & aliud significat credulitatẽ qua homo credit se iustificari per Christũ & sacramenta, nam fides iustificans est quæ significat id quod per eius diffinitionem manifestatur ad Hebr. 11. dicendo ꝙ fides est sperandarũ substantia rerum, argumẽtum non apparentium. sic enim sumpta est vna trium virtutũ theologalium, dicente Paulo, Nunc autẽ manent fides, spes, & charitas. Et fides in hac significatione sumpta est, quæ est donũ Dei, vt dicitur ad Eph. 2. ꝙ quã saluamur, & sine qua impossibile est placere Deo, & ex qua credimus omnes articulos fidei & quæcunque sunt de necessitate salutis credenda.

¶ Fides autem significans credulitatem, est qua iste homo credit se iustificati, hic nunc suscipiendo hoc sacramentum ex merito Christi, multum distat à fide primo modo sumpta. Quod declaratur, tum ex parte rei creditæ, quoniam fidei non potest subesse falsum, credulitas autem ista potest falli. Et ratio est, quia credulitas ista est de singulari effectu hic nunc, & in hoc prouidens partim ex fide necessaria ad salutem, & partim ex humana coniectura: pro quanto enim est de merito Christi & sacramentis, impertur à fide, pro quanto autem est de effectu hic nunc in seipso ex humana prouenit coniectura. Nam sub fide Christiana clauditur, quòd quilibet cõfidens in merito Christi, & ritè intus & extra suscipiens sacramentum, iustificatur ex diuina gratia, sed non extenditur Christiana fides ad credendum, quòd ego nunc sim intus & extra suscipiẽs ritè sacramentum, quemadmodum ex Christiana fide teneor credere in hostia ritè consecrata esse verum Christi corpus, sed Christiana fides non se extendit ad credendum, quòd in hac hostia ab isto nunc in hoc altari celebrãte est corpus Christi: quoniam hoc potest aliunde esse falsum. Tum quia fides omnium Christianorum est vna, iuxta illud ad Eph. 4. Vnus Dominus, vna fides: perspicuum est autem ꝙ sub fide quæ est in me, nõ continetur credere ꝙ ille suscipiens sacramentum nunc iustificetur, aut quòd in illa hostia est corpus Christi, ergo sub nullius fide credere hunc singularem effectum huius sacramenti in hoc nomine comprehenditur. Ex vnitate ergo fidei apparet secundo diuersitas dictæ credulitatis à fide. Et propterea primus in hac re Lutheranorum error est, quòd ea quæ attribuuntur in sacra Scriptura fidei, attribuunt huic credulitati, semper enim cum hanc docent credulitatem textus sacræ Scripturæ citant, tractantes de fide, puta, Iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum, & fide purificans corda eorum, & infinitos similes textus.

CAPVT III.

Secundus in prærecitatis error, quod dicta credulitas apprehendit remissionem peccatorum.

QVOD autem dicũt, quòd huiusmodi credulitas assequitur remissionem peccatorum, potest & bene & male dici & intelligi. Nã si dicatur & intelligatur, ꝙ hæc credulitas formata fide & charitate assequitur veniam peccatorum, verum est, si autem secluditur charitatis formatio, falsum est, quoniam, vt Augustinus dicit 15. de Trinit. c. 18. nullum est isto Dei dono excellentius, solũ est quod diuidit inter filios regni æterni & filios perditionis æternæ.

¶ Et scito, ꝙ hæc credulitas communis est omnibus deuotè accedentibus ad sacramenta, nam quilibet deuotè accedens ad quodcunque sacramentum, credit suscipiendo illud se iustificari ex merito passionis & mortis Christi, alioquin non accederet. Sed non est par in omnibus ista credulitas, vnus enim magis credit se iustificari, quam alter, & regulariter cum hęsitatione de proposito inest deuotis mentibus ista credulitas, quia nulla Scripturæ autoritate, nullo Ecclesiæ documento docemur, oportere nos huiusmodi credulitatẽ habere absque hæsitatione aliqua. Ratio autẽ hæsitandi est, quia communiter nullus scit, an ex parte sui impedimentũ aliquod inueniatur suscipiẽdi donũ remissionis peccatorum, nullus regulariter scit an ipse desit gratiæ Dei, & propterea sic hæsitans, nullam iniuriam infert diuinæ promissioni, quoniam non hæsitat ex parte Dei, non hæsitat ex parte meriti Christi, non hæsitat ex parte sacramẽti, sed hæsitat ex parte sui: scriptũ est enim, Delicta quis intelligit? Testatur quoque hanc communem hæsitationem de effectu singulari diuinæ misericordiæ (hoc est remissionis peccatorũ istius viri nunc deuotè conuersi ad Deum) Ioel Propheta, cap. 2. nam de iis qui conuertendi erant ad Deum ex toto corde, in ieiunio, fletu, & planctu, citata diuinæ misericordiæ excellentia super peccata, subiungit, Quis scit si cõuertatur Deus, & ignoscat? Neminem ergo eorum, qui conuertebantur, certũ esse, sed quemlibet sub hæsitatione esse, an ignosceret Deus illi, manifestat.

¶ Et confirmatur, quia credulitatis hæsitatio nõ rationabiliter tollitur nisi ex aliqua trium causarũ, videlicet vel diuina reuelatione, quæ in proposito non habet locum, quia quamuis Deus reuelauerit, ꝙ omnes, qui ritè intus & extra cõfidunt se consequi remissionem peccatorũ per meritũ Christi consequuntur illam, non tamẽ reuelauit, ꝙ iste nunc ritè conuertitur intus & extra, hic enim effectus particularis non comprehenditur sub reuelatione cui innititur fides Christiana. Vel ex sufficientia testimoniorum cõuincentium ad aliquod singulare credendum, sicut sufficientia testimonia conuincunt eum, qui nunquam egressus est è Roma, ad credendum ꝙ inueniatur in insula Calicut, seu Taprobane. clarũ est enim in credulitate, qua iste credit se iustificari non interuenire testimonia conuincentia intellectum ad credẽdum hũc effectũ nũc in seipso. Vel ex qualitate testium, puta quia sunt omni exceptione maiores, iuxta quod dixit Apostolus ad Romanos octauo, quòd Spiritus sanctus cõtestatur spiritui nostro ꝙ sumus filij Dei. Nã hæc cõtestatio præsupponit remissionẽ peccatorum factam, quia præsupponit illũ, de quo testantur esse filiũ Dei, vt clarè ipsa litera sonat: credulitas autẽ ista, quã Lutherani ponunt, non præsupponit remissionẽ peccatorum in illo, sed apprehendit illam, vt præcedens apprehendit quod sequitur. Voluntarij igitur dogma est, dicere ꝙ huiusmodi credulitas in verbo Christi, in merito passionis eius, &c. infallibiliter dat remissionẽ peccatorum. Et ideo à Leone 10. inter damnatos Lutheri articulos annumerati sunt articuli dicẽtes, Peccata nõ sunt vlli remissa, nisi remittẽte sacerdote, credat sibi remitti, imò peccatũ maneret, nisi remissum crederet. non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum. Nullo modo confidas absolui propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi, Quodcunque solueritis, &c. hic inquã cõfide si sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortiter te absolutum, & absolutus vere eris, quicquid sit de contritione: si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed ioco absolueret: si tamẽ credat se absolutum, verissime est absolutus.

CAPVT IIII.

Tertius in prærecitatis error, quòd ante charitatis aduentum remittuntur peccata pœnitentibus.

INtolerabilius autem est dimitti peccata ante charitatem infusam illi, cui dimittuntur peccata: quod sic clarissimè conuincitur. Impossibile est ex inimico reddi amicum sine amicitia, cum amicus sine amicitia nec intelligibilis sit, quemadmodum nec albus sine albedine intelligibilis est. Sed cum homo ex iniusto sit iustus per Christum, fit ex inimico Dei amicus Dei, dicente Apostolo ad Ro. 5. Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: reconciliatio enim amicum reddit reconciliatum. Ergo peccatorem iustificari sine amicitia Dei, nec est possibile, nec intelligibile: charitas autem est ipsa amicitia inter hominem, & Deum: est enim amor amicitiæ hominis ad Deum, & econtra, iuxta illud, Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo: & ibidem (s. primę Ioannis quarto.) Diligimus Deum, quia ipse prior dilexit nos. In mutuo enim amore consistit amicitia: ergo per charitatem formaliter fit remissio peccatorum. Ita quòd vna atque eadem res est, quæ vocatur iustitia fidei, & charitas: sed iustitia fidei vocatur, quatenus ea homo est iustus apud Deum, secũdum rationes diuinarum rerũ atque actionum, quas credimus, appetitiu sensibili debitè subdito voluntati, & voluntate rectę rationi, & recta ratione Deo secundum rationes eorum, quæ de eo, ac cælesti patria fide tenemus. Nominatur verò charitas, quatenus est amor amicitiæ ad Deum communicantem nobis ciuitatem cœlestis patriæ: iuxta illud ad Phil. 3. Nostra autem politia in cælis est: & ad Eph. 2. Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei. & Cant. 2. Dilectus meus mihi, & ego illi.

¶ Et hæc sola ratio, quia cõuincit intellectũ, sufficit, fulta nihilominus autoritate Christi, Petri, Ioannis & Pauli est: isti enim omnes attribuũt remissionem peccatorũ fidei, & charitati simul. Et Christus quidẽ Luc. 7. peccatrici dixit, Fides tua te saluam fecit: & de eadem dixit, Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. In quibus verbis dilectionem esse proximam causam remissionis peccatorum testatur coniunctio. Quoniam, dum dicitur, Quoniam dilexit: fides enim inchoatiuè, charitas autem completiuè est causa remissionis peccatorũ. Petrus Apostolus Actuum decimo ait, Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere omnes, qui credunt in nomine eius: & in primę suę Epistolę capitulo quarto ait, Charitas operit multitudinem peccatorum. Ioannes similiter Apostolus in prima sua Epistola capitulo quinto ait, Omnis qui credit, ꝙ Iesus est Christus, ex Deo natus est. & in capitulo tertio dicit, Nos scimus, quòd translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit, manet in morte. Nec obstat si dicatur, quòd ad literam Ioannes loquitur de dilectione proximi, quoniam perspicuum est vnam atque eandem esse charitatem, qua diligimus Deum propter seipsum, & proximum propter Deũ, vt habetur primæ Ioannis 4. & de tali duntaxat fratrum dilectione verificatur translatio de morte ad vitam.

¶ Paulus demum Apostolus ad Rom. 5. ait, Iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum. Et 1. ad Cor. 13. Si habuero omnẽ fidem, ita vt montes transferam, charitatẽ autẽ non habuero, nihil sum, in esse spirituali, quo constituimur filij Dei. Et ad Galatas quinto, Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur. Vbi clarè non fidei qualicunque, sed per dilectionem operanti, attribuit valere in Christo. Perspicuum est igitur, verissimam esse communem Ecclesiæ doctrinam, quòd non per fidem informem, sed per fidem formatã charitate fit remissio peccatorum. Ita quòd autoritates authenticæ sonantes, iustificari nos per fidem, intelligũtur ad literam de fide formata, amicitia diuina, quam vocamus charitatem.

¶ Ad obiectionem autem in oppositũ (ex eo ꝙ fides distinguitur contra legẽ, & dilectio cõprehenditur sub lege) respõdetur quòd Legis nomẽ aliter sumitur à Christo, cùm dicitur, ꝙ hoc est primum & maximum mandatum in Lege: & aliter sumitur, cum fides distinguitur ab Apostolo cõtra legẽ. Nã Christus vtitur Legis nomine, vt comprehendit omnia mãdata diuina, scripta in libris Moysi. Apostolus autem vtitur Legis nomine arctius, vt distinguitur in præcepta moralia, cæremonialia, & iudicialia.

¶ Nec ego fingo hanc dilectionem, sed ex Scriptura ipsa sacra sic habeo, vt etiam aduersarios oporteat eis assentire. Quòd enim Christus vtatur sic large Legis nomine, ex eo conuincitur, quòd in eodem tex. Deut. 6. vnde citatur præceptum de dilectione Dei immediate ante ponitur præceptum fidei, dicendo, Audi Israël, Iehouah Eloenoster, Iehouah vnus: sub eodem ergo contextu legis ponuntur præceptum fidei, vt eredatur Deus vnus duntaxat, & præceptum dilectionis eiusdem Dei, vt intelligamus, quòd non magis sub lege clauditur præceptum charitatis, quàm præceptum fidei, loquẽdo de lege largo vocabulo: vt hinc etiam clarè pateat, quòd quemadmodum fides distinguitur contra legem ab Apostolo, charitas quoque pariter distingui cointelligitur contra eandem legem. Loqui autem Apostolum de lege, seclusis iis quæ sunt fidei & charitatis, patet ex eo, quòd appellat eam legẽ factorum, & dicit eã seruari naturaliter ab Ethnicis: ait enim ad Ro. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt: certum est enim, quòd non faciunt naturaliter ea quæ charitatis sunt. Æquiuocè igitur vtitur obiectio hæc Legis nomine, & propterea nihil valet: dilectio enim Dei clauditur sub lege factorum, contra quam distinguitur fides, sed sub eadem lege, sub qua clauditur fides, vt patet Deut. 6. vbi simul dantur præcepta fidei, & dilectionis Dei. Ad alia autem à Lutheranis obiecta, patet ex dictis responsio. Et hæc de fide sufficiant.

CAPVT V.

Positio Lutheranorum de operibus.

DOCENT Lutherani opera nostra nõ esse meritoria gratiæ, nec vitæ æternæ, nec esse satisfactoria pro peccatis, eo quòd sufficientissimè Christus meruit nobis gratiam remissionis peccatorum, & vitam æternam, & sufficientissimè satisfecit pro omnibus: & proinde nefas esse attribuere operibus nostris esse meritoria gratiæ (seu remissionis peccatorum) aut vitæ æternæ, & esse satisfactoria pro peccatis nostris. Nam hoc redundat in opprobrium Christi, quãdoquidem quod est proprium Christi attribuere nobis, blasphemia est: & detrahere rut merito ac satisfactioni Christi, vtpote insufficientibus, si opus esset meritis & satisfactionibus nostris.

¶ Fulciuntur autem hæc multis sacræ Scripturæ autoritatibus. Et in primis, quòd non mereamur per nostra opera remissionẽ peccatorum, probatur ex eo, ꝙ Paulus ad Rom. & ad Gal. probat nos iustificari non ex operibus, sed ex fide, iuxta illud Abac. 2. Iustus ex fide viuet: & ad Titum scribit, Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit: & ad Ephes. 2. Gratia saluati estis per fidem, idque non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.

¶ Quòd verò per opera non mereamur vitam æternam, sed per Dei donum, scribitur ad Rom. 6. Stipendia peccati mors, donum autem Dei, vita æterna. Ad idem quoque & ad probandum simul, ꝙ opera nostra, quantũcunque iusti simus, non sint satisfactoria pro peccatis, affertur illud Luc. 17. Cum feceritis omnia quæ præcepero vobis, dicite, qđ debuimus facimus, serui inutiles sumus. Si enim facientes omnia præcepta Christi, sunt serui inutiles, ergo non merentur mercedem: ergo multò magis qui non faciunt omnia præcepta, sed egent satisfactione pro peccatis, sunt inutiles ad satisfaciendum.

¶ Authoritates autem, quibus manifestatur sufficientia meriti, & satisfactionis Christi pro nobis, omittendas duxi, quia de hoc nulla est quæstio.

¶ Docent igitur Lutherani opera bona esse facienda, quia sunt præcepta à Deo, quia sunt fructus fidei iustificantis, & non vt sint meritoria æternæ vitæ, aut satisfactoria pro peccatis.

CAPVT VI.

Quid & quomodo intelligatur meritum in proposito.

ANTEQVAM declaretur, opera nostra esse, vel non esse meritoria, præmittendum est summariè, quid Meritũ significet, & qualiter à Theologis intelligatur in operibus nostris in proposito. Meritum appellatur voluntarium opus siue internum, siue externum, cui iure debetur merces, seu præmium, dicente Apostolo ad Rom. 4. Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiã, sed secundum debitum. Et propterea ad meritũ cõcurrunt quatuor, videlicet persona quæ meretur, & operatio voluntaria, quæ est ipsum meritũ, & merces debita merito, & persona reddẽs mercedẽ: frustra enim quis mereretur, nisi mereretur ab aliqua persona, reddẽdam sibi mercedẽ.

Et quoniã de nostro merito apud Deũ est quæstio, oportet declarare quomodo verificatur, homines mereri à Deo meredem sui operis. difficile ẽm apparet, q̃ operi nostro iure reddatur merces à Deo, quoniã inter nos & Deũ non est ius simpliciter & absolutè, iuxta illud, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: sed est ius secundum quid, multò minus quàm ius filij ad patrem, & serui ad dominũ, quantò minores sumus nos relati ad Deum, homine seruo relato ad hominẽ dominũ eius, & filio relato ad carnalẽ patrẽ, qui genuit eum. Et propterea si pro quia, vt scribitur in 5. Ethic. inter seruũ & dominũ, inter patrẽ & filiũ non est ius simpliciter & absolutè, sed ius secundũ quid, multò minus est ius inter nos & Deũ. Ex hoc nanque, quòd quicquid est seruus est domini sui, & filius non potest æquiualẽs reddere patri, negatur inter dominum & seruũ, inter patrem & filiũ ius simpliciter & absolutè. Multò autẽ magis quicquid est homo, est Dei, & multò minus potest homo Deo reddere æquiualẽs. Non potest igitur homo mereri aliquid à Deo, sic q̃ iure debeatur homini, nisi iure tam attenuato, vt sit lõgè minus quàm ius domini ad seruum & filij ad patrem. Nec hoc tã attenuatũ ius inuenitur inter hominem & Deum absolutè (quoniam absolutè loquẽdo, omnis bona operatio volũtaria hominis debetur Deo. & quanto potioribus & pluribus bonis operibus internis vel externis pollet homo, tanto plus Deo debet, quia ipse Deus operat in nobis & velle & perficere & omnia opera nostra) sed hoc attenuatũ ius est inter hominẽ & Deũ ex diuina ordinatione qua Deus ordinauit opera nostra ad hoc vt sint meritoria à Deo. Quod probatur ex eo, q̃ quando homo meretur aliq̃d à Deo, Deus nõ fit, nec est debitor homini, sed sibiipsi Deo. si enim hoc attenuatũ ius esset inter hominẽ absolutè & Deum, Deus deberet homini mercedem quã meruit, sed perspicuum est Deũ nulli debere, dicente Paulo ad Rom. 12. Quis antè dedit illi, & retribuetur ei? Sibi ergo ipsi duntaxat Deus debet, vt adimpleat voluntatẽ suã, qua cõtulit humano operi esse meritorũ reddẽdo homini mercedẽ operis. Et hæc sunt vera & indubitata simpliciter & absolutè loquendo, secus autẽ est præsuppositis cõuentione facta inter Deũ & hominẽ de aliquo, nã quẽadmodum inter homines, si dominus pactũ aliquod cũ seruo suo facit, nascitur inde ius inter seruum & dominum: ita si Deus dignatur pactũ facere cum homine, nascitur ius inter hominẽ & Deum, quo ad illud, de quo pactum est. Sæpe enim legimus in veteri Testamẽto, Deũ dignatum esse paciſci cum hominibus. Genesis. enim 9. scribitur pactum Dei de non futuro amplius vniuersali diluuio. & Genesis 15. fœdus iniit Deus cum Abraham de terra Chanaan danda semini eius. & Gen. 17. fœdus circuncisionis scribitur, & Exodi 24. Moyses dicit, Hic est sanguis fœderis, &c. Hiere. quoque 31. de fœdere nouæ legis ac veteris Deus manifestè loquitur. In nouo autẽ Testamẽto Saluator noster manifestat Deum sub specie patris familias conducentis operarios ad vineam conuenisse cum operariis de mercede diurna, vt patet Matth. 20. conuentione, inquit, facta de denario diurno, misit illos in vineam. & rursus, Nónne pacto conuenisti mecum? Ex his enim manifestum fit, quòd ratio meriti etiam iure potest inueniri in operibus nostris relatis ad primum, de quo conuentio facta est cum Deo.

¶ Veruntamen scito q̃ quantumcunque interueniat pactum de præmio inter Deum & hominem: nunquam tamen Deus fit aut est debitor nobis, sed fit & est debitor sibiipsi: ita quòd præsupposita conuentione debetur quidem operibus nostris præmium de quo conuentio facta est: sed Deus non propterea fit illius præmij debitor nobis, sed voluntati suæ priori, qua dignatus est paciſci nobiscũ, & propterea veriſſimè profitemur, quòd Deus nulli debet nisi sibiipsi. Duplex itaque ratio meriti potest inueniri in operibus nostris relatiuè ad Deum (vel secundum ius attenuatum, vel secundum fœderis) & nunquam Deus debet nobis. Et hæc sunt prælibata, vt intelligant omnes voces proprias, cum loquuntur de meritis nostris apud Deum.

CAPVT VII.

Humana opera esse meritoria alicuius à Deo.

Reuelauit nobis Deus in sacris literis humana opera mereri apud Deum aliquid. Et ne occupemur in exponendis singulis sacræ scripturæ locis, de hoc scito, quòd vbicunque promittit Deus homini mercedem, ibidem cointelligitur meritum: eo quod merces & meritum, correlatiua sunt: meritum enim est mercedis meritum, & merces est meriti merces, & propterea absque alia declaratione cum leges in sacra Scriptura Deum promittere mercedem homini, cointelligemeritum hominis respectu illius mercedis à Deo reddendæ. Perspicuum est autem in vtroque testamento promittere Deum mercedem homini, nam Gen. 5. dicit Deus ad Abraham, Ero merces tua multa valde. & Isa. 40. dicitur, Ecce Dominus veniet, ecce merces eius cum eo. & Ezech. 29. scribitur, Filij hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum: & merces non est reddita ei, &c. & subiunxit Deus: & erit merces exercitui eius terra Aegypti. Matth. quoque 20. dicit Deus, Voca operarios, & redde illis mercedem. Apoc. quoque 22. dicit Deus, Ecce venio citò: & merces mea mecum est, vt reddam vnicuique secundum opera illius. Ex his enim clarè patet non solùm opera Sanctorum esse meritoria alicuius boni à Deo, sed etiam opera iniquorum, imò & Ethnicorum, rex enim Babylonis, & exercitus eius Ethnici erant, nec ex intentione seruiẽdi Deo, obsederant Tyrum: & tamen testatur Deus meruisse mercedem, & decernere, quod Aegyptũ dabit illis in mercedem, vt intelligamus tam benignam esse bonitatem diuinam, vt etiam ordinando humana bella in suipsius Dei seruitutem, gaudeat se conferre actionibus, quamuis iniquis, quòd sint meritoriæ ab ipso Deo alicuius boni. Hinc enim documentum magnum habemus, quòd multò propensior est Deus ad conferendum bonis actionibus hominum, quòd sint meritoriæ alicuius mercedis à Deo.

CAPVT VIII.

Opera viuorum Christi membrorum esse meritoria vitæ æternæ.

Concedunt multi humana opera esse meritoria apud Deum aliquorum bonorum, sed non vitæ æternæ: & propterea monstrandum supereſt in specie, quod opera viuorum Christi membrorum sunt meritoria æternæ vitæ. Saluator noster Matth. 5. Gaudete, inquit, & exultate, quia merces vestra multa est in cęlis: perspicuum est enim, q̃ in mercede cœlesti eorũ, qui patiũtur ꝓpter Christũ, primum tenet locum beatitudo, quæ vocatur vita æterna. Matth. quoque 20. describendo mercedẽ datam operariis dicitur, quòd acceperunt denariũ: perspicuum est autem quòd cõmunis merces omnibus operatis in vinea Domini, est vita æterna. Paulus quoque 2. ad Tim. 4. scribit, Bonũ certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex. perspicuum est enim, q̃ corona Pauli per se primò claudit beatitudinẽ: & nisi merces esset debita præmissis operibus, nequaquam verificaretur, q̃ quatenus iudex Dominus reddet illi coronam: manifestè enim vitam æternam sibi iure deberi propter relata opera docet. Idem quoq; manifestat Dominus Matth. 25. describẽdo q̃ cùm iudicabit mundum, propter opera misericordiæ dabit vitam æternam. Esurui enim, & dedistis mihi manducare, &c. concluditur enim, Ibunt hi in supplicium æternum: iusti verò in vitam æternã. Quod enim à iudice datur ex diuersitate operũ, secundum q̃ opera merẽtur, datur: alioquin afferret non causam pro causa. Ex his enim manifestum est, nonnullorum hominum opera meritoria esse æternæ vitæ secundum sacras Scripturas. Et quod plus est, ex Matt. 20. habetur, operarios mereri illam ex conuentione. nam Origenes, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, & Chrysostomus denarium omnibus datum exponunt beatitudinem communem Beatis.

CAPVT IX.

Modus quo opera nostra meritoria sunt æternæ vitæ.

Radunt Theologi opera nostra esse meritoria æternæ vitæ, eo q̃ à charitate, à gratia gratum faciente, à spiritu sancto habitante in nobis procedunt, & docent quòd quamuis opera humana, quatenus procedunt ex libero arbitrio, nõ sint meritoria æternæ vitæ (nisi ex quadam cõgruitate, qua cõgruit homini renẽti vtenti libero arbitrio in iis quæ Dei sunt, Deum largiri secundum affluentiam suæ gratiæ) quatenus tamen sunt à Spiritu sancto habitante in homine per gratiam & charitatem, sunt meritoria æternę vitæ. Tum quia gratia, seu charitas est tanquam semen Dei. 1. Io. 3. cuius vis se extendit ad producendum fructum: ita q̃ quemadmodum actioni seminis debetur naturali iure fructus, ita diuinæ gratiæ in anima, actionibus debetur fructus æternæ vitæ. Tum quia diuina gratia, vt Dominus dicit Ioan. 4. fit in homine habente illã fons aquæ saliẽtis in vitam æteruam, vbi clarè patet efficacia gratiæ in nobis ad ascendendum in vitam æternã. Et dicendo quòd gratia data, fit in homine fons aquæ ascendentis in vitam æternam, docet quòd mediante operatione ascendit in vitam æternã. nam quod fit in me post acceptam gratiam, me cooperante fit. Tum præcipuè, quia vis Spiritus sancti habitantis in homine non est impar ad acquirendum æternam vitam, & ad efficiendũ quòd operibus eius in nobis debeatur æterna vita.

¶ Clarior autẽ ac persuasibilior modus huiusmodi meriti est aperiendo, q̃ meritũ vitæ æternæ non est tã actio nostra, quam actio Christi capitis in nobis & per nos: supponendum est enim cum Apostolo ad Ro. 12. ad Eph. 4. & ad Col. 2. homines in gratia cõstitutos, esse Christi capitis mẽbra viua. Ita q̃ Christus caput cũ hominibus viuis eius mẽbris nõ est sicut vnũ corpus politicũ (quale est corpus ciuium reip. bene gubernatæ) sed constituit vnum corpus, quemadmodum est vnũ corpus naturale: quia Christus caput Spiritu suo viuificat membra sua, & per iuncturas, ac nexus spirituales vnit membra corporis, vt clarè patet ex verbis Pauli. Huic autem præsupposito adiunge, qđ etiam sacra Scriptura tradit, videlicet & passiones & actiones viuorum Christi mẽbrorum esse passiones

passiones & actiones Christi capitis. Et de passionibus quidẽ testatur ipse Christus Act. 6. Saule Saule, quid me persequeris? cum tamen ille persequeretur mẽbra eius. Et Paulus ad Gal. 4. reuocat ad memoriam Galatarũ, q̃ Christus crucifixus fuit in eis, proculdubio in cruciatibus eorum pro Christo perpessis. De actionibus verò testatur Paulus, scribens Corint. in 13. c. secundæ Epistolæ, An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? & vniuersaliter dicit ad Gal. 2. Viuo ego, iam nõ ego, viuit autem in me Christus. Ex quibus habetur, q̃ verissimè dicere possum, mereor ego, iam nõ ego, meretur autem in me Christus: ieiuno ego, iam non ego, ieiunat autem in me Christus: & sic de aliis operationibus voluntariis, quas Christi membra vera exercent propter Deum. Et isto modo meritum æternę vitæ non tã attribuitur operibus nostris q̃ operibus Christi capitis in nobis, & per nos. Ita q̃ hinc discernitur inter meritum æternæ vitæ in infantibus baptizatis, debetur æterna vita merito duntaxat Christi, illo, quod meruit Christus in hac vita mortali degens, patiens & moriens: adultis autem proficientibus in gratia debetur æterna vita dupliciter: primò ex iure meriti Christi, quod in propria persona meruit: postea ex iure meriti Christi, quod Christus caput in adulto, & per adultum imperando meretur. Conuenit autem diuinę liberalitati, vt vtroque modo communicet meritum æternæ vitæ adultis Dei filiis: nam vt dicitur ad Ro. 8. prædiffiniuit eos conformes imagini filij sui. Conformiores autem sunt Christo habentes meritum vitæ æternæ vtroque modo, quàm primo tantùm: nam ipsi Christo duplici iure debita fuit sua gloria, primò iure gratię vnibis personalis, qua Verbum caro factum est, & hoc ius conuenit Christo sine eius merito. Deinde eadem gloria debita fuit Christo per meritũ obedientiæ eius vsq; ad mortẽ, dicente Paulo ad Phil. secundo. Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, &c. Christo igitur duplici iure habenti gloriã, conformiores reddimur duplici quoque iure acquirentes vitam æternam, videlicet & sine nostro merito per Christi in propria persona meritũ, & cum nostro merito per Christi capitis in nobis, & per nos meritum. Et quemadmodum ad Christi excellentiam pertinet, q̃ etiam proprio merito acquisierit immortalem corporis vitam, & gloriam sui nominis, &c. ita ad dignitatem mẽbri Christi pertinet vt cooperetur capiti ad acquirendam æternam vitam. Omnium enim diuinissimum est, inquit Diony. cap. 3. cæle. Hierarch. Dei cooperatorem fieri. Et hinc quoque habes non esse superfluum nostrum mereri vitam æternam, quoniam est reddere vitam æternam esse nobis debitam alio modo, seu altero iure, quemadmodum Christus meruit suam exaltationem, reddendo sibi eam altero iure debitam. Ad obiecta autem in oppositum postea respondebitur.

CAPVT X.

Valor operum existentium in peccato mortali.

Vamuis conueniamus in hoc, q̃ opera existentiũ in peccato mortali nõ sunt meritoria æternę vitæ, nec sunt meritoria remissionis peccatorũ, multùm tamẽ esse vtilia homini subiecto peccato mortali, bona opera eorum ad remissionẽ peccatorum consequendam sacra tradit Scriptura: nam etsi non habent vim meritoriam remissionis peccatorum, habent tamen vim impetrãdi remissionem peccatorum: ita q̃ per modum supplicationis multùm valẽt ad consequendum remissionem peccatorum à diuina largitate. Et quidem quòd oratio multùm vtilis sit ad remissionẽ peccatorum consequendam testatur Saluator, Luc. 18. inducens Publicanum orantem, Deus propitius esto mihi peccatori: sic enim consequutus est veniam. De ieiunio verò testatur Ioël In persona Dei, Conuertimini, inquit, ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu: ibi enim subiungitur, Quis scit si conuertatur Dominus, & ignoscat? De eleemosyna quoque testatur Daniel, capitulo quarto, consulens Nabuchodonosor regi, Peccata tua eleemosynis redime: & ad Hebræos decimotertio scribitur. Beneficentiæ, & communionis ne obliuiscamini, talibus enim hostiis conciliatur Deus. Et idem est iudicium de peregrinationibus, afflictionibus, continentiis, & id genus reliquis.

¶ Suprà hanc autem vim simplicem, tradit sacra Scriptura maiorem quandam vim impetrandi in obseruatione vniuersorũ mandatorum Dei. Ezech. enim 18. docemur, q̃ conuersio impij ad facienda mandata Legis terminatur ad remissionem peccatorum, dum dicitur, Et dixistis, nõ est æqua via Domini, audite ergo domus Israël, nunquid via mea non est æqua? Nónne vię vestrę nõ sunt æquæ? cum enim auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea iniquitate quam operatus est: & cùm auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificabit: considerans enim & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita viuet, & non morietur. Quę verba testantur, quòd in hoc consistit viarũ Dei æquitas, vt sicut iusti auersio à iustitia ad opera iniqua terminatur ad mortem animæ, ita impij conuersio ad opera bona terminatur ad animæ vitam: reuelatur enim Prophetæ, quòd tam accepta est Deo conuersio peccatoris quo ad opera (hoc est, ab operibus malis ad opera bona propter Deum) vt Deus non recordetur omnium iniquitatum præteritarum, quod est dare remissionem peccatorum, & vitam gratiæ.

¶ Ampliorem quoque impetrandi vim huiusmodi operibus hominum subiectorũ peccatis reuelauit Deus Isaiæ, ca. 2. Lauamini, mundi estote, auferte malũ cogitationũ vestrarũ ab oculis meis, quiescite agere peruerse, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduã, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra tanquam vermiculus, velut lana alba erunt. Ex quibus discimus, tantam esse Dei largitatem, vt à sordibus conuersis ad iustitiæ & misericordiæ opera seipsum obtulerit arguendum Deus, si non remittat peccata præterita.

¶ Ex diuinis ergo reuelationibus habemus bona, quòd impiorum opera non solùm sunt vtilia ad remissionem peccatorũ, sed quòd cum ex corde redeunte ad Deum prodeunt, ita comitem habent diuinam benignitatem, vt & terminentur ad remissionem peccatorum, & tanquam ex conuentione impetrent illam. Verè benignissimus erga nos est Deus, prouidendo, vt quàm in statu peccati mereri non possumus remissionem peccatorum, impetrare oratione, ieiunio, eleemosynis, aliisque bonis operibus valeamus. In hoc enim immẽsa charitas diuina erga peccatorum salutem commendatur, vt etiam nostris quamuis impiorum bonis operibus vim impetratoriam remissionis peccatorum largiri dignata sit. Et præter hæc (vt in capite septimo, ex verbis Ezechielis monstrandum est) sunt meritoria alicuius temporalis boni à Deo. Ex quibus patet inducendos esse peccatores ad bona opera, quia verè vtilia sunt ad remissionem peccatorum impetrãdam & assequendam; cùm deuota mente fiunt.

CAPVT XI.

Opera nostra esse satisfactoria pro peccatis.

Via Lutherani satisfactionem auferunt ab operibus nostris, supereſt declarandum quid Ecclesia de hoc sentiat. Distinguẽdum in primis est de statu, in quo fiunt opera, an in statu peccati mortalis, an in statu gratię: & rursus, de satisfacere pro peccatis, vel quo ad culpam, vel quo ad pœnam. Dicimus itaque primò, quòd nulla nostra opera sunt satisfactoria pro peccatis nostris quo ad culpam, quia nec facta in statu peccati mortalis faciũt Deo satis pro offensa, vt patet: & facta in statu gratiæ præsupponunt culpam, seu offensam abolitam ex diuina gratia ex satisfactione Christi, qui fecit Deo satis pro offensis, quibus offendimus Deum, offerendo vitam propriam in ara crucis.

¶ Dicimus secũdò, quòd nulla opera nostra in statu peccati mortalis sunt satisfactoria Deo pro pœna debita peccatis nostris, quamuis prius abolitis in sacramẽto pœnitentię. Et ratio in promptu est, quia cùm remittitur à Deo peccatum quo ad offensam, fit peccator de inimico amicus Dei, & consequenter non remanet puniendus hostiliter (quod esset puniri pœna inferni) sed si non tam copiosum diuinæ gratiæ donum collatum tunc est, vt cum remissione culpæ remissa sit tota pœna, remanet obligatus ad amicabiliter solnendum residuum pœnæ: & propterea si in reciduum lapsus est, & iterum factus est inimicus Dei, antequam illud residuum pœnæ soluerat, opera eius quia sunt opera in statu hostili, non possunt amicabiliter exoluere, quod est non posse satisfacere pro illa pœna.

¶ Dicimus tertiò, quòd opera perseuerantis in amicitia Dei nullum habent impedimentum ad hoc quòd sint satisfactoria pro illo residuo pœnæ. Et in hoc errant Lutherani dupliciter: primò docendo, quòd cùm remittitur peccatum quo ad offensam, remittitur quoque quo ad pœnam omnem: ita quòd non remanet obligatus ad pœnam cõsecutus peccati veniam à Deo. Hoc enim manifestè contrariatur sacræ Scripturę, docenti secundo Regum duodecimo, quòd quamuis Dauid consecutus fuerit remissionem peccatorum, dicendo, Peccaui Domino, non tamen consecutus est remissionem totius pœnæ, sed remansit obligatus ad pœnas multas, vt Scriptura testatur. Deinde errant, quòd tollunt ab operibus viuorum Christi membrorum vim satisfactoriam pro pœna non remissa. Hoc enim contrariatur efficaciæ Christi capitis in nobis, nam satisfacio ego, iam non ego, satisfacit autem in me Christus: contrariatur & Ecclesiæ catholicæ vsui, quo consuenit salutares satisfactiones imponere per ministerium sacerdotum verè pœnitentibus & confessis.

CAPVT XII.

Responsio ad obiectiones in capitulo quinto scriptæ.

Vpereſt obiecta diluere. Prima autem obiectio fuit sumpta ex sufficientia meriti & satisfactionis Christi. Respõdemus meritum Christi fuisse sufficientissimũ, & satisfactionem eius sufficientissimam pro peccatis nõ solùm nostris, sed totius mũdi, originalibus, mortalibus & ve-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nialibus, iuxta doctrinam 1.Io.2. & propterea non ex insufficientia meriti, aut satisfactionis Christi opera viuorum Christi membrorũ meritoria ac satisfactoria apponuntur, sed ex affluentia meriti Christi cõmunicatur mẽbris eius viuis, vt illorũ quoq; opera sint meritoria & satisfactoria. maior enim gratia Christi nobis confertur cõmunicando nobis, quòd ipse caput nostrum in nobis, & per nos tanquã membra sua mereatur & satisfaciat, quàm si meritum duntaxat Christi in propria persona participaremus.

¶ Cùm autem obiicitur id quod est proprium Christi, nõ esse nobis attribuendum, respõdemus ℘ non est nobis attribuendum eo modo, quo est proprium Christo: potest tamen nobis alio modo attribui, videlicet per communicationẽ, sicut quod est proprium Deo, nulli est attribuẽdum eo modo, quo est propriũ Deo, potest tamẽ per communicationem ab aliis participari. Verbi gratia, videre diuinã essentiam, est proprium Deo (nulla siquidem creatura potest videre Deum, sicuti est, sed solus suapte natura videt seipsum (potest tñ ex gratia communicari videre Deum participatiuè: & sic cõmunicatur beatis omnibus. Sic in proposito mereri vitam æternam est proprium Christo, intelligendo mereri ex propriis viribus: quod tamen potest communicari membris eius viuis, non vt mereantur ex propriis viribus, sed vt mereantur ex virtute capitis Christi. & similiter intellige de satisfactione.

¶ De merito autem remissionis peccatorum non oportet respondere, quia iam diximus hoc non cõmunicari viuis Christi membris, eo quòd opera eorum præsupponunt remissa fuisse eis peccata: nullus autem meretur id quod præhabet: sed omne meritum est rei non habitæ. Et hæc est ratio, quare Christus communicat membris suis mereri augmentum gratiæ & cælestem beatitudinem, & non communicat eis mereri remissionem peccatorum: quia videlicet beatitudine æterna carent membra Christi in hac vita, remissionem autem peccatorum iam habuerunt in hoc ipso, quòd fuerunt facta membra Christi: nullus autem meretur quod habet, sed quod sperat. Ex quibus clarè apparet, quòd nihil detrahitur merito aut satisfactioni Christi per merita & satisfactiones nostras, sed extenditur gratia meriti & satisfactionis Christi per seipsummet ad seipsummet Christum, vt caput operantem in membris suis & per membra sua.

¶ Ad autoritates vniuersas sonantes, ℘ non meremur per nostra opera remissionem peccatorum, non oportet respondere, quia in hac conclusione omnes conuenimus. Ad autoritates verò inductas ad probandum, quòd nõ meremur vitam æternam per opera nostra respondendũ est. Et ad illud quidem quod affertur ex Apostolo ad Roma. Donum Dei vita æterna, respõdetur, quòd vtique nos hoc dicimus & docemus, quoniam donum Dei gratiæ gratum facientis est tum nos esse membra Christi, tum ex virtute Christi capitis in nobis, mereri vitam æternam: non enim dicimus, quòd ex operibus nostris, quatenus à nobis sunt, sed quatenus à Christo in nobis & per nos sunt, meremur vitam æternam.

¶ Ad id verò quod obiicitur ex documento Christi, Dicite, serui inutiles sumus, cum eadem distinctione respondetur, ℘ nos quãtumcunq; omnia Christi præcepta impleamus, quatenus impleamus ea ex nostro libero arbitrio, inuenimur serui inutiles ad ea, quæ sunt domus patris cælestis, inuenimur inutiles ad ea quæ sunt politiæ nostræ, quę in cælis est, qualia sunt remissio peccatorum, gratia Spiritus sancti, charitas, & cætera propria filiis Dei. Et in promptu ratio est, quia nos quatenus à nobis operãtes, sumus tam infirmi, vt non possimus ascendere ad conferẽdum aliquid supremo ordini opprobriorum bonorũ filiorum Dei. Cum qua tamen veritate stat, quòd nosmet, quatenus ex Christo in nobis capite sumus operãtes, vtillius mẽbra viua, multùm conferre possumus per nostra opera politiæ cœlesti & paternæ domui: quia vt sic sumus eleuati in ordinem filiorum Dei, nec vt sic sumus inutiles: sed membra vtilia paternæ domui & cœlesti politiæ.

¶ Et si ex hoc Christi documento argumentum fiat contra vtilitatem iustorum operum in statu peccati mortalis ad impetrandum remissionem peccatorum, iuxta scripta superius in cap. 10. si inquam, fiat argumentum ad inferendum, quòd bona opera non sunt vtilia ad impetrandum remissionem peccatorum: respondendum est quòd orationes, ieiunia, eleemosynæ, & alia iusta opera impiorum, quatenus ab ipsis procedunt, non sunt vtilia ad remissionem peccatorum impetrandam, sed quatenus affluta diuinæ benignitate ordinante ad impetrandam remissionem peccatorum, sunt valde vtilia ad impetrandum illam: propter hoc enim apud Ezechielem appellantur viæ Dei, & non viæ nostræ: prouidit siquidem diuina bonitas vt multa impetremus, quæ nunquam meruimus: dedit diuina bonitas, (vt Christus, Esaias, Ezech. & Apostolus ad Hebr. testantur) bonis operibus redeuntium ad Deum, vim impetratoriam remissionibus peccatorũ à diuina misericordia per Christi meritum. Ex hac parte ieiunia, orationes, eleemosynæ & reliqua iusta opera peccatorum vtilia sunt non ad merendum, non ad satisfaciendum, sed ad impetrandum remissionem peccatorum. Et hæc puto sufficere ad intelligendum materiam hanc, quæ in quæstionem vertitur de fide & operibus, ad Dei omnipotentis gloriam & piorum consolationem. Romæ, die 13. Maij, 1532.

TRACTATVS DVODECIMVS, De communione sub vtraque specie, de integritate Confessionis, de Inuocatione Sanctorum aduersus Lutheranos, ad Clementem VII. Pont. Max. in quatuor capita diuisus.

1 *Nequaquam illicitum esse populo Christiano sub altera tantum specie communicare.*
2 *De integritate confessionis, quo ad omnia peccata.*
3 *Post peccati veniam necessariam quoque esse satisfactionem pro peccatis, & eam fieri posse nostris operibus.*
4 *De inuocatione Sanctorum.*

PROOEMIVM.

PERTINAX Lutheranorum animus præterquam conscientiæ, Clemens septime Pontifex Maxime, erga communionem populi sub vtraque eucharistiæ specie, confessionemque non omnium peccatorum, ac negatam satisfactionem, necnon inuocationem Sanctorum, inuitat me ad scribendum de his non absolutè, sed quatenus pendet ex sacra Scriptura, quoniam ipsi solius sacræ Scripturæ autoritatem suscipiunt, & profitentur se illi inniti. Et quamuis pertinacibus nõ proderunt nostra hæc, speramus tamen vtilia fore tum ad retrahendum alios, ne illos imitentur: tum ad consolandum fideliũ mentes. videre enim in sacra Scriptura falsitatem eorum, quæ hæretici iactantes se professores sacri Euangelij docent, non paruum solatium fidelibus confert. Et quamuis hæc pro Ecclesia catholica scripserim, ad tribunal tamen beatitudinis tuæ non minus hæc quàm reliqua mea omnia refero.

CAPVT I.

De communione sub vtraque specie.

IVtheranis non sat est, ipsos communicare sub vtraque specie, sed nequeunt flecti ad dicendum, licitam esse communionem sub altera tantum specie: quia tum ex vsu Christi tum ex præcepto eiusdem communicandum est sub vtraque specie. Proinde opus est discutere secundum Scripturas sacras vtrunque, vt videlicet manifestemus nec ex vi vsus Christi, nec ex vi præceptorum eius illicitum esse populo communicare sub altera tantùm specie. hoc siquidem patefacto, clarum erit non teneri populum ex diuina lege ad communionem sub vtraque specie.

¶ Quia igitur Saluator noster in vltima Cœna instituens sacramentum Eucharistiæ, vsus est hoc sacramento sub vtraque specie, communicando Apostolos (vt Euangelistæ testantur) hinc infertur, quòd sacerdos non nisi sub vtraque specie dare debet Eucharistiam, debet enim sacerdos dare Eucharistiam, quemadmodum dedit illam Christus. & similiter debemus omnes communicare, quemadmodum communicauerunt Apostoli.

¶ Nos autẽ facilè manifestamus vsum Christi & Apostolorũ, non habere vim legis, ℘ simili modo distribuatur populo Eucharistia, nam si ille vsus Christi vim legis haberet, non obligaremur ad quædam in vsu illius distributionis seruata, & ad quæda non, sed ad omnia in illo vsu seruata. perspicuum autẽ est, nos nõ obligari ad omnia illa in distributione facta à Christo: ergo nec tenemur distribuendo Eucharistiam seruare hoc vnum, videlicet dare sub vtraq; specie. Quod enim nõ teneamur ad seruandum omnia, patet: tum quia Christus fregit, fractamq; dedit speciem panis: ridiculum aũt est dicere, ℘ sacerdos teneatur dare hostiam fractam: tum quia Christus distribuendo, nõ immisit in ora Apostolorum Eucharistiam, sed dixit, Accipite & comedite: ridiculũ autem est dicere, ℘ sacerdos tenetur non immittere Eucharistiã in os communicantis, sed dare in manum illius, vt ipse se communicet: tum quia Christus distribuit hoc sacramentum Apostolis post Cœnã. plus autẽ quàm ridiculum est dicere, ℘ teneamur communicare post Cœnam, illicitúmq; sit dare Eucharistiam ieiunis: tum quia Christus dedit Eucharistiam sub specie panis azymi. & tamẽ vniuersalis Ecclesia fatetur non esse illicitum Eucharistia vti siue in azymo, siue in fermẽtato. Ex his enim omnibus clarè patet, quòd distributio Eucharistiæ, qua vsus est Christus, non habet vim legis, statuentis vt similiter fiat distributio à nobis.

¶ At si quispiã contenderit in hoc vno imitandam esse Christi distributionem, ℘ sub vtraque specie dedit Eucharistiam, animaduertat Christum dedisse sub vtraque specie Apostolis solis, & non dedisse septuaginta Discipulis, nec multitudinem eorum, qui erebant

debant illi, vt vel ex hoc sat sit inferre ab exẽplo Christi, ergo successoribus Apostolorũ danda est Eucharistia sub vtraq; specie: nõ enim plus inferri potest ex Christi distributione. nõ igitur inferri potest, ergo vniuersis Christianis danda est Eucharistia sub vtraq; specie. Patet itaq; ℘ ex sensu Christi non potest inferri illicitam esse communionẽ populi sub altera tantũ specie. Et multò minus inferri hoc potest ex vsu Ecclesiæ Corinthiorum, cuius meminit Paulus in 1. Epistola ad Corinthios: vsus enim vnius particularis Ecclesiæ non statuit legem Ecclesiis aliis. Hæc de vsu.

¶ Discutiẽda sunt deinceps præcepta Christi iam ante institutionem Eucharistiæ, q̃ in ipsa institutione promulgata. Primũ itaq; præceptum ex verbis Domini, Ioan. 6. olim assumptũ est à Bohemis. ait enim Christus, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quid, inquiunt, clarius? Eodem enim modo necessitatem cõmunicandi sub vtraque specie promulgat, quo promulgauerat necessitatem Baptismi: nam quemadmodum de baptismo dixerat Io. 1. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei: ita de Eucharistia dicit, Nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

¶ Nos autẽ dicimus hæc Christi verba nõ esse sẽdm genuinũ sensum intelligenda de vsu Eucharistiæ, imò nec posse intelligi salua Christiana fide de cibo & potu sacramentali. Et hoc facilè manifestatur, ex eo ℘ si intelligerentur de Eucharistia, tolleretur Baptismi sufficientia ad salutem: pari siquidẽ modo hæc necessitatẽ sonant edendi carnem & bibendi sanguinẽ filij hominis, quo sonant illa alia Domini verba, necessitatem nascẽdi ex aqua & Spiritu: & propterea manifestè sequitur, ℘ si in istis verbis indicitur necessitas sumẽdi Eucharistiam, non sufficit Baptismus ad salutẽ, sed ad hoc quòd aliquis habeat vitã, oporteret & baptizari, & sumere Eucharistiam. Cuius contrariũ non solùm in Symbolo fatemur, confitentes vnum baptisma in remissionẽ peccatorum: sed Dominus in Euangelio dicit, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: & Paulus Apostolus ad Tit. 3. Saluos, inquit, nos fecit per lauacrũ regenerationis. Quia igitur idẽ est asserere verba illa Christi, Io. 6. intelligi de cibo, & potu sacramenti Eucharistiæ, & negare baptismi sufficientiam ad salutẽ, clarè patet verba illa nec intelligi posse de cibo, & potu Eucharistiæ: & propterea inde non habetur præceptum adsumendum Eucharistiã sub vtraq; specie. Discutere autẽ quis sit germanus sensus illorũ Christi verborum, non est præsentis negotij, nã sat est propositæ quæstioni nosse, ℘ non loquitur ibi dominus ad literã de sacramentali cibo & potu.

¶ Superest demum discutere præcepta Christi promulgata, quãdo instituit Eucharistiæ sacramentum. Vide Euangelia omnia, & nullum inuenies in illis de Eucharistia præceptum, nisi apud Lucam immediate post Eucharistiam sub specie panis, Hoc facite in mei commemorationem. Apud tamẽ Paulum Apostolum primæ ad Cor. 11. duo præcepta leguntur data à Christo in institutione Eucharistiæ: alterum immediatè post Eucharistiam sub specie panis, Hoc facite in mei commemorationem: alterum immediatè post Eucharistiam sub specie vini, videlicet, Hoc facite quotiescunque biberitis, in mei commemorationem.

¶ Quæ præcepta si perspicacius fuerint considerata, nullũ secum ferunt mandatũ de cõmunione sub vtraque specie, vt patet discutiẽdo singula. Præceptum enim immediatè post speciẽ panis tam apud Lucã, q̃ apud Paulum manifestè referuntur ad Eucharistiã sub specie panis, vt ipse cõtextus testatur. Præceptũ autẽ apud solum Paulum scriptum de imitatione Christi in Eucharistia sub specie vini, limitatur manifestissimè ad vices, quibus bibimus in cõmemorationem Christi: ita ℘ non est præceptũ absolutè, sed est præceptum ex suppositione, videlicet si biberimus in Christi memoriã, faciamus hoc qđ fecit Christus. Nõ igitur præcepit, vt bibamus in eius memoriã, sed præcipit vt quoties in eius memoriam biberimus, faciamus qđ fecit ipse, hoc est, quoties vt memini calice Eucharistiæ, sacrificate hoc. Bibite nãq; manifestè significat vsum calicis, & consequenter facere distinctum: contra bibere significat consecrare: hoc præciptur enim ad literam, vt associetur vsus calicis, sacrificio calicis. Et ex hoc ipso, ℘ similem associationem non præcipit circa vsum Eucharistiæ sub specie panis, insinuauit quòd vsus quidem calicis illius esset seorsum à sacrificio, vsus verò sub specie panis licitus, vt ritus Ecclesiæ seruat, non reseruando Eucharistiam sub specie potus, sed duntaxat sub specie panis, & proinfirmis, & pro cõmunicantibus extra Missarum solennia.

¶ At si quispiam cõtenderit, ℘ hoc præceptum directè obligãdo sacerdotes, consequenter obligat populum. Nam ex eo ℘ bibentibus in Christi memoriam præcipitur, Hoc facite, manifestè sequitur, quòd sacerdotibus celebrantibus Missas (quos constat bibere in Christi commemorationem) præcipitur, Hoc facite, sed sub hoc facite, comprehenditur etiam dare aliis calicem, quia comprehendit omnia quæ Christus fecit circa calicẽ: ergo ex hoc præcepto sacerdos tenetur, quoties ipse bibit, dare aliis calicem, ac per hoc alij tenentur accipere, & bibere. Aduertat hoc argumento vtens imprimis ad textum literæ, quia contextui literæ non quadrat hic sensus. Nam in litera, hoc facite, distinguitur cõtra bibere: ac per hoc conficere sacramentum distinguitur contra vsum sacramenti, ac per hoc non tam amplè in hac litera extenditur, hoc facite, sed ex ipso contextu restringitur ad demonstrandum ipsum sacrum, vt distinguitur contra vsum sacramenti, eo ipso ℘ distinguitur contra vsum calicis. Quæcunque igitur spectant ad vsum calicis, comprehenduntur hæc sub bibere, & quæ spectant ad ipsum sacramentum comprehenduntur sub facere hoc, secundum suauẽ contextus sensum: perspicuum autem est, ℘ dare aliis calicem, spectat ad vsum sacramẽti, & non ad sacramentũ ipsum. Non igitur cõprehenditur in hac litera sub hoc facite, dare aliis calicẽ. Aduertat deinde quòd Lutherani non constarent sibiipsis, dicendo sic, quia ex hoc argumento sequitur manifestè, quòd sacerdos celebrans teneatur dare calicem omnibus præsentibus, si hoc facite, comprehenditur etiam dare sacramentum, vt Christus dedit: nam Christus dedit omnibus præsentibus: constat autem Lutheranos hoc non seruare: non igitur obligatur Christianus populus ad bibendum sacramentũ Eucharistiæ ex hoc Christi præcepto, secundum planum suauissimúmque literæ sensum. Et quia nullibi nisi in allatis locis habetur in sacra scriptura mandatum aliquod de communione Eucharistiæ; manifestũ est quod non tenetur Christianus populus ex præcepto in diuino iure scripto ad communionem sub vtraque specie: voluntariè igitur, & non autoritate Scripturæ prædicatur illicitam esse communionem sub specie panis tantùm. Et hoc sufficit aduersus Lutheranos, solius sacræ Scripturæ autoritatẽ suscipientes. Hæc de communione populi sub altera tantùm specie.

CAP. II.

De integritate confessionis quo ad peccata omnia.

CONfiteri peccata mortalia omnia, quæ quis admisit, Lutherani non solùm negant esse necessarium, sed affirmant repugnare sacræ Scripturæ, & esse impossibile: quia scriptum est, Delicta quis intelligit?

¶ Nos autem dicimus haberi ex Euangelio cõfessionem peccatorum mortalium omnium, & non obstare Prophetæ sententiam allatã. Quòd enim peccata omnia confitenda sunt in sacramentali confessione, ex ipsa forma ministrandi sacramẽtum pœnitentiæ tradita à Christo, quando instituit hoc sacramentum Io. 20. manifestatur: ait enim Christus Apostolis, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. In quibus verbis datur à Christo ministro sacramenti facultas duarum actionum, videlicet remittendi, vel retinendi peccata quorumcunq;: & ex hoc ipso, quòd ministro committitur facultas discernendi an remittenda, an retinenda sint peccata cuiusque pœnitentis: manifestè sequitur, quòd oportet ministrum (nisi cœcus ministrare velit) nosse si in pœnitente est aliquod peccatũ retinendum: quod est nosse, si in pœnitente est aliquid impediens remissionẽ. nam omne peccatũ retinendum impedit remissionem cuiuscunque peccati hominis confitentis, quia non potest simul vnum peccatum remitti, & aliud retineri: nam mortalia peccata quæcunq; vnius hominis connexa esse tam quo ad remissionem, quàm quo ad retentionem, & relatiuè ad Deum, & relatiuè ad Christi ministrum, perspicuum est. Et relatiuè quidem ad Deum patet ex eo quòd ille cui remittitur à Deo peccatum, amicus Dei constituitur, iuxta illud, Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum: ille autem, cuius retinet peccatum, & manet in peccato vnico, inimicus Dei est, vtpote omnium reus, iuxta illud Iac. 2. Qui in vno offendit, reus omnium factus est. Ex hoc autẽ ℘ tã remissio quam retentio diuina est peccatorũ mortalium omnium quę quis habet, manifestè sequitur, quòd etiam tam remissio quam retẽtio quæ fit à Christi ministro, debet esse non aliquorum peccatorum mortaliũ cõfitẽtis, sed omnium: quia tam remissio, quàm retentio ministri debet esse talis, vt remissioni assistat diuina remissio, & retentioni assistat diuina retẽtio, alioquin nõ verificaretur Christi verba, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Non vendicaret autem sibi remissio ministri, assistentiam remissionis diuinæ, si discordaret à remissione diuina: discordaret autem si Deo remittente omnia, vel retinente omnia, minister quoque non remitteret omnia, vel non retineret omnia. ad hoc autem vt minister vel remittat omnia, vel retineat omnia, oportet ministro innotescere omnia, nisi cœcus ac temerarius remissor, vel retentor sit: & quoniam ministro Christi peccata pœnitentis per ipsius confessionem propriam innotescũt, consequens est, vt oporteat confitentem confiteri omnia sua mortalia peccata. Vide, examina, & libra prudens lector, quæ diximus, & perpendes ex ipsa institutionis forma in Euangelio scripta, haberi confessionem omnium peccatorum.

¶ Superest diluere obiecta à Lutheranis distinguẽdo de cõfessione vel absolutè, vel vt est actus humanus. Est autẽ confiteri omnia absolutè, nullum peccatum incõfessum relinquere: confiteri verò omnia, vt cõfessio est actus humanus, est cõfiteri omnia: quorum

confessio subest humanæ facultati. Vnde ex hoc ꝙ delicta nullus ad plenũ intelligit, esto ꝙ impossibile sit hominẽ confiteri absolutè omnia peccata sua (quoniã ignota relinquit inconfessa) non tamen hinc sequitur, quin cõfessione humana possit quis confiteri omnia peccata sua, quoniam sub integritate cõfessionis humanæ non cõprehenduntur omnia peccata absolutè, sed dũtaxat nota, & quorũ quis memoriã habet, non oblita & incognita confiteri nõ subest facultati humanæ. Et quia perspicuum est sub lege tam diuina, quàm humana actionem nullam exigi ab homine, quæ non sit in hominis potestate: ideo cum ex Euangelio habetur, confessionem omnium peccatorum requiri ad sacramẽtum pœnitentiæ, non est sermo de confessione omnium peccatorum absolutè, sed de cõfessione omnium peccatorum, vt subest facultati humanæ, quod est dicere, vt pœnitens confiteatur omnia peccata sua, non ignota nec oblita. Hæc de confessione omnium peccatorum.

CAPVT III.

De satisfactione.

SAtisfactionem pro peccatis, quæ tertia pars pœnitentiæ ponitur, Lutherani negant, tum quia non habetur ex sacra Scriptura, tum quia opera nostra non sunt meritoria nec satisfactoria.

¶ Nos autẽ dicimus ex sacra Scriptura haberi necessariam quandoq; esse post veniam peccati satisfactionẽ pro peccatis, eámq; fieri posse operibus nostris. Et quidẽ post consecutã veniam peccati, satisfactionem quandoq; superesse pœnæ pro peccato, testatur duplex modus, quo Deus remittit peccatũ. Legimus enim Deum quãdoque remittere peccatum, quo ad culpã, & quo ad pœnam. vt patet tum in latrone, cui dicit, Hodie mecum eris in Paradiso: tum in remissione peccatorum, quæ fit Baptismo, gratia siquidem baptismalis sola sufficit ad salutem æternã, si ante quàm baptizatus moriatur, nouum peccati obicem non ponat vltimo Baptismi effectui, qui est vita æterna. Et in huiusmodi remissionibus perspicuum est non esse opus satisfactione. Legimus quoque, Deum quandoq; remittere peccatũ, & non remittere totã pœnam peccati, vt patet 2. Reg. 12. vbi clarè legimus ꝙ arguente Natham propheta Dauidẽ de adulterio simul & homicidio: & dicẽte Dauide, Peccaui Domino, respondit Natham, Etiam Dominus trãsferet peccatũ tuum, & non morieris: veruntamen filius, qui natus est tibi, morietur. Ex his enim patet Deũ remisisse peccatũ & quo ad culpã, & quo ad aliquam pœnam: non remisisse autem quo ad punitionem Dauidis in morte filij, nec vt subiuncta in c. 16. testatur, quo ad punitionem eiusdem in publica violatione vxorum à proprio filio, nec quo ad punitionem eiusdem in perpessione mali ex domo propria. nã propter hoc peccatũ passus est ab Absalõ filio suo. omnes siquidem pœnas has ex parte Dei Nathã propheta comminatus est propter illud peccatũ Dauidis. Ex hoc igitur, ꝙ Deus remittit quandoque peccatũ, & tamen post peccati veniam restat, qui peccauit adhuc puniendus, manifestè dicimus Deum quandoq; remittere peccatũ, & non remittere totam pœnam pro peccato debitam. Hinc ergo nascitur necessitas exoluendi illud pœnæ reliquum, quod Deus non remisit remittendo peccatum.

¶ Quia autẽ huiusmodi reliquiæ pœnæ exolui possunt dupliciter (vel satisfaciẽdo) & Dauid exoluit satisfaciendo (nã nõ ipse intulit sibiipsi quas debebat pœnas, sed Deus intulit eas illi) superest ostendere ex Scriptura, ꝙ huiusmodi reliquias pœnæ possumus satisfaciendo exoluere. Lege in Euangelio Matth. cap. 3. & inuenies Ioannem Baptistã prædicantem duo: alterum, Pœnitentiam agite: alterum, Facite fructum dignum pœnitẽtia. Quorum primũ spectare ad ipsum peccatum Græca dictio apertius manifestat, dum simplicem pœnitendi actum significat. Secundũ autem verba ipsa testantur ad nostra opera pœnitentiã cõsequentia pertinere, fructus enim pœnitentiæ sonat opus proueniens à pœnitẽtia vt à radice, seu arbore. Et ex eo quòd non dicit, Facite fructum dignum innocẽtia, seu fructum dignum iustitia, seu fructũ dignum bonitate, sed fructum dignum pœnitẽtia: manifestum fit, quòd de fructu digno pœnitentia formaliter (hoc est quatenus pœnitentia) loquitur, vt videlicet faciãt fructum dignũ radice internæ pœnitentiæ. Perspicuum autem est ex eo quòd pœnitentia est præteritorum peccatorũ, ꝙ fructus dignus pœnitentia est opus restaurans ea, quorum est pœnitentia, hoc est reparãs ea quæ omisisse, vel cõmisisse nos pœnitet: hoc autem vocamus satisfacere pro peccatis, pro quanto in hoc cõprehẽditur deletio omnium malorum, quæ in pœnitente remãserunt ex peccato, quorum vnum est reatus reliquæ pro peccato pœnæ. Si enim pœnitentia non fructificat reparationẽ omniũ perditorũ per peccatũ, nequaquã ad fructus dignos seipsa extenderetur, quoniam suapte natura exigit vt ad perfectum ducatur quod ipsa inchoauit: & clarum est ad perfectum non duci donec supereſt aliquid ex peccato soluendum.

¶ Ex authoritate itaque sacræ Scripturæ habetur, quod quandoque post veniam peccati opus est satisfactione, quæ fit per opera, qui sunt fructus digni pœnitentia.

¶ Quod verò obiicitur de nostris operibus, ꝙ nec meritoria, nec satisfactoria sunt, indignũ censeo discussione noua. Nã scriptura plena est sentẽtiis sonantibus, tũ ꝙ opera nostra nõ sunt meritoria, tum ꝙ opera nostra sunt meritoria, & perspicuũ est has duas sentẽtias nõ sibiinuicẽ aduersari, sed esse sensum, ꝙ opera nostra quatenus sunt ex nobis non sunt meritoria, & cõsequenter nec satisfactoria: quodq; opera nostra, quatenus ex diuina sunt gratia & præueniente, & iubsequente, & perficiente, sunt meritoria, & cõsequenter satisfactoria. Et ambo tã clarè habentur in innumeris Scripturæ locis, vt apud exercitatos in sacris literis luce meridiana clariora sint: & propterea pertrãseo. Hæc de satisfactione.

CAPVT IIII.

De inuocatione Sanctorum.

VIheranì inuocationẽ Sãctorum aiunt ex Scriptura non haberi. Et quamuis non putem eos loqui de inuocatione sanctorum Angelorũ, sed sanctorum hominũ, tutiorẽ tamen eligendo partem declarabimus summariè, primũ de sanctis Angelis, deinde de sanctis hominib⁹, quę habẽtur in Scriptura de inuocatione eorũ.

¶ Et quidem quòd Angeli intercedant pro nobis, clarè patet Zachar. 1. vbi Angelus dicit Deo, Domine exercituum, vsquequo nõ misereberis Hierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es iam septuaginta annos? Matth. quoque 18. Dominus dicit Angelos causam agere pusillorum, qui contemnuntur: Videte ne contemnatis vnum ex pusillis istis: dico enim vobis, quòd Angeli eorũ in cœlis semper vident faciem Patris mei, proculdubio ad patrocinium præstandum pusillis contemptis.

¶ Quod autẽ inuocãdi à nobis sint sancti Angeli, habetur in primis ex Gen. 32. vbi Iacob inuocauit Angelũ ad benedicẽdum sibi. Nõ dimittã, inquit, te nisi benedixeris mihi. Deinde ex Dan. 7. vbi Daniel de seipso dicit, Accessi ad vnum de assistentibus, & veritatem quærebã ab eo. Nec est dubium, quòd de sanctis Angelis assistentibus loquitur. Ad Hebræos quoq; c. 1. de sanctis Angelis dicit, ꝙ omnes sunt administratorij spiritus, qui in ministeriũ mittuntur, propter eos qui hæreditatem capient salutis. Ex hoc enim ꝙ Deus disposuit gubernare nos per medios Angelos, non propter se Deũ, sed ꝓpter nos hæredes vitæ æternę, ordinasse intelligitur, vt nos inuocem⁹ sanctos Angelos tanquã medios inter nos & Deum, nisi vsq; adeo desipere liceat, vt dato principe, seu curię aduocato peregrino, vel pupillo, negetur simul disponi vt peregrinus, aut pupillus inuocare possit patrocinium aduocati dati.

¶ Quocirca inuocationem sanctorũ Angelorum vtpote manifestã secũdũ sacras Scripturas relinquẽdo, ad inuocationẽ sanctorũ hominũ trãseamus. Duob⁹ modis inuocare cõsueuimus sanctos, vel directè eos rogãdo, puta, Sancte Petre, ora pro nobis: vel rogando Deũ per Sanctorũ merita, vt in canone Missæ Ecclesia cõsueuit rogare, dicendo, Quorũ meritis precibúsque cõcedas, &c. Vtroq; autẽ modo ex sacra Sriptura haberi inuocationẽ Sanctorũ dicimus. Et quidem quòd animæ Sanctorum intercedant pro nobis, habetur ex Apo. c. 6. Vidi sub altari animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant voce magna, dicentes, Vsquequo Domine sanctus & verus nõ iudicas & vindicas sanguinem nostrũ de his, qui habitãt in terra? Ex hoc enim ꝙ animæ Sanctorum orant Deũ contra malos habitantes in terra, manifestè dicimus ꝙ multò magis orant pro salute electorum, quanto propensior est voluntas Sanctorũ ad bonũ nostrum, quam ad malum nostrum. Rursus Luc. 16. reuelauit nobis Dominus, ꝙ diues in inferno interessit pro fratribus suis in hac vita manentibus. ex hoc enim reuelatũ esse insinuauit, ꝙ multò magis sanctæ animæ intercedunt pro salute suorum. Nam si diues, cui dum esset in hac vita, nulla fuit cura salutis fratrũ, in tormentis positus etiam importune supplicat pro salute fratrum, multò magis sancti viri, quorum in hac vita studium fuit circa salutẽ fratrũ, exuri carnẽ, iãq; beati continuant charitatis effectum, & intercedunt pro salute fratrum.

¶ Quòd aũt à nobis innocãdi sint, ex scriptis Matth. 27. habetur. Scribitur enim ibi ꝙ multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerũt & venerunt in sanctã ciuitatem, & apparuerunt multis. Hinc enim habetur, ꝙ Deus post Christi resurrectionem gubernat, instruẽdo nos nõ solùm per sanctos Angelos, sed etiã per sanctos homines. nõ enim vane apparuerũt multis, sed ad instruẽdum eos de vero Messia, déque illius resurrectione. Ex hoc enim ꝙ vsq; ad tẽpus illud gubernauit nos per Angelos sanctos, & non per homines sanctos, & tunc incepit gubernare nos per sanctos homines, insinuauit noua se habuisse media gubernatione electorum. Et nisi ordinis gubernationis diuinæ erga nos, adiunctos ex merito passiõis & resurrectionis Christi, sanctos homines manifestare voluisset Deus, misisset Angelos in Hierusalem ad apparẽdum multis & instruendos illos, sed ex eo ꝙ non solùm per medios Angelos in sepulchro apparentes mulieribus, sed etiam per sanctos homines apparentes multis in Hierusalem manifestauit resurrectionẽ Christi, insinuauit ꝙ ad ea quæ sunt nostræ æternæ salutis ministerio Angelorum adiũxit ministerium hominum beatorum

beatorum. Et hinc vlterius sequitur, quod ex ipso ordine diuinæ gubernationis quo gubernat nos, etiam per sanctos homines, manifestatur recurrendum esse nobis ad sanctos homines, alioquin rediret illud idem absurdum quod deductum est, si nõ possemus inuocare sanctos Angelos: datos enim esse sanctos homines ad nostram vtilitatem medios inter Deum & nos, testatur dicta apparitio: ad datos autem diuinitus medios posse nos recurrere, perspicuum ex dictis est. Paulóque minus absurdum sequitur, si Deus disposuit gubernare nos per medias intercessiones sanctorum hominum (vt priores Scripturæ testantur) & nobis non liceret ad intercessores nostros recurrere.

¶ Quòd demum orandus sit à nobis Deus per merita Sanctorum, habetur ex Exodi 32. cap. dum Moses supplicando Deo, inter alia dicit, Recordare Abraham, Isaac & Israël seruorum tuorum. Hoc enim nihil aliud est, quam rogare per merita Abrahæ, Isaac & Israël. Et huic si adiunxeris prius declarata, videlicet quòd Sancti intercedunt pro nobis, manifestè inferes quòd non solùm per merita, sed etiam per preces Sãctorum supplicare nos Deo è Scriptura habetur. Et his si adiunxeris quòd in idem redit orare Deum per merita & preces sanctorum, & orare Sanctos vt merita & preces proponant apud Deum (nam res est eadem, licet modus sit dispar, & vtrobique est inuocatio Sanctorum, licet diuersimodè) facilè perpendens omni ex parte tradi ex sacra Scriptura inuocationem Sanctorum. Et hæc de propositis dicta, qui legerint, meminerint ineruditorum esse certitudinem Mathematicam quærere in moralibus, & vniuersaliter in agendis à nobis, Romæ, die 25. Augusti. 1531.

TRACTATVS DECIMVSTERtius Thomæ de Vio Caietani Cardinalis sancti Xysti, ad serenissimum Angliæ regem, fidéique defensorem, Henricum eius nominis octauum: de coniugio cum relicta fratris, sententia.

ÆTATVS sum in iis, quę dicta sunt mihi, quòd non celsitudinis autoritate, sed sacrarũ literarum documentis maiestas tua ad antiqui cõiugij explosionẽ nouámq; ducendam vxorẽ mota est: quòdq; id licuisse, nõ credendo doctoribus, sed proprij ingenij acumine propriáque intelligentia se scire profitetur. Gratias profectò debemus Deo, qui ætatem nostrã Rege Theologo decorauit: quocirca non ab re charitatis Christianæ putaui doctissimo regi supplicare, vt subiuncta legere, librare, atq; cum iis, quæ intellectum maiestatis eius mouent, conferre dignetur: si fortè plus videant oculi, quam oculus. Et quia Regẽ Theologum alloquor, vere Theologiæ fundamenta duntaxat tangam. Optimè autem celsitudo tua nouit vniuersam de hac materia quæstionem pendere ex hoc, an coniugium inter relictam fratris & leuirum sit prohibitum iure diuino morali. & partem affirmatiuam fundari super legem Leuiticã scriptam capite decimooctauo, & vigesimo, & super verba Ioan. Baptistæ, Matthæi 14. & Marci 6. & propterea, si compertum fuerit, quòd neuter textus continet huiusmodi inhibitionem moralem, manifestum erit tale coniugium non esse aduersus ius diuinum morale. Et ꝙ lex quidem Leuitica (videlicet, Turpitudinẽ vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est) non prohibeat inhonestatem moralem, ex duobus ostẽditur capitibus. Alterum est in eodem 18. cap. Leuitici. ibidem enim cõceditur, vt vir sororem defunctæ vxoris ducere possit in coniugem, dicendo, Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies. nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuente. quamuis iuxta Hæbraicam veritatem dictio interpretata pellicatum sonet angustiam. ex eo enim quòd inhibitio coniugij cum sorore vxoris restringitur ad tempus vitæ vxoris, perspicuum est, sub hac inhibitione nõ comprehendi coniugium cum sorore vxoris mortuæ, ad hoc enim apposita est illa limitatio viuente illa, liberum esse coniugium cũ sorore defunctæ vxoris. nam quemadmodum coniugia in quibuscũq; gradibus tam affinitatis quam consanguinitatis non prohibitis in lege Moysi, inter indulta supputabantur, ita coniugium cum sorore vxoris defunctæ, ex hoc ipso ꝙ in lege Moysi nõ prohibetur, intra indultorum numerum cõprehendebatur. Conferendo itaq; hanc legem priori, formatur ratio hæc inter vnam mulierem & duos fratres & inter vnum virum & duas sorores æquale est vinculum affinitatis, par est ratio turpitudinis, vt per se manifestum est: ac per hoc si coniugium cum relicta fratris continet inhonestatem moralem, coniugium quoq; cum relicto sororis continet inhonestatem moralem, & si cõiugium cum relicto sororis nullã continet inhonestatẽ moralem: cõiugium quoque cum relicta fratris nullam continet inhonestatem moralẽ. Et quia lex Leuitica monstrat, coniugium cum relicto sororis non continere inhonestatem moralem, non comprehendendo illud inter prohibita: consequens est vt ex eodẽ capite Leuitici discamus, ꝙ cõiugium cum relicta fratris non continet inhonestatem moralem: ac per hoc non est prohibitũ, quia malũ moraliter, sed ideo malum quia prohibitum. Si enim ex morali inhonestate fuisset prohibitum, non fuisset indultum cõiugium cum sorore vxoris mortuæ: quia paremin honestatẽ moralẽ habuisset. Quod verò æquale sit vinculum necessitudinis vtrobiq;, probatione non eget: quòd autem par sit ratio turpitudinis vtrobiq;, patet ex eo quòd sicut turpitudo fratriæ non detegenda sancitur, quia est turpitudo fratris defuncti, quoniam effecti fuerant vna caro fratria & frater defunctus, ita turpitudo sororis non detegenda est, quia est turpitudo sororis defunctæ: nam sororius & defuncta soror effecti fuerant vna caro. Ex hoc igitur quòd lex diuina vnum prohibet, & aliud concedit, attestatur quòd ratio inhibẽdi alterum non est inhonestas moralis, sed authoritas legislatoris, quia sic placuit legislatori.

¶ Alterum caput surgit ex collatione Leuiticæ legis cum honestate coniugij inter leuirum, & relictam fratris in casu defuncti fratris absque prole: nam ante legem Moysi tale cõiugium in tali casu nõ solùm licitum, sed sancitum cõsuetudine, vel Patrum authoritate, innuit scriptura Genesis trigesimooctauo, in historia Thamor: & postea sub lege Moysi mandatum legitur Deuteronomi 25. Ita quòd coniugium inter leuirum & relictam fratris regulariter erat illicitum: in casu autem mortui fratris absque prole, erat licitum. Ex iis autem surgit ratio hæc. Si coniugium inter leuirum & relictam fratris esset per se malum moraliter, in nullo casu fuisset licitum: sed fuit licitum in casu mortui fratris absque prole tam ante legem, quàm sub lege: ergo nõ per se malum moraliter. Assumpta conditionalis manifestatur, & probatur: manifestatur siquidem in blasphemia, periurio, mendacio, adulterio, rapina, furto, & id genus reliquis per se malis moraliter: quia enim sunt per se praua, in nullo casu sunt licita. Probatur autem, quia id quod per se conuenit alicui, nũquam separatur ab eo, sed comitatur illud in quocunque illud inuenitur, quia necessario conuenit illi tac per hoc impossibile est separare à re id quod conuenit illi rei per se: ac per hoc si coniugium inter leuirum, & relictam fratris est per se prauum, in omni casu est prauum semper, & in omnibus ipsum eius prauitas comitatur. Ex hoc itaq; quòd coniugium inter leuirum & relictam fratris inuentum est quandoque sine prauitate, dicimus quòd non est per se prauum, quod non fuit prohibitum, eo quòd esset per se prauum: sed ex authoritate legislatoris effectum est prauum, quia prohibitum. Hæc de Leuitica lege.

¶ Verba autem Ioan. Baptistæ ad Herodem Galilææ Tetrarcham, Non licet tibi habere vxorem fratris tui, aliena sunt à proposito, tum quia de vxore fratris viuentis loquebatur Ioannes, vt testatur Iosephus Antiq. lib. decimooctauo, cap. xiiij. clarè enim dicitur, quòd Herodias deseruit viuum virum. Egesippus quoque de exci. Hieros. lib. secundo, capite quarto, clarè dicit de Herode, quòd fratris vxorem viuentis eripuerat, habentem semen de germano ipsius. Tum quia aliud est esse illicitum coniugium cum relicta fratris, aliud est esse illud illicitum ex prauitate morali per se conueniente tali coniugio, committitur enim sophisma à pluribus causis ad vnam determinatè. Illicitum siquidem profici..isci potest ex multis causis: & quantum ad propositum spectat, in promptu erat causa illiciti coniugij ipsa lex Leuitica. Herodes enim legem profitebatur Iudæorum: & ideo esto quòd Herodias fuerit relicta fratris, verum dixit Ioannes, Non licet tibi habere vxorem fratris tui: quia prohibitũ hoc est in lege. Clarum enim erat, quòd non ad suscitandum semen fratris duxerat eam. Non potest itaq; huic inferri moralis prauitas per se conueniens tali coniugio: sed prauitas moralis propter prohibitionem legis: talis enim prauitas certa, & clara omnibus erat.

¶ Hęc doctissime Rex, si vera ac sufficientia esse videbuntur, corrigendum est factum, at si non sat esse iudicantur: significetur quæso quid deest: confido enim in diuinæ gratiæ largitate, quòd qui cœpit, perficiat. Si verò prohibilia censentur, agat obsecro defensor fidei hominem inter hinc inde probabilia ambiguum: optimè autem nouit maiestas tua quid in dubiis agẽdum sit, quid diuina lex Deuteronomi decimoseptimo, statuit agendum in occurrentibus dubiis. Si demum falsa existimabuntur confutare dignare doctissime princeps: paratus enim sum, & dicere, & mutare sententiam, Tolle obsecro scandalũ tantæ multitudinis Christianorum in Europa, nõ solùm vulgarium, sed & religiosorum, & peritorum. Tolle autem, manifestando iustitiam facti, vt scandalum non sit datum, sed acceptum: offero enim me præconem iustitiæ celsitudinis tuæ: quæ fœlix valeat. Romæ, vigesimoseptimo Ianuarij 1534.

Responsionis Thomæ de Vio Caietani Cardinalis sancti Xysti ad premissas 16. articulorum censuras, eiusdémque de cõiugio cum relicta fratris sententiæ (quæ simul cum enarratione Iobis, à studiosorum vtilitatem post mortem authoris per Ioannis, Danielis. S. C. N. Papæ pœnitentiarum editæ sunt) finis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TRACTATVS QVARTVSDECIMVS, de Coniugio Regis Angliæ cum relicta fratris sui, ad Clementem septimum Pontificem Maximum, in decem capita diuisus.

1 *Quæ intentio sit operis.*
2 *Enarratio facti.*
3 *Quid diuino iure statutum est de coniugio inter leuirum & fratriam.*
4 *Quod non omne coniugium inter leuirum & fratriam est diuina lege prohibitum.*
5 *Quod secundum ius naturæ non omne coniugium inter leuirum & fratriam est inhonestum.*
6 *Quod secundum legem tam diuinam, quam naturalem patet fieri inter leuirum & fratriam coniugium honestum propter aliam causam quam propter suscitandum semen, ac nomen fratris defuncti.*
7 *Quod secundum ius tum diuinum tum naturæ honestum potest esse coniugium inter leuirum & fratriam propter commune bonum.*
8 *Quod coniugium inter serenissimos Angliæ Regem & Reginam, eius fratriam nec iuri diuino, nec iuri naturæ aduersetur.*
9 *Quod sine ligèt, sine non dicta diuina iura, coniugium hoc est honestum.*
10 *Quod sacrorum Conciliorum, Pontificum, ac Doctorum dicta non militant aduersus hoc coniugium.*

CAPVT I.

Quæ intentio sit operis.

BEATISSIME pater, post pedũ oscula, beatorũ perpetuam fœlicitatem, iussisti vt libellos de cõiugio inter serenissimos Angliæ reges ad me perlatos, causamq; totam diligenter inspicerẽ, quidve iudicij consilijq; mei esset, accuratissimè perscribe rem: quo quantum in me esset, quamprimum Beatitudinem tuam hac molestia liberatem, studui mox (vt par erat) iussis parere, prælectissq; libellis pro & contra, animaduerti multas communes insertas quæstiones. Videlicet de multiplici iure diuino, de illorum duratione, de diuersis naturæ iuribus, de præceptorum iudicialiũ diffinitione, de multis dispensandi modis, de potestate Papæ circa ea, quæ sunt diuini aut naturæ iuris. Quæ si tranctãda essent, & multa conficienda essent volumina, & latissimis literariis certaminibus campus daretur, vt desiderandus sem per finis supereſſet. Quocirca contuli ad propria causæ de qua agitur, & ad punctũ quæstionis veniendo, ante oculos locandum in primis quod in quæstionem vertitur, duxi, vt omnes intelligãt materiam, de qua loquor. Deinde circa hoc, tum in genere, tum in specie quid diuina ac naturæ iura censeant, scrutandum. His enim notis manifesta apparebit quasi veritas.

CAPVT II.

Enarratio facti.

SERENISSIMVS Anglię modernus Rex, dũ esset adolescẽs, sereniſſimo patre eius Angliæ regem agente, contraxit matrimoniũ cum Serenissima moderna regina Angliæ, tunc nõ regina, sed relicta fratris eius primogeniti absq; prole defuncti, filia sereniſſimorum regum Hiſpaniarum, interueniente authoritate Iulij 11. Rom. Pon. ob bonum seruãdæ pacis ac amicitiæ inter eosdẽ Reges, cõsummauitq; matrimonium, ac genuit ex ea, multisq; annis cõiugali effectu & affectu cum ea versatus est: modò petit diuortium, eo quòd coniugiũ inualidum fuerit, vtpote contra ius diuinum atq; naturæ à sacris Conciliis, Pontificibus ac Doctoribus comprobatum. Hęc est causa expropriis discutienda, præmisso tenore apostolicæ dispensationis.

¶ Iulius, &c. Dilecto filio Henrico charissimi in Christo filij nostri Henrici Angliæ regis illustris nato, & dilectæ in Christo filiæ Catherinæ charissimi in Christo filij nostri Ferdinandi regis, & charissimę filiæ nostræ Elisabeth reginæ Hiſpaniarum, & Sicilię Catholicorum natæ, illustribus salutem.

¶ Romani Põtificis prędecellẽs authoritas cõcessa sibi desuper vtitur potestate, prout personarũ, negotiorũ & tẽporũ qualitate pensata, in Dño cõspicit salubriter expedire. Oblata nobis nuper pro parte vestra petitionis series cõtinebat, q̃ cum alias tu in Christo filia Catherina, & tunc in humanis agens, quondam Arturus charissimi in Christo filij nostri Hẽrici Anglię regis Illustris. primo genitus pro cõseruandis paris & amicitiæ nexibus, & fœderibus inter charis. in Christo filium nostrũ Ferdinandũ, & charis. in Christo filiam nostrã Elisabeth Hiſpaniarũ & Siciliæ reginã, Catholicos, ac præfatum Angliæ regẽ, & reginã matrimonium legitimè per verba de præsenti cõtraxisſetis, illudq̃ue carnali copula forsan cõsummauisſetis, dictus Arturus prole ab huiusmodi matrimonio nõ suscepta decessit. Cùm autem sicut eadẽ petitio subiungebat ad hoc vt vinculũ pacis & amicitiæ inter prędictos Reges & Reginam huiusmodi diutius permaneat, cupiatis matrimoniũ inter vos per verba legitimè de præsenti contrahere, supplicari nobis fecisſtis: vt vobis in præmissis de opportunę dispẽsationis gratia prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui inter singulos Christi fideles & præsertim Catholicos Reges & principes, pacis & concordiæ amœnitatem vigere intentis desideriis affectamus vos & quemlibet vestrum à quibuscunque excommunicationibus, &c. Huiusmodi supplicationibus inclinati, vobisque, vt (impedimento affinitatis huiusmodi ex præmissis proueniente, ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis nequaquam obstantibus) matrimonium per verba legitimè de præsenti inter vos contrahere, & in eo, postquam contractum fuerit, & si iam forsan hactenus de facto publicè vel clandestinè contraxeritis, ac illud carnali copula cõsummaueritis licitè remanere valeatis, autoritate apostolica tenore præsentiũ de spiritualis dono gratię dispensamus: ac vos & quemlibet vestrum; si contraxeritis, vt præfertur ab excessu huiusmodi ac excommunicationis sententia, quam propterea incurristis, eadem autoritate absoluimus prolem ex huiusmodi matrimonio siue contrahendo, susceptam forsan, vel suscipiendam legitimam decernendo, prouiso q̃ tu in Christo filia Catherina propter huiusmodi rapta non fueris. Volumus autẽ quòd si huiusmodi matrimonium de facto contraxeritis, confessor per vos & quemlibet vestrum eligendus, pœnitentiam salutarem propterea vobis iniungat, quam adimplere teneamini. Nulli ergo, &c. Si quis, &c. Datum Romæ, &c. 1507. calend. Ianuarij, anno primo.

CAPVT III.

Quid diuino iure statutum est de coniugio inter leuirum & fratriam.

IRCA coniugium inter vxorẽ fratris & leuirum ter Mosaica lex statuit, primo Leui. 18. his verbis, Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis: quia turpitudo fratris tui est. iterum cap. 20. his verbis, Qui duxerit vxorem fratris sui, rem facit alienam, seu illicitam, turpitudinẽ frattris sui reuelauit, absque filiis erit. tertio Deut. 25. his verbis, Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & progenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel: si autem noluerit accipere vxorem fratris sui, quæ eilege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & interpellabit maiores natu, dicẽtque, Non vult frater viri mei suscitare semen fratris sui in Israel, nec me in coniugem sumere, stat̃mque accersiri eum facient, & interrogabunt, si respõderit, Nolo eam vxorem accipere, accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calciamentum dẽ pede eius, spuẽtque in faciem illius, & dicet. Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris sui: & vocabitur nomen eius in Israel, Nomen discalciati.

¶ Hæc iuxta vulgatæ editionis verba allata, quãuis secũdũ veritatẽ sufficerent, quantũ ad præsentem spectat causam, quia tamen nonnulli ex eo q̃ aliter sonat textus Hebraicus, vertunt in dubiũ, legem Deuteronomij loqui de fratribus, quos carnales dicimus obiiciendo, quòd non dicitur, Accipiet eam frater viri eius, sed conatus eius: & similiter non vxor fratris, sed cognata repetitur. constat enim Cognati nomine consanguineos intelligi: ideo diligẽtiam adhibui, vt textũ hunc de verbo ad verbũ iuxta Hebræum haberẽ hic inserendũ: & est talis, Quando sedebunt fratres simul, & morietur vnus ex eis, & filius non est, nõ erit vxor mortui foris viro extraneo: leuir eius veniet super eam & capiet eam sibi in mulierem, & leuirabit eam, & erit primogenitus, quem pariet, surget sup̃ nomen fratris eius mortui, & non delebitur nomen eius ex Israel: & si nõ volet vir capere fratriam suam, ascendet fratria eius ad portam ad senes, & dicet, Recusauit leuir meus facere sibi fratri suo semẽ in Israel, non voluit leuirare me, vocabũt eum seines ciuitatis & loquẽtur ad eum, & stabit, & dicet, Non volui capere eam, & appropinquabit fratria eius ad eum in oculis senum, & excalciabit calceũ eius, à pede eius, & spuet in faciẽ eius, & respõdebit & dicet, Sic fiet viro qui non ædificabit domum fratris sui: & vocabitur nomen eius in Israel, Domus excalciati calceo, hæc ibi.

¶ Vbi clarè patet legẽ hanc loqui de fratribus, quos fratres carnales appellamus & quòd interpres nouus, qui cognato & cognata vsus est, Latinã linguã iuxta vulgare Italicũ vsurpauit, appellando eũ qui Latinè appellatur leuir, cognatum: & eam, quæ Latinè fratria vocat, cognatam, eo autẽ vsque Hebraicus sermo vtit proprio Leuiri nomine, vt ex illo formet verbum, quo bis in hac lege vtitur, loco cuius oportuit fingere nouum verbũ Latinũ à leuir deductũ Leuiro, as, significans exequi ius leuiri erga fratriam. Mirũ est aũt, in dubiũ verti legẽ hãc de fratribus carnalibus loqui, cum & Sadducæi in Euãgelio proponẽtes Christo vxorẽ sepẽ fratrũ secundũ legẽ Moysi, id testent, & etiã apud mulierculas hoc notissimũ fuisse testentur verba Noẽmi, Ruth primo, & ex toties repetito fratris nomine in hac lege clarè habeatur. Nam vbicunque in istis legibus est nomen Fratris, in Hebræo eadẽ penitus dictio habetur: ita q̃ idẽ nomen Fratris habet̃ in legibus Leuitici, & in lege Deut. vt si vnã æquiuocandi licentiã quis vsurpet, alias quoque æquiuocandi legitimè concedat: ac per hoc siquis exponeret pertinaci sensu Deuteronomicam legem loqui de Fratribus non carnalibus, desistat à cœpto, ex hoc q̃ eadẽ licentia leges Leuiticæ exponerẽtur de fratribus nõ carnalibus. Quo fieret, vt nullum de cõiugio inter leuirum & fratriã ius tã diuinum, quàm naturæ scriptũ haberetur: & cõsequẽter cessaret tota quæstio hæc, innixa iuri diuino, aut naturæ scripto, quia super hoc solo vniuersa moles huius controuersiæ fundata est. Non est itaque vertendum in dubium, leges has de fratribus quos carnales appellamus, loqui.

CAPVT IIII.

Quòd non omne coniugium inter leuirum & fratriam est diuina lege prohibitum.

CONuenientibus igitur legibus his Leuiticis & Deuteronomicis in hoc, quòd de fratribus carnalibus loquũtur, differentia manifesta inter Leuiticas & Deuteronomicas est penes hoc, q̃ Leuiticæ sunt leges de genere, Deuteronomica verò est lex de specie. Nam Leuiticæ statuunt de vxore fratris, non specificando viui vel defuncti. Deuteronomica de vxore fratris defuncti: illę de vxore fratris non specificando cũ filio vel sine filio: ista de vxore fratris defuncti sine filio. illę de vxore fratris non cognoscenda, nõ specificando ad propriũ, vel fratris semẽ nominq; seruãdũ, ista de vxore fratris defuncti absq; filio ad suscitandũ semẽ nominq; fratris: quibus adiunge quartã necessariò subintellectã specificationem, q̃ ille de vxore fratris non specificãdo, an ætatis qua possit generare, an vetula. Ista de fratris vxore in ætate, qua potest generare, loqui cõuincitur, quia ducenda præcipitur ad suscitandum semen fratris. Ex hac autem manifesta differentia inter has duas leges habetur, absque omni controuersia, nõ omne cõiugiũ inter leuirum & fratriã esse diuina lege prohibitum: sed discernẽdum esse inter coniugium leuiri cũ fratria sine specificatione aliqua, vel tot specificationibus in Deuteronomica lege vallatũ, & fatendũ q̃ in genere sine specificatione aliqua cõiugium inter leuirũ & fratriam, est diuina lege dãnatum: coniugiũ verò inter leuirũ & fratriã tot conditionibus sultum non solum licitũ, sed præceptũ diuina lege est. Hæc sunt, quæ circa cõiugiũ inter leuirum & fratriam manifestè sancita à Deo habemus. An autem diuinæ istæ leges veteris Testamenti ligent noui Testamenti professores, an expirauerint parui refert, quo ad causam propositã. Illud tamen silentio inuoluendũ nõ est, q̃ cum istæ leges conueniant cũ sentẽtia (videlicet de coniugio inter leuirum & fratriam tum in actu) videlicet actu pietatis, quæ cultum officiúmque sanguine iunctis exhibet, tum in ratione moris (quia omnes innitimur rationi moris pietatis naturalis) tum in genere præceptorum (quia vtræq; sunt præcepta, partim iudicialia, & partim moralia) tũ in autore (quia omnia diuina autoritate sunt edita per Moysem) quatenus diuina ligat, eadẽ ratione perseuerat, & Deuteronomica, quatenus diuina lex: & qua ratione Deuteronomica expirauit, eadem & Leuitica expirauit, cum gratia & veritas per Iesum Christũ facta est. Dixi quatenus diuina: quia nõ est nũc sermo de cisdẽ legibus, quatenus morales sunt, sed quatenus diuina sunt autoritate per Moysem fultæ.

CAPVT V.

Quòd secundum ius naturæ non omne coniugium inter leuirum & fratriam est inhonestum.

QVID autem naturale ius de coniugio inter leuirum & fratriam habet, non est difficile ex dictis haurire. Semoto siquidẽ omni tam diuinæ quàm humanæ legis nõ testimonio, sed vinculo, clarè patet tũ coniugium inter leuirum & fratriam absolutè esse turpe. (Turpitudo enim moralis oppositæ honestati cultus ex naturali pietate debiti fratriæ ratione fratris, pro ratione legis redditur in lege Leuitica dicendo, Turpitudinẽ frattris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est) tum cõiugium inter leuirum & fratriam vallatum tot antedictis conditionibus esse moraliter bonũ. Ex eo enim q̃ cõiugium inter leuirũ absolutè est turpe, infert q̃ turpitudo illa per cõiugium inter eosdẽ tot conditionibus sultum, &c. tollitur. Alioquin etiã tot conditionibus vallatum esset moraliter turpe, ac per hoc illicitum. cuius opinionem testatur lex diuina: & cùm turpitudo moralis non tollatur nisi per bonũ morale, consequens est, quòd per morale bonũ consurgens ex concursu tot conditionum in coniugio inter leuirũ & fratriam, tollatur turpitudo, quæ inesset eidem coniugio nudo. patet igitur inter leuirũ & fratriam coniugium honestatum tot conditionibus, bonum moraliter esse. Et si altius scrutatus fueris, inuenies maius bonum moraliter esse in coniugio inter leuirum & fratriam sic honestato, quàm sit turpitudo consequens coniugiũ inter eosdem absolutè. Nã nisi istius bonitas vinceret illius turpitudinẽ, præceptum istius in specie non vinceret prohibitionẽ illius in genere, ita q̃ diuinũ ius præceptum prohibitione illius vigẽte, attestatur maiorem esse bonitatem in hoc, quàm turpitudinem, quæ consequitur coitum leuiri cum fratria: & tantùm excellit, vt etiam tollat rationem turpis ab huiusmodi coitu, & reddat eundem honestum & pium. Quo fit, vt si qui quo ad hoc soluti ab huiusmodi vinculo legis diuinæ & humanæ leuir & fratria contraherent matrimoniũ honestatum his conditionibus, proculdubio honestum ac pium connubium subirent. Quod etiam testatur coniugium inter Thamar & filios Iudæ ante legem Moysi, Gen. 38.

CAPVT VI.

Quod secundum legem tam diuinam, quàm naturalem patet fieri inter leuirum & fratriam coniugium honestatum propter aliam causam, quam propter suscitandum semen ac nomen fratris defuncti.

EX his autem manifestis iuxta diuinum ac naturæ ius rectissima infertur ratione, quòd si longè maius bonũ, quàm bonum ex omnibus conditionibus in lege Deuteronomica expressis cõsurgẽs possit iniri coniugium inter leuirum & fratriam, fieret proculdubio in tali accidente coniugium inter leuirum & fratriam honestum, quatenus pendet ex lege tum naturali, tum diuina. (Secretis enim loquor humanis legibus.) Et secundum quidem naturæ iura patet illatio, rectæ rationis dictamen exigit, vt si minus bonum sufficiat ad tollendum turpitudinem coniugij inter leuirum & fratriam, multò magis ad eandem turpitudinem tollendam sufficiat maius bonum. Secundum verò diuina iura patet eadem illatio ex eo, quòd nullæ leges multiplicantur propter multitudinem euentuum, qui contingere possunt. Oportet enim infinitas condere leges, iuxta infinitos euentus contingentes: sed in omni politia leges conditæ intelliguntur sic, q̃ ex vno casu decreto intelliguntur decreti omnes similes, & si minus bonum decretum est sufficere ad tollendam aliquam turpitudinem, intelligitur decretum esse, quòd multò magis ius bonum etiam sufficit ad tollendam omnem turpitudinem. Hæc, ni fallor, tam clara sunt, vt probatione non egeant, sed infinuatione, q̃ in proposita materia (si in propriis sistendum est) non est digrediẽdum ad quodcunque maius bonum, sed ad maius bonum fratri defuncto, quia turpitudo coniugij inter leuirũ & fratriam consistit in fratris defuncti dehonestatione, & in coniugio Deuteronomico tollitur huiusmodi irreuerentia defuncti fratris per eiusdem fratris defuncti bonum, videlicet nomen eius suscitandum & propagandũ in familia, pgeniti ex fratria, quæ fuerat vna cũ ipso charo, & ex leuiro cõiunctissimo secũdũ carnẽ defuncto fratri, tanquã supplente vices defuncti ad generandũ ipsi defuncto familiã. Et hæc ideo discussa sint, nõ quia supponamus cõiugium inter serenissimos Reges Reginąque Angliæ contractum fuisse ad suscitandum nomẽ fratris defuncti: cõstat enim hoc esse falsum, sed vt clarè pateat secũdũ ius naturæ, diuina etiã authoritate firmatũ, nõ vnico tãtum eucũ honestũ esse cõiugiũ inter leuirum & fratriã, sed in omni euentu maioris boni fratris defuncti, quam sit illud tam exiguũ bonũ, videlicet nominis per filium fictum, idque incertum. Incertum enim est, an proles sequatur.

CAP. VII.

Quod secundum ius tum diuinum, tum naturæ honestum potest esse coniugium inter leuirum & fratriam propter commune bonum.

SI perspicacius consideratum libratũ atque fuerit, q̃ id iuris naturæ, quod in his Leuiticis legibus cõtinetur, videlicet dehonestatio fratris defuncti, repensatur per tam exiguũ ac incertum bonũ defuncti, cui nihil boni aut mali accidere potest ex operibus mere humanis, nisi in existimatione hominum: quódq; bonũ cõmune ciuitatis, vel patriæ nõ in opinione, sed in re est lõgè maius, & finis suapte natura est (nã singulorũ bona externa ad cõmune bonum ordinantur vt finẽ) manifestabitur q̃ tam secundũ naturalis quã diuini iuris ratione rectissimũ cõiugiũ inter leuirũ & fratriam honestatur, si ob commune patriæ bonum fiat. Validius enim est ad tollendũ dehonestationẽ defuncti fratris, cõmune patriæ bonum quam tam exiguũ, idq; incertũ, bonum defuncti fratris. Nam eo ipso fiat huiusmodi bonum esse bonum externum, vtpote in nomine consistens, idq; exiguum, vtpote non consequens præclarum aliquid factũ, imò nullũ defunctũ factũ, sed naturale opus alterius, si enim efficax esset ad generãdũ. Nec interuenit in hac deductione aliqua digressio à propriis materiæ quæ tractatur: quoniã procedere à bono externo vnius ob bonũ commune, non est digredi: sed progredi à parte ad totum, à bono partis ad bonũ totius, à re ordinata ad finem ad rem illius finem: & hæc tam manifesta tamque consona sunt iuribus, vt iniuria illis fiat si diutius discutiãtur.

CAP. VIII.

Quod coniugium inter serenissimos Angliæ Regem & Reginam eius fratriam nec iuri diuino, nec iuri naturæ aduersatur.

EX hoc igitur, q̃ diuinũ ius testificatur in minori bono cõmune patriæ bonũ sufficere ad tollẽdum turpitudinem coniugij inter leuirũ & fratriã, & naturæ ius in minori quoq; bono testatur idẽ, manifestè infertur, coniugiũ inter hos serenissimos Regẽ & Reginam ob bonũ seruãdæ pacis inter reges Hiſpaniarũ, & Angliæ contractum (vt clarè explicatur in literis apostolicis) non cõtrariari iuri diuino, aut iuri naturæ, sed honestum esse ac consonũ vtrique iuri, adeò quòd si secernantur humana iura, coniugium hoc nulla indiguisset dispẽsatione, quoniã ferendo secum commune

bonum

Universidad de Deusto
Biblioteca

bonum pacis inter tã excelsos reges, fert secum conditionem tam diuini, quàm naturæ iuris testimonio sufficientem ad honestandum coniugium inter leuirum & fratriam. Verùm dispensatione ecclesiastica opus fuit, tum ad tollenda vincula humanorum iurium, tum ad authorum honestationem illius singularis coniugij ob commune bonum pacis. Honestatio enim illius coniugij ex communi bono pacis suapte natura est, sed à doctoribus diffinitur magistraliter, ab apostolica autẽ dispẽsatione authoratẽ. Quocirca Iulius Papa dispensando nihil ademit diuino iuri, nihil ademit iuri naturæ, sed abstulit vincula iuris humani circa hoc singulare, sed definiuit legitimũ, sed authorauit illud, vtpote ex expressa rationabili causa ac more consonũ tam diuino, quàm naturali iuri. Omnia enim hæc fert secũ dispensatio ob commune bonum pacis. Alienum siquidem à Christiana professione est, vt Papa, quantumcunq; minimum ius diuinũ, aut naturæ in toto, vel in parte tollat. Hoc enim authori naturæ reseruatur, illud verò author diuinę legis, sed non alienũ à Christiana professione, vt Papa in ambiguis interpretetur ac diffiniat, tam ius diuinum, quàm naturæ. Dispensatio itaq; illa diuersos simul protulit effectus iuxta diuersas, quas attigit materias: pro quanto enim attigit iura humana, efficit licitum ꝙ secundũ humana iura fuisset illicitum: quatenus verò attigit iura diuina & naturæ: diffiniuit ac authorauit licitum, quod secundum diuina & naturę iura dubitabatur, vel reputabatur, seu dubitari vel reputari potuisset illicitum.

¶ Et ad opulentiã honestationis concurrunt duo bona fratris defuncti: alterũ ꝙ vxor eius quæ fuerat vna cum ipso charo ex hoc cõiugio, sublimata est in futuram Reginã Angliæ, vt regno, quo ipse defunctus non potuit per seipsum potiri, saltem in carne sua potiretur. Alterum ꝙ frater eius ex hoc coniugio redditus est securus à tali ac tanta malorũ congerie, qualé & quantũ bella inter regna afferunt inter se. Interesse autem mea defuncti mala pœnæ futura fratri meo testatur euãgelicus dives sepultus in inferno, dũ rogat Abrahã, ne fratres sui veniant in illum locum tormẽtorum. Honestatur itaque hoc coniugium, tum ex bono fratris defuncti non minore, quàm sit illud descriptum in Deuteronomio non consistente in nomine, sed in re non dubia, sed certa: tum ex maximo communi bono pacis, authoraturq; apostolica potestate.

CAPVT IX.

Quòd siue ligent, siue non dicta diuina iura, coniugium hoc est honestum.

VNIVERSA autẽ diuina lege perspecta facilè monstratur ꝙ siue diuinæ legis, circa cõiugium inter leuirum & fratriã ligẽt modo, siue expirauerint, cõiugium hoc inter sereniſſimos reges Angliæ licitum, atq; honestũ est. Nam si diuina veteris Scripturæ spirarũt, nulla hinc illis infertur iniuria: si verò etiã hodie ligãt cùm constet ex eadẽ diuina lege Deuter. c. 17. ad summum sacerdotem spectare emergẽtes causas ambiguas, ac difficiles diffinire iuxta legem Domini: consequens est ꝙ etiam si omni ex parte nõ pateret bonum sufficere ad honestandum coniugium inter leuirum & fratriam, ex eo ꝙ summus Sacerdos requisitus, vt hinc diuina iura naturæq;, ac humana, quæ videntur obstare huic coniugio, illinc tale bonum pacis seruãdæ libraret (propter hoc enim constat supplicatum fuisse summo Põtifici) & qui tunc erat summus Sacerdos Iulius dispẽsando autorauit inter hos sereniſſimos leuirum & fratriam, coniugium ob tale bonum pacis reddidit illud licitum & honestum. Nam per hoc diuina authoritate sibi in lege diuina concessa exemit illud ab iniuria omnium iurium diuinorum, naturalium, ac humanorum: quia etiã fingẽdi licentia concessa inficiari mẽte quãuis ore nemo potest, ambigua saltem fuisse iuxta legẽ diuinam ac naturę causam, videlicet si ob tale bonum pacis honestandũ erat cõiugium inter leuirum & fratriam & diffinitionẽ talis ambigui spectasse ad summum tunc sacerdotem, & causam boni pacis communis conformẽ esse diuinę legi, cui inter humana nihil magis quadrat, quàm commune pacis bonum. Et hæc dixerim, nõ ꝙ causa ambigua sit, qm̃ deductum iam est commune bonum pacis causam esse sufficientem ad honestãdum coniugium, iuxta leges diuinas & naturales (sed ad demonstrandum) quòd esto quòd ambigua ac difficilis fuisset causa authoritas summi Sacerdotis, diffiniendo iuxta rationem valdè cõsonam, diuinis & naturæ legibus coniugium hoc licitum, honestum ac legitimum, sufficeret ad reddendum coniugium hoc licitum, honestũ ac legitimum, etiam si leges Leuiticæ non solum quatenus morales, sed quatenus diuinæ ligarent Christianos.

CAPVT X.

Quod sacrorum Conciliorum, Pontificum ac doctorum dicta non militant aduersus hoc coniugium.

ET QVONIAM sacra Cõcilia, sacri Pontifices, sacri Doctores, damnãdo coniugium inter leuirum & fratriam ius diuinum & naturæ citant, manifestum ex auditis fit, quod non militant eorum dicta aduersus hoc coniugium, secundum ius diuinum & naturæ apostolicáque autoritate cõtractum. Damnant siquidem inter liuirum & fratriam, coniugium nudum, non coniugium tot cõditionibus consonis diuino naturæque iuri fultum, ex hoc ipso quòd iuri diuino ac naturæ innitũtur. Clara enim luce iam patet, iure diuino ac naturæ prohiberi inter leuirum & fratriam coniugium in genere seu nudum: consonum autem fore vtriq; iuri inter leuirum & fratriã coniugium vestitum multis honestatis speciebus, siue propter bonum fratris defuncti, siue propter bonum commune. Quocirca Iulius nihil aduersus doctrinam sacrorum Conciliorum, Põtificum, aut Doctorum egit, nec etiam aduersus illos Doctores qui dicunt, & verissimè, Papam nec in iure diuino, nec in iure naturæ posse dispensare, hoc est, facere licitum quod diuino, aut naturæ iure constat esse illicitum. Nam (vt patet ex dictis) coniugium inter leuirum & fratriam ob commune bonum pacis, nec diuino nec naturæ iure prohibetur, imò tum diuino, tum naturæ iuri consonat. Sed Papa iure suo ordinario, quo de iure super ius potest vti, diffiniuit & autorauit coniugium honestatum ex causa communis boni pacis, ad tollendum omnem ambiguitatem vtriusque iuris. Hoc est Pater sancte, in causa hac iudicium meum: consilium autem non occurrit mihi melius, quam quod à Spiritu sancto proficisci non ambigimus, Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Fœlix in secula valeat beatitudo tua. Romæ, die 13. Mart. 1530.

Tractatus Reuerendissimi D. Thomæ de Vio Caietani, Cardinalis S. Xysti ordinis Prædicatorum, De coniugio regis Angliæ, finis.

TRACTATVS QVINTVSDECIMus Responsionum ad quosdam articulos nomine Theologorum Parisiensium editos, ad magistrum Ioannem studij Moguntini Regentem missus.

MISISTI ad me conclusam in tuis literis schedulam scandalosam apud Germanos, rogans vt scandalo prouidere velim, declarando veritatem. Precibus itaque tuis satisfacere cupiens, responsionem mitto ad receptam à te schedulam sexdecim articulorum, quorum titulus est.

¶ Articuli aliquot pro erroneis à Theologis Parisiensibus ex libris Caietani excepti.

¶ Titulus iste in primis falsus est: quoniã multi subscripti articuli non sunt in libris meis. Et deinde titulus iste incertum manifestat autorem. Ex eo enim quòd dicitur à Theologis Parisiensibus, non explicatur qui sunt isti Theologi. nam innumerabiles sunt Theologi Parisienses, & ad verificãdum numerum pluralem sufficiunt duo. Quocirca multi suspicantur animo fallaci scriptum hunc titulum à quòd ille qui titulum hunc apposuit, aliud dixerit & aliud intenderit: dixit enim à Theologis Parisiensibus, intendit autem vt passim legentes & audientes fallantur, intelligendo ab vniuersa Theologorum schola Parisina. Nec temere suspicantur: quoniam quisquis ille fuerit, imponit mihi multa quæ non scripsi: ipsa enim impositio signum est mali animi: propterea vos quidem estote cauti, vt non fallamini ex hoc titulo: illius verò quisquis fuerit ille, misereatur omnipotens Deus. Ego autem tanquam ad libellum famosum respondebo.

¶ Articulus itaque primus est, Licitum est viro, vxore fornicante, ducere aliam. Secundus est, Non est eadem libertas vxori, quæ viro. Articuli isti non sunt mei: neuter enim inuenitur assertus in libris meis: vt patet in commen. super Math. cap. 19. vbi duntaxat disputaui de hac materia, & reliqui diffiniendam ab Ecclesia.

¶ Tertius articulus est, Epistola Pauli ad Hebr. non est authẽtica. Iste articulus non est meus. in cõmentariis enim super dictã Epistolam non negaui Epistolam esse authenticam: sed dixi ꝙ dubio apud Hieronymum autore eius Epistolæ existente, dubia quoque redditur Epistola, quam, nisi sit Pauli, non perspicuum est esse canonicam, & nõ nego ipsam authẽticã, existente authore Epistolę dubio. Aliud est enim Epistolam esse canonicam, & aliud est esse perspicuum, quòd est canonica. perspicuitas enim spectat ad notitiam nostram, esse verò canonicam, spectat ad ipsam Epistolã secundum seipsam, si nanque tolleretur dubium, & fieret perspicuum, non propterea Epistola fieret nouiter canonica: sed quæ erat secundum se canonica, manifestaretur canonica. certum est tamen quòd durante dubio, non est tantæ autoritatis apud nos, vt sola sufficiat ad ea, quæ sunt fidei. Ego igitur locutus sum de nostra notitia, non de ipsa Epistola (vt verba mea clarè sonant) articulus verò loquitur de Epistola secundum se.

¶ Quartus articulus est, Posterior pars vltimi capituli Marci. s. Nouissimè autem recumbentibus, non est authẽtica. Iste articulus non est meus: vt patet in Commen. super Marcum. Sed ex verbis Hiero

Hieronymi, dixi ꝙ illa scripta Marci, quæ Hieronymus habet pro dubiis, non sunt solidæ autoritatis ad hrmandã fidẽ, sicut sunt reliqua Marci indubitata. Certum est enim ꝙ ea quę vertũtur in dubium, nõ sunt tantæ autoritatis, quantæ sunt indubitata: dubium enim ad nostram spectat notitiam, & non ad scripta ipsa in se.

¶ Aduertendum est autẽ circa hunc articulũ præcedentẽ & similes, quòd ego nullam Bibliæ partem reieci, nisi quas reiecit beatissimus Hieronymus: & nullã partem, aut particulã in dubium verti, nisi illas de quibus dubitat Hieronymus. Secutus sum Hieronymum, & ex illius verbis deduxi consentanẽa sermoni eius. Hieronymus enim vniuersæ Ecclesiæ lumen est, ad discernendas partes & particulas sacræ Scripturæ ab iis, quæ non sunt partes, nec particulæ eius, & ad discernendum partes, seu particulas certas à dubiis. Cur itaque accusor sequens beatissimum Hieronymum? accusando siquidem in istis me, accusant Hieronymum, qui est principalis autor huiusmodi dubiorum.

¶ Quintus articulus est, confessio auricularis non est instituta à Christo, inquantum auricularis & secreta. Iste articulus non est meus: sed Ioan. 20. scripsit, ꝙ Christus instituit confessionẽ volutariam peccati, sed modũ confitendi, & similiter absoluendi, an ad aurem in publice, Ecclesiæ vsui reliquit, iuxta tamen qualitatem peccati publici vel occulti. Quod non est dicere hanc negatiuam, Confessio auricularis non est instituta à Christo: sed est dicere, quòd confessio instituta à Christo, non restringitur ad hunc modum confitendi: quia extenditur etiam ad cõfessionem publicam, satisfacit enim præcepto Christi, qui postquam publice peccauit, publicè confitetur, publicè absoluitur, & publicè satisfacit.

¶ Sextus articulus est, Nõ habetur verus textus sacræ Scripturæ in lingua Latina, nisi fiat translatio de verbo ad verbum ex lingua, ex qua sumitur, & fiat omnino talis qualis in sua origine est. Iste articulus nunquam fuit à me scriptus: vt testatur prooemium super Psalterium, in quo solo materiam hanc tractaui.

¶ Septimus articulus est, Melius est, quòd orationes dicantur in lingua vulgari in Ecclesia, quàm in lingua Latina. Iste articulus non integrè recitatur: quoniam non scripsi, quòd est melius, sed quòd est melius ad ædificationem Ecclesiæ: neque scripsi orationes, sed orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur. hoc autem super doctrinam Pauli fundaui, i. ad Cor. 14.

¶ Octauus articulus est, Pẽsiones super beneficiis curatis pecunia numerata redimi possunt. Iste articulus recitat plus, quàm ego scripserim: quoniam ego non scripsi de beneficiis curatis in specie, sed de beneficiis ecclesiasticis in genere: & fundaui dicta mea super doctrinam diui Tho. Et ea vera esse, testatur mos Ecclesiæ passim. nam quotidie fiunt huiusmodi redemptiones, etiam à viris timoratiuis. Et consueuit quantitas pensionis redimi, soluendo pecuniam in proportione quintupla: reputatur enim communiter huiusmodi pretium iustum.

¶ Nonus articulus est, Nec ratione nec authoritate probari potest, quòd absolutè loquendo, sacerdos peccet contrahendo matrimonium, quin potius & ratio ducit ad oppositionem. Iste articulus non est meus, quantum ad illam particulam, probari potest: quoniam vt tex. quæstionis manifestat, scripsi, nec ratione nec authoritate probatur, quòd sacerdos seclusis legibus iuris positiui & votis, peccet contrahendo matrimonium, &c. & attuli rationem, contra quam oportet aduersantes, rationibus procedere, & non libello famoso.

¶ Decimus articulus est, Summus Põtifex salua cõscientia põt dispẽsare cũ saderdote Occidẽtali, ꝙ cõtrahat matrimoniũ, etiã cessante causa publicæ vtilitatis. Iste articulus est meus: & alienus mõ ſtratur ab omni errore in illa quæstione. nulla enim iura arctant causam dispẽsandi ad vtilitatem publicã solam: occurrente enim alia causa rationabili, Papa vti sua potestate potest, vt clarepatet.

¶ Vndecimus articulus est, Vtrum discordia orta inter coniuges huiusmodi sine spe remedij, sit rationabilis causa dispensandi, vt vterque cum alio contrahat, crediderim quòd sic, coniugum consensu accedente. Iste articulus de coniugio non consummato meus est: & tam moderatus, vt irreprehensibilis omnino sit, tum quia nihil asserui, nisi credulitatem: tum quia innititur authoritati sedis Apostolicæ, quæ huiusmodi causam habet pro rationabili: vt apostolica rescripta testantur.

¶ Duodecimus articulus est, Asserit quòd Christus descendens ad inferos prædicauerit dæmoniis & damnatis. Iste articulus non est meus: quoniam nunquam hoc asserui. Sed in commẽtariis super primam epistolam Petri cap. 3. manifestè dixi, Petrus non loquitur de prædicatione qua Christus manifestauit apud inferos seipsum esse Messiam, & conuicit tam dæmones, quàm incredulos omnes: huiusmodi enim prædicatio communis fuit omnibus apud inferos. Vbi clarè patet, quòd non de prædicatione absoluta, sed de prædicatione huius (hoc est confutante & conuincente dæmones & incredulos omnes) locutus sum: isti autem imponunt mihi prædicationem sine aliqua additione.

¶ Tertiusdecimus articulus est, Epistola secunda Ioan. non tam eget expositione, quàm correctione. Iste articulus nõ integrè recitatur: nam in Commẽtariis super ipsam Epistolam scripsi. Nec tam eget expositione, quàm correctione, quoniam in multis differt à textu Græco. Vbi clarè patet, quòd de correctione verborum dissonantium à textu Græco locutus sum. Et si hoc est error, quare Hieronymus tanto tempore laborauit ad corrigendum libros sacræ scripturæ iuxta Hebraicam veritatem? quare August. pro correctione librorum veteris Testamenti remittit lectores ad Hebraicum textum, & pro correctione librorum noui Testamenti ad textum Græcum?

¶ Quartusdecimus articulus est, Iacobus Alphæi, frater Domini appellatur, quia filius fuit Ioseph ex alia vxore. Iste articulus non est meus, nunquam enim sciui, nunquam asserui quòd Ioseph habuerit aliam vxorem, quamuis opinio dicentium hoc non mihi displicuerit: & propterea scripserim in Commentariis super Epistolã ad Gal. c. 1. & forte nulla magis quadrare videtur ratio, quã quòd fuerit filius Ioseph ex alia vxore: nihil enim, vt certũ scripsi.

¶ Quintusdecimus articulus est, An Paulus vxorem habuerit, disputare superfluum est: quoniam ex eius Epistolis nihil certi habetur, licet ex aliquibus sensu valde rationabili monstretur eum habuisse vxorem. Iste articulus non est meus: nam in Cõmẽtariis super Epistolam ad Phili. c. 4. scripsi, disputare hic, an Paulus habuerit vxorem, superfluum duxi: cùm ex aliis locis Epistolarum Pauli nihil certi habeam: & hic locus cogere videatur non ratione demonstratiua, sed sensu valde rationabili, quòd Paulus habuerit vxorem. Ex hoc autem articulo, & multis aliis prærecitatis, facile patere potest, quòd articuli isti indigni sunt Theologis, indigni & responsione: vtpote vel impositi, vel alieni à materia erroris, nullus siquidem error incurritur, putando Paulum habuisse vxorem, vel non habuisse vxorem: nullus error est, putare Ioseph habuisse, vel non habuisse aliam vxorem, ante beatam Virginem: nullus error est, Epistolam Ioannis esse correctam vel nõ correctam iuxta textum Græcum: nullus error est dubitare de illis, de quibus dubitat beatus Hieronymus: & id genus multa in articulis schedulæ istius contenta. Pro consolatione itaque tua & Germanorum, honorande magister, hæc scripsi vt perpendas ridiculos fore apud eos, qui libros nostros legunt & intelligunt, libellos hos famosos: pugnent rationibus & authoritatibus Scripturæ, non libellis famosis, non nominis supercilio, qui oppugnare nostra cupiunt. Bene vale, Romæ 30. Decembris, 1534.

FINIS.

Series Chartarum.

AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT. Omnes sunt quaterniones, præter TT qui est ternio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EXPOSITIO PRÆCLARISSIMA

EXIMII MAGISTRI CHRISOSTOMI IAVELLI

Ordinis Prædicatorum, Theologi disertißimi in primum tractatum primæ partis Angelici Doctoris. D. Thomæ Aquinatis, Incipit faustè.

QVÆSTIO PRIMA.

ATICVL. I.

Vtrum præter physicas disciplinas sit necessarium habere alias scientias.

CIRCA titulum necessarium, ex fine siue simpliciter, siue ad bene esse præter physicas non ex obiecto, sic enim metaphysica, & supernaturalis. dicit enim metaphysica. i. transphysica, vel superphysica. Sed ex obiecto, & principio productiuo. s. sit de rebus diuinis, & à lumine diuino immediate causante hanc notitiã, & non à lumine intellectus agentis aliã doctrinã. i. notitiam quæ secundum respectum ad Deum docentem, dicitur doctrina: & vt respicit hominem suscipientem eam à Deo, dicitur disciplina. Vtrum autem hac notitia sit mera fides, vel mera scientia Theologiæ, dicam infra.

Vnde necessarium fuit homini, &c. Ly, necessariũ, in prima quæstione stat pro omnino necessario ex fine, aliter homo nõ posset dirigere actiones suas in finem supernaturalem. *Conclusio 1.*

Quædam per reuelationem diuinam &c. Et aduerte quòd quædam per reuelationem formaliter, vt articuli fidei, quædam autem virtualiter. i. correlariè vel deductiuè. Nã si Deus reuelauit vnum, & Trinum ex cõsequẽti dicitur reuelata productio personarum per actiones immanentes, & distinctio per solas relationes. igitur dem̃. S. Tho. intelligatur vtroque modo.

Conclusio 2. Necessarium igitur est, vt salus, ly necessarium, stat pro vtili, & expedienti, quoniam diuina bonitas non solum non deficit in necessarijs omnino, sed abundanter procedit.

Dubium pri mum. Necessarium igitur fuit præter physicas disciplinas. Contra hanc conclusionem duplex dubium consurgit: Primum quomodo sumitur ly doctrina, an pro fide tantum. & hoc non, quia in articulo sequenti quærit vtrum sit scientia, & concluditur ꝙ sic. Constat autem quòd fides non est scientia, vel pro scientia Theologiæ deducta ex principijs fidei, & hoc non, quia idiota non posset saluari.

Ad hoc dico quòd non sumitur pro fide præcisè, neque pro scientia. Theologiæ præcisè, sed pro notitia reuelata in lege antiqua, & noua siue formaliter, siue virtualiter, quæ secundũ se abstrahit à fide & scientia Theologiæ sicut aliàs secundum se abstrahit ab homine, & equo, & sicut aliàs cũ determinatione varia trahitur ad hominem, & equũ, puta per differentias suas, sic hæc notitia varia determinatione trahitur ad fidem, & scientiam. Nam si sumatur quo ad primũ prima reuelata transcendentias intellectũ nostrum quo ad hanc partẽ est fides, si quo ad reuelata virtualiter vt declarauimus. sic erit scientia vt videbitur in secundo articulo. Et si quæratur secundum quam partem est necessaria? Dico quòd non secundum primam præcisè, nec secundum secundam præcisè, sed secundum primam vt continet virtualiter secundam. Vnde necesse est omnem idiotam esse Theologum virtualiter. obligatur enim credere non solum principia fidei, sed omnia, quæ deducuntur necessario ex eis: credere dico non expresse, sed implicitè.

Ad argumenta igitur patet quid dicendum sit. Nam ad primum concedo quòd non sumitur pro fide præcisè: & similiter ad secundum quòd non sumitur pro scientia Theologiæ præcise, sed pro notitia reuelata, vt abstrahit &c. In articulo autem sequenti descendit ad hanc notitiam, non vt abstrahit: sed vt determinatur ad conclusiones deductas ex principijs primis credibilibus, & sic determinabit quòd est scientia. Vnde D. Tho. doctrinaliter processit primo quærens de doctrina sacra in sua communitate sumpta, secundo de eadem contracta ad conclusiones deductas ex principijs creditis secundo quiatã conclusio, quam ratio D. Thom. pro prima conclusione videtur supponere falsum. s. quòd finis hominis, ad quam ordinatur. P. Visio Dei sit supernaturalis hominis ex consequenti naturaliter incognoscibilis quantumcunque pro præsenti statu cognoscatur natura animæ nostræ. Contra hoc fundamentum arguit Scot. in primo quæstione prima, prologi. ibi, cõtra istas rationes instatur, quòd iste finis comparatus ipsi animæ est naturalis licet denominatione extrinseca dicatur supernaturalis. P. quia est in obiecto supernaturali quia cognoscitur modo supernaturali, idest, lumine diuino, quod acquiritur medio supernaturali, & gratia, & charitate. Quod ergo respectu animæ sit naturalis, probat dupliciter: primo quia secundum Augustinum de prædestinatione sanctorum. Posse habere fidem sicut & charitatem naturale est hominum. Tunc sic, naturale est homini posse habere medium ad illum finem. Primo adfruitionem Dei: ergo & posse habere illum finem. Ad hoc vt inquit Capr. in primo prologi, quæstione prima, ad argumenta contra secũdã & ab eo accepit expositor. Decipitur Scot. in ly naturæ. credidit enim conuerti Cum naturali, quod est falsum. Nam ad hoc quòd aliquid conueniat naturæ hominum sufficit esse intellectiuum: ad hoc autem quòd sit naturale, est necesse, vt posit reduci ad actum per agens naturale. Vnde concedo quòd secundum Augustinum est naturæ hominum posse habere charitatem, & conuenit homini vt est intellectualis ad differentiã aliorum animalium, quibus repugnat talis finis, & talia media, quia sunt naturæ nõ intellectualis. Non autem concedo quòd sit naturale, nec id intendit Augustin. Et si quæras quomodo sumitur ab Augustino, ly posse, dico quòd non sumitur pro potentia naturali, sed pro obstantiali, quæ dicitur non repugnantia. Homo naturaliter appetit finem illum ergo est ei naturalis. Confirmatur, homo naturaliter cognoscit primum obiectum intellectꝰ esse ens, & ꝙ in Deo perfectissime saluatur ratio entis, sed naturaliter appetit cognoscere ens, ergo vt Deũ. Ad hoc dico quòd nihil concludit cõtra nos. Nam ad primum negatur antecedens sumendo finem illum secundum propriã rationem beatificam. primo Deum clare, & essentialiter visum. Nec ipsum antecedẽs probat Scot. Ad confirmationẽ concedo totum, non enim concludit aliud nisi quòd naturaliter desidero cognoscere Deum, non tamen sub ratione propria beatifica, vt reuelatum est nobis. Tertio deceptus est Scotus, quia credidit nullam supernaturalitatem conuenire potentiæ passiuæ comparatæ actui suo, sed tantum in ordine ad agens, per quod reducitur ad actum. Vnde vult contra actus esse vel naturalitatem, si inclinatur in illum, vt igni ascendere, vel violentiam, si repugnat ei vt igni moueri circulariter sub concauo

Dubium secundum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lunæ nunquam autem supernaturalitatem, nisi per respectum ad agens supernaturale, si modo supernaturali reducit potentiam ad actum, nec id aliter probat. Nos autem dicimus quòd etiam respectu actus datur supernaturalitas, & est quando per talem actum vel dispositionem ad ipsum trahitur recipiens ad ordinē diuinorum entium, & super statum naturalem, & quoniam anima ex visione diuina, & fruitione trahitur & eleuatur ad talem statum, ideo illi beatifici actus sunt sibi supernaturales vt declarabitur diffusius in q. 89. agentes de cognitione animæ separatæ.

In responsione ad secundum aduerte. D.Thom. expresse nō cōcludit ex sua rōcinatiōe nisi distinctionē Theologiæ à scientijs physicis propter media diuersa: consequenter tamen, & implicitè concludit necessitatem. Nam si per lumen exactum nō possent haberi multæ veritates complexæ de Deo sine quibus homo se non potest ordinare in finem, ergo nō solum erit alia, sed & necessaria. exemplum autem de Astrologo, & physico adductum est præcisè ad declarandum distinctionem, sed non ad declarandam necessitatem. Et propterea Scotus in prima q. prologi, ibi ad secundum dicitur, quòd diuersa &c. nihil concludit contra D.Thom. arbitratur enim ꝙ D.Thom. intendat concludere necessitatem ex ipsa responsione: quod non est verum principaliter, sed cōsequenter tantum vt diximus. Vel aliter, & melius D.Thom. in articulo duas conclusiones determinauit & in prima conclusit quòd erat omnino necessaria ex fine. in secunda autem quòd erat vtilis, & non necessaria tantum, sicut in prima. Ideo arguendo formauit duo argumenta, quorum primum est directè cōtra primam conclusionem, & ideo respondens sustinet necessitatem, secundum est contra secundam probans, quòd non est necessaria, & quòd non est alia. In rōcinatione igitur quasi cōcedens quòd non est necessaria, nisi sumendo necessarium pro vtili immoratur ad declarandum distinctionem ab alijs & sic patet quòd Scotus nihil concludit contra eum, quoniam non fuit mens sua sustinere necessitatem principaliter, sed distinctionem.

ARTICVL. II.

Vtrum sacra doctrina sit scientia.

Circa titulum, aduerte quòd cum ex declaratione primi articuli sacra doctrina in se cōtinet principia sua, quæ pro nunc supponuntur esse articuli fidei: & conclusiones deducibiles ex eis, hic non quæritur vtrum secundum se totam sit scientia, quoniam de principijs non habetur scientia, sed solum pro illa parte qua continet conclusiones deducibiles ex suis principijs. Item ly scientia sumitur propriè, vt distinguitur contra alios habitus intellectuales. Item sumitur ly, doctrina sacra non tantum secundum se, sed vt recipitur in intellectu viatoris, vt sit sensus. Vtrum sacer Theologus viator ex discursu Theologico quo deducit conclusiones suas, ex articulis fidei acquirat scientiam.

Respondeo sacram doctrinam esse scientiam &c. Aduerte quòd de ratione scientiæ abstractè dictæ, vt distinguitur contra alios habitus est, vt sit notitia conclusionis demonstratæ ex primo posteriorum, quæ demonstratio fit ex eo quod demonstrans copulat, & continuat conclusionē superiori habitui necessario & euidenti ipsi demonstranti vel superiori scienti, cui innitatur demonstrans, qui quidem habitus, vel est habitus principiorum vel scientia, quæ supplet vicem habitus principiorum. sicut scientia Geometrica respectu perspectiuæ habet rationem principij, & quoniam fidelis viator discurrēs copulat conclusiones Theologicas habitu superiori necessario, & ineuitabili, & euidenti nō quidem ipsi viatori, sed Deo, & beatis, qui est habitus articulorum fidei, cui fidelis innititur. Ideo D.Thom. tenet hanc esse veram. Sacra doctrina est scientia.

Sed sciendum quòd duplex est genus scientiarum, &c. Aduerte quòd perfecta differentia scientiæ subalternantis, & subalternatæ, stat in hoc, quòd prima continuat conclusiones suas suis principijs vltima resolutione in quibus videt immediatè veritatem suarum conclusionum, ita quòd non sunt resolubiles adhuc in superiorem habitum. secunda vero continuat cōclusiones suas immediatè alicui habitui scientifico, & median te ipso principijs suis, & pro quanto inhæret tali habitui scientifico veluti principio proximo deducit demonstratiuè cōclusiones suas non quidem demonstratione potissima, sed tali, qualis sufficit in scientia subalternata. ex his sequitur alia differentia. s. ꝙ scientia subalternans requirit euidentiam suorū principiorum proximorum: subalternata autem non: sed sufficit ꝙ ianitatur subalternanti vt principio suo, vnde talis continuatio cum tali innixu sufficit ad causandam scientiam subalternatam. istæ duæ differentiæ sunt communes, & necessariæ omni subalternanti, & subalternatæ. Aliæ autem non conueniunt omni p. ꝙ subalternata contrahat subiectum subalternātis per differentiā accidentalem. Nam Deus sub ratione Deitatis est subiectum in Theologia beatorum, & viatoris, vt dicemus infra. Similiter ꝙ subalternans dicat quid: subalternata, quia. Non conuenit omni, sed tantū humanæ habitæ per verū discursum, qui nō saluatur in Deo, nec in beato. Non enim debet admitti ꝙ intellectus Dei aut beati propriè dicat propter quid de articulis fidei, nisi in hoc sensu, ꝙ in diuina essentia immediate intuentur veritates talium articulorum. Viator autem acceptat has veritates, quia reuelatas, ex quibus sequitur correlariè ꝙ quantū ad conditiones per se requisitas Theologia nostra perfectè subalternata est Theologiæ beatorum, nō autē quantū ad conditiones accidentales, siue cōmunes solis subalternātibus physicis, & quoniā Philosophus in primo posteriorum non potuit inuestigare subalternationem, nisi in scientijs physicis, quibus tales conditiones conueniunt. Ideo solus Theologus, vt D.Tho. subalternationē absolutè attingit, sub qua constituit nostram Theologiam remouens omnē conditionem accidentalem, sustinet eas, quæ sunt per se, & id quidem innuit in articulo, cum dicit, Et hoc modo sacra doctrina. q.d. non quo ad omnes conditiones, sed solum quo ad duas primas supradictas. Ex his declaratis poteris soluere omnia argumenta aduersantium, quæ recitantur à Capreol. in q. prologi, & versantur circa duas conclusiones positas in artic. Nam ferè omnes negant ꝙ sit scientia licet Greg. in prima q. prologi concedat quòd sit habitus creditiuus causatus ex discursu Theologico infideli acceptanti articulos fidei. Et quia negant quòd sit scientia, negant etiam quòd sit subalternata. Igitur Aureolus Scot. Greg. Durand. probāt quòd non sit scientia præcipuè, vt reperitur in intellectu viatorum, & quoniam eorum principalia argumenta adducuntur compēdiosè ab expositore, & soluuntur solutionibus resolutis non discordantibus à Capreol. ideo videtu expositorem, & sufficit, quoniam satis clarus est. Similiter arguunt ꝙ non sit subalternata scientiæ Dei, quorum argumenta, & solutiones clarè sunt in expositore. Tu vero aduerte hoc solum ꝙ qui probāt eam non esse scientiam, fundant se super hāc propositionem falsam, Omnis scientia est ex principijs ex se notis &c. hanc non acceptamus nisi in scientia, quæ est simpliciter perfecta, & non in subalternata, quæ vtique non est scientia nisi vt innititur superiori, & vt sic habet quandam vnitatē cum illa, & nisi habeat talē vnitatem non est scientia, & stante tali continuatione fides est sufficiens principium huius talis scientiæ, & non aliter. Item qui probant eam non subalternari, fundant se super hanc propositionem quam non acceptamus. Omnis scientia subalternata dicit qa & subalternans Quid, & contrahit subiectū per extraneā, & se cōpatiuntur in eodem subiecto. Nam licet Capreol. & conformiter expositor laborent ad saluandum etiam has conditiones in Theologia viatori, tamen quoniam vt supra diximus istæ conditiones non sunt essentiales, sed tantum duæ, quas s. posuimus. Ideo gratis concedo quòd Theologia nostra non subalternatur scientiæ, siue Theologiæ Dei & beatorum, nisi quo ad conditiones essentiales. & hæc fuit mens D. Thom. in articulo, & ideo arguentes vane laborauerunt &c. Sed quia omnis scientia pro hoc statu causatur ex aliquo discursu, ideo declarandum est ex quo discursu causatur hæc scientia in intellectu viatoris. Vnde aduerte vt in metaphys. D. Tho. infra in articul. 8. secundum Theologiā nostrā ad aliquam conclusionem vtitur multiplici discursu. Nam aliquando procedit ex propositionibus metaphysicis, vt Deus est æternus. Aliquando ex propositionibus physicis, & conclusio est physicalis vt anima est actus corporis, cælum est incorruptibile. Aliquādo ex probabilibus, & conclusio est probabilis, vt Angeli sunt creati in gratia. Angeli nō discurrunt. Aliquādo ex propositionibus contentis in scriptura sacra & conclusio est de his, quæ deducuntur ex reuelatis. Aliquando ex propositionibus sanctorum doctorū, & etiam gentilium, & cōclusio est ex his quæ deducuntur ex scriptura sacra. iuxta primum discursum causatur in nobis metaphysica scientia, iuxta secundum physica. Iuxta tertium opinio, iuxta quartum scientia Theologiæ, de qua conclusimus esse subalternatam, alia ex quintū opinio de conclusione Theologiæ necessaria sed differenter. Nam quando proceditur ex authoritatibus sanctorum, proceditur ex proprijs probabilibus, quando autem ex dictis gētilium ex extraneis, secundum autem quod moderno tempore docetur Theologia vt in pluribus procedit per primum, secundum, & quintū discursum. & ideo non causatur in nobis scientia Theologica, vt in pluribus, quæ nūc intendimus nisi vtamur quarto discursu, qui

su, qui solus est ex proprijs & necessarijs, quoniam reuelatum, vt reuelatum necessarium est &c.

ARTICVL. III.

Vtrum sit vna scientia sacra doctrina.

Circa titulum ly, sacra doctrina nō sumitur pro Theologia in sua communitate vt sub se, continet Theologiam Dei, & Beati, & viatoris. cōstat enim quòd sunt plures formaliter, sed sumitur præcisè vt reuelata, & in eo sensu, quo conclusit esse subalternatam. ly, vna nō sumitur genericè, necindiuidualiter, sed specificè vt sit sensus. Vtrum sit vna. i. indiuisibilis in plures species theologiæ, dato quòd consideret de distinctis plus quam specie. p. de Deo, de Angelo, de Christo &c.

Sed secundum rationem formalem obiecti &c. Aduerte ꝙ ratio formalis obiecti duplex est, quædā est obiecti vt res est & est diffinitio obiecti siue quidditas sua, à qua fluūt passiones propriæ, & per quam demonstrantur passiones de subiecto, & dicitur ratio obiecti ex parte rei. Quædam est obiecti vt obiectum est. i. vt respicitur à potentia, & est illa, sub qua attingitur à potentia sicut ratio obiecti visus vt objicitur visui est visibile. D.Thom. accipit rationem formalem secundo. Nam dato quòd ratio obiecti vt res est multiplicetur, si tamen stat athoma ratio obiecti, vt attingitur à potentia, non multiplicabitur specifice potentia, nec habitus vt patet in visu. Et ideo dato ꝙ alia sit ratio Dei, vt Deus est, & Dei vt principium creaturæ, & Dei vt redemptor, quia tamen ratio, sub qua attingitur Deus à viatore in hac doctrina stat athoma, & est adæquata. s. reuelabilitas. Ideo secundum D.Tho. stat vna species specialissima scientia Theologiæ in genere scientiarum. Ex hac distinctione dicitur quòd species obiecti, vt obiectum est, non coincidunt. Illæ enim sunt species in genere rerum. Istæ autem sunt species in genere cognoscibilium. inde prouenit quòd obiectū vt res distinguitur per species sicut sapor in amarum, dulce, ponticū, vt obiectum autem. i. vt attingitur à potentia, stat indiuisibilis in plures species in genere intelligibilium: quoniam illæ non multiplicantur, nisi multiplicato modo immutandi: similiter prouenit quòd obiectum vt res, stat indiuisibile in plures species, & tamen vt obiectum multiplicatur in species, quoniam multiplicātur modi, quibus potest attingi à diuersis potentijs, vt idem pomum distinguitur in gustabile, appetibile, intelligibile, quoniam alia ratione attingitur à gustu, alia ab appetitu, alia ab intellectu. Stantibus prædictis videbis soluta tria argumenta Aureoli in Capreol. in primo quæstione prima prologi contra tertiam conclusionem, quibus probat quòd vnitas formalis rationis ipsius obiecti, non sufficit ad vnitatem habitus vel potentiæ. procedunt enim de vnitate formalis rationis obiecti vt res est, sed non vt obiectum est. i. sub qua attingitur à potentia, & quoniam proposita B. Thom. intelligitur in secundo sensu, & non in primo Aureolus, aut laborat in primo iō argumenta sua nihil valent contra nos, & licet expositor addu cat ea & soluat, tu tamen vide responsiones Capr. quoniam cōpletæ, & claræ sunt, nec expositor discedit à sensu earum.

Quia igitur sacra scriptura vsq; ibi, Diuinitus reuelata &c. Aduerte quòd vt recitat Capreol. in primo quæstio. tertia prologi contra quartam cōclusionem, adducit Aureolus quatuor argumenta, quibus probat quòd esse reuelatum, non est sufficiens causa vnitatis vnius scientiæ, & licet, vt videbis in Capr. clarè soluantur: tamen aduerte quòd illa argumēta. s. primum, tertium, quartum peccant in falso supposito. tacite supponit enim Aureolus quòd lumen diuinæ reuelationis se habeat ad hanc scientiam tantum, vt causans sicut lumen intellectus agē tis est merè causans scientiam humanam, sed non sic est hic. imo diuinum lumen, & est causans, & est ratio formalis ex parte nostra, sub qua attingimus diuinam. Nā interrogatus Theologus, quare hæc conclusio est vera, Deus Deum genuit, & Mundus factus est in tempore. respōdet quia reuelatum est sic à Deo, à quo non est falsum, quæ quidem ratio non valet de intellectu agente, quoniam lumen deficiens est. Argumentum autem secundum concludit quòd obiectum Theologiæ duas habet rationes formales, vnam ex parte obiecti, vt res est. hæc est ratio deitatis, sed ab ea non sumitur vnitas specifica Theologiæ. Aliter Theologia Dei, & beatorum esset vna species cū Theologia nostra, alia ex parte obiecti, vt obiectum est, vt attingitur ab intellectu, & hæc est Diuinum lumen comparatum intellectui beato, & intellectui nostro. Illud enim est lumen clarum, hoc autem obumbratum, & quoniam sub hac ratione stat athoma, quæ dicitur diuina reuelatio, intellectus viatoris attingit diuinam. Ideo Theologia nostra stat vna specie, sicut & Theologia beatorum, stat etiam vna specie.

Sed contra rationem D.Thom. expositor mouet dubium, quoniam videtur cadere in æquiuocationem, nam in prima propositione, scilicet vnitas habitus considerandā est secundum rationem formalem obiecti vt res est, vnde exemplificat in colorato respectu visus, constat autem rationem colorati esse rationem obiecti visus vt res est. In alia autem propositione in qua applicat se, scilicet quia igitur sacra scriptura considerat aliqua secundum quòd sunt diuinitus reuelata, & sumit rationem formalem obiecti, vt obiectum est. idest, vt attingitur à potentia, ergo in prima propositione, & in secunda æquiuocat de ratione formali, & ex consequenti, nulla est ratio. expositor in sua responsione dicit quòd in prima propositione ratio formalis obiecti, supponit indistinctè pro ratione formali obiecti vt res est, & vt obiectum est, licet exemplificet de colorato quod videtur importare rationem formalem obiecti vt res est, quoniam vult quòd istæ duæ rationes se consequantur conuertibiliter sicut subiectum, & passio: ideo in alia propositione potuit subsumere rationem formalem obiecti vt obiectum est. idest reuelabilitas, & non vt res est: idest, deitatem, quoniam ex deitate non potest concludi vnitas specifica Theologiæ, sic nec ex reuelabilitate, vel si ex reuelabilitate concluditur vnitas specifica quòd etiam ex deitate, quoniam vt dicit ipse conuenientia in subiecto, conueniunt etiam in passione, hæc autem omnia sunt falsa, ergo sua responsio nulla. Ad hanc instantiam non potuit respondere nisi dimittendo illam propositionem, quam proposuerat, scilicet quòd vtraq; ratio se consequatur conuertibiliter. Dicit enim quòd hæc non est vera, nisi quando ratio obiecti, vt obiectum est adæquatur rationi obiecti vt res est, & quoniam conuertibilitas non adæquatur deitati, sed diuino lumini. potest enim aliter cognosci Deus, quàm reuelabilitate. Ideo instantia non concludit secundum ipsum. Sed non aduertit quòd sic respondendo non saluat rationem D.Thom. Nam cum absumat hāc vniuersalem, vnitas potentiæ vel habitus &c. Et secundum te non vere se consequuntur conuertibiliter vtraque ratio obiecti. cōtra ly, ratio obiecti nō supponit indistinctè pro vtraque ratione, & ideo dico quòd D.Thom. in prima propositione, sumit rationem formalem obiecti, vt obiectum est, & sic in alia & licet exemplificet de colorato, tamen sumit coloratum secundum se, sed vt respicitur à visu, ideo adiunxit quod est obiectum visus. Non autem respicitur à visu, nisi quia est sub tali modo immutandi. p. pure intentionaliter, & per talem modum immutandi, sumitur ratio formalis obiecti visus vt obiectum est. sic intellecta prima propositione D.Tho. potuit conuenienter subsumere solam rationem formalem obiecti, vt obiectum est sicut fecit, potuit etiam sic formare eam. Cum igitur scriptura sacra consideret ens diuinum, vt reuelatum &c. per ly ens diuinum insinuasset rationem formalem obiecti, vt res est, & per ly, reuelatum rationem formalem obiecti, vt obiectum est, sic intellecta ratio stat in robore suo, & non est necesse cadere in responsionem expositoris, & stat litera clarior.

contra Gēt.

ARTICVL. IIII.

Vtrum sit practica.

Circa titulum aduerte quòd cum practica, & speculativa deriuantur à praxi, & à speculativa, primo videndum est quid sit praxis, & speculativa, deinde quid sit scientia speculativa, & practica. Quantum ad praxim propriè sumptam quid sit. vide Scot. in primo, quæstione quarta prologi, ibi, dico igitur ꝙ & ibi inuenies diffinitionem completam, quam quo ad singulas sufficienter declarat, & in hoc non deuiat à via nostra. eandem definitionem absumit Paulus Soncinas metaph. qō. 2. conformiter Scoto, declarat licet non nominet Scotum, vide quem volueris. Speculatio autem vt distinguitur contra praxim est operatio solius intellectus, non ordinata ad aliquam operationem alterius potentiæ ab intellectu regulandam, sed gratia ipsius scire. Dico vero ordinata quia dato quòd ordinaretur ad aliam operationem, intellectus regulandam propter hoc non perdit, quin sit speculatio licet remisse. Vnde licet sylogizare sit ordinatum ad regulandum intellectum in scientijs acquirendis, tamen non est extra genus speculationis omnino scientia practica proprie est, quæ est proxima, & ex prima intentione regulatiua praxis. idest, operationis subiecta voluntati siue elicite, siue imperate, dummodo quòd imperata sit elicita ab alia potentia, quàm ab intellectu, aliter poneretur logyca esse practica. quod est contra D.Thom, vbi supra &c. Speculatiua autem est cuius finis proximus & principalis est speculari vel scire. Vtrum autem sit scientia practica simpliciter

ex obiecto, vel ex fine præsenti articulo est impertinens ideo pertranseo donec erimus in q.1.& ar.16.

Sacra tamen doctrina comprehendit sub se vtramque &c. Aduerte quòd hæc comprehensio non est per modum congregationis eo modo quo secundum aliquos extrema congregantur in medio, vt calidum, & frigidum in tepido, sed per modũ eminentiæ, qui quomodo sit, & quàm rationabiliter id ponatur, vide Capreolum in prima quæst.2. prologi ad secũdam rationem contra sextam conclusionem, ibi aliter tamen & secundum mentem B.Thom.&c.& expositor traxit ab eo si bene aduertas, nec est laborandum sicut ipse laborat ad improbãdum opinionem eorum, qui dicunt D.Thom. mentem esse, quòd est comprehendens practicum, & speculatiuum per modum congregationis. Isti enim sunt rudes, & destruũt vnitatem specificam huius scientiæ, quam in præcedenti articulo determinauit ideo vt rudes relinquantur. Item scias quòd illam declarationem quomodo sit practica, & speculatiua non aggregatiuè sed virtualiter, & eminenter inuenies in Ioann. Baccon. in primo quæst.4. prologi articulo quinto, & est veluti commentum vię nostræ &c.

Magis tamen est speculatiua, quàm practica &c. Hanc conclusionẽ intellige sicut præcedentem. s. quòd est magis speculatiua, quàm practica, non quia magis aggregatur ex speculatiua, sed quia vna existens magis declinat ad conditiones speculatiuas eminenter, siue virtualiter. est enim de rebus speculatiuis principaliter, & sic est de practicis ordinat eas ad speculationem Dei scilicet visionem. Sed contra primam conclusionem arguit Aureolus in Capr. primo quæst.2. prologi contra sextam duobus medijs, quæ iam soluta videbis ex declaratione primæ conclusionis. supponit enim duo falsa. Primũ est, quòd scientia, & scientia prima diuisione diuidatur in practicam, & speculatiuam, vt in differentias oppositas, quæ non possunt eidem conuenire, hoc inquam est falsissimum, quoniam illa diuisio non conuenit nisi scientiæ finitæ, & causatæ lumine finito, aliter esset necesse ponere in Deo duas scientias, vnam, qua cognoscit se, & aliam, qua operatur ad extra sicut artifex & quando dicit hanc esse mentem philosophi in 6. metaphysic. dico quòd philosophus non potuit loqui de scientijs, nisi lumine naturali acquisitis, de quibus concedo talem diuisionem. Secundum est, quòd credidit D.Thom. tenere Theologiam esse speculatiuam simpliciter, & practicam secundum quid per aggregationem, quod nos non dicimus, sed per eminentiam vt exposuimus. Vnde non debemus concedere quòd sit formaliter magis speculatiua, & formaliter secundum quid practica. hæc enim sonant aggregationem, & compositionem per accidens. Sed quòd eminenter magis æquipollet speculatiuæ, quàm practicæ. Tu stabis in hac resolutione, & vitabis variam responsionem Capreol. hæc enim est magis stricta, & tuta in via nostra, à qua non deuiat expositor.

secundum.

Contra secundam. s. quòd non sit principaliter speculatiua, imo quòd sit omnino practica, arguunt Aureolus, & Gregorius in Capreol. primo q.2. prologi contra sextam. Ibi tertio principaliter in vno decipitur. credit enim finem Theologiæ nostrę esse præcisè speculationem Dei in hac vita, & hanc esse mentem D.Thom.& quoniam melius est diligere Deum, & seruare mandata eius, quam speculari ipsum siue metaphysicè, siue ex reuelatis, ideo concludit Aureolus quòd est omnino practica. Sed dicimus, quòd finis nostræ Theologiæ est speculatio Dei inchoata in via, & perficienda in patria, ita quòd hoc totum copulatum est finis & non præcisè, altera partium, & stante huiusmodi copulato, patet quòd nulli actus practici sunt excellentiores tali fini supponendo pro nunc quòd intellectus sit nobilior voluntate, & ex hoc videbis solutum suum argumentum septimum, quòd magis videbatur vrgere talia autem non sunt difficilia, & diffusè soluuntur à Capreolo.

Qui finis nostra Theologia.

Gregorius supponit duo falsa. Primum.

Gregorius autem supponit duo falsa. Primum est quòd omnes conclusiones speculatiuæ consideratæ in Theologia ordinantur ad praxim. p. dilectionem Dei, quod est falsum, vt patet de ista. Relationes diuinæ constituunt personas. & ista essentia non generat.

Secundum.

Secundum est etiam dato quòd omnis talis cõclusio sit ordinata ad praxim. & non tantum occasionaliter, sicut accidit in proposito, aliter omnis scientia speculatiua esset practica, quoniam ex proœmio commentatoris in primo physicorum est occasio bene viuendi moraliter, & ex hoc videbis solutum primum argumentum suum, quoniam minor est falsa & probatio sua. Ideo autem concludit de proximo intento, sed non de totali fine huius scientiæ. Nam ille est, quem assignauimus contra Aureolum, scilicet illud copulatum. Potes etiam dicere quòd sancti intendunt totam scripturam esse ordinatam ad dilectionem Dei. Sed secundum vnam partem, vt excitatiuam, & secundum aliam vt regulatiuam, & quantum ad hanc solam partem est practica. Nõ enim esse excitatiuum, sed esse regulatiuum operis voluntatis constituit scientiam practicam &c.

ARTICVL. V.

Vtrum sit Dignior.

CIrca titulum aduerte quòd sacra doctrina potest dupliciter considerari. Primo secundum se, prout. s. est scientia diuina, & altioris ordinis quàm quælibet scientia humana. & sic D.Thom. non quærit hic vtrum sit dignior, quoniam constat ꝙ sic. cum sit quædam participatio diuinæ scientiæ, & D. Thom. dicit in articulo tertio, ad secundum quòd est quædã impressio diuinæ scientiæ, & potest dici sigillata à Deo in intellectu viatoris. Secundo prout determinauit in articu. præceden. ꝙ est pract. & specul.&c. quærit hic vtrum sit dignior. poterat enim quis dubitare, vtrum vt speculatiua sit dignior omni alia purè speculatiua, & vt practica licet secundum quid sit practica, tamen sit dignior omni simpliciter practica, &c.

Secundum certitudinem quidem &c. Aduerte ꝙ B.Thom. non sumit certitudinem quo ad nos, nam sibi contradiceret, concluserat enim in articulo secũdo, quòd sacra doctrina procedit ex principijs reuelatis, quibus credit, sed sumit certitudinem secundum se, vt etiam innuit in respõsione ad primum. & si instas, quòd ergo non est scientia, quoniam secundum philosophum in primo physicorum, innata est nobis via procedendi à notioribus nobis ad notiora naturæ. Respondeo quòd hoc est verum dummodo non tradantur nobis principia à superiori, & infallibili sciente. Nam & perspectiuus nõ procedit à sibi notioribus, vel dicendum quòd philosophus intendit de scientia perfecta, qualis non est scientia subalternata vt supradiximus.

Practicarum vero scientiarum illa dignior est, quæ ad vlteriorem finem &c. Aduerte quòd B.Tho. fundat se supra dictũ philosophi in primo ethicorum lectura prima, ibi in omnibus itaque Architectonicarum &c. vbi philosophus comparat adinuicem artes practicas subordinatas, & non abstractè siue dispatatè sumptas: nam cum in illis inferior ad superiorem sit ordinata, constat ꝙ maior nobilitas est in suprema. In disparatis autem non oportet: nam nobilius est depurare aurum quàm facere nauem, quoniam scultiua cui deseruit depuratiua auri non subordinatur ad scultiuam, vel figuratiuam, sic, & tu intellige propositionem D. Thom. in subordinatis tantum &c.

Finis autem huius doctrinę inquantum practica est beatitudo æterna, aduerte ꝙ cum apud B.Tho. beatitudo sit speculatio. quia est actus intellectus. Finis autẽ practicæ sit operatio alterius potentiæ ab intellectu, vt supra diximus, hęc propositio non debet exponi de fine intrinseco, sed extrinseco. i. visione Dei, ad quem Theologia etiam vt practica ordinatur vt dictum est in arti. 4. Ibi, in quibus autem. Ad quam sic ad vltimum finem ordinantur omnes alij fines scientiarum practicarum. Aduerte ꝙ D.Tho. fundat se super dictum philosophi in primo ethicorum lect. 2. Ibi, Videbitur autem principalissima &c. vbi philosophus declarat quomodo ad scientiam nobilissimam practicam summum bonum spectat sub speciali ratione. Item aduerte quòd dicit omnes fines aliarum scientiarum. q. d. quantum sit ex parte scientiarũ, non autem semper quãtum sit ex parte operantium, nam multi vtuntur artib. practicis, & scientijs non in ordinem ad veram beatitudinẽ, bene ad beatitudinem, quam inordinatè sibi constituunt, hæc tamen est vera quòd omnes scientes practici operantur propter beatitudinem veram vel æstimatam &c.

ARTICVL. VI.

Vtrum sit sapientia.

CIrca titulũ ly, sapientia, sumitur pro scientia, quæ est honorabilissimorum entium, & caput omnium scientiarum, & ordinatiua, ac iudicatiua de alijs, has enim conditiones attribuit sibi Arist. partim in proœmio metaph. partim in 6. ethicorum, ibi, & quidem causant has &c.

Hæc doctrina maximè scientia est &c. vsque ibi, sed secundum &c. Aduerte quòd B.Thom. in hac conclusione responsiua innuit distinctionẽ de sapientia in genere, & sapientia simpliciter, quam habemus ex Arist. 6. ethicorum ibi, sapientiam autem in artibus certissimis &c.& ibi, esse autem quosdam sapientes &c. Tu vide eum, scias igitur quòd sapientia in genere est q cõsideratprimas cãs alicuius gnis, vel in aliquo artificio. simpr aũt est quæ cõsiderat primas cãs totius entis, & hæc est metaphysica secundum Aristote. sensus igitur conclusionis est quòd Theologia est magis sapientia, quàm quæcunque humana sapientia in genere, & etiam quàm metaphysica quæ dicitur simpliciter sapientia &c.

Sacra autem doctrina proprijssime considerat de Deo &c. Aduerte duos terminos: ly proprijssime, & secundum quòd altissima causa. Nam in his intendit differentiam inter metaphysicam & Theologiam, & possunt malè & bene intelligi, malè quidem si per ly, proprijssime, intelligatur quòd Theologia cõsiderat prædicata diuina non solum communia Deo, & alijs abstractis, sed etiam proprijssima. Metaphysica autem tantum communia, hoc enim est falsum, quoniam esse finem extrinsecum vniuersi, & esse actionem eius, & esse penitus independẽs in omni genere causæ sunt proprijssima Dei, & tamen inuestigata sunt in 12. Metaphysices.

Item si ly, secundum quòd est altissima causa &c. Dicat rationem formalem obiecti in hac scientia malè intelligitur, si ly, proprijssime intelligatur quo ad cõditiones proprias, & particulares. p. quòd est finis totius vniuersi vniuersalis. sed naturæ intellectualis sub particulari ratione. p. vt clarè visus. Similiter quòd cum independentia stat productio personarum in Deo, similiter quòd ex actione sua immanenti producuntur verbum, & amor. Nam has conditiones sola Theologia reuelata attingit, & ideo bene dicit ad differẽtiam metaphysicę humanæ quæ proprijssime de Deo considerat. Item ly, secundum ꝙ est altissima causa, debet intelligi consequenter. Nam quia Theologus considerat Deum, vt Deus est, & à deitate prouenit altissima, vt vniuersalissima causa, & intimius quam metaphysicus, quoniam ipse non cõsiderat Deum, vt subiectum nec Deum sub ratione Deitatis.

ARTICVL. VII.

Vtrum Deus sit subiectum in hac scientia.

CIrca titulũ aduerte ꝙ hæc propositio, Deus est subiectũ &c. Dupliciter potest intelligi: primo abstracte, idest, non descendendo ad aliquam rationem particularem Dei, & sic cõmuniter conceditur quòd est subiectum in hac scientia. Denominatur enim Theologia à Deo, sed hæc assignatio subiecti in scientia est confusa & non sufficit. secundo determinate. idest, assignando rationem formalem ex parte Dei, & non solum ex parte nostra. hæc enim est reuelabilitas vt diximus in articulo tertio, & sic est varia opinio sub qua ratione sit subiectum, & in hoc sensu D.Tho. format articulum.

Ad cuius notitiam aduerte vt bene notat Scot. in primo q.3. prologi, ibi ex his directè respondeo ad secundam quæstionẽ &c. quòd Deus potest quadrupliciter intelligi. primo sub prædicato respectiuo ad extra vt Deus inquam & primum mouẽs inquantum creator, inquantum prouisor, inquantum redemptor. secundo sub prædicato habente modum qualitatis, & passionis vt Deus inquantum bonus, vel iustus. tertio sub prædicato cõmuni vt Deus inquãtum ens primum actus simplex &c. Quarto sub ratione formali quidditatiua vt Deus inquantum Deus vel sub ratione deitatis, quæ est ratio formalis Dei vt res est: quęritigitur B.Thom. vtrum Deus sit subiectum in hac scientia sub sua ratione formali quidditatiua an in primo vel in secundo, vel in tertio sensu.

Proprie autẽ illud assignatur obiectum alicuius habitus vel potentiæ &c. vsque ibi vel habitus &c. Aduerte quòd B. Tho. in primo sententiarum quæst. prima prologi articulo quarto assignat tres cõditiões subiecti. s. vniuersalitatẽ, prædicationẽ, distinctionem, & principalitatem vt videre poteris & sic videtur innuere illic quòd omne subiectum in scientia debet esse aliquod commune sub se continens inferiora nec ideo prædicatur. vnde illic ex hac conditione posuit ens reuelabile diuinum vel reuelatum esse subiectum in Theologia, sed in præsenti articulo melius considerans aduertit illam conditionem non esse necessariam, sed tantum hanc, quòd omnia considerata in scientia habeant habitudinem ad ipsum & sic dimisit illam, ex quibus sequitur quòd licet obiectum vniuscuiusque potentiæ, sit aliquid commune, non tamen hoc est necesse de obiecto scientiæ, potest enim esse aliquod non multiplicabile vt Deus. & si dicas quare ergo B.Thom loquitur de obiecto & de obiecto potentiæ vniformiter. dico quòd illa vniformitas per se non intenditur nisi quo ad hãc conditionem, obiectum potentiæ est illud, sub cuius ratione omnia referuntur ad potentiam, & hæc eadem saluatur necessario in obiecto cuiuscũque scientiæ. illa autem communitas non est necessario requisita &c. Vnde sequitur quòd Deus verè sit subiectum scientię sub ratione Dei. Aduerte ꝙ hæc cõclusio impugnatur à Gregorio cuius tria argumenta, licet petant idem soluuntur & formantur à Capreolo in prima quæst. 4. prologi post solutionem argumentorum Aureoli contra S.Tho. sextam quæstionem & quoniam Capreolus clare soluit, nec alio modo sciuit soluere expositor, ideo tu vide Capreolum: sed aduerte quòd cum Capreolus se resoluat ad hoc, quòd licet Deus sit subiectũ Theologiæ nostræ sub ratione deitatis quæ est ratio obiecti vt res est, tamen contrahitur per rationem reuelabilitatis sub qua tãtum cognoscuntur à nobis, & ideo non sequitur quòd possumus cognoscere omnia cognoscibilia à Deo, propterea postquam solueris argumenta Grego. tu solues argumenta Aureoli in primo quæst. 4. prologi contra quintam, & sextam quæstionem in Capreolo in quibus probat quòd reuelabile nõ potest esse ratio formalis obiecti huius scientiæ. Non adduco illa, quoniam Capr. ibi clarus, & sufficiens est.

Cum tota scientia virtute contineatur in principijs &c. Aduerte quòd in hac continentia virtuali differmitas est inter Scot. & B.Tho. Nam Scot. in pr. q.3. prologi. ibi, secundo dico quòd ratio primi subiecti est &c. dicit quòd conditio necessaria requisita ad hoc, quòd aliquis sit primum, idest, adæquatũ subiectum in aliqua scientia est vt in se ipso, idest, in sui ratione diffinitiua contineat virtualiter, sufficienter & simpliciter omnes veritates pertinentes ad talem scientiam: idest, quòd ratio subiecti sit adæquata, & sufficiens causa, per quam probentur propriæ passiones inquantum sunt propriæ huius vel illius, & quoniam quælibet species disparata habet proprias passiones. quę non continentur in ratione alterius speciei, imo repugnant sibi sicut proprię passiones hominis, repugnant asino, stante illa continentia virtuali requisita secundum ipsum ad subiectum scientiæ, tenet consequenter quòd duarum specierum disparatarum. sunt duæ scientiæ specificæ distinctæ & sic tot sunt geometriæ specie distinctæ quot sunt species figurarum: quoniam secundum ipsum figuratiua Geomet. sumptan nõ continet adæquatè & sufficienter quæstiones demonstrabiles de triãgulo, vt distinguitur à quadrato: sed B.Thom. qui tenet quòd non solum duarum specierum disparatarum sed distinctarum genere, in rerum natura est vna scientia specie vt diximus suprà in articulo tertio. dummodo stet athoma ratio obiecti vt obiectum est. tenet hanc continentiam esse conditionem requisitam ad primum subiectum scientiæ non adæquatę sufficienter &c. vt exposui de Scot. sed radicaliter tantum. idest vt prima & vniuersalis radix, puta ꝙ in numero qui est subiectum Arithmeticæ contineatur vtiliter omnes passiones specierum numeri vt in tertio fundamento: ideſt, adæquato tamen cuilibet speciei. & quoniam ratio numeri vt numerus est, non est sufficiens, & adæquatum medium ad probandum passionem binarij vt distinguitur à ternario, ideo est necesse si numerus debet continere sufficienter & proximè veritatem huius quæstionis, binarius est primo par. quòd contrahatur per differentiam ad ipsum binarium, & tunc est verum quòd numerus contractus ad ipsum binarium continet virtualiter, adęquatè & proximè veritates binarij. Idem dico contractus ad quamlibet aliam speciem numerorum, sed hæc continentia non est necessaria, secundum B. Thom. in subiecto primo alicuius scientiæ: sufficit enim illa communis radicalis. Aduerte tamen quòd nec ab illa, nec ab ista continentia pendet vnitas specifica scientiæ, sed à ratione formali athoma obiecti vt obiectum est vt determinauimus in tertio articulo. Scot. autem vbi suprà duplici medio probat intentum suum. primo sic,

Obiectum primum continet propositiones immediatas, nãtalium propositionum subiectum continet prædicatum ex cõsequenti euidentiam totius propositionis, propositiones autem immediatæ conclusiones continent, ergo subiectum propositionum immediatarum cõtinet omnes veritates illius habitus.

Ad hoc dico quòd propositiones immediatæ sunt duplices: quædam primæ vt diffinitio lineæ & numeti, quædam proximæ vt definitio trianguli binarij &c. & ex primis non concluditur passio specifica de subiecto specifico vt patet, sed bene ex primis quando sunt cõuertibiles cum subiecto, ex his dico ad argumentum quòd prima propositio est falsa de propositionibus immediatis proximis, de quibus intendimus quòd ex his deducantur passiones specificæ. Si autem Scotus intendit de immediatis non proximis, concedo eam, sed nego secundam, quoniam in eis non continentur conclusiones specificæ, nisi sint in prima, & communi radice &c.

Secundum.

Secundo sic, primum obiectum, idest, adæquatum, se habet ad habitum, vt causa adæquata ad effectum: sed non est causa adæquata nisi contineat virtualiter totum effectum: ergo &c.

Ad hoc nego Maiorem si stat obiectum primum in sua cõ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

munitate: quoniam vt sic non adæquatur quæstionibus specificis sicut figura non adæquatur triangulo ex cõsequenti ratio figuræ non est adæquatum vt sufficiens medium ad concludẽdam proprietatem trianguli de triangulo, si autem contrahatur ad speciem, concedo quòd se habet ad habitum non secundum se totum, sed pro hac, vel pro illa quæstione vt causa adæquata, sed apud nos obiectum sic contractum non est primum obiectum in scientia quæ specie est vna, imo in sua communitate sumptum, dummodo sub vna ratione formali vt est obiectum, attingatur ab intellectu nostro: & quoniam Sco. nõ considerat hanc duplicem rationem de qua locuti sumus in articulo tertio, ideo deceptus est in vnitate specifica habitus scientifici.

ARTICVL. VIII.
Vtrum sit argumentatiua.

CIrca titulum Argumentatiua. ideſt, sufficienter probatiua quæstionum suarum & solutiua oppositarum, neque enim vera scientia esset, si non posset sufficiẽter soluere. signũ enim veritatis est solutio dubitatorum. Hæc doctrina non argumentatur ad probanda sua principia, quę sunt articuli fidei, &c. Aduerte quòd ly, sua principia probãda, intelligendum est demonstratiue quoniã constat q̃ B. Tho. & alij. & Augustin. in libr. de Trinitat. conantur declarare rationibus persuasiuis Trinitatẽ esse in Deo, & quòd incarnatio, est possibilis, & plures alios articulos, & quòd nullus articul⁹ implicat contradictionem, cum tamen ſtat quòd sint principia: quoniam ex eis, vt ex principijs Theologicis deducit quæstiones suas discussu Theologico, & per hoc videbis solutum primum, secundum, tertium, quartum argumentum Aureoli, qui probat, articulos fidei esse quęstiones, vide ea in cap. 1. primo quæst. 1. prologi contrà quintam quęstionem. Quintum suum argumentum, fundatur super illud primæ Perti 3. Parati reddere rationem de ea, quæ in nobis est fide, & spe. sed reddere rationem de fide non possumus nisi probando articulos fidei quæ sunt quæstiones, & non principia. Ad hoc dico quòd per ly: rationem, B. Petrus non intendit probationem articulorum fidei per medium naturale sic vt Aureolus arbitratur, sed per medium diuinum quod est esse reuelatum, q. d. si quis petat à nobis quare tenemus Deum esse incarnatum, parati sumus reddere rationem, quia reuelatum est à Deo, à quo non potest esse falsum. & hæc est ratio optima, quoniam vt diximus in 3. artic. lumen diuinæ reuelationis est ratio formalis ex parte nostra sub qua attingimus tradita in hac scientia.

Si vero aduersarius nihil cõcedat &c vsq; ibi, cõtra fidẽ &c. aduerte q̃ ideo non habet viã ad probandũ, quia probatio debet esse ex euidentiori & notiori & certiori. & iõ si nõ cõcedat argumẽtũ, non est via ad probandum, sed tñ habet viam ad inuidendum. quia responsio non requirit talem euidentiam, qualem probatio, sed sufficit ostendere quòd probatio vel mediũ allatum non cogit intentum meum dato casu quòd nesciã falsum oppositum esse verum. & hoc modo vt in plurimum doctores soluunt rationes contra fidem, quæ quidem solutiones licet nõ sint semper ex creditis, possunt tamẽ esse Theologicæ, quia aliqua falsitudo stat in solutionibus, quæ non stat in discursu Theologico, quoniam vt diximus probatio requirit euidentiam vel acceptationem alicuius principij, solutioni autem sufficit euidentia, vel ostensio per distinctionem, aut alio modo quòd mediũ assumptũ non cogit intellectum &c.

Cũ enim fides in infallibili veritati innitatur &c. vsque in finem. Aduerte quòd omnes credentes fidem esse veram, & vero consonat verum, iudicant omne argumentum contra fidẽ esse falsum, & per consequens solubile, non tamen omnes possunt soluere, sed qui exercent se ad inuestigandum defectum. & sic exercent se doctores. & B. Tho. non dicit quòd sciant soluere, sed quòd sciunt esse solubilia eo quòd firmissime teneant oppositum esse verum quia à Deo reuelatum, vnde dato quòd Theologus vt Theologus sit potens ad soluendum, non tamẽ hic, vel ille, & propterea non monstro, venit aliquod argumentum fieri contra fidem, quòd nullus signatus Theologus possit soluere, quoniam forte pro aliquo tempore nullus habet cõplete habitum Theologiæ sic vt & sentit D. Tholorot in 2. sententiarum in illa q. v. creator generis humani in solutione argumenti.

Vtitur tamẽ sacra doctrina, & ratiõe humana, &c. aduerte q̃ licet B. Tho. in prosecutione responsionis, non nominet gradu in quo debeat locari, pbatio sumpta à ratione humana, t ñ dẽt locari in extranea: sic vt locauit authoritates philosophorum sunt enim eiusdẽ ordinis, quia sub lumine naturali licet alterũ vt necessarium alterum vt probabile. lumen autem naturale sic vt est extraneum à scientia reuelata vt reuelata Authoritas autem sanctorum & sacrorum doctorum, & sacrę scripturæ ideo locantur inter propria, quia sunt sub lumine diuino. Nam S. sancto inspirati loquuti sunt sancti homines Dei, non tamen pro æquali gradu, & ideo B. Thom. distinxit ens in necessariũ & contingens. Sed dices cur doctores Theologię: tantum immorantur in rationibus naturalibus, & præcipuè B. Thom. si sunt extraneæ ab hac scientia. Rñsio est, vt condescendant imbecillitati nostri intellect⁹ qui naturaliter ex his ascendit ad diuina, & iste modus est sibi naturaliter inditus, & vt ostendat sapientibus seculi, quòd hæc non sunt adeo repugnantia intellectui vt ipsi existimant, imo quòd consona sunt, & nullum in rationabile continent sic vt B. Thom. in quatuor libr. contra Gentiles conatur ostendere, & B. Augustin. in libro de Trinitate.

ARTICVL. IX.
Vtrum debeat vti metaphoris.

CIrca titulũ, aduerte primò quòd metaphora propriè sumpta non verificatur de eo de quo dicitur secundum proprium significatum: sed secũdum aliud simile tantum. Aduerte secundo q̃ cum Arist. in secundo posteriorũ in tractatu qui incipit si autem disputa. in metaphoris &c. prohibeat disputationes, & diffinitiones per metaphoras primo aspectu videtur incõueniens hanc nobilissimam scientiam Dei vti metaphoris, & ideo B. Thom. notanter mouet articulum vt ostendat quòd licet. id esset vitium in scientijs humanis non tamen in hac &c.

Conueniens est sacræ scripturæ &c. Aduerte quòd ly: conueniens non debet interpretari solum pro vtili communiter sumpto. ideſt, pro eo, quod solum confert, sed pro necessario: non quidem simpliciter dicto, sed pro vt illud sine quo cum maxima difficultate aliud consequimur vel saltem pauci potest dici necessarium sic vt etiã dicimus in primo articulo pro secunda quæstione, & hæc expositio consonat dicto Dionysij quòd absumitur in proba. Nam impossibile non est correspondens ly: conueniẽs communiter dicto vt patet. Accepit autem Dionysius ly: impossibile non simpliciter dictum sed eo modo, quo etiam diximus de necessario. Itẽ hæc expositio consonat responsioni ad primum vbi dicit, quod non solum propter vtilitatem, sed etiam propter necessitatem: vtitur metaphoris &c.

ARTICVL. X.
Vtrum contineat plures sensus.

CIrca corpus aduerte in cuius potestate est vt non solum voces &c. Sed & res ad significandum. Aduerte q̃. B. Tho. videtur sentire esse proprium solius Dei accommodare res ad significandum & non solum voces quod quidem est verum, si sumantur res vniuersaliter traditæ cõsiderandæ in aliqua scia, qualis est hæc scientia. Nã si sumantur res specialiter non inconuenit quòd etiam homo accommodet rem à se factam ad significandam aliam, sic vt illi, qui dicunt amico suo cum fecere tale quid & ad te misero intelliges hoc vel illud significare per ipsum, ex his sequitur correlariè quòd non inconuenit authorem alicuius scientiæ humanę in aliquo tradito posse exponi multiplici sensu licet non quo ad totam doctrinam, nisi fortè constet quòd totam doctrinam sub metaphoris velauerit vt phylosophi primi tractantes diuina, neque enim metaphora est intenta vt primum significatum. Potes etiam dicere quòd nec vniuersaliter, nec particulariter homo potest accommodare rẽ ad significandum ex proprietate rei quoniam non est author rei quo ad substantiã neque naturalis, nec artificialis &c. Non est incõueniens vt dicit Augusti. &c. vsque in finem. Aduerte quòd idem tenet in quæst. de potẽtia q. 4. art. 1. ibi omnis veritas, quæ post diuinæ scripturæ. Tu tamẽ nota quòd vna littera non comprehẽdit plures sensus literales æque primo intentos ab authore, sed quodam ordine ita quòd primo intẽtus est vnus, qui simpliciter est literalis & de hoc intendit B. Tho. in responsione ad primum cum dicit. Cum omnes fundentur super vnum, à quo solo. s. literali potest trahi argumentum & quòd B. Tho. sentiat hos sensus comprehendi quodam ordine manifestat in q. de potẽtia q. quarta 1. ibi non est incredibile Moysi, & illic dicit quòd sub vna serie literæ. ideſt, sub quodam ordine designantur plures sensus qui sunt sensus authoris quis autem sit primo intentus ab authore quærendum est alio loco scripturæ, vt innuit B. Tho. in responsione ad primum quòd si non potest haberi propter multitudinem expositionum, recurrendum est ad caput ecclesiæ vt caput est.

Quæstio

¶Quæstio secunda.

ARTICVL. I.
Vtrum Deum esse sit per se notum.

CIrca titulum, aduerte q̃ ly per se notũ conuertitur cũ ly: per se euidens & ly: per se euidens conuertitur cũ propositione immediata. Nã vtinquit phylosophus in primo posteriorũ immediata propositio est qua non est altera prior per quam fiat euidens seu demonstretur. Intẽdit ergo B. Tho. vtrum hæc propositio Deus est, sit ex se ipsa & immediate euidens.

Et ex hoc enim aliqua propositio est per se nota &c. aduerte quòd propriè loquendo D. Thom. non intendit hanc esse propriè diffinitionem propositionis per se notæ, quoniam definitum esset in plus. Nam ſtat plures propositiones esse sufficienter euidentes sine alia & tamen prædicatum non esse de ratione subiecti vt quando negatur prædicatum à prædicato. Nec enim quantitas est de ratione substãtiæ, sic vt sunt propositiones notæ ad sensum, vt totum est maius sua parte & sic de alijs maximis mathematicis & in naturalibus sicut ista. Motus est. Ignis est calidus. Nam licet prædicatum non sit de ratione subiecti, vane tamen demonstrarẽtur eum sint notissimæ. Dicendum agitur est quòd B. Thom. intendit assignare causam, per quam infallibiliter sit propositio per se nota, & est quando prędicatum est &c. Non tamen intendit hanc solam esse vt declarauit. Est tamen hæc causa talis conditionis quòd quotiens ponitur redditur propositio per se nota, sicut esse sensitiuum infert infallibiliter esse vegetatiuum, non tamen adæquatè, ſtat enim esse vegetatiuum sine sensitiuo.

Contra hanc propositionem arguit Aureolus, sed nihil valent ſtante declaratione prædicta argumenta Aureoli. Credit cũ B. Tho. hic definire propositionẽ, p se notã vel saltẽ adducere causam adæquatã quod non est verum, & ideo potest concedi quòd omnes propositiones, quas adducit, sint per se notæ pro quanto non possunt intellectui per euidentiores declarari, sed sufficit sensus, vel experientia.

Gregorius quoque arguit, & conatur destruere causam adductam à B. Thom. arguens quòd dantur plures conclusiones in quibus prædicatum est de ratione subiecti, & tamen non sunt per se notæ, sed decipitur quoniam credit non dari propositionẽ per se notam, nisi sit nota cuilibet potenti vti ratione, sic enim ipse definit in primo d. 2. q. 1. propositionẽ per se notã. Vnde apud ipsum propositio p se nota in sua maxima vniuersalitate sumpta conuertitur cum cõmuni animi cõceptione. sed apud B. Thom. vt patet in articulo hoc est falsum aliter non posuisset distinctionem propositionis per se in secundum se, & quo ad nos, & ideo fantasia Gregorij apud nos nihil est.

Propositio quidem quantũ sit in se erit per se nota non tamen &c. Aduerte quòd B. Tho. ex hoc innuit eãdem numero propositionem posse esse per se notam vni, & non alteri: vel secundum se, non tamen viatori. quam quidem identitatem intellige quo ad terminos, non autem quo ad cõceptum vel cõceptus. Nam si ijdem conceptus essent in omni intellectu talis propositio esset omni vel nulli cognita, & quoniam ex terminis & re significata propositio habet identitatem materialem tantum, ex vnitate autem conceptus formalem. ideo intelligas ly: eandem propositionem quoad identitatem materialem, sed non quo ad formalem. Etenim si quæras vnde est quòd propositio habens duos conceptus secundum vnum est per se nota, & non secundum alterum. Respõdeo quòd hoc prouenit quia contingit alterum istorum conceptuum esse ex proprijs, & intrinsecis rei significatæ: alterum autem esse ex extrinsecis, vel à posteriori, & ideo intellectui habenti primum conceptum erit euidens, non autem habenti secũdum. Hinc est quòd Deũ esse est per se notum Beato non autem viatori ex his videbis soluta duo argumenta Aurioli in Cap. d. 2. qõ. 2. contra secundam.

Dico igitur quòd hæc propositio Deus est &c. vsque ibi in finem articuli. Aduerte vt diximus quòd ly: hæc propositio debet intelligi quo ad identitatem materialem, & non quo ad formalem & quòd ideo est non per se nota nobis quia aliomodo intelligitur à beato. p. in ipsa diuinitate, & aliomodo à nobis quia in ipsa creatura & propter hoc argumenta Aureoli in primo Capituli d. 2. q. 2. contra tertiam quæstionem nihil concludunt. Credit enim quòd nos teneamus eandem formaliter ita quòd sub eodem conceptu sit nota beato & nobis supposito: quòd habeamus eundem conceptum quem habet beatus de Deo. Aduerte tamen quòd aliud falsum supponit in secundo suo argumento, quòd beatus resoluat hanc in priorem. s. Deus est in hac, actus purus est vt sic arguat actus purus est ergo Deus est & propterea credit hanc Deus est. esse mediatam tam beato quam viatori exconsequenti non per se notam. Fallitur inquam quoniam talis resolutio nõ ſtat in intellectu beati, sed intuetur eam immediate in diuina essentia sic intuentur, prima principia in cognitione terminorum. Argumenta autem Gregorij contra eandem quæstionem in Cap. vbi suprà fundãtur in falso de quo suprà dixim⁹. s. quòd omnis propositio per se nota sit nota omni vtenti ratione hoc suprà reprobauimus. ex consequẽtia non probat nisi quòd hæc Deus est, non est nota omnibus, cum hoc tamen ſtat quòd sit nota secundum se &c.

In responsione ad secundum aduerte vt scias quomodo hęc descriptio, id quòd est excedẽs oẽ cogitabile attribuitur huic quod dico Deus. Quod descriptiones sunt in triplici differentia. Quædam dantur, his quibus repugnant existentia, vt descriptio contradictoriorum. vacui infiniti impossibili, & nõ verificantur de descriptis, nisi secundum esse obiectiuum. ideſt, vt apprehenduntur ab intellectu. Quædam dantur de his quę apprehenduntur ab intellectu & vt sic abstrahunt ab existentia, & nõ existentia, vt homo est nobilissimum animalium Rosa est pulcherrima florum. Quædam autem dãtur de his, quę apprehenduntur ab intellectu & inquantũ existunt vt cælum est primũ generans & causa generationis perpetuæ descriptio allegata à B. Tho de Deo non ponitur in primo ordine: quoniã constat non existentia repugnare Deo. Nec in tertio quoniam tunc argumentum concluderet. s. quòd Deum esse est per se notum. Nam hæc esset vt communis animi cõceptio Deus est quid existens in rerum natura quo maius excogitari non potest. Sed ponitur in secundo ordine, nam intellectus cogitans de ly: Deus inuenit has conditiones sibi esse attribuendas siue existat siue non, sicut cogitans de perfectissimo duce vel legislatore, attribuit sibi, quòd est iustissimus prudentissimus &c. Dato etiam quòd nullus talis esset in natura & propterea sic vt hæc consequentia non valet perfectissimus dux est ille q. est iustissimus &c. ergo talis est in rerũ natura & hæc fuit intentio B. Tho. in responsione ad secundum. Nam cum dicit non tamen propter hoc sequitur innuit quòd hæc descriptio locatur in secundo ordine & cum dicit nec potest atgui quòd sit &c. innuit quòd non locatur in tertio ordine, & ideo non est per se nota.

Sed cõtra hoc instatur ab aliquibus sic ergo adhuc stat argumentum, nam si hæc descriptio locatur in secundo ordine, & non in tertio ergo Deus non est id, quo maius. probatur consequentia maius enim est quod apprehenditur & est, quã quod apprehenditur tantum: sed si locatur in secundo ordine, tantum apprehenditur in tertio autem apprehendit & est &c. Ad hoc nego consequentiam ad proban. nego illam comparationem. Non enim valet, nisi id, quod apprehenditur, locetur tantum in primo ordine sicut vacuum & infinitum &c. si autẽ locatur in secundo non valet, quoniam licet expresse non ponat existentiam non tamen negat eam, ſtat enim quod existat licet non sit euidens cogitanti, euidentia autem vel in euidentia existentiæ ipsi cogitanti non ponit maioritatem, vel minoritatem in re ex parte rei.

In responsione ad tertium aduerte quòd B. Thom. acceptat hanc consequentiam factam in argumento. Nulla veritas est ergo verum est nullam veritatem esse, & ratio acceptationis est quia ad propositionẽ de inesse sequitur modalis de vero, vel falso: nam bene sequitur. Nullus homo est lapis ergo verũ est nullum hominem esse lapidem & hoc in mediate sequitur ex illa.

Scotus autem in primo d. 2. q. 2. respondens ad tertium principale non considerans hanc regulam de modali negatię prædictam consequentiam, dicens quòd ad hanc nulla veritas est, sequitur hæc ergo non est verum aliquam veritatem esse. & non sequitur hæc ergo verum est nullam veritatem esse. Nos autem dicimus vtranque sequi sed immediatè illam modalem hãc autem tanquã æquipollentẽ vniuersali negatiuę secundũ regulas æquipollentiarum propositionum. Nam nulla veritas est, & aliqua veritas est sunt contradictoriæ, si autem ponatur negatiua sic non est verum aliquam veritatem patet quòd æquipollent. Quod autem illa modalis nõ sequatur probat Scotus, quia veritas aut accipitur fundamẽtaliter aut pro veritate intellectus componentis vel diuidentis, sed neutro modo põ accipi: nõ fundamẽtaliter quia si nulla veritas est nulla res fundans remanet. Fundamentum enim veritatis est entitas rei ergo ex illa negatiua non sequitur illa affirmatiua verum est &c. Nam si verum est ergo aliqua veritas est. quoniam esse verum, & esse aliquã veritatẽ æquipollent. si ergo nulla veritas est sequitur veritatẽ fundamẽtaliter non esse, nec potest sumi formaliter, quia nullus intellectus est remanẽs posito q̃ nulla

Aureolus sup fundit duo falsa.

Primum.

Secundum.

Scotus.

veritas sit.ergo ex illa negatiua non sequitur prædicta affirmatiua modalis &c.

Ad hoc dico quòd ex negatione sequitur affirmatio prædicta,& per cõsequẽs stat aliqua veritas:nam bene sequitur,verum est nullam veritatem esse,ergo veritas est nullam.s.veritatem esse.& cum quæritur quomodo sumatur in hac affirmatiua veritas, dico quòd sumitur fundamentaliter.& cum arguitur,quoniam nulla res fundans remanet,ergo &c.negatur consequ.nã licet omnis propositionis modalis de vero, tam de dicto, quam de modo affirmatiuè fundamentum sit entitas rei, vt hominem esse animal est verum, tamen negatiuè de dicto fundamentum est non esse rei vt hominẽ esse lapidem,est verum: sic in proposito nullam esse veritatem est verum,fundamentum est non esse veritatem. Deceptus est ergo Scot. quia credidit omnis propositionis veræ tam affirmatiuè quàm negatiuè esse, vel entitatem rei esse fundamentum,quod nos non concedimus nisi in affirmatiuis quorum termini sunt positi ad differentiam istarum, non ens est non ens, non homo est non homo &c.

ARTICVL. II.

Vtrum Deum esse sit demonstrabile.

DVplex est demonstratio, vna quæ est per causam &c. Aduerte quòd B.Thom.fundat se in primo posterior. lec.25. secundum signationem B.Thom.sed ly,per causam,non sumitur abstractè,sed pro causa ꝓprima, & immediata nobis notiori quam effectus:nam illic Arist.tenet quòd demonstratio quę est per causam remotam est demonstratio.quia vt videre potes, alia est per effectum &c.Aduerte quòd philosophus illic docet facere demonstrationẽ per effectum conuertibilem siue adæquatum, & per conuertibilem.B. Thom. in litera ly, per effectum, accepit indistinctè, & eum applicat in proposito necesse est vt intelligat de non conuertibili,& non adæquato, quoniam in creatis non datur effectus adęquatus diuinæ omnipotentiæ.differentia autem demonstrationis per effectum adæquatum, & non adæquatum stat in hoc, quòd per effectũ adæquatum non solum concluditur causam præexistere, sed causa in se sufficienter cognoscitur, ita quòd comparatur talis cognitio, cognitioni quidditatiuæ:vt potest elici ex B.Thom. infra in qõ.88.articul.2.ad 7.per effectum autem inadæquatũ concluditur causam præexistere,quæ quidem cognitio est valde imperfecta.

In respon. ad primum de præambula ad articulos fidei &c. Aduerte quòd B.Thom.non intendit omnia quæ possunt sciri de Deo cognitione naturali esse secundum se præambula, idest,priora articul.fidei in se acceptis. hoc enim esset falsum, nam aliqua præcedunt vt Deum esse, & esse vnum præcedunt Deum esse trinum:quoniam trinitas fundatur,in essentia vna. Aliqua autem subsequuntur vt Deum esse creatorem vel principium efficiens omnium,quoniam prædicata respectiua subsequuntur absoluta, vt sua fundamenta. Intendit igitur quòd omnia sunt præambula vt veniunt in cognitionem nostram & comparãtur ad articulos fidei non in se acceptos, sed vt credũtur à nobis:Vnde vt sic sunt ergo dispositio acceptandi articulos fidei,vnde dicit B.Thom.quòd sicut natura deseruit gratię, sic cognitio naturalis deseruit fidei. Sed dices,ergo articul: fidei non sunt prima principia in hac doctrina: quoniam secũdum te habent propositiones has præambulas in cognitione nostra,Deus est Deus,est vnus &c.Respõdeo nego cõsequentiã ad probandum non sequitur:quoniam non ponuntur præambula eodem lumine quo accipiuntur articuli fidei. Deinde illud præambulum, non est necessarium simpliciter vt declarat B.Thom. in secunda ratione ibi nihil tamen prohibent &c.

In respõsione ad secũdum quia quæstio quidem sequitur quæstionem an est &c.Aduerte quòd B.Thom.fundat se super philosophum in secundo posteriorũ lectura prima, ibi quędã autem alio modo quærimus, vbi dicit philosophus quòd cum quærimus de aliquo .pde Deo, vel centauro per secundum adiacens cognoscentes quia est, postea quærimus quid sunt, vt quid est Deus, quid est homo, sed quia significatum nominis præsupponitur cuilibet quæstioni, ideo in nostro intellectu iste est ordo vt prius statuamus, & sciamus quid nominis,secũdo ex quid nominis scrutemur si est per secundum adiacens. Tertiò ex si est scrutemur quid rei, Quartò ex quid rei,scrutemur si est,vel quia est per tertium adiacens, & est quando scrutamur passiones de subiecto, per quod quid est deducentes.& hunc ordinem seruauit infra B.Thom.vt declarabitur in articulo sequentis quæstionis.

ARTICVL. III.

Vtrum Deus sit.

CIrca titulũ occurrit dubium,quia statim videtur iste articul.inconuenienter motus,nam si in qualibet scientia supponitur de subiecto quid,& quia ex primo posterior.& B.Thom. conclusit Deum esse subiectum in hac scientia,ergo inconuenienter quæritur,an Deus sit.

Ad quod vltra responsiones duas quas adducit expositor, quarum prima est quòd hæc scientia probat suum subiectum per accidens non per se. per accidens quidem,quia non participamus tantum de lumine diuino,à quo est hæc scientia, quod possit nobis constare Deum esse, cuilibet autem scientiæ prohibetur probare per se suum subiectum esse, per accidens autem non officit: quoniam ea quæ sunt per accidens,non repugnant arti.

Secunda est quòd hæc scientia probat suum subiectum esse non per medium diuinum & sibi proprium. supponitur enim ex reuelatione iuxta illud Exodi tertio,qui est.Sed per mediũ extraneũ, & naturale vt patet in rationib. huius articuli, licet autem sit contra artem probare subiectum ex proprijs, non tamen ex extraneis.

Tu potes addere quòd mens philosophi est de subiecto supposito quia est, dũmodo possit esse per se notum sensui, vel intellectui, qualia sunt subiecta scientiarum naturalium, & cũ hæc sit altioris ordinis non inconuenit quòd scrutetur suum subiectum esse eo,quòd non constat sensui, nec intellectui,& sicut diximus in quæst.præcedenti quòd hæc scientia vt diuina,habet multa priuilegia super alias, vt quòd est simul pract. & specul. ex obiecto,& non inconuenit,vt probet suum subiectum esse à posteriori tamen &c.

Quantum ad rationes B.Thom.Aduerte quòd licet expositor teneat has rationes non efficaciter concludere expresse Deum esse, quoniam prima & secunda non deducunt nisi ad primum corpus, idest, cælum,& animam intellectiuam, & similiter aliæ non concludunt,sed tantum concludunt quædam prædicata quæ pro veritate sunt ꝓpria Deo non curando quo modo vel qualiter sint, tamen sequendo doctrinam Capreoli 1.d.3.qõ.1.melius est quòd sustineas has esse sufficientes,supponendo vnum quod.s.non fuit necesse B. Tho inquolibet suo libro in quo recitat aliquas rationes vniformiter ad vltima resoluere,vnde quia in primo contr.Gent.cap.13.primã rationem huius articuli vsque ad suprema deduxit ex Aristotele,ideo sufficit sibi in hoc articulo tangere fundamentum, qui innuens ne fieret inutilis repetitio, resolutionem supremam quærendam esse in primo contr. Gent. 15. Et ideo si Gregorius hoc considerasset,vel librum contra Gent.vidisset, non ita hanc rationem primam contempsisset dicens quòd non deducit nisi ad animam cæli,vel motorem coniunctum, similiter ratio secunda quæ deducit ad vnum primum efficiens optimè sustinetur à Capreolo, vbi supra,& declarat quomodo completur in secundo contra Gent.15. Vide tu illum. Tertia vero & quarta & quinta sufficienter concludunt vt formantur in articulo & sustinebimus contra Aureol. examinando propositiones singularum rõnum. In prima ratione postquam resolueris eam sicut B.Thom.in primo contr.Gent.13.quæst.per totum sustinebis duas propositiones,prima impossibile est,ergo ꝙ secũdũ idem & eodem modo aliquid moueat se ipsum, & moueatur Scot.in 2.d.2.q.10.tenet oppositum in intellectu & voluntate, & in animato augente se, & in graui mouente se & in aqua calida infrigidante seipsam. eius argumenta recitantur à Capreolo 2.d.6.quæst.1.cõtra primam,& ab eodem facillimè soluuntur.licet enim probent quòd aliquid est mouens & motũ, non tamen id est verum penitus secundum idem vide eum. De hac tamen materia diffusius loquemur in tractatu de Angelis in.q.53.articulo primo &c.

1. propositio.

Secunda est mouentia non mouent, nisi quia sunt mota à primo &c.Et aduerte quòd coincidit cum illa, quæ ponitur in ratione secunda primum est causa medij &c. æquipollet huic causa media pendet à prima quæ propositio potest habere triplicem sensum, primo quòd causa media, vt media & sic non est vera.quoniam non est de ratione medij vt medium pendere ab aliquo primo,sed tamen ab hinc,& inde siue mediate inter duo extrema,secundo quòd causa media vt causa & sic nõ est vera:quoniam non est de ratione causæ vt causa pendere ab aliquo primo aliter omnis causa esset dependens.tertio quòd causa media vt causa media & sic est vera,est enim causa media ratione causalitatis non à se, ergo causalitatis, idest, virtutem causandi recipit ab alio,vt priori, & quidem si illud 1. causat à se, ergo erit primo causa, & si non est à se, ergo est à priori &

2. propositio.

sic ascendendo, vel datur primum vel tota ista complexio causarum frustrabitur, ideo enim causant vt compleant causationem suam in effectum, sed si mediæ tandem non reducãtur ad primum non complebitur causatio sua, ideo ne cuacuetur omnis causalitas in natura necesse est, vt causa media inquantum causa media producatur à prima. & si dicas quòd remota prima omnes causæ essent mediæ. ergo non necessario pendent à prima.respondeo,nego antecedens immo nulla esset causa, nec effectus vt ait Beatus Thom. in secunda ratione ibi, sed si procedatur in infinitũ, vsque ibi efficientes mediæ &c.& dicit Aristotel.in secundo metaphysic.trac.sexto.nihil est toto primum,nec ex toto causa illa est, sed contra Beat. Thom.in secundo metaphysices,exponens text.6.concedit illud antecedens. dicit enim si procederitur in infinitum omnes causæ sunt mediæ,respondeo quòd sumit ly, causas,non quo ad causalitatem, sed quo ad denominationem secundum communem modum loquendi, sed pro rei veritate nulla causa remaneret,& hæc fuit mens illius philosophi illic.

In secunda ratione postquam resolueris eam vt Capreolus in prima distinctione tertio,quæstione primo articulo, & est defensio præuiæ rationis.Beatus Thom.cõtra Aureolum.Declarabis illam propositionem:nec est possibile quòd aliquid sit causa efficiens sui ipsius,quia sic esset primus seipso,& aduerte,quòd hæc ratio est S.Augustini in decimo de Trinitate,vbi inquit,Si quid enim se ipsum gigneret se ipso prius & posterius esset &c. Hæc quidem ratio quantum ad ly, prius & posterius, alio modo verificatur in productione, in qua productum essentialiter distinguitur à producente, & alio modo, quando vtrumque est coessentiale vt in diuinis.nam in primo modo ly,prius stat pro prioritate durationis, vel saltem naturæ vt in cœuis. In secundo mõ stat solũ pro prioritate causalitatis,& dicitur prius à quo vt diffusè tractabitur de Trinit. Nam si omne producens esset prius duratione vel natura suo producto vitare non posseмus,quin talis prioritas esset in diuinis inter personas. Intelligatur enim dictum contra B.Tho. indistinctè non præcisè primo modo.

Producens est prior producto. Aut causalitatis prioritate aut duratione aut naturæ.

In tertia ratione sunt propositiones impugnatæ ab Aureolo,vt recitat Capreolus vbi suprà.Prima est, quod est possibile non esse quandoque non est &c.Aureolus dat instantiam de elementis,quæ correlatiua sunt,vt patet,& tamen sunt æterna etiam secundum fidem,quoniam terra,in æternum stat & cætera:

Ad hoc dico ꝙ si mundus esset æternus, & generatio esset æterna, nulla pars elementi signata esset æterna ex secundo de generatione,& sic esset verum dicere, quòd ideo terra corrum peretur,nec est æterna,nisi per æquiualentiam, quoniam si in vna parte orbis partes terræ transmutantur in aquam in alias partes aquæ in terra & sic tali vicissitudine elementa seruantur in æternum ab authore vniuersi.secundum fidem autem dico quòd elementa non seruantur æterna,nisi secundum potentiam diuinam,qua ẽt cessabit generatio,vnde sibi derelicta per actionem contrarij approximati, & non impediti corrumperentur,&c.

Secunda omne necessarium habet causam suæ necessitatis vel non habet &c. Aduerte quòd Aureolus & fortius Gregorius in secundo distinction. prima, quæstione prima. negant hanc,& dicunt philosophum non concedere necessarium habere aliquam causam efficientem & quando sibi adducitur ex philosopho in 5.metaphysic.in capitu.de necessario & complexo, dicit Gregorius quòd intelligunt de complexis, vt sunt quæstiones,sed quòd etiam loquatur de incomplexis declarari in duodecimo metaphysic.in quæstion.43. vide illic vltimã resolutionem,quam si non videris,non proficient tibi allegationes,quas adducit Capreolus, vbi suprà pro defensione prædictæ propositionis. In quarta ratiõe,impugnatur ab Aureolo hæc propositio.Quod autem dicitur maximè tale in aliquo genere &c.dat instantiam de albedine, quæ est maxima in genere coloris, & ideo non est causa omnium colorum,vt patet. Tu igitur aduerte primo quòd ly,maximè,non stat pro aliqua specie alicuius generis, sumendo genus strictè pro aliquo vniuoco diuisibili in differentias oppositas,sed stat pro aliquo primo & perfectissimo,cui primo conuenit ratio formalis alicuius generis. idest alicuius communis saltem communitate vniuoca,vel analoga, & hoc dico quoniam sumpto genere pro prijssimè dicto & non alio modo ratio B.Thom. in proposito non concluderet,quoniam apud ipsum nec ens,nec aliud trãscendens est vniuocum,nec verè genus,est ergo sensus. Quod est primum & perfectissimum, cui primo conuenit ratio formalis alicuius communis,ita quòd in se contineat omnes perfectiones illius communis, & non solum, quia magis participat de illis, est causa effectiua omnium aliorum cui conuenit talis ratio. Aduerte secundo, secundum B. Thom.in quæstio. de potentia Dei.quæstione septima,articulo quarto. Quod accidentium licet proxima mensura sit aliquod accidens. p.perfectissima species illius generis, non tamen est primo, prima. sed hæc est substantia maximę entitatis & de mensura, primo prima quæ dicitur primo proxima, quæ dicitur primo primũ, & perfectissimum intelligitur illa maxima. Quod est maximè tale &c.

Ex his ad instantiam de albedine,dico quòd non valet,quoniam non est primo primum,vt mensura colorum, sed mensura proxima, vt homo est mensura proxima, omnium animalium,vnde sicut homo non est causa effectiua omnium animalium sed id,quod est primum in entitate,sic albedo non est causa effectiua omnium colorum,sed quòd est primo,primum in esse.

Non tamen obstat concedere Aureolo,quòd albedo est causa omnium colorum non quidem quo ad entitatem rationedicta,sed quo ad cognitionem pro quanto maximè participat lucem, & cognoscimus alias species coloris, tanto perfectiores, quanto magis participant dealbedine, & tanto imperfectiores quanto magis distant, & hoc habet inquantum est proxima mensura & prima species coloris, sed ex hoc non infringitur supradicta maxima.

In ratione quinta, impugnatur ab Aureolo in Capreol.vbi suprà hæc propositio. Ea autem, quæ non habent cognitionem &c. Dicit Aureolus quòd hæc potest negari, nam dicetur, quòd omnia talia diriguntur, in finem, & inclinantur ex suis formis, & qualitatib.inter se,sicut lapis inclinatur & dirigitur in centrum sua grauitate, sed hæc responsio non euacuat, quoniam illæ formæ non sufficiunt, vt bene, & ordinate dirigantur, sicut requirit vnitas ordinis in vniuerso, & quòd contraria in vnum ordinem complectantur, sed requiritur moderator extrinsecus, qui tali, & tali modo dirigat vt seruetur perfectio totius vniuersi. & de hoc vide Beatũ Thomã, tertio contra Gentiles sexagesimaquarta, & accipe rationem quintam & sextam, in quibus B.Thom.virtualiter euacuat responsionem Aureoli.

In responsione ad primum.Aduerte quòd illa propositio in argumento quæ est conditionalis, si vnum contrariorum fuerit infinitum,totaliter destruet reliquum: vera est, & respectu sui obiecti, quoniam secum non compatitur aliquem gradum sui oppositi, vt patet de maxime calido, cum quo non stat aliquis gradus frigidi, & respectu alterius subiecti existentis sub oppositio, in quo agit vt assimilet illud sibi, vt si summè calidum, summè calefaciat aquam frigidam, totaliter destruet frigiditatem. Duo tamen casus dantur, in quibus non toraliter destruetur oppositum.

Primus est, si alterum infinitum agat & destruat oppositum non naturaliter, sed voluntariè, & quantum expedit.

Secundus est, si totum vnum contrarium non potest recipi in alio subiecto in quo est oppositum, vt si calor ignis esset infinitus, & non posset recipi in aqua nisi finite. Non inconuenit in aqua cum calore remanere aliquem gradum frigiditatis, suppono enim pro nunc duo contraria in gradu remisso se compati, de quo inferius determinabitur. Et quoniam in proposito, bonum infinitum, idest Deus, est agens voluntarium, increatum, & sua bonitas non potest tota recipi in altera natura. Ideo Beatus Thom. in responsione ex vtroque intendit negare illam conditionalem assumptam ex primo. Ibi Deus cum sit summè bonus &c. Ex secundo ibi hoc contra ad infinitam bonitatem pertinet &c. Potest tamen vtrumque dictum ad voluntatem referri, præcipuè quia in secundo vtitur ly permittitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶Quæstio Tertia.

ARTICVL. I.

Vtrum Deus sit corpus.

CIrca titulum, aduerte quòd licet B. Thom. de Deo, quem concluſit in articulo præcedenti exiſtere, poſſit quærere, an ſit ens quod eſt accidens, vel ens, quod eſt ſubſtantia, tamen ſtatim illis prætermiſſis querit an ſit corpus, quoniam cõmunis animi conceptio eſt apud omnes tenentes Deum eſſe, quòd eſt quid valde nobile, & independens, & firmum, ex conſequen. eſt ſubſtantia, & ideo quærit an ſit corpus, quoniam cõſiderata nobilitate aliquorum corporum vt cæleſtium apud aliquos poſſet credi quòd ſit corpus.

Aduerte ſecundo quòd ly, corpus, ſtat pro qualibet ſubſtantia quantitate diuiſibili ſiue ſit compoſita ex materia, & forma ſiue non, vt fingunt illi, qui negant materiam à cælo &c.

Reſpondeo dicendum abſolutè Deum non eſſe corpus &c. Aduerte quòd ly, abſolute, intendit negare Deum eſſe corpus, non ſolum quia non eſt ſubſtantia ſub quantitate, ſed quia nullam conditionem corporeitatis habet, ita quòd nec eſt actus corporis extenſus ad differentiam cuiuſcunque formæ extenſæ. Non autem quæritur hic vtrum poſſit eſſe forma corporis, qualis eſt anima rationalis vt ipſemet dicit in primo contra gent. 21. ibi, & ad hoc dicendum.

In prima ratione nullum corpus mouet non motum &c. Aduerte quòd hæc ratio correſpondet primæ quam formauit in queſtio. præcedenti in articulo tertio, vbi probauit euòd eſt deuenire ad vnum mouens immobile, & conſtat quòd illa ratio procedit de motu locali, & ſic ad mentem philoſophi & B. Thom. in primo contra gent. 20. & eſt ſua ratio ſeptima applicat ad motum localem. Et dicit nullum corpus mouetur localiter niſi moueatur, quoniam mouens, & motum oportet eſſe ſimul, & applicata igitur hac propoſitione ad motum localem nullam habet inſtantiam apparentem, ſi autem ſumeretur in quolibet motu vniuerſaliter, videtur eſſe inſtãtia de magnete ad quem manentem motum trahit ferrũ, & aqua frigida ſtans infrigidat aerem, & obiectũ ſtans immutat potentiam, ſiue viſum, ſiue tactum &c.

In ſecunda ratione, neceſſe eſt id, quod eſt primum ens in actu. Aduerte quòd hæc propoſitio extrahitur ex 9. met. 13. & ex 12. tex. 32. &c.

In tertia ratione, Corpus viuum nobilius eſt corpore non viuo. Aduerte quòd aliqui inſtant de cælo, quoniam ſaltem ſecundum theologos & præcipuè B. Thom. infra in q. 20. Cælum eſt non animatum. ergo videtur ex hac propoſitione pomum & vermis ſint nobiliora cælo, quod videtur deriſibile. Nam communiter dicitur diuinum corpus. & Ariſtotel. in ſecundo cæli. text. ſecundo dicit bene eſſe appellare ipſum diuinum corpus & immortale &c. Ad hoc iam reſpondimus in 12. metaphyſ. quæſtio. 25. & breuiter nunc dicendum eſt primo ad mentem philoſophi 2. ſecundum veritatem.

Quantum ad philoſophum, ſi teneatur quòd apud ipſum cælum eſt verè animatum, argumentum, vt patet, nihil valet, ſi autem teneas, quòd non eſt verè animatum, diſtinguendum eſt de ly, nobiliori, quoniam poteſt eſſe nobilius, vel quantum ad gradum eſſendi, vel quantum ad modum eſſendi. gradus eſſendi eſt eſſe, viuere, ſentire, & modi ſunt poſſibile, neceſſariũ corruptibile, incorruptibile potentia, actus, cã effect⁹. Ex his dico ad inſtantiam quòd forma, & cælum ſe habent in nobilitate, vt excedentia, & exceſſa. Nam in gradu eſſendi forma eſt nobilior, In modo autem eſſendi, cælum eſt nobilius, quoniã neceſſariũ incorruptibile vniuerſalis cauſa cõſeruans reſpectu ſuorum inferiorum & animatorum, & ſi dicas quòd Ariſtotel. in ſecundo phyſicorum textu quadrageſimoquinto appellat cælum diuinius inter ſenſibilia, comparans etiam animalibus & plantis, ergo eſt ſimpliciter nobilius. Ad hoc dico quòd majores etiam laudes attribuit in primo ſecundi de cælo, dicit enim ipſum eſſe diuinum, & immortale, & impoſſibile, & inalterabile, quas tamen laudes non concludit ex animatione. Nam de ea nondum mentionem fecerat. Incipit enim hæc conſiderare in ſecundo libro, text. ſeptimo. vbi agit de differentijs localibus, & tamen has laudes ſibi attribuit in text. tertio & ſecundo, & ipſemet declarat has ſibi competere, quoniam ingenitum, & incorruptibile, & quoniam eſt æterni motus, & æternæ actionis, in qua arguitur quoddam diuinum, & quoniam antiqui attribuunt cælo locum eſſe Deorum, ideo inquit Ariſt. ponit ipſum ſolum inter corpora eſſe immortale: patet igitur quomodo nobilius eſt, & in quo ſenſu, & ſi non ſit animatum, & quoniam ſecundum veritatem, & B. Thom. non eſt animatum, ideo ad inſtantiam non reſpondeo, aliter quàm in prædictis immediatè.

ARTICVL. II.

Vtrum ſit compoſitus ex materia, et forma.

CIrca titulum aduerte quòd ſi omnes concederent compoſitionem ex materia, & forma non poſſe eſſe ſine quantitate, ex cõſequẽti omne tale corpus eſſe: hic articulus ſuperflueret, ſed quoniam Auicebron tenet in ſpiritualibus, materiam & formam, ideo propter ipſum hic articulus eſt neceſſarius.

Primo quidem quia materia eſt id, quod eſt in potentia. Aduerte quòd hæc prima ratio fundatur in duodecimo metaphyſic. text. 30. ibi oportet igitur eſſe principium &c. Et infert immediatè, amplius igitur, tales oportet eſſe ſubſtantias ſine materia & B. Thom. cõmentãs dicit. Nam materia eſt in potẽtia: quaſi dicat, repugnat quòd ſit tamen actus, & habeat materiam: quoniam ſequerentur contradictoria &c.

Secundò quia omne compoſitum ex materia & forma &c. Aduerte quòd hæc ratio fundatur in primo phyſicorum, textu 81. ibi exiſtente enim quodam diuino, vbi philoſophus declarat quòd ex tribus principijs naturalibus, materia eſt ſicut natura recipiens, priuatio ſicut maleficium. forma autem vt diuinum, quoniam dat eſſe & bonitatem, & perfectionem rei, vnde bene ſequitur quòd ex quo non eſt bonum per materiam, quòd non ſit ſecundum ſe totum bonum, & ſic non eſſet bonum per eſſentiam.

Tertiò, quia vnumquodque agens agit per ſuam formam. Aduerte quòd hæc ratio in libr. 9. metaphyſic. textu 13. ibi ſemper enim ex potentia ente fit actus ens ab actu ente. vbi vult philoſophus quòd agens agat quia eſt actu. cõtra, ſi ſe toto eſt actu ſe primo agit & non per partem, & ſic erit primum ages: ſi autem non, ſe toto, ſed parte eſt actu, non erit primo agens &c. Et ſic ſecundum hoc fundamentum, ratio B. Thom. concludit. & ſcias quòd ly, forma vel per ſuam formam ſumitur non pro forma phyſicali quæ dicitur informans, ſed pro forma metaphyſica, quæ dicitur actus, ſecũdum quod ſubſtantiæ ſimplices dicuntur formæ abſtractæ. Nam ſi intenderet de forma phyſica, præcisè concluſio in articulo eſſet falſa. ſ. eſt igitur per eſſentiam formæ &c.

Quod igitur primum eſt & per ſe agens, patet quòd ſit primo & per ſe forma &c. Aduerte quod ly, primum, excludit agens primus à quo recipiat virtutem agendi: per ly, per ſe excludit agens per aliud tam extrinſecum, quàm intrinſecum. Nam rex agens per gubernatores agit per aliud & agens per partem, vt homo videns per oculum intelligens per animam agit per aliud. Eſt enim pars aliud à toto. Intendit ergo quòd illud, quòd eſt primum in ordine agentium, & non agit per aliud eo modo quo expoſitum eſt, oportet quòd ſit primo & per ſe forma. & ratio huius eſt, quoniam ſi eſt primum, eſt & non per aliud agens contra ſe toto eſt actu, quoniam ſe toto agit, ſi ſe toto eſt actu, ergo totum quod eſt actus, eſt cõtra primo & per ſe eſt forma. i. actus. Et propoſitio ſic intellecta non habet inſtantiam: nam quod dicunt aliqui ſolem eſſe primum illuminariuum, & tamen non eſt primo lumen, non valet quia etſi ſit primum in ordine illuminatum, non tamen in ordine agentium ſimpliciter. Nunc enim loquimur de primo agente ſimpliciter. præterea licet ſit primum illuminans, non tamen eſt illuminans per ſe vt ly, per ſe excludit omnino per aliud. Nam lumen eſt aliud à ſole, & manifeſtum eſt quòd per lumen illuminat.

In reſponſione ad tertium formæ, quæ ſunt ſimpliciter recetibiles in materia &c. vſque ibi primum ſubiectum. Aduerte quòd indiuiduo duplex indiuiſio competit. Prima negatio diuiſionis in plura diſtincta realiter quia à diuiſione reali diuiditur hõ in Sortẽ & Platonẽ &c. Et albedo in hanc & in illã albedinem, & hanc indiuiſionem trahit à materia poſitiue, vel negatiuè. poſitiuè quidem reſpectu formarum receptibilium in materia. fit enim hæc poſitiuè albedo quia eſt in hac materia. Negatiuè autem reſpectu formarum non receptibilium in materia, quoniam enim non habent materiem, vnde multiplicentur, remanent per ſe ipſas ſingulares & indiuiſæ, & hæc cõſideratio indiuidui realis eſt & talis eſt in reſponſione ad tertium.

Secũda eſt negatio diuiſionis: qua diuidũtur ſupri⁹ inferiora. & hæc

& hæc competit indiuiduo vt ſtat ſub ſpecie ſpecialiſſima, & eſt conſideratio logica, & hæc indiuiſio originatur ex prima. nam ex eo, quod forma recipitur in hac materia, vel non eſt receptibilis, ſequitur quòd non eſt pluraliſicabilis in plura: ex cõſequẽti ſequitur quòd non eſt prædicabilis de multis. Et hæc indiuiſio eſt formale conſtitutiuum indiuidui ſub ſpecie ſicut indiuiſio quædam formalis conſtituit ſpecialiſſimum ſub genere. ſed de hac indiuiſione non facit mentionem B. Thom. in reſponſione, quoniam non oportebat, ſed tantum de prima. Et propterea Durandus credens dici indiuiduum per ſolam negationem diuiſionis in inferiora decipitur: quia hęc originatur ex prima & illa, vt diximus originatur ex materia, vnde ipſe conſiderat indiuiduum ſolum logicè, ſed B. Thom. ſolum realiter. propterea non prævalet contra nos. hæc ſufficiant pro reſponſione ad tertium. Infrà autem plenius tractabimus de principio indiuiduationis, &c.

ARTICVL. III.

Vtrum Deus ſit ſua eſſentia.

CIrca titulum aduerte primo quòd Deus licet ſit terminus communis, prædicatur enim de hoc Deo, ſicut homo de hoc homine, tamen hic non ſumitur vt communis, ſed vt hic Deus, quem poſuimus eſſe ſubiectum in hac ſcientia vt ſit ſenſus, vtrum hic Deus ſit ſua deitas, ſicut ſi quæreremus vtrũ hic homo ſit ſua humanitas. Aduerte ſecundo quòd cum deciſio fiat in articulo per diſtinctionem, vel per identitatem inter ſuppoſitum & naturam, inſinuat quòd ly, Deus eſt ſuppoſitum, quod vtique eſt verum, ſi ſumatur ſuppoſitum metaphyſicum & non Theologicũ. Nam apud metaphyſicum ſuppoſitum eſt ſingulare completum in natura indiſtinctum in ſe, & diſtinctũ à quolibet alio, quod non eſt ipſum. omnes autem hæ conditiones conueniunt ly, Deo ſumpto pro hoc Deo conſiderato metaphyſicè ex lumine naturali. Apud Theologum vero vt dicetur in tractatu de Trinitate eſt ſingulare conſtitutum relatione diuina, & in hoc ſenſu quæritur in quæſt. 39. articulo primo, vtrum ſuppoſitum. p. pater ſit eſſentia diuina, ſed tale eſt acceptatum ex ſola reuelatione ſuppoſitum autem metaphyſicum. i. hic Deus, manifeſtatum eſt lumine naturali, & quoniam conſideratio de Deo eſt quæſt. metaphyſicis in hoc primo.

In rebus compoſitis ex materia & forma neceſſe eſt quòd differant ſuppoſitum, & natura. Aduerte vt ſcias vniuerſalem differentiam inter ſuppoſitum & naturam.

In materialibus & in abſtractis ſi qua ponitur, quòd poteſt imaginari quadrupliciter vt clarè expoſuimus in noſtro reſolutorio de vnione verbi in determinatione primi dubij.

Primo quidem quòd differant ſecundum rationem logicã. ideſt ſecundum modum ſignificandi, ſicut abſtractum, & concretum qũo & quòd habens & habitum, modo totius, & modo formæ. & hæc differentia ſeruatur in omni natura etiam in Deo, differt enim ſic Deus & deitas vt patet, ſed hæc non infert diſtinctionem realem, aliter ens, & entitas diſtinguerentur realiter, quantum tamen valeat talis differentia in Deo declarabitur in tractatu de Trinitate, vbi oſtendetur hanc concedendam. Deus generat, hanc autem abijciendam. Deitas generat.

Secundò, quod differunt vt res duæ diſtinctæ numero & ſubiecto. Ita quòd vna non ſit in altera ſicut differunt Sortes & Plato, & ſic in nulla natura hoc modo differunt. Conſtat enim quòd ſuppoſitum includit naturam vt ſuum formale.

Tertiò, quod differant, quia ſuppoſitum includit in ſua ratione formali ſi diffiniatur aliquid, quod non includit natura vel eſſentia, & quia ſuppoſitum connotat aliquid, quod non connotatur à natura, & vtroque modo in rebus compoſitis ex materia & forma differunt ſuppoſitum & natura. p. hic homo & humanitas. Nam hic homo ſi diffiniatur includit materiam ſignatam, & connotat eſſe. ſuppoſitum enim eſt id, quod eſt. Natura autẽ vt humanitas excludit materiam ſignatam, & includit tantum materiam in communi. Nec connotat eſſe, quoniam eſt id, quo eſt, & non quòd eſt.

Quartò, quod differant: quia ſuppoſitum connotat eſſe, & operationem, quæ licet ſint ipſius ſuppoſiti: tamen diſtinguuntur realiter ab ipſo. Natura autem non connotat ea: quoniam Natura in abſtracto, nec eſt id, quod eſt, nec operatur & ſic in quolibet creato abſtracto differunt ſuppoſitum & natura, vt declarat B. Thom. in ſecundo quolibet. queſt. 2. art. 2. ad primũ. vt bene recitat Capreol. in 1. diſt. 4. quæſtio. 2. in concluſione 4. ex his differentijs B. Thom. in artic. non tangit primam nec ſecundam relinquens quaſi manifeſtas: nec quartã, quoniam hic intendebat adducere ſolam differentiam intrinſecam, qualis eſt tertia, quarta autem eſt extrinſeca, ideſt ex connotato, quam tamen ad completam doctrinam voluit addere in quolibet. Vnde locus ille in quolibet complet omnino præſentem articulum. Nã ex eo ſolo concluditur eſſe propriè Dei non habere aliquam differẽtiam realem inter ſuppoſitum & naturam. ex articulo autem præſenti, quo concluditur de Deo, poteſt concludi etiam de quolibet abſtracto, ſic etiam concluſit in ſe primo metaphyſic. ſuper tex. 41. & eſt ſua lectu. vndecima, & id quidem rationabiliter fecit, quoniam Ariſt. de omnibus abſtractis quaſi de vno genere loquitur.

Vnde hæ carnes, & hæc oſſa &c. vſque ibi, idem homo & humanitas. Aduerte quòd licet in hac propoſitione & propter hoc non eſt totaliter idem homo &c. ponat ly, homo, qui eſt terminus ſpecificus, & tamen non ſumit ipſum, vt ſtat ſpecificè, ſed pro ſuppoſito, & indiuiduo vagè ſumpto, alioquin egrederetur propoſitum. Nam cõparatio hominis, vt homo eſt ad humanitatem non eſt comparatio ſuppoſiti ad naturam, ſed cõparatio huius vel illius hominis intelligitur: quia ly, homo, ſicut ly, Deus in titulo qui ſtat pro hoc Deo, vt diximus, ſed humanitas ſignificatur vt pars formalis hominis. Aduerte q. B. Thom. in hac propoſitione inſinuat duplicem differentiam inter humanitatem vt naturam & hominem vt ſuppoſitum.

Prima eſt quia homo vt ſuppoſitum includit plura. ſ. materiam indiuidualem.

Secunda eſt quæ ſequitur ex prima, quia homo ſignatur vt totum, Natura autem vt pars, quia vt principium formale, & hæc differentia, eſt ſecundum modos habendi, quæ quoniam communis eſt in omni re inter ſuppoſitum, & ſuam naturam vt ſuprà diximus, ideo non eſt principaliter hic intenta, ſed ponitur in materialibus, vt ſignum, quod cauſatur ex prima.

Pro vniuerſali reſolutione, & definitione præſentis articuli, aduerte quinque.

Primò, licet B. Thom. in toto articulo comparet ſuppoſitũ, ad naturam ſpecificam, vt hunc hominem ad humanitatem, declarans quomodo differunt realiter, tamẽ ex doctrina ſua poſſumus habere quòd etiam inter ſuppoſitum, & naturam indiuidualem ſignificatam in abſtracto eſt differentia realis: nam ſuppoſitum cõnotat eſſe & operationem ſuam, & includit propria accidentia, non vt partes, ſed vt determinatiua & ſingularizantia, & hæc non connotãtur ab hac humanitate: quoniam non eſt quod eſt, nec eſt quod indiuiduatur, ſed ſignificatur vt principium formale ipſius indiuidui. Ex hoc videbis ſolutum argumentum Berardi in Capreol. 1. d. 4. qõ. 2. contra ſecundam concluſionem, & eſt ſecundum in ordine.

Secundò aduerte licet vt dicit B. Thom. Natura puta humanitas comprehendat in ſe principia diffiuientia quæ ex ſui natura prædicantur de diffiuito: tamen nõ poſſunt prædicari ſub nomine abſtracto, quoniam homo non eſt humanitas, prædicantur autem ſub nomine concreto, vt Sortes eſt homo. & propterea Aureolus vt recitat Capreolus, vbi ſuprà contra ſecundam quæſtionẽ, volens probare quòd natura non comprehendit principia differentia, quia natura non prædicatur in recto de concreto. p. de homine, illa etiam prædicantur in primo modo, per ſe nihil concludit, quia licet non prędicentur ſub nomine abſtracto, tamen bene ſub concreto nec oppoſitum dixit B. Thom. in artic. &c.

Tertiò, aduerte quòd quando dicit B. Thom. in articulo, quòd in eo, qui eſt includuntur materia indiuidualis, & accidentia deſignantia hanc materiam, Non intendit quòd eadem ratione includantur, ſed materia includitur vt pars: accidentia vero ex quibus cauſatur ſua indiuiduatio importat vt determinatiua, & non vt ſui partes propter quod ſuppoſitum non eſt per accidens, ſicut homo albus. Ex hoc videbis ſoluta argumenta Aureoli recitata à Capreolo. in prima diſtinctione quadrageſimaſecunda, quæſtione ſecunda, contra ſecundam quæſtionem.

Quartò, aduerte quòd licet ſuppoſitum connotet eſſe, non tamen importat, & includit ipſum in ratione ſua quidditatiua, & ideo poteſt conſiderari abſtrahendo ab exiſtentia. Ex hoc videbis ſoluta argumenta Aureoli in Capreolo, prima diſtinc. 42. quæſtione ſecunda contra quartam quæſtionem, credidit nos tenere quòd includatur in ratione ſuppoſiti & excludatur à ratione naturæ.

Quintò, aduerte quòd philoſophus in ſeptimo metaphyſ. à capite ſecundo, vſque ad vigeſimumſecundum ex intentione probat, quòd in entibus per ſe, vt in homine, in animali &c. non autem in entibus per accidens vt in homine albo

Universidad de Deusto
Biblioteca

idem sunt quid est,& id,cuius est,& probat multiplicir atione, sed si aduertas,inuenies quòd Philosophus intẽdit agere contra Plat. qui ponebat quòd quid est hominis,ideſt per se homi nem separatum à singularibus, & per consequens diuisum,sicut rem à re,quam diuersitatem non ponimus nos.imo quòd quid est, est intrinsecum ei cuius est.Philosophus igitur probat quòd nõ est separatum nec aliud,imo quòd est idem.quod vtique est verum quantum ad ea,quæ conueniunt naturæ speciſicæ per se, vt Sortes & homo,& quæ cõueniunt per se homini,conueniunt per se Sorti licet nõ primo.Cum his tamen stat quòd Sortes sua ratione addat quid reale.ſ.materiam hanc super hominem vt homo est & connotet multa, puta esse & accidentia quæ non connotantur ab ipsa natura, imo ab ipsa sumpta in abstracto præscinduntur:ab ipsa vero sumpta in concreto, nec expte esse connotantur nec præscinduntur,sed virtualiter connotantur: nam ideo hæc est vera, homo est quia Sortes aut Plato est.

Ex quibus videbis soluta argumenta Scoti recitata à Capreolo primo d.4.q.2.contra tertiam quæstionem, quæ dicit esse sumpta ex philosopho, & videbis quòd concludunt identitatem quo ad prædicata,quæ per se insunt naturæ cõmuni, sed nõ quo ad prædicata indiuidualia, & quo ad connotata.& scias pro certo quòd nullus arguens contra hanc viam nostrã ex his qui recitati sunt, penetrauit sensum B.Thom.ideo facile est respondere.

ARTICVL. IIII.

Vtrum in Deo sint idem essentia et esse.

CIrca titulum aduerte quòd ly, essentia,sumitur pro significato definitionis.& ly,esse pro existentia,& est sensus, vtrum id, quod est Deus , & existentia Dei sint idem.Ita q̃ hæc sit vera Deus est sua existentia , sicut est sua bonitas & vita &c;

Aduerte secundò quòd hæc quæstio de identitate essentiæ & esse ĩ vniuersali est metaphysica, nec sic pertractatur hic,sed tãtũ applicando ad ipsum Deum,& propterea pro præsenti articulo non est necesse adducere argumenta recitata à Capreol. 1.d.8.quæst.1.

Quicquid est in aliquo quod est præter essentiam &c.vsque ibi, causatur ab igne &c.Aduerte quòd hæc distinctio:sic debet intelligi,quicquid est in aliquo,vel est causatum ab intrinseco: principio & extrinseco simul.ab intrinseco quidem naturaliseq̃la,ab extrinseco autẽ verè productiuè,& hoc dico propter necessaria principia quæ licet apud D. Tho.causentur à principijs essentialib.resultant & sic quodammodo actiuè vt ipse dicit in q.77.artic.6.ad secundum & tertium , tamen verè,& propriè productiuæ sunt ab eo,à quo res ipsa producitur:nam dãs formam dat consequent'. formæ nisi est causatum tantum à principio extrinseco,sicut sunt accidentia communia.

Impossibile est autem quòd esse sit causatum tantum &c. Aduerte quod dicit tantum, quoniam non negat, quoniam in eo,in quo distinguitur essentia ab esse causatur esse ab essentia,ita quòd fluat ab ipsa,nam si passio fluit & quod est intimo fluet quale est esse.vnde sicut natura rei respectu suæ passionis est causa quodammodo actiua,& susceptiua,sic proportionaliter se habet ad suum esse. Dato ergo quòd sit causatum ab intrinseco tamen principium intrinsecum,non sufficit quoniam nihil est sibi sufficiens causa essendi , & ideo dicit tãtum. Hinc patet quòd Ant.Andreæ in 9.metaphys.q.1.in prima qõne errauit. Vult enim quòd forma substantialis sit sufficiens, & totale principium suæ passionis.p.quòd forma ignis sufficiet in suo subiecto , ideſt in igne causet caliditatem , & leuitatem , remoto quocunque calefaciente,& leuificante extrinseco.& ratio sua est hæc.

Ignis ex calore suo habet potentiam leuificandi.proprium enim calidi est leuificare, & ipse ignis est receptiuus leuitatis, cum sit proprietas sua , ergo potest in se ipso causare leuitatem.

Ad hoc dico quòd non sufficit ignem esse leuificatiuum ex calore & leuificabilem ad hoc quòdin eo causetur leuitas,sed necesse est leuificantem distingui realiter à leuificabili, eo , q̃ sicut nihil est sibi sufficiens causa essendi , sic nec se ipsum reducendi à potentia ad actũ & hoc vt principium vniuersale tenemus,apud Arist & B.Thom.& q̃n Scot.tenens idem agere in se ipso non seruat hanc distinctionem realem , nec Anto. Andreæ,ideo ratio sua apud nos nulla est. Vnde vt diximus agens producens ignem producit proprietates ignis:quoniam stat distinctio realis inter producens ignem , & productum ignem.

Quicquid est præter essentiam alicui est productum ab extrinseco vel intrinseco & extrinsecum.

Ignis non est causa sufficiẽs sui calor, sed generans ignem.

Esse est actualitas omnis formæ vel naturæ. Aduerte quòd ly,actualitas,potest dupliciter exponi,per verbum est, vt est secundum adiacens,vt anima est,lapis est, quòd autem nulla natura præter Deum sit tãtæ actualitatis quòd possit actu seipsa præcise existere nisi ei imprimatur hæc actualitas,quæ dicitur esse à primo existente & authore naturæ,vide Capreol.1.d.8.q.1.in prob.5.quæstionis , & est allegatio domini Aegydij in primo quodlibet.quæst.7.& in hoc sensu B.Thom.intendit quòd esse est actualitas omnis formæ.vnde dicit in articulo , non enim bonitas significatur in actu nisi prout signi causa esse.ſ.per propositionem de secundo adiacente.

Esse est actualitas omnis formæ vel naturæ.

Oportet igitur quòd ipsum esse comparetur ad potentiam &c.vsque ibi ad primo.Aduerte quòd B.Thom.in artic.de hac cõsequẽtia cito se expedit, & ideo vt perfectè resolueretur in secundo contr.Gent.c3.& 54. duo pertractat, Primo,probat resolutis rationib.quòd esse est actus, & essentia est potentia vt videbis in c.53. Secundo declarat quòd non eadem ratione dicitur esse & essentia actus, & potentia, qua ratione materia est potentia, & forma actus: nam vt verificãtur de materia & forma sumuntur potentia,& actus physicè , vt autem verificantur de essentia,& esse summuntur metaphysicè prout omne perfectibile dicitur potentia,& omne perficiens dicitur actus.Vide Fu.c.54.clarum & resolutum,& quasi cõmentum huius articul.

Potentia & actus dupliciter.

Physicè & Metaphysicè.

Sicut illud, quod habet ignem , & non est ignis &c.vsque in finem rationis. Aduerte quòd hæc ratio videtur fundari super hoc principium tacitum , quod habet aliquid & non est illud est tale per participationem. Sed hoc principium videtur falsum.Nam sol habet lucem,& non est lux,cum sit qualitas & tamen est falsum, quòd sit lucidus per participationem , quoniã est primo lucidus & causa omnis luminis,ergo ratio B.Thom. non concludit. Ad hoc dico quòd aliquid esse tale per essentiam contingit dupliciter. Primo quando tale prædicatum,cõuenit ei ex se,& à se, ita quòd excludat quodcunque agens superioris ordinis siue eiusdẽ ordinis , & tale prædicatũ nõ põt ei cõuenire per essentiã nisi sit illud. Nã si nõ illud prædicatũ vt dictũ est in prima rõne erit causatus, vel ab intrinseco, vel ab extrinseco, ex consequenti non conueniet ei per essentiam,hoc modo, Sed per participationem. Secundo quando tale prædicatum conuenit ei primo ita quòd non est causatũ in eo per aliquod agens eiusdem ordinis licet non inconueniat esse causatum ab agente superioris ordinis,sicut esse calidum conuenit hoc modo per essentiam igni quia conuenit ei primo vt exposuimus & in hoc sensu , non est necesse rem esse illud prædicatum,quod conuenit ei per essentiam , sed sufficit quòd conueniat ei non mediante aliquo eiusdem ordinis. Dico igitur quòd B. Thom. fundat rationem suam super illud principium intellectum in primo sensu, sed instantia adducta de sole, siue de igne.inelinat pro secundo sensu, ideo non infringitur ratio B.Thom.&c.

Aliquid esse tale per essentiam contigit dupliciter.

In respõsione ad secundum, Alio modo significat compositionem propositionis &c. Aduerte quòd B.Thom.fundauit hanc distinctionem in 5.metaphysic.capi.de ente.ibi amplius autem & esse.

Aduerte iterum quòd illud esse significans compositionem, aliud significat in compositione tertij adiacentis præcipuè substantialis : aliud in compositione secundi adiacentis respectu positiui,& id dico, ad differentiam negatiui aut priuatiui, vt cum dicitur cæcitas est. Nam in compositione tertij adiacentis præcipuè substantialis significat habitudinem prædicati ad subiectum.per accidens autem significat existentiam. Accidit enim hominem existere ad hoc quòd hæc sit vera , homo est animal,sed in secũdo adiacente significat per se & habitudinem prædicat ad subiectum & existentiam subiecti in positiuis.Neque enim hæc potest esse vera,lapis est,nisi lapis existat, vnde in secundo adiacente esse verum quod significat in compositione fundatur super existentiam rei, ex consequenti si cognosco esse in tali propositione, cognosco esse rei non abstractè , sed vt fundat veritatem propositionis.Quando igitur dicit B.Thom. quòd non possumus scire esse Dei, vt significat actum essendi sicut nec essentiam, intendit scire abstractè & in se vt est prædicatũ quidditatiuum in primo per se. est enim de ratione Dei vt diximus in quæst.2.articul.1.& quando dicit quòd cognoscimus esse Dei solum secundo : Non intendit q̃ nostra cognitio terminetur solum ad esse verum quòd dicit relationem rationis , sicut enim terminatur in propositionibus de tertio adiacẽti vt diximus.sed intendit quòd licet termine tur ad esse, siue ad existentiam , tamen non terminatur , nisi vt fundat veritatem propositionis, siue vt correspondet.q.An est, & non. q. quid est.& quòd hæc sit intentio B. Thom.patet cũ dicit & hoc scimus ex effectibus. Nam ex tertio articul.secundæ quæstionis concluſimus ex effectu, primum motorem ficiens

ciens existere , hunc autem dicimus Deum , ergo intellectu attingimus existentiam Dei, vt fundat hanc , Deus est:ex his patet quòd obiectio Scoti in primo dist.3.q.2.ibi.Nec oportet distinguere,de,si est, &c.nõ est alicuius valoris contra B.Tho. Credit enim.B.Tho.tenere, quòd in hac propositione , Deus est,cognoscimus tantum veritatem propositionis, & non cognoscimus existentiam Dei, hoc autem est falsum , quoniam vt dicit B.Thom.respondens Deum existere concluditur ex effectibus.

ARTICVL. V.

Vtrum Deus sit in aliquo genere.

CIrca titu. Aduerte quòd non quæritur de genere subiecti, vel obiecti: nam constat quòd continetur sub ente vt est subiectum metaphysices , nec de genere prædicabili communiter dicto prout analogum potest dici genus,sic substantia vt substantia communis finitæ & infinitiuæ,corporeæ,& incorporeæ , potest dici genus licet in via nostra substantia in sua maxima communitate , non dicatur vniuocè vt declarabitur cum soluemus argumenta Gregorij, sed quæritur de genere prædicabili propriè dicto.i.vniuoco quod sit verè genus generalissimum vel subalternum.

Sed contra genus est prius secundum intellectum eo quod in genere continetur &c. Aduerte quòd ly, secundum intellectum,sumitur ex parte rei siue secundum rationem metaphysicam quæ fundatur in natura rei, & non solum ex parte nostri modi apprehẽdendi: aliter propositio minor esset falsa.prius enim apprehendimus ens & substantiam quàm ipsum Deum, & prius sapientiam vt sapientia quam sapientiam infinitam, & tamen ex parte rei nec ens,nec substantia est prior Deo cum sit omne ens omnis substantia perfectionaliter,vnde verificatur illa minor,sicut verificatur apud philosophum in 7.metaphy.text. 21.loquens de quod quid est,& de eo cuius est,ibi. At vero nõ solum sunt vnum,ſ.re sed etiam eadẽ ipsorum rõ,similiter ẽm ly, ratio pro ratione obiectiua & non pro formali præcisè ex parte nostri intellectus : nam esse diffinitum & esse diffinitionem distinguũtur ratione ex parte nostri intellectus licet non ex natura rei &c.

Alio modo per reductionem vt principia & priuationes &c. Aduerte, quòd hæc reductio non est eiusdem rationis respectu principiorum & respectu priuationum. Nam principia vt punctus & vnitas sunt verè entia realia licet vt indiuisibilia,& ideo verè reducuntur ad genus prædicabile quod est pars subiectiua entis extra animam ex 6.metaphysic.text.4. Priuationes autẽ cum sint negationes ex consequenti non entia,nõ ita propriè & intrinsecè sed potius extrinsecè reducuntur ad genus prædicamentale. ideſt gratia oppositi habitus contrarie negant, vnde sicut datur denominatio intrinseca & extrinseca : sic in proposito datur reductio intrinseca respectu principiorum & extrinseca respectu priuationum.

Semper autem à quo sumitur differentia , vsque ibi similiter manifestum est &c.Aduerte quòd hæc propositio potest dupliciter intelligi:primo quòd id à quo sumitur genus sit potentiale distinctum realiter ab eo , à quo sumitur differentia , vt ab actu,& hęc non est mens B.Thom.quoniam sensitiuum,& intellectiuum non sunt in eodem distincti realiter vt patet infra quæstion.75.articu.3. Secundo quòd eadem res sit à quo sumitur genus & differentia , sed vt fundat conceptum generis est verè possibilis,& determinabilis,& vt fundat conceptũ differentiæ est vt actus & determinans. Vnde licet sit identitas realis stat tamen distinctio rationis fundamentalis potentiæ, & actus & propterea ex natura rei potest dici eadem natura determinabilis,& determinans,possibilis , & actualis , & quoniam omne ex natura rei possibile est imperfectum,ideo omne contentum in genere,vt sic imperfectum est:propter quod Deus non est in genere , dico igitur quòd B.Thom. intendit dictum suum in secundo sensu,vt ipsemet declarat in q.76.art. 3.ad quartum,vide eum. Hinc patet quòd argumenta Gregorij in Capreol.in primo dist.8.q.2.contra tertiam quæstionem,nihil concludunt. Arguit enim contra dictum B.Thom. supponens quòd B.Thom.teneat ipsum in primo sensu quod est falsum vt declarauí,ideo nõ aliter soluo ea. Videtu Capre.

Si Deus esset in aliquo genere oporteret quod ens esset genus eius &c. Aduerte quòd B. Thom.intentio in hac ratione est hæc.Cum quælibet res colloceatur in genere per essentiam suam,illud erit genus Dei:si ponitur in genere,quod significat essentiam simpliciter.ideſt illimitate , qualis est essentia diuina, & suum esse: sed nullum assignatum sub ente significat essentiam illimitate , sed determinate , vt patet de quolibet generalissimo.sunt enim partes entis subiectiuæ, vnde substãtia non continet in se essentiam quantitatis,nec quantitas essentiam qualitatis, solum autem ens vniuersalissime sumptum & nominaliter significat essentiam vniuersalissime:& participialiter sumptum significat esse vniuersalissime. Cum ergo diuina essentia,& diuinũ esse,sint omnis essentia,& omne esse perfectionaliter,ergo optime sequitur quòd si Deus esset in genere,tantum ens esset genus suum.

Ex hac ratione sic formata & intellectu videbis solutum argumentum Greg.in Capreol.1.dist.8.q.2.contra quartã quæstionem,& est quartum in ordine.Nam ens nominaliter sumptum non significat illimitate essentiam creaturæ , & immediate sicut significat essentiam Dei,similiter dico de ente participialiter sumpto,vt significat esse: & ideo dato quòd de facto significet essentiã rei creatæ,non sequitur quòd sit genus &c.

*Ostendit autem philosophus in 3.metaph.&c.*vsque ibi: vnde relinquitur: &c. Aduerte quòd hæc probatio fundatur super duo, quæ defendimus in nostris quæstionibus metaphysicis in 3.& in 4.libr.primum est quòd differentia est extra rationem formalem generis, & è conuerso.secundum est quòd eis prædicatur formaliter de omni contento sub ipso, & tam de differẽtijs vltimis quam de passionibus suis, & ideo ne fiat inutilis repetitio,recurre ad illa &c.

*Omnia quæ sunt in genere communicant in quidditate , vel essentia, &c.*vsque ibi.illius hominis. Aduerte quòd B.Thom.non intendit quòd cõueniunt in quidditate vel essentia , quasi quòd vnitate reali conueniant in natura generis : neque enim datur vnitas realis apud B.Thom.nisi vnitas singularis,siue vniuersalis.Vnde sicut duæ species differunt realiter in esse.i.non solum differunt esse specifico & esse actualis existentiæ,sed etiam non conueniunt quidditatiue in ipso,quoniam vt reponuntur iu genere,abstrahũt ab esse existentiæ , non tamen ab essentia cum prædicatur de eis in primo modo per se. Et scias cum dicit differunt autem secundum esse intendit principaliter de esse existentiæ ad quod vltimate deducit differentia ex intentione naturæ.Ideo enim rationale adueniens animali cõstituit hominem vt sit pars vniuersi ex consequenti vt existat, ex his videbis solutum argumẽtum Greg.in Capr.in primo d. 8.qõ.2.contra quartam quæstionem & est vltimum in ordine procedit enim ac si B.Thom.intenderet communitatem in essentia secundum vnitatem realem,quod non fuit intentum B. Thom. Videbis solutum etiam argumentum expositoris qui arguit quòd videtur B. Thom.per æquiuocationem peccare, quoniam in antecedenti,cum dicit: differunt autem secũdum esse &c.accipit ly, esse pro esse specifico.In consequentia autẽ, cum dicit & sic oportet quòd quæcunque sunt in genere,differãt in esse &c.stat ly,esse p essentia,ergo &c.Sed vt diximus in antecedenti sumit principaliter,& prima intentione ly,esse pro existere,sicut & in consequenti, quoniam est vltimum intentum propter quod cõstituitur species,& indiuiduum:ideo non est æquiuocatio.

Et sic oportet quæcunque sunt in genere &c. vsque ibi, essentia. Aduerte primo q̃ B.Tho.non dicit quæcunque sunt in genere componuntur ex esse,& essentia:quoniam natura animalis & lapidis præcise sumptæ vt abstrahunt ab esse sunt in genere,& tamen vt sic non componuntur ex esse,& essentia,sed dicit quòd differt esse ab essentia.i.omne,quod ponitur in genere tale est,q̃ si essentia comparetur ad esse suum,differunt realiter.& si inuenias B.Thom. dicentem q̃ repositum in genere componitur ex esse,& essentia sic intelligas. quòd habet esse tiam vel est essentia,componibile est eum suo esse,itaque pro prie est compositio cum his: ex his videbis soluta argumenta Greg.in primo d.8.q.2.contra secundam quæstionem , & sunt 4.& 5.in ordine. Aduerte 2. q̃ hæc propositio, *& sic oportet quod &c.* est consequens illatum ex illo antecedente quæcũque sunt in genere &c.Sed difficile est videre,quo sequitur realis distinctio in essentia & esse,ex illo antecedẽte: Nã si cõmunicatio in essentia esset secundũ vnitatẽ realem, & differẽtia in esse secundũ distinctionẽ realẽ , vtique cõsequẽtia esset manifesta,sed iã dictũ est,q̃ sicut distinctio in esse,ita & distinctio in essentia est realis. Alia enim est natura animalis in homine,alia in asino,sicut aliud & aliud esse.Cũ igitur illa vnitas in essentia sit tm formalis,& distinctio esse sit formalis, cõueniũt enim in distinctione reali,tã in essentia quã in esse, q̃ si in esse nõ cõueniunt cõceptu quidditatiuo,cũ non sint de rõne eorũ, vt diximus nõ videtur sequi distinctio realis inter essentiam & esse , alioquin inter genus & differẽtias esset distinctio realis.species enim cõueniũt formaliter in genere, & differũt formaliter differẽtijs, ergo cõsequẽtia B.Tho. videt nulla.

Repositum in genere cõponitur ex esse & essentia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Adhoc dico quòd regulariter cõsequentia nõ tenet, vt patet in instãtia de genere & differentia: sed in præsenti materia valet. Nam quodcũque illud, in quo plura conueniunt formaliter, est verè actuabile, & perfectibile per illud in quo plura differunt formaliter ex conuenientia & differentia formali, infertur distinctio realis inter ea, sic est in proposito. Nam in quibuscunque essentia est de suo conceptu quidditatiuo, non autem esse, essentia verè, & realiter perficitur suo esse, vt declarauimus suprà, quoniam nullius creati essentia sibi sufficit ad existendũ. Dico igitur, quòd consequentia B. Thom. valet ex antecedente: quæcunque sunt in genere, conueniunt formaliter in essentia verè perfectibili, & differunt in esse verè perfectiuo: ergo in eis differt realiter essentia, & esse. Et si dicas, quòd genus determinatur differentijs, ex consequenti actuatur, ergo sequitur quòd differat realiter ab eis. Rñdeo hæc determinatio est logica, ideo non sequitur sicut in proposito.

Quod autem Deus non sit in genere per reductionem, &c.

Aduerte quòd Capreol. in 1. dist. 8. q. 2. in prob. secundæ quæstionis ibi, *sciendum tamen quod oppositum etc.* tenet quod dixerit, & tenuerit oppositum, existens Iuuenis in 1. d. 8. quæst. 4. arti. 2. ad 3. & in q. de potẽtia. q. 7 arti. 8. ad 7. & cõcordat ipsum, sed dicit stándum esse in summa. Expositor autem sic cõcordat eum, quod est in genere reductiuè, est duplex: quoddam vt principium contentum, & determinatum ad tale genus & sic negat in hoc artic. Deum esse reductiuè in genere: Quoddam autem continens generis, & tale non est necesse, vt sit determinatum præcisè ad vnum genus. potest enim esse principium plurium generum, & sic concedit in primo sententiarum & q. de potentia Dei, Deũ esse in genere reductiuè, nec hoc negaret in præsenti artic. hæc concordia potest admitti. Verumtamen sententia Capreol. est apparens: quoniam si aduertas B. Thom. ijsdem exemplis. s. puncto, & vnitate quibus declarauit negatiuam in præsenti artic. vtitur in primo sententiarum & clarius in q. de potentia ad declarandam affirmatiuam, ergo in eo sensu in quo negat hic Deum esse in genere reductiuè, sicut punctum, & vnitatẽ affirmat in q. de potentia. Dicit enim illic, potest dici, quòd sit in genere substantiæ per reductionem sicut principium, & sicut punctum est principiũ quãtitatis continuæ, & sicut vnitas in genere numerorum: hæc ille. Possumus ergo dicere cum Capreol. quòd stándum est in Summa &c. Postquam substinueris rationes B. Thom. pro prima q̃stione. s. Deus non est in genere, videbis Capreol. vbi suprà contra quartam quæstionem, & inuenies tria argumenta primain ordine, quibus arguit directè contra quæstionem, verum quia Capreol. clarè, & sufficienter soluit ea, ideo vide tu illa, & aduerte, quòd omnia peccant in hoc fundamẽto quòd substãtia, spiritus, pater, agẽs, &c. dicantur vniuocè de Deo, & creatura: super omnia nota tertium quod fundatur in Arist. 12. met. à tex. primo vsque ad textum 3. &c. in ratione ad 2. Aduerte duo. primum, quia in præsenti artic. tenet Deum nullo modo esse in genere, ideo simpliciter negat in hac ratione ad secundum Deum esse mensuram homogeneam, ita quòd sit eiusdem generis cum suo mensurato, nec per se nec reductiuè. In q. autẽ de potentia. q. 7. arti. 3. ad 7. soluens argumentum idem: quia tenet, quòd Deus est reductiuè in genere, vt principium generis, concedit quòd est eiusdem generis mensura cum mẽsurato reductiuè, tamen ex consequenti quòd possit dici homogenea reductiuè: verumtamen stándum est vt diximus, in Summa.

Secundo, Aduerte quòd licet B. Thom. saluet Auerr. in q. de potentia Dei in eodem loco, quoniam concedit Deum esse primum in genere substantiæ, tamen in præsenti responsione non curat de intentione eius. sed in illis verbis, dicitur tamen mensura &c. declarat secundum veritatem, quomodo debeat intelligi propositio illa. Quod autem talis declaratio sit ad mẽtem Auerr. vel non: non curat. & propterea licet argũes adduxerit ipsum, tamen responsus non nominat eum, quasi innuens, quòd negat eũ in sensu, quo ipse loquitur: loquitur enim de mensura homogenea: vnde vult quòd sicut albedo est mensura omnium colorum, sic primus motor omnis substantiæ, & propterea nõ placet mihi Expositor in hoc, quod conatur declarare quòd B. Tho. respondens in illis verbis. *Dicitur mensura etc.* loquitur ad mentem commentatoris, quod non est verum: constat enim inspicienti totum cõmentum septimũ in x. met. quòd talem homogeneitatem ponit cõmentator inter Deum, vt mensuram, & alias substantias, qualis est inter vnitatem, & numerum, inter albedinẽ, & alios colores, quæ homogenitas non est illa, quam ponit expositor in 3. membro suæ distinctionis cùm dicit, & hoc modo Deus est mensura homogenea coordinationis. De hac autem mensura quæ attribuitur primæ causæ, ordinaui quæstionem in x. met. & est 7. in ordine.

ARTICVL. VI.

Vtrum in Deo sint aliqua accidentia.

CIrca titu. Aduerte, quòd hic quæritur de accidenti prædicamentali, cuius est inhærere, & facere compositionẽ in subiecto. Non autem hic quæritur de accidenti prædicabili. i. prædicamento accidentali: constat enim quòd reperitur in Deo. hoc enim est per accidens. Essentia est pater, vt tractabitur in tractatu de Trinitate, aliter non posset cõmitti in Deo fallacia accidentis &c.

Forma simplex non potest esse subiectum &c. Aduerte quòd Boetius in lib. de Trinitate, non loquitur de forma simplici in tota sua latitudine, sed de simpliciter simplici, qualis est Dei essentia & propterea non verificatur nisi de Deo. nam substãtię abstractæ & si sint simplices simplicitate opposita compositioni ex materia & forma, nõ tamẽ simpliciter simplices, quoniã actio sua non est substãtia eorum, & ideo possunt habere compositionem cum his.

Subiectum comparatur ad accidens, sicut potentia ad actum &c. Aduerte, quòd hæc ratio fundatur in 12. met. tex. 51. ibi: *Nam si non intelligi &c.* Sicut potentia ad actũ, & perfectibile ad perfectionem &c. *Licet id quod est aliquid possit habere adiunctum.* Aduerte, quòd B. Tho. intendit hanc comparationẽ, sicut se habent albedo, & album ad hoc, quod est esse aliud, quam ipsum, sic se habent esse abstractè sumptum & id, quod habet esse, siue ens concretũ. i. cõpositum ex essentia & esse: sed albedo est tãtum albedo, albũ autem nõ est solum album, sed potest esse dulce, & graue, & lapis, ergo esse est tm̃ esse. i. omne quod est, est ipm̃, & tm̃ cõcretũ non est solũ esse, sed & est. cũ ergo Deus sit esse suum, sequitur quòd oẽ, quod est in Deo sit ipse Deus, ergo accidens nõ est in Deo &c.

Omne, quod est per se, est prius eo, quod est per accidens &c. Aduerte quòd B. Tho. intendit à Deo excludere oẽ accidẽs & primo accidẽs, per accidens. i. quod facit propositionẽ per accidens, deinde accidens per se, & supponit quòd in Deo non sit prius & posterius, aliter non seruaretur oĩmoda immutabilitas in Deo. Adueniente em̃ posteriori aliter se haberet, & super hoc fundamentũ tacitũ, fundat totã rationem suam. Constat enim quòd cum accidens per se naturali sequela emanet à principijs essentialib. prius est accidẽti per accidẽs tãquã extraneo.

In responsione ad primũ. Aduerte quòd illa propositio physica in primo physicorũ tex. 27. Quod verè est nulli accidit, inducitur ab Arist. cõtra Parmenidẽ, & intẽdit quòd id, quod ex natura sua est substãtia in quocunque inueniatur vniuocè dicũ nõ põt esse accidẽs, sicut nec id, quod est accidẽs ex natura sua in quocũque inueniatur vniuocè põt esse substãtia. patet q̃m̃ secũdum doctrinã nostrã Nomẽ cõe Deo, & Creaturæ est analogũ. non concludit. sicut concluderet contra Scotum.

Quod verè ens nulli accidit vniuocè acceptum.

In responsione ad secundum. *Principia accidentium reducuntur ad principia substantiæ.* Aduerte quòd hæc responsio fundatur in 7. meta. esse finem vbi vult philosophus, quòd substantia non producatur nisi à substantia præexistente in actu. sed quantũ ad quale producitur in esse non quali, aut quanto præsupposito in actu, sed tm̃ in potentia, & propterea secundum ipsum principium accidentis tam receptiuum, quàm effectiuum erit substantia, & vniuersale effectiuum erit prima substantia, quæ dicitur prima causa. similiter principium primum formale accidentium erit substantia, quoniam qualitates non agunt nisi in virtute substantiæ vel formæ substantialis.

ARTICVL. VII.

Vtrum Deus sit omnino simplex.

CIrca tit. Aduerte ly, *omnino simplex*, excludit omnino cõpositionem intrinsecam, vt sit sensus vtrum Deus in sui substantia non contineat aliqua plura distincta realia absoluta, vt præseruemus diuinas personas, & non est intentio sua excludere compositionem extrinsecam. i. cum alio sibi extrinsece: aliter articul. sequens esset superfluus, vt videbis &c.

Omne compositum est prius suis componentibus, & dependens ab eis, &c. Aduerte quòd hæc ratio fundatur in 5. met. in c. de toto, vbi habetur, quòd totum ex partibus resultat, ex cõsequenti comparatur ad partes, vt effectus ad causam. ergo est posterius & dependens, & in 7. physicorum textu secundo, quòd motus totius pendet ex motu partium ly, posterius sufficit quòd verificetur tempore vel natura considerando totũ & partes quo ad entitates, non autem vt relatiua sunt, sic eim̃ sunt simul natura licet dependens sufficit quòd verificetur pro aliquo genere causæ saltẽ materialis vel formalis, vel vtroq; mõ.

Omne corpus cum habet &c. Aduerte quòd ly, causam stat pro causa actiua, & fundatur hæc ratio princ. 8. meta. text. vltimo vbi. quare cum nulla alia &c. vbi vult philosophus, quòd in com

in compositione oportet assignare agens, in cuius actione ex partib. diuersis. p. potentia & actu fiat vnum.

In cõposito oportet esse potentiam & actum &c. Aduerte q̃ hæc ratio fundatur in 7. meta. text. 49. ibi, duo nanque sic actu nunquam sunt vnum, vbi philosophus arguit contra Platonẽ deducens q̃ necesse est omnium componẽtium alterum esse potentiam, alterum vero actum, vt clarius manifestatur in 8. lib. text. vltimo vel vtrumque est potentia vt partes lineæ componentes lineam. Aduerte tamen quòd licet vtroque modo fiat vnum per se tamen multum differunt vt declarauimus in 8. metap. q. 27. videtu ad placitum.

In responsione ad primum est autem de ratione causati q̃ sit aliquo modo compositum &c. Aduerte q̃ ly causati stat ex eo, quod terminat actionem agentis, & dicitur causatum vt quod & est illud, quod habet esse completum in se, vt homo, lapis &c. nam sumendo causatum communissime prout se extendit ad materiam ad formam, & accidẽtia, non est verum q̃ mo vnde respondens ad primam q. probat aliquam creaturam esse omnino simplicẽ. quia forma est creatura, & tamẽ est simplex & inuariabilis, ex diffinitione sua, dicit hæc ratio procedit de creaturis, quæ non componuntur ex alijs, quales sunt formæ & accidentia. Ex his patet. q̃ si Sco. in 1. d. 8. q. 1. ibi iuxta hoc quæro, Vtrum aliqua creatura sit simplex, aduertisset hanc decisionem B. Thom. nõ impugnasset responsionem B. Tho. datam hic ad secundũ: probat enim Scot. quòd partes alicuius causati sunt causatæ. p. materia, & forma, & tamen non sunt compositæ aliter esset processus in infinitum, vel dabitur causatum non compositũ. hoc idem argumentum format B. Thom. in 1. d. 8. q. 5. art. 1. & est tertiũ in ordine. & responsio dicit quòd concludit de eo, quod non habet esse completum, quod solet dici concausatum. sed B. Thom. intendit de proprie & per se causato, ergo instantia Scoti non valet, &c.

Causatum vt quod est habet esse in se cõpletum.

In responsione ad secundum. Aduerte quòd B. Tho. intẽdit nec compositionem, nec simplicitatem absolutè sumptas esse perfectiones simpliciter. Aliter simplicitas in quolibet ente, vt ens est esset melior compositione & sic forma esset melior composito & nobilior, & res quanto minus composita tanto nobilior esset, & ex consequenti elementum esset nobilius et lementato, sed intendit quòd simplicitas cum tali conditione est nobilior simpliciter. quæ autem sit illa conditio, sunt de hoc variæ opiniones.

Simplicitas quomodo sit perfectio simpliciter.

Robertus Holco. in 2. sentẽtiarum. q. 6. respondens ad primum dubium dicit quòd requiritur quòd res, cui inest simplicitas, non sit composita ex his, nec sit componibilis cum altero. p. cum accidentib. sed hoc non cõsonat doctrinæ B. Tho. se queretur enim quòd in solo Deo esset perfectio, qui solus nõ est componibilis alteri, vt patet. in artic. sequenti, & tamen in lib. de ente & essentia. c. 2. tenet q̃ licet tam substantiæ compositæ quam simplices. i. abstractæ habeant essentiam, tamẽ simplices habent veriori modo, secundum q̃ etiã habent nobilius esse, hæc ille. vult ergo simplicitatem esse perfectionem in qualibet substantia abstracta.

Prima opinio.

Secunda opinio.

Scotus autem in 1. d. 8. q. 2. ad primum tenet quòd est perfectio simpliciter dummodo excludat compositionem vel componibilitatem ex actu, & potentia vel ex perfectione, vel imperfectiõe, sed quia talis cõditio saluatur in solo Deo, ideo dicendum est ad Scotum sicut ad hoc: Aduerte tamen q̃ Scotus tenet in progressu simplicitatem, vt simplicitas est esse perfectionem simpliciter. licet in multis naturis repugnet, & conatur glossare definitionem Anselmi suo modo cõtra quem expositor super lib. de ente, & essentia, super c. 2. sufficienter se habet, nec volo immutare eũ &c. Est igitur tertia opinio, quæ est ipsius expositoris in eodem loco, & stat in hoc, simplicitas si adiungatur subsistentiæ, & naturæ eius tota perfectio apta est stare indiuisa. i. non resultare ex partibus integralibus, nec essentialibus, dicit perfectionem simpliciter, propter primam conditionem excludo formas materiales naturales, accidentia, & materiam propter secundam: excludo omnia corpora à cælo vsque ad elementum inclusiuè, & hanc sententiam vt veriorem & magis conformem B. Thom. sustinet.

Tertia opinio.

Propria conditio.

Simplicitas subsistentia & naturæ, eius tota perfectio apta è stare indiuisa. i. non resultare ex partibus integralib nec essentialibus dicit perfectionem simpliciter.

ARTICVL. VIII.

Vtrum Deus in compositionem aliorum veniat.

CIrca titulum, Aduerte ad hoc, q̃ aliquid faciat compositionem cum altero in significato proprio: necesse est q̃ sit forma substãtialis vel materia prima in compositione substantiali, vel sit forma accidentalis, vel subiectum in compositione accidentali. Nam vnio secundum operationem vel assistentiam, vel indistinctionem situs non facit compositionem.

Quidam enim posuerunt quòd Deus esset anima mundi &c. Aduerte quòd ex his fuit Mercurius Termigistus in Pmandro, in quo sequitur Platonem in Timæo, quoniam apud eos diffinitur anima ex motu, quicquid habet virtutẽ motricem dicitur anima apud eos, & quoniam Deus mouet mundum sue ipsum vniuersum, ideo dicitur anima mundi. ex sua tũ posi tione nõ sequitur quòd faciat cõpositionẽ, quoniã vt declaramus in tit. vnio secundũ operationẽ, & assistentiã non facit cõpositionẽ: & ad hoc, &c. reducitur quod quidã dixerũt Deũ esse animã primi cæli &c. Hic videtur esse cõmentator 12. met. cõm. 44. In quo appellat primum motorem, motorem omniũ, & applicat ipsum primo cælo, & hos motores appellat formas & secundum eos in comment. 36. ponit cælum animatũ. ergo sequentes intelligentiæ sunt animæ sequentium cælorum. secundum ipsum, sic Deus est anima primi cæli: verum secundũ Auer. nõ facit compositionem talem, qualem exposuimus in titul. artic. quoniam apud ipsum repugnat principium intellectiuum esse formam dantem esse materiæ ex tertio de anima cõm. 5. vt diffusè pertractabitur. 1 q. 76. art. 1. ió pro nũc trãseo.

Mercur. Termegistus.

Deus est anima mũdi.

Vnio secundũ cõpositionẽ dum assistẽtiam vel operationem nõ facit compositionem.

Deus est anima primi cæli.

Nec sicut principium formale, nec sicut principium materiale, &c. Aduerte quòd B. Thom. determinat se ad reprobandum tertium & quartum errores, cõsiderans quòd prima & secunda opinio, siue veræ siue falsæ sint nõ intendant veram cõpositionem, ideo relinquit eas.

Primo quidem quia suprà diximus Deum esse causam efficientem &c. Aduerte quòd B. Tho. in hac ratione hanc conditionalem supponit, si Deus in compositionem alicuius venit vt forma, vel vt materia tale erit effectus Dei, sed consequens est impossibile. ergo & antecedens. consequentia probatur ex præcedẽtib. quoniam dictum est, omnium esse causam efficiẽtem. ergo omnium extra ipsum. falsitatem vero consequentis probat in hac ratione declarans, quomodo forma agentis nõ incidit in idẽ numero omni effectui, nec materia in idem specie, quod est principium apud philos. vniuersaliter acceptatũ.

Anima est primo & per se intelligẽs.

Quod autem venit in compositionem, non primo & per se agit, sed magis &c. Aduerte quòd prima propositio. s. Quod autem videtur pati instantiam de anima intellectiua, quæ venit in compositionem, & tamen respectu intellectionis est primo & per se intelligens cum sit essentialiter à sola anima ad differentiam aliarum operationum. Et ideo quomodo verificatur de anima & de coniuncto magis propriè, quam de anima declarabitur in q. 75. artic. 6. pro nunc sufficit quod ratio B. Tho. concludit Deum non esse formam omnium rerum, vt dicebat tertia opinio. Constat enim quòd non est forma lapidis, quoniam cum illa forma non habeat operationem per se vt ad sensum patet. sed omnis operatio lapidis sit operatio compositi, non potest esse primo, & per se agens quale est Deus.

Item aduerte quòd per ly, sed magis compositum non intẽdit B. Thom. affirmare aliquod compositum esse primo & per se agens, concludit enim oppositum in arti. 2. in 3. ratione, sed loquimur comparatiue. q. d. si deberet admitti quòd forma vel suum compositum, sit primo & per se agens esset magis cõcedendum de composito, quoniam est, quod agit, forma autem quo agit, tamen de neutro simpliciter concedendum est &c.

¶ Quæstio Quarta.

ARTICVL. I.

Vtrum Deus sit perfectus.

CIrca titul. Aduerte q̃ ly, perfectus põt tripliciter accipi, primo q̃ sit perfectus substãtialiter. i. quòd sit ens perfectissimũ, & ĩ optimo mõ essendi, qã est esse maximè actu, sicut eẽ maximè ĩ potẽtia est imperfectissimũ modus 2. q̃ sit perfectus attributaliter. i. quod in se contineat perfectiones oẽs, vt bonitatẽ sapientiã &c. 3. quòd secundum vnumquodque attributũ, sit perfectus. i. quod omne attributũ contineat in se perfectissimo modo.

Perfectum dupliciter substãtialiter, et attributaliter.

In tit. intenditde pfecto in 1. modo. Nam esse substãtialiter pfectũ pri⁹ est quã esse. supradictũ, sicut prius est esse Sorte̅ pfectũ substãtialiter, quã esse doctũ, sapiẽtẽ, iustũ &c. Ad hoc autẽ, quòd Deus substãtialiter sit perfectus quatuor cõditiones requirũtur simplr̃, & absoluté. primo quòd nihil ptinẽs ad substãtiã, siue essentiã suã deficiat sibi. secundo quòd non possit sibi fieri additio, tertio quòd nihil sit perfectius eo, quarto quòd nihil possit esse perfectius ipso. Et id breuiter tetigit philosophus in 5. meta. c. de perfecto, vbi dicit cõmentator. perfecta vniuersaliter sunt illa, in quibus nihil inuenitur per qđ dicantur imperfecta aut extrinsecum, & hæc dispositio primi principij. s. Dei. In secũdo autem argumento aget de perfecto in secundo sensu. De tertio autem sensu non formaliter agit in hac quæstione, sed potest reduci ad tertium articulum, vt

Ad hoc q̃ Deus sit perfectus substãtialiter quatuor requirũtur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

videbitur sicut philosophus narrat &c. Aduerte quòd Aristo. in 12.metaph.textu 4.postquam concluserat Deum esse optimum,& fœlicissimum,adduxit opinionem Pythagoræ & Leucippi,qui tenebant prima principia esse imperfecta, & sumebant signum ex seminibus plantarum, quæ sunt imperfectiora his,quæ nascuntur ex eis, vtpote quia animata sunt tantum in potentia, sed vt inquit illic Aristo.decipiuntur quia semen non est primum principium,sed illud,à quo producitur semẽ. Et vide tu illic.B.Thom.autem adduxit fundamentum vniuersale,in quo philosophi prius conueniebant,vt habetur in primo physicorum & in primo metaphysic. quòd. s.non est aliquod principium rerum nisi materiale.vnde dicit Aristote.in primo metaphysi.in principio opinionum recitatarum. Primi igitur philosophi ea sola principia existimarunt, quæ sub ratione materiæ collocantur &c. In responsione ad secundum aduerte quòd illa fuit opinio Pythagoræ,& Leucippi vt recitat philosophus in 12.metaphys.text.40.& responsio, quam B. Thom.adduxit,est responsio philosophi illic.&c.

In responsione ad tertium,Aduerte quòd B.Thom.non negat quin esse sit communissimum,sed negat quòd sit cõmunissimum recipiens.Hoc enim est imperfectissimum,quoniam vnumquodque in tantum est recipiens, inquantum est potentiale,& propterea materia prima est imperfectissima. concedit ergo quòd est communissimum receptum.sed ex hoc non sequitur quòd sit imperfectissimum imo oppositum: quia receptum actuat,& perficit & ex consequenti perfectio est.

Hinc patet quòd ratio Scoti in primo dist.1.q.1.ibi. Non enim esse est perfectissimus effectus, nulli° est efficaciæ, sic enim arguit. Quod includitur in multis non põt esse perfectius quocũque illorum in quo includitur.sed esse includitur &c.cum sit communissimum, ergo &c. Patet quòd hæc ratio coincidit cum arg.B.Thom.& ideo eadem responsione soluitur. Nam maior non est vera nisi de communissimo recipiente: esse autem communissimum receptum, quia est actualitas omnium. scias tamen quòd ratio Scot.ad plenum soluitur q.45.art.5.vbi sustinebitur quòd esse est effectum solius Dei,ideo pro nunc sufficit.

ARTICVL. II.

Vtrum in Deo sint perfectiones omnium rerum.

CIrca titulum, aduerte primo quòd perfectio proprie est id,quod pertinet ad bonitatem rei, & significatur termino qualitatiuo,vt sapientia,bonitas,vita,intellectus &c. Aduerte secũdo quòd perfectiones rerum sunt duplices:quædam simpliciter dictæ,quas melius est in vnoquoq; in esse, quã nõ inesse:quædam limitatè, vt risibilitas in homine,fortitudo in leone.In titulo sumitur ly,perfectiones indistinctè non descendendo ad has vel illas, Tertio aduerte quòd perfectiones possunt inesse, Aliquando formaliter, vt Deus formaliter est sapiens: quædam virtualiter vel eminenter.i.quamcunque perfectionem dicat risibilitas in homine,calor in igne,lux in sole totũ est in Deo virtualiter. In titulo ly,sint, stat indistinctè.

Perfectio duplex simplex & limitata.

Formaliter, et virtualiter.

In Deo sunt perfectiones omnium rerum, vnde & dicitur vniuersaliter perfectus &c.vsque ibi in 5.metaphys. Aduerte quòd ly,vniuersaliter perfectus, alio modo intelligendum est secundum mentem commentatoris, alio modo secundum veritatem . Nam quoniam commentaror , tenet Deum esse finitæ virtutis dicit quòd est vniuersaliter perfectus prout cõtinet omnes perfectiones cuiuscunque generis, quæ sunt actu in rerum natura , & quoniam illę, vt sic finitæ sunt,ideo Deus secundum ipsum est vniuersaliter perfectus,finitè tamen secũdum veritatem non est vniuersaliter perfectus , quia continet perfectiones omnium generum , non solum actu existentes sed possibiles produci, tales autem sunt infinitæ in potentia, quia non tot,quia plures possunt à Deo produci, vt declarabitur infra , ideo Deus est vniuersaliter perfectus, & infinitè.

Igitur licet B.Tho.adducat dictum commentatoris.in 5.met. capitulo de perfecto , non tamen intelligendum est ad mentẽ commentatoris, sed secundum veritatem &c.Præexistere autem in virtute causæ agentis , & vsque ibi inquantum huius modi est perfectio. Aduerte primo quòd ly,perfectiori modo,potest dupliciter intelligi.primo comparando effectum ad causam efficientem præcisè , & sic non est verum nisi in causa æquiuoca , aliter B.Thom.sibi contradiceret in litera. Dixerat enim quòd ens agens est vniuocum , quicquid perfectionis est in effectu,etiã est in causa effectiua, sed secũdum eandem rationem,ergo non perfectiori modo, sed æqualiter.secundo comparando effectum ad causam suam efficientem,& causam materialem,& sic dictum B.Thom.est verum tam in causa efficienti vniuoca quam æquiuoca:intendit enim quòd licet cõtineatur effectus tam in cã efficiẽti quã in materia.tamẽ in efficienti perfectiori modo non essentialiter , sed ex principalitate, & independentia: sicut exponitur dictum philosophi & commẽtatoris in 7.metaphys.textu & comm.7.cum dicitur ꝙ forma est prior & magis ens composito , quod vtique est verum principaliter,& independenter, non tamen essentialiter, quoniam compositum est id,quod est:forma vero quo.

Forma est prior, et magis ens composito glosa principalitate et indepẽdentia nõ essentialiter. Nam cõpositum est id, quod est:forma aũt quo.

Aduerte secundo quòd ly, causæ agentis , non debet intelligi de quacunque cã agente , sed de causa principali,ad differentiam instrumentalis,quale est semẽ plãtarum & aĩalium,& instrumenta in artificialis. Nec enim antea perfectio inuenitur in semina,quanta in animali genito,cum illud sit aĩatum tantum in potentia,hoc autem actu.Item debet intelligi de causa efficiẽti per se,& non accidentaliter, quoniam vt accidentalis non influeret in effectum,& hæc est doctrina commẽtatoris in 12.metaphys.com.24.in fine,cum dicit ista igitur propositio verificatur tribus cõditionib. s.in agente non instrumento ,in propinquo non in remoto,in agente essentialiter non accidẽtaliter &c.

Cum ergo Deus sit prima causa &c. Aduerte quòd per ly, prima innuit quòd sit æquiuoca.Nam si est prima causa effecti ua omnium rerum , ergo rerum diuersarum rationum cõtra æquiuoca:patet consequentia hæc ex diffinitione causæ æquiuocæ, & vniuocæ, & quoniam per primam intendebat æquiuocam : ideo infert ,quòd oporret omnium rerum perfectiones præexistere in Deo,secundum eminentiorem modum.

Quomodo perfectiones diuinæ distinguntur.

In responsione ad primum,& si quæ sunt diuersa,& opposita in se ipsis in Deo sunt vt vnum &c. Ex his habemus in via B.Tho.ꝙ perfectiones diuinæ non distinguãtur realiter,cũ autem non sint synonima aliter esset nugatio dicere, Deus iustus fortis,sapiens,& de eis verificentur contradictoria:nam intellectus diuinus intelligit , & voluntas non intelligit, ergo necesse est quòd aliqua distinctione distinguantur , & quoniam hæc.q.satis vulgata est,& à multis pertractata, ideo resolute procedens tria tãtum perstringam.primo opinionem B.Tho. secundo opinionem Greg.& soluam argumenta sua.tertio opinionem Scoti,& soluam rationes suas.

Quantum ad primũ opinionẽ B.Tho.perfectè habemus in 1.d.2.q.1.art.3.dico ꝙ stat in sex.primo ꝙ non distinguitur realiter,& in hoc cõcordãt oẽs,quoniã pluralitas absolutorũ destruit omnimodã simplicitatẽ,secundo ꝙ non sunt synonima, & in hoc cõcordãt oẽs ne fiat nugatio.3 ꝙ distinguntur rõne, ita ꝙ alia est ratio sapientiæ,alia iustitiæ:Intelligo aũt per rationẽ id,quod intellectus apprehendit de significatione huius nominis sapiẽtia & huius noĩs bonitas,& harũ rationũ subiectum quidẽ est intellectus,fundamentũ aũt & causa est diuina essentia,quæ sufficientissime correspondẽt, nec intellectus põt vnico conceptu eam sufficienter apprehendere,nisi intellectus diuinus. Dico igitur ꝙ distinguntur rõne, nõ solum ex parte intellectus,sed ex parte rei,& hãc cõclusionem sufficienter probat B.Thom.clarè in 1.d.2.q.1.art.3.ibi.Quantũ vero ad quartã &c.Diffusius autem Capr.in 1.d.8.q.4.in probatione secundæ quæstionis,ibi adducit quatuor rationes. vide tu.

1.non distinguntur realiter.

2.nõ sunt ſynonima.

3. diſtinguntur ratione.

4. non plus diſtinguũtur quã ratione ſumpta ex parte rei.

Capr. ad.8. q4.

Quarto non distinguntur plus quam rõne sumpta ex parte rei.i.cui correspondet natura rei: quoniam apud B.Tho.non datur distinctio nisi realis, autem rationis,& non distingũtur realiter vt conceditur,ergo non plus quam ratione.

Quintò non solum istæ rationes plurificantur ex extrinseco.i.ex eo , quòd in creaturis cognoscimus has perfectiones distinctas,& sic de eis distinctas rationes formamus quas Deo attribuimus, sine tamen diffinitione reali diuersarũ perfectionum:sed etiam ex intrinseco.i.ex plenitudine,& excedẽtia diuinæ perfectionis,quæ nec vno cõceptu , nec vno noĩe sufficienter manifestari põt.Vnde dixit B.Tho.in 1.d.2.q.1.ar.3.ibi. Sed tñ si intellectus videns Deũ &c.quod esset necesse Beato si de essentia diuina formaret cõceptũ, multiplicare cõceptus, & noĩa propter eãm dictã.vnde secundũ Chrysostomum. Quidam Angeli laudãt Deũ vt Maiestatẽ, & quidã vt bonitatẽ &c.

5. Iſtæ non pluriſicãtur tantum ex extrinſeco, ſed etiam ex intrinſeco ex plenitudines diuinæ perfectionis.

Quòd istæ rõnes nõ plurificãtur solũ, ex cõnotato in creaturis.i.ex eo, quod diuersus effectus causat in creaturis.ꝙ ꝙ Deus dicitur bonus,quia cõmunicat se creaturis, ꝙ dicitur iustus,quia præmiat vel ponit iusta,iuxta opera &c.sed quia istę perfectiones verissimæ sunt in Deo,& licet sint vnũ, tñ cõcepibiles plurib.rõnib.ab intrinseco.i.ex correspondentia,& ꝙ quiualentia diuinæ essentiæ, quæ in se cõtinet eas. Et sicut sapiẽtia in creaturis distincta,à Iustitia fundat distinctã rõnẽ iustitiæ: ita diuina natura & nobiliori modo stante sua simplicitate fundat distinctas rationes: æquipollet enim ex sufficienti distinctissimis & etiam oppositis realiter. Hæc est summa distinctionis B.Tho. & eius intentionis, quam intendimus defensare contra Gregor. & Scot. Isti enim sunt principaliores. Et scias quòd illi teneant extrema, vt videbis , & B.Thom.medium contra rationabilius,nam Sco.quod forma liter ex natura rei,ac intrinsecè Greg. extrinsecè pconnotata.

6. Non diſtinguntur tãtum cauſaliter quia diuerſos eſſectus cauſant ſed quia res riſtimi ſunt à Deo et quę nis ſint vnũ ſufficienti diſtinctiſſimis & etiam oppoſitis realiter. Hæc eſt tamẽ cõcepti biles ſunt pluribus.

Quantum ad Gregorium,aduerte quòd in 1.dist.8.q.2.art. 3.in principio , quia tenet quòd non distinguuntur ex natura rei contra Scot. nec ratione ad sensum B.Thom.præponit distinctionem trium membrorum , & in secundo articul.adducit quartum membrum, ego aũt sic ordino eum breuiter.Aliqua possunt distingui ratiõe quadrupliciter, primo quia sunt distinctę tiones vel cõceptus,sicut cõceptus hoĩs & lapidis, vt sunt formati ab intellectu,& sic attributa non distinguuntur ratione, quoniam non debent conceptum, sed rem significatam , quæ est perfectio & res æternaliter existens.

Secundò,quia sunt plura , & vniuscuiusque est propria distincta ratio , sic homo & capra distinguntur ratione , & hoc modo attributa non distinguntur ratione, quoniam falsum est,quòd sint plura,imo quid vnum simplicissime in Deo,hæc enim est identica,bonitas est iustitia.

Tertiò,quia aliquid vnum potest concipi distinctis rationibus , & inquantum concipitur vna ratione, ac fundat eam, differt à se vt fundat & concipitur sub alia ratione , & in hoc sensu dicit Gregor.intelligitur quæstio, & ponit quæstionem negatiuam,quam probat pluribus rationibus,& quoniam hic est sensus B.Thom.ideo volo soluere eas,sed prius pono quar tum membrum.

Quartò quia alia est ratio vnius à ratione alterius , hæc tamen alietas rationum non ex diuersitate rei significatæ , sed præcisè ex diuersitate extrinseeus connotatorum siue in complexo,siue complexe significatorum , vt sol alia ratione dicitur calidus,quia causat calorem in extrinseco.p.in aqua , & alia ratione dicitur siccus , quia causat &c.istæ tamen rationes non significant diuersa in sole,quia eadem fundamẽti qualitatẽ causat, hos diuersos effectus. In hoc sensu tenet Gregor.& non aliter quòd attributa distinguantur ratione in Deo.p.dicitur Misericors, quia liberat nos à malo,dicitur bonus, quia se ipsum communicat nobis. Hanc suam imaginationẽ nõ probat ratione,nisi quia apparet sibi quòd non aliomodo saluentur inconuenientia. p.quòd in Deo non sit multiplicitas absolutorum. Fundat autem seipsum suprà dictum Magistri in 4.dist.46.in c.sed quomodo inquit.Vbi magister sic arguit. Iustitia Dei,& misericordia sunt idẽ,qa sũt essentia Dei,ergo non sunt alia opera Iustitiæ, & alia opera misericordiæ: & rñdens , magister dicit his locutionib.non diuersitas rei subiacentis , sed varietas sensuum & effectuum in creaturis monstratur hæc ille. Ecce inquit Greg.quòd dicit varietatem non sumi ex parte rei diuinæ , sed ex parte effectuum , ergo ex diuersitate præcisa , connotatorum extrinsece. Hoc est totum fundamentum Gregor.qui si B.Thom.aduertisset in primo d. 2.9.q.1.articul.3.Ibi,qui contra dixerunt quòd pluralitas &c. Non tantum magnificasset se,nam Beat.Thomas illic excusat hanc opinionem,& dicit quòd est vera inquantum ad occasionem multiplicandi has rationes. Nam quia intellectus noster ex creatis in Deum ascendit & aduertit has perfectiones distingui re & ratione in creaturis,& quod causantur à Deo, iõ prima occasio multiplicandi has rationes sumpta, est ex effectibus connotatis,sed vt dicit Bea.Thom.hæc non est totalis causa multiplicandi has rationes. Nam & si nullam creaturã fecisset Deus in se talis est, vt posset fundare omnes has rationes.Dicendum ergo est Magister non tangit totalem causam, sed solum causam,quæ fuit prima occasio in nostro intellectu multiplicare has rationes.

Nunc igitur adducam præcipuas rationes quibus probat Greg.tertium membrum distinctionis, in quo stat sensum B. Thom.esse falsum & soluam eas, licet easdem Capreol.adducat,& soluat in primo d.8.q.4.contra secundam.Compendiosè igitur procedens propono fundamenta.

Vna res vt æquipollet diſtinctis realiter põt ſundare diuerſos cõceptus vt eſt vna.i. non adæquatum. Exemplum ſolis.

Primum est, stat aliqua rem esse vnam simpliciter æquipollere,tamen pluribus distinctis realiter,inquantum vna est apta fundare vnum conceptum , sibi adæquatum inquantum æquipollet distinctis, est apta fundare plures conceptus, quorum nullus adæquatur ei, sed quilibet partitur rem illam non realiter, sed obiectiuè , vel secundum quod fundat hunc conceptum,ex qua partitione,potest dici res plurificata obiectiuè: inquantum est obiectum vnius conceptus distinguitur à se ipsa,vt est obiectum alterius conceptus,stante tamen semper sua vnitate reali. Exemplum patet in lucem solis, quæ vt vna,apta est concipi adæquatè vno conceptio:vt autem æquipollet calori,& siccitati,& humiditati,est apta fundare plures & inquantum fundat conceptum calotis distinguitur à se ipsa, vt fundat conceptum siccitatis,& huius distinctionis causa æquipollentia ipsius lucis ad plures qualitates. Intellectus autem partialiter concipiens complet hãc distinctionem,ex hoc fundamẽto,tenemus has propositiones verificari cõtra Greg:

Prima aliqua ratio,siue conceptus non adæquatus, sed partialis est alicuius rei , & non est eiusdem rei prout diuersimodè æquipollet multis. patet ratio principij,est ratio puncti,vt incolat,& non est ratio puncti,vt terminat.

Secunda , eadem res sit plura entia rationis. Non quòd res vna realis mutetur in plura entia rationis, sed quia vna res æquipollens, multis præsentata intellectui in adæquate secundum virtutem efficitur fundamentum plurium in adæquatorum conceptuum bene quòd sunt conceptus , tot possunt dici obiecta correspondentia.

Tertia,vna res , vt fundat conceptum adæquatum est vna i nse,sed sit plures obiectiuè partialiter in intellectu.

Quarta,hæc propositio res distinguitur ratione à se ipsa est vera secundum in hoc sensu, res vt habet ordinem ad hanc rationem. p. punctus vt habet ordinem ad rationem principij qui ordo est habitudo fundati , ad fundamentum distinguitur à seipso:vt habet ordinem ad aliam rationem .p. finis , distinctione quædam non secundum se,sed ad intellectum.

Quinta , licet accidentia non distinguant rem aliquam à se ipsa, tamen diuersæ rationes distinguunt, quoniam accidentia licet inhæreant rei, nunquam sunt ipsa res rationes autem sicut, & species intelligibiles, sunt ipsa res inesse intelligibili, & ideo si rationes partiales, multiplicantur & ipsa res multiplicatur obiectiualiter,partialiter.

Sexta, licet distingui secundum rem non conuenlat enti rationis sumendo ly , distingui secundum rem pro distinctione reali,tamen enti reali,conuenit distingui re & ratione, vt homo differt ab asino re,& defectiue , & ideo dato quòd nullum ens rationis differat re à se ipso, tamen non inconuenit ens reale distingui ratione à se ipso. Ex his propositionib. simul cum fundamento,videbis soluta sex argumẽta Gregorij, quæ cum recitentur à Capreol. vbi suprà nolo aliter adducere. vide tu illa &c.

Tertium fundamentum,dato quòd aliqua res æquipolleat multis,& fundet plures rationes,quarum vna non est alia,imo aliquando sunt rationes oppositæ,tamen non est necesse concedere quòd distinguatur ratione à se ipsa , sed sufficit dicere, quòd est vna secundum rem, & distinguntur secundum rationem. ideò fundat distinctas rationes , & hæc via videtur probabilior:quoniam distinctio alicuius à se ipso importat distinctionem intrinsecum in esse rei,quo d non est totum ideo,nec re,nec ratione,Præterea vt inquit Capreol.si non sequitur Pater & Filius distinguntur , realiter & Pater & Filius sunt eadẽ res, ergo eadem res distinguitur realiter à se ipsa:sed bene sequitur,ergo in eadem re stat distinctio realis , sic in proposito non sequitur, ergo in eadem re stat, distinctio rationis. Ex hoc fundamento patet , quòd argumenta Gregorij non tangunt viam nostram,quoniã dato quòd eadem res habeat plures rationes.hęc tñ consequẽtia non valet quasi eadem res distinguntur ratione à se ipsa. Et omnia argumenta sua tendũt ad probandum falsitatem consequentis,quam iuxta hanc, responsionem concedimus,sed negamus cõsequentiã, & si sic responderis,Greg.concordat nobiscum , quantum ad hoc dicit enim d.8.q.2.artic.1.ibi ad aliud de agere, & pati &c.Dici potest , quòd scilicet attributa differunt ratione , quoniam ratio secundum vnum,non est illa ratio, quæ est secundum aliquid nomen.sic tamen semper remanent , quòd res illa non re,nec ratione differt à se ipsa,sed rationes adinuicem , & nomina se ipsis,& rationibus differunt, hæc ille & sufficiat quantum ad viam Gregorij.

Quantum ad viam Scoti,aduerte quòd eandem distinctionem tenet , vt dicit ipse in primo d.8.q6.3.ibi ista autem non identitas formalis &c.inter diuina attributa, & inter essentiã, & proprietatem in patre.f.innascibilitatem, & paternitatem; hanc autem distinctionem , ponit mediam inter distinctionẽ rationis,& distinctionẽ realem,ita ꝙ est maior distinctione rationis, & minor distinctione reali. Tria igitur agenda sunt primo ponentur oẽs distinctiones formalitantium Scot.quas ordinauit infra.in q.28,ar.2. Secundò declaranda est distinctio ex natura rei,quam tenet Scot.vbi s. inter diuina attributa, in quo sensu,potest acceptari in via nostra,& in quo non.& consequitur possumus arguere cõtra Scot.in sensu , in quo acceptat eam,hæc videbis à nobis resoluta in q.28.artic.2. Tertiò resoluendæ sunt principales rõnes Scot.qb sustinet distinctionẽ ex natura rei, inter diuina attributa. Tu igitur aduerte ꝙ Capreol.in 1.dist.8.contra primam adducit 6.rõnes.non quidẽ, ꝙ oẽs sint Scot.formaliter,sed partim Scoti,partim sequentium

tium ipsum,& si aduertes inuenies,quòd omnes rationes illę concludunt attributa non distingui præcisè ratione sumpta ex parte intellectus collatiui,quòd & nos concedimus ,& qñ infertur primo distinguntur,ex natura rei, negabis hanc consequentiam ad sensum ,quem tenet Scotus de distinctione ex natura rei,quam declarauí infra in quæst.28.articu.2.sed inferes tu,cõtra distinguũtur ratiõe ex parte intellectus,& ex parte rei : vt declarauí suprà in declaratione opinionis B.Thom. verum quia Capreol.non recitat rationem Scot.nisi dist.8.q.3. ibi,ad quæ respondeo,& dico quæ tamen est principale motiuum suum,ideo adduco eam,& soluo,sic igitur dicit Scot.

Scot. quòd inter diuinas perfectiones sit distinctio ex natura rei.

Inter diuinas perfectiones est distinctio, præcedens intellectum omnimodo ,& est ista quòd sapientia est in re.p.in Deo ex natura rei,& bonitas est in re ex natura rei , & sapientia in re formaliter, non est bonitas in re : his verbis proponit quæstionem suam.quomodo autem intelligat sapientiam in re formaliter non esse bonitatem in re:declarat infra:dicens.est igitur aliqua non identitas formalis sapientiæ & bonitatis , inquantum earum essent distinctę diffinitiones,si essent diffinibiles.diffinitio autem, non tãtum indicat rationem causatam ab intellectu, sed quidditatem rei , est ergo non identitas formalis ex parte rei.hæc ille. ex quib. constat quòd cùm diffinitio apud ipsum,indicet quidditatem,& duæ perfectiones diuinæ si diffinirentur primo modo, haberent distinctas diffinitiones ,quòd duæ perfectiones important duas quidditates, quas concedit esse formalitates in re,ex consequenti duas entitates absolutas præcedentes intellectum omnimodo.& distinctione eas dicit esse distinctas ex natura rei,quã nos Thomistæ in tali sensu negamus, quoniam nõ concedimus talem distinctionem formalitatum quidditatis entitatis in diuina essentia. Hanc igitur quæstionem sic declaratam probat tali modo,sapientia in communi non est formaliter bonitas in cõmuni. ergo sapientia infinita non est formaliter bonitas infinita,quasi distinguntur ex natura rei. Antecedens patet,include re formaliter , est includere aliquid in sua ratione essentiali, ita quòd sic diffinitio includentis assignaretur inclusum esset diffinitio sua, vel pars diffinitionis. constat autem q bonitas in communi non est diffinitio, nec pars diffinitionis sapiẽtiæ in communi,ergo &c.Consequentia autem sic,probatur,infinitas addita alicui non aufert rationem formalem eius, quoniam in quocunque producto inueniatur, remanet ipsum formaliter,sicut in omni gradu albedinis,conseruatur albedo ex consequenti ratio formalis albedinis. ergo si sapientia in communi non est formaliter bonitas in communi , cum sapientia infinita sit verè sapientia,& bonitas infinita sit verè bonitas,sequitur quòd sapientia infinita non includit formaliter bonitatem infinitam, ergo distinguntur formaliter.

D.Tho. negat distinctionem formalitatum ẽ diuina essentia.

Probatio Scoti.

Ad hoc respondeo primo quòd apud B.Thom.sumendo distingui formaliter,prout idem est, quòd habere distinctas rationes formales in intellectu fundatas, tamen in re argumentum non concludit , nisi quòd sicut sapientiæ in communi, & bonitatis in communi est alia,& alia ratio formalis, sic de sapientia infinita , & bonitate infinita ,sed tunc negatur vltima consequentia,quasi distinguntur ex natura rei, sed bene sequitur, quasi distinguntur rationibus sumptis ex parte rei.Secundo si ly,distingui formaliter sumitur pro vt idem est quòd habere distinctas formalitates in re, ex consequenti apud Scot. distinctas quidditates,nego consequentiam.ad probationem, cum dicitur,infinitas &c.nego illam probationem quando ab eo,cui additur aufert vniuocationem sicut est in proposito in via nostra , quoniam sapientia in communi non est quid vniuocum ad sapientiam infinitam & finitam,& ideo non est mirum si sapientia infinita immutat rationem formalem sapientiæ in communi, nam in non vniuoco,non stat vna verè ratio formalis communis suis contentis,& quoniam Scot.tenet vniuocationem talium communium nominum, vt prædicamenta de Deo & creatura, ideo apud ipsum argumentum est appatens,sed non apud nos.Tertio sumendo ly, distingui formaliter,in eodem sensu,nego consequentiam.ad probationẽ,dico quòd illa propositio infinitas &c. non est vera nisi in re, quæ est infinita in aliquo genere.p.linea infinita, vel albedo infinita,in re autem,quæ est simpliciter,& in ratione entis infinita, illa propositio est falsa , quoniam talis res vna existens continet in se omnem gradum entis , & omnem perfectionem, vnde sapientia infinita est bonitas infinita & iustitia,ita quòd dicit eandem formalitatem. idest quidditatem loquendo ad sensum Scoti de formalitate:

In responsione ad tertium argumentum,in articulo aduerte quòd B.Thom. intendebat sic arguere à superiori ad inferius affirmatiuè non valet , sed ens est superius ad viuens & sapiens,sicut esse aduiuere,cum igitur Deus sit, ipsum esse nõ valet, ergo est viuens &c.& respondens intendit negare quòd arguitur sic,quoniam Deus non est esse contrahibile per viuere,sed est esse subsistens in se continens omnem gradum essendi sine contractione:pro tota tamen responsione,vide expositorem,quoniam text.B.Thom.bene exponit.

ARTICVL. III.

Vtrum aliqua Creatura possit dici similis Deo.

CIrca titulum,aduerte duo.primo quòd intentio primi articuli huius quæstionis, diximus in tertio hoc articulo, intendit quærere vtrum Deus ita sit perfectus secundum quãlibet perfectionem,quòd nulla creatura sit similis.p.q. Deus tantum habeat sapientiam quòd quæcunque inueniatur in creatura, non possit ei comparari. Vnde intentio sua non est principaliter quærere de perfectione creaturæ,sed de quantitate cuiusęunque perfectionis diuinæ incomparatione ad per fectionem creaturæ. Aduerte secundo quòd dicit aliqua Creatura,vt præseruet se à diuinis personis,inter quas stat æqualitas perfectionis,vt dicemus in tractatu de Trinitate,vel vt dicit expositor vt præseruet se ab alio Deo, quoniam nondum probauit impossibilitatem plurium Deorum,sed id reseruatur in quæstio.xj.tunc enim patebit quòd nec alius Deus potest esse similis Deo ,quoniam similitudo supponit possibilitatem extremorum.

Cum omne agens agat sibi simile,inquantum est agens,vsque ibi fortius agentes. Aduerte quòd hæc propositio sumpta est ex septimo metaphys.textu 30.vbi inquit philosophus, Palam vero ex dictis, quia modo quodam omnia fiunt ex vniuoco,& in 12. metaphysi.textu 13.dicit postea quæque subsistentia ex vniuoco fit , quæ quidem propositiones non verificantur simpliciter,nisi vt dicit complexor,in 12.metaphysic.com. 13.in fine, in causa per se ad differentiam accidentalis , non enim inter musicum ędificantem & domum est similitudo, nec vniuocatio,ratione musici,& ideo dicit B.Thom. quòd est similę, inquantum est agens. idest quantum ad illud quod est sibi ratio agendi,hoc autem in ędificatore est , ars ędificandi, siue domus in mente,& in causa principali ad differentiam instrumentalis,& in causa proxima,ad differentiam remotæ, siue vniuersalis. In alijs autem productionibus per se sufficit q aliquis gradus similitudinis seruetur qui ponitur in artic.p. quæ principalis similitudo virtualis , vt inter solem calefacientem , & aquam calefactam , vel similitudo in forma generica.p.quòd aſ. generat aſ.Corpus generat corpus, & hoc intendit B.Thom.cũ dicit, sed secundum similitudinem generis , vel similitudo in forma siue perfectè analogicè dicta de causa & effectu,& hæc sola seruatur secundum doctrinam nostram inter Deum, & Creaturam:nam ens causat ens , bonum causat bonum, sapiẽs causat sapientem &c. & quoniam in hoc gradu similitudinis nõ est determinata proportio inter causam & effectum. ideo tenet infimum locum &c. In responsione ad quartum, Aduerte pro authoritate Dyonisij duo , primo quòd in loco,hoc ea dicuntur esse vnius ordinis, quæ ita se habent quòd vnum nõ necessario præcisè, & formaliter pendet siue causatur ex altero,vt duo alba,duo realia eiusdem figuræ,& inter hæc stat mutua similitudo,& æqualitas.dixi non necessario præcisè,& formaliter , quoniam dato quòd vnum causetur ab altero , hæc causatio erit materialis & accidentalis. Nam licet homo per se generet hominem:tamen humanitas sortis formaliter sumpta,non causatur formaliter ab humanitate.p.Platonis , sed & per oppositum,illa dicuntur diuersorum ordinum, quæ ita se habent quòd vnum necessario præcisè , & formaliter pendet ab altero, & non è conuerso, sicut in speculabilibus , scientia pendet ascibili,imago ab imaginato,Creatura à primo agente & quantum ad relationem situatur in tertio modo relatiuorũ posito ab Aristotel.in 5.metaphys.& inter hæc non stat mutua similitudo,sed tantum ex parte dependentis, ad independens. Aduerte secundo quòd cum dicit, non autem in causa, & causato,nõ accipit causam & causatum absolutè, & vniuersaliter, quoniam esset falsum,quòd inter nullam causam & causatum sit mutua similitudo .diximus enim quòd quando sunt eiusdẽ speciei, stat mutua similitudo, vt inter Sortem generantem & Platonem genitum, sed accipit causam,& causatum , quando causatum per se formaliter pendet à causa , sicut homo à sole, Imago,ab imaginato , effectus à prima causa. tunc enim semper sunt diuersorum ordinum , & ideo non stat mutua similitudo inter causam & causatum,sed tantum causati ad causam, vel potes dicere breuius , quòd tunc causa & causatum sunt eiusdem ordinis,quãdo causa est causata ab aliquo alio, quod est eiusdem speciei , vel generis cum causato eiusdem causæ , vt quoniam Sortes Pater prolis est causatus ab aliquo qui est eiusdem speciei cum Platone , ideo stat inter secundum causam & causatum , mutua similitudo , sed tunc sunt diuersorum ordinum , quando causa licet, sit causata vel possit esse,non tamen ab aliquo quod sit eiusdem speciei aut generis cum suo causato .licet enim imaginatum possit esse causatum,non tamẽ ab aliquo quod sit in genere suorum causatorum,& in his non est mutua similitudo quasi multo magis id seruatur in Deo,& hæc expositio est ad mẽtem Dyonisij.

Agens est sibi simile, inquantum est agens. idest quantum ad illud quod est sibi ratio agendi, hoc autem in ędificatore est, ars ędificandi, cuius quo ad rationem agendi in cã per se sufficit q aliquis gradus similitudinis seruetur qui ponitur in artic.p. quæ principalis similitudo virtualis, vt inter solem calefacientem, & aquam calefactam, vel similitudo in forma generica.p.quòd aſ. generat aſ. est similis secundum eãdem rõnem sua causa nõ sola seruatur secundum doctrinam nostram inter Deum, & alias.

Ille vnius ordinis quæ dicuntur, quorũ vnum non necessario, nec vna ro, vt duo alba, duo realia eiusdem figuræ, & inter hæc stat mutua similitudo, & æqualitas. dixi non necessario præcisè, & formaliter pendet siue causatur ex altero, quoniam dato quòd vnum causetur ab altero, hæc causatio erit materialis & accidentalis. Nam licet homo per se generet hominem:tamen humanitas sortis formaliter sumpta, non causatur formaliter ab humanitate.p.Platonis, sed & per oppositum, illa dicuntur diuersorum ordinum, quæ ita se habent quòd vnum necessario præcisè, & formaliter pendet ab altero, & non è conuerso, sicut in speculabilibus, scientia pendet ascibili, imago ab imaginato, Creatura à primo agente & quantum ad relationem situatur in tertio modo relatiuorũ posito ab Aristotel.in 5.metaphys.& inter hæc non stat mutua similitudo, sed tantum ex parte dependentis, ad independens. Aduerte secundo quòd cum dicit, non autem in causa, & causato, nõ accipit causam & causatum absolutè, & vniuersaliter, quoniam esset falsum, quòd inter nullam causam & causatum sit mutua similitudo. diximus enim quòd quando sunt eiusdẽ speciei, stat mutua similitudo, vt inter Sortem generantem & Platonem genitum, sed accipit causam, & causatum, quando causatum per se formaliter pendet à causa, sicut homo à sole, Imago, ab imaginato, effectus à prima causa. tunc enim semper sunt diuersorum ordinum, & ideo non stat mutua similitudo inter causam & causatum, sed tantum causati ad causam, Cã & causatum sunt eiusdem ordinis.

¶ Quæstio Quarta. De bono in communi.

ARTICVL. I.

Vtrum ens & bonum sint idem.

Bona dupliciter cõsiderãtur secundum ordinẽ transcendẽtium & sic, 1. ens. 2. vnum. 3. aliquid. 4. Res. 5. verum. 6. bonum. Alio modo secundum ordinem boni ad ęfectum.

CIRCA ordinem huius quæst. ad præcedentes,aduerte quòd dupliciter potest considerari ens , & bonum. primo quo ad rationes suas formales , secundum ordinem transcendentium,& sic quæstio hæc & sequens non essent rectè ordinatæ:nam cum post ens ante quodcunque transcendens concipiamus vnum, vt docet B.Thom. in 4.metaphys. & post vnum concipimus aliquid , & post aliquid concipimus Rem, & post rem concipimus verum, & vltimo bonum , vt declarauí in tractatu part. quem formaui de ordine transcendentium , patet quòd prius prædicatum verificatum de Deo, post ens erit vnum quasi non bonum secundo, secundum ordinem boni ad perfectum, de quo in qõ. præsenti tractauit, & sic rectè ordinatur , quoniam sicut dicit B.Thom. Aliquid sicut perfectum est,sic bonum est , cum igitur consideratio perfecti non compleatur nisi ex cõsideratione boni,rectè subsequitur,hæc quæstio. Sed dices cõtra qõ. tertia & quarta.malè ordinatæ sunt,non enim ad esse Dei immediatè,sequitur simplicitas vel perfectio,sed vnitas,& veras,quo enim ordine hæc verificãtur de ente in communi verificantur applicata primo enti, ergo &c.

Ordo ẽsitionum de Deo vt venit in cognitionẽ nostram.

Ad hoc dico quòd B.Thom.non intendit ordinare has quę stiones iuxta ordinẽ proprietatis entis, nec ipsius Dei , sed vt venit in conceptionem nostram,venit autem vt dicit B.Thom. ordinans quæstionem septimam,potius remotiuè,quam affirmatiuè, & ideo incepit à negatione cõpositionis , attribuens sibi simplicitatem , deinde à negatione imperfectionis attribuens ei suum oppositum,ad quod sequitur bonitas.

Quæstio triplex.

Sunt idem secundum rem , sed differunt secundum rationem tantum : Aduerte quòd ly, secundum rationem tantum, dupliciter potest exponi,primo quòd secundum rationem tãtum sumptam præcisè ex parte intellectus ratiocinantis , secundo ex parte rei significatæ.in primo sensu est falsum,in se cũdo est verum:nam eadem natura, quæ est ens & bonum alio modo fundat rationem entis,alio rationem boni vt declarabitur. Intendit igitur quòd ex parte rei distinguntur tantum ratione,& nullo modo realiter ad differentiam aliquorum, quę distinguntur ratione,& aliquo modo realiter, vt quãdo idem comparatur ad se ipsum vt munus in eludens ad magis includens. nam Sortes albus differt à seipso , vt Sortes est præcisè & ratiõe,& re idem Dyonisius suprà de supposito,& natura in materialibus, quoniam igitur res vt bona nihil reale addit ad seipsam,vt ens est,sed tantum respectu rationis vt dicemus, ideo dicit B.Thom.quòd differunt ratione tantum.

Appetibilitas non ẽsitur dicatur quid distinctum boni, sed ępria passio.

Ratio boni in hoc consistit quòd sit aliquod appetibile.Circa hanc propositionem tria inuestiganda sunt,Quomodo primo appetibilitas sit de ratione boni , secundo si conuertatur cum bono, tertio si facit bonum esse relatiuum.

Quantum ad primum,aduerte vt recitat Capreol.1.d.34.q. ad secundum contra secundam quæstionem quòd illa appetibilitas non est prædicatum,quidditatiuum & essentiale ipsius boni, sed consequens vt propria passio,sicut visibilitas consequitur colorem,& quando B.Thom.dicit quòd ratio boni cõsistit &c. intelligendum est quòd appetibilitas est de ratione boni vt identificata à posteriori & ex denominatione extrinseca.s.in ordine ad appetitum, & non sic,quòd sit differentia essentialis: ideo enim aliquid est appetibile quia bonum, & non est è conuerso , sicut aliquid est risibile , quia homo & non è conuerso,& quòd hæc ratio boni sit conueniens declarat B.Thom.in primo ethycorum, exponens textum bonum est quòd omnia appetunt, vbi dicit Thom.quòd cum bonum & verum sint trãscendẽtia,ex cõsequẽti, prima quæ cadunt in nostra apprehensione non possunt notificari per priora , sed à posteriori.Aduerte tamen quòd dicit expositor, si appetibile sumatur fundamentaliter.idest pro re,quæ est fundamentũ appetibilitatis , sic potest sustineri quòd sit de ratione formali & quidditatiua,& non solum notificatiua, & dicit hanc esse intentionem.B.Thom.in artic.sed cum B.Thom.in hoc artic. fundet se suprà philosophum in primo ethycorum, quasi videtur quòd in eo sensu teneat appetibilitatem esse , de ratione boni,in quo illic declarauit pręcipuè,cum illic dicit quòd prima non possunt notificari per priora,sed per posteriora vt causæ per effectus , quasi nec in hoc articulo potest notificari per priora.

Bonum vęrum vel appetibile cõparens cum appetibili cõuertitur.

Scotus.

Quantum ad secundum,Aduerte quòd apud S.Thom.sunt æqualis prædicationis bonum & appetibile,sumendo bonum pro eo,quod est vel æstimatur bonum,ita quòd malum vt malum non est appetibile:contra quod tamen arguit Scotus , vide eum in 2.d.43.quæst.1.ibi vtrum voluntas creata, vt recitat Capreol.in 2.d.34.q.1.contra secundam quæstionem,sic apprehendatur odium Dei,ab aliquo intellectu creato non errãte, & per consequens non apprehendat illud , sub aliqua ratione boni,sed malitantum,quæro aut voluntas , potest velle illud aut non , si sic habetur intentum.si non, ergo oportet ratione esse prius excecata ita.s.quòd iudicet esse bonum Deũ odisse. sed hoc est inconueniens, quoniam secundum articulos parisienses:stante ratione recta in vniuersali & particulari actu, & habitu voluntas,potest peccare,ergo potest odisse Deum, ratione non excecata.

Stante rõne recta nõ peccat voluntas oportet enĩ in ratiõe fiẽ defectus aut obliquitatis aut inconsiderationis.

Ad hoc dico, quòd non potest velle illud stante ratione recta,& concedo,quòd oportet rationem prius excecari , & ad articulos Parisien. dicitur quòd non acceptantur nisi in hoc sensu quòd voluntas habet potentiã peccandi , non tamen de facto exibit in actum peccati,nisi ex defectu rationis, qui defectus sit aut obliquitas , aut in consideratio , &c. vt manifestius erit cum loquemur de peccato Angeli.

Relatiuum duplex secundum esse est hoc nõ dicit nec ęfectionem, nec imperfectionẽ, et secundum dici, et hoc dicit, quo ad absolutum.

Quantum ad tertium. Aduerte secundum doctrinam Beat. Thom.de verit.7.q.21.art.6.quòd relatiuum est duplex:quoddam est, cuius significatum est respectu vt pater , filius &c. Et tale non dicit perfectionem , nec est perfectiuum appetitus, nec est conuertibile cum ente,quia non omne ens est respectiuus,quoddam est , cuius significatum est absolutum, sed ad ipsum consequitur respectus, vt scientia, imago & mensura, & tale potest dicere perfectionem ratione absoluti importati. Ex his dico quòd appetibile non facit bonum esse relatiuum, primo modo sed secundo modo,& dicitur relatiuum secundũ dici vel quia conceptum,conceptu relatiuo, licet sit quid absolutum.Ex his videbis soluta omnia argumenta in Capreol.in secundo.d.34.quæstio.1.contra primam quæstionem , concludunt enim de relatiuo in primo sensu , ideo non valet contra nos.

Appetibile facit bonum relatiuum secundum dici.

ARTICVL. II.

Vtrum bonum secundum rationem sit prius quam ens.

Prius rõne. i. apprehensione.

CIrca titulum , Aduerte quòd esse prius ratione , est esse prius apprehensione, vt sit sensus , cum eadem res sit apta concipi,vt ens,& vt bona,quæritur ante prius concipiatur sub ratione entis, vel sub ratione boni, ita quòd talis ordo sit non solum ex parte intellectus concipientis , sed ex parte rei fundamentaliter.

Rõnes formales multæ cum in eadẽ rei , natura fundẽtur vt homo fundat rationẽ entis et boni et substãtiæ, homo vt ens prius intelligibilis est quã vt bonũ vel vt substã tia et sic esse Deus vt ens quã vt bonũ et ita ens est primum inter se.

Et sic est primum intelligibile. Aduerte quòd expositor cõtra hanc propositionem sic arguit, si ens est primum intelligibile vel ex se,vel quo ad nos , si quo ad nos non satisfit quæsito. Vertitur enim in dubium, an ratio entis sit prior secũdum se quàm ratio boni,& non quo ad nos.si secundum se,contradicit his , quæ dixit in q.3. articu.5.ibi, non est prius Deo,neque secundum intellectum &c. Ad hoc dico quòd hæc propositio quòd ly , primum dicat ordinem ad alias rationes formales, quæ sunt aptæ fundari , in eadem natura rei.p.homo fundat rationem entis, & boni, & substantiæ,verum est dicere quòd homo vt ens est prius intelligibilis , quam vt bonus &c. vel quam vt substãtia, & sic in hoc ordine est verum absolutè , q ens est primum intelligibile,& verificatur etiam in Deo: nam cum diuina natura fundet rationem entis & boni prius fundare intelligitur vt ens,quam vt bona, quia bonum fundatur in esse,& hunc sensum intendit B.Thom.in articul.dum dicit

Universidad de Deusto

Primo in conceptione intellectus cadit ens. Secundo quòd ly, Primum dicat ordinem, ad alia intelligibilia, quæ sunt contẽta sub ente, p. homo Angelus Deus cælum, & tunc distinguo de talibus intelligibilibus, quoniam quoddam est participans esse, vel ens, vt omne intelligibile creatum, quoddam autem est ipsum totum ens perfectionaliter, & contentiuè, siue equipollenter & huiusmodi est solus Deus, & in hoc sensu proposito B. Thom. est vera in ordine solum ad intelligibilia participantia esse, non autem in ordine ad Deum, & sic patet quòd B. Thom. non contradicit sibi, nam cum dicit. 3. quòd non est prius Deo, secundum intellectum sumit ly, non in ordine ad intelligibilia, & non in ordine ad rationes formales, quæ ordine quodam fundãtur super ratione intelligibilium. cum autem dicit hic quòd ens est prius intelligibile, intendit in ordine intelligibilium, non abstractè, sed participatur ens & sic excluditur Deus.

Comparãdo intelligibilia inter se quæ sub ente continentur primum. Ita intelligibile est Deus cõparando rones formales vnumquodq; prius intelligitur inquãtumens, qui. Entis rõne comparatur ad aliquas rones formales, prior est aliis secundum rõnem ex parte res

Aduerte quòd quæstionem huius articuli, potes etiã aliter probare, & sic conceptus entis est absolutus, conceptus boni est relatiuus, ergo ille est prior, quoniam relatiuum fundatur in abstracto, quia conceptus boni addit super conceptum entis, quia bonum est, cui debetur esse appetibile: ens autem est cui debetur esse.

Compãrãdo autem ea quæ sunt sub ente inter se primo intelligibile est Deus qui est ipsum cẽ cum alia habeãt esse participatum.

In respõsione ad tertium, aduerte quòd B. Thom. intendit primam radicem cuiuscunque appetitus fundari in aliquo esse perfecto vel verè, vel apparenter. ideo enim appetimus, vt perficiamur: omne autem perfectum est, quòd apprehenditur non admixtum grandi miseriæ, accidit autem, quòd tale esse consequi non possimus, sed aliud esse admixtum miseriæ aduenit nobis. p. licet appetam esse liberum, tamen subijcior esse seruili, & si apprehendimus, non posse vitare seruitutem, non desinam esse, ideo vt fugiam seruitutem appeto non esse, appeto autem non esse in seruitute, quia appeto esse liberum, & damnatus appetit non esse in pœnis, quia appetit esse beatum, & ideo B. Thom. benedicit quòd esse est per se appetibile, nõ esse vero per accidens tantum, inquantum. s. quoddam esse. p. perfectum appetitur.

Primò, sed contra hoc aliqui arguunt probantes quòd non esse nullo modo est appetibile: quoniam si est appetibile magis quam esse in aliquo casu. p. in miseria quasi est eligibile, quòd falsum patet, consequentia falsitas probatur quicunque dicit malle hoc, quam aliquid eligit secundum Augustinum in lib. de lib. arbitr. cap. 13. sed non esse est aliquid, vt patet cum sit non ens, ergo non est eligibile,

Eligibile p se est aliquid melius et reddit appetẽtẽ meliorẽ. Nõ autem de eligibili per accidens.

Secundò, sic omnis electio est ad aliquid melius, sed nõ esse non est melius, quam esse vt patet ergo.

Tertiò, sic dicit B. Augustin. vbi s. quòd quisque eligit ratione appetendum necesse est, vt cum ad illud peruenerit etiã melior fiat, sed nullus efficitur melior ex non esse, quã ex esse vt patet, ergo &c. Ad hoc dupliciter respondeti potest, primo quòd omnia argumenta, concludunt de eligibili per se, tale enim est aliquid, & quid melius saltem extimatiue, & reddit appetentem meliorem, sed de eligibili per accedens, quale est non esse, quoniam suum oppositum est adiunctum miseriæ, prædicta argumenta non concludunt, quoniam omnes maiores sunt falsæ, secundo potest dici iuxta doctrinam D. Roberti Olchot. in 4. sententiarum. q. 7. iuxta finem. quòd appetitus, & electio potest cadere super incomplexum, vt appetu panẽ, scientiam &c. & potest cadere super infinitum verbi, vt appeto currrere, vel ædificare, quoniam cadis super incomplexum, tale est aliquid & bonum &c. quando autem cadit super infinitiuum non est necesse quòd cadat super aliquid, quoniam nulla res est currere in mente secundum terministas, & quoniam non est sicut non currere est infinitiuum, ideo potest esse eligibile, & tamen non est aliquid verum tamen sequere primam responsionem, quoniam melior est.

ARTICVL. III.

Vtrum omne ens sit bonum.

OMne ens inquantum est ens, est bonum, aduerte quòd ly, inquantum est -us debet exponi, inquantum est existens dicit enim subsequenter. Omne ens inquantũ est ens est actu, ex quibus insinuatur quòd bonum non conuertitur cum ente sumpto in tota sua latitudine, sed tantum cum ente reali actu, vnde entia rationis non dicuntur bona, nec entia in potentia non in ordine ad esse & propterea B. Tho. respondens ad tertium non concedit materiam primam esse bonam, nec in potentia, nec mathematice esse bona, vt considerantur à mathematico. Item aduerte quòd licet, probet intentum eadem ratione, qua probauit quæstionem primi articuli, ordine retrogrado, non tamen committit circulum, quoniam prima est à posteriori, appetibile enim est passio boni, secunda est à priori, quoniam esse actu est ratio formalis esse participaliter sumpti, quod solum conuertitur cum bono.

Bonum non conuertit cũ ente reali actu ex sententiõ entia entia in potentia non sunt bona, nisi in ordine ad esse.

In responsione ad primum, aduerte quòd responsio stat in hoc illa, quæ addunt. 3. ens sunt duplicia: quædam addunt modos generales, vt transcendentia, quædam modos speciales vt generalissima & subalterna &c. nullum autem addit differentiam ex 3. metaph. prima non contrahunt ens, sed tantum secũda, & quoniam bonum est inter prima. ideo licet addat, non tamen contrahit, quomodo autem & quo ordine transcendentia addunt super ens modos generales, vide B. Tho. in q. de ver. it. q. 1. articu. 1. ibi vnde oportet quòd omnes aliæ conceptiones.

Quæ addunt supra ens duplicia sunt, quædã modos generales quædam modos speciales entes ista cõ trahunt non illa.

In responsione ad quartum, sunt tria examinanda, primo quomodo hæc ratio B. Thom. valeat, mathematica, ideo non sunt bona quia non subsistunt separata, nam à simili: videtur quòd nec naturalia sint bona. p. homo leo, quia non subsistunt separata, vt volebat Plato, sed habent tantum esse in singularibus sensibilibus. hoc autem est falsum, vt patet, ergo ratio B. Thom. non valet. Ad hoc dico quòd mathematica dupliciter accipiuntur primo secundum se, & vt res sunt, & quoniam vt sic sunt termini rerum naturialium, & habent esse actu in substantia, vt in subiecto, ideo sunt bona, sicut etiam qualitates inhærentes substantiæ, sed in hoc sensu non loquitur de eis. B. Thom. nec philosophus in tertio metaphysicæ text. 3. imo sub hoc sensu. B. Thom. in 3. metaphysices in fine lect. 4. concedit quòd in eis est bonum, & idem probat philosophus lib. 11. secundo accipiuntur vt sunt subiectum metaphysices, & vt sic dicuntur abstracta, & separata à materia apud Pythagoram, secundum esse, apud Aristotel. & veros mathematicos, secundũ rationem tantum, quoniam nec de ratione lineæ, nec huius lineæ est aliqua materia sensibilis, & in hoc sensu principaliter loquitur de eis B. Thom. & Aristotel. in 3. metaphysices. text. 3, & vt sic separata cum non subsistant, nec ponant aliquod esse in rerum natura non sunt bona, ex his dico quòd instantia de naturalib. nulla est, quoniam nec secundum se, nec vt cadunt sub consideratione physica, sunt abstracta secundum esse, nec secundum rationem, & ideo ad hoc, quòd sint bona etiam vt cadunt sub consideratione physica, non est necesse quòd subsistant: ad hoc autem quòd mathematica vt cadunt sub consideratione mathematici sint bona, cum vt sic sint separata esset necesse, vt subsisterent, sicut sunt metaphysicalia vt intelligentiæ, quæ & secundum se, & vt cadunt sub consideratione metaphysica subsistũt separata, & quoniam Pythagoras censebat idem de methaphysicis & mathematicis, ideo secundum eos vt separata erant bona quia subsistunt, secundo quomodo hęc consequentia valer, abstrahunt à materia, & motu, ergo abstrahunt à ratione finis: nam in immaterialibus, & immobilibus, vt in substantijs separatis datur finis ex 12. metaphysi. tex. 36. mouet autem vt amatum, ergo consequentia B. Thom. non valet.

Ad hoc dico quòd cum consequentia B. Thom. fundetur super textu philosophi in 3. metaphysi. ex 3. vbi inquit finis autem cuiusdam actus est finis, sed actus omnes cum motu quærere, in immobilibus non contingit hoc esse. neque esse aliquid autho. non est vera nisi in sensu, in quo propositiones philosophi adductæ sunt veræ, licet autem prima sit vera absolutè. s. finis cuiusdam actus. ideſt alicuius operationis est finis, tamen secunda non est vera, nisi de actionib. materialibus s. actus omnes cum motu: sumendo motum pro motu physico & ex consequenti, hæc propositio quæ abstrahunt à motu, abstrahunt à fine, nõ est vera, nisi de fine acquisibili motu physico: nam intelligens gratia alicuius intelligit, & tamen ibi nõ est motus naturalis, sed metaphysicus qui est actus perfecti, vnde & tertia propositio non est vera, nisi de fine & bono acquisibili motu naturali. s. quærere in immobilibus non contingit &c. & sic sequitur quòd ratio B. Thom. concluditur in mathematicis non esse bonum, & finem acquisibilem per huiusmodi motum, & breuiter omnes propositiones Beat. Thom, hic in quib. ponitur motus aut mouens, intelligendæ sunt de motu physico, & si tu videbis in B. Thom. in 3. metaphysices lect. 4. circa finem: ibi hanc autem q. Aristotel. inuenies declarationem philosophi esse veram de fine, & bono, vt exposuimus. sed dices, ergo nec Aristot. nec B. Thom. sufficienter probat bonum, & finem non esse, in mathematicis ex quo potest esse finis & bonum sine motu physico.

Adhoc

Ad hoc respõdet virtualiter B. Thom. in eodem loco, & intendit, quòd in entib. immobilibus, quæ tamen sunt principia mouentia vt intelligentiæ, datur in eis finis, & bonum. gratia enim alicuius mouentis, dato quòd non mouentur. Item si darentur aliquæ substantiæ separatæ, vt Ideæ Plat. & nos ponimus angelos quòd licet non sunt principia mouentia respectu alicuius determinati mobilis, tamen intelligunt, & volũt, in eis erit bonum & finis ex solo motu metaphysico. Cum igitur mathematica non moueant, nec mouẽtur, nec intelligant nec velint, non potest eis inesse finis nec bonum ex motu physico nec metaphysico, & propterea Aristot. & B. Thom. probãtes, quòd in eis non est bonum ex motu physico, sufficienter probant intentum: quoniam cum non sint entia metaphysica, constatque aliomodo non potest eis inesse bonum & finis.

3. Quomodo B. Thom. satisfacit argumento, nam videtur sic arguere: in nullis mathematicis est bonum: omnia mathematica sunt entia, ergo quædam entia non sunt bona: argumẽtum est in Felapton: & maior est philosophi & 6. constat. sunt enim subiectum mathematicę, quòd autem nõ est non contingit scire, ergo. Ad hoc dico quòd B. Thom. occupans se ad declarandam Authorem & determinans quòd non subsistũt vt mathematica iuuit non esse concedendum simpliciter sextator, sed tantum in hoc sensu mathematica sunt entia separata secundum rationem, & tunc bene concludit, ergo quædam entia non vt entia, sed vt separata secundũ rationem non sunt bona. & hæc consequentia est vera, quoniam licet vt entia. i. vt secundum se considerata habeat esse actu, vel potẽtia, vt alia accidentia naturalia, tamen vt separata secundum ratio nem. i. secundum nullum modum abstractionis, nec existunt nec existere possunt, ideo non est in eis bonum, & hanc respõsion em intendebat B. Thom. cum dixit non est autem inconueniens, quòd in aliquo ente secundum rationem. ideſt sic cõsiderato ab intellectu non sit bonum, quoniam sub tali consideratione non est natum existere, & tamen nõ sequitur quòd sit non ens, quoniam sub alio modo est aptum existere, p. vt est terminus corporis naturalis, & hoc ideo est quia ratio entis est prior ratione boni.

ARTICVL. IIII.

Vtrum bonum habeat rationem causæ finalis.

ADuerte q. in tribus articulis comparans bonum ad ens, locutus est de bono secundum quid, in hoc autem, & sequentib. de bono simpliciter vt patebit in declaratione.

Circa titulũ aduerte quòd potest habere triplicem sensum. primo vtrum bonum, & causa finalis sint idem, & sic non quæritur hic, quoniam hoc constat, & est concessum ab omnib. in cuius signum Aristoteles in 2. physicorum, & in 5. metaphysices cõmento de causa cum loquitur de causa finali, adiungit bonum, inquit enim, alia vero. s. causa vt finis, & bonum aliorum super quod dicit commentator complementum & bonum & largitas non inueniuntur in reb. nisi per causam finalem, & ideo quod caret causa finali caret bono: hæc ille.

2. Vtrum bonum habeat rationem fundamentalẽ causæ finalis. i. vtrum bonum sit fundamentum propter quod aliquid fit: hæc enim est ratio causæ finalis ex 5. meta. & sic quidẽ sensus est verus & intentus ab Arist. & B. Tho. in 5. meta. cõmento de causis ibi. nam cuius causa optimum & finis aliorum. & B. Thom. illic inquit, quod enim agit, agit per se loquendo propter bonum, sed vt apparet in determinatione huius articuli, non videtur esse sensus hic intentus.

3. Vtrum bonum habeat rationem causæ finalis. i. vtrum bonum conueniat eum causa finali, siue cum fine in prædicato formali complente rationem finis, ita quòd ratio boni, sit ratio finis. & hic sensus est B. Thom. in hoc articulo, nam in art. 1. dixit rationem boni consistere in hoc, quòd aliquid sit appetibile, & in præsenti articulo dicit hoc autem. i. esse appetibile habet rationem finis, nam vt dicit in responsione ad primum appetitus est quasi quidam motus ad rem, vt appetibilem, bene concluditur quòd cum appetibile habeat rationem finis formaliter, & bonum sit quid appetibile formaliter bonum habebit rationem finis, aut causæ formalis formaliter, hæc est determinatio. B. Thom. in p. p. artic. vsque ad ibi, sed tamen ratio boni.

Sed tamẽ ratio boni. Aduerte vsque in finem articuli quòd intendit declarare quomodo sit potentiale bonum habere rationem causę finalis, cum causa finalis habeat rationem primi inter omnes causas ex 5. metaphys. & 2. physicorum, & bonum habeat rationem vltimi ex articul. 1. ad primum vbi dixit. bonam dicit rationem perfecti, quod est appetibile, & per consequens dicit rationem vltimi. hæc ille. & ideo intendit distinctionem implicitè, quam expresse posuit in 5. metaph. in commento de causis declarans causam finalem, quomodo habeat rationem vltimi & primi: est igitur distinctio hæc bonum & finis dupliciter considerantur. s. in esse, & in causare: quo ad esse habet rationem vltimi, & declarat ibi, videmus enim q. id, quod est primum quo ad causare habet rationem primi, & declarat ibi in causando aut primum inuenitur.

Videmus enim quòd id, quod est primum in causando, vltimum est in causato. Aduerte quòd sensus huius est id, quod est bonum in ordine causalitatis, est vltimum in ordine generationis, vel productionis in esse, & quoniam hæc propositio est metaphysicalis & vniuersalis, & quia prius in Deo, non potest declarari, nisi exemplariter ex his, vel illis visibilibus vnde B. Thom. declarat ex ordine inuento in igne, in quo videmus in ordine essendi formam ignis esse priorem calore ignis, sequitur enim naturalis sequela, & tamen in ordine causandi prius ignis calefacit, p. aquam, quam introducat formam suam in materia aquæ. ergo si generis est quòd primum in causando posterius est in esse producto. sed videtur hoc principium esse falsum, quia aũt intelligitur absolutè, & vniuersaliter & sic est falsum, quoniam bonitas diuina est prima in causando. quicquid enim de eis agit propter suam bonitatem agit, & prima in essendo cum sit in producta: præterea patet quod est falsum in exemplo adducto de igne, nã sic forma ignis, prior est in essendo, quàm calor ignis, ita prius causat formaliter ignẽ. i. facit, quòd ignis est ignis formaliter, quàm ignis calefaciat, aut intelligitur particulariter & sic licet sit verũ. p. in sanatiõe, in qua sanitas est prima in causando, & vltima in esse, tamen non satisfacit quæstio, hic enim quæritur de causalitate boni vt boni, & non tantum respectu boni huius, vel illius.

Ad hoc dicitur, quòd illud principium intelligitur abstractè, sed instantiæ procedunt ex malo intellectu ac si B. Thom. intendat quòd id, quod est primum in causando, illud idem numero sit vltimum in essendo. sed hic non est sensus B. Tho. quoniam instantia de diuina bonitate concluderet, sed intendit quòd siue numero, siue specie, siue genere, siue analogia sit vltimũ in essendo & hoc est vniuersaliter verũ, nã in Deo, ratio propter quam agit est bonitas sua, & sic est prima in causando. ideo autem agit vt producat bonitatem in creatura quæ boni tas est eadẽ analogicè cum bonitate Dei; & hæc est posterior in esse vt patet similiter. Instantia de igne non valet, quoniam cum dicitur id, quod est primum in causando non intelligitur de causalitate formali, quæ est respectu formæ constituentis suum compositum tale formaliter, sed de causalitate effectiua, & finali, vt patet in articul. quæ seruatur respectu alicuius agentis aliquid aliud, vel saltem ab eo distinctum realiter, vt agens est, quæ quidem causalitas finalis simpliciter, prior est effectiua & formali. Nam forma ignis non facit ignem formaliter, sed facit producta ab aliquo efficiente: produxit autem efficiẽs propter aliquod bonum, vt finem intentum. p. propter operationem, vel propter cõseruationem speciei, vel propter perfectionem vniuersi, hæc est responsio expositoris, quæ nõ videtur. B. Thom. nam vt patet in artic. ibi, sed tamen ratio boni præsupponit &c. non loquitur de bono, nec ex consequenti de fine absolutè, sed vt producuntur actione agentis, cum igitur bonorum & finium aliquid præsupponatur non existẽs in rerum natura, vt thesaurus inueniendus aliquod autem producitur per actionem agentis, dico quòd illud principium primum in causando ens sufficit, vt verificetur quando tale primum producitur in esse per actionem agentis, & hæc videtur intentio B. Thom. in 5. meta. cõm. de causis. quod facta declaratione causæ finalis, inquit sciendum autem est quòd licet finis sit vltimus in essendo in quibusdam, in causando tamen est prior. hæc ille. ergo secundum ipsum primum in causando & vltimum in essendo, non sunt æqualis ambitus & sic patet quòd instantia de bonitate Dei, non valet: instantia autem de igne saluatur vt suprà, & stante hac sententia patet quòd illud principium verificatur respectu eiusdem secundum naturam, sed dices ergo B. Thom. non comparat bonum, vt bonum ad alia, sed tantum bonum productum, vel producibile ab aliquo agente, sed hoc videtur falsum, quoniam. q. hæc est de bono in communi.

Ad hoc dicitur licet ex principali pro perfecto B. Tho. hic pertractet de bono in communi, tamen non inconuenit quòd aliquos articulos formet ad abundantiorem doctrinam, de bono in particulari vel particulariter, nam distinctio de bono, quam petractat in 5. artic. conuenit proprie secundum Augustinum bono creato, & distinctio pertractata in 6. articulo proprie conuenit bono habendo. licet vt dicit B. Tho. bono in communi etiam possit attribui, sic dico in proposito licet illud

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud principium possit saluari, vniuersaliter iuxta sensum datum ab expositore, tamen verius apparet in sensu à nobis dato, nec repugnat B. Thom. vt adduxi in 5. metaph. sic dicendũ mihi occurrit. Tu vero tene quod placuerit.

Bonum in triplici gradu.

Vnde ergo esse oportet in causato vsque in finem articul. Aduerte quod hęc declaratio distincta in triplici gradu sumpta est in artic. 1. in responsione prima, & intendit. In primo gradu cum dicit formam per quam est ens bonum secundum quid vt dixit. 3. In secundo gradu cum dicit, secundũ quod est perfectum in esse intendit bonum substantialiter. i. cum habet virtutem productiuam est bonum bonitate debita naturæ suæ, quo ad ea, quæ conueniunt ei per se & primo, & secũdo modo. In tertio gradu cum dicit, consequitur ratio boni per quam in ente, intendit bonum simpliciter, quo ad omnia debita rei, tam substantialiter, quam accidentaliter, tunc enim vt dixit in arti. 1. ad primum dicitur res perfecta simpliciter, & ibi dicit quòd perfecto finitur in ente per rationem boni. i. per habere omnia sibi conuenientia. Aduerte vltimo quòd ex quo B. Thom. conclusit bonum habere rationem causæ finalis, possumus elicere rem, ex eodem esse bonam, & ex eodem esse causam finalem. Est autem bona vt patet ex primo articu. propter esse quod est prima actualitas, ergo est causa finalis propter suũ esse reale, appetitur enim vt habeatur realiter, est tamẽ verum quòd non completur hæc causalitas nisi tale esse in intẽtione, & apprehensione sit, vnde est conditio sine qua non.

Rem ex eodem esse bonam et causam finalem est autẽ propter esse quæ est prima actualitas.

Esse in natura est ratio finis, in intentione conditio sine qua non, in executione effectus.

Quod autem esse in intentione non sit finis patet, quoniam infirmus non desiderat sanitatem cogitatam, & cognitam, quæ est in mente medici, sed sanitatem realem, quam tamen nõ appeteret nisi apprehenderet. Hinc patet deceptio Pauli Soncinatis. in 5 metaph. qõ. 3. quia nescivit distinguere inter causam finalem, & esse conditionem causæ finalis. credebat enim hãc consequentiam ineuitabilem esse, causa finalis nõ est res, quo ad esse in executione, sic enim habet rationem effectus, ergo est quo ad esse in intentione. Verum datur medium. s. quo ad esse reale possibile produci, vel acquiri, & in hoc stat causalitas finalis, adiuncta conditione prædicta. s. ꝙ apprehendatur, & quoniam de hoc ordinaui qõ. in secundo physicorum. recurre illuc.

ARTICVL. V.

Vtrum ratio boni consistat in modo specie, et ordine.

Circa titul. Aduerte quòd ly, bonum non sumitur abstracte, sed ꝑ bono creato, nã in q. de ver. q. 21. art. 6. sic proponitur. vtrum bonum creaturæ &c. & hæc fuit intentio Augustini, vt patet in lib. de natura boni, & ratio est in prõptu, quoniam diuinum bonum, existens illimitatum non potest subijci modo siue mensuræ, ponderi, & numero &c.

Item ly, bonũ stat pro bono cõcreato, & non creato. s. quod est bonum, vt quod, non vt quo, vt patet in artic. in responsione ad secundum, & in q. de verit. vbi 5. in responsione ad septimum aliter modi esset modus, speciei esset species in infinitum.

Item consistere in modo, specie & ordine dupliciter potest intelligi. primo vt in partib. integralibus suæ propriæ materiæ, sicut ratio hominis consistit in carnib. ossib. &c. secundo vt in partibus essentialib. & quidditatiuis, sicut ratio hominis consistit in animali, & rationali: expositor dicit intentionem B. Thom. esse in primo sensu, & non in secundo. tu tamen vide. q. de verit. qõ. 21. art. 6. 8. vbi B. Thom. declarans quomodo necessariò, in his tribus modis consistat ratio boni creati dicit quòd sicut nõ potest Deus facere hominem, qui non esset animal rationale, sic nec bonum &c. ergo potest interpretari intentio B. Thom. etiam in secundo sensu, & videtur magis consonum declarationi, quam facit August. in lib. de vera religione, vbi inquit quælibet res modum habet, quoniam vnum est, & speciem, quoniam distinguitur à cæteris, & ordinem, quoniam rerum ordinem non excedit, hæc ille: patet autem quoniam vnum & distinctio, & non excedens sunt prædicata essentialia. ergo &c.

Respondeo dicẽdum, quòd vnumquodque bonum dicitur &c. Aduerte quòd B. Tho. in declaratione horum trium aliam expositionem dat hic. aliam in 1. secundæ qõ. 85. art. 4. aliam in q. de ver. q. 21. 6. ar. quæ omnes sunt bonæ adaptiones, nec multum laborandum est in his, si tamen cupis reducere ad vnam in sententia. Vide expositorem ad placitum. Capr. autem in primo dist. 3. q. 3. in 4. quæstione acceptat omnes, vt conueniẽtes, nec quantum ad hæc patimur impugnationes. Item aduerte quòd super hæc tria fundatur vestigiũ Trinitatis, & solet inuestigari quomodo sint vnum, vel distinguãtur respectu eius, in quo sunt vnum, & comparata inter se, sed locus determinãdi hoc erit. 1. q. 93. quæ determinatur à Capr. in 1. d. 3. q. 3. in probat. 4. quæstionis, vide ad placitum.

Prę exigitur autem ad formam determino, & vsque ibi per modũ &c. Sed contra stante hac declaratiõe modi sequitur, ꝙ in bono creato abstracto, vt est Angelus non sit modus, quoniam non possunt in eo designari determinata efficientia, cũ sint à solo Deo qui est interminatus & infinitus, & cum careãt omni materia, ex qua, & in qua non possunt assignari principia materialia. ergo.

Ad hoc dico ꝙ ꝓpositio B. Tho. primo & euidẽter habet locũ in bono creato sensibili siue naturali, secundario verificatur etiam in abstracto, & cum arguitur quòd sunt à solo Deo, vt efficiente interminato, dico quòd cum B. Tho. dicit determinatio principiorum efficientium, potest dupliciter exponi. Primum quòd sit determinatum efficiens, vel secũdum se, vel vt est efficiens huius, & sufficit secundam partem esse veram. & verificatur de Deo: cũ enim producit Gabrielem per Idẽam Gabrielis non potest per eandem Ideam aliud producere, vnde efficitur determinatum eius producens. Secundo potest exponi ly, determinatum pro certo efficiente, quæcunque eẽ per se producuntur ita ab hoc, quod non ab alio producantur & sic verificatur de Deo, qui est certum & distinctum producens, efficiens ipsius Angeli, & iuxta hunc sensum obiectio tẽdit in æquiuoco, neque enim determinatum agens in hoc sensu opponitur agenti interminato. i. infinito, sed incerto, & vario, quale assignatur effectui fortuito, similiter obiectio de materia nõ valet, nõ enim B. Thom. sumit principia materialia, pro vera materia, sed pro vera materia vel subiecto & natura perfectibili suo esse, & talis superadditur qualitatibus & affectionibus. & secunda pars saluatur in Angelo.

In responsione ad primum, Aduerte quòd ex ea habes bonum nõ conuerti cum ente abstracte sumpto, sed vt perfecto. i. vt existente actu sicut suprà declarauimus in arti. 3.

Bonum non conuertitur cum ente abstracto, sed existente.

ARTICVL. VI.

Vtrum conuenienter diuidatur per vtile delectabile honestum.

Circa hunc articulum non cadit difficultas. Aduerte solũ quòd hæc diuisio boni est diuisio totius in partes subiectiuas, & fundatur in 5. Ethicorum, in cap. quod incipit. Differunt autem hæc adinuicem specie, vbi inquit philosophus. Tres enim amicitiæ, species sunt æquales numero amabilib.

¶Quæstio Sexta.

ARTICVL. I.

Vtrum esse bonum conueniat Deo.

Circa quæstionem huius articul. Aduerte quòd B. Tho. doctrinaliter procedens, & breuitati studens non curauit probare eam, nisi ex fundamento posito in q. præcedenti. s. ex distinctione boni, & intendit hanc rationem, quælibet res creata appetit suam perfectionẽ perfectio huiusmodi est effectus primi agentis secundũ quod communicat suam perfectionem creaturæ, ergo quælibet res appetit primum agens, ergo est appetibile, ergo bonum, hoc autem est Deus vt patet in secunda q. articul. 3. ergo &c. hanc autem propositionem perfectio autem est forma effectus &c. vsque ibi. similẽ sibi declarauimus in q. 4. art. 3. vide ad philosophum, poteris autem tu eandem quæstionem multipliciter ꝑbare ad maiorem doctrinam, & primo ex ratione philosophi, in 12. metaph. textu 37. ibi: at vero &c. quod bonum vbi declarat quòd coordinatio intelligibilium, & appetibilium correspõdent, ergo primum intelligibile est primum appetibile, sed primum mouens est primũ intelligibile cum sit maximè actu, ergo &c. secundo ex 12. metaph. text. 52. ibi perscrutandum autem est, vbi concludit vniuersum habere bonum intrinsecum: idest ordinem, & bonum separatum, quod est ipsius vniuersi, prius finis vt dictum est. tertio ex fundamento posito. in q. præcedent. art. 1. vbi inquit vnumquodque. in tantum est appetibile inquantum est perfectum, sed ex q. 4. Deus est perfectus, ergo bonus. quarto ex fundamento posito in eadem. q. art. 1. vbi inquit vnumquodque in tantum est perfectum inquãtum est actu, sed Deus est maximè actu, ergo maximè perfectus: ex q. 2. artic. 5. ergo non solum bonus, sed maxime bonus, vt has rationes tangit B. Thom. in primo contra gentiles. capitul. 36.

In respon

In responsione ad primum confirmatur id, quod dixit in q. præcedenti art. 5. vbi declarauimus diuisionem boni, & materiam, speciem & ordinem non conuenire nisi bono causato. In responsione ad secundum, Aduerte quòd B. Thom. in q. de verit. q. 22. ar. 2. format totum illum articulum ad propositum huius solutionis, declarans quomodo causa efficiens secunda non influit in effectu agendo, nõ influente causa prima sicut nec secundi fines influunt in effectu agẽdo, nisi primus finis, qui est Deus, influat: hoc autem influere, est desiderari. vide tu illic de desiderio implicito, & explicito.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus sit summum bonum.

Circa titul. Aduerte ly, *summum* debet exponi iuxta regulã supertlatiui *Deus sit bonum, & non sit aliud à Deo, ita bonum, sicut Deus &c.* Non autem debet sic exponi *& non sit aliud melius Deo:* cum hoc enim staret aliquid æquale ei in bonitate, quod B. Thom. intendit hic excludere.

Respondeo dicẽdum quòd Deus est summum bonum simpliciter &c. Aduerte quòd philosophus simpliciter innuit distinctionem de summo bono, quoniam aliud est summum in aliquo genere. p. fœlicitas dicitur summum bonum in genere bonorum humanorum ex primo ethicorum, vbi dicit philosophus summũ bonum, & fœlicitas non irrationabiliter videtur esse ex ijs bonis, quæ sunt huius vitæ. s. humanæ: aliud est summum abstracte & est illud, de quo dicit philosophus in primo ethicorum ad mẽtem Platonis. Quidam autem existimauerũt præter hæc multa bona aliud esse secundum se ipsum, quod est omnibus causa essendi bonum, hæc ille: & tale bonum quærere Deo, intendit hic B. Thom. Vnde asserunt hoc principiũ quod etiam fuit Platonis. s. sicut enim bonum Deo attribuitur inquantum omnes perfectiones &c.

Similitudo autem effectus contra causam quidem vniuoca, vsque ibi propter hoc dicitur summum bonum. Aduerte ꝙ si attendas ad exemplum solum datum à B. Thom. s. de calore solis, hæc ratio non concluderet Deum esse formaliter summum bonum, sic nec posset concludere solem esse formaliter summè calidum, sed tantum virtualiter, & ideo hæc ratio supponit determinationem præcedentis articuli. s. quòd Deus est bonus formaliter, deinde declarat in præsenti articulo, quòd cum sit causa non vniuoca omnium, excellentissime ei conuenit bonum formaliter, nam non inconuenit perfectionem effectus inueniri in causa æquiuoca & formaliter, & virtualiter, vt lux & diaphaneitas in cælo: aliquando autem tãtum virtualiter: sem per tamen siue hoc, siue illo modo excellentius reperitur in causa, quam in effectu.

In responsione ad secundum, Aduerte quòd in hac difficultate, *bonum est, quod omnia appetunt ly*, bonum posset tripliciter intelligi. primo pro vno, primo, & vniuersali bono, quale est fœlicitas &, sic diffinitio esset clara, sed hæc non fuit intento philosophi in primo Ethicorum, sed de bono in communi. secundo pro bono communi stante distributiuè. s. pro huiusmodi, & illo bono, & sic definitio esset falsa, quoniam vt dicit hic B. Thom. vnumquodque bonum non appetitur ab omnibus, vt patet.

Tertiò pro bono communi communiter tento, non quòd bonum commune. i. vniuersale appetatur, quoniam vniuersale vt vniuersale non est perfectiuum appetitus, sed quia si aliquid appetitur ad hoc ideo appetitur, quia continet aliquam bonitatem, siue veram, siue existimatam, & ideo benedixit expositor, quod si conuertatur manifestius, sic id, quòd omnia appetunt, ideo appetunt, quia est bonum, & teneat ly, omnia diuisiuè.

In responsione ad tertium, *siquidem sunt in diuersis generibus, nullo modo sunt comparabilia:* Aduerte ꝙ hæc rñsio fundatur in 7. physicor. text. 29. & 31. vbi philosophus non admittit comparationem inter ea, quæ sunt diuersorum generum secundum magis, & minus, non enim congrue dicitur, quòd acus est subtilior oleo, nec inter ea, quæ sunt vnuis generis, & differunt specie, non enim congruè dicitur album esse magis coloratũ nigro: sed cõparatio propriè inuenitur respectu alicuius specialissimi, vt A. est magis album quam B.

Sed aduerte quòd propositio B. Thom. quæ etiam est philosophi vt dixi, debet intelligi: quo ad prædicata, in quibus distinguũtur genere. p. acus, & oleum dicuntur subtilia æquiuocè, ita quòd subtilitas dicta de acu, differt genere à subtilitate dicta de oleo, vel aëre, vel voce &c. Et ideo in ea non possunt comparari cum hoc tamen stat quòd sint comparabilia in aliquo prædicato dicto de eis vniuocè. p. in frigiditate vel aliqua specie coloris: neque enim respectu illius distinguuntur genere, sed sunt eiusdem speciei specialissimæ vt acus, & oleum, inquantum frigida.

¶Quæstio Sexta.

ARTICVLVS III.

Vtrum esse bonum per essentiam sit proprium Deo.

Circa titu. Aduerte ꝙ ly per essentiam opponitur ei, quod est, per participationem, & distinguitur in hoc, quoniam tale per essentiam est primo & per se, & à se perfectissime tale, per non superaddita, quod autem est tale per participationem, est suppositis conditionibus.

Tale per essentiam.

Tale per participationẽ.

Item ly, proprium stat quarto modo, & æquipollet exclusiuè, vt proprium est homini esse risibile, ergo tantum homo est risibilis. Item ly per essentiam, quando stat à parte prædicati, exponitur cum conditionib. prædictorum, & hoc dico, quoniam cũ stat à parte subiecti, idem significat quòd per intrinseca vel per sui naturam, vel non per addita, & sic potest cõuenire alijs, quam Deo respectu alicuius prædicati substantialis, licet non respectu ly, boni, nam quælibet res per essentiam suam est vna, & Sortes per essentiam suam est homo: hæc tamen est falsa quælibet res est vna per essentiam, quoniam non est vna cum conditionib. prædictis: est ergo sensus tituli, vtrũ solus Deus sit per essentiam bonus. i. per intrinseca & non per superaddita, non autem quærit. Vtrum sit bonus per essentiã à parte prædicati, quoniam vt sic æquipollet summo bono, de quo egit in artic. præcedenti.

Hæc autem triplex perfectio nulli creaturæ competit. Aduerte quòd B. Thom. in prima perfectione supponit duo, primo quòd in quolibet creato distiguuntur essentia & esse: sed discutiendũ est infra, eum loquemur de Angelis. Secundo quòd nulla essentia creata ex se habet perfectionem, nec comparata alteri essentiæ est perfectior vel imperfectior: sed omnem perfectionem trahit ab esse. Hoc autem impugnat Scotus in primo, quoniam finitum, & infinitum entitatiue conueniunt rei in esse quidditatiuo: ergo in primo modo per se: ergo antẽ, omne esse actualis existentiæ: quoniã res in primo modo per se abstrahunt ab esse, ergo &c.

Ad hoc iam respondi in tractatu, quem ordinaui de transcẽdentib. & nunc breuiter dico iuxta doctrinam B. Thom. positam in q. 5. art. 9. ad tertium vbi non concedit materiam primã esse bonam, nisi vt habet ordinem ad esse, quòd essentiæ rerũ si præcisè sumantur, non dicunt aliquam perfectionem, nec sunt graduandæ secundum maiorem vel minorem perfectionem: & sic nego, quòd finitum, & infinitum entitatiuè conueniant eis in primo modo per se, si præcisè sumantur, quoniam radix omnis perfectionis est esse: si autem sumantur in ordine ad esse: p. quia hæc est apta nobilius existere: illa autẽ ignobilius, concedo, quòd vna potest dici perfectior altera, nõ quidem formaliter, nisi actu existat, sed fundamentaliter & si arguas, quòd apud philosophum in 5. meta. text. x. naturæ rerum sunt sicut numeri: ergo &c. Dico, quòd dictum philosophi nõ verificatur nisi in ordine ad esse. Aduerte etiam, quod in secunda perfectione supponit in nullo creato substantiam esse immediatum principiũ operis, sed id dilucide infra cum loquemur de potentijs animæ, quærentes, vtrum anima sit potentia sua,

ARTICVL. IIII.

Vtrum omnia sint bona bonitate diuina.

Circa titul. *bonitate diuina* non construitur in ratione causæ efficientis, constat enim quòd sic: quoniam à primo bono est omne bonum, sicut à primo ente est omne ens: sed construitur in ratione causæ formalis, & denominantis, vt sit sensus, *omnia sunt bona &c.* sicut aqua est calida calore, & homo est sciens scientia, & corpus locatum loco.

Aliquid ab extrinseco denominatri. Aduerte denominationẽ esse extrinsecam quando id, à quo fit denominatio non inest rei denominatæ. intrinsecam autem esse, quando oppositio modo. exemplum primi: lapis est visus visione quæ non est in lapide, sed in vidente: & lapis est locatus loco, qui est in locante exemplum secundi. Aqua est calida calore, & homo humanitate est homo.

Denominatio duplex ex trinseca & intrinseca.

Et quamvis hæc opinio irrationabilis. Aduerte quòd ibi intendit

ponere

Universidad de Deusto
Biblioteca

ponere discordiam, & concordiam Aristotelis cum Platon.& intendit quòd discordant in positione specierum naturalium separatarum:ex consequenti negat Aristoteles, quòd indiuidua denominentur ab illis, quia à non ente non fit denominatio.concordat autem, quòd detur vnum per se bonum separatum,ad quod omnia ordinantur,vt ad ducem,à quo pendet omne bonum in entibus particularib. vt patet in 12.metap.tex. 32.sed contra Aristoteles in 1. Ethicorum improbat Platonem ponentem fœlicitatem consistere in quodam per se bono,separato, quod secundum Platonem est causa omnis boni, ergo non concordat cum eo.

Ad hoc respondit B.Thom.in primo Ethicorum lect.5.vel 6.super tex.qui incipit.*Tenentes autem opinionem hanc.* & dicit Aristotel.non intendit reprobare Platonem,quantum ad hoc,q̃ ponebat vnum bonum separatum,à quo dependent omnia bona,nam ipse Aristoteles id concessit in 12.metaphysi.improbat autem eum quantum ad hoc, quòd ponebat vnum bonum separatum, esse quandam ideam communem omnium bonorũ, hæc ille.Idea autem secundum Platonem, vt sibi attribuit Aristoteles dicit rationem & essentiam communem omnium eorum quę participant Ideam,& ideo facto,hoc fundamento Aristoteles illic triplici ratione probat non dari hanc Ideam boni:primo quia quæ habẽt vnam Ideam,sunt vnius ordines: ita quòd in eis non est prius & posterius:sed oĩa bona non sunt vnius ordinis,cum quędã sint substantia,quædam qualitas,quędam actio &c.secundam & tertiam rationem vide tu ad placitum in 1.Ethic.in eodem text.& eadem lect.

Idea Platonis quid.

A primo igitur per essentiam ente,& bono,&c. vsque in finẽ art. Aduerte ,quòd hic ponit determinationem suam ad mentem etiam Aristotelis, & intendit distinctionem ex qua soluantur quæstiones:distinctio est hæc , omnia possunt dici bona bonitate diuina dupliciter.primo denominatione causali extrinseca quæ denominatio potest fieri à causa exemplari, & effectiua & finali,secundò denominatione causali intrinseca quæ potest fieri à materia & forma , dicimus enim gladium ferreum, quia constat ex ferro:& hominem animatum, quia habet animam.

Bona bonitate diuina dupliciter causaliter ex trinsecè intrinsecè realiter.

Prima Conclusio omnia possunt denominari bona bonitate diuina in primo sensu.est enim bonitas diuina exemplar, & efficiens,& finis omnis bonitatis. sed diuersimode fit hæc denominatio : nam secundum causam exemplarẽ fit per ly, ad vt omnia sint bona ad bonitatem diuinam,i.ad similitudinem tamen deficientem bonitatis diuinæ, secundum autem causam efficientem fit per ly , à:secundum vero causam finalem fit per ly,propter

Causa exemplaris ad,cã effectiua à, causa finalis propter.

Secunda Conclusio.Nullum potest denominari bonum bonitate diuina in secundo sensu; quoniam in absolutis,non est denominatio formalis nisi à forma intrinseca dante esse ipsi denominato:vanum enim est dicere, quòd sit homo albus albedine agni:sed bonum est quid absolutum: bonitas autem diuina est extrinseca ab oĩ creato, ergo:& propterea B.Tho.concludit,quòd vnumquodque est bonum bonitate sibi inhærente:dixi autem in absolutis, quoniam non ineonuenit in relatiis.Dicitur enim vrina sana, vt signum ex relatiõe signi ad sanitatem in animali & locatum dicitur ex relatione continentiæ passiuæ dlocum , & mensuratum , ex relatõie ad mensuram.

In relatiuis fit formalis denominatio à forma extrinseca. Res dicuntur bonæ bonitate diuina extrinsece. Non tamẽ dicuntur bonæ benitate diuina formaliter.

¶ Quæstio Septima.

ARTICVL. I.

Vtrum Deus sit infinitus.

CIRCA titul.ly,*Deus* proprijssimo significato pro natura diuina in concreto,vt sit sensus vtrum id,quod est Deus:ly , *Infinitum* dupliciter.s.quantitatiuè,& perfectiue :cõstat quòd ibi non quæritur in primo sensu,quoniam omnis corporeitas remota est à Deo. 5. quæstione 3.arti.primo.ergo finitas & infinitas consequentes corporeitatem.

In secundo sensu autem iterũ dupliciter,quoniã perfectiuè substantialiter,& perfectiuè attributaliter. Infinitũ primo modo est illud, cuius natura & esse non terminatur ad aliquos limites,nec gradus entis,sed permanet omnino interminatum. Infinitum autem secundomodo est illud , cuius perfectiones superaddita sunt illimitatę,vt si Sortes haberet potentiam motiuam infinitam vel scientiam infinitam:in hoc articu.B.Tho. intendit de infinito perfecto' : primo modo vt patet ex probatione quæstionis suæ,& correspondet.q.4.art.1.de infinito autem perfectiuè , secundo modo quæretur in q.25.cum loquemur de potentia Dei actiua,quæ se habet ad essentiam , vt perfectio superaddita,non requidem cum sint idem,sed secundũ rationem:cum igitur ibi sit sermo de infinitate tantum perfectionali substantiali,nõ oportet vt hinc solitas argumẽta quę adducit Capreol.1.d.43.q.1.contra quintam & sextam.probant enim quòd non habeat potẽtiam productiuam infinitam,nec infinitam motiuam: ex consequenti, quòd non est infiniti vigoris.soluentur autem in q.25.artic.2. Nunc autem sufficit,vt soluas argumenta quæ recitantur ibidẽ à Capreol.contra tertiam , tangunt enim propositum & probationẽ. Beat.Tho. vt dicemus.

Infinitum substantialiter ef fectiuè substantialiter. et perfectiuè attributaliter.

Omnes antiqui philosophi etc. Aduerte vt patet 3.physic.text.26. ibi:de natura autem omnes,quòd ly,omnes non stat absolutè, sed pro illis , qui posuerunt tãtum vnum primum principium omnium entium vt Thales. aquam &c.nam illic expresse dicitur, *finita autem facientium elementa.* puta qui ponunt duo tantum , aut quatuor.vt Empedocles , nullus infinita ponit,quoniam vt illic dicit B.Thom.distinctio elementorum contrariari videtur eorum infinitati.

Forma vero finitur per materiam inquantum etc. Aduerte, quòd hæc finitio non fit,quia materia det aliquid formæ , quoniam causalitas materiæ est tantũ recipere:sed ideo fit,quia eo ipso, quòd forma recipitur in materia non habet omnem modum perfectionis sibi debitum, secundum rationem suæ speciei:limitatur enim ad capacitatem sui susceptibilis,prout,& quodlibet accidens ad capacitatem sui subiecti.Item fit , non quia forma extrà materiam sit apta esse infinita secundum essentiã & secundum esse:cum sit ab alio producta, sed quia extra materiam nil pertinens ad perfectionem suæ speciei sibi deesset: in materia autem non habet totum illud:& hoc est ex defectu materiæ, quæ nõ potest ipsum sustinere:vnde sequitur,quòd forma non recepta in materia fit infinita secũdum quid , quia vna existens , habet totam suam amplitudinem sibi debitam: Et quæ recipitur in materia,non est infinita simpliciter,nec secũdũ quid:imo penitus artata ex gradu singularitatis, sumpto ex materia,ex his verbis soluta argumẽta Aure.in Capr.1.dist. 43.q.1.contra tertiam in primo loco , neque enim intelligit B. Thom.Credidit siquidem B.Thom.tenere formam non receptam in materia habere naturam infinitam simpliciter:similiter & esse,& q̃ materia finiatur recipiẽs formã, dãs finitatẽ ei & in natura & in esse,ac si nullã finitatem haberet ex se,& sibi intrinsecam sicut materia nullum habet esse ante aduentũ formæ : Sed hæc tam absurda non somniauit B.Thom. imo eius sententia fuit,quam adduximus cõformiter Capre.vbi suprà.

Forma autem non perficitur per materiam, vsque ibi, habet rationem perfecti. Aduerte quòd intendit finitatem formæ ex materia dicere imperfectionem.quod quidem est verũ sumendo formam metaphysicè prout conuertitur cum actu,nam intelligentia, non finita per materiam vna existens & completa habet omnem perfectionẽ suam, quæ vtique artaretur si vniretur materiæ vt forma naturalis: non autem est verum de forma tali, puta cui non competit esse , nisi per esse compositi,vt sunt formæ naturales,vel quæ non est producta gratia sui, sed vt compleat tertiam naturam , dato quòd habeat esse per se, qualis est anima intellectiua.

Illud autem, quod est maxime formale omnium est ipsum esse. Aduerte q̃ B.Tho. licet incepit determinationẽ suã à forma,& à finita te formæ & infinitate eiusdẽ per receptionẽ,& nõ receptionẽ in materia:tamen nunc rationabiliter . transit ad esse vt maxime formale,& ratio huĩ' est , q̃ a si stetisset in infinitate formæ ex eo,quod non recipitur in materia,non maiorem infinitatẽ concluisset de Deo,quam de Angelo.quæ est infinitas secundum quid.dato enim quòd aliqua forma non finitaretur per receptionem in materia, potest infinitari intrinsecè per differentiam per quam trahitur ad determinatum gradum entis, vt patet de Angelis.vt igitur concluderet infinitatem simpliciter de Deo,transiuit ad infinitatem, quæ debetur esse non recepto in aliqua essentia, hæc autem est infinitas simpliciter, quoniam cum esse vt esse dicat perfectionem non potest imaginari,quòd dicat perfectionem limitatè, nisi adiungatur limitatio essentiæ vt esse hominis,esse leonis,& propterea Bea. Thom.concludit Deum infinitum simpliciter ex irreceptibilitate diuini esse in essentia,sicut concluserat infinitatem , secundum quid alicuius formæ ex irreceptibilitate eius in materia:hinc videbis quòd Scot.in 1.dist.2.q.2.ibi, *vltimo ostenditur* non impugnat.B.Thom.quo ad sensum.credit enim B. Tho. in præsenti arti.concludere infinitatẽ Dei: ex hac ratione præcisè,forma finitur per materiam:ergo forma quæ non recipitur in materia,est infinita:talis est Deus,ergo:sed vt diximus: hæc non fuit mens eius , quoniam vt inquit Scot.si hæc ratio concluderet infinitatem simpliciter:omnis Angelus esset infinitus simpliciter.& propterea ex sua natura quælibet forma & entitas habet intrinsecè tantam vel tantam perfectionem, vt præintelligitur omni comparationi sui ad aliam essentiam, in qua est apta recipi , vel non recipi , ergo intrinsecè finitur, vel non finitur,& non solum per comparationem ad alterum. Dico igitur quòd B.Thom.ex forma non recepta in materia concludit infinitatem secundum quid , sed ex esse non recepto concludit infinitatem simpliciter , & secundum quid, sed contradicet Scotus: Quælibet entitas habet gradum intrinseeum suæ perfectionis in quo est infinita,si gradus est infinitus: vel finita,si finitus,ergo esse habet in se finitatem, vel infinitatem: etiam non comparando ad alterum , puta ad essentiam: ergo falsum est,quòd esse habeat finitatem,ex eo,quòd recipitur in essentia & infinitatem ex eo , quod non recipitur in ea, sed est per se subsistens.

Ad hoc dico,quòd licet esse in se sit tantæ perfectionis,puta finitæ,vel infinitæ: etiam non comparatum ad essentiam,vt receptibile vel non receptibile in ea:tamen talis finitas,vel infinitas non innotescit nostro intellectui,nisi per recipi,vel nõ recipi in essentia,hæc enim consequentia est clara nobis. hoc esse est in receptum:ergo est infinitum,& è conuerso.Vnde ratio B.Thom.est ratio à signo , & non à priori , quæ conueniẽs est nostro intellectui pro hoc statu ad pertractandum diuina modo metaphysicali: congruit enim quòd sicut concluimus, Deum esse ab effectu & à posteriori sic concludamus, Deum esse infinitum à signo. Ad argumentum igitur, concedo totum,sed non est contra nos.quia B.Thom.non intendit dicere primam & præcisam causam infinitatis ipsius esse consistere in irreceptibilitate in alio , sed quòd signum infinitatis est ipsa irreceptibilitas, sicut suum oppositum est signum finitatis: vnde patet quòd Scot.decipit se ipsum,credens B.Tho.in toto hoc articu.procedere à priori, cum tamen procedat à signo.Si autem vis tenere, quòd procedat à priori,dic, quòd licet forma & esse sint intrinsecè tantæ perfectionis: tamen hęc tanta perfinito sumitur ab extrinseco : quoniam ordinem habent ad alterum , sicut potentia sumit vnitatem, & distinctionem & perfectionem ab obiecto,& actum à termino: Vnde illa propositio Scoti nõ habet veritatem nisi in entib. quæ sunt gratia sui,& non sunt intenta propter alterum ,constat autẽ, quòd forma & esse sunt intenta propter alterum.

In responsione ad tertium, Aduerte, quòd intendit negare illam consequentiam quod ita est hic,quòd non alibi,est finitum secundum locum : ergo quòd ita est,hoc &c. & ratio est, quia omne,quod ita est hoc,quòd non alibi, terminatur loco distincto realiter, à locato , sed non omne , quod ita est hoc, quòd non aliud , terminatur aliquo principio quo distinguatur ab alio.potest enim se ipso distingui à quolibet alio, sicut albedo subsistens distingueretur se ipsa ab omni albedine recepta in subiecto,& propterea dato, quòd nõ sit omnis alia albedo formaliter,licet sit perfectionaliter,non tamen sequitur,quòd sit finitata ad aliquem gradum albedinis, sic in proposito,dato,quòd Deus distinguatur à lapide,& homine,non tamen est necesse,quòd sit finitus secũdum substantiam, quoniam se ipso stistinguitur : lapis autẽ distinguitur à Deo principio contractiuo naturæ lapidis ad certum gradum,puta differentia specifica, & ideo licet omnia distincta à Deo finitentur secundum substantiam , non tamen Deus , qui sub differentia non arctatur.

ARTICVL. II.

Vtrum aliquis præter Deum possit esse infinitum per essentiam.

CIrca titul.ly:*infinitum per essentiam* dupliciter potest exponi primo vt sit idem quòd habere infinitam perfectionẽ in sua essentia,& sic non quęritur hic:quoniã in q.6.art.3.conclusit quòd esse summum bonum ex consequenti continere in se perfectionem infinitam , est proprium Dei. Secundo vt sit idem quòd habere essentiam suam interminatam , siue illa essentia sit materiæ suæ , siue compositi siue formæ : intendit ergo vtrum sit,vel possit esse aliquid in rerum natura siue materiale siue immateriale , quod habeat essentiam , non limitatam ad certos terminos qualis est diuina essentia. In corpore articuli nota Capreol.difficultates. Quantum ad argumenta, aduerte quòd in responsione ad primum intendit negare hãc consequentiam.Virtus Dei est infinita:ergo potest producere effectum infinitum,& declarat quare , stante infinitate virtutis,non potest &c.Aduerte tamen quòd per illam propositionem.*Cum quantitas virtutis &c.* intendit probare consequentiã & respondens non facit mentionem de illa probatione : quoniam infra in quæst.25.ostendetur, q̃ virtus infinita deprehenditur non solum ex producto, sed ex modo producendi , puta ex nullo subiecto.

In responsione ad secundum intendit concedere infinitatem secundum quid,non autem secundum essentiam:quoniã tam Angelus, quam anima sunt terminatæ naturæ ad terminatum gradum essendi.

In responsione ad tertium per formas naturales intendit, quas potest inducere agens naturale præcisè, nã respectu Dei habet tantum potentiam obedientialem,de qua loquimur.

ARTICVL. III.

Vtrum possit esse aliquid actu infinitum secundum magnitudinem.

CIrca tit.ly *possit* stat pro potentia nõ solum naturali,sed ẽt logica,vt sit sensus. Vtrum non implicet contradictionẽ esse aliquid &c.ly.*secundum magnitudinem* stat præcisè per magnitudinẽ molis,nã de infinitate magnitudinis virtualis quęretur infrà in quæst.25.

Aliud est esse infinitum secundum essentiam,& secundum magnitudinem. Aduerte quòd esse infinitum secundum essentiam est habere essentiam, non limitatam ad aliquem gradum entis , sed contentiuã omnis entis,ex consequenti,non contractã ad genus,& differentiam.

Esse infinitum secundum magnitudinem est habere quantitatem non terminatã ad aliquẽ gradum vel mensuram. Differunt aũt istæ duæ infinitates, q̃m non repugnat vnam inueniri sine alia:nam in Deo datur prima & non secunda. In corporeis aũt si aliquid esset actu infinitum,puta Aer,daretur secunda & nõ prima,vt explicat B.Tho.de aẽre infinito.

Non tamen esset infinitum secundum essentiam,quia essentia sua,&c. Sed contra Aer infinitus vel ignis haberet virtutẽ caloris infinitam:quoniam in 8.physicor.text.51.in magnitudine infinita est virtus infinita:sed virtus infinita requirit essentiam infinitam:emanat enim ab essentia & radicatur in ea, ergo non potest excedere eam &c.

Ad hoc dico, q̃ aliud est ignem esse infinitum secũdũ essentiã infinitam:nã ad veritatẽ , prima requiritur q̃ habeat essentiã non limitatã ad aliquẽ gradũ entis', sed sit omne ens æqualiter.Ad veritatẽ aũt secundi sufficit, q̃ illa essentia sit illimitata aliqua illimitatione,puta quo ad quantitatem. Ad argumẽtum ergo dico ad minorẽ q̃ est vera infinitate magnitudinis, non aũt de infinitate quo ad gradus entis & sic B.Tho.concederet essentiã ignis posse dici infinitã : non tamẽ ignẽ esse infinitum secundũ essentiam. Et rationem adducit,dicens,quia essentia sua esset terminata ad aliquam speciem. Vtrum autem secũdum philosophum sit necesse virtutem existentem in magnitudine infinita esse infinitam intensiue, dicam in q.25.ar.2.

Corpus est magnitudo completa,dupliciter sumitur. Aduerte , q̃ hic non diuiditur corpus, quoniam vltra physicum.& mathematicum assignatur metaphysicum , quod dicitur esse ipsum compositum ex materia,& forma substantiali, vt præuenit aptitudinem sui ipsius ad quantitatem,& motum: sed diuiditur corpus,vt potest esse subiectum finitatis,vel infinitatis,nõ q̃ est, aut esse potest subiectum , nisi ratione quantitatis,quoniam finitum & infinitum sunt passiones quantitatis ex 1.physicor. corpus autem vt sic sufficienter diuiditur in physicum & metaphysicum : quoniam metaphysicum prænenit quantitatem: mathematicum dicit ipsam trinam dimensionem , & physicũ dicit complexum ex materia , & forma naturali, existens sub trina dimensione.

Nam omne corpus naturale &c. Aduerte q̃ hæc ratio sumitur ex primo physic.text.36.contra Anaxag.& ex 2.de anima text. 41.ibi *omnium natura constantium*,& in vtroq; loco exponens B. Thom.vtitur eadem quasi ratione,vt hic: Tu tantum aduerte quòd philosophus præcipuè in secundo de anima intendit de animatis , q̃ propositione augentur quòd in eis est terminata magnitudo,ex consequenti non potest dari animatum infinitè magnum.

Sed B.Tho.in præsenti art.accipit hãc vniuersalem, q̃ tam in animatis quã in non animatis nõ põt dari infinitũ secundũ magnitudinẽ:ex consequenti in omni corpore naturali dabile est maximum.

Cum igitur ad formam substantialem consequantur accidentia vsq; ibi *interq;*. Aduerte primo q̃ secundũ viã nostrã in eo instãti,in quo forma introducitur ĩ materia, cõcomitatur eã ,pprię qualitates,& ppea q̃titas, vt cõseruatiua ipsius formę in materia,

Universidad de Deusto
Biblioteca

originantur à forma, vt à suo principio licet recipiantur in cõposito: vt in subiecto: ita quod forma potest dici causa horum accidentium, & ipsa sunt effectus formæ.

Aduerte secundo, quòd consequentia B. Thom. fundatur in hoc: determinata causa, & limitata ad speciẽ, causat terminatos effectus & quo ad numerum, & quo ad gradum, aliter effectus excederet virtutem causæ. Sed omnis formæ naturalis est determinata ad speciem, vt patet: ergo causat determinata sua accidentia, & dispositiones quo ad numerum & gradum: ergo determinatam quantitatem, quo ad gradum, puta bicubitum, vel tricubitum, sicut & determinatam qualitatem, puta vt calorem, vt quatuor frigus vt duo.

Vnde omne corpus naturale habet determinatam qualitatem &c. Aduerte quòd dicit omne corpus naturale quod .habet esse per se & separatum, existens diuisum actu à quocunque alio, vt hic lapis, hic homo, siue sit homogeneum, vt hæc aqua siue hæterogeneum ad differentiam partium corporum naturalium inexistentium, & quæ non dicuntur habere determinatam formam, nec per se esse, sed participant formam, & esse totius: in his enim nõ datur terminata magnitudo in maius & in minus: Vnde solet dici, quòd in naturalibus datur maximum & minimum tam in homogeneis quam in hæterogeneis, separatim & per se existens, non tamen inexistens, & id pertractauimus in q. nostris super 1. physicorum: vnde recurre illuc, & in Capreol. in 2. distinct. 19. q. 1. conclus. 1. Verum quia B. Thom. in tota, p. parte non ita ad propositũ loquitur de minimo & maximo, sicut hic, & Scot. in 2. distin. 1. quæst. 9. ibi, *sed contra hanc responsionem &c.* Laborat ad probãdum, quòd etiam non datur in homogeneis minimum existens, sicut nec inexistens, & philosophus in secundo de anima text. 41. videtur concedere ignem augmentabilem in infinitum ex cõsequenti nõ dari maximum ignem, ideo quantum ad minimum adduco argumenta Scot. quæ recitantur à Capreol. in 2. dist. 19. q. 1. contra primam & illa, quæ directè probat, non dari minimum separatim existens, incipiunt ibi, *Dicitur fortè quòd licet non sit aliqua caro.* & quoniam Capreol. clarè, & completè soluit ea, ideo vide tu solutiones eius, quas formalixauit expositor super præcedente articulo non recedens à sententia Capreoli: ideo ad libitum vide quem volueris, quia claræ sunt.

Quantum autem ad dictum in secundo de anima, quòd nõ detur maximus: ignis scias quòd illud dictũ exposui in quæstionibus nostris super lib. de anima, & est quæst. 15 in ordine, vbi post expositionem commẽtatoris, & Aegidij teneo, quòd philosophus non intendit de eodem igne numero, sed de aggregato ex plurib. ignibus, q licet videatur vnus, non tamen est verè vnus: igitur vide illam. q. in qua non discedo à mente expositoris in præsenti articulo.

Necesse est quòd ad terminatam formam sequantur terminata accidẽdia inter quæ est quantitas. Contradicit B. Thom. in 5. metaphys. cap. de ente, accidens consequens materiam, est quantitas: accidens consequens formam est qualitas: ergo hic malè computat quantitatem inter accidentia consequentia formam.

Ad hoc dico, quòd sicut materia est propter formam, sic omnia accidentia, quæ insunt materiæ ante aduentum formæ: sunt propter formam introducendam, & per consequens quãtitas: Ideo autem dicit in 5. metaphysic. quantitatem consequi materiam: quoniam primo diuidit materiam: & quoniam in nullo reperitur secundum viam nostram, in quo non sit materia: qualitas autem ideo consequitur formam, quia remota materia, adhuc qualitas reperitur, vt patet in substantijs intellectualib. Et quoniam qualitas est vt instrumentum formę in agendo, non autem materiæ: quantitas autem, quoniam non est actiua, & multum habet de possibilitate, ideo ex hac ratione dicitur consequi materiam, vtpote potentiam & non actum.

Corpus autem infinitum nõ posset habere motum naturalem rectum.

Aduerte quòd hæc ratio potest trahi ex primo cæli text. 62. vbi probat Aureolus, quòd corpus infinitum non potest moueri motu recto. Sed aduerte quòd B. Tho. & philosophus loquuntur de corpore infinito, secundum omnem dimensionẽ, constat enim quòd cum occuparet omnem locum non posset moueri ad aliquem locum extrinsecum sibi: si autem daretur corpus infinitum secundum longitudinem ex vtraque parte: & finitum secũdum latitudinem nõ occuparet omnem locum: secundum latitudinem patet, quòd tale esset mobile motu recto: ergo posset transferri per motum in latus in alium propinquum, vel distantem. Si vero daretur corpus infinitum secundum longitudinem ex vna parte, puta ex parte orientis, & finitum ex parte occidentis, esset immobile ex vtraque parte motu recto in longum: & quidem ex parte orientis patet, quoniam occupat omnem locum in longum sibi correspondentẽ: quod etiã ex parte occidentis probatur: quoniam si moueatur versus occidentem: ergo relinquet aliquam partem loci versus orientem, & sic non erit infinitum: quod est contra positum.

Sed contra hoc arguitur, creet Deus corpus graue infinitũ ex parte sursum, & finitum ex parte deorsum, ita quòd stet suspensum à terra per vnam lanceam, & relinquatur naturæ suę, tunc quæro aut descendet, aut non, si sic, habetur intentum: si non: ergo violentum erit perpetuum. Præterea corpus finitũ graue positum in illo spatio descendet: ergo & infinitum: quoniam pono per casum, quòd sint eiusdem speciei.

Ad hoc dico, quòd non descendet: quoniam stante casu, nõ daretur sursum respectu illius corporis sursum enim est versus cælum, & non extra cælum, per consequens non daretur deorsum. omnis autem descensus est à sursum deorsum, excõsequenti non erit violentum si non erit sursum: quòd autem dicitur de corpore finito graui, non valet, quoniam vltra hoc, quod esset eiusdem speciei, respectu ipsius seruatur sursum, & deorsum, quod nõ seruatur respectu corporis infiniti: & ideo non est eadem ratio. *Et similiter etiam secundum motum circularẽ.* Aduerte quòd hæc ratio est philosophi in primo cæli. text. 35. & est prima in ordine: sed aduerte quòd Gregorius in p. d. 44. q. 4. art. 3. ibi *ex hac conclusionem inferro quòd philosophus non demõstrauit &c.* licet concedat demonstrationem factam de motu recto, tamen hanc de motu circulari conatur soluere, & dicit ad illam consequẽtiam: pro tractis duab. lineis, sequitur quòd infinita distantia pertransiretur. Infinitum spatium esse per transitum, potest intelligi dupliciter: primo quòd certa pars successiuè pertranseuntis commensuret se infinitis partibus spatij sibi æqualib. quarum vna sit prima & aliqua vltima pertransita: & sic concedit consequens esse impossibile, sed negat consequentiam, quoniam dicit ipse, inter nullas lineas sic protractas intercipitur distantia infinita, signatis quibuscunque duabus lineis, sic ẽgredientibus à centro, siue cubitalibus, siue bicubitalibus, & sic in infinitum: repugnat enim inter duo signata extrema dari distantiam infinitam. Secundo nulla pars pertranseuntis successiuè, commensurat se infinitis partibus & æqualib. sed finitis: quibuscunque enim & quotcũque vna se commensurat, alia remotior à centro plurib. se cõmensurat, & alia adhuc remotior plurib. & alia ad hoc plurib. & sic in infinitum cum remoueantur à cento infinitè: & tunc negat, consequens esse impossibile, & cõcedit conclusionẽ. hoc est enim pertransire infinita syncategorematice, quod non inconuenit, vt communiter conceditur, sed non aduertit Greg. quòd dato tali corpore infinito & protractis lineis, sequitur spatium interceptum esse finitum & infinitum categorematicè: finitum quidem quodcunque signatur inter duas partes, determinatè acceptas illarum duarum linearum egredientium à centro: infinitum autem, considerata tota distantia, ex quo lineæ illæ continuæ protenduntur, sine fine: ex quo sequitur quòd pertransitur spatium finitum sumpta quacunque parte signata in spatio, siue diuisim, & pertransitur spatium infinitum sumpto toto spatio intercepto, siue coniunctim, licet in infinito non propriè verificetur totum: fuit igitur mens philosophi, quòd pertransiretur spatium finitum in infinitum, & spatium infinitum sumptum totum, siue coniunctim. Gregorius autem considerauit hoc spatium partialiter. idest secundum omnem partem signabilem seorsum, & non considerauit totalitatem illius, & propterea credidit se soluisse rationem philosophi, declarans, quòd quælibet certa pars est finitæ quantitatis: sed ex hoc non sequitur. quin illud spatium sit coniunctum infinitũ, & vt sic pertransitum, licet diuisim nõ. & vt patet philosophus intendit de toto spatio, & non diuisim, ideo responsio eius tẽdit contra sensum philosophi. Et aduerte, vt dicemus infra in tota hac materia Gregorius seipsum decipit semper arguẽdo, & soluendo non ponens differentiam inter seorsum diuisum, & coniunctum.

De corpore esse mathematico: eadem ratio est. Aduerte quòd Gregorius in 1. d. 44. art. 1. ibi *secunda conclusio quòd possibile est esse aliquam magnitudinem* probat contra intentum B. Thom. quatuor medijs, quæ recitantur à Capreol. 1. d. 43. q. 1. cõtra tertiam ibi, *secundo loco arguit contra eandem conclusionem*: sed vt videbis in Capr. peccat primo in hac cõsequentia: finis nõ aufert rõnem magnitudinis, ergo nõ repugnat magnitudini potẽti existere actu: nos aũt negamus cõsequẽtiam: qm̃ infinitas repugnat actui, & infinitas magnitudinis, phibet collocarii in aliqua specie quantitatis, quod aũt non est locabile, in aliqua specie, põt existere. Reliqua tria, vt videbis in Capr. peccant arguendo à sensu diuiso ad coniunctum.

In respon

In responsione ad primum, Aduerte quòd philosophus in 3. Physicorum text. 71. ibi *non remouet ratio &c.* soluit eandem obiectionem, & respõdet eisdem propositionib. quib. B. Tho. vtitur hic.

In responsione ad primum, Aduerte, quòd argumentum videtur fundatum in 1. physicorum tex. 15. vbi dicit Arist. contra Melissum, infinitum in quantitate est, Item infiniti ratio congruit quantitati: & propterea necesse est vt responsio B. Tho. tendat ad sensum philosophi, non est autem sensus philosophi illic concedere, quòd infinitum possit inueniri in quantitate de facto, hoc enim negat tertio libr. sed contra Melissum qui ponebat ens infinitum, facit hanc cõsequentiam, si infinitum est: ergo quantum est: & hoc ideo quia hæc conditionalis est vera: si datur infinitum, non datur nisi in quantitate, substantia enim & qualitas non possunt esse infinitæ, nisi per accidens. i. ratione quantitatis: patet autem, quod ex illa consequentia nõ potest inferri, ergo infinitum potest esse, aliter ex hac consequentia, si datur vacuum, datur circa locum posset inferri, ergo vacuum potest esse: quod tñ repugnat philosopho 4. phys.

In responsione ad tertium, Aduerte, quòd hæc responsio habitur ex 3. physicorum text. 67. & verba B. Thom. illic sunt clariora: inquit enim manifestum est autem ex ijs, quæ dicta sunt libr. 2. quòd totum habet rationem formæ. i. perfecti, & partes rationem materiæ: cum ergo in magnitudinibus à toto itur ad partes per diuisionem, rationabile est, quòd ibi nullus terminus inueniatur, qui non transcendatur per infinitam diuisionem: sed in additione itur à partib. ad totum, quod habet rationem formæ & terminantis: vnde rationabile est, quòd sit aliqua determinata quantitas, quam infinita appositio non transcendit: hæc ille. Aduerte secundo, quòd Beat. Thom. in fine responsionis intendit hanc consequentiam: per additionẽ ascenditur ad totum, siue vt ad formam: ergo non inuenitur infinitum in additione magnitudinis: Circa quod nota, quòd antecedẽs debet sic intelligi: accedere ad totũ, vel vt ad formã simpliciter sine admixtione potentiæ: & hoc dico, quoniam in numeris materialibus, licet omnis numerus sit vt forma, & ex consequenti additio in numeris materialib. sit ad formam: tamen propter hoc non impeditur, quin additio in numeris sit in infinitum, quoniam ista additio non est nisi cum admixtione potẽtiæ. idest diuisionis ex parte cõtinui: necesse est enim fieri additionem in numeris, ex additione continui ex tertio physicorum, & quoniam diuisio tendit in infinitum, sicut & appositio in numeris: ergo infinitas in numeris potius est ex parte materiæ & potentiæ, quam ex parte formæ: in magnitudine autem simpliciter ex parte formæ. Et ideo si consequẽtia B. Thom. trahatur ex illo antecedenti, sic intellecto, erit bona. quantum autem ad consequens illius consequentiæ, nota, quòd non est absolutè intellectum: nam philosophus in 3. physicorum text. 59. & 60. ponit infinitum in magnitudine secundum appositionem, sicut & secundum diuisionem: & B. Tho. in multis locis cõcedit idem, præcipuè in tertia parte quæst. 5. art. 12. ad 1. Vbi ait si loquamur de quantitatib. mathematicis cuilibet finitę potest fieri additio, quia ex parte quantitatis finitæ non repugnat additio. hæc ille. Tu igitur limita ipsum consequens dupliciter. primo vt limitat philosophus in tertio physicorum text. 60. scilicet quòd non excedat quamcunque determinatam magnitudinem, dummodo fiat additio per partes proportionales in infinitum, vt illic declarat philosophus, & B. Thom. vide eum. secundo quòd non inuenitur infinitum in additione magnitudinis, stando præcisè in ratione continui, & hoc dico, quoniam si induit rationem discreti, non inconuenit: nam vt bonè inquit Capreol. in 1. d. 43. quæst. 1. in probatione quartæ conclusionis sicut quocunque numero dato, potest dari maior, ita quacunque magnitudine denominata à numero potest dari maior, & suprà bicubitam dari tricubitã, & quadricubitam &c. in infinitum, & hæc etiã est ratio, quòd species figurarum quæ denominantur à numeris, tendunt in infinitum: si autem stemus præcisè in ratione continui, est impossibile, quoniam ille accessus est ad totum, & ad formam, quæ habet rationem terminantis. Sed Aureol. vt recitat Capr. 1. distinct. 43 quæst. 1. contra quartam probat, quòd est impossibile simpliciter magnitudini, vt induit rationem discreti, ita addere, quod excedat omnem terminatum magnitudinẽ: quoniam secundum ipsum de facto esset dabilis magnitudo infinita actu, nam in tali magnitudine erunt possibilitates infinitæ distinctæ numeraliter per quas magnitudo potest crescere in infinitum, puta per vnam possibilitatem, etiam crescet bicubita, per aliam vt tricubitam: sed ex omnibus istis possibilitatibus, potest integrari vna totalis possibilitas, quæ ab aliqua potentia potest reduci ad actum, ergo est dabilis magnitudo, infinita actu.

Ad hoc concedo illas infinitas possibilitates: sed nego quòd ex eis possit integrari &c. imo dico quòd necesse est, si vna ponitur in actu, aliam esse possibilem poni, ita quòd non nisi successiuè sunt ponbiles in actu: ideo per nullam potentiam possunt simul poni actu, quoniam repugnat ex natura rei infinitas actu in magnitudine.

ARTICVL. IIII.

Vtrum possit esse multitudo infinita in reb.

IN titul. stat *multitudo* absolutè & est sensus, vtrum possit esse multitudo, siue in abstractis siue in rebus materialibus. & in hoc eleuat se super Aristotelem, quoniam in 3. pysicorum loquitur tantum de materiali multitudine, quæ causatur ex diuisione continui.

Dicitur enim multitudo infinita per se, &c. vsque ibi. *si infinito tẽpore.* Aduerte quòd multitudo infinita per se in hoc loco æquipollet causis infinitis, essentialiter subordinatis: & multitudo per accidens infinita æquipollet causis accidentaliter ordinatis, & inter has triplex est differentia: prima est, quòd in essentialiter ordinatis causa secunda, vt causat. idest, in quantum habet virtutem causandi, pendet à prima: in accidentaliter vero ordinatis non: licet in esse vel in alio aliquo modo possit dependere, secunda in essentialiter ordinatis est causalitas alterius rationis, quia superior est perfectior in causalitate, & essentialiter. In accidentaliter vero ordinatis non: nam omnes mallei sunt eiusdem rationis in causando gladium, & omnes homines in generando hominem. tertia omnes causæ essentialiter subordinatæ simul necessario requiruntur ad causandũ: alioquin aliqua causalitas per se deficeret effectui: In accidentaliter vero subordinatis non: patet enim quòd non est necesse vno malleo percutiente, omnes malleos percutere.

Per hunc igitur modum posuerunt. Aduerte quòd omnes conuenerunt. non posse dari infinitam multitudinem in essentialiter ordinatis. statim enim constat, vt deducit philosophus in 7. metaphy. quòd omnis causalitas tolleretur, quoniam in his secunda dependet à prima in causando, & media non causat, non mota à prima vt declarauimus in 2. q. articul. 3. in infinito autem non datur primum & hanc rationem etiam tangit Auicenna in lib. 5. suæ metaphy. cap. 1. vbi concludit esse ẽtatum in causis essentialib. vnde dicit in fine eiusdem capitul. non est opus nobis ostendere finitionem nisi in rebus quæ sunt per essentiam causæ, & in 6. capitul. dicit nõ nego causas non essentiales procedere in infinitum imo de facto debere hoc, &c.

Quia omnem multitudinem oportet. Aduerte quòd non dicit species multitudinis sunt species numerorum, quoniam non est necesse, species communioris adæquari speciebus minus cõmunis, vt patet de corpore animato, & de animali. multitudo autem communior est quam numerus, quoniam addit super ipsam mensurationem per vnum: sed dicit quòd sunt secũdum species numerorũ, quia. s. proportionatur specieb. numerorũ, quoniã non possumus cognoscere species multitudinis nisi à denominatione facta per species numerorum. vt pote notiores, vel potes dicere, q multitudo, & numerus sunt conuertibili, sed differunt secundum rationem magis & minus contracti, sicut ratio entis, & ratio vnius.

Item aduerte, q ratio B. Tho. sumpta est ex 3. physic. text. 55. vnde inquit philosophus neque possibile est quantitatem esse infinitã. quãtũ em aliquid erit aut bicubitũ, aut tricubitũ, hæc quidẽ significat quantũ. & Cõmentator expresè dicit, impossibile est quòd infinitũ dicatur quantũ simpliciter, nisi secundum quod habet aliquã speciem quãti. v. g. bicubiti, aut tricubiti: quantũ enim non inuenitur nisi in suis specieb. hæc ille. Est igitur ratio B. Tho. ratio philosophi. & Cõmentatoris differẽs solũ in hoc, q philosophus loquitur de quãto in magnitudine, & B. Tho. trahit ad multitudinẽ. sed hoc non impedit: qm̃ si omnis magnitudo est in aliqua specie magnitudinis determinata à numero. pari rõne omnis multitudo, sed aduerte quòd Greg. in 1. d. 44. q. 4. art. 2. ibi *ad aliam probationem dico quòd vtiq.* quoniã non obligat se philosopho: dicit hanc rõnem nõ cõcludere, qm̃ quãtitas. prima diuisione diuiditur p finitã & infinitã, & vtraq; in species suas, sed species finitæ denominãtur à numero, non autẽ species infinitæ: vnde concedit hæc consequentiam, ergo erit in aliqua specie quãtitatis, sed negat hãc, ergo in aliqua denominata à numero.

Sed cõtra: cum omnis species dicat aliquid determinatum sub suo genere, quoniam species rerũ sunt sicut & numeri, q variantur per additionem, & subtractionem, ergo omnis species quãtitatis siue finitæ, siue infinitæ dicit quid determinatum, ergo si datur quantitas infinita, non erit in aliqua specie.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnde patet quòd responsio Greg.non potest stare:

Præterea non dantur duæ species æquales sub eodem genere:ergo vna erit maior altera,ergo neutra erit infinita. Alij dicunt, quòd ratio D.Thom.& philosophi non est necessaria: quoniam philosophus sibi contradiceret:nam in 5.metaphysi. capi.de quanto dicit pluralitas quidem finita est numerus:ergo secundum ipsum non omnis pluralitas est numerus,sed tãtum finita.quasi excipiens infinitam,ergo nõ est necesse omnem quantitatem continuam siue discretam esse in aliqua specie numeri,vt videtur dicere in 3.physicorum.

Ad hoc dico, quòd intentio philosophi in 5.metaphys.non est excipere pluralitatem infinitam à finita, quasi quoddam possibile esse:determinauit enim oppositũ 3. physicorum, sed quo ad mensurationem quasi dicat, pluralitas finita est numerus,idest,mensurabilis, ad differentiam infinitæ, quæ si daretur non esset numerus : & hæc conditionalis vtique est vera: sed ex ea non potest haberi,quòd philosophus excepit quantitatem infinitam vt possibile esse,& est simile huic: omnis locus naturalis est conseruatiuus:per quam propositionem excipio vacuum,non vt possibile esse, sed quoniam si esset,non cõseruaret:sic applica in proposito.

Item omnis multitudo in rerum natura existens. Aduerte quòd B.Thom. intendit hanc consequẽtiam omnis multitudo &c. est creata,& omne creatum sub certa intentione creantis cõprehenditur:ergo sub certo numero : consequentiam probat: quoniam agens in vanum nil operatur, ergo &c. Quoad primam partem antecedentis,aduerte,quòd ly,rerum non stat vniuersalissimè,sed pro rebus terminantib.productionem creantis,& actu existentibus,ad differentiam rerum concausatarum quibus propriè non conuenit esse, vt accidentia communia,partes materiales,forma materialis,excepta anima intellectiua:& ad differentiam rerum præteritarum,vt sit sensus omnis multitudo rerum per se existentium,præsentium in rerum natura,est creata.idest,pendet effectiuè à Deo,dato etiam,ꝙ ad aliquarum productionem concurrunt agentia secunda.

Secunda pars antecedentis quantum ad ly, sub certa intentione,intelligitur de certa intentione finis intrinseci,& non solum extrinseci : ita quòd quicquid Deus creat, & producit, non solum creat propter bonitatem suam vel propter integritatem vniuersi,vt fines extrinsecos,sed propter proprium finẽ, qui est propria operatio ipsius rei, qui enim aufert propriam operationem rei,remouet rei naturam ex secundo cæli:& hoc dico,quoniam ex intentione finis extrinseci, tantum non valeret consequentia,ergo sub certo numero &c.Sed tãtum hoc valeret, ergo omnis multitudo rerum existentium est creata propter aliquem finem,ex intentione autem proprij,& intrinseci finis bene sequitur,ergo in certo numero : quoniam agẽs multos effectus ad proprios, & distinctos fines si non intendit determinatũ numerum,non totaliter comprehenditur sub intentione agentis: ergo agens primum vane & præter intentionem aliquid operatur,puta quòd sint tot,vel tot.

Item propositio assumpta ad probationẽ consequentiæ, nõ enim agens &c.debet intelligi de primo,& vniuersali agente, qualis est Deus,respectu cuius nihil est vanum,nec à casu, vt dicemus infra:non autem est vera de agente, indistinctè sumpto,aliter non seruaretur fortuna, & casus.Sed contra hanc rationem dici posset, quod concludit de multitudine creatorũ, essentialiter & per se ordinatorum, quã necesse est esse in certo numero,non autem in ordinatis per accidens, quales sunt animæ intellectiuæ:sic fortè responderet Auicenna.

Sed hæc responsio non valet, quoniam sub illo antecedẽte, omne creatum sub certa intentione creantis, quo ad intrinsecum finem comprehenditur,optimè subsumitur,omnis multitudo essentialiter & accidentaliter ordinata:licet enim in animabus. vna comparata alteri, non ordinentur per se, tamen omnes comparatæ Deo creanti, sunt ordinatæ per se: quoniam per se intentæ & ad per se intentos fines proprios productæ.

Impossibile est ergo esse multitudinem infinitam actu etiam per accidens. Sed contra hanc conclusionem duo insurgunt primo doctrina B.Thom.secundo argumenta Grego.nam B.Thom.in 2.contra Gent. 81.dicit non repugnare principijs philosophi, dari infinitum in actu.i.non essentialiter ordinatis substantijs separatis, quoniam philosophus in 3. physicorum & in primo cæli non loquitur nisi de infinito materiali.

Præterea B.Thom.in quæst.46.articu.2.concedit mundum potuisse produci ab æterno:ergo animæ potuerunt ab æterno esse:& cũ sint incorruptibiles,& multiplicentur secundũ corpora, nũc essent actu infinita saltem ex parte vnius extremi.

Ad primum dico,quòd loquitur ad mentem philosophi,hic autem secundum sententiam propriam: vnde dato, quod Aristotel concordaret cum Auicenna,& Alga:in separatis,tamen hic B.Tho.non assentitet eis,quoniam in p. parte determinat ex propria sententia.

Ad secundum de infinitate animarum. Aduerte quòd Beat. Thom.infra in q.46 articul.2.formauit idem argumentum, & postquam recitauit opiniones multas, dicit ex propria sententia, quòd hæc ratio est particularis propter quòd hæc consequentia non valet,mundus est æternus, ergo homo:stat enim primas partes mundi, scilicet quinque prima corpora esse æterna, non tamen hominem,nec posse esse, quoniam sequeretur dari impossibile,scilicet animas infinitas actu. Vnde ad argumentum B.Thom.negat primam consequentiam. Et si dicas, pono quòd diuina voluntas determinauerit hominem producere ab ærerno,sicut & mundum, ergo homo erit æternus & sic animæ erunt infinitæ actu.

Ad hoc dico cum Herueo in 2.distinct.1.quæst.1. articul.3. ibi ad secundum quòd illo casu posito, cum teneamus infinitum in actu omnino impossibile, animæ migrarẽt de corpore in corpus, vel desinerent esse in morte, Deo subtrahente influentiam suam ab esse actu:nam licet esse animæ non dependeat à corpore,tamen dependet à conseruatione Dei: & si dicas hoc non decuisset. Respondeo,licet non deceret secũdum hunc ordinem, quẽ nunc videmus in rebus, tamen dato illo casu alius ordo, & cursus fuisset in rebus possibilis Deo, pro quem Deus sufficienter remunerasset hominem bonum per hac vita,& malum punisset.2 Grego.vt recitat Capr.1.d.43.q.1. artic.2.contra tertiam, in primo loco format tria argumenta contra conclusionem B.Thom.Verum quia peccant per sensum diuisum, & compositum sicut & causa posita suprà, contra conclusionẽ de infinitate magnitudinis. ideo non adduco ea, vide tu Capreol.vel ex positorem qui & eodem modo soluit vt Capreol.sed compendiosius.

In responsione ad primum,Aduerte, quòd tracta est ex 3. physicorum text.57.ibi,*Non oportet autem.*

¶Quæstio Octaua.

ARTICVL. I.

Vtrum Deus sit in omnibus rebus.

CIRCA titul.Aduerte quòd ly, *Deus* stat pro substantia sua, vt sit sensus, vtrum Deus sit secundum suam substantiam in omnibus rebus,& ideo consonat. quæstioni præteritæ, in qua pertractatum est, vtrum Deus secundum substantiam sit infinitus, vnde hic articulus est consequens ad articul.1.quæst.præcedentis,nam bene sequitur, Deus est infinitus secundum substantiam, ergo est in omnibus rebus, secundum substantiam: quoniam proprium est infiniti esse in omnib.aliter non esset infinitum simpliciter.Non ergo quæritur in hoc articulo de virtute vel potentia Dei,sed id quæretur in 3.artic.

Oportet omne agens coniungi ei,in quod immediate agit &c. Aduerte ꝙ B.Thom.per ly,*agens* intendit agens proximum & per ly, immediatè intendit immediatione suppositi,& non solum virtutis, aliter enim si,intelligeret de quocunq; agente absolute, & de immediatione indifferenter, falsò fundaret se super dictum philosophi in 7.physicorum text 9.Dicit enim philosophus primum autem mouens, vnde est prius motus est simul cum eo,quod mouetur:& B.Thom.exponens dicit per ly,primum intendit vt distinguitur contra remotũ,quod nõ est immediatum mobili:patet ergo ꝙ intendit de primo.i.proximo & immediato suppositaliter. Præterea si intelligeret de agẽte & immediatione indifferenter, B.Tho.nõ concluderet intentum: patet enim, ꝙ hæc consequentia nõ valeret,omne agens cõiungitur &c.ergo Deus secundũ substantiã, vel secundũ se ipsum est in omnib.reb.sufficeret, enim ꝙ esset vel secundum substantiã, vel secundũ suam virtutẽ in reb.sicut sol est in inferioribus secundum virtutem, non autem secundum seipsum.

Cum autem Deus sit ipsum esse per essentiam, oportet quòd esse creatum sit proprius effectus eius. Aduerte ꝙ B.Tho.infra q.45. artic.5. adducit hãc eandẽ propositionem.esse est proprius effectus cãe pri' & vniuersalissimæ:& qm̃ Scot.impugnat eã ex ,ppõsito de creatione,ideo differo vsq; ad q.illã totalem defensionẽ pro nunc sufficit declarare mentẽ B.Tho.in præsenti articulo. Dico igitur quòd nõ intendit Deũ esse solã causam ipsius esse creati: nam omne generans deducitur ad esse ex quinto physicorum per diffinitionem generationis,sed intendit quod solus Deus est primo & per se causa esse creati: dico primo quia dat omnia

dat omnia,quæcunque pertinent ad esse:agentia verò nõ causant totum:non enim producunt materiam dico per se,dupliciter.primo quia propria virtute,causæ vero secundæ nõ propria virtute. Secundo quia respectu cuiusque creati agit per se tertio modo,nam immaterialia sunt à solo Deo,& materialia quo ad materiam primam.patet ergo quòd in omni creato Deus se ipso solo producit esse,vel secundum totum,vel secũdum partem. Et propterea dicitur propriè effectus Dei. Item aduerte, quòd B.Thom.intendit hanc consequentiam, Deus est ipsum esse per essentiam,ergo solus Deus est causa, primo & per se esse creati:ergo esse est proprius effectus Dei, secunda consequentia patet:prima autem sic probatur: calidum per essentiam vt ignis est primo & per se causa omnis calefactionis: ergo à simili cum sit Deus esse per essentiam, vt ignis,est primo & per se esse creati, & propterea dicit B.Thom. sic ignire est proprius effectus ignis, suppletu,quia est primo & per se ab igne:si autem alijs conuenit,est quia agunt virtute ignis.

Esse autem est illud, quod est magis intimum cuilibet. Aduerte ꝙ esse dicitur magis intimum: quia est fundamentum omnium aliarum perfectionum,& est actualitas omnis formæ & naturæ vt dicit B.Thom.in q.3.ar.4.non enim bonitas aut humanitas significatur in actum,nisi per esse,vt bonitas est,homo est: & quoniam fundamentum est omnium : ideo vniuersalius est, licet enim plura careant multis gradibus essendi, non tamen ipso esse:aliter nullo modo existerent.

Vnde oportet,quòd Deus sit in omnibus rebus,secundum seipsum.idest,secundum substantiam suam,ex consequenti esse præsentem secũdum substantiam cuilibet rei creatæ, & deducitur ex hoc, quòd Deus est proximum agens respectu esse creati: proximum autem agens simul est cum suo effectu:sed contra hanc quæstionem insurgit Scot.multipliciter,primo ꝙ illa propositio , omne agens proximum est simul cum eo , in quod immediate agit,est falsa. Secũdo quòd propositio philosophi adducta à Beat.Thom.in 7.physicorum *motum et mouens, &c.*non valet in hoc proposito tertio , quòd ex toto processu articuli non potest B.Thom. inferre hanc consequentiam, Deus est in omnibus rebus.

Quantum ad primum , Aduerte quòd Scot.in 1.distin.37.q. vnica ibi *quando autem agens*, arguit dupliciter, primo quia sol per suam formam substantialem est proximum & immediatũ agens aurum in visceribus terræ & tamen non est simul cum auro,vt patet, ergo agens proximum potest agere ad distans. Dicetur fortè, ꝙ non agit per formam suam substãtialem, sed per radiũ siue lucẽ, quã necesse est attingere effectũ ,pductũ.

Sed contra dicit Scot.substantia non est nisi à substantia,aliter effectus esset nobilior sua causa:ergo radius non est productiuus substantiæ auri.

Ad hoc dicitur secundum doctrinam nostram, nulla forma substantialis est immediatũ principium actionis : sed qualitas sua est vt organum ipsius, in cuius virtute agit : vnde licet sit primum principium : non tamen proximum , & concedimus substantiam non esse nisi à substantia vt principio primo , & esse à non substantia.vt principio proximo , nec inconuenit effectum esse nobiliorem causa sua,nõ quidem principali,sed organica,secundo quòd agens proximum non possit agere in distans,quin prius agat in præsens , & sibi vnitum, est propter alteram duarum conditionum , vel quia in ipso agente sunt duæ potẽtiæ subordinatæ actiuæ,vt in sole illuminatiua & generatiua sic autem sunt subordinatæ, quòd non potest generare.puta ranam , quin prius illuminet medium : & ideo licet sit proximum agens respectu ranæ , tamen non producet ranam sibi distantem , nisi prius illuminet omnia intermedia vsque ad terram:vel quia virtus agentis est deficiens,& non introducit formam substantialem, nisi prius alteret:sed neutra harum conditionum necessario requiritur in omni agente proximo: nam agens primum vt Deus neutrum habet,vt patet,ergo propositio assumpta est falsa,oportet omne agens proximum coniungi secundum se ipsum in id,quod immediatè agit.

Ad hoc dicit expositor quòd non est propter aliquam illarum conditionum necessario,sed propter imperfectionem,ne gatiuè pertinentem ad virtutem actiuam: quia scilicet virtus cuiuslibet agentis naturalis est limitata,& ideo reseruatur hoc soli Deo,hæc ille.

Sed cõtra: si hoc reseruatur soli Deo propter illimitationẽ virtutis suæ, ergo Deus potest agere in aliquod distans, quod est falsum,quoniam non necessario esset in omnibus rebus:cuius oppositum tenet B. Thom. consequentia vero probatur, quoniam secundum te in hoc differt agens naturale & Deus: quòd agens naturale est limitatæ virtutis,& ideo non potest in distans : ergo si Deus est virtutis illimitatæ , poterit in distans: & propterea dico cum Capr.1.d.37.qõ.1.contra primam ad tertium quòd non est propter aliquam illarum conditionum : sed est , quia agens est quodammodo actus ipsius passi, & passum est quodammodo in potentia ad ipsum agens:actus autem & potentia de sua ratione sunt indistantes ex 9.metap. vnde repugnat agenti proximo vt agens proximum est,distare à suo immediatè passo, vnde constat quòd Scot.in hoc non fuit bonus metaphysicus.

Quantum ad secundum , Aduerte quòd Scot.in 1.distin.37. q.vnica respondens ad argumentum in oppositum fundatum super illud.7.physicorum mouens,& motum sunt simul, dicit dictum philosophi esse verum in agentib.naturalib.quæ agũt per qualitates naturales,vel suas formas substantiales,quę nõ sunt principia agendi in remotum,nisi sint aliæ formæ cõcurrentes,quæ sunt principia agendi in propinquum: ita autem non est de voluntate Dei,qua omni præsens agit:ergo non valet in proposito. Ad hoc dicimus,quòd imaginatio Scot.decepit eum,imaginatur enim in abstractis, posse esse duplicem præsentiam,& duplicem rationẽ præsentialitatis,primam vocat præsentiam substantialem siue secũdum substantiam, qua vult substantiam abstractam ante omnem virtutis suæ applicationem posse fieri præsentem, siue coniunctam alicui loco, vel alicui rei:& huius præsentiæ rationem dicit esse ipsammet substantiam:secundam vocat præsentiam virtualem, qua substantia abstracta coniungitur effectui suo propter applicationem suæ potentiæ,in qua præsentia non est necesse substantiã secundum seipsam fieri præsentem, & hoc modo poneret solẽ esse præsentem mineræ auri,licet secundum illam non sit præsens:sed vt declarabitur in tractatu de Angelis, hæc imaginatio est falsa : quoniam licet sit verum substantiam fieri præsentem alicui,non tamen est ratio suæ præsentialitatis , sed ratio huiusmodi est quantitas in corporeis , vel applicato virtutis in ratione agentis in abstractis : propterea licet ex applicatione virtutis ad quodcunque passum non posset inferri præsentia agentis secundum substantiam:potest tamen inferri ex applicatione ad aliquid passum,in quod immediate agit:quoniã talis applicatio : est ratio formalis præsentiæ Angeli secundũ substantiam,quæ non stat,sine effectum formali,vnde sicut in corporeis ex vnione quantitatis ad aliquem locum infertur præsentia substantiæ corporeæ, sic ex vnione virtutis ad passum immediatũ : infertur præsentia substantiæ ipsius agentis, & ideo considerans philosophus,dixit vniuersaliter, primum autem mouens.idest,proximum & immediatum est simul cũ eo, quod mouetur & quod intendit id verificari abstractè in omni agente proximo , & immediato : patet in eodem libr.7. text.12.vbi idem ostendit seruari etiam inter sensum , & obiectum motiuum sensus,& tamen ibi nõ est motus, nec actio, nisi intentionalis. Vnde patet quòd Scot. potius innixus suæ imaginationi,quam rationi restrinxit dictam philosophi.

Quantum ad tertium, Aduerte quòd Scotus in 2.distinct.2. qõ.6.ibi contra cõclusionem huius opinionis, argumentatur, Primo quòd sic ponens contradicat sibi ipsi &c. probat quòd ex toto processu non concluditur intentum : & arguit sic , ex eo,quòd Deus est primum efficiens & mouens , tu concludis, quòd est in omnibus rebus : quæro igitur aut intendis concludere,quod est præsens omnibus. idest, efficiens & mouens omnia, & tunc tu petis principium : quoniam idem sunt medium à te assumptum,& cõclusio:& nõ loqueris ad propositũ debes enim concludere, Deum esse præsentem omnib.rebus, inquantum est infinitus : quoniam in 1.q. introduxisti conuenire infinito esse in omnib.& non concludere, quòd sit agens in omnib.Aut intendis concludere illam præsentiam in omnibus,quæ cõpetit Deo,inquantũ est immensus, & infinitus: & tunc per medium tuum assumptum ex operationib. Dei in omnib.secundum esse,sequitur præsentia Dei in omnibus quæ competit Deo,inquantum est immensus: ergo prius naturaliter erit præsens inquantum immensus,quam inquantum operans:& hoc concludis ex hoc,ꝙ est in omnib. per operationẽ, sicut ex posteriori: igitur vltra præsentiam per operationem, substantialem tenes præsentiam in abstractis,quam tamen negasti in tractatu de Angelis,vbi tenes, ꝙ incorporea non possunt esse in loco,nisi per operationẽ:vnde patet ꝙ tibi contradicis.Ad hoc dico,ꝙ B.Tho.intendit cõcludere ẽm.f.substãtia Dei infinita est præsens omnib.ex eo,ꝙ operatur in omnib.& nego,ꝙ hoc sit concludere à posteriori: imo probatio ,pcedit ex rõne formali sicut enim quãtitas dimensiua est ratio formalis,qua corpus est in hoc,vel in illo loco.sic in abstractis se habet opatio vel applicatio virtutis. Vnde licet quo ad entitatẽ quãtitas sit posterior substãtia sic in abstractis opatio:tñ quo ad pſẽtialitatẽ,siue locabilitatẽ est prior: est.n.rõ pſẽtialitatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tenet igitur B.Thom. substantiam Dei immensam esse præsentem omnib.sed nõ ex se ipsa,sed ex operatione: & hæc probatio vt diximus est à priori.Nego igitur Scot.illam cõsequẽtiã, ergo prius naturaliter erit præsens inquantum immensus quam inquantum operans.credit enim ibi esse duas præsentialitates, quarum vna sit secundum substantiam immensam,alia secundum operationem, posterior illa,sed hoc est falsum,quoniam ibi non est nisi præsentia,& ratio præsentialitatis,quæ sumitur ex operatione,vnde non sunt duæ præsentialitates propriæ sicut nec ibi lapis est præsens huic loco secundum substantiam,& secundum quantitatem: nam ly, secundũ substantiam dicit locatum,& ly, secundum quantitatem dicit rationem locatiuam.patet ergo quòd Beat.Thom.sibi non cõtradicit: sed Scot.non intellexit eum.

In responsione ad tertium nota duas propositiones, prima *nullus agentis &c.*ly,*distans.* stat pro distantia suppositali, quasi dicat, si agens non agit in passum pro media,necesse est quantumcunque sit virtuosum,vt suppositaliter sit præsens suo passo,& rationem designauimus in articu.contra Scot,& non stat pro distantia naturali,quæ est differẽtia agentis,& passi in naturis proprijs: nam secundum hunc agens quanto virtuosius, tanto in magis distans secundum naturam agit: quoniam trahit passum de potentia ad actum,& quãto virtuosius trahit ex maiori potentia,sicut generãs substantiale ex ente in pura potentia,& primum agens ex nihilo,quod in infinitum distãtius est,nec stat pro distantia situali:quoniam hæc non seruatur in ter quodlibet agens & suum passum, cum contingat vtrumq; esse incorporeum, aliquando autem agens tantum.

Secunda hoc autem ad maximam virtutem Dei &c vsque ibi. *in omnibus agit:* ly, immediate: potest exponi quo ad virtutem, & simpliciter est vera,quoniam nullum agens secundum agit nisi virtute primi. Sed hæc immediatio non est intenta hic à B. Thom.in hoc artic.loquitur enim de præsentia substãtiæ Dei in omnib.potest igitur exponi de immediatione secundũ suppositum,& sic debet intelligi cum dicit quòd immediate in omnibus agit: sed alio modo verificatur in creatione,alio modo in productione naturali.nã quod creatur, totum est à Deo immediatè;quod autem producitur naturaliter,secundũ partem est à Deo immediatè: quoniam materia prima est à solo Deo,& propterea aduerte, quòd B.Thom.non dicit, Deum agere immediatè in omnibus quo ad omnia requisita ad eorũ esse, sed dicit indistinctè, agit in omnib.ex consequenti concludit,quòd Deus à nulla re, quæ vel creetur, vel producatur naturaliter,distat suppositaliter.

ARTICVL. II.

Vtrum Deus sit vbique.

CIrca titu.Aduerte,quòd si Deus esset infinitus corporaliter constaret, quòd existeret in omni loco,quoniam occuparet omnem locum,sed quoniam est incorporeus, & corpora non sunt in loco, ideo,dato quòd ex sua infinitate incorporea sit in omni re vt operans,& efficiens vniuersale, tamen non constat,quòd sit in omni loco, cum leges loci repugnent ipsi Deo,ideo ex proposito mouet hunc articulum nec superfluit ad præcedentem.

Cum locus sit res quædam &c. Aduerte,ꝙ intendit sic distingue re,locꝰ capitur dupliciter,primo vt res habẽs esse,puta quãtitatis,& talem perpetuitatem.puta virtutem locatiuam,& conseruatiuam,sic Deus est in loco, sicut in lapide & in homine, vt efficiens in suo immediato passo,vel effectu, vt conclusum est in primo artic.& sic Deus non est aliter in loco,quam sit in alijs rebus, Secundo vt locus est.i.vt receptiuus locati,& replebilis ab eo:& sic distinguẽdum est de repletione, quoniam alia est formalis,alia effectiuæformalis competit quanto: sua enim quantitate occupat locum,& hęc non competit Deo,cũ sit non quãtus effectiuè:vt competit illi agenti, quod dat corpori quantitatem, quæ formaliter replet locum: & quoniam tale agens primum est ipse Deus,ideo dicitur esse in omni loco,vt locus est replens effectiuè omnem locum, in tantum ꝙ esse sic in loco,non est esse in loco simpliciter, sed secundum quid: & propterea licet B.Thom.concedat Deum esse in omni loco, vt res est simpliciter, non tamen in omni loco, vt locus est,nisi secundum aliquid,vt expositum est.

In responsione ad secundum, *Et hoc modo substantia incorporea vt Deus,et Angelus,et anima,* vsque in finem, Aduerte, quod non est intẽtio B.Tho.concludere indifferenter tam de Ang. quam de Deo, quòd possit esse in vno & in plurib. locis, sibi enim contradiceret in tractatu de Angelis,sed cõcludit,quòd ex parte substantiæ incorporeæ, vt incorporea est nihil repugnat,propter quod non possit esse in vno, & in plurib.locis,si autem repugnat alicui substantiæ incorporeæ, non est quia incorporea est,aliter repugnaret etiam Deo, sed quia est talis incorporea limitatæ virtutis.

In responsione ad tertium aduerte, quòd responsio formalis stat in hoc,quod est totum quantitatiuum si alicubi est, neque secundum totum,neque secundum partem est extra locũ illum,quoniam terminatur loco: quod autem est totũ, prout idem est,quod perfectum,si alicubi est,nil eius est extra,quin ibi etiam sit totum,cum sit impartibile, igitur cum Deus sit totum non quantitatiuum,sequitur quòd non terminatur loco, propter quod nihil impedit quin possit esse in alio loco,dummodo,quòd vbicunque est,totus sit,vnde illa propositio quod est totum alicubi nil eius est extra locum illum solum in hoc sensu verificatur in incorporeis.s.incorporeũ, quod est totum alicubi nil est extra,quin ibi sit totum.

ARTICVL. III.

Vtrum Deus sit in omnibus per essentiam præsentiam, & potentiam.

CIrca titul. *esse per essentiam in omnib:* est esse immediatè, in qualibet re immediatione supposiꝰ:esse per præsentiam, est penetrare omnia per operationem suam. *Esse per potentiam,* est esse in omnib.immediatione virtutis, ita quòd nullum agens agat, nisi virtute Dei,& nihil producatur, nisi virtute Dei.

Deus dicitur esse in aliqua re dupliciter, Aduerte quòd intendit sic distinguere, Deus dicitur esse in aliqua re modo generali, & modo speciali,Modum generalem exemplificat dicens, modo causæ agentis:quod tamen exemplum non æquipollet modo generali,aliter non posset subdiuidere infra modum generalem in essentiã & præsentiam,esse enim per præsentiam nisi aliud addatur, non est esse modo causæ agentis: Modum specialem exemplificat de anima siue creatura rationali,quæ habet cognitionem Dei ex gratia, quod tamẽ exemplum nõ æquipollet huic modo speciali, quo.s. Deus est in creatura rationali,vt obiectum cognitum &c.est enim indæmone, & intellectu philosophi gentilis: non tamen per gratiam.

Alio modo sic obiectum operationis &c. Aduerte quòd Aureolus vt recitat Capr.primo dist.37.q.1.contra tertiam quæstionem, contra hunc modum specialem in declaratione arguit tripliciter.primo sic, Deus est in paruulis baptizatis, speciali modo.s.per gratiam,& tamen non sicut cognitum aut desideratũ, cum non habeant vsum rationis.

Ad hoc dicitur,quòd sufficit Deum esse in eis vt cognitum & desideratum actu,vel habitu,& quoniam in baptismo recipiunt habitũ fidei,& charitatis: ideo hoc speciali modo Deus est in eis habitu,vt obiectum operationis immanentis in operante habitu,licet non actu,& sufficit.

Secundo Deus est in Dęmone,& in infideli,vt obiectum cognitum &c.vt in philosopho extra fidem.

Tertio est speciali modo in aliquibus etiam sine gratia: B. Tho.ergo maledicit,quòd hoc habeat creatura per gratiam.

Ad hoc potest dici quòd B. Tho.non intendit de omni notitia, quæ potest haberi de Deo, sed tantum de notitia, quæ causatur per donum sapientiæ,& quando filius mittitur inuisibiliter,& hoc non est in carente gratia.

Potest etiam dici quòd licet intendat de omni notitia, tamen non exemplificat de omni, sed tantum de hac specie, scilicet quæ habetur ex gratia, quæ præcipuè meretur dici cognitio Dei,vt radix dilectionis,& charitatis.3.nõ adduco quoniam nullius est ponderis.

Fuerunt ergo aliqui.s.Manichæi &c. Aduerte quòd hæc opinio tangitur etiam à commentatore in 12. metaph. commenta.52. vbi dicit,quòd aliqui posuerunt duos Deos, Deum creantem bona,& Deum creantem mala.

Contra hos,ergo oportet dicere,quod Deus sit in omnib. per suam potentiam &c. Aduerte quòd Aureolus vbi suprà in Capreol.arguit contra B.Thom.sic tu ponis Deum esse in omnib.per potentiam,sicut rex in toto regno per potentiam: ergo Deus nõ est realiter in omnib.per potentiam, sed tantum metaphoricè sicut Rex:non enim alio modo est Rex in toto regno,nisi quia subditi apprehendunt mandatum Regium, & aliqui positi à Rege exequuntur ipsum mandatum: ex consequenti potentia regis non stat nisi in respectu rationis, hoc autem est falsum de Deo,ergo est malè assignatus hic modus à B.Thom.

Ad hoc dico quòd B.Thom. non intendit per illam similitudinem

tudinem concludere potentiam Dei in rebus esse eiusdem rationis cum potentia regis, sicut nec diuinum dominium est eiusdem rationis cum dominio humano:sed intendit assignare differentiam inter modum essendi per essentiam & modum essendi per potentiam in Deo proportionaliter sicut in Rege, & ad hoc tendit similitudo inducta,& non vltra.

Fuerunt vero alij qui licet crediderint. Aduerte quòd hic fuit Cõmentator quiin 12.metaphys.comment.37.in fine dicit quòd Deus non habet curam de indiuiduis, nisi vt communicant tantum in aliqua proprietate speciei, & è conuerso. si dicit quòd Deus non scit omnia,nisi inquantum sunt entia,& sic sequitur quòd non habet prouidentiam de omnib. in singulari. & commento 52.comparat ea, quę sunt sub cælo seruis,& bestijs, quæ sunt in aliqua domo,de quib.paterfamilias non habet curam,nisi pro quanto ordinantur ad bonum domus.

Et contra hos oportet dicere quòd sit in omnibus per præsentiam. Aureolus,vbi suprà in Capr.arguit quòd B.Thom.hunc modum malè assignauerit: dicit enim B. Thom.per præsentiam vero suam dicitur aliquid esse in omnibus, quæ in prospectu eius sunt.

Sed contra inquit Aureolus, ergo Deus est in essentia sua, cum sit in eius prospectu: præterea per cognitionem, non est cognoscens in cognito, sed è conuerso, quia fit per assimilationem:ergo per præsentiam Deus debet dici præsens omnib. quia omnia sunt in ipso intelligibiliter.

Ad primum dico, quòd non inconuenit dicere,Deum esse in essentia sua hac ratione, quia penetrat ipsam sua comprehensione.

Ad secundum dico,quòd vtrumque est verum,& cognitum est in cognoscente,quo ad similitudinem,& cognoscens est in cognito præcipuè per cognitionem intuitiuã perfectam, qua penetrat intima cogniti.

Fuerunt alij qui licet dicerẽt omnia ad Dei prouidentiam &c. Aduerte hic fuit Plato,qui in Timæo introducit Deum alloquẽtem cælites.i.intelligentias, motrices cælorum vt producant hominem,& alia inferiora ne sint incorruptibilia,existimauit enim Plato,quòd quicquid est à Deo immediate sit incorruptibile: & propterea animam nostram dicit esse incorruptibilem, & diuinum semen. Platonẽ sequutus est Auicen.in lib.9 suæ metaphysicæ capit.4.qui posuit quòd à primo non est nisi vnum, eo quod nulla multiplicitas est in eo: & contra ipsum proprijssime loquitur B.Thom.in præsenti articu. error Auicen.improbabitur infra,cum loquemur de multitudine, & distinctione rerum.in q.47.1.

Et contra hos oportet dicere,quòd sit in omnib.per essentiam. Aureolus vbi suprà in Capreol.arguit quòd B.Thom.malè assignauit hunc modum: dicit enim B.Tho.est in omnib.per essentiã inquantum adest in omnibus,vt causa essendi.

Sed cõtra dicit Aureol. modus essendi per potentiam distinguitur à modo essendi per essentiam, sed adesse omnibus, vt causa essendi est modus essendi per potentiam, ergo non per essentiam.

Ad hoc dico quòd vterque modus fundatur super operationem Dei: sed modus potentiæ super operationem mediante alio supposito vt agente secundo,licet immediatione virtutis: modus autem per essentiam, super operationem immediatione suppositi & virtutis, & sic intellexerit B.Thom.cum dixit inquantum adest omnib.vt causa essendi eo modo, quo conclusum est in 1.artic.quoniam in omni re vel operatur totum immediatè,vel aliquid ad ipsam pertinens. puta animam vt in homine vel materiam,vt in alijs inferioribus homine: nego igitur minorem argumenti, non enim est vera, nisi addatur vt causa essendi immediatione suppositi & virtutis.

In responsione ad primum, *etiam sola gratia facit singularem modum.* Aduerte quòd B.Thom.innuit se locutum fuisse in ar. de notitia gratuita,& non vniuersaliter:propterea facit copulatum,cognitum,& amatum:sed dices ergo Deus non est speciali modo in philosopho gentili: quod tamen videtur absonum: dico quòd B.Tho.hic vt Theologus non multum æstimat illam cognitionem habitam ex sensatis tantum, & multis errorib.admixtam,quæ non meretur comparari gratuitæ,quę est principium dilectionis,& charitatis diuinæ:ideo non propriè facit singularem modum existendi Deum in rebus, licet igitur in articulo ad argumentum Aureoli. dupliciter responderi possit,Tu tamen sequere primam.

ARTICVL. IIII.

Vtrum esse vbique sit proprium Dei.

CIrca titul.ly, proprium sic debet exponi. scilicet conueniat Deo,& nulli alij à Deo,& æquipollet soli Deo.

Dico autem esse vbique primo quod secundum se totum &c. Aduerte quòd hæc declaratio fundatur in 5.physicorum, textu 1. vbi agitur de mouẽte & mobili:*ergo & secundum partes, & secundum accidens.* Vide tu:sic igitur esse vbique primo & per se cõuenit Deo,& est proprium Dei.Aduerte quòd licet Bea.Thom.probet conuenire Deo esse vbique,& primo & per se, non tamen quòd sit ei proprium, ideſt,quòd nulli alteri conueniat,& hoc fecit vt dicit expositor:quoniam per se manifestum est.dato enim quòd solus Deus sit infinitus essentialiter, & quo ad virtutem operandi,sequitur quòd solus sit vbique primo.ideſt secundum se totum.potest enim dici, quòd id sufficienter probat,respondens argumentis in oppositum quibus arguitur id non conuenire soli Deo.

¶Quæstio Nona.

ARTICVL. I.

Vtrum Deus sit omnino immutabilis.

PRIMO *quia suprà ostensum est,* Aduerte quòd hæc prima ratio fundatur in 3.physicorum super text. 30. vbi philosophus ostendit id, quòd mouetur manere secundum aliquid.ideſt, secundum substantiam,& transire secundum aliquid.s.respectu termini à quo.

Quia omne,quod mouetur motu suo. Aduerte quòd hæc ratio potest trahi ex 6.physicor.text.32.vbi habet philosophus omne, quod mutatur,se habet aliter nunc, quam prius,sed id non cõuenit Deo, cum habeat in se omnem perfectionem actu.

In resp̃sione ad primum,Aduerte quòd intendit sic distinguere:motus duplex.s.actus perfecti,& actus imperfecti, priꝰ est in Deo, & de eo intelligit August.alter nõ est,& de eo intẽdit in articulo.Motus autem qui est actus perfecti, idem est ꝙ actio immanens,& talis dicitur actus perfecti, quia actio immanens est perfecta,& completa, non ordinata ad aliquid melius ipsa actione,quoniam vel actio ipsa est finis agentis, vel siquid per ipsam actionem producitur, vt per intelligere verbum,& per actus morales habitus: tale productum iterum ad actionem ordinatur, vt plenius declarauimus in q.27.articu.1. Actio autem transiens dicitur actus imperfecti,quia non est ex se, sed est via ad acquirẽdam perfectionem, vnde diffinitur per hoc, quòd est esse actu existentis in potentia, & de ijs plenius diximus in quæstio.metaphysic.in quæstio.11.& q.12. vbi signaui viam Ioannis Bacconis, in secundo distinct.25.q. 2.in fine.

ARTICVL. II.

Vtrum esse immutabile sit proprium Dei.

CIrca titul.ly. *immtabile* stat vt in primo articulo pro omnino immutabili, vnde proponens conclusionem in articulo,& concludens dicit. *Vnde cum Deus nullo istorum modorum sit mutabilis proprium eius est esse omnino immutabile.* ly, proprium sic exponitur,conueniat Deo, & nulli alteri à Deo, & supponens affirmationem ex 1.art.immoratur in toto hoc articul.ad declarationem negatiuæ.

Omnes enim creaturæ antequam essent, vsque ibi *in esse producere &c.* Aduerte quòd B.Thom.non tenet dari nisi potentiam passiuam,& actiuam,& ideo Scot.qui tenet mediam.s.potentiam obiectiuam non acceptat hanc distinctionem vt sufficiẽtem. Verum defensionem B.Thom. ponemus in q.de anima, cum loquemur de potentijs, vtrum sint idem cum substantia animæ:nam locus prius est illic & Scot. loquitur in illo proposito.

Dico autem potentiam passiuam secundum quam ,vsque ibi *vel in consequendo finem.* Aduerte quòd per ly, perfectionem in essendo intendit esse actuale substãtiale sibi debitum, & perfectum ex concomitantibus,ly *perfectionem in consequendo finem*, intendit operationem perfectam, ad quam vt ad finem res producitur.

Si igitur attendatur, mutabilitas rei secundum potentiam ad esse sic non in omnibus. Aduerte quòd ex immutabilitate essendi,sequitur impossibilitas non essendi, & ex hac infertur necessitas essendi,ergo secundum B.Thom.aliquod creatum est impossibile non esse,& est necessarium ex consequenti ens productum diuiditur in necessarium & possibile,vt igitur sciamus fundamentum B. Thom.Aduerte quòd in q.de potentia.q.5.artic.3. adducit duas sententias.s.Auicen.& commentatoris, Auicẽna

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidē tenet,ꝙ oē ens ,ꝓductum est possibile esse,& nō esse,& ideo solū Deū ponit necesse esse. Cōmētator vero vt habetur in 12. metaph. commēt.41.tenet quòd necessariorū quoddam est per se,quoddam per aliud: quod est ex se,improductū est:quod autem est ex alio,productum est.Ex his duabus sententijs B.Thom.sequitur eam, quæ videtur Commentatoris: vt rationabiliorem: aduerte tamen, quòd dissentit in hoc,ꝙ Commentator non concedit necessarium ex alio nisi in motu,eo quòd motus est à mouente:concedit igitur motum cæli esse necessariū ex alio,ideſt ex mouente,non tamen concederet in permanentibus necessarium ex alio: vnde dicit in 12.metaphy. commen.41.æternum autem esse necessariū ex alio,eo quòd necessariorum quoddam est necessariū per se, & quoddam necessariū ex alio ,non est verum nisi in motu cæli tantum.

Quòd autem aliquid sit possibile in sua substantia, & per aliud sit necessariū in causa, impossibile est, motus autem possibile est, vt sit necessarius ex alio, & possibilis ex se: causa in hoc est,quòd esse habet ex alio.ideſt, ex motore, hæc ille.sed B. Thom.,intendit quòd etiam in permanentib. vt in corpore cæleſti,& in abstractis sit necessariū,pendens ex alio, vt patet hic in artic.& in q.de potentia,vbi suprà.Scot.vero vt patet in 1.distin.8.q.4.ad secundū in fin.q.sequitur Auicen. Vnde tenet quòd repugnat ens productum distingui per necessariū & possibile:sed omne productum est possibile,posito quòd liberè agat ad extra.vel necessariū, posito quòd Deus agat de necessitate naturæ. Sed hæc eius opinio impugnabitur, cum loquemur de voluntate Dei, Vtrum sit causa rerum: nunc autem sufficit defensare B.Thom.contra Aureolum,cuius argumenta sunt in Capreol.1.d.8.q.3.cōtra secundam. Tu igitur scias, quòd septem argumenta eius peccant per ignorantiam distinctionis de possibili, & impossibili & necessario vt bene notat Capreol.ibidem. Possibile est duplex.ſ.logicum & naturale:logicum est,ꝙ siue ponatur,siue non:non sequitur cōtra dictio,vt Sortem currere, est possibile. naturale autē est quod in se habet principium quo potest non esse,vt omnia composita ex contrarijs. Impossibile duplex.ſ.logicum & naturale: logicum est,cuius oppositum implicat cōtradictionem, vt homo est asinum,est impossibile:naturale est in quo non datur principium intrinsecum quo possit deficere, vt cælum nō esse,est impossibile,possibili naturali:necessariū duplex, logicum,& naturale,siue metaphysicum, logicum est,quod æquipollet,Impossibili non esse,impossibilitate logica: metaphysicum est quod æquipollet impossibili non esse, impossibilitate naturali,siue reali: inter hæc autem talis ſtat differentia,quòd possibile logicum non est respectu alicuius potentiæ intrinsecæ,sed tantum dicit non repugnantiam:possibile autem naturale dicit potentiam intrinsecam,quares potest esse,& non esse: Impossibile & necessarium logicè non subijciuntur alicui potentiæ intrinsecæ,nec extrinsecæ: quoniam nulla potentia potest in id,quod implicat contradictionem. Impossibile autem & necessariū reale non negant impotentiam intrinsecam. Vnde respectu causæ extrinsecæ conseruantis per subtractionem influxus generalis,impossibile nō esse,& necesse esse,potest desicere esse. Si autem detur ens,quod vtraque impossibilitate sit impossibile,& vtraque necessitate sit necesse:id penitus est indefectibile,qualis est solus Deus,& ideo meretur solus dici omnino necesse esse.Ex his dico, quòd B.Thom.intē dit rerum creatarum,aliquā esse possibilem naturali possibilitate:aliquā necessariā necessitate metaphysicali,ex cōsequenti impossibile ad non esse impossibilitate metaphysicali: nullā autem necessariā logicè,nec impossibilem ad non esse logicè, imo omnem possibilem logicè.argumenta autem Aureol.vt videbis in Capreol.concludunt de impossibilitate, & necessitate logica,& possibilitate logica,& ideo nec valet contra sensum B.Thom.Argumentum vero octauum, quoniā præclarè dubium petit ideo volo adducere.Sic igitur arguit:Aut cōseruatur à Deo, quia est defectibilis in se, aut quia non est defectibilis in se:non secundum:quod enim non est defectibile in se,non indiget conseruante,cum possit permanere per se:ergo datur primum,ergo possibilis non esse in se:ergo non necessaria in se:ergo non est necessaria logicè,neque metaphysicè.

Ad hoc dico, quòd vtraque est vera, alia, & alia ratione, nam non est defectibilis in se, pro quanto non habet principium intrinsecum suæ defectionis, puta compositionē ex contrarijs, vel matertam cum priuatione, & est defectibilis in se, pro quanto est talis naturæ, quæ non habet esse à se,sed acquirit esse ab alio,& perseuerat in esse manutentione sui agentis. Vndeillud est simpliciter,& omnino indefectibile, quod habet esse ex se,& hoc tantum non indiget cōseruante, vt Deus. Ad argumentum ergo dico, quòd ideo conseruantur,quia est defectibilis in se,nō per principium intrinsecum defectionis, sed quia est talis naturæ,quæ non habet esse ex se,sed ab alio: & cum arguitur:ergo est possibilis,non esse in se,nego consequentiam:quoniam nō est defectibilis per principium intrinsecum: similiter alia consequentia non valet: ergo non est necessaria logicè nec metaphysicè:logicè quidem concedo,quia non habet esse ex se,ex consequenti non implicat contradictionem, ipsam non esse:metaphysicè autem nego, quoniam caret principio suæ defectionis intrinseco:hæc est via B.Tho. quam reputamus Peripateticam, secundum quam necessariū & possibile debet sumi penes causas proximas & intrinsecas, vt dicemus, cum loquemur de voluntate Dei, quomodo est causa rerum.

In responsione ad secundum, Aduerte quòd B.Thom. perfunctoriè transit,quoniam de Angelis nondum tractatum est: sufficit ergo pro nunc soluere argumentum, vnde autem Angelus sortiatur immobilitatem electionis, & cuius electionis, dicemus cum loquemur de voluntate Angeli. Item quomodo in Angelo beato vltra immutabiliratem loci,remaneat variatio secundum intellectionem obiectorum naturalium, dicemus cum loquemur de intellectu Angeli.

In responsione ad tertium, Aduerte quòd intendit formas esse variabiles,nō quia ipsæ varientur per se,sed per accidens, puta variato subiecto, variatur accidens, quia desinit vnum accidens,& aduenit alterum,idem intellige de materia prima & formis sibi inuicem succedentibus in ea. Vnde solet dici ꝙ forma licet non sit subiectum variationis: sed tamen terminus,à quo aut ad quem.

¶Quæstio Decima.

ARTICVL. I.

Vtrum æternitas bene diffiniatur à Boëtio.

SIC VT *in cognitionē simpliciam oportet nos venire per composita.* ſ. prius cognoscere conditiones compositorum & earum oppositas attribuere simplicibus,ita in cognitionem æternitatis oportet nos venire per tempus.ſ.assignare conditiones temporis & rei mensuratas per tempus,& earum oppositas attribuere æternitati & rei æternæ.

Cum enim in quolibet motu sit successio, Aduerte quòd hæc declaratio sumitur ex 4.physicorum, text.100.& 101.vbi philosophus declarat, quòd tunc apprehendimus tempus,quando in motu apprehendimus partem & partem,& vnam succedere alteri, & posteriorem ad priorē: vt diffusius illic videre poteris.

Quod nil aliud est quam numerus prioris,& posterioris in motu. Aduerte quòd ly, *numerus* ſtat pro mensura & est formale in tempore ly,*prioris & posterioris*, ſtat pro materiali, & quoniam numerare est opus animæ. inde videtur quòd tempus nō habeat suum esse completum nisi per animam,sed de hoc iam formaui quæstionē.in 4.phyſ.recurre illuc,quoniā hic est velut impertinens.

Sic igitur ratio temporis consistit vsque ibi *consistit ratio æternitatis &c.* Aduerte quòd ly, in apprehensione potest dupliciter exponi,primo vt idē,ſit quod in apprehendere & in cognoscere respectu nostri intellectus,& sic non est verum,quòd in tali actu cognoscendi vniformitatem diuini esse, consistat ratio completa æternitatis, nam cum illa apprehensio habet rationem formalem proportionaliter, sicut numero in tempore se quereretur quòd sicut tempus non habet esse completum, nisi per animam, sic nec æternitas, quod videtur absurdum, cum sit attributum, & diuina perfectio,quæ nullo modo pendet à nostro intellectu, secundo vt ſit idem, ꝙ ratione vniformitatis,sumendo rationem non sotmatam à nostro intellectu,sed ex parte rei,quasi dicat sicut ratio prioris,& posterioris in motu est ratio temporis ex parte rei,sic,ratio vniformitatis diuini esse est ratio æternitatis, & hoc est verum, & intentum B. Thom. Sed quæritur quando dicit Beat. Thom.quòd in apprehensione vniformitatis &c. Vtrum ly, vniformitas in definitione æternitatis habeat rationem formalis aut rationalis,necesse est enim vt proportio naturaliter temporis inueniamus formale,& materiale in definitione æternitatis. Capr.in 1.distinct.9.q.1.art.2.ad secundum Aureoli,contra primam dicit quòd ſtat pro materiali, & vult quòd sicut ratio temporis compleatur per hæc dico.ſ.numerus prioris & posterioris. ita ratio æternitatis compleatur per hæc duo.ſ.vnitas, vt habet rationem mensuræ,& opponitur numero, & vniformitas diuini esse-

uini esse,& primum est formale, secundum autem materiale, oppositum difformitati motus:& fundat se super B.Thom.in 1.distin.20.q.2. ad 1. vbi dicit permanentiam actus secundum quod intelligitur in ratione vnitatis, quæ habet rationē mēsuræ, complet rationem æternitatis, hæc B.Thom.& Capre. per ly, permanentiam actus intelligit vniformitatem esse diuini.

Expositor tenet,quòd ſtat pro formali, quoniam in scientia semper formalis intellectus præponitur materiali, quando æquè saluari potest,& dicit ꝙ Capr.cōmittit nugationem, dicēdo æternitatē esse vnitatē vniformitatis diuini esse, quoniam non differunt vniformitas & vnitas,nisi vt genus,& species,est enim vniformitas species vnitatis,ergo sicut est nugatio,dicere animas homo: sic in ,ppōsito, & dicit quòd B.Tho. in primo sententiarum, pro eodem suscepit vnitatem pro quo & hic suscipit vniformitatem.ſ.pro formali in æternitate: sed in primo ,sentētiarum assignauit genus remotum.ſ.vnitatem. hic autem genus proximum.ſ.vniformitatem.& propterea secundum ipsum declaratio posita in prima parte est melior, & magis propria.

Cōtra Caietanum. Sed hæc obiectio parum valet: falsum est enim quòd semper committatur nugatio, quando apponitur species generi. potest enim apponi vt contractiua generis, vt cū dicitur animal appositiuē homo currit:sicut posset dici in proposito: sed aliud est quòd Capr.dum format diffinitionē ætēritatis declarat se virtualiter quomodo sumat vniformitatem, non eā accipit ipsam in abstracto & in recto, vt credit expositor, sed in obliquo,& in concreto proportionaliter diffinitum tempo ris, vnde sic dicit: sicut ratio temporis est numerus prioris & posterioris in motu,sic ratio æternitatis est vnitas diuini esse non difformis, nec variabilis: hæc ille, & sic patet quòd non committit nugationem & optimè declarat rationem æternitatis per oppositas conditiones temporis, vt docuit agendum B.Thom.in præsenti articulo,sequendo viam Capreol.videbis soluta quatuor argumenta Aureol.quibus probat,quòd æternitas non consistit in ratione vniformitatis, sicut nec ratio tēporis in ratione difformitatis &c.Omnia enim concludunt, quòd vniformitas non ipsum formale, sicut nec difformitas in motu. item quòd præcisa vniformitas non perficit rationē æternitatis,quod & nos concedimus, & ideo non adduco ea. vide tu in Capreol.1.d.9.quæst.1.artic.2.contra primam in primo loco.

Item ea dicuntur mensurari tempore quæ. vsque ibi *finem habere potest.* Aduerte quòd ly,*principium & finem* non intelligitur quo ad tempus rei, quasi quod omne mensuratū tempore incipiat esse, & desinat esse in tempore: aliter cælum non esset æternum, nec posset esse, nec esset incorruptibile, sed intelligitur quo ad durationem,pro quanto mensuratur tēpore,mensurātur autem inquantum existunt sub motu, intendit ergo quòd ea mensurantur tempore, quæ vt existunt sub motu, habent principium & finem sui motus in tempore, principipium autem & finis motus sumuntur à principio & fine existentię vel magnitudinis rei mobilis. Existentiæ quidem vt in omnibus generabilibus & corruptibilibus in quib.datur alteratio. Magnitudinis vero,vt in omnibus mobilibus, motu locali,aliter tamen,& aliter in mobili motu recto,& in mobili motu circulari.nam in primo datur principium & finis distincta formaliter,& realiter: in secundo vero sufficit distinctio secundum rationem: Idem enim punctus est principium & finis in motu circulari,& hoc intendit B.Thom.cum dicit *& hoc ideo,quia in omni eo,quod mouetur.* Sed contra:si ea solum mensurantur tempore,quæ vt existunt sub motu, habent principium & finem sui motus in tempore, sequitur quòd cælum, vt motum non mensuretur tempore.

Ad hoc negatur consequentia: quoniā licet totalis motus secundum philosophum non inceperit in tēpore,tamen quælibet circulatio incipit, & terminatur in tēpore,& hoc sufficit vt mensuretur tempore:vnde verum est dicere,ꝙ totus motus cæli mensuratur tempore,exponendo sic,quia nulla est circulatio, nec erit, quæ non mensuretur tēpore,non tamen totus vt totus,quoniam si esset æternus,esset infinitus,ex consequēti immensurabilis.

Quod vero est immutabile omnino. Sicut nec successionem ideſt variationem & difformitatem habet in se, ita nec principium nec finem.ſ.nec in esse, nec in magnitudine, nec quacunque alio modo potest habere,& scias, quòd tota hæc ratio fundata est in 4.phyſicorum text.117. vbi inquit philosophus, necesse est omnia quæ sunt in tempore contineri sub tēpore, vt quæ sunt in loco sub loco.hæc ille:& paulo infrà ponit corollarium dicens, quare manifestum est, quoniam quæ semper sunt secundū quod semper sunt, non sunt in tēpore, neque enim continentur sub tempore, neque esse eorum mensuratur tempore.

Sic ergo ex duobus notificatur &c. vsque in finem articuli. Aduerte quòd Boët.tres partes insinuat, prima interminabilis vitæ,secunda tota simul,tertia & perfecta possessio,& B.Tho. reddit rationem primæ & secundæ, sed non tertiæ expresse, quoniam hanc declaraturus erat in responsione ad quintum: potes etiam dicere,ꝙ tertia non distinguitur à secunda, quod enim totum simul perfectum est:vnde & in tertio physicorum totum & perfectum sunt idem:apposuit autem Boetius perfecta:causa maioris expressionis & ornatus.

ARTICVL. II.

Vtrum Deus sit æternus.

NEc *solum est æternus, sed est sua æternitas, cum tamen nulla alia res sit sua duratio.* Aduerte,quòd ex his verbis trahūtur tria: primo quòd Deus est sua æternitas,secūdo quòd nulla alia res est duratio: tertio elicitur,quòd æternitas,potest dici duratio: ideo ante primum probat secundum,& intendit hoc medium: nulla alia res à Deo, sumendo rem pro existente, vt quod est suum esse:ergo nec est sua duratio: Antecedens supponitur & probatur consequentia.Magis distat duratio à re durante,quā esse rei: ergo si esse rei, quod est proximius non est idem cum re,nec duratio:ergo magis distat:ex hoc secundo probatur primum,quoniam esse Dei est ipse Deus, ergo est sua æternitas, nam si negatio est causa negationis, affirmatio est causa affirmationis:Quantum ad tertium quòd æternitas sit duratio.

Aduerte quòd duratio formaliter dicit manētiam siue moram in esse:sicut autem diuersificarur ipsum esse,sic & ipsa mora. Est igitur quoddam esse omnino immutabile & vniforme, vt esse diuinum,est aliud esse coniunctum mutationi,siue substantiali, & accidentali vt in corruptibilibus, siue accidentali tantum,vt in superioribus corporibus, & in abstractis: duratio igitur diuini esse, quoniam est proportionata illi,caret omni prioritate & posterioritate, ante & post, maioritate & minoritate,& omni distensione, sed est sicut indiuisibile,& vnitas.

Duratio vero esse creati compatientis secum aliquam variationem aliquo modorum,vt dixi secum habet omnes has cōditiones,maiot & minor,prior & posterior:sed diuina duratio habet has tantum eminenter, vel vt dicit Capreol.in 1.distin. 9.quæstio.2.ad primum Aureoli in 4.loco duratio diuina, potest dici mensura non quia inferāt prius & posterius, sed quia attingit omnes alias durationes,& non exceditur, sed excedit eas sine oī distēsione:ex hac declaratione videbis soluta argumēta Aureoli in Capr.vbi suprà:omnia enim ,pbāt ꝙ duratio includit diuisionem & ante & post:quod non est verum de duratione vt duratio est,sed tantum de duratione esse non omnino immutabilis aut secundum se, aut ratione adiuncti: de durationeautem diuini esse, cum sit alterius rationis & ordinis,non verificantur hæc nisi eminenter.

In responsione ad primum nota quòd B.Thom.in 4.physicorum textu 104.& est lectio 18. adducit eandem sententiam quam & hic,& incipit,*ex hac autem considerationē de facili potest accipi intellectus æternitatis.*

Aduerte secundo quòd B.Thom.vt patet ibidem non aliter intendit,nunc suo fluxu causare tempus quam punctum suo fluxu causare lineam:constat autem quòd punctus non potest realiter fluere,quoniam ex 6.physicorum, nullum impartibile potest per se moueri. ille igitur fluxus est imaginatus & apprehensus tantum:& ideo dicit B.Thom.ibidem:imaginemur secundum Geometras.quòd punctus motus faciat lineā, ex consequenti causat lineam non realiter, sed apprehensiue in nostro intellectu: quoniam non possemus cognoscere solā longitudinem, nisi imaginemur tale indiuisibile se habere ac si fluxeret:ex consequenti, non realiter causat tempus,sed apprehēsiuè in nostro intellectu,realiter enim causatur tempus à quo causatur primus motus, quoniam vel est idem realiter cum primo motu,vel est passio eius,ab eodem autem causatur subiectum,& passio quodam ordine,& propterea dicit B.Tho. quod causatur in nobis apprehensio temporis ex fluxu non reali, sed imaginato ipsius nunc & non dicit quòd causatur realitas temporis: eodem modo intelligendum est: quod nūc ſtans.ideſt,apprehensum ac si ſtaret, causat non realiter æternitatem (quoniam cum sit attributum diuinum est improducibilis) sed apprehensiue:apprehendimus enim quod sicut nunc si fluxeret,causaret durationem fluentem,ita si ſtat, causat dura

Universidad de Deusto
Biblioteca

sat durationem permanentem,& indiuisibilem,qualis est æternitas:causat igitur notificatiuè,sed non realiter. Aduerte tertio quòd Aureolus,vt recitat Capr.in 1.dist.9.quæst 1.arti 2.in 3.loco arguit contra hanc propositionem, *nunc stans causat æternitatem*, & principaliter arguit, quòd non possit concipi, nec apprehendi nunc vt stans:imo est implicare contradictionem dicere,nunc stans: sicut si dicerem motus permanens: & eius, principale fundamentum est,quia credit quòd instare,accedere,adesse, & non posse bis demonstrari,sint de ratione quidditatiua instantis,vt instans est.sed nos dicimus,quòd instans,vt instans,non dicitur vniuocè de instanti temporis & æternitatis, & quòd illæ conditiones non conueniunt nisi instanti temporis, nec philosophus aut Commentator cognouerunt nisi hoc instans.sed hoc solum est de consideratione physica:si autem quæres,quæ ratio formalis instantis,vt instans est.Respõdeo quod est esse indiuisibile quid in omni duratione,nec plura sunt de ratione eius formali: ideo argumenta Aureoli non valent contra nos. Aduerte quarto, quòd arguit contra hoc: nunc stans causat æternitatem,vt recitat Capreo.ibidem in secundo loco: sed non est necesse, ea adducere:peccant enim sicut præcedentia in hoc fundamento quod imaginatur,nunc, & nunc esse vniuoca ad nunc temporis & æternitatis.& durationem omnem includere successionem & distensionem,ex cõsequenti, quòd omnis duratio causata ab ipso nunc sit extensa successiua,sicut esse causatum à puncto est extensum permanens: sed vt iam diximus de ratione formali durationis est tãtum manentia in esse: quòd autem sit successiua vel non, hoc pendet ab esse mensurato,sicut tempus ex motu habet successionem & prius & posterius: & propterea nunc stans causat durationem stantem,quæ est mensura esse omnino stantis. idest diuini: nunc autem fluens causat durationem fluentem: quæ autem differentia sit inter nũc æternitatis & nunc æui cum vtrumque videatur stans,dicam infra.patet igitur quòd Aureolus laborat in æquiuoco. Et si dicas sicut se habet punctus ad lineam,sic nunc ad durationem, sed punctus non potest causare lineam inextensam: ergo nec nunc durationem inextensam,& non successiuam qualem ponis æternitatem. Ad hoc dico, quòd similitudo non valet nisi in hoc,quòd sicut punctus est quid indiuisibile causatiuum lineæ, sic nũc est quid indiuisibile causatiuum durationis:in præsenti autem applicatione, non valet, quoniam punctus vt punctus est vniuocum : & ideo non causat lineam diuersarum rationum,puta extensa, & non extensa : nunc autem est non vniuocum ad nunc principium temporis, & ad nunc æternitatis: ideo non est par ratio de puncto,& de nunc.

ARTICVLVS III.

Vtrum esse æternum sit proprium Dei.

Circa tit. Aduerte,quòd æternum vt patet ex arti.1.duo include.s.immutabilitatem & interminabilitatem, quæ potest esse ex parte vtriusque extremi, vt si ponatur motus cæli non incœpisse,nec desinere:vel ex parte alterius extremi,vt si ponatur cælum incœpisse,& tamen non desinere,vel è conuerso.B.Thom.in tit.intendit de æterno quo ad vtramque conditionem simul,& propterea respondens ponit conclusionẽ per exclusiuam. quãtum enim ad interminabilitatem patet: quòd conuenit alteri à Deo vt cælo, & Angelo,licet de facto ex parte vnius extremi, tamen de possibili ex parte vtriusque:& philosophi tenent de facto mundum æternum, & tempus æternum:quod tamen veritas fidei non concedit.

Quædam igitur quantum ad hoc &c. & vsque ibi *æternitas Angeli*, Aduerte quòd licet indefinentia in esse conueniat terræ, & alijs elementis,& Angelis,non tamen eadem ratione: quoniã Angeli nullomodo quo ad esse substantiale desinunt esse, elementa vero cum habeãt materiam subiectam priuationi,secũdum partes desinunt esse, cum ad inuicem transmutentur ex secundo de generatione & perseuerant secundum totum.idest per æquiualentiam tantum, vt exposuimus suprà in q.2.artic. 3.defensantes B.Thom.contra Aureolum:in defensione tertię responsionis:post cessationem autem motus cæli terra consequabitur in esse fine termino durationis,& secundum partes,& secundum totum ex diuina virtute : & pro statu illo propriè verificatur dictum scripturæ: terra in æternum stat.

In responsione ad secundum: *vnde tamen in inferno non est vera æternitas, sed magis tempus* Aduerte quòd ex hac responsione duo eliciuntur, primum est quòd æternitas ex principali importat immutabilitatem,eo quòd est mensura esse omnino vniformis:& propterea ex sola interminabilitate non datur vera æternitas. secundum est, quòd post mortem cæli adhuc dabitur tempus in inferno: ergo non omne tempus est mensura primi motus,quale autem sit hoc tempus, an continuum an discretum,dicemus,cum loquemur de motu Angeli.

In responsione ad tertium, Aduerte quòd intendit implicitè necessarium esse duplex, s. incomplexum, vt Deus, cælum Angelus : & de hoc negãdum est, esse æternũ ꝙ sit necessariũ ab intrinseco & ab extrinseco, qualis est sol' Deus, vt dixim' in q præceden. 1.artic.2. Et complexum, vt propositiones per se & principia prima,& tale necessarium concedit omne æternum non quo ad esse, sed quo ad veritatem. sunt enim immutabilis veritatis ad differentiam propositionum contingentiũ:quarũ veritas mutabilis est. Vnde propositio categorica in materia contingenti reducta ad modalem significatur per ly, possibile,vt Sortẽ sedere,est possibile:per quod notatur ꝙ modus veritatis importatus per talem modalem est mutabilis de vero in falsum,& è conuerso.Categorica autem in materia naturali & per se reducta ad modalem significatur per ly necesse,vt hominẽ esse animal, est necesse: per quod notatur quòd modus veritatis importatus per talem modalem,est immutabilis,ex consequenti æternus,& hoc est, quod dicit B.Thom. quòd necessarium, scilicet sumptum in propositione modali significat quemdam modum veritatis,sicut possibile sumptũ eodẽ modo,ex quo tamen non habetur quòd aliud extra Deũ sit æternum, quoniam veritas propositionis est tantum in intellectu : ergo veritas æterna est in intellectu æterno, qui est Dei solus intellectus.

ARTICVL. IIII.

Vtrum æternitas differat à tempore.

Si tamen prædicta differentia &c. vsque ibi & finem in tempore. Aduerte quòd hanc propositionem declarauimus in 1.arti. huius quæst.quære illic; *Vnde si motus cæli &c.* & vsque *totum durationem*, Aduerte quòd Scot.in 2.distinct.2.q.3. ibi *conceditur cõsequens propter istam rationem.* Improbat dictum B.Thom.dupliciter primo sic:aliquid esse in tempore est sicut aliquid esse in numero:sed non est de ratione existentis in numero quod excedatur à numero : sed sufficit, quòd quælibet pars numerati excedatur à tali numero,quia ipsum numeratum est maius sua parte,& ipsum totum adæquatur suo numero,ergo à simili nõ est de ratione existentis in tempore, quod excedatur à tempore,sed quòd sit variabile,& habeat aliam & aliam dispositionem, & quod quælibet eius dispositio excedatur à tempore: igitur cũ primus motus,dato quòd esset æternus,habeat quãlibet circulationem,quæ excedatur à tempore, licet secũdum se totum non excedatur,sed adæquetur,potest dici mensurari tempore:secundo sic cuilibet mensuræ vniformi assignandum est primum,& adæquatum suum vniforme adæquatum: sed tẽpus æternum est mensura vniformis, cum secundum omnes partes sit successiua & regularis.ergo assignandum est sibi adæquatum mensuratum vniforme : hoc autem non potest imaginari,nisi totus motus cæli,ergo.

Ad hoc dico quòd fundamentum Scot. est contra philos. nam in 4.physicorũ. tex.117.dicit sic,quoniam autem sicut est in numero sic est in tempore,accipiatur ad plus tempus omni eo,quod est in tempore.hæc ille,& subdit:vnde necesse est omnia,quæ sunt in tempore,contineri sub tempore. ex quibus habemus,quòd omne mensuratum tempore, exceditur à tempore:sed secundum Scot.Totus motus æternus non solũ quo ad singulas partes mensuratur tempore,sed vt totus: ergo necesse est, vt tempus excedat non solum singulas partes, sed etiam totum, ergo non sufficit adæquari, quod ponit Scot. & hæc est intentio Commentatoris super eundem tex.Vnde inquit omne quod est in tempore, tempus excedit in duob.extremis . quod autem dicit Scot.de numero, quòd non est necesse excedere numeratũ,sed sufficit adæquare:falsum est sumendo numerum in tota sua latitudine,quoniam cum numerus tendat in infinitum, potest dari maior numerus quocunque applicito cuilibet numerato. Vnde dicit Commentator super eundem text. & omne, quod est numeratum in aliquo numero,numerus excedit ipsum in duobus extremis.Fallitur autem Scot. quoniam non considerat totam latitudinem numerorum,qui crescunt in infinitum,sed hunc numerum,puta x.applicatum x.lapidibus,de hoc constat,quòd non est necesse excedere suum numeratum,sed ideo nihil est. ad hoc enim quòd decem lapides mensurentur numero,necesse est,vt adæquetur suo numero.s.x.& vltrà hoc, quòd detur maior numerus quam

rus quam x.ex his igitur dico ad primum Scoti quòd tam in numero quam in tempore non sufficit adæquatio , sed requiritur excedentia,& quo ad singulas partes, & quo ad totum secundum mentem philosophi & Commentatoris: ideo Scotus in hoc deuiat à philosopho. Ad secundum dico,quòd sufficit cuilibet mensuræ assignaræ suum adæquatum mensuratum, quod sit mensurabile aut secundum totum,aut secundum partes singulas.Et hoc sufficit: & sic concedimus totum primum, motum æternum mensurari tempore: & si dicatur,ergo totus motus,vt totus,erit sine mensura: concedo,quoniam infinitũ est immensurabile. Et si dicas,quòd esse creatum,vel creabile est constitutum in aliqua mensura:concedo quo ad determinatum gradum entitatis: non autem quo ad extensionem, vt patet si daretur linea infinita vel creesceret in infinitum.

In responsione ad secundum, *nunc temporis est idem subiecto.* ideſt,vt est quoddam ens,*in toto tempore,sed differẽs ratione,* ideſt vt apprehenditur in continuo fluxu, aliter, & aliter se habet: & sic causat tempus:sicut mobile manens idem secundum substãtiam,& variatum secundum diuersa vbi,causat motum &c. Aduerte quòd eandem sententiam ponit B.Thom.in 4.physicorum text.104.& incipit ibi, *ipsum autem nunc est quidem sicut idem &c.*Sed contra hanc responsionem arguit Scot.in 2.d.2.q. 2. ad hoc etiã sunt duæ rationes philosophi,sed antequam adducam argumenta propono,quòd ipse deceptus fuit in duob. q̃ nõ agnouit differentiã inter nũc extrinsecũ & extrinsecũ: nã extrinsecum est tãtũ vnum,& correspondet mobili vt mensura, & non est substantia mobilis, sed vnitas ipsius vt est sub motu, & non cõtinuat nec terminat tempus,sed causat ipsum suo fluxu imaginariè,sed non realiter,sicut punctus fluẽs causat lineam:intrinsecum autem plurificatur, sicut plurificatur mutata esse in motu,& sic mutata esse non sunt aliud,quam diuersa esse ipsius mobilis vt est sub motu,quoniam semper aliter se habet, ita nunc intrinseca sunt diuersa esse ipsius nunc extrinseci fluentis imaginariè,& correspondenter mutatis esse,vt mensuræ suis mensuratis, & hæc nunc intrinseca continuant & terminant tempus. In hac igitur responsione B.Tho. quando dicit quòd est idem nunc subiecto in toto tempore, intendit de nunc extrinseco:quando dicit,quòd est diuersum ratione, intendit quod est diuersum secundum diuersa esse acquisibilia sibi,vt causat tempus,& talia diuersa esse, sunt nunc intrinseca sicut diuersa esse ipsi' mobilis,vt est sub motu sunt diuersa mutata esse.

Secundo deceptus est quia credidit,omne diuisibile esse actu terminum alicuius continui, vel partem alicuius discreti: quod non est verum de indiuisibili causante suo fluxu extensionem,siue permanẽtem,siue successiuam,quod dicitur indiuisibile extrinsecum: propositio igitur assumpta à Scot.nõ est vera nisi de indiuisibili intrinseco. Ex his videbis statim soluta argumenta eius quæ recitantur etiam à Capreol.in 2.dist.2. quæst.2.contra secundam & 12.& 13.in ordine,& quoniam ipse soluit iuxta declarationem hic præmissam , ideo non adduco ea:tu vide.

In responsione ad tertium *esse vero rerum corruptibilium, &c.* vsque ibi *æternitate sed tempore*, Aduerte quoniã idem replicat in articul.sequenti, ideo illic defensabitur.contra Heruetum & Scot.

ARTICVL. V.

Vtrum æuum differat à tempore.

Circa titu. Aduerte quòd licet proponat dubium de æuo & tempore,tamen respondens pertractat differentiam æui ab æternitate & tempore , qualis est differentia medij ab extremis ex hoc enim res &c. vsque ibi esse trãsmutabilẽ., Aduerte ꝙ ratio fundatur super quartum physicorũ in text.117. vbi inquit philosophus de mensuratis,& tempore: tabefacit tempus,& veteraſcunt.omnia sub tempore,quæ scilicet habent esse trãsmutabile: vnde infert philosophus illic, quòd quæ sunt semper,vt sunt semper,non sunt in tempore.

Et ex transmutabilitate &c. vsque *esse transmutabile*, Aduerte ꝙ ratio fundatur suprà 4.physicorum text.99.vbi philosophus docet,quòd prius & posterius primo inueniuntur in magnitudine,secundo in motu , tertio in tempore : ita quòd ex primo sequitur secundum & ex secũdo tertium : & sic patet, quòd ex variatione, quæ est in motu sequitur variatio in tempore, vt in sua propria mensura : ex quo sequitur quòd si mensuratum non habet prius & posterius,nec ipsius mensura habebit: ita quòd sicut affirmatio est causa affirmatiõis, ita negatio est causa negationis.

Sed aduerte quòd Scot.in 2.distin.2.quæst.1.ibi,*ad argumenta contra illam propositionem ad primum : quòd probat contradictionẽ sequi &c.* conatur soluere hãc rationem,& dicit quòd illa propositio, *extransmutabilitate mensurati*, non est necessario vera: quia stat esse innouationem & diffinitionem partium in dura tione alicuius , & tamen non in existentia vel in esse illius, cuius est talis duratio,& ponit exemplum de carne, quæ si nõ haberet partem & partem sub eadem quantitate permanente: tamen & esset alietas partium in ipsa extensione formaliter.i. in ipsa quantitate, cum de ratione quantitatis sit, posse diuidi in partes absque distinctione partium. i.corporis, cui accidit extensio talis.Et cum probatur,quòd non est distinctio in mẽsura nisi fuerit in mensurato per philosophum in 4.physicor. inquit Scot.Dico , quòd bene sequitur si partes temporis sunt aliæ,& partes motus sunt aliæ,sicut sequitur ab effectu ad causam,sed non est necesse, quòd in quibuscũque partes durationis sunt aliæ,quòd aliqua distinctio partium prior,ei sit causa huius distinctionis:quia illa,quæ alicui est secunda,in alia potest esse prima,exemplum huius est ignis,qui calefacit & excitat propter accidentia distincta in eo.s.propter calorem & siccitatem,ita quòd distinctio harum actionum est secunda,supponens distinctionem accidentium in igne,vt priorem:tamen non est necesse,hunc ordinem seruari in omnibus.nam in sole est vtraque actio,& tamen non reducitur ad priorem distinctionem accidẽtium cum eadem qualitate, puta luce vt æqui pollet calori,& siccitati vtramque causet actionem, sic inquit Scotus dicendum est in proposito.

Sed quòd hæc solutio non possit stare patet hinc. si mensura est habens partes,& mensuratum sit indiuisibile : ergo non certificabit mensuratum,quoniam ex.x.metaphysico.text.36. *metrum cognatum est* . i.vnius generis cum mensurato: propter quod inquit philosophus magnitudinem magnitudine metimur. sed diuisibile & indiuisibile nõ sunt cognata,nec proportionata vt patet,ergo &c.igitur mensura nõ potest habere partes nisi & mensuratum habeat:aliter non erit mensura. Vnde patet ꝙ Scot. cõtradicit philosopho in x.metaph. exemplum aut suum de carne non est ad propositum:dato enim quòd caro non haberet partes , & quantitas secundum se habet partes tamen non poterit dici stante illo casu,quòd caro sit mensura & quantitas sit eius mensura,cum non proportionentur diuisibile & indiuisibile:exemplum de igne non valet,quoniam actiones ignis & accidentia sua , quæ sunt principia earum actionum non ordinantur:sicut mensura,& mensuratum,& ratio non inconuenit ab aliori principioin diuiso prouenire in mediatè plures actiones:stando autem in proposito de mẽsura , & mensurato nõ incõueniet in aliqua natura quòd partes mensuræ supponant partes mẽsurati vt priores,sicut effectus supponit causam:vnde patet quòd Scot. conatus reprobare propositionem B.Thom. cum sit etiam philosophi in 4.physicorum vt diximus , reprobat etiam philosophum , & satis inepte.

Quædam autem sic recedunt. vsque *rerum corruptibilium.* Aduerte quòd Henricus in 2.quodlibet.quæst.12.tenet quòd esse rerum corruptibilium non mensuratur tempore, sed nunc temporis discreti:& probat duplici medio:primo.sic:sicut esse substantiæ incorruptibilis est totum sic & esse substantiæ corruptibilis:sed illud non mensuratur tempore, etiam secũdum B.Thom.sed æuo:ergo nec istud:secundo sicut tempus est mẽsura successiui:diffinitur enim per esse,mensuram motus, sed esse substantiale rei corruptibilis, non est de genere successiuorum, imo permanentium : ergo non mensuratur tempore. Ad hæc dico,quòd ad hoc,quòd aliquid mensuretur tempore sufficit hanc disiunctiuam esse veram quòd est successiuum, vel subiectum mutationis,quo tendit & disponitur ad non esse si est successiuum, est primo mensuratum tempore, si est subiectum mutationis quo disponitur ad non esse, est secundario mensuratum tempore. Ex his dico ad primum.ad maiorẽ: licet vtrumque sit totum simul,prout neutrum acquiritur per partem post partem : tamen esse rei corruptibilis est subiectũ mutationis alteratiuè propter qualitates actiuas,& passiuas, sed illud non, ideo non est eadem ratio : dico autem alteratiuè ad differentiam motus localis:nam esse substantiæ cęlestis est coniunctum motui locali , & tamen non mensuratur tempore , sed æuo , quoniam motus localis vt sic non vt via ad non esse.

Ad secundum dico quòd concludit esse substantiale rei corruptibilis non primo mẽsurari tempore: quoniam tempus est prima mensura motus:cum hoc tamen stat, quod est secundario mẽsuratum.i.ratione mutationis annexæ, qua disponitur ad non esse,& ideo ad insinuandum hanc differentiam B.Tho in articulo vtitur disiunctiua cum dicit quòd esse eorum, e. subiectum transmutationis,vel in transmutatione consistit.st

Item

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item aduerte quòd Scot. in d. 2. q. 4. ibi *Concedo conclusionem &c.* tenet quòd esse substantiæ corruptibilis mensuretur æuo: & soluit rationem, cui videtur iunti D. Thom. quòd mensuretur tempore: & quidem quòd mensuretur æuo fundat se super hoc suum principium, Quæcunque existentia actualis, cui repugnat acquiri per partem post partem, ex cõsequentia est manens, quam diu manet, eadem mensura mensuratur secundum esse: substantia corruptibilis est talis, quam diu manet: esse substantiæ incorruptibilis est tale, & actiones Angelicæ sunt tales, quam diu manent: ergo eadem mensura mensuratur. Sed esse substantiæ incorruptibilis mensuratur æuo: ergo & esse substantiæ corruptibilis, nec obstat inquit Scot. quòd alterum sit corruptibile: alterum non, dummodo existentia dũ manet sit eiusdem rationis, puta quòd sit permanens, & non partibiliter acquisibilis, quoniam perpetuitas, & corruptio, & anihilatio non variant mensuram formaliter stante existentia eiusdem rationis dum manet:

Ad hoc dico quòd Maior assumpta nisi aliter exponatur, est falsa, aliter esse diuinum & esse hominis eadem mensura mensurantur: dico igitur quòd non est vera: nisi vltra illas conditiones addatur hæc, & à principio intrinseco, non est transmutabilis essentialiter & sic concessa maiore, nego minorem, ergo ad esse rei corruptibilis, & quo ad operationes Angelicas: quoniam ex se & ab intrinseco sunt defectibiles cum substantia corruptibilis includat materiam subiectam priuationi & operationes naturales Angeli, sunt à potentia actiua creata quę ex sui natura aliquando est in potentia, aliquando in actu, vnde patet quòd ratio Scot. est nulla, nec concedimus perpetuitatem à principio intrinseco, & corruptibilitatem à principio extrinseco, non variare mensuram. Ratio cui videtur inniti B. Thom. præcipuè in articul. præcedenti in responsione ad tertium: est hæc: quies ex quarto phisicor. mensuratur tempore: igitur illa, quorum esse est cum motu, quando non sunt in motu mensurantur tempore, sicut si essent in motu tales substantiæ corruptibiles & esse earum &c.

Ad hoc Scot. dicit quòd bene sequitur quies mensuratur tempore, ergo & motus: quia est priuatio mensuratur, multo magis habitus: sed non sequitur inquit Scot. ergo existentia rei corruptibilis permanentis mensuratur tempore: quoniam talis permanentia est extra genus successiuorum, sed Scot. non tendit ad sensum B. Thom. nam intendit B. Thom. probare, quòd esse rei corruptibilis mensuratur tempore, non præcisè sumptum, sed vt adiunctum transmutationi alteratiuæ qua res corruptibilis disponitur ad non esse. Scot. autem formans illam consequentiam: ergo existentia rei permanentis &c. accipit ly, existentiam secundum se præcisè: & sic concedimus quòd consequentia non sequitur, si autem sic formasset, ergo existentia rei corruptibilis vt coniuncta transmutationi mensuratur tempore: vidisset veritatem consequentiæ quam intendit B. Thom. & aduerte quòd ratio B. Thom. fundata est in 4. physicor. text. 118. vbi philosophus declarans, quomodo tempus est mensura non solum eorum quæ mouentur actu, sed quæ mutabilia sunt, inquit mensurabit autem tempus, quod mouebitur & quiescens, secundũ quod hoc quidem motum: illud autem quiescens. hæc ille: ex quo habetur, quod cum omne quiescens sit mutabile, si omne quiescens mensuratur tempore, & omne mutabile, vt sic mensurabitur tempore; & tunc B. Thom. assumit hanc minorem, sed esse rei corruptibilis est mutabile, vt constat: & ideo bene concludit, ergo mensuratur tempore: præcipuè quia est mutabile ex principio intrinseco, vt diximus. s. patet igitur quòd Scot. impugnans B. Thom. impugnat philosophum.

In responsione ad primum duæ sunt propositiones defendendæ, primo *Creaturæ spirituales quantum ad affectiones &c.* Secũda *quantum ad visionem gloriæ participant æternitatem.*

Contra primam, aduerte quòd Scot. in 2. d. 2. q. 4. duplici via arguit: primo probat ꝙ mensurentur æuo, secundo quòd non tempore: quantum ad secundum sic arguit: quæ habent vniformem modum manendi, dum manent, habent mensuram eiusdem rationis, licet vnum diutius maneat quam aliud: hæc fundamenta videntur suprà doctrinam B. Thom. in prima parte qõ. x. in præsenti articul. vbi distinguit tres mensuras penes tria esse rerum, ergo quæ habent esse, eodem modo mensurantur eadem mensura: sed operatio Angeli habet eundem modum essendi, quem habet existentia Angeli, quoniam est indiuisibilis, licet tota simul sicut esse Angeli, cũ sit motus, qui est actus perfecti, & non actus existentis in potentia: ergo licet, non tantum durat, quantum esse Angeli: mensurabitur æuo: sicut esse Angeli: Nec valet inquit Scot. si dicatur, quòd non mensuratur æuo: quia operatio non semper erit, & tamen esse Angeli semper erit: quoniam etiam si Angelus eras a nihilare tur, mensuraretur, æuo, ergo.

Ad hoc dico quòd maiore concessa, minor est falsa: nam ad hoc, quòd operatio Angeli habeat eundem modum essendi, quem habet existentia ipsius, non sufficit, quòd vtrumque sit indiuisibile, & non partibiliter fiat, sed quòd vtrumque ex suo principio intrinseco sit indefectibile: quòd autem sit defectibile à principio extrinseco, hoc non impedit, puta quòd sit anihilabile: modo esse Angeli, est indefectibile ex suo principio intrinseco: quoniam vt sic, est necessarium vt docuimus sup. prà: operatio autem vtroque modo est defectibilis de principio extrinseco, patet sicut omne creatum: de principio autem intrinseco probatur, quoniã omnis potentia actiua creata ex sui natura est in potentia ad operationem suam, sicut perfectibile ad suam perfectionem: ergo quantum sit ex sua naturalitate potest habere operationem suam, & non habere eam: ex consequenti operatio eius naturaliter defectibilis est: dixi quantum est ex naturalitate potentiæ, vt præseruem me à visione beatifica, de qua dicam, & ab intellectione, qua Angelus intelligit se ipsum: hæc enim est perpetua propter continuã præsentiam obiecti, & non propter potentiam intellectiuam Angeli: cum secundum se sit in potentia ad omnem actum secũdum, vt dicemus in tractatu de Angelis. patet igitur quòd ratio Scot. non valet. Arguit, quòd non mensuretur tempore, sed quoniam B. Thom. intendit de tempore discreto de quo est specialis locus infrà q. 57. de motu Angeli, an fiat in instanti, & Scot. principaliter intendit reprobare tale tempus: ideo differo huiusmodi argumenta vsque ad illum locum: nam & Capreol. in illo proposito adducit in 2. dist. 2. q. 2. contra tertiã.

Contra secundam, Aduerte quòd Scot. in 4. dist. 49. qõ. 6. ibi *de secundo dubio, scilicet qualis sit &c.* tenet ꝙ visio beatifica mensuratur æuo: sicut esse Angeli, & aliæ operationes suæ: & contra B. Thom. arguit ꝙ non mensuretur æternitate participata. primo sic: substantia Angeli immutabilior est operatione sua beatifica: ergo si substantia sua mensuretur æuo, & operatio eius beatifica, consequentia nota: Antecedens probatur, quoniam substantia sua est fundamentum operationis, ergo nobilior, & permanentior. Præterea ly, beatifica se habet ad operationem beati, sicut forma, vel qualitas, vel modus operationis ad substantiam eiusdem operationis, sed qualitas aut modus nõ est immutabilior eo, cui accidit, quoniam quod est per se, immutabilius est eo, quod est per accidens: ergo si beati operatio, vt est operatio agentis creati secundum substantiam mensuratur æuo, & vt stat sub ly, beatifica mensuratur æuo. Præterea mensuratum æternitate, est indefectibile, & penitus immutabile ex definitione æternitatis: quam suprà posuimus. Sed nulla operatio creata est indefectibilis, potest enim non conseruari à Deo, & potest etiam anihilari: ergo & operatio beatifica ex consequenti non mensuratur æternitate.

Ad horum euidentiam, Aduerte tria: primo ꝙ B. Thom. nec hic, nec in 3. contra gent. 61. dicit absolutè operatione beatificam mensurari æternitate, secundum ꝙ participat æternitatẽ: & intendit ꝙ secundatio mensuratur æternitate, quasi dicat, æternitas est mensura primo quidem diuini esse, & diuinæ operationis, deinde secundario visionis beatificæ: vnde æuiternitas, & æternitas participata est eadem mensura, sed distingui tur ratione solum penes primum & secundum mensuratum, vnde non est concedendum, quòd æuum sit idem, quod æternitas participata: Nec obstat quod Bea. Thom. dicit in quinto quodlibet. q. 4. artic. 1. ꝙ æuum est quædam æternitatis participatio: intendit enim per participationem deriuationem, sicut & tempus deriuatur ab æuo secundum Boetium.

Aduerte secundo, ꝙ cum æternitas mensura diuini esse sit, nihil potest mensurari æternitate, nisi fiat diuini, & supernaturalis ordinis. Vnde omne naturale mobile mensuratur tempore, omne naturale immobile vt sic mensuratur æuo, sicut esse cæli & Angeli, & animæ: & quoniam beatus in suo intellectu pro forma intelligibili habet diuinam essentiam, ex consequẽti eleuatur ab ordine naturali ad ordinem diuinum, vt plenius loquemur in q. 12. ideo operatio, quæ elicitur ab intellectu sic eleuato efficitur operatio non naturalis, sed supernaturalis, & dicitur diuina, sicut beatus dicitur diuinus, ex cõsequenti non est mensurabilis, nisi mensura diuina.

Aduertetertio ꝙ ly, operatio beatifica dicatur immutabilior quacunque operatione elicita à creatura, propter omni modam præsentiam, & sufficientiam obiecti beatifici, tamen defectibilis est, quoniam omne productum est defectibile ex subtractione vniuersalis influxus Dei: & indefectibilior quã sit substantia ipsius beati, cum sit minoris entitatis: quoniam non ratione immutabilitatis præcisè, sed quia est actio diuini ordinis

ordinis: conuenit ei sic mensurari, ex his patet solutio ad obiectiones Scot. Ad primam nego consequentiam quam reputat esse notam: dato enim quòd substantia beati esset immutabilior: tamen est in ordine entium naturalium: actio autem beatifica in ordine entium diuinorum. & ideo consequentia non valet. Ad secundam supponit falsum, scilicet quòd ly, beatifica in ordine entium diuinorum sit conditio accidentalis, adueniens illi operationi: sed hoc non est verum, imo est vt differentia per se distinguens talem operationem essentialiter ab omni operatione naturali, & ex tali differentia efficitur diuini ordinis, & propterea considerare talem actionem secundum se, deinde vt stat sub ly beatifica, est falsa imaginatio, sicut imaginatus est Scotus: vnde nego, quòd sit apta secundum se mensurari æuo: quoniam non potest abstrahere à ly, beatifica, sicut homo non potest abstrahere à rationali. Ad tertiam dico, quòd maior non est vera de primo mensurato, secundum autem mensuratum potest esse defectibile, dummodo non fiat diuini ordinis.

In responsione ad secũdum *æuum est totum simul.* Aduerte ꝙ Capreol. in 2. distinct. 2. quæstion. 2. contra quintam: adducit xij. argumenta, quibus aliqui defensant opinionem B. Bonaventuræ tenentes, quòd in æuo sit successio, siue prius & posterius: ex consequenti nõ est totum simul. ex quibus argues vt videbis quartum fundat super dictum Hiere: & secundum superdictum Augustinum. soluuntur hac responsione B. Thom. Verum est enim quòd licet æuum, in se non habeat successionem, ex consequenti nec præteritum, nec futurum, tamen secum compatitur successionem ratione operationum ipsius æuiterni: & ideo licet æuiternum secundum esse substantiale non cadat nec sub præterito, nec sub futuro, tamen vt operãs cadit sub his differentijs, quoniam verum est dicere, quòd aliqua operatio est præsens aliqua præterita & hac de causa vt dicit B. Thom. dicitur æuum ab æternitate.

In responsione ad tertium, aduerte, quòd per hanc responsionem videbis solutum primum argumentum & vndecimũ: & duodecimũ recitata à Capreol. vbi suprà: & Capreo. in responsione ad primum ibi, *Tum quia si illa responsio non placet &c.* optimè declarat responsionem hic datam à B. Thom. & expositor imitatur verba Capreol. de coexistentia actuali vel potentiali, vt videbis.

In responsione ad quartum, *Duratio æui est infinita, quia non finitur tempore.* Aduerte quòd ex hac responsione soluitur argumentum secundum recitatum à Capreol. vbi suprà, & intendit hanc distinctionem infinitum dupliciter, positiuè, & negatiuè, primum repugnat creaturæ, non autem secundum. Quid sit vtrumque, vide in Capreol. vbi suprà in responsione ad secundum: & quoniam æuum est infinitum negatiuè, quia non habet potentiam in se, per quam possit deficere hodie, non cras, nec post cras, & sic in infinitum: ideo nullum sequitur inconueniens: sed aduerte quòd argumentum tertium recitatum à Capreol. vbi suprà est sicut replica contra resp. B. Thom. probat enim quòd si æuum est infinitum negatiuè, & sit infinitum positiuè: & arguitur sic: negatio infinitorum defectuum arguit positionem infinitarũ perfectionum: ergo si in æuo est infinitas negatiuè sequitur in eodem infinitas positiua.

Ad hoc bene respondet Capre. ꝙ æuum includit negationem infinitorũ defectuum eiusdẽ rationis. id est qui omnes sunt eiusdem speciei, & distincti solo numero, vt non posse deficere hodie, cras, & post cras &c. omnes enim partes temporis sunt eiusdẽ speciei: ex consequenti ponit infinitas perfectiones distinctas solo numero, puta posse esse hodie, cras, post cras, &c. sed hæc non est infinitas positiuè simpliciter, sed tantum secundum quid, quam non negamus in creatis vt diximus: in q. 7. artic. 2. Tu tamen vide Capr. quoniam diffusior, & clarior: ideo nolo immorari. similiter nota quòd argumentum sextum recitatum à Capre. vbi s. est velut replica ad hanc resp. immediatè datam: & intendit probare, quòd sit infinitum positiuè simpliciter: & arguitur sic. si esset aliqua creatura, quæ haberet in se perfectiones omnium creaturarum &c. Vide Capr. & aduerte, quòd dupliciter potes respõdere, primo negare consequẽtiam, quia perfectiones omniũ creaturarum non sunt eiusdem rationis: & ideo licet ex inclusione talium perfectionum concluderetur infinitum simpliciter, non tamen in æuo, quoniam omnes perfectiones quas includit, sunt eiusdem rationis, secundo respondeve vt dicit Capreol. quòd argumẽtum concluderet, si æuum actu existeret omni parti temporis futuri, sicut æternitas, quòd enim commensuretur actu alicui infinito necesse est, vt sit actu infinitum, sed æuum non coexistit actu toti tempori futuro, licet actu coexiterit toti tempori præterito: & ideo non sequitur, quòd sit actu infinitum positiuè simpliciter.

Vltimo aduerte, quòd argumentum quintum & nonum & decimũ recitata à Capreol. vbi suprà inducitur ad probandum, quòd æunm non est totum simul: & tangunt hoc vnum, Deus potest creare Angelum: deinde, anihilare, deinde recreare. Præterea Deus potest creare vnum Angelum ante alium. Præterea Deus potest destruere Angelum: Quæro ergo an in instanti, in quo est, aut in alio: non in eo, in quo est, quoniam sequerẽtur cõtradictoria, ergo in alio, ergo in æuo sunt duo instantia, ergo non est totum simul.

Ad hoc dico quòd supponitur vnum falsum, s. quòd creatio & recreatio & destructio Angeli mensuratur æuo, similiter quòd ratione æui possit vnius Angelus creari ante alium: hæc omnia sunt falsa. sed dicimus quòd mensurantur instantibus temporis discreti, in quibus stat successio sine quantitate: & propterea non est aliud dicendum ad tria argumenta: nam cum loquemur de Angelis, tunc declarabitur, quòd in Angelis datur aliquid mensuratum æuo tantum, vt esse suum aliquid instanti temporis discreti, vt actiones instantaneę, qualis est creatio, intellectio: aliquid tempore continuo, vt motus localis, si est continuus, vel tempore discreto, si motus est discontinuus.

ARTICVL. VI.

Vtrum sit tantum vnum æuum:

CIrca titu. ly æuum sumitur propriè: ly, *vnum* stat pro vno numeraliter: probat enim vnitatem æui per comparationem ad vnitatem temporis, quam dicet esse numeralem ex vnitate numerali primi motus, quicunque sit ille.

Ratio vnitatis temporis est vnitas primi motus. Aduerte quòd tempus dupliciter consideratur: primo modo propriè & sic tantùm numerus primi motus dicitur tempus vt declarabitur, secundo modo communiter: & sic numerus cuiusque successionis potest dici tempus, & cum omnis motus habeat suam propriam successionem, sequitur quòd omnis motus habeat suum proprium tempus communiter dictum: & id concedit B. Thom. in 2. distinct. 12. quæst. 1. articul. 5. ad tertium vt videbis: in præsenti autem ar. intendit inuestigare vnitatem temporis proprie dicti, cuius vnitas pendet ab vnitate primi motus, & hoc fundatur in 4. physicor. text. 132. vbi inquit philosophus, Si igitur prima mensura omnium proximorum, circulatio quæ regularis, maxime mensura: & Commentator in 4. physicor. comm. 99. inquit omnes conueniunt in hoc, quòd tempus sequitur motum cæli, vt dicitur in x. metaphys. Aduerte quòd philosophus illic in text. 4. declarat per expositionem astrologię, omnem motum iudicari per primũ motum. Vnde inquit, quapropter in astrologia tale vnum principium & metrum, motum enim regularem & velocissimum supponunt eum, qui est primi cæli, ad quem alios iudicant. hæc ille.

Si ergo tempus vsque *recipit vnitates.* Aduerte quòd hæc etiã fuit intentio Commentatoris in 4. physicor. commen. 132. vbi inquit tempus igitur sequitur hunc motum, & esse motus accipitur in definitione eius, & ipsum mensurat illum non secundum quòd numerus mensurat numeratum, sed secundũ ꝙ mensurat aliquid ꝙ est forma i. quod est de ratione formalis illius: alios vero motus mensurat secundũ ꝙ numerus mẽsurat numeratũ. s. quod numeratũ non accipitur in definitione numeri: hæc ille. & intendit, ꝙ alij motus sunt mensurati sed nõ sunt subiectũ ipsius, & ideo non cadunt in definitione eius. Ad primũ vero cõparatur vt mensura, & vt propria passio, & ideo definitur per ipsum & habet vnitatẽ ab eo, sicut accidens trahit vnitatem vel pluralitatẽ à suo subiecto. Contra prędicta arguit Aureolus multipliciter vt adducit Capr. in 2. dist. 2. q. 2. contra primam conclusionem probans, ꝙ tempus consequitur omnem motum vt subiectum suum, & non solum motum cæli: nolo illa adducere, quoniam omnia probãt de tempore cõmuniter dicto, de quo non intendimus hic: nihil autem concludit de tempore propriè dicto, quoniam in solo illo est successio regularissima, & aduerte ꝙ tempus per se cõsequitur motum primũ quicunque sit ille: hoc dico: quoniam datur, ꝙ si motus primi cæli cessaret: propter hoc non destrueretur tempus simpliciter, sed consequeretur aliũ primũ motum in quocunque corpore poni &c. Aduerte etiam ꝙ Capr. respondens tangit de identitate vel distinctione tẽporis, & motus & an sit eadem successio in tẽpore & in motu, sed hęc pertinẽt ad 4. phys. & illic ordinaui. q. sup hoc vide tu:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secundum autem secundam opinionem. vsque in finem. Adeuidentiam huius conclusionis tria considerandasunt, primo à quo trahit æuum vnitatem: secundo quod est illud æuiternũ, in quo est subiectiuè: tertiò quid dicit æuum in tali æuiterno, an sit esse ipsius, vel quid superadditum. Quantum ad primum, aduerte quòd Beat. Thom. hic studens breuitati tangit medium, & ratione vnitatis æui in hoc, quod dicit *quòd cum vnumquodque mensuretur.* Sed facit proportionem inter tempus & æuum, & declarat, quòd sicut tempus sortitur vnitatem à primo motu simplicissimo vniformi, & perfectissimo: quoniam per ipsum & vt mensura homogenea mensurat omnem alium motum ex x. metaphysic. text. 4. ita cum æuiterna sint vnius generis in quantum mensurabilia, & in eis detur primum medium & infimum secundum doctrinam Dionysij, æuum trahit vnitatem à duratione siue ab esse primi & simplicissimi æuiterni, quo mensuratur esse cæterorum æuiternorum.

Sed contra, quod non sit vnum æuum tantum, quod sit in primo æuiterno, multipliciter arguit Aegidius vt adducit Capreol. in 2. distinct. 2. quæstion. 2. contra sextam cõclusionem. sed vt videbis pro maiori parte fundatur in quibusdam falsis.

Primo quòd Deus potest creare æuiternum simplicius: ergo æuum non est in primo æuiterno producto: hæc cõsequẽtia non valet sicut nec in tempore, vt diximus suprà, sufficit enim quòd æuum sit in primo æuiterno, quodcunque ponatur: nam nunc est in primo producto, si autem produceretur simplicius, esset in illo.

Secundo quòd Deus est mensura omnis substantiæ, ergo omnis esse: & hoc vtique est verum de mẽsura hæterogenea. sed nunc agimus de homogenea.

Tertio quòd mensura est à mensurãte: sed æuiternum primum non est causa aliorum, ergo &c. & patet quòd illa maior est falsa de causa effectiua, sufficit quòd sit causa vt formalis, & secundum cognitionem.

Quarto quòd omnia æuiterna sunt eiusdem rationis, cum sint perpetua: ergo æuum non est magis in vno, quam in alio, antecedens est falsum quo ad simplicitatem & vniformitatem: & penes has conditiones ponitur æuum in primo in quo nobiliori modo inueniuntur. reliqua leuia sunt, vsque ad decimum tertium: ideo videtu. Durandus autem vt recitat Capreol. vbi suprà arguit tripliciter, & primo quòd cætera æuiterna non mensurentur in comparatione ad primum: secundo & tertio, quòd nullum æuiternum sit mensurabile per mẽsuram vnigenam. primo igitur sic arguit Duratio & quantitas durationis cuiuslibet æuiterni est notior ex sua proprtia ratione quàm in comparatione ad alterum, ergo non potest mensurari per comparationem ad aliquod primum: consequentia nota, quòd mensura debet esse notificatiua mensurati. Antecedens probatur, quoniam propria ratio æuiterni est, non posse deficere: & ex hac ratione constat, quòd eius duratio est perpetua: ergo non potest magis constare per comparationem ad alterum: ex consequenti vane mensuratur per alterum æuiternum.

Ad hoc dico quòd decipitur Durandus ignorans mensuratum per æuum, nec enim etiam esse perpetuum præcisè, sed hoc totum esse perpetuum tantæ vel tantæ simplicitatis, & vniformitatis: hoc autem non potest cognosci, nisi per comparationem ad aliquod primum: sicut magis, & minus calidum non agnoscitur nisi per comparationem ad primum calidum.

Secundo sic: infinita duratio nõ habet mensuram, quia infinito repugnat mẽsurari: sed cuiuslibet æuiterni duratio est infinita saltem à parte post: ergo.

Ad hoc dico quòd maior nõ est vera, nisi de durationesue cessiua, quæ non est tota simul, non sic est duratio æuiterni, quoniam in ea pars non succedit parti: & cum probat, quoniam repugnat infinito mensurari, dicitur quòd hæc non est vera, nisi de infinito materiali & de infinito formali, quod est infinitum simpliciter & positiuè: sicut est Deus. De infinito autem secundum quid & negatiuè qualis est duratio æuiterni, quæ ideo dicitur infinita quia non finitur tempore, non est vera: aliter Angelus non mensuraretur aliqua mensura nec æternitate nec æuo, nec tempore.

Tertio omne mensurabile habet rationem quanti: duratio æuiterni secundum se non est quanta cum sit tota simul, ergo. Ad hoc dico quòd Maior non est vera nisi de mensurabili, mensura extensa, cum ipsum esse æuiternum sit indiuisibile, & totum simul. Vnde potius habet rationem vnitatis, quam numeri, sicut diximus de æternitate licet deficiat ab ea quoniam secum compatitur prius & posterius, ex consequenti numerum: & propterea non concludit argumentum.

Quantum ad secundum aduerte quòd B. Thom. in quodlibet, quæstio. 7. determinat, quòd est subiectiuè in æuiterno simpliciori secundum substantiam & secundum operationẽ beatificam, eo quòd illud. vt sic erit primum & perfectissimũ inter æuiterna, sicut subiectum temporis est corpus simplicissimum secundum substantiam, & secundum motum, quale est primum cælum: & aduerte quòd Beat. Thom. sumit ly, *simpliciori.* secundum substantiam, & secundum operationem beatificam coniunctim, & non diuisim, nam si diuisim sufficeret, lucifer damnatus esset subiectum æui, quoniam posito quòd sit prior absolutè est simplicior secundum substantiam, *similiter anima christi* cum causa sit perfectior in actione beatifica omni æuiterno, esset subiectum æui.

Sed contra: cuum est mensura naturalis, ergo erit subiectiuè ī quo est, natura simplicior dato, cp nõ sit beat⁹. Ad hoc dico, quòd licet tempus sit mensura naturalis, & tamen non compleatur nisi per opus animæ ex quarto physicorum, sic non inconuenit, quòd æuum compleatur per actionem gratuitam, quoniam per ipsum primum æuiternum maximè propinquat æternitati, ex consequenti efficitur subiectum æui: quod deriuatur ab æternitate.

Quantum ad tertium, Aduerte iuxta Capreolum in 2. distinctio. 2. quæstio. 2. in responsione ad primum & sextum factum contra secundam partem conclusionis quòd æuum nõ est accidens in primo æuiterno, alioquin cum per ipsum mẽsurentur omnia æuiterna, mensura esset indignior mensurato, ex consequenti non est subiectiuè in eo, vt accidens in suo subiecto, sed est esse primi æuiterni, quod distinguitur realiter ab essentia eius, & comparatur ad ipsam sicut actus ad potentiam. Sed aduerte, quòd tale esse tripliciter consideratur primo absolutè, & sic dicitur esse & actus essentiæ: secundo vt non raptim transit, sed est rata: & sic dicitur ratio: durare enim formaliter est manere in esse. Tertio vt induit rationem vnitatis & simultatis & sic dicitur æuum, vnde cuum formaliter non est aliud nisi vnitas vniformis esse substantialis secum compatientis prius & posterius secundum operationem: & sic in hoc distinguitur ab æternitate.

Ex his videbis soluta omnia argumenta quæ recitantur à Capreolo, in secunda distinctione 2. quæstione secunda. contra secundam partem cõclusionis sextæ: omnia enim probant, quòd æuum non addit aliquid absolutum distinctum realiter à substantia primi æuiterni: quod tamen stat, quòd addit aliquid, quod comparatur ad subsantiam, sicut actus ad potentiam.

Sed aduerte, quòd si æuum est esse primi æuiterni, videtur vt inquit Scot. & tenet in secundo distinctione 2. quæstione tertia quòd primum æuiternum non mensuretur æuo, quoniam mensura notior est mensurato, ex decimo metaphysic. Sed idem non est notius seipso. &c.

Ad hoc dico, non inconuenit idem esse notius se ipso, diuersa ratione, sicut qui tenent motum cæli & tempus esse idem, dicunt quòd motus vt numeratus notior est se ipso, & ideo vt stat sub numero, mensurat se ipsum, sic in proposito esse primi æuiterni vt habet rationem vnitatis, est notius seipso, & vt sic est mensura sui ipsius, quoniam inter mensuram & mensuratum sufficit distinctio formalis. vtrum autem tempus & motus distinguantur realiter, vide in 4. physicor. vbi ordinaui particularem quæstionem: huic autem proposito est impertinens.

In responsione ad primum, aduerte quòd Beat. Thom. intendit de æuo propriè dicto: nam de communiter dicto potest concedi dictum Esdræ: quoniam æuum communiter dictum est vnitas, siue simultas esse transmutabilis substantialiter: talis autem simultas seruatur in quolibet æuiterno, vt patet: æuum autem propriè dictum est vnitas primi esse primi æuiterni, in quo vt simpliciori mensurentur alia eiusdem generis.

In responsione ad secundum, aduerte quòd intendit, licet cælum & Angelus differant genere physico, non tamen genere mensurabilium: quoniam mensurabile graduatur secundum triplex esse scilicet transmutabile omnino, Intransmutabile substantialiter tantum Intrasmutabile: omnino. Quæcunque conueniunt in primo mensurãtur tempore: quę in secundo, æuo: quæ in tertio æternitate: & id fuit vnum de argumentis adductis à Capreol. in 2. dist. 2. quæst. 2. contra setam conclusionem, & est octauum in ordine.

In respon

In responsione ad tertiũ, Aduerte quòd intendit duo posse considerari in æuiternis, primo quòd conueniant in esse intransmutabili: & hoc est per se requisitum, vt mensurẽtur æuo: secundo quòd simul incœperint: & hoc est per accidens, quoniam dato, quòd non simul incœperint adhuc stat esse intransmutabile ex consequenti mensuratur æuo, & hoc fuit vnum ex argumentis Aegydij contra vnitatem æui, vt adducit Capr. vbi ī. & est quintum in ordine.

In responsione ad quartum, *non requiritur quòd illud vnum sit causa omnium.* oppositum videtur dixisse suprà in quæstion. 2. articu. 3. cum dixit, quòd est maximè tale in aliquo genere, est cuusa omnium illius generis, & exemplificat de causa effecti ua. Sed quòd est mensura, est maximè tale, quoniam est primum illius generis ex x. metaphysic. text. 2. ergo &c. Ad hoc dico, cp suprà locutus est de mensura primò prima quæ in se continet absolutè omnes perfectiones alicuius communis &c. vt illic exposuimus. hic autem loquitur de mensura proxima quæ dicitur esse prima species alicuius generis & hanc non est necesse esse causam effectiuam, sed causam cognoscendi omnem gradum perfectionis illius generis secũdum maiorem, vel minorem propinquitatem ad illud primum: concedo igitur, quòd mensura primo prima ipsius Angeli, quæ est diuina substantia, est causa effectiua, non autem proxima quale est æuum sicut albedo respectu aliorum colorũ, & aurum ad alia metalla comparatũ: sufficit enim quòd hęc sint causa cognoscendi.

¶ Quæstio Vndecima.

ARTICVL. I.

Vtrum vnum addat aliquid suprà ens.

CIrca hanc quæst. antequam deueniam ad articulum dico inuestiganda sunt, primo quare B. Thom. tractãs de vnitate diuina, primo tractat de vnitate per comparationem ad ens, & ad multa, cum hæc præcisè ad metaphysicum pertineãt, secundo quare B. Thom. ponit hanc quæstionem de vnitate vndecimam cum ens prius diuidatur per vnum & multa quam per simplex & compositum, perfectum, & imperfectũ, &c. ergo post secundam quæstionem in qua conclusit existẽtiam Dei, debuit inuestigare de vnitate.

Quantum ad primum, dico, quòd id fecit, quia in hoc tractatu agit de primo separato modo metaphysico inuestigando scilicet, eius prædicata quidditatiua & proprietates: doctrina autem metaphysicalis requirit quòd consideratio communis præcedat. Vnde Aristo. ante 12. metaphysic. posuit librum quintum vbi agit de terminis primis metaphysicalibus inuestigans quotupliciter dicãtur. Sed dices cum B. Tho. agat de Deo vt est perfectus vt infinitus vt immutabilis, vt sciens, vt volens &c. Cur ergo prius non agit de his in communi sicut de vno?

Ad hoc dico, quòd Bea. Thom. ideo non agit nisi de transcendentibus vt bono, vno, vero, & ratio est, quia hæc sunt prima simpliciter, quorum notitia simpliciter supponitur in omni cognoscibili: & ideo prius debent notificari in communi: sed dices, hæc notificata sunt in metaphysicis, ergo &c. Respondeo non ita clarè resolutè, & vnitè: & ideo B. Thom. instruens nouitios, bonum existimauit tradere prius in communi horum transcendentium cognitionem: Quantum ad secundum dico vt dixi in quæst. de bono, quòd iste tractatus non ordinatur secundum ordinem, diuisionis entis, sed vt Deus venit in cognitionem intellectus viatoris, & hoc fit, vt dixit Beat. Thom. introducens quæstionem tertiam potius remotiuè quam affirmatiuè: via ergo remotionis inuestigauit pluraliter, vt prædicata quidditatiua simplicitatem perfectionem infinitatem immutabilitatem, ad quam sequitur æternitas: nunc autem imitans Aristotelem in 12. metaphysic. agit de vnitate, vt opponitur pluralitati: sic enim processit philosophus in 12. Nam incipiens à textu 3. vsque ad 36. inuestigat, & probat, quòd datur aliqua substantia æterna, immaterialis, quæ est actus. A text. autem 36. vsque ad 42. inuestigat perfectionem eius quomodo, scilicet est primum intelligibile, primum appetibile, penitus immobile, impassibile, inalterabile, indiuisibile: A text. autem 42. vsque ad textum 51. agit de vnitate, & pluralitate eius: A textu 51. vsque in finem agit de operatione eius intellectuali, & quomodo disponit vniuersum, sicut dux exercitum.

Vnum non addit suprà ens rem aliquam, sed tantum negationem diuisionis, Aduerte quòd hic intendit de vno transcendenti, & non de numerali. De illo namque loquatur in responsione ad primum.

Aduerte secundo, quòd B. Tho. non immoratur ad id probandum quasi supponens vt clarum, quòd addit tantum indiuisionem quæ non est aliqua natura, & ideo vide in 4. metaphysic. super text. 36. qui incipit *si igitur ens, & vnum idem &c.* vbi philosophus adducit duas rationes ad hoc propositum: prima incipit ibi, *Idem enim numero homo, & ens homo,* & stat in hoc quæ vni tertio sunt eadem, inter se sunt eadem, & secunda incipit ibi, *amplius autem cuiusque substantia.* & vtramque formaliza Beat. Thom. exponens illum text. vide tu, & conformat se commentatori in comment. 3. super eundem textum.

Sed aduerte quòd Scotistæ præcipuè Anton. Andreas in 4. metaphysic. quæstion. 3. dupliciter insurgit contra B. Thom. & Commentatorem: primo conatur soluere secundam rationem B. Thom. quam etiam tangit in solutione primi in hoc articu. ibi, *si enim aliquid aliud esset vna* & dicit quòd peccat per fallaciam figuræ dictionis, mutando quo in quod. Sed quòd hæc solutio non valeat, declarani in 4 metaphy. in quæst. nostris, & est quæst. 4. & vide in ea ibi istam rationem reprobat Anton. Andreas dicens, & non discedo à sensu expositoris: in hoc, in risione ad primum, secũdo tenet, quòd formale in vno est positiuum, ex consequẽti addit positiuum suprà ens, non tamen illud additum est distinctum realiter ab ente, quoniam apud ipsum passio non distinguitur realiter à suo subiecto: quòd igitur dicat formaliter positiuum, probat in eadem quę. ibi, *dimissa igitur opinione,* & arguit quadrupliciter: & postquam formauit rationes suas, adducit solutionem, quæ est ad mentem B. Thom. scilicet quòd vnum duo dicit scilicet, materiale, & hæc est entitas: & formale, & hæc est negatio diuisionis, Ratione materialis, dicit perfectionẽ, & suscipit magis & minus, & non ratione sui formalis. Sed contra hanc solutionem arguit, quia vnũ est passio entis: ergo vel ratione entis, vel ratione superadditi: non ratione entis, quia idem non est passio sui ipsius: ergo ratione additi: ergo additum est positiuum. sed ad hoc negatur diuisio, vt insufficiens. Dicimus enim quòd ens, vt stat sub indiuisione, est passio entis. Tu igitur vide rationes eius in nostris quæstionib. in 4. metaphysi. quæst. 8. ibi, *esse viam Scotisticam.* Eadem recitat expositor in hoc argum. & sigillatim soluit: solutiones eius, vide ad placitum.

In responsione ad primum, *Pythagoras enim & Plato &c.* Aduerte quòd Aristoteles in 3. metaphy. text. 16 addueit has opiniones, & Bea. Thom. in lec. 12. eiusdem lib. in fine lectionum declarans, quid dicendum: sit secundum veritatem, facit quasieandem determinationem quam & hic: vide tu è contrario Auicenn. & aduerte quòd intentio Auicennæ potest haberi ex tertio libro suæ metaphysic. capitul. 3. vbi inquit vnitas est intentio, quæ est accidens. sed quoniam hoc est propositum metaphysicale, & totum pertractaui in 4. metaphy. q. 7. vbi adduxi plures textus Auicennæ, & rationes eius, & solui: ideo recurre illuc.

Sed vnum quod est principium numeri addit aliquid suprà ens, esse vnum, quod est principium numeri: quòd sit illud accidens degenere quantitatis pertractaui in 4. metaphy. q. 8. ibi, *esse vnum numerale.* Illic defendimus viam Capreol. & reprobauimus sententiam Pauli Soncinatis. ideo recurre illuc.

In responsione ad secundum aduerte, quòd Beat. Thom. non curauit de maiori, scilicet omne quod diuidit aliquod commune, addit suprà illud: quoniam de addito realiter, est manifestè falsa, sed sufficit, quòd in ratione eius includat aliquid siue positiuum, siue priuatiuum, quod non includit ipsum commune diuisum: sic vnum & etiam multa addunt super ens: altetum quidem indiuisionẽ, alterũ autem diuisionẽ. Immoratur igitur circa minorem, declarans qualis est hæc diuisio entis in vnum & multa, & intendit quòd non est diuisio ex æquo, sicut par, & impar diuidunt numerum: talis enim est natura diuisionis ex æquo cp vnum extremum non participat de altero, imo excludit: sed multa participant vno, quoniam nulla sunt ab eo diuisa, quin habeant

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquam indiuisionem, vt declarat D.Thom. super Dionysium. Est igitur diuisio non ex æquo, sed simpliciter quidem in vnum: quare omne quod est, est vnum, & quanto magis est ens, tanto magis est vnum: vt patet in separatis ascendendo, & secundum quid in multa, eo quòd multa præcisè, non continetur sub ente, nisi vt habent aliquam vnitatem: & huius signum est, quòd aliquid vnum nullomodo multa est ens, nulla autem multa nisi aliquomodo sint vnum, sunt ens. Ex quibus patet, quòd licet vnum videatur esse pars diuisi, tamen adæquatur diuiso, & conuertitur cum eo, quoniam multa non sunt alia pars diuisi, nisi sapiant naturam vnius: sicut possumus dicere, quòd sanum simpliciter diuiditur in sanum, quod est animal, & secundum quid in sanum, in vrinã, quoniam id non dicitur sanum, nisi inordine ad animal: & propterea sanum adæquatur animali.

ARTICVL. II.

Vtrum vnum, & multa opponantur.

CIrca titul. Aduerte quòd ly *multa* vniuersaliter. ideſt tam in transcendenter quam in quantitate.

Nam vnum quod est principium numeri, & aduerte quòd Beatus Thom. hic studens breuitati, assignat inter vnum principiũ numeri, & multa in quantitate, solam oppositionem relatiuam. sed in primo distinct. 24. quæst. art. 1. tertio ad quartum declarat quomodo potest habere oppositionem relatiuam, & contrariam, & etiam nullam, prout est constituens multitudinem.

Vnum vero, quod conuertitur cum ente, & aduerte quòd licet tã hic, quam in primo distinct. 24. quæstion. 1. vbi suprà inter vnum transcendenter, & multa transcendenter non assignat nisi oppositionem priuatiuam, tamen potest assignari oppositio relatiua, prout vnum est principium siue mensura numeri transcendenter: potest etiam assignari nulla oppositio, si sumatur sine præcisione conformiter, vt dicit de vno principio numeri: oppositionem vero priuatiuam non intelliges puram, quoniam vnum non est mera priuatio: & ideo philosophus in x. metaphysic. text. 9. reducit hanc oppositionem ad contrariam, vt videbis.

Sed dices ergo Beat. Thom. in hoc articulo est diminutus, quoniam non assignat omnes modos oppositionis inter vnum & multa. Ad hoc dico, quòd Beat. Thom. sufficit assignare modos famosiores, & notiores, imitans philosophum in x. metaphysic. qui tantum duos assignauit: nam oppositionem relatiuam, vt inter mensuram, & mensurabile assignauit in x. libr. text. 71. ibi, *opponitur autem vnum multis: vt metrum*, & oppositionem autem priuatiuam assignauit in tex. 9 ibi, *opponuntur autem vnum, & multa.* alijs autem sufficit vt assignauit in primo sententiarum.

In responsione ad primum, aduerte quòd primo immoratur ad declarandum veritatem illius minoris. *Sed omnis multitudo est quodammodo vnum.* & intendit hoc ideo esse, quia trãscendentia dicunt actus siue formas generales, quæ cum supponantur omnibus fundant suas priuationes: nam malum fundatur in bono, & multitudo, quæ dicit priuationem vnitatis, fundatur in vno, quoniam omne, quod est aliquo modo, vnum est. Non sic autem reperitur in formis specialibus: quoniam non supponuntur omnibus: & propterea licet tenebra fundetur in ente, puta in aëre, non tamen in luce, sicut ergo ista est vera, Malum est quoddam bonum, ratione subiecti, sic omnis multitudo est quoddam vnum, quia includit aliquam indiuisionem, vt multa numero, indiuisionem in specie &c. vt dixit in primo articulo, ad secundum: Deinde illam maiorẽ, *nullum oppositum prædicatur de suo opposito* esse veram tantum, quando vtrumque est simpliciter tale, puta bonum simpliciter, non est malum simpliciter: cum hoc tamen stat, quòd malum simpliciter est bonum secũdum quid, & similiter multa simpliciter, sunt vnum secũdum quid. Aduerte tamen, quòd nunc loquimur de oppositis transcendentibus. vtrum autem in oppositis specialibus, vnum secundum quid prædicetur de altero simpliciter tali, puta quòd hæc sit vera, album simpliciter, est nigrum secundum quid, non determino pro nunc: spectat enim ad illud, vtrum contraria se compatiantur in gradibus inæqualibus, puta calidum vt 8. frigidum vt 2.

In responsione ad secundum, Aduerte duo, primo quòd idem argumentum format in primo distinctio. 24. quæstion. 1. articulo tertio, & responsio formalis stat in hoc, quòd vnũ vt componit, non opponitur. Nam vt componit, non dicit priuationem diuisionis, quam ponit multitudo: sed dicit priuationem diuisionis in se ipso, nam vnum est, quod in se indiuisum est, & vt componit multitudinem, secundo quòd illa propositio Beat. Thom. *non quòd vnitates constituant multitudinem secundum id, quod habent &c.* vsque ibi, *de entitate &c.* sic habet intelligi, vnum ratione indiuisionis præcisè est negatio.

Negatio autem non potest esse pars alicuius entis positiui, sicut nec negatio domus est pars domus: igitur erit pars, prout vnum dicit vnitatem non abstractè, sed vt stat sub indiuisione: ex consequenti ratione entitatis est pars: sed conditio sine qua non est ipsa indiuisio: sicut lapis est pars domus, vt stat sub hac negatione, quòd non est habens in se formam domus.

In responsione ad tertium, Aduerte quòd hoc argumentũ est philosophi in x. metaphysic. textu 20. & responsio Beati Thomæ, est responsio philosophi in eodem textu: ibi, *vno quidem modo si fuerit multitudo habens excedentiam &c.* Et sic concludit philosophus. sic igitur sunt multa, vt ipsa duo: vt autem multitudo habens excedentiam non sunt.

In responsione ad quartum, Aduerte primo eandem responsionem habes à Beat. Thom. in 4. metaphysi. suprà textũ quatum in lect. tertia ibi, *sciendum est autem quòd quamuis vnum importet*, & in 10. metaphysic. super textum 9. vbi philosophus declarat, quomodo multitudo ratione, id est cognitione nostra est prior vno, quoniam sensibilior: & Beat. Thom. illic adducit duo dubia, quorum secundũ est argumentum quartum huius articuli: & respõdet vt hic licet diffusius: ita quòd ex illa intelligas hanc. Aduerte secundo quòd in illa propositione, *vnde oportet quod diuisio sit prior vnitate non simpliciter*, vt ly, *non simpliciter* sit ad differentiam prioritatis, quam habet vnum comparatum multitudini: nam vtrumque dicit aliquam naturam vt patet & inter ea non conuertitur subsistenti consequentia: ergo vnum prius est simpliciter multitudine. Diuisio autem cum sit negatio, non dicit aliquam naturam, nec datur in rerum natura secundum esse reale ens diuisum plus vno: & tamen non inconuenit in rerum natura dari vnum, non data multitudo: ergo diuisio non est simpliciter prior vno, sed secundum rationem nostræ apprehensionis: quod quomodo fiat declarabo post pauca. Sed contra, habitus est prior simpliciter priuatione, sed diuisio est habitus, & indiuisio, quæ importatur per vnum est priuatio: ergo &c.

Ad hoc dico, quòd maior non est vera, nisi de habitu importanti aliquid positiuum, qualis non est negatio: vnde sufficit talem habitum esse priorem in esse cognoscibili: nec est intentio Beat. Thom. quòd diuisio sit verè habitus. Sed est vt habitus: & ideo sufficit, vt sit prior, vel re, vel cognitione nostra.

Sed multitudo etiam secundum rationem &c. Aduerte quòd intendit multitudinem, vt multitudinem esse posteriorem vnitate, & re: quia principiata sunt ex vno, & ratione, ideſt apprehensione: quia non apprehendimus aliqua duo esse multa, nisi prius apprehendamus vnumquodque esse indiuisum in seipso, ex cõsequẽti vnum. Multitudo autẽ, vt importat diuisionem, prior est apprehensione, vt nunc declarabo.

Sed diuisio cadit in intellectu, & ipsa negatione entis &c. Aduerte quòd ly, *diuisio* vt dicit Beat. Thom. in quarto metaphysic. lect. 3. non stat pro diuisione quantitatiua: illa enim est determinati generis, sed pro diuisione formali, siue metaphys. Quæquidem potest esse duplex, prima inter ens, & non ens & hæc seruatur in omni conditione: secundo inter vnum ens est aliud ens, primæ dicitur diuisio secundum extrema contradictionis, secunda dicitur diuisio inter extrema positiua: exemplum prima homo est homo, & non est non homo. exẽplum secundæ, homo est homo, & non est lapis. Sed hæc secunda adhuc est duplex, quoniam quædam est negatio inter duo extrema positiua, siue etiam non sint in rerum natura, siue tantum vnum illorum sit, vt rosa generanda non est, pomum generandum, vel rosa existens, non est pomum generandum: quædam autem est relatio realis inter duo extrema positiua, quorum vtrumque est in rerum natura, vt Deus nõ est cælum. Aduerte igitur, quòd cum Beat. Tho. dicit. *sed diuisio cadit in intellectu &c.* intendit de diuisione formali, quæ est inter extrema contradictionis, & de diuisione formali inter extre

extrema positiua. Quorum tamen vtrumque non est necesse esse in rerum natura, ita quòd sic procedimus ad conceptũ vnius, primo apprehendimus quòd hoc est ens: secundo quòd non est non ens: tertio quòd non est illud, vel illud ens, puta lapis generandus, ex consequenti est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio ente, possibili poni, ergo est vnum: in quarto autem gradu sic attingimus conceptum multitudinis, hoc est ens existens indiuisum in se, & hoc est ens indiuisum in se: & hoc non est illud, cum tamen vtrumque sit in rerum natura: ergo sunt duo. Sed hic sunt duo dubia. primum est quòd Beat. Thom. dicit, secundo quia hoc ens non est illud ens: ergo diuisio entis ab ente est in secundo gradu, & non in tertio vt dictum est.

Ad hoc dico quòd in ly, secundo complexus est duos modos distinctos formaliter. s. distinctos inter extrema contradictionis, & inter extrema positiua, quorum tamen vtrumque nõ est necesse esse in rerum natura: vnde in 4. meta. lect. 3. dicit vnum, quod conuertitur cum ente, importat priuationem diuisionis formalis, cuius prima radix est oppositio affirmationis, & negationis: in declaratione autem quam fecimus, distinximus primum & secundum pro euidentiori doctrina, ex consequenti secundus assignatus à D. Thom. erit tertius in ordine, quoniam ipsum non expresè posuit.

Secundum dubium est, quare diuisio vt est relatio inter duo extrema, positiua, existentia, non est de ratione vnius, cum dicatur illud esse vnum, quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio.

Ad hoc dico, quòd hoc ideo est, quia accidit ipsi enti vni, vt vnum est, quòd ponatur alterum, non ipso posito. nam Deus ante mundum erat vnus, & tamen non diuisus hac diuisione à quocunque alio: quia nihil aliud erat: & cum dicitur *quia de ratione vnius est &c.* Respondeo quòd ly, diuisum à quolibet alio stat pro diuisione inter extrema, quorum vnum sufficit esse in rerum natura, aliud possibile sit esse. vnde ante mundum hæc erat vera, Deus est indiuisus in se, & diuisus à quolibet alio, possibili esse.

ARTICVL. III.

Vtrum Deus sit vnus.

CIrca titul. aduerte quòd ly, *vnus* opponitur plurificabili quocunque modo, siue specie, & æquipollet huic. Vtrum possint esse plures Dij.

Circa rationes B. Thom. non cadit difficultas ſtantib. fundamentis iactis, quòd in Deo sit idem penitus, suppositum & natura. & quod est vniuersaliter perfectus, & quòd est ordinans omnia &c. tu tamen aduerte quòd Scot. in 1. d. 2. qõ. 3. conatur probare idem septẽ rationib. quas vt singulares sibi attribuit: sed quòd non sint magnæ efficaciæ, conatur ostendere Ioann. Baccon in 1. d. 2. q. 1. verum quia soluit etiam virtualiter secundam rationem B. Thom. Ideo vide in 12. meta. q. nostram penultimam, vbi plenius de hoc pertractauimus.

ARTICVL. IIII.

Vtrum Deus sit maximè vnus.

IN hoc articulo non cadit difficultas: nisi in responsione ad primum cũ dicit *tamen secundum quòd eius oppositum recipit magis.* ex his videtur innuere, quòd indiuisio recipit magis non secundum se, sed pro vt diuisio, quæ est ei opposita, recipit magis, & minus.

Sed contra: diuisio vel est negatio vel relatio, vt diximus in articul. 1. sed neque negatio, neque relatio recipiunt, &c. cum abstrahant à perfectione, & imperfectione.

Ad hoc dico quòd B. Thom. non sistit in diuisione, vt est negatio vel relatio, sed eam reducit ad fundamentum suũ, quod comparatum alteri potest dici magis & minus diuisum ab eo vt homo minus diuiditur ab asino, quam à planta & à planta minus quam à lapide: sicut ergo relatio recipit magis, & min⁹ secundum fundamẽtum: *illud est magis simile, quod est magis album sic diuisio &c.* propterea B. Thom. non dicit diuisionem suscipere magis, & minus pro quãto est maior diuisio, vel minor, sed p quãto aliqua sunt magis, vel minus diuisa vel nullomodo.

¶Quæstio Duodecima.

ARTICVL. I.

Vtrum intellectus creatus possit videre Deum per essentiam.

CIrca titul. ly, *creatus* stat in tota sua latitudine, siue Angelicus siue humanus: ly, *possit*: stat abstractè p potentiã, quæ sit in se ipso, vel per potentiam extrinsecam per quam deducatur in hanc sublimitatem: ly, *videre Deum quidditatiuè*: est cognoscere eius prædicata propria, substãtialia, & non sistere in prædicatis cõib. tunc enim completur quòd quid est. ex 7. metaphysic. quando vltimam differentiam attingimus: id autem fieri non potest ex doctrina B. Thom. nisi per effectum adæquatum, aut per speciem sufficienter repræsentatiuam obiecti, aut per ipsum obiectum, quod per se ipsum vniatur intellectui: igitur si aliquis horum trium modorum erit intellectui creato possibilis, poterit videre Deum per essentiam sine autem, non.

Sed quod est maximè cognoscibile &c. vsque ibi *suprà intellectum*, & aduerte quòd per ly, *excessum suprà intellectum*, intendit hanc difficultatem vel impossibilitatem prouenire præcisè ex parte intelligentis.

Hoc igitur attendentes quidam &c. Aduerte quòd inter eos nõ fuit Auicenn. ipse enim libro nono, suæ metaphysicę capitul. tertio. dicit quòd causa prima est desiderata ab omni intelligentia vt motor vniuersalis. Desiderium autem in separatis est intellectuale, & in capitulo quarto dicit, quòd prima intelligentia producta intelligit simpliciter principium: quod est prima causa, & intelligit se ipsam. in eodem metaphysic. capit. tenet, quòd est commune cuilibet intelligentiæ. intelligere suum producens, vt principium proprium: ergo B. Thom. vt bene dicit expositor, non intendit arguere contra Auicenn. neque enim Auicẽ. erat fidelis: vnde vane obligasset ipsum ad fidem, quod tamen facit, cum dicit, *quod est alienum à fide*: intendit igitur arguere contra aliquos Christianos, qui erant illius sententiæ.

Si vnquam essentiam Dei videre potest intellectus creatus & vsque ibi *alienum à fide.* Aduerte quòd hæc consequentia non concederetur à puro philosopho, qui diceret cum Aristotel. x. ethicorum, quòd vltima fœlicitas consistit in cognitione Dei, non faciali, sed qualis potest haberi ex effectibus, & ex studio scientiarum specularuarum præcipuè ex metaphysica: & propterea Beat. Thom. id considerans in tertio contra Gent. probat contra philosophos, quòd non consistit in cognitione Dei, quæ habetur communiter, neque per demonstrationem, neque per fidem, neque per scientias speculatiuas, vt videre poteris in comment. 38. 39. 40. & quadrageſimoprimo. obligat autem prædicta consequentia fidelem, quoniam acceptat scripturam, in qua dicitur, videbimus eum, sicuti est.

In ipso enim est vltima perfectio &c. Aduerte quòd falsitatem consequentis manifestat dupliciter. primo, quia est contra fidem, secundo manifestat ratione, cuius assumptum est hæc propositio supposita vt vera: quòd Deus est primum principium productiuum creaturæ rationalis: quam propositionem dicit expositor esse creditam, & ex hac credita deducit consequentiam.

Sed hoc dictum non est Thomisticum: quoniam Beat. Tho. infra quæstion. 44. articul. 1. probat etiam de mente Platon. & Aristotel. esse aliud à Deo, esse productum ab ipso. Itaque sub fide cadit solum productio in tempore, & non ab æterno. igitur propositio illa non est necessariò creditа: ex consequenti deductio B. Thom. est ex principio demonstrabili, nec inconuenit aliquam rationem concludere apud fidelem, quæ procedit non solum ex aliquo credito, sed etiam ex aliquo naturaliter cognito.

Si igitur intellectus creaturæ rationalis pertingere non possit &c. vsque in finem, Aduerte quòd Beat. Thom. videtur intendere naturale desiderium inesse creaturæ intellectuali videndi diuinam essentiam, quòd tamẽ nõ videtur verum. primo quia finis beatificus esset nobis naturalis, & tamen dixit in quæst. 1. articul. 1. quòd homo ordinatur in finem excedentem rationẽ omnem, & facultatem naturalem: ergo finis ille est supernaturalis.

Præterea hoc est incidere in sententiam Scoti, qui vult finem beatificũ esse naturalem: licet denominatione extrinseca. dicatur supernaturalis, vt declarauí in q. 1. super primum articulum: cuius tamẽ argumentum illic solutum est, & negatum

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd visio diuina substantialis sit nobis naturalis.

Præterea si hæc cognitio esset nobis naturalis, haberemus in nobis naturalia principia quib.possemus illam consequi.vanum enim est arbitrari aliquid naturaliter ordinari in aliquē finem.vnde dicit philosophus in 2.cæli,si astra essent mobilia motu progressiuo, natura dedisset eis organa ad talem motū: vnde dicit sic in text.50.irrationale videtur, nullum organum ipsis dedisse naturam ad motum,nihil enim vt contingit.ideſt qualecunque facit natura: hæc ille.Ex his igitur videtur, ꝙ non insit nobis naturale desiderium videdi diuinam essentiā: cuius tamen oppositum intendit B.Thom.in hac secunda ratione,& manifestius in 3.contra gent.50.pro totum.

Ad euidētiam horum præpono quòd tota hæc quæstio est merè Theologica,& conatur B.Thom.procedere ex reuelatis & acceptatis à fideli propterea rationes eius & si non philosopho,tamen fideli efficaces sunt.Secūdo quòd cum sola natura intellectualis,sit illa,quæ est cognoscitiua Dei, & Deus dupliciter,cognoscibilis sit, ſ.vt causa & in se, i.secundum essentiā suam,& vt est causa dupliciter,primo vt causa vniuersalis,secundo vt causa particularis, quorundam effectuum, qui non possunt esse nisi à solo Deo vt gratia,&c.ipsa inquā natura intellectualis aliomodo consideratur à philosopho,aliomodo à Theologo, vt docet B.Thom.in 2.contra gent.cap.4. Nam à philosopho consideratur vt est talis naturæ,vt habet tales proprietates,consequentes naturam,vt potest sic operari, & tantum operari ex principijs actiuis suis intrinsecis,à Theologo consideratur vt creata est à Deo ad ipsum Deum,vt obiectum beatificum,& hoc notum est theologo ex reuelatis, ex his dico, quòd considerato homine secundum philosophum, nihil est sibi naturale,nisi in quod potest per mera principia actiua sibi intrinseca,ex consequenti dicet philosophus,quòd cū desiderium absolutè sit possibilium,homo non desiderat scire nisi quæ potest cognoscere per intellectum agentē & possibilem.constat autem, quòd posita tota virtute intellectus agentis, non potest pertingere ad speculationem diuinæ essentiæ, ex consequenti non habet desiderium naturale ad hoc: considerato autem homine,vt ordinatur in Deum, vt in obiectum beatificum:sicut sibi inscriptura reuelatum est,dicet Theologus quòd naturaliter desiderat illam speculationem : quoniā cū credat se esse creatum ad illum finem: nulla alia cognitio, quam habeat de Deo quietat eum. Vnde licet cognoscat Deū esse creatorem omnium, & prouisorem, & ipsum solum esse auctorem gratiæ & sanctificantem creaturas rationales, tamē non quiescit,nisi sciat intrinsecè qualis est hic creator,& quæ sit substantia eius, ex consequenti habeat facialem cognitionem.

Ad obiectiones igitur, dico,ad primam, quòd B.Thom.in principio arti.dicit finem beatificum esse supernaturalem homini absolutè considerato:& quia trahit hominem ad statum diuinum,vt diximus illic qui est status supernaturalis.

Ad secundam nego quòd id sit incidere in sententiam Scoti,quoniam vult ipse talem finem esse naturalem, quocunque modo homo consideratur:nam vt diximus in 1.arti.vult Scot. nullam supernaturalitatem conuenire potentiæ passiuæ,comparatæ actui suo,& in hoc deceptus est,vt illic ostendimus.

Ad tertiam nego consequentiam.ad probationem: non valet nisi in eo,quod est naturale alicui abstractè considerato, & ad hoc ptæcisè tendit intentio philosophi in secūdo cæli, vbi loquitur de motu conuenienti cælo,vt cælum est:non autem valet in eo, quod est naturale alicui propter ordinem ad alterum.nam calor naturalis naturaliter generat carnem, non inquantum calor,sed vt coniunctus est animæ:& ideo non est necesse quòd in se habeat, & ex se virtutem generandi carnem, sed id sibi confert anima : sic Deus confert homini vt ordinatio in Deum,gratiam, & lumen, quo pertingit ad speculationem diuinæ essentiæ.

Sed contra B.Thom.in tertio contra genti.ca.50,probat absolutè quòd substantia intellectualis separata,desiderat naturaliter videre diuinam essentiam,ergo non solum inquantum ordinatur in Deum,vt in finem beatificum.

Ad hoc dico quòd cum B.Thom.in 2.lib.contra gent.4.determinasset,non considerari creaturam à Theolo.nisi vt ordinatam in Deum,aliter Deus non esset subiectum adæquatum in hac scientia,nō fuit sibi necesse,totiens replicare idem:sed semper debent sermones eius intelligi circa hanc materiam, in eo sensu,in quo dixerat in 2.lib.

Vnde simpliciter concēdendum est quòd beati &c. Aduerte quòd hæc conclusio infertur ex illis consequentijs ,beati vident, effectus Dei , ergo desiderant videre causam , ergo essentiam Dei:ex his duab.prima est formaliter vera,secunda autem valet de materia,quoniam vt inquit B.Thom.in 3.contra gen.c. 50.ex hoc quòd substantiæ separatæ cognoscunt omnium rerum substantias,quarum vident,Deum esse causam, non quieſcit earum naturale desiderium,nisi etiam ipsius Dei substantiam videant.Dixi autem quòd valet de materia,quoniam absolutè non tenet : aliter concluderet etiam de puro philosopho:nam ex quo cognoscit effectum primæ causæ, puta motū æternum,desiderat scire primam causam,& tamen non sequitur vt suprà diximus quòd naturaliter desideret scire essentiā suam,cum non habeat facultatem perueniendi ad talem statum.

In responsione ad quartum proportio dicitur dupliciter : & aduerte quòd hæc distinctio trahitur ex 5.metaphyſic.in capi. de ad aliquid,vbi philoſ.dicit quòd inter quoscunque numeros est determinata proportio : quoniam omnes numeri mēsurabiles sunt vna communi mensura, scilicet vnitate aliquoties replicata, sed non inter omnes quantitates continuas est determinata proportio : quia non omnes sunt mensurabiles vna communi mensura,vt costa,& diameter quadrati,licet autem non sit inter eos determinata proportio , est tamen proportio aliqua : quoniam autē sunt inæquales aut æquales aut vna est continens,aut altera est contenta,continens autem est quid tantum,& amplius: sed hoc est indeterminatum , inquit philosophus.Ad propositum B.Thom.applicat illam indeterminatam proportionem ad Deum,& creaturam, quoniam vera est,creaturam esse inæqualē Deo, & contineri in Deo excessu tamen indeterminato: eandem proportionem ponimus inter causam illimitatam,& effectum limitatum.Inter potentiam determinatè perfectibilem, & actum potentem perficere in infinitum. Et quoniam sic Deus se habet ad creaturam vt effectum & ad intellectum creatum, vt perfectibilem determinatum.Deus autem vt omnibus potens perficere in infinitum. Ideo stat proportio inter Deum & intellectum creatum, licet indeterminata tamquam inter costam,& diametrum.

ARTICVLVS III.

Vtrum essentia Dei ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur.

Circa titul.ly.*per aliquam similitudinem* , stat abstractè & non solum ex parte videntis, vel solum ex parte rei visæ:principalis tamen intentio est de similitudine ex parte rei visæ, quoniam omnis cognitio,videtur fieri per assimilationem.

Si autem esset vna & eadem res, & vsque ibi, *& formam per quam,* Aduerte quòd in hac conditionali sic intendit, si aliquid produceret potentiam visiuam , & ab eadem videretur , potentia visiua esset effectus eius,& imprimeret ei formam per quam, vel sub qua potentia visiua videret.Itaque ly.*formam* stat à parte videntis,& hæc forma esset lumen impressum oculo , sicut apparet in oculo cæci, & tunc videns duplici forma videret autorem potentiæ visiuæ, primo videret potentia visiua, quæ est quoddam lumen: omne enim manifestatiuum,& cognoscitiuum lumen est.secundo videret lumine in ipso oculo.

Manifestum est autem. & vsque ibi,*sequitur ergo.* Aduerte quod dixit de potentia visiua,applicat ad intellectum,& intendit ꝙ cum Deus sit autor potentiæ intellectiuæ,& possit ab ea intelligi,necesse est, quòd producat eam,vt quoddam lumen, & vltra hoc quòd imprimat ei quoddam lumen , quo eleuetur &c. ita quòd creatura intellectualis, videt Deum duplici lumine. ſ.naturali.i. ipso intellectu & supernaturali impresso , de quo dicemus infra. sed vtrumque lumen B.Thom.comprehendit sub virtute intellectuali, & sic talis virtus non est solus intellectus:sed intellectus cum lumine impresso,si autem virtus videndi in cæco est potentia visiua,cum tali lumine impresso in organo visus , quomodo potest in tenebris illustrari , medium?

Sed ex parte rei visæ, quam necesse est , & scias quòd vt adducit Capr.in 4.dist.49.q.5.contra primam. Aureolus arguit contra conclusionem , deinde soluit tres rationes, quas Beat.Thom. hic adducit.

Contra conclusionem sic arguit :actus quo videtur diuina essentia est expressiua similitudo eiusdem essentiæ: hanc probat pluribus dictis Augustini vt videbis: & ratione, quoniam per visionem ponitur diuina essentia in esse apparenti & conspicuo ante intellectum beati,ergo est similitudo,& repræsentatiuum ipsius essentiæ: & deinde subsumit quòd cum talis actus sit quid creatum,est quid limitatum,& finitum,ergo non inconuenit aliquam speciem creatam esse repræsentatiuam essentiæ infinitæ.

Ad hoc dicitur ad mentem Capreoli: maiorem esse falsam: ad dicta Augustini dicimus quòd visio nec cognitio est expressa similitudo obiecti,vt visio est.sed hoc habet ratione principij ipsius , quæ est species repræsentatiua quæ in actu beatifico non est nisi diuina essentia: quæ est vt forma intelligibilis. Ad probatio.nego similiter, quòd actus ipse secundum se ponat in esse apparenti diuinam essentiā.hoc enim habet ex principio actus,vt dixi,& ex verbo,siue conceptu formato : quando per actum intelligendi formatur.& hoc dico: quoniā beatus non format verbum de diuina essentia,vt dictum est.

Ad primam rationem B.Thom.dicit Aureol.quòd aliqua species potest dici inferioris ordinis dupliciter, primo transitiuè vt sit sensus,species quæ est repræsentatiua rei inferioris ordinis,non est principium cognoscendi clarè rem superioris ordinis:vt per speciem repræsentatiuam corporis,non possum clarè cognoscere substantiam separatam, & in hoc sensu propositio est vera:& hæc fuit intentio Dionysij, & ex hoc infertur , quòd per nullam speciem repræsentatiuam creaturæ potest clarè cognosci diuina essentia. Secundo intransitiuè vt sit sensus per nullam speciem,quæ essentialiter vel secundum esse est inferioris ordinis quam sit suum obiectū potest cognosci:& sic propositio est falsa, quoniam species lapidis est inferior quo ad esse,quam substantia lapidis, cum sit accidens : & tamen sufficienter per ipsam cognoscitur lapis,quoniam in re præsentari adæquatur lapidi,sic dicit in proposito,licet omnis species creata sit inferior quo ad esse quam diuina essentia: tamen non sequitur quòd in repræsentare sit inferior, ex consequenti non inconuenit finitum repræsentare infinitum.

Ad secundam dicit hanc consequentiam non valere,omnis species creata non est suum esse, ergo non potest repræsentare diuinam essentiam quæ est suum esse , quoniam dicit ipse. hoc est per accidens in specie,sicut est per accidens, quòd substat:nam dato,quòd non subsistat, adhuc est repræsentatiua subsistentis,sicut species Archāgeli impressa in intellectu Angeli:à simili,dato quòd non sit suum esse, adhuc potest esse repræsentatiua essentiæ quæ est suum esse.

Ad tertiam dicit sicut ad primam quòd non inconuenit aliquid determinatum esse repræsentatiuum essentiæ infinitæ, licet sit inferius quo ad esse,& secundum aliquam determinatam rationem.

Sed Aureolus deceptus est , ignorans quid sit speciem esse inferioris ordinis ad mentem B.Thom.propter quod aduerte,quòd species quæ est principium formale cognoscendi aliquid,dupliciter considerari potest , vt ens quoddam, secundo vt spēs est, vt est ens accidit sibi,quòd sit substantia,vel sit accidens : potest enim vtrumque esse diuisim, nam substantia Angeli est species sui intellectus qua se ipsum intelligit ,& species lapidis est accidens similiter accidit sibi quòd sit inferioris ordinis quo ad ens esse reale,quam suum obiectum.hoc enim impedit quin sit sufficiens principium cognoscendi suū obiectum , vt patet , quòd species lapidis vt ens,licet sit accidens,& lapis substantia,tamen sufficit ad cognoscendum lapidem quidditatiue. Vnde hæc consequentia non valet:species lapidis est inferioris ordinis,quo ad esse reale,quam substantia lapidis,ergo non est sufficiens principium cognoscendi lapidem, secundo consideratur vt species est , & sic ei conuenit esse similitudinem eius, cuius est species,& secūdum quod est similitudo,sic est principium cognoscendi in similitudine:Nā quædam est similitudo alterius tantum secundum genus, vt species animalis non indicat hominem,nisi in genere,quæ dā est similitudo secūdum speciem specialissimam, vt species hominis indicat hominem secundum speciem: inter has duas est conuenientia,& differentia,conueniunt quidem in hoc,quòd vtraque est inferioris ordinis , vt entia sunt quàm sint sua repræsentata,disconueniunt autem , quoniam prima vt species est,est inferioris ordinis:quoniam non complete indicat:secūda autē vt species est, est eiusdē ordinis,quoniam æquipollet secundum esse intelligibile quidditati hominis, & hanc latitudinem ordinum B.Thom. intendit vt per se diuersificat speciem , vel species est &c. intendit in prima ratione quando dicit.*per nullas similitudines inferioris ordinis prout , scilicet similitudines sunt, & non vt entia sunt &c.* Aureolus autē credidit B.Tho. intelligere de inferiori ordine vt entia sunt, ideo eius solutio non valet. Sed dices vnde est,quòd nō potest dari species creata eiusdem ordinis cum essentia diuina vt species est, ex quo non impedit,si etiam sit inferioris ordinis,vt ens est. Respondeo,vt dicit B.Thom.in hoc art.omnis species creata, vt species repræsentat suum obiectum sub aliqua determinata ratione, puta sub ratione substantiæ , vel videntis, vel boni &c. Diuina autem essentia interminate continet omnia , & ideo nulla species vt species creata plenè indicat eam. Vnde sicut species sensibilis vt species est inferioris ordinis ad naturam vniuersalem intelligibilem,sic & quælibet species creata comparata vniuersalitati,& immensitati diuinæ essentiæ: patet igitur,quòd ratio B.Thom.prima stat in suo robore,similiter secunda:solutio non valet credit enim quòd B.Thom.intendit esse necesse,quòd hæc species vt ens est sit suum esse,sicut Dei essentia & suum esse:sed hæc non est intentio:quoniam vt diximus est per accidens , quòd species vt ens sit eiusdem ordinis cum suo obiecto : sed intendit , quòd nulla species creata est sufficienter repræsentatiua diuinæ essentiæ: & rationem assignat, quoniam diuina essentia est vnum esse: ex consequenti est omne ens perfectionaliter : ex consequenti est vniuersalissimum repræsentabile : omnis autem species creata, vt species est,repræsentat illam sub aliqua ratione particulari,vt dixi mus,& ideo non potest esse sufficiens principium cognoscē di tantam excellentiam.

Similiter tertia solutio non valet, peccat enim in eo , quod est per accidens credēs B.Tho.tenere ꝙ sit necesse speciem,vt ens,esse eiusdem ordinis cum obiecto,vt per eam quidditatiue cognoscatur:sed hoc nō tenet:quia id est per accidens : sed dicit ideo esse,quia essentia Dei est obiectum vniuersalissimū: ergo eius species vt species debet esse vniuersalissima, hoc autem non conuenit speciei creatæ: quia quicquid repræsentat, sub aliqua particulari ratione repræsentat : propter quod bene sequitur , quòd sola Dei essentia sit suiipsius adæquata & perfecta species.

In responsione ad primum, Aduerte,quòd exponit ly, *similes* ex parte videntis , quoniam lumen gloriæ quod est diuinū lumen,& essentiale in Deo,participatur à beato , in quo videt Deū,sicut Deus videt seipsum lumine suo:ratione ergo luminis beatus est similis Deo.sed in 3.contra gent.cap.51.ibi *secundum autem hanc visionem &c.* exponit ly, *similes* ex parte speciei quæ se tenet ex parte rei visę, quæ est ipsamet diuina essentia:Intendit igitur, quòd erimus Deo similes , quoniam sicut videt seipsum per essentiam suam , sic per eandem videbimus eum: ex consequenti eadem essentia erit quo & quod respectu intellectus creati & diuini.

In responsione ad tertium duo declaranda sunt,primo propter quòd Dei essentia. potest per se ipsam esse forma intellectus non autem aliæ essentiæ creatæ, secundo quid sit Dei essentiam facere intellectum in actu &c.

Quantum ad primum, Aduerte quòd Bea. Thom. in 3.contra gent.cap.51.*ibi hoc autem sic &c.* dicit causam huius esse quia sola Dei essentia est ipsa veritas: ex consequenti ipsa actualitas in genere intelligibilium. Vnde per se ipsam potest esse forma intellectus,non quidem secundum esse reale, quoniam vt 3.in quæst.3.artic.vltimo visum est, diuina essentia, non venit in compositionem alicuius,sed secūdum esse intelligibile:Ita quòd perfectiori modo constituit in actu intellectum beati, qualibet specie intelligibili: species enim hæret intellectui, & illum perficit. Nulla autem essentia creata quamtumcunq; sit forma,& per se subsistens,vt Angelus,est ipsa veritas , sicut nec suum esse:nam sic res se habet ad esse,ita ad veritatem: sed est res vera:ex cōsequenti non est se ipsa actualitas in genere intelligibilium:ergo oportet, quòd per speciem mediā actuet intellectum extrinsecum:Dico autem extrinsecum, quoniam vt dicemus in tractatu de Angelis essentia Gabrielis cum intelligit seipsam,efficitur forma sui intellectus.In præsenti autem responsione dicit causam huius esse , quia sola Dei essentia est suum esse,ergo se ipsa dat omne esse alteri, quod sibi nō repugnat,repugnat autem,quod det esse reale,quoniam haberet rationem partis & imperfectionis:vt dictum est in quæst.3,arti. vltim,non repugnat autem quòd det esse intelligibile , quoniam est ipsa actualitas in genere intelligibilium : nec aliqua imperfectio ponitur in Deo , non enim formæ intellectus vt est principium intelligendi conuenit per se, sed per accidens inhærere intellectui , alioquin Angelus non intelligeret se ipsum per seipsum : potest ergo dari forma intellectus absque hac imperfectione:ex consequenti non repugnat Dei essentiā per seipsam actuare intellectum , & quoniam nulla essentia creata est suum esse,ideo per seipsam non dat omne esse,quod potest dari alteri,sed per speciem mediam.

Sed dices,si ipsam dat esse intellectui sibi intrinseco, quare etiam non in extrinseco?

Respondeo id prouenit ex determinato ordine , quem habet ad intellectum sibi intrinsecum , sicut determinatum mouens ad determinatum mobile: sed Dei essentia , vt pote illimitata

Universidad de Deusto
Biblioteca

mitata actualitas in genere intelligibilium, sicut mouere potest in genere entium omne mobile.

Quantum ad secundum, Aduerte quòd cum Dei essentia vniatur intellectui beato, vt diximus sicut species intelligibilis eo modo, quo species intelligibilis facit intellectum in actu, sic existimari potest de diuina essentia: Tripliciter autem species facit id. primò vt qualitas inhærens & actuans suum subiectum: sed non facit, vt species, sed vt tale ens, puta forma accidentalis. hoc igitur modo diuina essentia non facit intellectum in actu: quoniam imperfectionis est vt diximus, secundo aut forma comparata intellectui vt materiæ in genere intelligibilium constituens ipsum in actu primo. idest, faciens ipsum intelligentem in habitu, sicut se habet species lapidis in intellectu philosophi dormientis: & hoc modo diuina essentia non facit intellectum beati in actu, hoc enim est actuare imperfectè, & admixtione potétiæ, & beatus potest non actu frui Deo, quod non admittimus in doctrina B.Thom. Tertio vt forma comparata materiæ dans ei completum esse in genere intelligibilium, hoc autem completum esse est ipsum intelligere, & sic essentia Dei facit intellectum in actu, quia facit perfectissime intelligere intellectũ: Vnde sicut forma cæli vnita materiæ, facit ipsum perfectè existere actu in genere entium. sic Dei essentia vnita intellectui vt forma, facit ipsum existere actu, & hoc existere actu est ipsius intelligere: quod est esse essentiale ipsius intellectus vt intellectus est: Dico, vt intellectus est, quoniam si considerẽtur vt ens cui inhæret talis actio, id est ei accidentale. Et aduerte, quòd ignorantia huius distinctionis intellectus vt tale ens & intellectus vt intellectus, est causa multarum deceptionum in hac materia, vt magis patebit infra, & præcipuè cum loquemur de anima intellectiua.

Ex determinatione huius articuli patet, quòd si B.Thom. negat posse dari speciem productam, quæ sit principium vidẽdi diuinam essentiam multo magis negabit beatum posse producere cõceptum ex visione illa, in quo reluceat diuina essentia: sed de hoc loquemur in tractatu de Trinitate, vbi distinguemus de verbo totali, & de partiali.

ARTICVL. III.

Vtrum Dei essentia posit videri oculis corporalibus.

IN hoc articulo non cadit difficultas, ideo pertranseo. Aduerte solum illud, quod dicitur in responsione ad secundum *sicut nunc oculi nostri vident alicuius vitam &c.* vsque in finem, non intẽdit quòd sicut vita est sensibilis per accidens à visu, & per se à cogitatiua, quæ cognoscit non sensatum ex sensato. De ratione enim sensibilis per accidens est, vt ab aliqua potentia cognoscatur per se, vt declarant B.Tho. in 2. de anima super text. 65. ibi, *sciendum est igitur quòd ad hoc quòd aliquid sit sensibile per accidens &c.* sic Deus est cognoscibilis per accidens à visu, & per se ab intellectu: cognoscitur autem per accidens à visu: ad septimum argumentum: *quoniam per se videt corpora sicut glorificata &c.* in quib. adesse Deum, vel gubernantem deprehendit sic substantiam Socratis dico videre, quia video figuram, cui subest ipsius substantia. Item aduerte quòd responsio ad tertium, clarior & diffusior ponitur in articul. 11. huius quæstionis, & est responsio ad primum ex dicto Dionysij, vide tu.

ARTICVL. IIII.

Vtrum intellectus creatus per sua naturalia Dei essentiam videre posit.

CIrca titul. ly, *per sua naturalia* stat præcisè, & excludit omne donum gratuitum quasi dicat, Vtrum intellectus creatus sit tantæ virtutis, quòd per se ipsum, & omne medium naturale, quod aptum est habere, quales sunt species abstractæ à rebus, possit videre Dei essentiam.

Cognitio etiam contingit, secundum quod cognitum est in cognoscente: & aduerte quòd cognoscens dupliciter sumitur primo secundum substantiam suam, secundo vt cognoscens est: Est autem cognoscens secundum quod vnitur cognito: vnitur autem secundum quod habet in se speciem cogniti. Igitur cognoscens est cognoscens, non quia est talis substantia, sed quia est actuatus specie cogniti: & iuxta hunc sensum intelligendæ sunt propositiones B.Thom. Et prima quidem sic: cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscente actuato specie cogniti: secunda sic. cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. ideſt secundum quod repræsentatur cognoscenti per speciem, quam in se habet: tertia sic, vnde cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum naturæ suæ, non simpliciter sumptæ, sed vt constituitur in actu primo per speciem cogniti: quarta sic. Si igitur modus essendi rei cognitæ, excedat modum naturæ cognoscentis actuati quacunque specie ipsius rei cognitæ, oportet quòd cognitio, scilicet perfecta, & quidditatiua illius rei cognitæ excedat naturam. ideſt sit supernaturalis ipsi cognoscenti.

Sic intellectis propositionib. B.Thom. videbis quòd Scot. in 4. distin. 49. q. 11. ibi. *Respondeo ad primam rationem primæ opinionis &c.* Frustra laborat contra B.Thom. Conatur enim ex propositionib. B.Thom. quas suo modo exponit arguere contra ipsum: & primo probat hanc conditionem esse falsam. *Si modus essendi alicuius rei &c.* inquit enim quòd sit hæc conditionalis est vera, ergo nullus angelus inferior cognoscet quidditatiue superiorem, quoniam superior excedit inferiorem in essendo.

Præterea Beatus etiam cum quantocunque lumine gloriæ non videbit essentiam Dei, quoniam excedit in infinitum secundum modum essendi, cum sit intellectus beati finitus, & cum lumine gloriæ: essentia autem infinita: secundo dicit rationem B.Thom. deficere, quia non est in forma, & si reducatur ad formam, duæ propositiones erunt falsæ: sic enim reducentur. Si modus cognitionis est secundum naturam cognoscentis, ergo nulla cognitio naturalis excedit modum naturæ cognoscentis. Igitur nulla cognitio naturalis est de obiecto, cuius natura excedat modum naturæ cognoscentis: cum ergo modus cognitionis sit secundum modum cognoscibilis, si modus essendi rei cognitæ excedit modum essendi ipsius cognoscentis, illa cognitio erit supernaturalis. Dicit Scot. sic arguendo, argumẽtum tenet, sed duæ propositiones sunt falsæ. s. hęc, modus cognitionis est secundum modum cognoscibilis: & hæc, nulla cognitio naturalis est de obiecto, cuius natura excedit modum naturæ cognoscentis, quoniam stat, cognitionem esse naturalem & tamen obiectum excedere ipsum cognoscentem, aliter imperfectius nunquam cognosceret perfectius cognitione naturali. Vltimo credit Scot. quòd B.Thom. fundet se super hoc principium necesse est inter obiectum & potẽtiam cognoscitiuam esse proportionem æqualitatis, quo ad modum essendi, si debet seruari cognitio naturalis, sed inquit Scot. hoc est falsum, sufficit enim quòd inter ea seruetur proportionalitas actiui, & passiui: etiam si sint maximè dissimilia in modo essendi, vt patet in materia & forma, & quoniam obiectum habet rationem motiui, & intellectus rationem mobilis: ideo stat, cognitionem de obiecto excedente modum essendi ipsius cognoscentis esse naturalem.

Ad hæc facile est respondere, stante declaratione propositionum, quam præmisimus.

Ad primam obiectionem nego cõsequentiã: ad probationẽ dico, quòd licet Angelus superior excedat inferiorem in essendo, comparando ens enti, substantiam substantiæ, non tamen excedit comparando inferiorem, vt cognoscentem ad superiorem vt cognitus est: cum cognoscens, vt actuatur specie cogniti, & quoniam illa species repræsentatiue adæquatur cognito, ideo Angelus inferior vt cognoscens adæquatur, & nõ exceditur à cognito: decipitur autem Scot. quoniam non considerat cognoscens, & cognitum formaliter, sed tantum materialiter.

Ad secundum dico ad consequentiam, quòd si intendit de diuisione naturali, de qua hic loquimur. conceditur consequẽtia, & nego falsitatem consequentis: hæc enim est conclusio B.Thom. quòd beatus non potest videre naturaliter diuinam essentiam: si autem intendit de diuisione absolutè siue naturali, siue supernaturali nego consequentiam: quoniam lumen gloriæ eleuat intellectum: & diuina essentia efficitur species intellectus beati, ita quòd est sufficientissime repræsentatiua sui ipsius, ex consequenti proportionabiliter intellectus beati constitutus est in actu, & veluti Deus effectus ad diuinam visionem &c.

Quantum ad illud, quod dicit Scot. rationem B.Thom. esse in propositionib. non syllogizatis. Dicimus quòd facilè ad formam reducitur & pro nunc substinemus formalizationem Scoti, licet propositiones aliquas inutiliter immisceat, & substinemus hanc esse veram: *modus cognitionis est secundum modum naturæ cognoscibilis*, sumendo ly, *cognoscibilis* formaliter. omne enim cognoscibile est cognoscibile per aliquam speciem sui repræsentatiuam, vel per se ipsum. qualis igitur erit species, talis erit. cognitio igitur si species perfecta & cognitio perfecta erit. si species imperfecta, & cognitio diminuta erit. Patet igitur,

tur, quòd hæc est vera, omnis cognitio est secundum modum naturæ cognoscibilis, repræsentatæ per speciem, vel per seipsam quantum sit ex parte naturæ cognoscibilis, & hoc dico, quoniam stat speciem esse sufficienter repræsentatiuam obiecti cognoscibilis: & tamen cognitio non erit secundum modum speciei ex parte cognoscentis, cui fortè improportio natur talis species, vt dicemus de anima separata, quæ non cognoscit perfectè substantias separatas, licet impressas in se habeat earum species: similiter hæc est vera: *nulla cognitio naturalis est de obiecto, cuius natura etc.* sumendo ly, *cognoscentis* formaliter. ideſt vt actuati specie cogniti, & quoniam diuina essentia excedit intellectum beati: quacunque specie creata actuati, ideo visio illa est supernaturalis: cum autem dicit Scot. quòd perfectius nunquam cognosceretur ab imperfectiori naturaliter: nego consequentiam, sicut etiam dixi in solutione primæ obiectionis. Requiritur tamen, quòd perfectius, & imperfectius sit eiusdem generis in genere cognoscentium, & hoc dico propter animam intellectiuam, quæ non potest cognoscere naturaliter separatas substantias perfectè, & quidditatiuè siue separata, siue coniuncta, quoniam in latitudine cognoscentium anima ipsa, vt cognoscens distinguitur genere à substantijs separatis, vt patet in præsenti ar. in quo B.Tho. assignat triplicem gradum cognoscentium, & dicit esse cõ naturale animæ cognoscere materialia, & Angelo separata, & Deo seipsum. Quod autem vltimate dicit B.Thom. fundatur super illud principium, necesse est inter obiectum, & potentiam esse æqualitatẽ vel similitudinẽ in modo essendi: falsum est: nec id habetur ex D.Thom. Vnde dico, quòd B.Thom. intendit duas conditiones esse necessarias ad cognitionem naturalem: prima est quòd cognitum non excedat ipsum cognoscens, vt cognoscens est. ideſt vt actuatum cognitum.

Quod autem excedatur à cognoscente quo ad substantiã non impedit: nam Angelus cognoscit lapidem, similiter & cognitum excedat substantialiter ipsum cognoscens, non impedit dummodo sint eiusdem generis, vt dixi, vt excipiatur anima intellectiua, quæ non potest cognoscere separata naturaliter sed vel præter naturã, vel suprà naturam. Angelus autem cognoscit Archangelum. Secunda est, quòd inter obiectum, & potentiam cognoscitiuam seruetur proportio proximè motiui, & proximè mobilis quæ nunquam seruatur, nisi obiectum præsens fiat potentiæ, aut seipso, aut specie &c. & potentia cognoscitiua fiat ipsum cognitum in esse intelligibili ex huiusmodi præsentatione, & vnione: vnde negandum est ipsi Scot. quòd inter obiectum excedens potentiam cognoscitiuam, & ipsam potentiam absolutè seruetur proportio motiui, & mobilis, nisi accedentibus conditionibus prædictis: exiistimauit autem Scot. quòd quoniam obiectum intellectus est ens, vt ens: ideo omne ens quidditatiuè, & naturaliter fit intelligibile ab intellectu creato: sed id non accepimus in via nostra. Item quoniam apud ipsum nulla datur supernaturalitas respectu potentiæ passiuæ, quod tamen reprobauimus in 1. quæst. artic. 1. Vnde per intellectum connaturale est nobis cognoscere naturas, quæ quidem non habẽt esse nisi in materia &c. Aduerte quòd B.Tho. graduat hic tres intellectus. non penes diuersa obiecta adæquata, quoniam omnis intellectus vt intellectus pro obiecto adæquato habet ens vniuersale vt dicit B.Thom. infra q. 79. artic. 2. sed penes prima cognita quidditatiuè, & naturaliter: nam obiectũ primum intellectus nostri cõiuncti est quidditas materialis. intellectus autem Angelici est quidditas immaterialis, cuius tamen esse non est subsistens. Intellectus autem diuini est essentia Dei. cum his tamen stat, quòd intellectus noster coniunctus attingit ens in vniuersali, & omnem gradum entis. etiam ipsum Deum aliquo gradu cognitionis naturalis, & si non quidditatiuè, de quo hic est sermo.

In responsione ad primum scias, quòd illa similitudo refulgens in Angelo, in qua videt Deum, est essentia ipsius Angeli, vt patebit infra cum loquemur de Angelo, in q. 56. ar. 3. vbi B.Tho. dicit expresse. vide tu ad placitum.

In responsione ad tertium, *Sed intellectus noster vel Angelicus qui secundum naturam à materia aliqualiter eleuatus est &c.* Aduerte quòd ly, qui, refert intellectum nostrum, & non Angelicũ: quoniam ille omnino à materia eleuatus est, vt dicemus infrà. Nec est necesse quòd referat vtrumque, quoniam loquitur disiunctim.

ARTICVL. V.

Vtrum intellectus creatus ad videndum Dei essentiam aliquo lumine indigeat.

CIrca titul. ly, lumine stat pro omni eo, vel sub quo diuina essentia manifestatur intellectui creato ly, *indigeat* stat absolutè, ita quòd non aliter potest. Quæritur, ergo vtrum sit necesse Deum infundere intellectui alicui creato, aliquam qualitatem sub qua manifestetur Dei essentia & hanc qualitatem dicimus lumen.

Omne, quod eleuatur &c. vsque ibi, *ad talem formam &c.* Aduerte quòd Durandus vt adducit Capr. in 4. distin. 49. q. 4. contra secundam: & est eius argumentum secũdum conatur destruere hanc maximam, super quam B.Thom. vbique fundat se. s. *Omne illud, quod eleuatur ad recipiendum aliquam formam supernaturalem, necesse est quòd disponatur aliqua dispositione supernaturali*, quoniam vt inquit in q. de verit. q. 8. art. 3. vltim. dispositio ad formam, & formam ipsa sunt vnius ordinis in hoc q̃ si vnum est supernaturale, & reliquum.

Contra inquit Durandus, illa dispositio supernaturalis est forma: quæ cognito aut recipitur in subiecto naturali immediatè aut per aliam dispositionem supernaturalem: non secũdum: quia esset processus in infinitum: ergo primum: ergo eadem ratione forma supernaturalis poterit recipi immediatè in subiecto naturali, sicut illa dispositio.

Ad hoc bene dicit Capreo. & ab eo accepit expositor, quòd in illa maxima *licet ad recipiendum aliquam formam supernaturalem* intelligit de forma principali, ad quam consequendam ordinatur actio, & non de qualibet forma dispositiua: ad argumentum ergo dico, quòd illa dispositio supernaturalis recipitur in subiecto immediate, quia non est necesse dispositionis esse dispositionem: nego autem, quòd eadem ratio & forma est principalis: quoniam etiam in materialib. forma substantialis recipitur mediantib. dispositionib. dispositiones autem non necessario requirunt præuias dispositiones.

Cum autem intellectus creatus, & vsque ibi *forma intelligibilis*, sufficit quòd det esse intellectui, vt intellectus est in genere intelligibilium: hoc autem esse est ipsum intelligere, vt diximus suprà: est igitur forma intelligibilis, quia facit intellectũ actu intelligere, sic forma accidentalis, puta albedo in genere entium facit subiectum albere. Aduerte tamen, quòd non est dicenda simpliciter & secũdum eandem rationem forma intelligibilis sicut species impressa, quoniã hæc dat formaliter esse intellectui: vt subiecto: & hoc imperfectionis est. Deinde facit intellectum intelligere, & hoc secundum seruatur. in diuina essentia.

Vnde oportet quod aliqua dispositio supernaturalis, &c. vsque ibi, *in tantam sublimitatem &c.* Aduerte, quòd ly, *supernaturalis* dupliciter potest intelligi, primo quòd secundum suam entitatem sit altioris naturæ quam illud, cui superadditur: & sic nõ est verum, quòd dispositio hæc sit supernaturalis, quoniã est accidens, quod est inferioris entitatis ipsa anima intellectiua, quæ est substantia: quia est maioris efficaciæ, & virtutis quam illud præcisè, cui additur: & quia à solo agente diuino effluit: & sic hæc dispositio est supernaturalis, quoniam eleuat animam ad diuinum ordinem, ad quem non potest tota sua facultate: & quia solus Deus est author huius dispositionis. Aduerte tamen quòd hæc secunda conditio non facit ipsam supernaturalẽ nisi denominatione extrinseca, alioquin anima intellectiua esset forma supernaturalis, cum sit à solo Deo: Dicitur igitur supernaturalis intrinsecè, quia est principium effectus vincentis totam facultatem naturæ creatæ, vt dicemus soluentes argumenta aduersantium.

Et hoc augmentum virtutis intellectiuæ &c. vsque ibi, *vocamus etc.* Aduerte quòd Durandus vt adducit Capre. in 4. distin. 49. quæst. 4. contra secundam & est eius argumentum primum: arguit contra hoc augumentum sit: hoc augumentum virtutis intellectus non est nisi confirmatio. hæc autem non fit nisi duob. modis, primo per intensionem eiusdem virtutis, vt quando calor vt tria efficit, calor vt quinque, secundo per cõiunctionem alterius consimilis agentis, vt si luminoso. A. adiungatur luminosum. B. neutro modo lumẽ gloriæ auget nec confortat intellectum, non primo modo: patet, quoniam intellectus qui est proprietas animæ non est forma intensibilis, nec secundo modo, quoniam lumen ipsum esset intelligens partiale, sicut luminosum. B. illuminans partiale. quo &c.

Ad hoc negatur diuisio: quoniam nõ primo modo vt expresse tenet B.Thom. in 3. contra 53. ibi, *contingit autem dupliciter aliquius virtus fortificari.* & nec secundo modo vt bene probat Durandus, sed tertio modo quando est, exponit B.Tho. in 3. contra gent. in eodem loco: & intendit hoc augumẽtum fieri per appositionem nouæ formæ, qua actiuum eleuatur ad operandum aliquam actionẽ, in qua non potest, stans præcisè in limitib. naturæ suæ: sic augetur aër: cũ recipitur lumẽ:

quo

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoniam per receptionẽ luminis potest illuminare, quod nõ potest vt aer eodem modo, augetur secundum aliquos phantasma per receptionem alicuius virtutis ab intellectu agente, secundum quam eleuatur ad comproducendum speciem intelligibilem, tamen quid de hoc tenendum sit in via Beat. Thom. dicemus in tractatu de anima.

In responsione ad primum plura tangit. Primo quòd hoc lumen est necessarium: sicut etiam dixit in articu. Secundò q̃ non est necessarium vt essentia diuina fiat actu intelligibilis, sicut dicimus, lumen intellectus agentis necessarium, vt materialia fiant actu intelligibilia, & hoc secundum concessum est ab omnibus. Tertiò quòd est necessarium vt intellectus fiat potens ad intelligendũ Dei essentiã. Circa quod aduerte & nõ dicit, *vt fiat potens ad recipiendum intellectionem diuina essentiæ*: quoniam ex se receptiuus est postquam actuatus est diuina essentia vt forma intelligibili. Dicit autem, *vt fiat potens ad intelligendum*, ideſt exeundum in actum secũdum: verum quia actus secundus præsupponit actum primum: ideo secundum B.Thom. lumen hoc est necessarium, vt intellectus recipiat diuinam essentiam vt formam intelligibilem, qua constituatur in actu primo: hoc licet non expresserit in hac responsione, tamen expressit in corpore, vt ibi, *cum autem intellectus creatus etc.* & diffusius in 3. contra gent. c. 53. igitur solum ipsum ponitur vt constituatur in actu primo, & vt exeat in actum secũdum. Quarto hoc lumen gloriæ est habitus. vnde dicit *per modum suæ potentia fit potentior ad operandum etc.* per habitũ, ergo secundum ipsum visio diuina non potest intelligi pro hoc lumine, antecedit enim vt dispositio eleuatiua.

Sed contra hoc multi insurgunt, & primo Sco. in 4. dist. 49. qõ. 11. ibi, *respondeo ergo ad duas quæstiones.* & licet teneat charitatem esse necessariam ad beatitudinem: non tamen lumen gloriæ, & principalia eius motiua sunt hæc: si hoc lumen est necessarium vel propter receptionem visionis, vel propter eleuandam visionem: non primum quia habitus non est ratio recipiendi actum, etiam in via, sed potius è conuerso, quoniam habitus generatur ex actibus: sed hoc lumen ponitur vt habitus: ergo &c. non secundum: quoniam quanto obiectum est magis in se lux, tanto minus de lumine requiritur vt videatur. sed diuina essentia est maximè lux in se, ergo nihil de lumine requirit, vt videatur. Aliud medium non adducitur à Scoto in illo loco contra S. Thom. nam argumentum secundum, quod adducit Capreol. in 4. distin. 49. quæst. 4. contra secundam scilicet, Quòd omni potentiæ passiuę correspõdet actiua Scot. soluit ipsum, dicens. quod est verum non tamẽ est necesse illã actiuã esse in natura creata, q̃n & materia ,ppria est naturaliter receptiua aĩæ intellectiuæ: non tamen aliqua creatura est ,pductiua eius. Tu tamẽ potes negare intellectum esse in potentia passiua quo ad beatitudinem pro actu primo & secundo. Nam non constituitur in actu primo, nisi quia sibi vnitur diuina essentia vt forma: quæ vnio vt diximus non fit nisi mediante lumine.

Argumentum autem tertium Scot. recitatum soluemus, cũ examinabitur responsio tertij argumenti positi in arti. Nunc igitur sufficit soluere argumentum adductum. Concedo igitur, quòd nõ ponitur lumen propter primum. Præcipuè quo ad receptionem actus secundi. Sed est propter secundum: ad improbationẽ, concedo totum: non enim concludit aliud, ni si quòd nullum lumen requiritur ex parte obiecti quo fiat visibile, cum Dei essentia sit maximè visibilis, sed ex hoc non probatur quin sit necessarium ex parte intellectus vt fortificans, & eleuans ipsum.

Durandus etiam vt adducit Capreol. in 4. dist. 49. quæst. 4. contra secundam adducit plura media ad negãdum hanc necessitatem, inter quæ est tertium & quartum & quintum, sed quintum nullius est efficaciæ: tertium autem soluetur cum examinabitur responsio tertij argumenti in artic. 4. igitur tale est B. Thom. in 4. dist. 49. tenet quòd beatitudo potest communicari homini existenti in puris dispositionib. viæ, & ita non habenti lumen gloriæ: ergo non est necessarium: aliter sibi ipsi contradicit.

Ad hoc respondet Capre. vbi suprà, & facto longo processu, tandem concludit ex eo, quod habetur in quæst. de verit. q. 13. art. 2. & in 2. 2. quęst. 185. art. 3. ad secundum mentem Beat. Thom. fuisse, quòd Deus potest communicare huiusmodi viatori miraculosè beatitudinem, sine lumine gloriæ impresso per modum habitus, non tamen sine lumine gloriæ impresso per modum passionis. sic enim B. Thom. exposuit se ipsum in q. de verit. & in 2. 2. vbi suprà.

Aureolus autem, vt adducit Capr. in 4. d. 49. q. 4. contra secundam ibi, *quarto loco proponit quatuor dubia etc.* & sic arguit; Deus immediatè potest facere, qui quid facit mediante creatura: sed mediante, lumine creato facit, q̃ intellectus videat Deum, ergo hoc immediate facere poterit: ergo tale lumen non est necessarium.

Ad hoc respondet ipsemet Aureol. sed responsio non valet apud nos. Tu igitur responde, vt Capre. quam responsionem formaliter recipit expositor: & stat in hoc: illa maior est vera quo ad entitatem rei, nõ quo ad relationem, & denominationem: nam ad hoc quòd dicatur. Sortes videre Deum, necesse est visionem illam esse actionem immanentem, ex consequẽti productam ab ipso Sorte, licet igitur Deus possit immediatè producere illam entitatem visionis, non tamẽ per eam denominaretur Sortes videre.

Aduerte quòd Aureolus vt adducit Capre. in hac materia, multipliciter arguit, sed plura eius argumenta non militant contra viam nostram, sicut illa quib. probat, non esse ponendum hoc lumen ad vigorandum intellectum agentem: nos enim non dicimus hoc. Illa autem, quib. probatidem ex parte intellectus possibilis partim nullius sunt efficaciæ, partim soluuntur, eodem modo & argumenta Scot. & Duran. Tu igitur nota argumenta ipsius, quæ recitantur à Capre. in quinto loco, quibus conatur ostendere, quòd concesso lumine hoc, quoniam in scriptura expressè ponitur, vt etiam B. Thom. allegat in corpore articuli: non tamen est necesse hoc lumẽ esse habitum, nec quid distinctum ab ipsa visione, sed semper ponitur pro ipsa visione, vel pro obiecto s. Dei essentia quæ verè est lux. & in hoc sensu dicit esse interpretandas omnes authoritates, in quib. est mẽtio de hoc lumine, præcipuè decretalis tertia extra de hæreticis cap. ad nostram. Verum quòd talis expositio non sit ad mentem authoris, Capreol. diffusè ostendit: nec ego volo in hoc immorari: vide tu ad placitum & in illis inuenies, quomodo decretalis illa fundata est suprà doctrinam B. Thom. & Alberti, & aliorum, qui posuerũt hoc lumen, vt habitum &c.

In responsione ad secũdam, Aduerte quòd licet neget hoc lumẽ esse similitudinẽ diuinam, & in ar. 1. huius q̃st. dixerit, hoc lumen esse similitudinem ex parte potentiæ visiuæ, tamen non sibi contradicit, quoniam in arti. 2. intendit hoc lumen esse similitudinem non repræsentatiuam Dei, sed deriuatã à diuino, & essentiali lumine, quasi dicat. sic intellectus Dei in lumine suo essentiali videt seipsum, sicut intellectus creatus in lumine deriuato ab illo diuino lumine, videbit Deum.

In responsione vero ad secundam negat ipsum esse similitudinem non abstractè, sed in qua Deus videatur, ex consequenti non est similitudo repræsentatiua.

In respõsione ad tertiam, aduerte primo quòd Scot. & Aureol. & Durandus virtualiter faciunt idem argumẽtum, vt adducit Capr. vbi suprà, & tamen nullus recitat solutionem B. Thom. quæ tamen maximè doctrinalis est: Aduerte secundo quòd B. Thom. intendit negare illud assumptum. *s. illud, quod est creatum &c.* & ratio negationis est, quia si tale creatum deberet esse naturale alicui, esset necesse vt flueret à natura talis rei: nam ex 2. physic. text. 5. secundum naturam siue naturale est, quod fluit à natura, vt igni ferri sursum, vt inquit Arist. impossibile est autem hoc lumen fluere à natura creata, quoniam cum sit ens diuinum, & ordine diuino, non est aptum fluere nisi à natura diuina, & ideo esset necesse, vt inquit B. Thom. quòd natura creata transferretur in naturam diuinã, sicut exemplificat de dispositione ad formam ignis.

Sed posito, quòd non possit esse naturale alicui creato, adhuc instat Durandus probans quòd non est sufficiens medium ad illam visionem: quoniam quantumcumque lumen infundat intellectui adhuc stat distantia infinita inter intellectum sub tali lumine, & Dei essentiam: ergo non sufficienter eleuat intellectum.

Ad hoc dico, quòd B. Thom. ante Durãdum formauit hoc argumentum & respondens concedit antecedẽs, & negat cõsequentiam: quoniam inquit per illud lumen fit vt essentia Dei vniatur intellectui vt forma intelligibilis, & intendit in dicio meo, quòd lumen hoc non est considerandum, vt accidens vel qualitas vel tale ens in tanto gradu entitatis, quoniam vt sic nullam habet proportionem ad illam infinitam essentiam: sed considerandum est, vt similitudo diuini luminis essentialis, quo Deus videt se, & vt sic est de ordine entiũ supernaturalium, & est dispositio velut connaturalis, ac propria ad formam supremam intelligibilem in esse intelligibili: ita quòd sicut calor, & siccitas sunt connaturales dispositiones materiæ ad formam ignis, licet sint inferioris entitatis, quoniam accidentia sunt: forma autem ignis est subſtantia, sic &

sic & hoc lumen ad Dei essentiam. Ex his patet, quòd omnia argumenta de distantia infinita, siue excessu infinito diuinæ essentiæ super hoc lumen peccant in hoc, quòd non considerant, cuius ordinis sit, sic enim potest argui de gratia, & charitate, & actu meritorio, quasi non considerentur vt sunt de ordine entium diuinorum, & vt sic dignam faciunt creaturam intellectualem vita æterna, non possent esse condigna media ratione entitatis suæ, cum sint accidentia.

ARTICVL. VI.

Vtrum videntium Deum, vnus alio perfectius videat.

CIrca hunc articul. non cadit difficultas. Tu tamen nota quòd B. Thom. hanc conclusionem affirmatiuam in præsenti articulo breuiter probat, supponens inęqualitatem charitatis, & non aliter, & propterea in 3. lib. contra gent. c. 58. per totum probat eandem triplici ratione. primo quia datur summum. videns Deum, qui est ipsemet, compræhendens seipsum: ergo datur magis, & minus videns: consequentia nota ex x. lib. metaphysic. &c. Secundo quia lumen gloriæ est similitudo diuini intellectus: quia per ipsum efficimur deiformes, non inconuenit autem aliquid magis, & minus assimilari Deo: ergo tertio non omnes æqualiter præparant, sed ad finem, quoniam præparatio est per virtutes, quæ non sunt æquales in omnibus, vt constat: ergo non omnes æqualiter vident Deum.

In responsione ad tertium *sed per diuersam facultatem intellectus non quidem naturalem, sed gloriosam &c.* Sed contra B. Tho. infrà in quæst. 62. articu. 6. dicit concludendo. videtur, quòd Angeli qui habuetunt meliorem naturam, habuerũt plus de gratia, & de gloria: ergo diuersitas vidẽdi Deum prouenit ex diuersitate facultatis naturalis.

Ad hoc dico, quòd B. Thom. non illud tenet de Angelo, vt necessarium, sed vt probabile: vnde dicit in principio articu. *rationabile est &c.* suppositio etiam, quòd in hoc vt est certum, non sibi cõtradicit: quoniam hic loquitur de immediata causa diuersitatis & per se, quæ est diuersa participatio luminis tam in homine, quam in Angelo: infrà vero in loco allato nõ adducit causam immediatam, sed remotã vel potius occasionem, quantumad Angelos, & ideo non est contradictio.

ARTICVL. VII.

Vtrum videntes Deum comprehendant ipsum.

CIrca determinationem articuli non cadit difficultas: ideo pertranseo. Tu tamen nota in respõsione ad tertiũ: *non quidem ita quòd totus modus obiecti &c.* vsque ibi, *modus cognoscentis &c.* intendit, quòd ideo non videtur totaliter, quia modus, quo est cognoscibilis, non adæquatur modo, quo cognoscens creatũ cognoscit ipsum: modus enim ille infinitus est, hic autem finitus. & est simile huic. Sol non videtur totaliter ab oculo meo, quia ipse summè visibilis est, sed oculus meus videt ipsum remissè, quia caliganter.

ARTICVL. VIII.

Vtrum videntes Deum omnia in Deo videant.

CIrca titul. ly, omnia stat vniuersalissimè & distribuit pro quolibet siue absoluto, siue respectiuo, siue in actu, siue in potentia tam naturali, quam obiectiuali: & ly, in Deo stat obiectiuè, ita quòd in eo viso, illucescant omnia videnti.

Sic igitur videntur omnia in Deo sicut effectus in causa sua &c. Aduerte quòd multipliciter possumus imaginari res creatas esse in Deo: Primo sicut res in speculo: & hunc modum videtur ponere Augustinus in libro de videndo Deo, cum dicit, Deus est speculum voluntarium, & si vult, videtur, si non vult, non videtur. Secundo sicut conclusiones in vniuersali principio. Tertiò sic effectus in sua causa ,pductiua sufficientissima: verum esse sicut in speculo, non propriè, sed tantum metaphoricè verificatur de Deo, vt docet B. Thom. in quæst. de verit. q. 12. art. 6. eo quòd de ratione speculi est, quod repræsentatum in eo sit ab alio impressum: vel à speculo reflexum. Istæ autem conditiones non conueniũt diuinæ essentiæ, vt patet: ideo B. Thom. qui hic loquitur de proprio modo essendi in Deo, voluit hunc modum ponere, quoniam à sensu metaphorico non trahitur valida ratio. secũdum autem potest, prout trahitur ad tertium: quoniam ex secundo physicorum præmissæ sunt causæ effectiuæ cõclusionis efficienter. Igitur B. Thom. assignauit modum essendi res in Deo, cum dicit, *sic effectus in causa*: quoniam nullus alius est proprius nisi reducatur ad istum, ex quib patet, quòd ratio B. Thom. non peccat per fallaciam consequentis siue arguẽdo à superiori ad inferius affirmatiuè, nam res esse in Deo proprie, & esse in Deo vt effectus in causa conuertibiliter se habent: & non vt superius, & inferius.

Sed dices, quomodo ergo verificatur dictũ Augu. Deus est speculũ volũtariũ. Respondeo dicitur speculum propter hãc solam conditionem, quia distinctè, & non confusè res in se, & secundum proprias rationes repræsentat, & iuxta hanc repræsentationem distinctam sumitur ratio ideæ, vt patebit infra: dicitur voluntarium ratione visionis: quoniam stat in voluntate sua exhibere se intellectui creato, & etiam se subtrahere. Dicitur etiam voluntarium ratione reuelatorum, posito enim quòd videatur Dei essentia à Gabriele, ad hoc est in potestate voluntatis diuinæ reuelare ei plura aut pauciora, siue nulla eorum, quæ merè ex Dei voluntate pendent, vt prædestinatio Sortis, hora iudicij, iustificatio Pauli &c. Quantum autem ad ea, quæ naturaliter & ex necessitate relucent in diuina essentia: alia ratio est, nec de his intendit Augustinus &c.

Sed res in Deo sunt vnitissimæ, & indistinctæ, sicut effectus indistincti sunt in virtute causæ, nec vmquam sunt distincti, nisi quando habent esse in propria natura: ergo nõ potest dici speculum, quia distinctè continet res, imo indistinctè.

Ad hoc dicitur, quòd vtraque est vera, scilicet res in Deo continentur indistinctè, quantum sit ex parte rei, quoniam nullam pluralitatem ponunt in Deo, & continentur distinctè, quantum sit ex parte repræsentatarum rerum: sic enim repræsentãtur, ac si essent distinctæ vna ab alia, quoniam secundum propriam rationem vniuscuiusque: & propterea dicitur speculum æquipollenter, quoniam sicut res in speculo apparent, vt distinctæ sunt actu abinuicem, sic apparent in Dei essentia, ac si essent distinctæ, quòd autem sint actu distinctæ, non compatitur diuina simplicitas. est igitur speculum remota imperfectione.

Sed manifestum est, aliqua causa quanto perfectius videtur, tanto plura &c. Aduerte quòd licet B Thom. non dicat expresse. & è conuerso tamen subintelligi debet: intendit enim sic argure. Quanto causa perfectius videtur, tanto plures effectus in causa videri possunt, & è conuerso: sicut patet de principio & cõclusiõe: quia quãto perfectius principiũ ipsum videtur, tanto plures cõclusiones videntur in eo: ergo potens videre omnes effectus in causa prima, potest comprehendere ipsam: sed nullus intellectus creatus potest secundum, ergo nec primum. Ratio hæc impugnatur à Scot. quantum ad illud antecedens. *Quanto causa perfectius videtur etc.* A Durando: & Gothofredo. Quantum ad illud de principio & cõclusione, & iterum à Scot. & Aureolo, & Gothofredo quantum ad illam cõsequentiam: *ergo potens videre omnes effectus in causa prima, potest comprehendere ipsam etc.*

Scotus igitur in 3. dist. 14. quæst. 2. *ad secundum quæstio dicitur etc.* soluit hanc rationem dicens in ea esse fallaciam consequentis: quia licet perfectius repræsentans causata: non tamen è conuerso, quia potest stare cognitio principij, non aucta in se pluribus conclusionibus ex ipso elicitis. & similiter erit de causa & effectibus pluribus cognitis: quòd autem hoc sit verum, probat tripliciter, & incipit ibi, *præterea illud exemplum de quæstione ex principio etc.*

Primo causa inquantum causa, nullam perfectionem accipit à causato, quia naturaliter est prior eo: ergo cognitio principij vt est causa cognitionis conclusionis nullo modo perficitur, nec augetur per cognitionem quæstionis.

Secundo accipio aliquid principium vt notum in aliquo gradu, & quæro. vtrum per ipsum sic præcisè cognitum possit aliqua conclusio cognosci: ita quòd post deductã conclusionem maneat in intellectu cognitio principij nõ aucta: aut non: si sic, habetur propositũ: si non, ergo hoc principium in tali gradu præcisè cognitum non est principium, quia secundum te nullius conclusionis est principium: quod tamen est falsum, quoniam esset principium & non principium.

Tertio ex primo posterior. de subiecto præcognoscitur quid est: & ratio huius est: quia in quidditate subiecti virtualiter includitur tota ratio scientiæ, nec ipsum quid subiecti acquiritur per demõstrationem, sed totaliter supponitur, sed per demonstrationem solum acquiritur cognitio passionum inhærentium ipsi subiecto: ergo ita erit de conclusione respectu principij quòd cognitio principij totaliter præsupponitur demonstrationi: ex consequenti non acquiritur perfectior,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctior,ex eo,quod plures concluſiones demonſtrantur per ipſum:ſtat ergo cognitio principij non aucta in ſe, dato quòd plures & plures concluſiones eliciãtur,ex eo ſimiliter poteſt ſtare cognitio cauſæ non aucta in ſe,dato quòd plures & plures effectus videantur in ea,vel ex ea: ergo aſſumptum Beat. Thom.non valet è conuerſo.

Antequam reſpondeamus Scoto,declarandum eſt,quomodo illud aſſumptum tenet,ita quòd valet è conuerſo: Aduerte igitur primo quòd cognitio cauſæ & cognitio effectus ex natura rei pendet à cognitione cauſæ. Aduerte ſecundo ꝙ cauſa naturalis ſecundum ſe determinate, & tot producit effectus ſtans ſub certa diſpoſitione vel gradu: nec põt in plus, ſi non variatur.Nam omne agens naturale non mutatũ ſemper facit idem, & ſi quid de nouo agit, quod prius non poterat,mutatum eſt. Ex his dico quòd intentio B.Thom.in illo aſſumpto hęc eſt:certa cognitio cauſæ eſt cauſa naturalis certorum effectuum,puta cognitio cauſæ vt quatuor facit naturaliter cognoſcere quatuor effectus & non plures. ergo ſi in ea cognoſcuntur plures:puta x.neceſſe eſt cognitionem cauſæ mutatam eſſe in maius:probatur conſequentia: quoniam agens naturale quamdiu manet idem,facit idem & non aliud niſi mutetur, ergo bene ſequitur quòd ſecundum quòd plures & plures effectus cognoſcuntur in cauſa etiam ipſa perfectius,& perfectius cognoſcatur,& ſic patet,quòd aſſumptum tenet, & è conuerſo ,& quòd hæc duo ſunt conſequenter ſe habentia:cauſa perfectius videtur, ergo effectus plures in ea videntur,& è conuerſo,vt dicit Capreol.in 4.diſt.49.quæſt.6. ad obiecta Aureoli contra primam ibi, *dicitur ergo &c.* Sic ſequitur,Sortes eſt homo:ergo eſt riſibilis:& è conuerſo.

Aduerte tertio quòd licet cognitio plurium effectuũ inferat perfectiorem cognitionem cauſæ, non tamen illa perfectior cognitio cauſę cauſatur de neceſſitate à cognitione plurium effectuum:ſed ſufficit præſupponere ipſam: ita quòd ſi debeã cognoſcere hora præſenti decem effectus ſolis, neceſſe eſt,& præſupponere intellectu meo cognitionem ſolis in tanto gradu: & ſi hora ſequẽti duodecim effectus neceſſe eſt præſupponere maiorem cognitionem ſolis &c.deinceps. ſed dices , ſi non cauſatur hæc maior cognitio cauſæ à cognitione effectuum de neceſſitate à quo cauſatur? Reſpõdeo quòd cauſatur à maiori vnione cauſæ cum intellectu meo , ſiue ſit vnio,per ſpeciem propriam,ſiue per eſſentiam cauſæ:& quoniam id non aduertit Scot.ſed credidit B.Thom.tenere, ꝙ ſi aſſumptum valet, è conuerſo cognitionem effectus de neceſſitate cauſare cognitionem cauſæ, ideo conatus eſt arguere contra Beat.Thom. ex his ergo facilè ſoluuntur omnia obiecta.

Ad primum concedo totum,neque enim dicit Bea.Thom. cognitionem principij perfici effectiue à cognitione concluſionis. Idem intellige de cauſa,& effectu, ſed intendit quòd perfectior cognitio principij præſupponit cognitionẽ nouæ concluſionis , quæ prius non cognoſcebatur. Idem dico de cauſa,& effectu.

Ad ſecundum dico,quòd eſt principium alicuius cõcluſionis illius.ſ. cui correſpondet , vt cauſa naturalis ſufficiens , & non eſt principium alterius nouæ cõcluſionis , niſi augeatur in intellectu meo cognitio ipſius principij : & cum infertur, ergo hoc principium vt in hoc gradu cognitio non eſt principium:nego hanc conſequentiam,ſed debet ſic inferre:ergo non eſt principium alicuius alterius cognitionis nouæ &c. & tunc concedo conſequentiam: & nego falſitatem conſequentis.

Ad tertium dico vt ad primum , aliud eſt enim præſupponere maiorem cognitionem principij ad deductionem vel in ſpectionem plurium concluſionum nouarum,in eodem principio & maiorem cognitionem principij cauſari ex demonſtratione plurium concluſionum in primo· ſenſu intendit B. Thom.in ſecundo ſenſu arguit Scotus. Ideo non tangit mentem Bea.Thom.

Gothofredus autem , & Durandus vt adducit Capreol.in 4.diſt.49.queſt.6.contra primam cõcluſionem reprobãt exẽplum adductum de principio & concluſionib.& dicunt,quòd non eſt ſimile eſſentiæ diuinæ,& rebus viſis in ea, & vterque tangit eandem rationem,quæ ſtat in hoc : per principium vniuerſale ſyllogiſticum non repræſentatur intellectui aliqua particularis concluſio in actu, & determinate ante pertractationem, vel perſcrutationem principij:ſed tantum in virtute,& in potentia,& ideo poteſt cognoſci principium ignorata concluſione,inquit Gothofredus , Durandus autem dicit & in idem redit,niſi facta applicatione,& ſubſumptione ſub ipſo,ſed ſolum in vniuerſali & in potẽtia: ſed in eſſentia Dei repręſentantur creaturæ actu , & diſtinctè. i. ſecundum proprias rationes ſimul abſque quacunque deductione,& applicatione: ergo non repręſentantur res in diuina eſſentia ſicut concluſiones in principijs. Ad euidentiam huius aduerte, ꝙ B. Thom. intendit duo in illo exemplo primo quòd principium demonſtratiuum conſideretur vt principium concluſionum.ideſt,vt ſic productiuum cognitionis concluſionum in intellectu meo:& vt ſic eſt cauſa verè actiua,& contentiua ſuarum concluſionum,ſicut eſſentia Dei eſt cauſa actiua contentiua rerum. In hoc igitur ſunt ſimilia,& non debet conſiderari principium vt præcisè quædam propoſitio vera, quoniam vt ſic non eſt formaliter principium:ſecundo quòd ſiue cognoſcantur concluſiones in principio vt ſic intellectus noſter diſcurrens neceſſe eſt perfectiorem cognitionem de principio ſupponeret in intellectu : ita quòd vt diximus ad Scot.ſecundum quòd intellectus meus magis penetrat principium vt principium plures cõcluſiones cognoſcam in eo, vel ex eo:& in hoc eſt ſimile de diuina eſſentia: quoniã quanto perfectius videtur,tanto plures effectus videntur in ea.Ex his dico ad argumentum quod tam Gothofredus quam Durandus decipiuntur in hoc, quòd non aduertunt differentiã eſſe inter cognoſcere concluſionem in principio , & cognoſcere ex principio:nam propoſito Gothofred. & Durandi habet veritatem,quo ad cognoſcere cõcluſionem ex principio: quoniã alio actu fertur intellectus ſuper principium & alio ſuper concluſionem ex principio deductam : & ideo ſtat ꝙ prius cognoſcam principium quam concluſionem etiam tẽpore: vt vult philoſophus in primo poſterior. vt ſcio omnem mulam eſſe ſterilem:non tamen hanc quia forte nondum ſubſumpſi,hanc eſſe mulam:ex conſequenti non ſcitur determinate:ergo niſi per applicationem,& ſubſumptionẽ: vt in hoc benedicit Durand.ſed B.Thom.intendit de cognitione concluſionis in principio,& tunc falſum eſt, quòd concluſio cõtineatur. & cognoſcatur tantum in potentia : imo actu , & determinate: quoniam intellectus vno actu fertur in principium & concluſionem , vt patet per B.Thom.infra in quæſt. 58.artic.3.& in hoc mõ cognitionis impoſſibile eſt cognoſcere principium & ignorare cõcluſionem,eo tamen modo quo penetratur principium : quoniam igitur in diuina eſſentia videntur res,& non ex diuina eſſentia optime B.Thom. aſſimilauit hanc viſionem cognitioni qua videtur concluſiones in principio ſecundum ꝙ penetratur principium.ſed dices Bea. Thom.non exemplificat de cognitione concluſionũ in principio ſed ex principio vt patet in ly,ergo ſtat argumentũ Durandi & Gothofredi.

Ad hoc dico ꝙ cum vtraque cognitio in & ex principio clarè habeatur ex B. Thom.vt patet in quæſt.de verit.queſt. 8.art.15.& determinatione huius artic. incœpit per videre effectum in cauſa,& non ex cauſa: eius principalis intẽtio fuit loqui de cognitione concluſionis in principio vt ſit ſimilitudo inter viſionem rerum in Dei eſſentia,& concluſionum in principio nec obſtat ꝙ B.Thom.dicit in litera ex principio: quoniam ly,*ex principio* non ſemper implicat diſcurſum , ſiue applicationem,ſed aliquando cauſalitatem tãtum: ſiue enim videatur cõcluſio in principio ſiue educatur ex principio,verum eſt vtroque modo, principium eſſe cauſam cognitionis concluſionis productiuam &ly, ex.conſequenter apponi poteſt cauſæ effectiuę. Vnde dico ꝙ B. Thom.per ly, *ex principio* intendit cauſalitatem tantum,& tale,ex.commune eſt cognitioni in principio,& ex principio per deductionem.Quod ſi quis ſubſtinere voluerit,B. Thom.ſumere ly,*ex principio* vt implicat diſcurſum ſicut videtur expreſſe tenere in q.de verit.q. 8.art.x.ibi. *Qui eſt eleuatioris intellectus &c.* & loquitur de Deo cognoſcente omnia per eſſentiam ſuam.vide tu:potes dicere ꝙ B.Thom.per ly,*ex principio* arguit à poſteriori vt inquit expoſitor.vide tu eum in præſenti ar.vbi incipit,*nec obſtat* quòd litera.

Poſtremo Scot. & Aureolus & Gothofred.conatur improbare hanc conſequentiam B.Thom,ſi intellectus creatus poſſet videre omnes effectus, in cauſa primo prima, comprehenderet eam:Scot.namque in 3.diſt.14.q.2.ibi, *contra rationem huius poſitionis arguitur ſic &c.* improbat eam dupliciter.

Primo ſic:ipſi a. conueniat b.& c.ordinatè , ita ꝙ b.ſit tota ratio reſpectu c. ſi intelligens b. non comprehendit a. multo minus intelligens c.comprehendet a.exemplum de ſubiecto & definitione eius,& paſſione : Nam ſi intelligens rationale, non comprehendit hominem , multo minus intelligens riſibile,comprehendet hominem : ſed in Deo eſſe infinitum intenſiuè,& eſſe infinitum extenſiuè , in quo infinita poſſibilia relucent , ſe habent ordinatè, ita quòd quia eſt infinitus intenſiuè

tenſiuè infinita relucent in eo & põt infinita producere : ſed non è conuerſo. Sed cognoſcens ipſum vt infinitum intenſiuè non comprehendit ipſum,ex dictis in q.præcedenti:ergo multo minus cognoſcens infinita relucentia in eo , ſiue eius infinitos effectus,non comprehendit eum.

Secundo ſic:cognoſcens vnum effectum in verbo,non cõprehendit illum effectum, nec comprehendit verbum vt eſt cauſa illius: ergo quotcũque effectus cognoſcat,nullum eorum comprehendit,nec verbum vt eſt cauſa alicuius eorum: igitur multo magis , nec ſimpliciter comprehendet cauſam: & ſi omnes eius effectus cognoſcat:hęc Scot.Aureolus quoque,vt adducit Capreol.in 4.diſtinction.49.quæſtion.6.contra tertiam inter reliqua quæ multa ſunt tangit etiam hæc motiua Scoti. Vnde ſic arguit:infinitas intenſiua intimior eſt in Deo,quam infinitas extẽſiua,poteſt enim infinita,quia eſt intenſiuè infinitus,ſed cognoſcẽs infinitatem intenſiuam nõ comprehendit eum:aliter omnis beatus comprehenderet eũ, cognoſcit enim ipſum eſſe creatorem: ergo habere virtutem infinitam intenſiuè: ergo cognoſcens infinitatem extenſiuè, quod eſt cognoſcere infinitos effectus non comprehendit eum: præterea omnes creaturæ in eſſendo nõ adæquant Dei infinitatem:ergo nec ſi ponantur,omnes cognoſci,adęquant eius cognoſcibilitatem.

Godofredum autem adducit Capreolus vbi ſuprà & Aureolus cum eodem concordat dicit , ideo non tenere conſequentiam B.Thom.quia quantitas cognitionis poteſt attendi & extenſiuè penes numerum cognitorum,& intenſiuè penes maiorem limpiditatem : licet autem intellectus creatus videat tot in Deo,quot ipſe Deus , quantum ad quidditatem rerum creatarum,non tamen videt æquali limpiditate: quia Deus videt ſe & relucentia in eo infinita limpiditate:intellectus autẽ creatus finita : & vnus beatus videt limpidius alio: ergo dato quòd omnes beati videant omnes effectus in Deo, non ſequitur quòd comprehendant eum : quia comprehenſio dicit limpidiſſimam & totalem cognitionẽ. His conatur infringere conſequentiam B.Thom.

Ad primum Scot.quoniam etiam eſt primum Aureoli reſpondeo ad vtrumque ſimul.& primo adduco reſponſionem expoſitoris,quæſtat in hoc ſi b.& c.ordinate inſunt ipſi a.eodem modo eſſendi,puta quia vtrumque ineſt formaliter vt ratione & riſibile inſunt formaliter homini, vel vtrumque cauſaliter, ſed non formaliter, vt calefactiuum, & exſiccatiuum eſſe , ineſt cauſaliter , vel eminenter tantum in ſole : in hoc caſu propoſitio maior Scot.eſt vera, bene enim ſequitur quòd ſi per cognitionem rationalis non comprehendo hominem,nec per cognitionem riſibilis. Similiter ſi per cognitionem calefactiui non comprehendo ſolem, nec per cognitionem exſiccatiui:ſi autem b.ineſt formaliter & c.cauſaliter,dato quòd b.ſit ratio ipſius c. propoſitio maior Scoti non eſt vera,vt patet in ſole, quoniam eſſe luminoſum primum,ineſt ſoli formaliter , eſſe autem productiuum omnium inferiorum,ineſt cauſaliter , ſtat autem quòd cognoſcam ſolem eſſe luminoſum primum,& tamen non comprehendam ipſum, ſi autem cognoſcere ipſum, vt productiuum omnium inferiorum diſtinctè & ſecundum proprias rationes,comprehenderem ipſum: quoniam per effectum adæquatum ſufficienter, & quidditatiuè cognoſcitur perfectio cauſæ, hoc autem eſſe productiuum omnium inferiorum &c. eſt effectus adæquatus ſoli, vt ſupponitur. Vnde ſequitur quòd comprehendatur: & quoniam ſic accidit in propoſito quòd infinitas intenſiuè ineſt Deo formaliter , illa autem, ſcilicet extenſiua tantum cauſaliter ſiue eminenter:Ideo non ſequitur quòd ſi cognoſcens primam , non comprehendit Deum , quòd nec & cognoſcens ſecundam. ſed dices , vnde eſt quòd cognoſcens primam,non comprehendit,ſed ille,qui ſecundam? Reſpondeo hoc ideo eſſe, quia eo cognito , quod eſt formaliter in Deo,Deus vt Deus eſt,in ſe videtur. Vnde ex cognitione infinitatis intenſiuę cognoſcitur Deus vt trinus , & vnus , ad nullos gradus entis limiteti, nulla perfectione ſimpliciter carens , ſed hoc vt patet non eſt Deum comprehendere : aliter omnis beatus comprehẽderet. Cognitis autem omnibus virtualiter, & cauſaliter contentis , per cognoſcere infinitatem extenſiuam,cognoſcuntur omnia latentia in cauſa huiuſmodi : aut latentia non poſſunt cognoſci niſi intime & omnino penetretur cauſæ perfectio , hoc autem eſt comprehendere. patet igitur,quòd rationabiliter comprehenditur per ſecundam infinitatem & non per primam.

Capreol.autem in 4.diſtinctio.49.quæſtion.6.ad primum Aureol contra primam, ibi , *dicitur ſecundo , quòd prima conſequentia &c.* dicit licet infinitas intenſiua ſit intimior in Deo, quo ad eſſe, non tamen ſecundum rationem & noſtrum modum intelligendi : & hoc intelligendo quia vniuerſitas creabilium , vel totum ens creabile & poſſibile produci eſt obiectũ adæquatum diuinæ virtuti & potentiæ , vt potentia eſt. (potentia enim vt potentia reſpicit obiectum.) Ideo per talis obiecti adæquati perfectam cognitionem comprehenſibilis eſt diuina virtus,& potentia creatiua, inquantũ potentia eſt , & comprehenſa tali virtute comprehenderetur diuina eſſentia ſicut per propriã,& adæquatum paſſionem . quod non contingeret per cognitionem infinitis intenſiuæ , quoniam non addit ſuper eſſentiam niſi negationem limitationis : talis autem negationis cognitio non eſt ſufficiens medium comprehenſionis : obiectum autem adæquatum alicui potentiæ eſt ſufficiens:& ideo bene ſtat, quòd per cognitionis infinitatem extenſiuè comprehendam Dei virtutem, ex conſequenti eſſentiam: non autem per infinitatem intenſiuam. ſic reſpondet expoſitor, & Capreol. Tu vero potes negare Scoto, & Aureolo , quin cognoſcens infinitatem intenſiuam , comprehendat Dei eſſentiam , dummodo cognoſcat eam tantum quantum cognoſcibilis eſt:eſt autem infinitæ cognoſcibilitatis , quoniam eſt infinitæ entitatis,& actualitatis : & cum dicit Scot.ſe probaſſe in quæſtio.præcedenti, quòd cognoſcens infinitatem intenſiuam non comprehendit Dei eſſentiam , Dico quòd bene probauit , intellectum, qui abſolutè fertur ſuper infinitatem Dei , non comprehendere Deum: quoniam hoc conuenit omni beato , aliter non quietaretur intellectus : tamen non probauit , quòd intellectus , ſi feratur infinitè ſuper Dei infinitatem , non comprehendat eum. Idem dico ad Aureol.ideo neganda eſt propoſitio minor Scot.& Aureol.

Ad ſecundam Scoti, nego hanc conſequentiam, cognoscens vnum effectum & duos & tres, & centum: & ſic deinceps non comprehendit verbum , vt eſt cauſa illorum: ergo cognoſcens omnes effectus producibiles à verbo, vel per verbum , non comprehendit verbum, arguit enim à diuiſim ad coniunctim,ſiue ab obiecto inadæquato , ad obiectum adæquatum diuinæ potentiæ. Conſtat autem, quòd hæc conſequentia non valet, per cognitionem obiecti inadæquati non comprehenditur potentia : ergo nec per cognitionem obiecti adęquati.

Ad primam Aureol.reſpondendum eſt,vt ad primam Scoti:ad ſecundam autem nego conſequentiam , licet enim non adæquant quo ad eſſe, tam in omnes ſimul ſumptæ adæquãt diuinam virtutem & potentiam in ratione potentiæ: ſicut eius adæquatum obiectum : neque enim poteſt plura producere quam poſſint produci : per obiectum autem adæquatum comprehenditur virtus producentis , dato quòd deficiat à nobilitate ipſius virtutis quo ad eſſe , ſicut per cognitionem omnis producibilis à ſole , comprehenditur virtus ſolis , licet omne tale producibile ſit ignobilius quo ad eſſe, quoniam eſt corruptibile: virtus autem ſolis eſt incorruptibilis : ex perfecta autem cognitione virtutis , & potentiæ agentis aſcendit intellectus ad perfectam cognitionem naturæ & eſſentiæ eiuſdem , ſicut ex prima & adæquata proprietate.

Ad ſolutionem conſequentiæ B. Thom.quam adducunt Godofredus & Aureolus,dico quòd decepti ſunt non ponentes differentiam inter cognoſcere omnes effectus in ſe ipſis, & cognoſcere eos in prima cauſa: nam quando in ſeipſis cognoſcuntur maiori , & minori limpiditate cognoſci poſſunt, ſecundum quòd per ſpecies ſuas diuerſimode actuant intellectum:Quando autem cognoſcuntur in cauſa prima non ſolum quot ſint in numero,ſed quantum quiſque perfectus eſt cognoſcuntur.Id autem non poteſt cognoſci niſi ſciendo , & quo gradu perfectionis poſſunt à cauſa prima produci,& iterum id non poteſt ſciri , niſi omnino penetretur perfectio primæ cauſæ,quod eſt comprehendere ipſam : nego igitur,ſi omnes effectus viderẽtur in prima cauſa, quòd poſſint videri magis,& minus limpidè,imo infinita limpiditate ex omnimoda penetratione eiuſdem, & quoniã id eſt proprium Dei, ideo ſolus videt omnia in ſeipſo:& aduerte quòd hæc reſponſio fundata eſt in 3.contra capitul.56.ibi , *ſed ſi diligenter conſiderentur,non eſt eiuſdem rationis*, vſque in finem capitis.

In reſponſione ad quartum, Aduerte primo quòd B.Tho. videtur cõcordare cũ Auic.lib.9.ſuę met.c.7.vbi inquit ſpectio

Universidad de Deusto
Biblioteca

rationalis animæ est, vt fiat seculum intelligibile, & describatur in ea vniuersus orbis, & forma totius, & ordo intellectus in toto, & subdit & vt incipiens à principio totius procedat ad substantias excellentiores spiritales absolutè: deinde ad spiritales pendentes aliquo modo, deinde ad animas mouentes corpora, & postea ad corpora cælestia, & vt hæc omnia sint descripta in anima secundum dispositiones & vires earum quousque perficiatur in ea dispositio vniuersi & sic trâseat in seculum intellectum instar esse totius mundi: hæc ille.

Aduerte 2. ꝙ B. Thom. ibi, *cognoscere autem alia singularia &c.* breuiter, & truncatè se expedit de his, quæ non est necesse beatum cognoscere: & ideo vide in tertio contra capi. 59. ibi, *primo quidem quantum ad ea*, & vsque in finem: & illic inuenies quòd non est necesse, imo nec possibile quantumcunque beatum intellectum cognoscere omnia, quę Deus facere potest, sed nec facit, nec facturus est. Item nec omnium rerum factarum rationes. item nec ea, quæ pendent ex mera voluntate Dei vt prædestinatio, electio, hora iudicij, &c. hæc enim omnia non possunt cognosci nisi comprehendatur Dei essentia, vt inquit illic B. Thom. & tu vide ad placitum. Quomodo autem anima Christi excellentius & vniuersalius videat res in verbo quam quilibet alius beatus, nõ est præsentis propositi. In responsione ad secundum aduerte, quòd licet hic concedat minorem, tamen in quæst. de verit. quæstio. 8. articul. 4. & quæstio. 12. articul. 6. negat eam, declinans potius ad modum essendi, sicut effectus in causa: quoniam sicut res in speculo vt supra diximus quòd tamen Deus sit speculum saltem impropriè, concedit, & quoniam argumentum in huius articuli indistinctè subsumit Deum esse speculum, ideo potuit admittere minorem, quoniam quocũque modo sit speculum, cum non comprehenditur non est necesse omnia videri in eo.

ARTICVL. IX.

Vtrum ea, quæ videntur in Deo à videntib. diuinam essentiam per aliquas similitudines videantur.

CIrca titul. Aduerte quòd licet in artic. 2. determinauerit diuinam essentiam non posse videri per aliquam similitudinẽ, quoniam nullum creatum est sufficienter representatiuum tantæ celsitudinis, & infinitatis: tamen hæc ratio cessare videtur quo ad creata visa in diuina essentia: cum enim omne creatum sit finitum, repræsentabile est aliqua specie finita, & propterea quærit *vtrum ea, quæ videntur*, item aduerte quòd ly, *per aliquas similitudines* intendit formas intelligibiles: productas realiter à Dei essentia.

Vnde secundum illam cognitionem &c. vsque in finem articuli. Aduerte quòd resolutio stat in hoc, si videntur per aliquas similitudines, vel illæ similitudines sunt in ipsis videntibus, vel in diuina essentia sicut species in speculo: non quia res viderentur in se ipsis & non in alio: nunc autem loquimur de visione in alio, non secundo quia pluralitas absolutorum non stat in diuina essentia. Formæ autem intelligibiles sunt entia absoluta, cum sint principium actionis, connotant tamen respectum vt scientia & scibile. Sed dices, omnia videntur per vnam similitudinem, sicut potest creari Angelus, qui omnia intelligat per vnam speciem, contrà hæc similitudo vel est ipsa diuina essentia, quæ sufficienter repræsentat se, & alia: & sic habetur intentum, vel est distincta, & hoc est impossibile, quoniam ex diuina essentia, & ipsa similitudine fieret cõpositio, sicut ex intellectu Angeli & eius specie: hoc autem repugnat diuinæ simplicitati, & propterea B. Thom. concludit, quòd videt per solam diuinam essentiam, vt gerit vicem formæ intelligibilis repræsentantis se, & alia.

ARTICVL. X.

Vtrum videntes Deum simul videant omnia, quæ vident in Deo.

AD cuius euidentiam considerandum est, *quòd in Deo nos &c.* Aduerte quòd eandem rationem sub eisdem propositionibus, adducit in quæst. 85. artic. 4. loquens de intellectu nostro, & illic inuenies defensionem contra Scot. & Aureol. ideo videbis illic.

Si autem omnes intelligantur vna specie, simul intelligantur &c. Aduerte quòd hæc conditionalis non est vera de necessitate, sed de possibili: hæc enim est falsa. Quæ vna specie intelliguntur, necesse est simul intelligi: stat enim quòd applicet intellectum ad intellectionem parietum præcisè, quando actuatur intellectus specie domus, vt est quoddam totum, sufficit autem quòd sit formaliter vera de possibili. Quod autem in visione Dei sit vera de facto, & de necessitate est propter omnimodam, & simultaneam perfectionem, quæ est de ratione actus beatifici, & ideo B. Thom. 3. contra capitul. 60. fortè aduertens, quòd hæc ratio non concludit de facto ex forma sed ex materia tali, propterea adducit alias rationes, quib⁹ directè probat in illa visione nullum esse visorum successionem quas tu vide ad placitum.

Vnde simul, & non successiuè videntur: Aduerte quòd sub hac conclusione continetur omnis intellectus creatus, etiam intellectus animę Christi, quod quidem non placet Scot. in 3. d. 14. in quæst. 2. ibi, *sed ista via tertia non placet*, vult enim quòd anima Christi videns Dei essentiam habeat omnia sibi præsentia habitualiter, siue in actu primo quo, scilicet videt Dei essentiam. Dicit enim ꝙ actus, quo videt verbũ primò est actus primus præsens, quo sibi relucent omnia, quæ lucent in verbo, & hoc quia verbum est manifestatiuum vt speculum voluntarium repræsentans omnia ipsa: tamen anima Christi nõ potest simul omnia recipere in cognitione sua actuali, sed quodlibet sigillatim, & ita potest videre quodcunque de numero infinitorum ad quod se conuertit, quòd igitur non omnia simul actualiter videant, probat dupliciter.

Primò experimur, quòd attentio circa plura obiecta est minus perfecta: ergo videtur impossibile, potentiam finitam perfecta attentione videre infinita simul.

Secundò si actualiter videret infinita perfectio animæ Christi in infinitum excederet perfectionem alterius animę, quod videtur inconueniens. Deinde confirmat intentum sum per Auicenn. in sexto naturalium parte quarta, capitul. secundo, vbi inquit, in sapientia creatoris non est occultatio secundum receptacula, quia scilicet, licet verbum omnia repræsentet, tamen anima non potest recipere nisi sigillatim.

Ad primum dico, assumptum non esse verum: nisi quando plura obiecta videntur in seipsis, vt plura sunt, & per proprias species: quando etiam videntur in alio, non vt plura, sed vt vnum videntur ex consequenti est vna omnium visio & attentio.

Ad secundum admissa pro nunc consequentia, nego, quòd hoc sit inconueniens: quoniam anima Christi, vt est anima Christi, est diuinum intelligens ex vnione ad diuinum suppositum, ita quòd potest dici, vt sic, de ordine diuinorum entium: licet inquantum anima, sit tantum de ordine rerum creatarum. Constat autem quòd ea, quæ sunt de ordine diuino, vt sic, excedunt improportionaliter ea, quæ sunt inferioris ordinis: sic lumen gloriæ excedit incomparabiliter lumen naturale, non quidem quo ad esse, cum vtrumque sit finitum, sed quo ad virtutem, & efficaciam, vt suprà diximus. Idem intellige de anima Christi, vt est talis anima. Scot. autẽ ideo decipitur, quia considerat animam Christi vt est eiusdem speciei cum alia anima, & non speculatur altius.

Ad dictum Auicenn: dico quòd non deseruit huic proposito de visione rerum in verbo: loquitur enim illic de anima coniuncta, quomodo in somnis recipit cognitiones rerum occultarum, & dicit, sed occultatio taliũ est secundum receptibilia, aut quia sunt infusa corporib⁹, aut quia sunt inquinata ab his, quibus deprimuntur deorsum, cum hoc autem ociantur ab his actionibus, merentur videre quòd est illic, &c. patet autem, quòd hæc quandoque non valet, anima demersa in corpore paulatim & in somnis recipit cognitionem occultorum à Deo, vel ab Angelis: ergo anima videns Deum, recipit successiue visionem eorum, quæ relucent in verbo: Vnde Scotus in vniuersaliter adducit dictum Auicenn.

Sicut corpus non potest figurari simul diuersis figuris &c. Et aduerte quòd hanc similitudinem substinebo infra in quæstione octuagesimaquinta, articulo quarto. vbi declarabo, quod tenet, vt dicit Beat. Thom. in prima secundæ, quæstione 54. articulo primo ad vltimum, ratione terminationis, quoniam sicut figura terminat corpus, ita species intelligibilis determinat intellectum existere sub actu secundo. Vnde sicut non potest vnum corpus terminari simul multis figuris, sic nec idem intellectus in actu secuado determinari multis speciebus, imo patet, quòd Scotus in 1. d. 3. q. 1. variè improbat hanc similitudinem propter hoc quòd species nõ est figurãs, & quia

& quia species in intellectu non habent oppositionem: adduceit enim non causam, vt causam, quod si considerasset quomodo assimilatur in hoc, quod est terminare, non ita leuiter impugnasset.

ARTICVL. XI.

Vtrum aliquis in hac vita possit videre Deum per essentiam.

CIrca tit. ly, *in hac vita*. i. stante vnione animæ & corporis, & non exponatur pro vtente vel operante opera sensuũ: quoniam in responsione ad secundum dicit, *sed non vtentium sensibus corporeis &c.* ly, *possit* nõ stat absolutè, sed possit absque diuino miraculo ly: *videre* stat indistinctè, siue per modum habitus, siue per modum transeuntis, vt tenetur de Moyse.

Respondeo dicendum, quòd ab homine puro &c. hoc dicit ad differentiam Christi qui pro hac vita fuit semper beatus. *nisi ab hac vita mortali &c.* hoc dicit ad differentiam status hominis post resurrectionem, quando in carne mea. i. existens viuus, videbo Deum &c.

Vnde impossibile est anima hominis secundum hanc vitam &c. ly, *impossibile* stat sicut hic impossibile est mortuum resurgere, quod tamen sit possibile diuina virtute ex miraculo, & non stat pro eo, quod implicat contradictionem, quoniam hoc nulli potentiæ subest, & tamen in responsione ad secundum tenet esse factum de Paulo.

Et huius signum est quòd anima nostra &c. Aduerte quòd Scot. in 4. dist. 45. quæst. 2. ibi, *quæ adducuntur pro confirmatione &c.* reprobat hæc signa. Sed ego defendam B. Thom. in quæst. 89. ar. 1. & tu quære illic, quoniam est locus ad propositum.

ARTICVL. XII.

Vtrum per rationem naturalem Deum in hac vita cognoscere possimus.

CIrca titul. ly, *per rationem naturalem*, stat pro cognitione rerum naturalium acquisibili per lumẽ naturale, & est sensus, vtrum per cognitionem rerum naturalium possimus cognoscere Deum. ly, *cognoscere* stat indistinctè, siue per essentiã siue quia est: & aduerte quòd eadem est determinatio huius articuli cum determinatione illius quæstionis infra, in q. 88. artic. 1. & 2. & 3. in quo quæritur, vtrum anima coniuncta possit intelligere separata, & vtrum primum intelligibile pro hac vita sit ipse Deus. Et quoniam Scot. & sequaces eius, præcipuè Antonius Andreas in 2. metaphysic. quæst. 3. videtur tenere contra determinationem B. Thom. de cognitione quidditatiua separatorum. Ideo vide in nostris q. libr. 2. metaphysic. quæst. 3. illic inuenies declarationem positionis B. Thom. & Scot. & quomodo non dissentiunt in sententia, & quomodo argumenta Scot. quæ recitat Capr. in 1. distinct. 2. qõ. 1. contra quintam laborant in æquiuoco. Concludunt enim quòd possumus cognoscere quidditates separatas, non tamen quidditatiuè. Quomodo autem hæc differant, declarauì illic, vide tu ad placitum.

Ex sensibus autem non potest. vsque ad hoc, *intellectus noster pertingere, quòd Dei essentiam videat.* Aduerte quòd Scot. quocunque modo declinet à via B. Thom. quo ad cognitionem substantiarum immaterialium, saltem in hac eadem eõclusione, quo ad Deum concordati. vnde Antonius Andreas in q. prædicta inquit, illa cognitio visionis, quam beati habent in patria, est nobis forte impossibilis pro hoc statu &c. ex consequenti non possumus pro hac vita per rationem naturalem videre Deum.

ARTICVL. XIII.

Verum per gratiam habeatur altior cognitio Dei quàm per rationem naturalem.

CIrca titul. ly, *per gratiam*, stat pro reuelatione facta homini à Deo non secundum communem ordinem naturæ, sed & ex gratia speciali, vt quãdo nobis loquitur per Prophetas aut filium &c. est sensus, vtrum cognitio de Deo habita per reuelationem, altior sit.

Respondeo dicendum quòd per gratiam perfectior cognitio. Aduerte quòd in tit. proponitur altior, in conclusione perfectior, in responsione ad secundum plenior, quæ quidem excellentiæ non verificantur ex modo cognitionis, quoniam ex modo il la perfectior est, quæ euidentior est, & propterea cognitio primorum principiorum perfectissima est ex modo.

Secundum hæc cognitio innititur fidei, quæ aufert euidentiam à credente: ergo ex modo non verificantur illæ excellentiæ, sed verificãtur ex parte obiecti, pro quanto de Deo per gratiam cognoscimus altiora, & occultiora prędicata, puta quia Trinus, & vnus, quia sanctificans, quia beatificans, & hæc non possumus cognoscere per rationem naturalem, & ratione hac diximus in quæstio. 1. quòd sacra doctrina meritissimè dicitur sapientia, quoniam attingit occultissima & eminentissima prædicata Dei, in qua non potest metaphysica naturalis, vt declarauì in quæst. 1, articu. 6. corrollarie sequitur quòd cognitio de Deo habita per gratiam ex modo est infima: ex obiecto autem, prout declarauimus, est perfectissima.

¶Quæstio Decimatertia.

ARTICVL.

Vtrum aliquod nomen Deo conueniat.

SECVNDVM *philosophum voces sunt signa intellectuum, &c.* vsque ibi, *cõceptionem intellectus.* Aduerte quòd dicit, *voces esse signa intellectuum* & non dicit similitudines, quia inter vocem significatiuam præcipuè ad placitum, & eius significatum non attenditur aliqua similitudo, sed sola ratio siue voluntas instituentis, sicut in multis aliis signis, vt Iuba est signum belli dicit *intellectuum*, & tamen text. philosophi habet *passionum*, quæ duo licet stent pro eodem, scilicet pro conceptionib. tamen alia ratione dicuntur intellectus & aliæ passiones dicuntur quidem intellectus prout sunt termini actus intelligendi. & dicuntur passiones prout causatur à re, vt à fundamento veritatis, & recipiũ tur in intellectu. omnis autem receptio, potest dici passio, ex tertio de anima dicit quòd intellectus sunt eorum similitudines, & non dicit sunt notæ, sicut dixerat de vocibus, quoniã naturaliter repræsentant res, vnde conceptus dici solent imago, siue verbum, cuius ratio est manifestatiuum eius, cuius est imago, siue verbum, vnde remota omni institutione humana, diffinitio repræsentat diffinitum: dicit quòd voces significant res mediante conceptione intellectus quod vtique est verum: sed cum quadam latitudine: nam voces significatiuæ aut sunt communes, vt homo, lapis, animal: aut singulares, vt Sortes, Plato, si sunt communes, significant naturam communem, quæ non habet communitatem realem extra singularia, vt voluit Plato, sed communitatem secundum rationem, quę non ponitur, nisi per intellectum concipientem. necesse est igitur, vt intellectus prius concipiat hominem, inquantũ homo est, quàm enunciet per vocem. si sunt singulares, significant naturam singularem, quam necesse est prius apprehendi per rationem particularem, ideſt per imaginatiuam vel cogitatiuam, & de ea formare conceptum singularem: & deinde sic apprehensam significare per vocem: ita Aristotel. in 2. de anima text. 9. vult quòd non omnis sonus animalis sit vox. Necesse est prius imaginari, & apprehendere id, quod per vocem exprimendum est, & illa apprehensio siue conceptus singularis potest dici intellectus. pro quanto etiam cogitatiua apud Aristotelem aliquando dicitur ratio, aliquando intellectus passiuus ex tertio de anima text. 28.

Secundum igitur quòd aliquid à nobis cognosci potest, sic à nobis potest nominari. Aduerte quòd Scot. in 1. distinct. 22. quæst. vnica improbat hanc propositionem. dicit enim quòd ly, *nominari*, dupliciter potest accipi, primò vt idem est quòd imponere nomen ad significandum aliquid, secundò vt idem est quòd vti nomine imposito ab alio: si sumatur secũdo modo, falsum est, quòd eo modo de necessitate nominemus aliquid quo cognoscimus: potest enim aliquis vti nomine distinctius significante rem, quam ipse intelligat, vt quia est altioris ingenij, intelligit distinctè aliquam naturam. puta solem & ei nomen imponit: vulgares autem vtuntur eodem nomine, licet non distinctè tam perfectè intelligat ipsum solem, & quantum ad hoc bene dicit Scot. ex consequenti sequitur quòd si Deus imponeret sibi nomen, vel Augustinus qui distinctius cognoscit ipsum Deum. Viator posset vti tali nomine, si sibi reuelaretur. licet non intelligeret ita distinctè rem nominatam: si autem sumatur primo modo, Scotus licet sub dubio relinquatur, & conditionaliter, vt patet cum dicit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

si autem ista propositio esset vera, quòd nullum nomen potest alicui imponi distinctius, quàm intelligatur, hæc tamen est falsa, quòd nullus potest vti &c. tamen arguit quòd non sit vera sic, si nihil potest per nomen significari distinctius quàm intelligatur, nullum nomen impositum à viatore significaret aliquid de genere substantiæ: sed de genere actionis, aut accidentium: probatur consequentia, quoniam non cognoscimus naturam substantiæ, nisi in conceptu cõmuni entis: ergo non distinctè, & præterea nõ cognoscimus distinctè, nisi aliquas proprietates aut actiones alicuius substantiæ, puta de igne lucem, calorem, calefactionem, & de lapide duritiem, & læsionem pedum: ergo si aliquid nominatur sicut cognoscimus, ista nomina, ignis, & lapis non significabunt distinctas substantias, sed proprietates aut actiones: quod patet esse falsum.

In hoc non bene dicit Scot. quoniam si intellectio est causa nominationis, & perfectius nomino quam intelligo, effectus erit perfectior causa sua. Præterea talis est nominatio potius esset à casu, quam à proposito, & posset esse erroris occasio, vt puta aliter nominemus rem, quam fortè sibi cõueniat. Ad argumentum igitur Scot. nego consequentiam. ad primã probationem nego assumptum. Imo cognoscitur propositio concepta, & per propriam speciem. Decipitur autẽ Scot. quoniam tenet substantiam non cognosci per propriam speciem, sed per speciem accidentium suorum: cuius oppositum determinaui in 7. metaphysic. quæst. 6. Ad probationem, nego similiter assumptum, nam vt declaraui in 7. metaphys. quæst. 5. talis seruatur ordo in nostro intellectu, primo quãdo intellectus possibilis actuatus est specie, substantiæ per ipsum cognoscit subiectũ quo ad prædicata confusa essentialia: secundo quia nostra distincta cognitio recipit à sensu, qui est cognoscitiuus accidentiũ per viam sensus consurgo ad cognoscendum accidentia propria talis, vel talis substantiæ: tertiò ex his accidentibus notis deuenio in cognitionem distinctã ipsius substantiæ, & in tertio gradu nominamus substantiam nomine significante substãtiam distinctè, sicut cognoscimus. Vnde nego, quòd huiusmodi nomina lapis, & ignis significẽt accidentia vel actiones, licet imponantur ab eis: sed vt dicemus infra distinguuntur, id, à quo, & id, cui nomen imponitur. vtrum autẽ in scriptura sacra, vel apud Hæbræos sint aliqua nomina significantia distinctè diuinam essentiam, vt probabile, dicit Scot. esse tenendum. quid autem tenendum secundum B. Thom. dicam in artic. 9. huius q.

Non tamen ita quòd nomen significans ipsum &c. vsque ibi, *declarante eius essentiam &c.* Aduerte quòd nomen significans rem secundum quod est in se, est illud, quod significat rem quo ad prædicata substantialia non solum communia, sed propria, & intrinseca: vt homo. nomen autem significans rem, vt est sub actione, vel sub respectu ad alterum, vel sub negatione non significat rem secũdum quod est in se: & quoniam diuina nomina imponuntur ab actione, vel respectu vel negatione, vt magis declarabitur infra: ideo nullum significat Deum vt est in se. i. quo ad prædicata quidditatiua propria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AR

MC

Universidad de Deusto
Biblioteca